Digitized by Google

6
43 M
20

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
12. b

5 - B - 2

562
5
B
2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PARAPHRASIS INTERTEXTA EDITIONI VVLGATAE IN PENTATEVCHVM MOYSI, VNA CVM ANNOTATIONIBVS AD SINGVLA QVAEQVE CAPITA, GERMANVM LITERAE SENSVM CONCERNENTIBVS,

PER R. P. F. PETRVM VINCENTIVM DE Marzilla Cæsaraugustanum, Congregationis Benedictinæ Hispaniarum Magistrum Generalem, & in Vniuersitate Compostellana Sacræ Theologiæ Primarium professorem, ac Sanctæ Inquisitionis officij Censorem.

AD TRIVMPHANTEM, GLORIOSISSIMVMQ. Innumerabilium Martyrum Cæsaraugustanorum candidatum exercitum.

CVM PRIVILEGIO.

SALMANTICAE.
In ædibus Antoniæ Ramirez, viduæ.
M. DC. X.

SOC. IESV BIBL. SEC. COLL. ROM.
Digitized by Google

Digitized by Google

EL REY.

POR Quanto por parte de vos el Maestro Fray Pedro de Marzilla de la Orden de señor san Benito, nos fue fecha relacion, que auiades compuesto vn libro intitulado *Paraphrasis Intertexta editioni vulgatæ in Pentateuchum Moysi*, en que auiades puesto mucho estudio, y trabajo, y era muy vtil y prouechoso, nos pedistes, y suplicastes os mandassemos dar licencia para le poder imprimir, y priuilegio por tiempo de veynte años, ò como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quanto en el dicho libro se hizieron las diligencias que la pragmatica por nos vltimamente fecha sobre la impression de los libros dispone, fue acordado, que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimoslo por bien. Por la qual por os hazer bien, y merced os damos licencia, y facultad para que vos, ò la persona que vuestro poder ouiere, y no otra alguna podays imprimir el dicho libro, que de suso se haze mencion en todos estos nuestros Reynos de Castilla por tiempo, y espacio de diez años, que corran, y se cuenten desde el dia de la data desta nuestra cedula, sopena, que la persona, ò personas, que sin tener vuestro poder lo imprimiere, ò vendiere, ò hiziere imprimir, ò vender, por el mismo caso pierda la impression que hiziere con los moldes, y aparejos della, y mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis cada vez que lo contrario hiziere. La qual dicha pena sea la tercia parte para la persona que lo acusare, y la otra tercia parte para nuestra Camara, y la otra tercia parte para el Iuez que lo senteciare, con tanto, que todas las vezes que ouieredes de hazer imprimir el dicho libro durante el tiempo de los dichos diez años, le traygays al nuestro Consejo, juntamente con el original que en el fue visto, que va rubricado cada plana, y firmado al fin del de Iuan Gallo de Andrada mi Secretario de Camara de los que en el residen, para que se vea si la dicha impression està conforme al original, ò traygays fè en publica forma de como por corrector nombrado por nuestro mandado, se vio, y corrigio la dicha impression por el original, y se imprimio conforme a el, y quedan impressas las erratas por el apuntadas para cada vn libro de los que ansi fueron impressos, para que se tasse el precio, que por cada volumen ouieredes de auer. Y mandamos al impressor que ansi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, ni el primer pliego del, ni entregue mas de vn solo libro con el original al autor, ò persona à cuya costa lo imprimiere, ni à otra alguna para efecto de la dicha correction, y tassa hasta que antes, y primero el dicho libro estè corregido, y tassado por los del nuestro Consejo, y estando hecho, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y successiuamente ponga esta nuestra cedula, y la aprouacion, tassa, y erratas, so pena de caer, y incurrir en las penas contenidas en las leyes, y prematicas destos nuestros Reynos. Y mandamos à los del nuestro Consejo, y à otras qualesquier justicias dellos, que guarden, y cumplan esta nuestra cedula, y lo en ella contenido. Fecha en san Lorenço a veynte y nueue dias del mes de Octubre de mil y seyscientos y ocho años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.

Thomas de Angulo.

¶ 2 Cen-

ERRATA.

PAg.13.col.2.li.23.illum mundi nascentis.le.illud mundi nascentis.p.18.co.2.li.32.seductioni.le.seductionem.p.37.co.1.li.antep.equi,tum.le.equitum.co.1.Iapheth.le.Iapheth.p.85.co.1.li.antep.negūtio.le.negotiū.p.103.c.1.li.7.ipse.leg.ipsi.co.2.li.14.robora.le.robarare.li.40.Ioc.le.Iosue.p.106.co.1.li.14.respiceret.le.despicet.p.121.co.1.li.35.inquirēs.le.inquiens.p.124.li.17.et.le.&.co.2.li.5.dicit.le.ducit.li.13.Mephthala.le Nephthali.p.130.li.3.iharim.le.thaim.p.144.li.5.abeste.le.abste.p.150.co.1.li.18.cōsumptique.le cosumptisque.p.155.co.1.li.21.mei.le.mi.p.162.co.2.li.12.parte.le.patre.p.163.co.1.li.33.annus.le.annus sextus.pag:165.co.2.li.16.sint.leg.sine.p.175.co.2.li.16.populus.le.Episcopus.p.190.co.1.li.12.nomene.le.nomen.p.200.co.1.li.44.quod.le.quoad.co.2.li.4.matris.le.matre.p.205.co.1.li.37.quendam.le.quędam.p.218.co.1.li.41.debat.le.sedebat.co.2.li.vlt.nume.le.numerari.p.224.co.2.li.46.predebat,le.prębebat.p.226.co.2.li.3.ferebant.le.ferebantur.co.1.li.42.equitatis.equitatus.& li.44.virginis.le.vertiginis pag.232.colum.2.li.3.morabilia.le.moralia..pag.243.col.1.li.30.diligāt.le.diligā.p.245.co.1.li.37.est est.le.est.li.46.vos.le nos.p.257.co.1.li.41.abque.le.absque.li.47.affiges.le.affliges.p.263.co.2.li.12.statū.le stratum.p.276.li.6.angulū.le.cingulum.co.1.li.41.vestio.le.vesties.p.285.li.21.quidninam.le.quid nam in.p.293.co.1.li.56.cōfigere.le.cōfingere.p.308.co.1.li.25.35.osto.vigēti.le.ostio.viginti.p.312.co.2.li.18.mēsa.le.mensam.p.313.co.2.li.26.le.similior.li.29.q.210.le.q.102.p.216.co.1.li.6.Detractaquę.le.Detractaque.p.330.li.14.cornibus.le.carnibus.p.335.co.1.li.39.licitā.le.licitum.p.340.co.1.li.1.exiberis.le.exibitis.p.356.co.1.li.40.Deo.le.Dei.p.360.co.2.li.27.pupillo.le.pugillo.p.377.co.1.li.22.auaria.le.auaritia.p.403.co.1.li.1.quoscumque.lege.quicumque.p.406.co.1.li.1.deficiente.le.deficiēt.p.408.co.1.li.11.numerorū.le.numerum.p.411.co.1.li.4.armentorū.le.armatorū.co.2.li.2.ceruibus.le.ceruicibus.p.446.co.1.li.7.oleum.le.oleo.p.449.co.1.li.5.locū.le.loco.p.457.co.2.li.19.positā.le.posita.p.469.co.1.li.4.dicitur est.le.dictū est.p.471.co.1.li.3.exosas.le.exosos.p.472.co.2.li.34.dicendo.le.discedendo.p.491.co.1.li.5.diei.le.die.p.503.co.2.li.13.dolebat.le.volebat.p.506.co.2.li.5.genere.le.gerere.p.508.co.1.li.38.rerū.le.verū.p.509.co.2.li.5.populorum.le.populū.p.523.co.2.li.pen.termini.le.tenemini.p.529.co.2.li.22.altari.le.alteri.p.538.col.1.li.1.transiet.le.transite.

Concordat cum Originali, his dumtaxat erratis exceptis: in cuius rei fidem hæc scripsi, subscripsique. Dat. Salmanticæ die 24. Martij, Anni 1610.

Corrector &c. *Emanuel Correa De Montenegro.*

TASSA.

YO Iuan Gallo de Andrade Escriuano de Camara de su Mageſtad, de los que residen en el su Consejo doy fee q̃ auiēdose visto por los señores del: vn libro intitulado: Paraphrasis intertexta in Pentateuchum Moysi, compuesto por el P.M.F.Pedro Vincencio de Marzilla de la orden de S.Benito, y Cathedratico de prima de Theologia en la Vniuersidad de Sanctiago, tassaron cada pliego del dicho libro a quatro marauedis, y medio, y dieron licencia para que à este precio se pueda vender, y mandaron, que esta tassa se pōga al principio del dicho libro, y no se pueda vender sin ella, y para que dello conste di la presente. Fecha en Madrid a 23. de Abril de 1610.

Tiene este libro ciento y setenta y quatro pliegos; que montan veynte y tres reales, y vn marauedi, à quatro marauedis, y medio de tassa cada pliego.

Iuan Gallo de Andrade.

Digitized by Google

CENSVRAE, ET Approbationes, ob quarum testimonia præfatum regium diploma concessum est authori huius operis.

APPROBATIO REGII CENSORIS.

EGO Doctor Franciscus de la Torre in Vniuersitate Vallisoletana perpetuus Sacrę scripturæ professor, Cum ab hinc tribus annis proxime elapsis supremi Senatus Regij decreto illustre opus Paraphrasis intertextæ editioni vulgatæ in Pentateuchum Moysi â Sapientissimo Patre Magistro Fr. Petro Vincentio de Marzilla in Viniuersitate Compostellana primario Sacræ Theologiæ prælectore editum, mihi expendendum, inspiciendum, examinandumque traderetur, assidua, diligentique opera munus expleui. Etenim per integrum triennium præfatum volumen perlegi, & consideraui, ac tandem expendi præter doctrinam, quam habet Catholicæ Ecclesiæ Romanæ cõsentaneam, solidam, veram, & Apostolicum spiritum vbique referentem, methodus, qua illam tradit, proculdubio non minus est proficua, quam laboriosa, sensum germanum Sacræ scripturæ tanta dexteritate, vbertate, ordine, & claritate exhibens, vt quilibet sacrarum literarum studiosus mediocri adhibita diligentia intelligat, ac penetret plura, quæ sine eius methodi adminiculo, nisi magnis sudoribus adquiri non poterant. Et hoc sane magis, ac magis elucescet, si aliorum doctorum Commentaria in hos quinque libros Moysi conferantur: quod ego diligenter admodum feci. Consequens ergo est vt imperio prædicto satisfaciens dicam hunc librum satis expensum, & examinatum, non magnitudine, nec verborum copia, sed pretio æstimandum deberi, non solum ad communem omnium vtilitatem imprimi, & publice ferri, sed magna cum laude, & proximorum gratulatione suscipi, & exosculari. In cuius rei fidem, & testimonium nomen meum apponendum decreui. Vallisoleti prima die Iunij anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexcentesimo quarto.

D. Franciscus de la Torre.

Digitized by Google

Censura Ordinis nostri.

EX præscripto Reuerendissimi P. Magistri Fr. Ioannis de los Arcos Benedictini instituti, per Hispaniam Supremi, ac generalis moderatoris euolui, quanta maxima potui cura intertextam Paraphrasim editioni vulgatæ in Pentateuchum Moysis à Doctissimo P. Magistro Fr. Petro Vincentio de Marzilla primo apud Compostellanos Theologiæ professore elaboratam, dignum plane opus tanto viro: quippe quod intimos recessus, & abscondita Moysis penetralia inlucem reuocat, aditum patefacit, & quasi Ariadnæum filum, etiam cæcutientibus per sacras ambages eundi, redeundique viam ostendit. Quæ enim Sancti Patres diuino illustrati spiritu, quæque Hebræorum Magistri immensis voluminibus ad intelligenda sacra eloquia scriptis, monumentisque tradiderunt, ea omnia quasi in compendium redacta, paucis, breuissimisque verbis, hæc intertexta Paraphrasis, ob oculos, vel mediocriter docto obijcit, ita tamen, vt dum breuis esse cupit, obscurus non fiat, sed lucem breuitas augeat, breuitatique lux fastidiũ auferat. Quapropter me iudice, nihil è sentẽtia magis contingere potuit diuinorum Bibliorum studiosis hoc opere: breui enim tempore doctissimi euadent, nihilque, quod ad eorum exactam intelligentiam conducat, desiderabunt. Percurrent præterea inoffenso pede hos libros, cum nihil in eis sit reperire, quod aut sanæ fidei aduersetur, aut bene vitæ instituendæ non proficiat, typis igitur mandentur, ne tot bonis Ecclesia Dei careat. Datum Legione pridie Idus Maij anno millesimo sexcentesimo primo.

Magister Fr. Didacus Venegas
Abbas Sancti Claudij Legionen.

Facultas Ordinis nostri.

MAGISTER Frater Ioannes de los Arcos Abbas Generalis Congregationis Sancti Benedicti Hispaniarum, Facto diligenti examine, maturaq; consultatione præmissa, ac virorum tum doctrina tum eruditione præclarorũ nostræ Congregationis iudicio comperi librum, cuius titulus est, Paraphrasis intertexta editioni vulgatæ in Pentateuchum Moysi, editum à R. admodum P. Magistro Fratre Vincentio de Marzilla ordinis nostri, non solum nihil continere contrarium rectæ fidei, seu bonis moribus, verum etiam, non modicum futurum esse vtilem vniuersis sacræ paginæ professoribus. Quapropter præsentibus literis manu nostra subscriptis, ac signo nostri secretarij re fertis facultatem tribuo, vt prælo supremi senatus Regij consensu typis mandari queat. Datis in cænobio nostro Sancti Benedicti Vallisoletani, die tertia Maij anno Dominicæ incarnationis millesimo sexcentesimo primo.

Magister Frater Ioannes de los Arcos
Abbas Congregationis S. Benedicti Hisp.

De mandato suæ Reuerendissimæ P.

F. Antonius
Aluarado.

Digitized by Google

DIVIS VINCENTIO, VALERIO, ENGRATIAE, LAMBERTO, EORVMQVE SOCIIS

Innumeris Cæsaraugustæ Martyribus, F. Petrus Vincentius de Marzilla Benedictinus, seipsum suaque opera dicat, & consecrat.

QVAE Me, Martyres gloriosissimi, impulerunt, vt paraphrasim hanc intertextā editioni vulgatæ in Pentateuchum Moysi in tanta principum clarissimorū que virorum copia, qui Hispaniā nostram, velut cœlum astra ornant, & decorant, in vestro potissimū nomine apparere vellē: ea non solū vobis, quibus nihil ad vestrū statū spectans latere potest, nota esse puto: sed credo equidē ita multis exposita & aperta esse, vt miraturos fuisse plurimos non dubitarem, si munusculum hoc alij cuipiam, quam vobis obtulissem. Duo etenim sunt, quæ scriptorum animos ad sua opera dicanda, ac sub alicuius principis velamine protegenda præcipuè solent excitare. Primum est, vt in speciem gratitudinis Patrono suo, vtpote de se optime merito, author, se se obnoxium ac deuinctum ostēdat, laboribusque suis debitum pensum aliquo modo exsoluat. Alterum est, spes retributionis, quam inde sibi deuenturam promittit. Si hoc igitur ita est: Quis (Martyres inuictissimi) de mei munusculi oblatione vere poterit hæsitare? Nā si retribuendarum gratiarum leges inspicio, vos nullis destitutos animaduerto: vt potè quibus (vt cū Iustiniano loquar) & naturalia & ciuilia concurrunt iura. Tria quippe (iuxta sapientum placitum) velut capita relucēt, quibus leni naturæ propēsione deuincimur, Deo videlicet, parentibus, & tandem patriæ: hæc in vobis numeris vndequaque absoluta reperio, illisque tribus in vobis vnicè satisfacio. De Deo nempe Optimo Maximo (quæ sua est immensa & inexhausta bonitatis affluentia) Scriptura testante, cognouimus, quasi propria sibique oblata libamina cōpēsare ea, quæ inseruorum suorum quantumuis paruulorum, gratiam efficiuntur. Inquit enim: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quia igitur, quod vobis confertur, non vni aut alteri tribuatur, sed innumeris (Sic enim Romana Ecclesia, veritatis columna, firma-

mentumque denominat, in Sanctorum, quos tertio die Nouembris recolit & honorat, speciosissimo catalogo) neque etiam minimis, seu mediocribus, quin potius strenuis prorsus militibus, ac ducibus & Imperatoribus præexcellétibus; charitas siquidem virtus est, quæ victores apud Deum exaltat, virium excellentiam metitur, tandemque pro meritis coronat; atque adeo verè duces appello, quia verè chari estis Deo, verè Imperatores, quia verè charitatis purpura vestiti, verèque præexcellentes, quia vt veritas inquit, Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis, consequés profecto est me iure optimo sperare posse Deum gratum habere munusculum istud vobis libenti animo oblatum.

Parentibus præterea (sub quorum numero consanguinei quoque comprehenduntur) naturaliter debita propensio ad hoc ipsum haud parùm me impulit: siquidem fœlici me nouerim, vni ex vobis consanguinitate coniunctum, clarissimo, scilicet, Archidiacono Vincétio, qui etiam si non Cæsaraugustæ agonem consummauerit, vobis tamen comitibus incepit, Valentiæque Daciano teterrimo persecutore superato, compleuit. Faustam hanc fœlicemque consanguinitatem tecum, inuictissime Vincenti, contractam parens mihi charissimus tanti fecit, vt in summa sæculi huius dignitatū varietate quibus fortunati quique inflari, gloriariq; cósueuere, vt pote qui olim collegij celeberrimi Sáctę Crucis in Vallisoletana vrbe astitit collega, multisque in illa Academia cathedris obtentis in codé Pintiano Senatu pro Nobilium causis expediendis, constitutus, gubernatoris Aragoniæ deinde nominatus assessor: demum eiusdem Regni, Regiæ cancellariæ præses, tandemque supremi Aragonum coronæ Regij conuentus apud Matritum Regens creatus, quinquaginta ferè annos Principibus catholicis tot in muneribus deseruiuit, tanta Philippi secundi cognomento Prudentis approbatione, vt sæpe sæpius & scriptis & ore proferret, nullum inter Senatores suos plus sibi in regimine satisfacere, quàm Doctorem Ioannem Vincentium de Marzilla. Nihil igitur ex his præclarus ille vir tanti fecit, nec de aliqua illius gloria natos suos tantopere iactari voluit, quàm de Christiana ciuilique nobilitate, quæ in nos ex inuictissimi Athletæ Vincentij origine deriuatur. Nulli ergo, ô Vincenti, labores meos de patris voluntate melius, quàm tibi tuisque commilitonibus consecrare, potui, nulloque pacto exactius paterno affectui correspondere, quàm te tuosque comites in istam societatem adducere.

Patriæ quoque vis non leuiter ad idem inclinat & inuitat: vrbis quippe Cæsaraugustanæ, in qua ipse natus sum, gloria & decus estis immortale. Quamuis enim multa Cæsaraugustam exornant, quæ si

referre

referre vellem, voluminibus indigerem longissimis, cum altissima creaturarum, quæ in cœlesti consident firmamento, Virgo videlicet Beatissima Deipara Maria, & potentissimus terrarum orbis Imperator, Augustus scilicet Cæsar se se in vrbe ista honoranda amplificandaque maximopere ostentauerint. Illa dum in templum Cæsaraugustam elegit: hic dum in celebratissimam coloniam extulit: in eo potissimum hæ celsitudines magis coruscant, quod hæc Ciuitas fœlicissima innumerabilium martyrum palmis emicat laureata. Eximiũ nobis Angelorum Regina contulit beneficium, eo quòd Beati Iacobi Apostoli ad Euangelizandum Hispaniæ impetrauit aduentum; illustre quoque donum ipsius virginis illud extitit quod ante suum obitum solum Cæsaraugustæ perlustrauit: singularis etiam gratia vt primum totius Hispaniæ templum sibi præceperit dicari; adeoque validis fundamentis erigi, vt in eo nunquam diuina peragi officia desierint, eo quoque tempore, quo ab vndecim Sarracenorum Regibus certatim succedentibus vrbs iacuit occupata egregia necnon prærogatiua honoris est, virginis Deiparæ in imagine decorari in perpetuitatis signa supra marmoream columnam eleuata, mille quotidie miraculis effulgente. Sed plusquam præstantissimum munus debet reputari, locoque considere principe, quod piæ Reginæ precibus tot præstãtissimæ coloniæ ciues ad supremam Ierusalem fuerint trãsportati, in societatẽ agni amicti stolis albis, speciosoque cruore conspersi. Nõ igitur, martyres inuictissimi, dubito quin me metipsum de patria mea optime meritũ præbeo, dum vobis hoc munus quantumuis exiguum, offero.

Enim vero etsi illo gratitudinis titulo cõpulsus coactusq; non extitissem grãdis, quod spero lucri auiditas quid aliud facerem, ne vtique pareretur. Verum quippe lucrum, amplificã merces fœlicitasque sublimior cuiuslibet mortalium, in eo sita est quòd ad animi immortalitatem æternæque beatitudinis aditum magis ipsi conducit: hæc enim sub discrimine posita, cætera humanæ vitæ cõmoda vilescũt. Si hoc ita se se habet quis adeo splendidè, potenterque persoluet? Quis mei commodi conscius auidusve magis? Qui æquali beneuolentia, similive celeritate dabit retributionem, ac vos ipsi? nullus profectò Princeps siquidem terrarum potentissimus, sapiens, perexcellẽtior, amicusque intimior, sollicitudineque anxior, si vobis (ne dicã omnibus) sed minimo eorum qui vestra emicant sodalitate coniunctò cõparetur; & pauper & inscius & negligens, denique quasi alter Pharaonis pincerna, iure optimo reputabitur. Propterea micis vestris ali, magis opto, quam terrenæ alimoniæ pinguedine saginari. Plus labores anxietatesque vestris manibus delapsæ placebũt, quàm terrenarũ dulce-

dulcedinum mollicies gloriaque delectabunt. Quid etenim mihi vestris è manibus euenerit, id ipsum magis interesse certus sum. Quia ergo simile retributione carere nollem vos humiliter precor, suppliciterque exoro, vt mei memores sitis, vestraque interuentione, tueamini, à Christo seruatore vniuersorum iudice integerrimo flagitantes, vt mea crimina deleat, & cōdonet, vestræque societatis me ipsum tribuat esse participem, vt illum cum patre & Spiritu Sancto valeam sine fine laudare & benedicere.

D. MELCHIOR DE MOSCOSO ET SANDOVAL

Comitis de Altamira filius, Theologiæ in Salmanticensi Academia studiosus, & in Sancta Conchensi Ecclesia Canonicus & Archidiaconus Alarconensis ad Sanctos Martyres Cæsaraugustanos Epigramma.

Martyribus, quibus vna fides, Ecclesia cantat
Pro testamento conseruisse manus;
Vos Proceres almi, roseum quos velat amictum,
Pro testamento nunc noua tela date.
At si pro veteri Moysi non subitis arma;
Quod vetus extiterat panditur ecce nouum.
Luce noua veteris Marzillia nubila pellit,
Qua Moysi dogma, vertitur ordo Petri.
Sicque maris Scyllas Marzillia, monstraque placat,
Qui pelagi illustres comperit arte vias.
Ergo fautores Athletæ estote potentes:
Pro testamento altera pugna manet.

Idem ad Auctorem operis

HEXASTICHON.

Quæcumque arcano tradit volumine Moses
Altisque, & densis abdidit in tenebris,
Illustras Marzilla tua splendore lucerna,
Lux non obscuro condita sub modio.
Vtque datum tantùm Mosi primordia mundi
Scire; tibi æquè vni scripta aperire sua.

Pro-

PROLOGVS AD Pium Lectorem.

ETSI quamplurimi ex Theologorum familia sacris literis dediti, & in earum perscrutatione indefeßis laboribus insudantes, varia non solùm refertißima, sed doctißima commentaria in quinque Moysis libros, & in alias veteris & noui testamenti partes prælo mandauerint, magnos certè in Ecclesia Catholica, & in tota Theologorum schola profectus facientes, tibi tamen fateor, candidè Lector, me multis abhinc annis summopere expetijsse modum aliquem adinuenire literas sacras interpretandi, nec ita prolixis verborum ambagibus refertum, vt fastidium pareret, nec ita breuem, vt obscuritatis tenebris clauderetur, eumque summis precibus à Deo efflagitasse. Quibus pijssimus Deus (à quo bona cuncta procedunt) misericorditer inclinatus, hanc viam intexturæ sacri textus (quam intertextam Paraphrasim libuit appellare) mihi summa opera, labore, & studio, laboranti ostendit, eaque ni fallor, ad culmen literalis sensus facilior tibi aditus patebit, poterisque totam sacri textus historiam absque alicuius interpositione sine magno labore rimari.

Velim tamen aduertas literalem scripturarũ sensum, seu historicum, basim quãdam & necessarium fundamentum esse ad alios ipsius sacræ paginæ sensus allegoricum videlicet, anagogicum & tropologicum callendos, ac penetrandos. Vnde Gregorius noster magnus, clarißimum Ecclesiæ lumen, & in sensibus spiritualibus exercitatißimus sacrum historiæ sensum his verbis commendat: In verbis scripturæ sacræ prius est seruanda historiæ veritas, & postmodũ requirenda spiritualis intelligentia allegoriæ: tunc namque allegoriæ fructus suauiter carpitur, cum prius post historiam in veritatis radice solidatur. Et idem Sanctißimus Doctor in alio etiam loco in fauorem sensus historici seu literalis sic loquitur: Librum eloquij sacri intus scriptus est per allegoriam, foris autem per sensum literæ simplicem; intus quia inuisibilia promittit, foris quia visibilia præceptorum suorum rectitudine disponit; intus quia cœlestia pollicetur, foris autem quia terrena contemptibilia, qualiter sint vel in vsu habẽda, vel ex desiderio fugienda præcipit. Hucusque Diuus Gregorius. In quibus verbis insinuat, quia sicut in inuisibilium rerum cognitionem per visibilia deuenimus, teste Paulo: ita per historici sensus intelligentiam oportet nos in spiritualis cognitionem deuenire: imò potius sicut Deum, quem non videt, nemo diligere potest, quin fratrem suum quem videt, summa dilectione prosequatur, vt docet dilectus Christi discipulus & Apostolus Ioannes, haud secus nequaquam valemus inuisibilia sensus spiritualis & remotiora mysteria penetrare, nisi doctrinæ historiæ, quæ proximior,

D.Greg. homi. 4. sup. Euangel.

D.Greg. homil. 9. sup. Ezechiel.

Ad Ro. 1.

1. Ioan. 4

ximior nobis est, & explicatior, operam demus. Ob quam causam Diuus Hieronymus acriter, etsi suppresso nomine, Origenem reprehedit inquiens: Spiritualis interpretatio sequi debet ordinem historiæ : quod plerique ignorantes lymphatico in scripturis vagantur errore.

D. Hier. lib. 5. in Isa. c. 13.

Nec tibi videatur audaciæ aut temeritatis argumentum, literis sacri textus in nostra Paraphrasi plurima verba addere, vt ille lucidius percipiatur, nam id commode fieri posse Diuus Augustinus docet, inquiens: Quando rectus sacræ scripturæ sensus alium exitũ non potest inuenire, nisi aliquid addatur, addendum aliquid est, vt intelligatur. *Et Diuus Hieronymus sic ait:* Scriptura diuina breui verborum circulo coarctata est, & quantùm dilatatur in sensibus tantùm sermone constringitur: quia consummatum abbreuiatumq; verbum fecit Dominus super terram. *Et tandem Euthymius disertissimus Psalmorum commentator, inquit:* Sæpenumero quosdã inuenimus sermones, quorũ ob Hebraicę linguæ angustiã, à qua vetus testamentũ translatũ est, imposibile fuit paribus dictionibus amplam, æquè ac clarã significationem reddere. *Ad idque comprobandum plurima sacræ scripturæ exempla adducit ibidem Euthymius. Ne verò sacri textus verba cum dictionibus superadditis confunderentur, diuersis characteribus, ac literarum formis vtraque distinximus. Et vbi latior expositio requiritur, quàm modus proprius & germanus huius methodi permittit, eam in annotationibus extensius præbere conatus sum.*

D. Aug. lib. 14. de Ciuit. ca. 8.

D. Hier. sup. Eccl. cap. 12.

Euthym. sup. Psal. 71. & 74

Quod si hæc Paraphrasis in quinque libros Moysi (qui non solum propter primitias antiquitatis, sed etiam propter eorum necessitatem ad perfectam aliorum librorum sacræ scripturæ intelligentiam, primas in ordine tenent) grata & iucunda, vt confido, fuerit, statim Deo dante alio volumine historiales libros à Iosue vsque ad Esther, & tertio sapientientiales à Iob vsque ad Ecclesiasticum; quarto verò Prophetales ab Isaia vsque ad Machabæos, & quinto tandem nouum testamẽtum, eadem intextura & similibus annotationibus integram Paraphrasim (si Domino placuerit) in lucem proferam. Spero autem istum intexturæ modum tibi gratum & plausibilem fore, quo certè hucusq; nullus Theologorũ, (quod sciã) vsus est. Hũc si libenti animo & affectione pia inspexeris, perutile, & (si fas est) apprimè necessariũ tibi futurũ credo, vt simul breuiter ac lucidè literã ab alijs forsan longa & obscura sermonũ serie propositã, omnino callere & penetrare possis. Quod si mei muneris optatum finem adipisci contingat, quidquid probitatis & vtilitatis in eo repertũ fuerit, Deo primum tribuas exoro, ipsi gratias referendo: si quid autem minus consonum, minusque tuæ subtilitati & ingenij acumini arridens inueneris, totum ingenioli mei tarditati defectibilitatique attribuendum existimes. Et hoc ipsum ego libentissimè correctioni Sacrosanctæ matris Ecclesiæ, necnon & cuiusuis melius sentientis iudicio submitto.

PARA-

PARAPHRASIS

INTERTEXTA EDITIONI VVLGATAE IN LIBRVM GENESIS VOCATVM HEBRAICE BERESITH.

PER R. P. F. PETRVM VINCENTIVM de Marzilla Cæsaraugustanum, Cõgregationis Benedictinæ Hispaniarum Magistrum generalem, & in Vniuersitate Compostellana Sacræ Theologiæ Primarium professorem, ac S. Inquisitionis officij Censorem.

ARGVMENTVM IN CAPVT. I.

Postquàm Deus cælum & terram initio temporis condidit, per sex primos continuos dies ea, quæ creauerat, distinxit, & ornauit. In primo namque die protulit lucem, qua noctem à die seiunxit. In secundo infimam firmamenti regionem, quæ aquas nebulosas à terrestribus diuideret, cõpegit. In tertio siccam ab aquis separauit, eamquè herbis, ac lignis vestiuit. In quarto astris virtutem præbuit, vt temporum vicißitudines in rebus inferioribus causarẽt, & designarent. In quinto aquã & aërem piscibus atq; auibus exornauit. In sexto tandẽ animalia terrestria effecit, hominẽq; ad imaginem & similitudinem suã creauit, quibus & de victu prouidit.

PARAPHRASIS IN CAPVT. I.

A. † *Acto. 14.c.15. 17.f.24. Psal. 32. a.6. 135. a.5. Eccl. 18. a. 1. De consecra. dist. 2.c. quia sępius, & ca. panis, de pœnit. dist. 2. ca quod ergo, de sũma Trin. c.1.*

I*N principio*, † temporis, ante quod nihil factum fuerat, *creauit* 1 per miraculosam rerum corporalium generationem *Deus* 2 iudex integerrimus *cœlum*, tam empyreum, quàm reliquos orbes incorruptibiles perenni circulari motui à principio subiacentes, imò & æthercam regionem elementarem ipsa
terra superiorem, aëreque & igne constan- I.
tem, *& terram* 3 amictam sicut vestimen- II.
to † abysso, ac profunditate aquarum. III.
Terra autem, non cœlum, hoc enim non est
inane creatum, & vacuum, cum saltem se-

† *Ps.103 a.6.*

Digitized by Google

cundum eius portionem superiorem suis
incolis, hoc est, Angelorum agminibus
mox, vt creatum est, fuerit impletum,
erat inanis, seu vana, necdum enim fi-
nem erat assecuta, cuius gratia facta fue-
rat; *& vacua*, quia nihil in sua prima crea-
tione virentium germinum, nihil viuen-
tium produxerat animantium. *Et tene-
bræ*, cum adhuc non esset creata lux, quæ
tenebras fugaret, *erant super faciem abyssi*
seu in abysso, comprehendentes totam
profunditatem aquarum. Atque adeò ter-
ra non solùm inanis & vacua, sed & tene-
brosa erat, cùm profunditas aquarum, quę
iam circumstabat obscura esset, & luce
omninò priuata. *Et Spiritus Dei* sanctus
tertia Trinitatis persona *ferebatur* in simi-
litudinem volucris oua calore animantis,
IIII. *super aquas* 4. ipsas fouens, vitalemque
fœcunditatem aquarum naturæ præbens;
per quod habuerunt aquæ nouorum par-
tuum semina germinare. *Dixitque Deus*,
hoc est, iussit, statuit, & voluit efficaci-
Hebr. 11 a.3. ter †: *Fiat lux* corporalis & visibilis, vt
sit vnde cætera, quæ fieri debent, appa-
reant. Est namque lux generale quod-
dam omnium rerum visibilium decus &
ornamentum, & qua deficiente corpus
omne deformi horret incultu. *Et facta est*
V. *lux* 5 non simul cum cœlo & terra, sed pa-
rum posteà. Nec facta est per se manens,
sed in alio existens, videlicet in Sole, &
in alijs corporibus luminosis à principio
cum ipso cœlo creatis. *Et vidit Deus lu-
cem, quod esset bona*, non velut anteà inco-
gnitam repente lucem videns bonam di-
dicit, sed eam, quam bonam se factu-
rum prænouerat, per hoc quod ipsam fe-
cit, hominibus bonam suisque proprie-
tatibus absolutam, ac laude dignam esse
declarauit. *Et diuisit lucem à tenebris*, non
solum qualitatis, sed & locorum distantia,
lucem, videlicet in ea orbis cœlestis parte
diffundendo, quæ superior erat ad locum,
vbi homo formandus, & etiam paradi-
sus, & prima hominum post peccatum
habitatio futura erant: inferiorem verò
eius portionem priscis in tenebris remane-
re sinendo. *Appellauitque lucem Diem, & te-*
VI. *nebras Noctem* 6. Appellauit autem sicut
& parum posteà vocauit hoc vel illud, quia
sic distinxit omnia, & ordinauit, vt & discer
ni possent, & eiusmodi nomina ab homini-
bus accipere. *Factumque est vespere* dum de-
currit lux ab Oriente, vbi formata est,
vsq; ad occasum, *& mane* 7. quandiu eadē VII.
lux processit per oppositū horizontē ab
occasu ad Orientē; *dies vnus* 8, naturalis & VIII.
primus omniū dierum. *Dixitquoque Deus*
die secundo: *Fiat firmamentum*, id est, in-
terstitium & terminus interiectus firmissi-
mus, & intransgressibilis *in medio aqua-
rum*, & spatij illius, quod abyssus aqua-
rum à principio creata occupabat, *& di-
uidat aquas* 9. illas, quæ remanere debent IX.
in media regione aëris, & etiam constare
eas oportet materia quadam nebulosa, &
vaporosa, & veluti aquea, quæ facili ne-
gotio in aquam pluuialem & grandinem,
& alia ad naturam aquæ pertinentia trans-
mutetur, *ab aquis*, terrestribus, & infe-
rioribus, quæ terram debent irrigare. *Et
fecit Deus firmamentum* conuertendo par-
tem aquarum abyssi in aërem infimæ re-
gionis, qui firmioris est substantiæ, nec
in aliud ita facile conuertibilis, & illum
constituit vt terminum perpetuum, &
indefectibilem interiectum inter aquas il-
las mediæ regionis aëris, & inter aquas
inferiores: *diuisitque*, non solum quan-
tum ad situm, sed etiam quantum ad na-
turam, & proprietatem *aquas, quæ erant
sub firmamento* terram irrigantes, *&* ei con-
iunctæ, *ab his* † *quæ erant super firmamen-* † *Psal.*
tum in nubibus cœli ligatæ † ne erūperent *135.a.5.*
pariter deorsum. *Et factum est ita. Vocauitq;* *Hier. 10.*
Deus firmamentum cœlum 10. eo loquēdi mo *b. 12. 51*
do, quo quamlibet regionē aëris licet cœ- *b. 15. Psal.*
lum nominare. *Et factum est vespere, &* *148. a. 4*
mane dies secundus. Dixit vero Deus die †*Iob. 26*
tertio: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo* *cap. 8.*
sunt, nempe sub firmamento, *in locum* X.
vnum, vnitate quadam continuationis;
ita vt aquarum omnium conflu ges tan-
dem Oceano vniantur: *& appareat ari-
da* 11: detegaturque, & in gratiam ani- XI.
mantium nudetūr vndis, & desiccetur ab
vligine, & sic quasi velo remoto, & corti-
nis reuolutis, se conspicuam præbeat: per
quam apparitionem terra fiat superior, cel
sior, & eminentior ipsis aquis. *Et factum est
ita*: nam recesserunt aquæ, non solis ardo
re, nec vēto valido, nec pedetētim; sed sola
Dei virtute & voluntate, cui cuncta obe-
diūt; & quāplurimæ terræ partes se simul
repentè ostenderūt: Idq; haud difficulter;
tū quoniā aqua rarior, tenuiorq; erat, cum
terrā operiret. Vnde posteà multū coacta
& densata minori eguit loco ac receptacu-
lo: tum prætereà quoniā quamuis ante diē
tertium

Digitized by Google

tertium terra æqualiter in orbem compacta & conglobata fuerit: cæterùm hoc die multis partibus profundè subsedit, alijs item plurimis in sublime elatis extumuit; factæque sunt magnæ concauitates terræ, profundæque valles, & excelsi montes, quæ loca fuerũt receptacula illarum aqua-
B. rum. Vnde vnum corpus globosum ex aqua & terra conflari facilè potuit, in ipsius terræ concauitatibus vniuerso elemen-
† Ps. 32 b. 7. 88. b. 12. 135 a. 6. Iob. 38. a. 4. to aquæ contento. *Et vocauit* † *Deus aridam terram*: quæ enim ad distinctionem partis eius, quæ adhuc aquis premebatur, arida nominatur; ab eo quòd animantium pedibus terenda esset, terra vocari debuit: *congregationesque aquarum appellauit maria.* Aptè quidem qui priùs propter continuationem omnium, quæ in terris erant aquarum, dixit eas congregatas in locum vnum, nunc earundem congregationes pluraliter nominat, & hæc appellari maria pluraliter dicit, videlicet propter multiplices earum sinus, qui diuersa pro regionum vocabulis nomina sortiuntur. *Et vidit Deus quod esset bonum*: nihil namque effecit Deus, quod in proprio genere non fuerit perfectum, & omnibus numeris absolutum. *Et ait* eodem die tertio. *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Quoniam enim prima herbarum arborumque germina, non de semine, sed de terra aquis fota diuina operante virtute prodiere, proptereà dixit, germinet terra herbam, & lignum, *cuius semen* seu virtus, qua possit multiplicari, & sibi similia producere, *in semetipso sit super terram* ad hoc, quòd species herbarum & lignorum conseruentur. *Et factum est ita, & protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum,* & perfectionem specificam: *Lignum*
XII. *que faciens fructum* 12, *& habens vnum quodque sementem secundum speciem suam.* Quæ omnia, prout cuiusque regionis tempus exigebat, facta sunt. *Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere & mane dies tertius. Dixit autem Deus* quarto die: *Fiant luminaria*, non secundùm substantiam, neque etiam secundùm figuram per densitatem ipsius corporis luminosi, & raritatem materiæ circunstantis: hac enim ratione à principio creationis facta sunt luminaria; neq; etiam fiant secundũ rationem luminosi: nam sic primo die fuerunt condita, sed fiant secundùm quòd futura sunt excellentissima principia vniuersi, seu causæ vniuersales rerum inferiorum *in firmamento cæli* 13, hoc est, in firmamento, XIII.
quod est cœlum: *& diuidant diem ac noctem*, non quomodo primo die diuisa fuit lux à tenebris: tunc enim huiusmodi diuisio solùm quantum ad splendorem diei, & obscuritatem noctis facta est. Nunc verò luminaria diuidant diem ac noctem secundùm diuersos influxus: ita vt quasdam qualitates & effectus causent luminaria cœlestia per diem, & alias multo diuersas per noctem: *& sint* † *in signa*, tum † Psal. 135. b. 7.
descripta in Zodiaco, tum etiam repræsentatiua innumerabilium effectuum, corporalium tamen, & à luminarium influxu dependentium, *& tempora* conuenientia, & opportuna ad diuersas res conficiendas, *& dies* obseruandos à medicis, nautis, agricolis, & alijs huiusmodi; *& annos*, quibus expectari debeat perfectio & status vegetabilium; *vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram*, non vtcumque sed influendo in generabilia, & corruptibilia, & fouendo ea. *Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna,* 14 alijsque omnibus efficaciora, & potentiora, XIIII.
Solem videlicet & Lunam: *luminare maius, vt præesset diei*, quia Sol magis influit in die, quàm reliqua astra, *& luminare minus, vt præesset nocti*: nam Lunæ influxus præeminet in nocte, *& stellas. Et posuit eas in firmamento cæli.* Non ita vt tolleret eas aliunde, & deinde poneret in firmamento; sed quia in eodem firmamento ex non luminaribus causatiuis fecit, vt essent luminaria operatiua generationum, quales sunt stellæ, *vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti*: nam Sol præest diei: Luna verò & stellæ præsident nocti; nõ quidem per dominium aliquod, vel imperium, quod isthæc luminaria habeant in humanas actiones, prout impij astrologi fabulantur, cum potiùs vtrumque illorum Dei iussu hominibus deseruiat: sed per excellẽtissimos influxus & operationes, quas Sol in die, & Luna in nocte præ cæteris omnibus astris in corpora inferiora exercẽt: ob idque statuit Deus, vt præessent alijs syderibus, *& diuiderent lucẽ ac tenebras*, aliter influendo in luce, & aliter in tenebris. *Et vidit Deus quòd esset bonum. Et factum est vespere & mane dies quartus. Dixit etiam* C.
Deus die quinto: *Producant* in maxima

XV. copia, vbertate, & abundantia *aquæ* 15 tam superiores, quàm inferiores ab Spiritu sancto fœcundatrice virtute prȩditæ omne genus piscium & auium. Inferiores quidem producant *reptibile animæ viuentis*, scilicet pisces; quos ea ratione reptibilia vocare licet, quia similiter quodammodo natant in aquis, vt quæ verè reptilia sunt mouentur in terris: superiores etiam aquæ producant, *& volatile super terram sub firmamento cœli*, hoc est, iuxta firmamentum cœli, nam volatilia ad ornatũ aëreæ regionis debent pertinere. *Creauitque Deus* hoc ipso die *cete grandia* plurium ac diuersarum specierum, quæ ob grandiorem formam, & magnitudinem corporis draconibus terrestribus assimilantur; *& omnem animam viuentem atque motabilem*, non quidem in vniuersum, omnem animam, sed *quam produxerant aquæ in species suas*, ad differentiam animantium, quæ sexto die terra erat productura, *& omne*
XVI. *volatile* 16 *secundùm genus suum*. Aues enim eo die, quo pisces sunt factæ propter magnam similitudinem, magnamque cognationem vtrorumque. *Et vidit Deus, quòd esset bonum; benedixitque eis* miram præbens fœcunditatem tam piscibus, quàm auibus *dicens: Crescite*, multiplicem prolem emittendo, *& multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere & mane dies quintus. Dixit quoque Deus* die sexto: *Producat terra* non quasi habens vim actiuam seu effectricem animalium, sed tanquam materia ex qua illa fieri debent; & quasi susceptiua & conseruatiua tanquam proprius, & naturalis eorum locus concurrat ad faciendum *animam viuentem in genere suo*, secundùm integram & completam rationem, quam exigit genus vniuscuiusque. Hæc autem producere debet terra tam secundùm corpus quàm secundùm animam, videlicet *iumenta*, quæ in vsu sunt hominum, *& reptibilia*, quæ vel nullos habent pedes, vt serpentes, vel admodum breues & exiguos, quibus parum ex terra elato corpore mouentur, vt lacertæ, *& bestias terræ* scilicet, reliqua brutorum genera, à iumentis & reptilibus, *secundùm species suas*, & iuxta exigentiam vniuscuiusque speciei illorum. *Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo*, Omnia illa simul & dicto citiùs condens. *Et vidit Deus, quòd esset bonum. Et ait* eodem sexto die cum facta, ornataque habitatione mundana nihil amplius superesset, quàm, vt ipse etiam, propter quem omnia parabantur, habitator ac dominus rerum homo crearetur: *Faciamus* † nos Pater & Filius & Spiritus sanctus *hominem* 17 *ad imaginem & similitudinem nostram*. Quamuis enim tres simus, vnica tamen in nobis est ratio imaginis & similitudinis, sicut & vna est æqualisque substantia Trinitatis: *& præsit piscibus maris & volatilibus cœli & bestijs,* XVII.
vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra: cum homo illa omnia & potestate & dignitate præcellere debeat. *Et* D.
creauit Deus hominem ad imaginem suam, cõmunicans ei earum omnium rerum participationem, quæ in Deo sunt eminenter & causaliter, *ad imaginem Dei creauit illum* 18 ac constituit in supremo naturæ gradu, in quo Deus ipse reperitur. † *Masculum & fœminam creauit eos*, eodem quidem die, non tamen in eodem loco. Primò enim formatus est Adam † pater orbis terrarum extra paradisum, vel in campo prope Hebron, vel in agro Damasceno; vnde opera Angeli in paradisum est translatus & deinde Heua in paradiso fuit procreata. Nec certè plures masculos, & plures fœminas, prout in singulis reliquorum animantium generibus fecisse creditur Deus, sed vnum hominem & vnam fœminam in principio creauit, fœminamque ex viri costa, non ex alia materia produxit, vt per hoc humanum genus arctiori adinuicem copula charitatis constringeret; quòd se totum ex vno parente ortum esse meminisset. *Benedixitque illis Deus* conferens non solùm donum diuinæ gratiæ, sine quo nihil boni in ordine ad Deum illis obtigisset, sed & alia innumera bona, & præcipuè maximam fœcunditatem, qua citiùs necnon numerosiùs genus humanum propagari posset; quod in exordio mundi cum vnus tantum vir & vna fœmina sint creati necessarium fuit: indita quoque illis ad connubium, marisque ac fœminæ congressum naturali propensione; quam huius esse benedictionis partem exinde constat; nam nisi hoc foret facilè se homines abstinerent tot incommodorum, quæ accidunt gratia. *Et ait*, non præceptum imponendo, sed naturæ ordinem instituendo, & ad id, quod

† Col. 3. b. 10. Inf. 5. a. 1. 9. a. 6. 1. Cor. 11 b. 7.

XVIII.

† Sap. 1. c. 22. Mat. 19. a. 4. Eccl. 17. a. 1. Infr. 8. c. 17. 9. a. 1. † Sap. 10 a. 1.

Digitized by Google

quod efficaciter futurum erat, vim & virtutem cōferendo: quo etiam sensu in creatione piscium similia verba protulerat: *Crescite*, secundum incrementum multitudinis, *& multiplicamini, & replete terram* per actum legitimi matrimonij, non per concubitum vagum: is enim non ad replendam terram aptus est, sed in maximam perniciem prolis generandæ: *& subijcite eam*, conuertendo omnem terræ fructum in vestram vtilitatem, *& dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*, non solum quantum ad potestatem assumendi ex eis qualibet solatia rectæ rationi conformia, sed etiam quantum ad actualem vsum, & executionem imperandi illis, ac si omnia animalia essent vobis domestica, & maximè familiaria. *Dixitque Deus* prouidens conseruationi & victui hominum, & aliorum animantium: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui*, non vt vobis solis ex eis vesci liceat, cum potius quarundam herbarum seu lignorum esus vobis futurus sit noxius: sed † *vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum*. Hæc namque omnia cibo aliquo indigent, qui cibus vel ex terra ipsa nasci debet, vel per esum terræ nascentium ali, & conseruari: sunt enim animalia quædam, quæ animalium esu veniunt sustentanda. *Et factum est ita* †; non quòd statim homo prolis generationi vacauerit, seu etiam quòd statim ex lignis sibi concessis comederit, sed quia ab eo die data est homini, ac cæteris animalibus terrestribus potestas ad generandum, & comedendum. † *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat*. Hanc scilicet rerum vniuersitatem, quam mundum appellamus, *& erant valde bona* 19: singula enim, quæ Deus fecit bona erant, sed simul vniuersa erant valdè bona; non solum propter substantialem perfectionem rerum, quæ in mundo erant, ac ordinem & dispositionem earum; sed etiam propter regimen quo cuncta gubernantur, & diriguntur; proportionem quoque, & conuenientiam, atque aptitudinem partium mundi inter se, & cum ipso mundo; ac tandem ratione finis, propter quem omnia à Deo creata sunt. *Et factum est vespere & mane dies sextus* 20, qui fuit vltimus productionis rerum.

† Infr. 9 d. 3.

† 24. q. 3. c. quidam.

† Eccles. 39. c. 21. Marc. 7. d. 37.

XIX.

XX.

ANNOTATIONES IN CAPVT. I.

I. *Creare tripliciter accipitur in sacris literis.*

CREAVIT.] Creare tripliciter accipitur in sacris literis. Primo largissimè pro qualibet rei productione, siue hoc modo, siue illo contingat. Qua ratione dicuntur creari non solùm res omnes extra Deum productæ, iuxta illud Ecclesiast. 1. Vnus est Altissimus creator omnium; verum etiam ipsa æterna Dei sapientia, Eccles. 24. Ab initio, & ante sæcula creata sum. Secundo sumitur strictè, & proprijssimè pro eo, quod est aliquam rem taliter ex nihilo producere, vt neque prioritate temporis, neque prioritate naturæ aliquod præsupponatur subiectum, ex quo res in fieri, & conseruari dependeat. Qua ratione soli spiritus Angelici, & anima rationalis creari dicuntur. Et de hac creatione potest intelligi illud Ecclesiast. 39. Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt. Tertio sumitur creare communiter pro generatione miraculosa rerum corporalium, in qua nullum subiectum, seu materia, ex qua fiat, quod tunc fit præsupponitur prioritate temporis, benè tamen prioritate naturæ; vt si modò Deus ita subitò & miraculose produceret equum, vt simul cum illo ipsam equi materiam & formam comproduceret: talis namque productio etsi verè esset generatio, cæterùm propter affinitatem, quam habet cum creatione posset hoc tertio modo vocari creatio. Et in hoc sensu sumitur creatio in præsenti, & quotiescunque de creatione rerum corporalium fit mentio in scriptura, præsertim in hoc capite. Ob idque liber iste à Græcis Genesis, & à Latinis Liber generationis mūdi, potiusquàm liber creationis vocari cōsueuit: idemq; facerent Hebræi, nisi aliū de sumerent librorum denominationes.

II. *Primū nomen quo Deus appellatur in scriptura est Elohim, id est iudices.*

DEUS.] In Hebraico habetur Elohim, id est, Iudices; quod est secundum ex decem Dei nominibus, quæ Diuus Hieronymus in episto. 136. ad Marcellam cursim commemorat: habetque nomen Elohim terminationem numeri pluralis, & eius singulare est Eloha. Circa illius autem significationem duo oportet obseruare. Alterum est, ob id in ipso exordio creationis rerum mentionē fieri diuini iudicis, vt insinuaretur taliter creaturas tradendas fore homini, & subijciendas sub pedibus eius, vt tamen exactam rationem reddere teneretur ipsarum in die iudicij: ob quam causam Matth. vigesimoquinto, & Luc. 19. as-

Creaturæ tradūtur homini tāquā reddituro de eis rationem.

19. assimilatur Deus homini diuidenti bona sua inter seruos, ab eisque rationem poscenti. Alterum verò est, nonnullos scholasticos sequentes Magistrum in 1. distinctione secunda, putasse colligi mysterium Trinitatis ex loquutione, qua hic vtitur Scriptura, dum nomen Dei plurale coniungit cum verbo Creauit, quod est singulare. Quæ etiam phrasis habetur in Psal. trigesimosexto: vbi namque vulgata habet: Dominus irridebit eum; Hebraica legit; Adonai inschach, id est, Domini irridebit. Dicunt ergo prædicti, quòd in his, & alijs similibus locis sicut verbo numeri singularis ostenditur vnitas Essentiæ; ita substantiuo numeri pluralis significatur pluralitas Personarum. Istorum tamen sententia mihi non probatur; propositam quippè locutionem inniti puto Hebraicæ consuetudini, quæ id habere videtur, vt nomina illustrium personarum ponantur in numero multitudinis; licèt verba interdum retineant numerum singularem. Quam consuetudinem Hispani, atque Itali ex parte imitantur, dum viris grauibus non dicunt, Tu señoria, sed vuestra señoria, licèt vnum, non multos alloquantur. Ac ne id, quod dico, Rabbinismum redolere videatur (à quo ego longè abesse cupio) proferam rationes huius sententiæ. Moueor igitur primò, quia video in scriptura hoc idem fieri, quando est sermo de hominibus, aut falsis Dijs: vt Exod. 20. Non habebis Deos alienos; in Hebræo dicitur: Non erit tibi Dij alij. Et Genes. 24. Posuit manum super fœmur Abraham domini sui in Hebræo est Adoniau; hoc est dominorum suorum. Item Exodi. 21. Si dederit dominus eius vxorem illi: Hebraicè; Si dederit domini eius. At certè si quid mysterij hic lateret, non ita passim nomina pluralia verbis numeri singularis coniungerentur. Secundo, quia si ista vocabula haberent significationem pluralem, liceret dicere esse plures Deos veros: quis enim reprehenderet, si in hoc scripturam sequeremur? Cur enim quæso liceat Hebraicè diuinas personas appellare Deos, & hoc idem non liceat Latinè? Dices, quòd Scriptura non ponit nomen Dei in plurali, nisi coniungendo cum verbo singulari. Cæterum hoc non est verum; nam 2. Reg. 7. vbi legimus: Quæ est autem gens sicut populus Israel, propter quem iuit Deus, vt redimeret: Hebraicè legimus: Halecu Elohim; id est, iuerunt Dij, Et alibi similia multa reperiuntur. Hoc igitur est, quod quæro; quare liceat Hebraicè de diuinis personis dicere, iuerunt Dij, & Latinè non liceat? certè nulla alia ratione, nisi quia Hebræorum consuetudo est, vt nomen plurale rem singularem significet: Latini autem eiusmodi consuedinem non habent. Tertiò, quia nunquam Septuaginta interpretes, nec Diuus Hieronymus vertunt Dij, quando in eo loco fit sermo de vero Deo: nec vllus ita vertere auderet; quod est argumentum pluralem significationem in his locis ea nomina non habere; sed singularem. Quamuis vbi non adest periculum errandi conseruet Interpres Hebraicam locutionem: vt 1. Regum. 28. dicitur etiam in vulgata editione, Deos vidi ascendentes de terra: & tamen plurale stat pro singulari: subiungitur enim; Qualis est forma eius? Sed quia non fit sermo de Deo vero, non curauit Interpres exponere Hebraismum. Tandem, quia si nomen Dei in Textu Hebraico haberet pluralem significationem, vbicumque inuenitur positum in numero multitudinis, esset apertissima, & frequentissima contradictio in verbis diuinæ Scripturæ: siquidem frequentissimè legimus vnum tantum esse Deum: & tamen frequentissime etiam legimus Deos. Non est autem credibile voluisse Deum his apparentibus contradictionibus perturbare populum suum, & occasionem blasphemandi præbere aduersarijs.

Illustres personæ appellari consueuerūt apud Hebræos nominibus numeri pluralis.

III. *Cæli & terræ appellatione totus mūdus significatur.*

COelum & terram.] Vbicumque in sacris literis cœlum à terra condistinguitur, & vtriusque fit mentio, vt hic & Psal. 101. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: & Matth. 11. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, appellatione cœli & terræ vniuersæ creaturæ significantur, vt docet Diuus Augustinus lib. 3. super Genes. & lib. 5. cap. 3. & Rupertus lib. 1. in Genes. cap. 3. Nam in quodam Catholico Fidei Symbolo dicimus: Credo in vnum Deū, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ; statim exponentes quid dixerimus nomine cœli & terræ, subiungimus, visibilium omnium, & inuisibilium. Vnde per cœlum tria illa, quæ in paraphrasi exprimuntur, veniunt intelligenda, scilicet cœlum empyreum Angelorum agminibus exornatum orbes mobiles, & regio AEtheria; & nomine terræ comprehenditur etiam aqua ob maximam vtriusque elementi affinitatem, & vnionem. Habet enim se aqua, quasi vestimentum terræ, iuxta illud Psalm. 103. Abyssus sicut vestimentum amictus eius. Vnde Exodi. 15. Suffocatio AEgyptiorum, quæ in aqua facta est, terræ attribuitur ibi: Deuorauit eos terra, nempe quia nomine terræ aqua quoque ipsa subintelligitur.

IIII. *Spiritus sanctus ferebatur super aquas, eas ad fœcunditatem præparādo.*

SPiritus Dei ferebatur super aquas.] Diuus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis super Genesim sequutus communem Sanctorum Patrum Græcorum, Latinorumque sententiam; qui contra Iudæos, & Hæreticos Spiritus sancti diuinitatem hinc probant, affirmat per Spiritum Dei hoc in loco intelligi Spiritum sanctum. Et fundat suam sententiam in hoc, quod verbum Hebræum Merachepheth, id est, ferebatur propriè significat incubare, siue confouere similitudine volucrum, quæ oua calore suo fouent, & animant. Ad quem modum se habuit Spiritus sanctus in prima rerum creatione fouendo aquas & eas præparando ad mox futuram fœcunditatem, iuxta illud Psalmi. 32. Verbo Domini cœli firmati

Digitized by Google

firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum, & Psalmo. 103. Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciē terræ: quam præparationem aquarum non absque ratione scriptura Diuina præueniendo dicit, eo quòd posteà in opere quinti diei dicendum est nobis, quòd animalia ex aquis istis iuxta præceptum Domini producta sunt attribuitur autem specialiter Spiritui sancto opus illud, vt sciamus Deum non propter aliquam necessitatem seu indigentiam impulsum esse ad fabricandum mundum, sed duntaxat propter amorem suæ bonitatis, & propter suam misericordiam, & eximiam charitatem, quæ attributa sunt Spiritus sancti.

V.

Sol quatenus est specialis substātia diuersas habet proprietates ab his, q̃s habetquatenus est causa vniuersalis.

Lux, & inferiora non sunt proprietates Solis, quatenus est specialis substātia, neque illas habuit à principio.

ET facta est lux.] Vt sententia nostra, quā in paraphrasi proposuimus, de distinctione operum primi & quarti dierum clarius intelligatur, aduertere oportet alias esse proprietates, quę conueniūt corpori luminoso verbi gratia Soli, quatenus est quædam specialis substantia talis speciei; alias verò, quæ conueniunt illi, quatenus est causa vniuersalis generabilium & corruptibilium, complens ordinem & dispositionem, quam Deus decreuit constituere in rebus creatis: iuxta quam dispositionem statuit, vt inferiora generentur, & conseruentur à superioribus. Proprietates igitur primi generis collatæ sunt Soli, & reliquis luminaribus à principio creationis, videlicet incorruptibilitas, quantitas, & alię quę consequuntur ad formam substantialem illorum. Inter quas nullatenus venit computanda lux: cum enim Sol communicet in eadem forma substantiali & in eadem ratione specifica cum alijs compartibus orbis, cuius ipse est pars homogenea, si lux esset proprietas consequens speciem substantialem, procul dubio sicut lux ac densitas, quæ est dispositio necessaria ad lucem reperiuntur in Sole; ita pariter reperiretur lux cum sua dispositione necessaria in reliquis partibus illius orbis, in quo est Sol; ac per consequens totus ille orbis cœlestis esset æque densus, ac lucidus, sicut ipse Sol. Cum igitur lux non sit propria passio consequens necessariò naturam substantialem Solis, bene stat fuisse creatum Solem à principio cum omni perfectione suæ speciei, & adhuc quòd non habuerit lucem, neque virtutem influendi in isthæc inferiora, quæ conueniunt illi, quatenus est causa vniuersalis assumpta à Deo ad suauem gubernationem huius vniuersi. Ex quibus proprietatibus lux collata fuit soli & reliquis luminaribus cœlestibus primo die: virtus autem influendi & conseruandi inferiora, & corrumpendi illa; vnde habent luminaria esse signa diuersorum effectuum, & variare qualitates temporum, & mensurare annos vitæ generabilium, & corruptibilium; hæc inquam virtus data est illis quarto die. Et ratione huius virtutis dicuntur facta fuisse luminaria die quarto, iuxta phrasim scripturæ, qua tunc dicitur aliquid fieri de nouo, quando nouis qualitatibus & virtutibus exornatur: vt Apocal. 21. Ecce noua facio omnia.

VI.

Dici duplex acceptio.

APpellauitq; lucem Diem.] Dies dupliciter accipitur. Vno modo prout distinguitur contra noctem. In quo sensu dicitur hic lucem vocatam fuisse Diem. Qui quidem dies vocari solet dies artificialis; vt patet apud Bedam in libro de temporum ratione. Alio modo sumitur dies pro mensura determinata temporis; videlicet pro duratione vigintiquatuor horarum: prout in sequentibus dicitur factum esse vespere & mane diem vnum. Et hic dies triplex est apud Hebræos, nempe vsualis, qui à media nocte ad mediam alterius diei noctem: legalis, qui à vespera ad vesperam: & naturalis, qui à Solis ortu vsq; Solis exortum computatur.

VII.

Vespere & mane designat durationem diei, & noctis.

FActum est vespere & mane.] Existimo lucem datam esse Soli statim post rerū creationem, cùm adhuc Sol esset in Oriente, vbi & creatus est. Quia ergo motus sumit denominationem à termino, & vulgare est Hebręis temporis durationes à terminis denominare, vt à fine, & termino, qui sabbatum est, tota Hebdomada sabbatum vocatur Lucæ. 18. Ieiuno bis in sabbato, idcirco quia decursus ille Solis ab Oriente in Occidentē terminatur in vespera, congruè decursus iste per hoc aduerbium vesperè, significatur. Et pari ratione quia processus Solis ab Occidente per oppositum horizontem in Orientē habet pro termino talis decursus & motus ipsum mane, exprimitur per hanc vocem mane: ex qua duplici duratione vnicus conflatur dies naturalis. Ac proinde idem est dicere; factum est vespere & mane dies vnus, ac dicere factum esse ex die & nocte, vel à mane vsque ad alterum mane diem vnum naturalem. Quam expositionem sequuntur Diuus Augustinus, Basilius, & Diuus Ambrosius super hunc locum.

VIII.

Vnus idē quod primus.

DIes vnus.] Hanc communem Hebræorum locutionem, qua vnum dicunt pro primo, vt hic, & Ioannis. 20. Vna autem Sabbati valdè diluculo, hoc est, prima Sabbati, ex parte imitantur Latini cardinales numeros pro ordinalibus vsurpantes, vt Cicero in libro de Senectute dicens: Plato vno & octogesimo anno mortuus est.

IX.

Aquas superiores vocat scriptura mediam regionem aëris.

DIuidat aquas.] Hanc superiorum aquarum positionem, quam in paraphrasi constituimus, aliquis fortè nouam existimabit, nisi consideret, interdum quoque in alijs sacræ Scripturæ locis materiam vaporosam nubium in media regione aëris contentam vocari aquas: vt Iob, 26. Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum. Et Psalmo. 17. qui huic capiti Genesis respondet, habemus: Tenebrosa aqua in nubibus aëris. Vnde cum infima regio aëris, in qua aues volitant vocari etiam soleat cœlum, seu firmamentum, quod idem est, vt hic dicitur, non mirum quòd de huiusmodi aquis hoc in loco meminisse scripturam asseramus; prout latè probat Pererius super istum locum, cum alijs multis. Cum quo tamē stat, in alijs sacræ Scripturæ locis, maximè quando cœli in plurali

memorantur per aquas cœlis superiores designari tres superiores orbes, nempe cœlum empyreum, & primum mobile, & crystallinum, sumpta metaphora ab vniformi horum cœlorũ transparentia: sicut enim in aqua, vna pars nõ solet esse magis opaca quàm alia, ita in his tribus cœlis, præ alijs, est maxima partium vniformitas in transparentia: vnde nullum est in eis sydus, neque luminare; ac proinde aquarum nomen vnicuique illorum cœlorum optimè congruit; vt docent quamplurimi Ecclesiæ Patres, qui in hoc sensu de aquis, quæ super cœlos sunt, loqui consueuerunt.

X. *Vidit Deus q esset bonũ cur nõ dicatur in opere secundi diei.*

VOcauitque Deus firmamentum cœlum.] Hic non subditur, & vidit Deus, quòd esset bonum, pro vt reliquorum dierum operibus subiungitur: vel quia opus distinctionis aquarum & collocationis earũ in proprijs locis hoc die inchoatur, & non nisi tertio die absoluitur. Vnde quod ante germinationem herbarum dicitur tertio die, vidit Deus quod esset bonum, etiam referri debet ad opus secundi diei. Vel etiam potest dici, quod quia videre Deum, opus esse bonum, est per hoc quòd ipsum fecit, laude dignum esse hominibus ostẽdere, vt explicatur in paraphrasi, & opus secundi diei non est de his, quæ videntur à populo; ideò non additur Deum vidisse illud esse bonum.

XI. *Terra remãsit superior, & eminẽtior aquis.*

APpareat arida.] Quòd post hãc terræ apparitionem fuerit ipsa terra facta superior & eminentior aquis, vt in paraphrasi dicitur, non solum constat ratione, sed & manifesta ad sensum applicatione: cernimus enim motum aquæ semper fieri in decliuiorem locum, flumina autem per terram decurrunt in mare: quòd si altius esset mare quàm terra profectò in eam, vt in locum decliuiorem & humiliorem, necessariò defluere. Nam dicere mare omnipotentia Dei teneri, ne defluat in terram, ineptum est, & puerilis inscitiæ, ponere sine causa tantum & tam perpetuum miraculum. Quod etiam scriptura sacra videtur redarguere: quippè eos, qui ex terra petunt mare, dicit descendere: sicut in Psal. 106. Qui descendunt mare in nauibus. Et Isai. 42. Qui descenditis in mare, & plenitudo eius. Vnde Psa. 23. dicitur. Quia super maria fundauit eũ, & super flumina præparauit eum, scilicet orbem terrarum: & Psalm. 135. Qui firmauit terram super aquas. Ex quibus locis hanc eandem sentẽtiam colligit, & confirmat Diuus Augustinus in quæstionibus sup. cap. 45. Genes.

XII. *Ligna tertio die producta non eundem statum habebant.*

LIgnumque faciens fructum.] Quamuis Deus tertio die fecerit vbique terrarum arbores perfectas secundùm substantiam & magnitudinem, quæ naturalis est terminus accretionis, & etiam secundùm suas facultates naturales: cæterùm quantum ad actualem germinationem, seu fructuum emissionem non eodem modo se habuerunt arbores à Deo tunc temporis productæ; sed vbi tempus erat idoneum & conueniens maturitati fructuum, vt in eo tractu terræ, in cuius vna quadam parte hoc ipso die conditus est paradisus, & futura erat extra ipsum prima hominis habitatio, nempe in Palæstina, productæ sunt arbores cũ fructibus maturis. Nam in æquinoctio vernali (quo tempore conditum est vniuersum) arbores Palæstinæ iam fructus habent maturos: vt constat ex eo quod Matthæ. 21. Christus Dominus postridie Dominicæ palmarum prope æquinoctium præfatum, ficum non habentem fructus maledixit, vt pote carentem bonitate & perfectione sibi à natura debita. In alijs verò prouincijs genitæ sunt arbores cum frondibus tantùm, vel floribus; nonnullis in locis, quibus tunc hyems erat nudas fructibus, floribus, & frondibus Deus produxit arbores. Si enim vbique terrarum in eadem dispositione producta fuissent germina, neque potuissent naturaliter conseruari, neque sequenti tempore, quo secundùm ordinem naturalem generari debebat fructus, potuisset naturaliter produci. In qua quidem regionum & climatum diuersitate fundatur id, quod in paraphrasi subiungimus dicentes; omnia prout cuiusque regionis tempus exigebat facta esse.

XIII. *Firmamẽtũ & cœlum easdem res significãt.*

IN firmamento cœli.] Cœlum à perpetuitate, & incorruptibilitate, quam habet, sortitur etiam nomen firmamenti: vnde firmamentum & cœlum pro eodem vsurpari solent, indiscreteque significant vniuersum spatium & extensionem à terra vsque ad summum orbem: cuius sicut infima pars die secundo diuisit aquas ab aquis, ita alia ex superioribus die quarto efficacissimis & potentissimis luminaribus exornatur.

XIIII. *Luna cur dicatur luminare magnum.*

DVo luminaria magna.] Quamuis Luna re vera sit omnium syderum visibilium minima, vno excepto Mercurio, nihilominus eam diuina scriptura luminare magnum appellat: tum quia maior cæteris oculorum iudicio, & vulgi existimatione censetur: tum etiam propter id, cuius causa Deus eam instituit, scilicet vt illuminaret noctem: in quo cæteris astris præstat: tum maximè propter virtutem causatiuam, quam hoc quarto die diximus Lunæ fuisse collatam, quia vires & effectus eius in elementis, metallis, stirpibus, animantibus, & humano corpore insigniores, & illustriores sunt quàm cæterorum (vnum excipio Solem) syderum. Ita Diuus Chrysostomus homil. 6. super hunc locum.

XV. *Copiosior est pisciũ, quàm cæterorũ animaliũ generatio*

PRoducant aquæ.] In Hebræo ponitur verbum Saras significans non quamlibet productionem, sed in maxima copia, vbertate, & abundantia, seu scaturiginem & ebullitionem quandam. Vt vel hinc probetur vulgò iactata opinio, & à sapientibus confirmata multo vberiorem & copiosiorem esse piscium, quàm cæterorum animalium generationem. Cuius satis manifestum signum est ingens copia ouorum, quæ in piscibus inueniuntur. Quod etiam testatur Aristoteles libro 3. De generatione animalium, capite vndecimo, & consonat illud Psal. 103. Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus.

Omne

XVI. *Auiū, ac piscium magna est similitudo*

OMne volatile.] Nemini dubium est magnam adesse similitudinem & cognationem inter aues ac pisces, nō solum ob maximā conuenientiam locorum naturalium, quæ istæc animalia habent, scilicet aëris & aquæ, nam ambo constat esse corpora diaphana, humida, agitabilia, quæ facile cedunt: aër item plenus est humore aqueo, & in aquam promptissimè mutabilis; sed etiā ob conformationē corporū, quę vtriq; illorum animātiū generi inest: vtraque enim leuia sunt, & agilia, & pinnæ pisciū alis auium correspondent, sicut & scāmæ illorum harum pennis assimilantur: vtraque carent auribus, & per meatus quosdam aurium officio funguntur: & multa genera auium sunt aquatilia: vt cygni, anseres, & alia huiusmodi: & tandem qualis est natatus piscium in aquis, talis est in aëre volatus auium. Quapropter nō incongruē rationem, ob quam aues & pisces eodem die creata sunt, ex eorum similitudine & cognatione in paraphrasi desumpsimus.

XVII. *Quāti fuerit momēti hominis creatio, & sanctificatio*

FAciamus hominem.] In his verbis inducitur Deus Pater veluti consilium inire cum Filio, & Spiritu sancto super creatione hominis; non solùm vt ea re significaretur, quod creandum erat, id omnibus rebus anteà creatis longè præstantius futurum: nimirum consilij, rationis, & prudentiæ, ac sapientiæ particeps, quod cæteris rebus corporatis concessum non fuerat: verumetiam vt ex eo liceret existimare quantæ molis futurum esat hominem nō tam condere, quàm conditum in sanctitate & fœlicitate, à Deo accepta, conseruare, aut eam amissam ei restituere. Præuidebat enim Deus hominem cito peccaturum, ac periturum, foreque perquam operosum, & laboriosum perditum hominem seruare, & ad finem cuius gratia erat conditus, perducere. Vnde hæc omnia inter se diuinæ personæ partitæ sunt. Pater quidē sumpsit sibi creationem hominis, vt in qua potissimum notescat Dei potentia, quæ specialiter tribuitur Patri. Reparationem autem & renouationem eius suscepit Filius tanquam Dei sapientia: At Spiritus sanctus sanctificationem & glorificationem hominis, quæ diuinæ misericordiæ ac bonitatis sunt opera. Non quòd hęc tria à singulis & non ab omnibus personis simul æqualiter, aut indifferenter efficiantur, sed quòd in singulis eorum operum liceat aliquid obseruare, quod specialiter Patri, aut Filio, aut spiritui Sancto assignari queat.

XVIII. *Duplex diuinæ imaginis ratio inuenitur in homine.*

AD imaginem Dei creauit illum.] Duplicem rationem imaginis Dei insinuat scriptura in eo quod semel atque iterum refert Deum creasse hominem ad imaginem suā. Prima est quia sicut in Deo omnia sunt eminenter & causaliter, ita posuit in homine quodammodo omnia per participationem: habet enim homo commune cum rebus inanimatis substantialem existentiam & naturam, cum stirpibus vitam, cum animalibus sensum, ac motum, cum Deo & Angelis mentem atque intelligētiam. Secunda ratio imaginis diuinæ est, quia homo secundùm naturā suam supremum naturæ gradum attingit, in quo gradu ipse naturæ autor Deus est. Etenim quatuor sunt generales gradus naturæ, seu perfectiones simpliciter simplices in rerum naturis inuentæ. Aliæ namque res tantùm habent esse simpliciter, vt lapides & metalla: quædam prætereà vitam nactæ sunt, vt stirpes: nonnullæ super hæc vim cognoscitiuam obtinent, vt animalia: denique sunt aliæ in supremo naturæ fastigio collocatæ, quæ præter hæc mente & ratione & sapientia pollent: & in hoc gradu Deus, Angelus, & homo constituuntur. Ob quam Dei assimilationem conuenit homini, non solùm anima incorporea & immortali, intellectu quoque, voluntate & memoria, ac libero arbitrio esse præditum; sed etiam vt capax sit diuinæ gratiæ & fœlicitatis æternæ: hæc enim posse, etiam naturæ competit hominis.

XIX. *Res esse valdè bonas nō obstat earū vanitati.*

ERant valde bona.] Qualiter res creatæ in vniuerso fuerint valdè & maximè bonæ, docent D. Augustinus in Enchirid. cap. 10. & Diuus Thomas cum suis expositoribus. 1. p. q. 25. art. 6. ad 3. Qui latè expendunt rationes, quas nos breuitati, & seriei literæ studentes in paraphrasi expressimus. Quibus non repugnat quod Apostolus ait creaturam subiacere vanitati, ad Rom. 8. & sapiens omnia esse vanitatem Ecclesiastes primo: nam indicant tantum omnia obnoxia interitui, & corruptioni: corruptio verò rei, quæ per se corruptibilis est, naturali bonitati, & præstantiæ non repugnat.

XX. *Senarius numerus est symbolum perfectionis.*

DIes sextus.] Sex diebus perfecit Deus mūdum, vt qui omnia facit in pondere, numero & mensura, ipso numero dierum, quo mundum fabricabat, eum declararet opus esse perfectum, atque consummatum. Numerus etenim Senarius perfectissimus est, quippè qui primus suis partibus adæquatè conficitur, & completur: sexta videlicet parte, quæ est vnū, & tertia parte, quæ sunt duo, & dimidia parte, quæ sunt tria: vnum enim & duo atque tria sex efficiunt.

ARGVMENTVM IN CAPVT. II.

¶ Quia die septimo cessauit Deus ab vniuerso opere creationis, idcircò eum diem benedixit, & sanctificauit in signum absolutionis tanti ac tam miraculosi operis, & ad quod efficiendum nulla naturæ vires pertingere poterant. Intra sex verò dies creationis nō-

nulla alia contigerunt præter ea, quæ hucvsque dicta sunt; nã consito horto quodam satis amœno, qui irrigabatur flumine percelebri posteà diuiso in quatuor ramos, transtulit benignissimus Deus hominem in paradisum illum, probibens ne ederet de ligno scientiæ boni & mali. Vbi imposuit Adam nomina cunctis animantibus terræ: passusq; ecstasim, obdormiuit, & ex eius costa formauit Deus Heuam, quam viro tradidit in vxorem, instituendo vinculum matrimonij.

PARAPHRASIS IN CAPVT. II.

A. IGITVR *perfecti sunt cæli & terra* non solùm quãtum ad creationẽ ex nihilo, quę in principio facta est, nec solùm etiam quantum ad distinctionem & digestionem, quam in rebus ante creatis per tres priores dies Deus est operatus; sed *& omnis ornatus eorum* perfectus est. In cuius exornationis & expletionis opere tres posteriores dies consumpti sunt. *Compleuitque Deus die septimo* exclusiuè; die namque sexto inclusiuè absoluit *opus suum, quod fecerat:* alioqui Deus nõ amouisset manum ab opere, quoad ei quasi fastigium imposuisset: non enim decebat tantum opus inchoatum & imperfectum dimittere †: *& requieuit* 1 *die septimo*, non quod ex fabricatione mundi quasi lassus & fatigatus ceperit requiẽ à labore, sed quòd cessauit, & vacauit, *ab vniuerso opere quod patrarat*; quia vltra iam non condidit aliqua genera noua, quamuis deinceps vsque nunc & vltra operetur eorundem generum conseruationem, & administrationem, quę tũc instituta sunt. *Et benedixit diei septimo* 2 multis & egregijs beneficijs, & præclarissimis factis illum diem honestans atque decorans; *& sanctificauit illum* separans à pollutione, immunditia, & profano vsu, & ad Dei cultum applicans: & cum reliquos dies tanquam profanos, & ignobiles destinasset labori, hunc vt sacrũ, religiosum, & venerabilem assignauit otio & quieti, suoq; cultui addixit. Idque *quia in ipso cessauerat:* opus enim perficere & absoluere melius ac nobilius est, quàm inchoare & facere. Cessauerat autem *ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret:* quia non solum perfecit opus quantum adhoc, vt existeret; sed etiam indidit ei vim & potestatem ad hoc, vt faceret aliud simile sui, & illud itidem aliud, & ita deinceps, quoad mundus perduraret. In quo denotatur finis rei creatæ, qui nõ est rem esse, sed est propria & perfecta eius operatio. *Istæ sunt* autem & hoc modo se habuerunt, ordineque hucvsque relato prodierunt *generationes* substantiales, & miraculosæ *cæli & terræ*, & ex consequenti rerum in cœlo & in terra subsistentium; *quando creata* & à solo Deo facta *sunt in die* 3 ac tempore, *quo fecit Dominus Deus* supernaturaliter quidem, & non absque magno miraculo *cælum, & terram, & omne virgultum agri* perfectum in genere suo, *antequam* paulatim & quasi accrescendo *oriretur in terra*, repente stirpes & arbores in debita earum magnitudine producẽdo: *Omnemque herbam regionis* fecit quoque Deus eo tempore, *priusquam* ex vi alicuius seminis vel virtutis præexistentis *germinaret*. Quod quidem non mediantibus causis naturalibus, sed miraculosè factũ est. *Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram.* Natura verò sine imbribus cõuenienti tempore collatis, hominisque cultura præstantiores plantas non procreat, nec ad perfectionem adducit. *Sed fons,* seu aqua quædam perennis, quam supra capite præcedenti abyssum vocaueram, *ascendebat è terra* circuiens ipsam terram, & supra illam sese fundens, *irrigans vniuersam superficiem terræ.* Nam antequam Deus die tertio congregatis aquis in locum vnum produceret germina, tota terra aquis cõtegebatur: quæ vndique ex terra scaturiebãt, prolabebanturque, vt totam inundarent. *Formauit igitur Dominus Deus hominem,* educendo corpoream substantiam illius *de limo terræ:* non quòd prius tempore formaret corpus, & deinde

Marginal notes: † De ferijs. cap. licet. Exod. 20 b. 11. 31. d. 17. Deut. 5. b. 14. Hebr. 4. b. 4. — I. (beside "Et benedixit") — II. (beside "& sanctificauit") — III. (beside "sunt in die 3")

deinde post aliquam moram crearet ani-
mam: neque è contra, quòd prius crearet
animã, deinde fieri iusserit corpus, cui ani-
mam antea creatam adaptaret: sed vno eo-
demque temporis momento & corpus ex
IIII. luto compegit, *& inspirauit* 4 *in faciẽ eius*
V. 5 *spiraculum vitæ* 6 infundẽdo corpori à se
VI. compacto [illegible]am rationalem, *& † factus*
†1. Cor. *est homo in* [illegible]*am viuentem*, 7 hoc est, ani-
15. f. 45. ma, seu homo viuens. *Plãtauerat autem Do-*
VII. *minus Deus*, antequam hominem crearet,
B. *paradisum voluptatis*, locum quẽdam amæ-
nissimum, & ad oblectandum hominẽ iu-
VIII. cundissimum, *à principio* 8 quando Deus
perfectam cœli & terræ exornationem,
atque consummationem operabatur, scili-
† 40. di- cet, die tertio: † *in quo* paradiso Deus *po-*
stin. cap. *suit hominem*, *quem* extra eum locũ *forma-*
illud. *uerat*: causa enim habitationis humanæ plã-
tatus hortus iste fuerat. *Produxitque Domi-*
nus Deus de humo omne lignum pulchrũ visu
& ad vescendum suaue: non quod omnia
ligna, quæ erant in paradiso, fuerint pul-
chra visu, & ad cibum pertinẽtia, sed quòd
nullum erat creatum lignum pulchrũ visu,
seu ad vescendum suaue, quod non existe-
ret in paradiso secundùm speciem suam:
lignum etiam vitæ, cuius fructus si compe-
tenter ederetur ab homine, tantam alimen
ti bonitatem naturaliter habebat ad calorẽ
naturalem adeò confirmandum, & corro-
borandum, vt nõ sineret eum omnino ob-
tundi, debilitari & languere, vnde sensuũ,
ac virium, imo & ipsius vitæ defectus exi-
stit; hoc inquam lignum produxit Deus *in*
IX. *medio paradisi*, 9 seu intra paradisum, *lignum*
X. *que scientiæ boni & mali*. 10 Quæ arbor ab
euentu huiusmodi nomen sortita est, ex eo
scilicet quod esum ipsius consecutum est:
contigit enim homini, vt tunc experiendo
cognosceret discrimen inter bonum, quo
ante peccatũ fruebatur, & malum, in quod
peccando incurrit. *Et fluuius* aliunde pro-
ueniens scilicet à montibus Armeniæ ma-
ioris *egrediebatur*, nõ quòd ibi primum ha-
beret ortum & originem, sed quia directo
profluebat itinere *de loco voluptatis*, qui
erat certa quædam regio Hebraicè dicta
Heden, in cuius orientali parte paradisus
erat consitus: ex quo loco fluuius ille cur-
sum dirigebat *ad irrigandum paradisum*. Irri
gabat autem totum paradisum fluuius ille,
vel quia multos sinus & anfractus faciens
vsquequaque paradisum alluebat; vel quia
ex eo complures aluei ducebantur, & in
omnes paradisi partes deriuabantur: vel
quia ad modum Nili, ac Iordanis statis anni
temporibus augescens & super effluens pa
radisum inundabat: vel denique quia per
subterraneos meatus vniuersam paradisi
terram humore suo perfundebat, ac fœcũ-
dabat: *qui inde diuiditur in quatuor capita.*
Magnis enim fluminibus sæpe contingit
in varios dispartiri alueos, quos vulgus ra-
mos vel brachia appellat. Flumen autem
hoc nõ aliud erat quàm Tigris & Euphra-
tes, vbi mixtis aquis vnum in locum circa
Mesopotamiam confluunt, & vnius flumi
nis instar aliquanta terrarum spatia pera-
grant. Qui quidem cõcursus & confluxus
duorũ fluminum, & fiebat in regione He-
den, & vocabulo vnius fluminis appella-
tur, cum ante & post, multa sint & diuersa
flumina: quorum fontes & origines in mõ-
tibus Armeniæ maioris apparent, & extãt.
Hoc igitur flumẽ post exitum de paradiso
in quatuor diuidebatur ramos seu capita.
Nomen vni † Phison. Fluuius proculdubio † Eccl.
à Gange longè diuersus ac defluens ex eo 24. c. 35
loco vbi simul coëunt Tigris & Euphra-
tes, vocatus ab accolis Phasim. *Ipse est, qui*
circumit omnem terrã Heuilath: 11 quæ inter XI.
Assyriam, AEgyptum, & Palæstinam vi-
detur fuisse locatam. *Vbi nascitur aurum, &*
aurum terræ illius optimum est; & etiam plu-
rimum: *ibi inuenitur bdellium*, dictum He-
braicè Bedolach, Latine margarita, vulgari
hispanico perla, o aljofar: *& lapis onychinus*
vulgo dictus Cornerinus, seu Prassinus. *Et*
nomen fluuij secundi Gehon; 12 à Nilo longè XII.
diuersus: *ipse est*, *qui circumit omnem terram*
Æthiopiæ 13 Oriẽtalis, quæ vicina est Palæ XIII.
stinæ & Syriæ. *Nomen vero fluminis tertij*
Tigris ipse vadit contra Assyrios. Fluuius au-
tem quartus ipse est Euphrates: de quo non
oportet dicere per quas terras præteruecha
tur, cùm notissimus sit cunctis populis.
Tulit ergo Dominus Deus per Angelum hu- C.
mani corporis speciè indutum, *hominem*,
quasi manu deductum à loco, in quo crea-
tus fuerat, *& posuit eum in paradiso volupta-*
tis, non vt ei paradisi pulchritudinem, &
magnificentiam tantùm ostẽderet, & mox
inde eum abduceret: sed inibi dimisit, &
reliquit eum tanquam in loco eius habita-
tioni ex dono diuinæ gratiæ destinato, *vt*
operaretur, & excoleret operatione facili &
iucunda; sibique compararet varia loca in
paradiso ad habitandum; viasque, & semi-
tas, per quas commodè, & cum voluptate
ingredi

ingredi & spatiari posset sine labore æquaret, atque concinnaret, *& custodiret illum* diuinis obediendo præceptis, ne scilicet propter inobedientiam tanta eius loci amœnitate, & fælicitate priuaretur. *Præcepitque ei Deus dicens: Ex omni ligno paradisi* (herbarum namque non memoro, quia nullius earum esus est tibi prohibendus) *comede*, hoc est, concedo tibi facultatem vt de quouis illorum comedas. † *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*: quamuis enim esus eius ligni per se malus non sit, nihilominus oportet illum à me prohiberi, tum vt ex prohibitione eius rei, quæ solùm mala est quia vetita, illustrior fiat virtus obedientiæ, & quantum malum sit sola ipsa per se inobedientia clarius ab omnibus agnoscatur, tum etiam vt meliùs exploretur, ac probetur hominis obediẽtia: hæc namque in eo maior & perfectior cernitur, qui ad obediendum applicat animũ, non grauitatem & momenta eorum, quæ imperantur, perpendens, sed solùm imperantis voluntatem, auctoritatem, & potestatem spectãs. Caue igitur, ne de eo ligno comedas. *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, 14 dum ineuitabilem moriẽdi necessitatem incurres. *Dixit quoque Dominus Deus*, postquam primum hominem in paradisum transtulerat. *Non est bonum* quantum ad bonitatem speciei *esse hominem solum*, nec decet eum, qui futurus est caput, & seminarium humani generis, existere absque consortio aliorum hominum, & ex consequenti sine mulieris societate, sine cuius coniunctione hominum multiplicatio fieri non potest; qua tamen necessitate cessante † bonum est homini mulierem non tangere. *Faciamus ei adiutorium* ad liberorum procreationem simpliciter necessarium, ad domestica verò officia peragenda perquam vtile, *simile sibi*: vt sicut vir ad imaginem Dei creatus est, ita mulier ad imaginem viri fieri debeat. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, &* formatis quamuis non ex humo, sed ex aqua vel ex aëre *vniuersis volatilibus cæli*, eodem sexto die creationis per ministerium Angelorũ, vel per interiorem instinctum, & impulsum, quo illuc à Deo rapiebantur, *adduxit ea*, marem videlicet & fæminam cuiuslibet speciei, *ad Adam, vt videret quid vocaret ea*. Quamuis enim Adam acceperit linguã à Deo quantum ad alia omnia perfectam, non tamen

† 11. q. 3. ca. ad mensam. §. illud. & cap. quid ergo.

XIIII.

† 1. Corin. 7. a. 1

quantum ad eam partem, quæ animalium nomina continet, sed hanc integram reliquit Deus solertiæ ac sapientiæ Adami: vt per hoc inciperet exercere dominiũ, quod sibi in viuentia à Deo fuerat collatum. *Omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius*, congruens naturæ vniuscuiusque viuentis. *Appellauitq; Adã nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ*: per sciẽtiam enim perfectissimam, quam habebat, naturæ animalium, & per notitiam plurimarum vocum, quam acceperat, nomina condidit, & imposuit animalibus, petita quidem ex diuersis causis, vel ex propria differentia specifica, vel ex naturali quapiam proprietate, vel ex motu, vel ex figura, vel ex peculiari aliqua operatione, vel ex alio singulari & proprio accidẽti. *Adæ vero non inueniebatur*, quando creatus est, nec quando imposuit nomina animalibus, *adiutor similis eius*, & qui esse posset vxor illius. *Immisit ergo Dominus Deus* grauem & profundum *soporem in Adam*, vt quod fieri debebat in eo id sine vllo eius horrore: dolore, aut perturbatione fieret. *Cumq; obdormisset*, volens Deus, vt omne ex vno homine diffunderetur genus humanum, & sic vehementius homini commendaretur ipsius societatis vnitas, vinculumque concordiæ, *tulit vnam de costis eius* necessarijs, & ad naturalem corporis Adæ constitutionem, & integritatem pertinentibus; ne autem corpus Adæ maneret mancum posuit Deus aliam; *& repleuit carnem pro ea costa*, quam tulerat: carnem enim Adæ ob detractionem costæ interruptam & inhiantẽ clausit, & repleuit, ita vt loco costæ & carnis detractæ, aliam costam carne vestitam & contectam Deus sufficeret. *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adã, in mulierem* formans ex ea corpus mulieris, quòd deberet esse quasi domus continens, protegens, & fouens prolem generandam. *Et adduxit eam ad Adam*, non quòd mulier mutaret locum (propè virum enim formata est) sed quia tradidit eam viro, vt esset eius coniux. *Dixitque Adam* spiritu prophetico, quo in illo somno & ecstasi fuerat afflatus, cum vidisset non modo rem quæ tunc in ipso gesta fuerat, sed abditissimum etiam & diuinum eius rei mysteriũ: † *Hoc nunc os*, idest, hæc mulier pro hac vice, *ex ossibus meis* producta est, *& caro* mulieris hac prima vice *de carne mea* formata est.

D.

† 1. Cor. 11. b. 9. Mat. 19 a. 5. Marci. 10. a. 7. Eph. 5 g. 31.

Impo-

Imposuitque Adam nomen vxori suæ dicens: *Hæc vocabitur virago*, ita vt à nomine viri nomen suum sortiatur, *quoniam de viro sumpta est*: ac propterea ex sui nominis notione & significatione agnoscat, quantopere virum obseruare, ac revereri debeat; nimirum vt suæ principium & seminarium substantię. *Quamobrem* propter hoc, scilicet quòd mulier taliter à viro prodijt, & illi est desponsata, *relinquet homo* quilibet vxoratus *patrem suum & matrem*: maior enim & inseparabilior debet esse coniunctio hominis cum vxore sua, quàm cum parentibus proprijs; *& adhærebit vxori suæ* per amorem diligendo eam, vt proprium corpus, & per cohabitationē & vinculū perpetuū; † *& erunt duo in carne vna*, 15 ita vt sint vna caro, seu vnus homo. *Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius*: tāta enim erat pulchritudo corporis, vt ad eius decorem & ornatum nullis opus esset vestibus. Imo etiam quamuis nudi essent, nullis tamen imbrium, ventorumque, caloris, seu frigoris, alijsve cœli & aëris incommodis obnoxij erant; sed *& non erubescebant*; nihil enim inhonestum seu turpe admiserant, de quo erubescere possent.

† 1. Cor. 6. d. 16.

XV.

ANNOTATIONES IN CAPVT. II.

I. *Requiescere pro cessare, & desistere.*

ET requieuit.] Quod requiescere, seu quiescere in sacris litteris interdum significet cessare, & desistere, prout in paraphrasi exposuimus, & non capere requiem à labore, constat plurimis ac manifestis exemplis. In primis in Apocalypsi cap. 4. de sanctis animalibus inquit D. Ioannes: Et requiē non habebāt die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotēs: pro eo quod est, nunquam cessabant, aut intermittebant dicere illa verba: alioquin maxima & vnica requies est beatorum perpetuò Deum laudare. Similem habet intellectum illud Isaiæ cap. 1. Quiescite agere peruersē, discite benefacere. Et cap. 2. Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est; hoc est, desistite eum offendere. Et Iosue cap. 5. pro eo quod latinè legimus, defecit manna postquam comederunt de frugibus terræ, Hebraice est. Quieuit manna. Et Ecclesiast. cap. 18. Cum consummauerit homo, tunc incipiet, & cum quieuerit, operabitur. Et præcipue hoc in loco sumi nomen quietis pro cessatione declarat ipse Moyses mox subiungens, Deum benedixisse diei septimo, quòd in ipso cessauerat ab omni opere. Quare licet animæ creentur ex nihilo in eo ipso temporis puncto, quo corporibus inspirantur, tamen etiam dici potest omnes fuisse sexta die creatas non actu, sed virtute; nam cum Deus produxit principia generationis humanæ, hoc est, virum & fœminam; eisque dixit, crescite & multiplicamini, tunc non solùm produxit in virtute omnia corpora humana, quæ per generationem propagāda erant; sed etiā voluit, vt quotiescumque materia ritè præparata esset ad humanam generationem, continuò anima existeret, & corpus illud animaret. Ac per hoc non solùm corpora, sed totos homines in virtute produxit, cum duos illos homines condidit, eisque vim generationis propagandi attribuit. Vnde pro miraculo habēdum foret, si anima corpori disposito, ac præparato suo tempore deesset. Ob quam causam D. Augustinus in Episto. 28. ad Hieronymum, animarum creationem sub gubernatione, & multiplicatione operum, quæ primis illis diebus fecerat, comprehendit.

Qualiter Deus creauerit omnes animas sexto die.

II. *Benedictio Sabbati ponitur anticipatiuè.*

ET benedixit diei septimo.] Quæ de benedictione & sanctificatione Sabbati hoc in loco scribit Moyses, per anticipationem dicta sunt, nec referri debent ad primum illum mundi nascientis Sabbatum, aut ad primæuos homines; sed ad statū & tempus legis Mosaycæ, quo nimirum tempore hunc librum Moyses Iudæis scripsit. Ob idque hac de re plura tradit Moyses Exodi cap. 16. & 20. vbi videantur, quæ in annotationibus à nobis referuntur.

III. *Dies pro vna qualibet temporis parte.*

IN die.] Frequenter in sacris literis dies pro vna qualibet tēporis parte sumitur, vt apud Paulum in secunda ad Corinthios cap. 6. ibi: Ecce nunc dies salutis, vbi non loquitur de vno specialiter die, sed de toto tempore, quo in præsenti vita pro æterna salute laboramus. Ita Moyses hoc in loco per diem intelligit totum illud tempus, quo partes vniuersi creatæ, distinctæ, ac exornatæ fuerunt.

IIII. *Animæ creatio cur nomine inspirationis significetur.*

ET inspirauit.] Vtitur sacra scriptura vocabulo inspirationis, seu insufflationis ad significandum creationem animæ rationalis. Primò quidē (vt placet Theodoreto) quò intelligatur tam facilem Deo esse creationē animæ rationalis, quàm facile homini est flatum ex ore suo mittere. Deinde vt appareat animā rationalem non expromi, & educi ex potentia materiæ, sed extrinsecùs aduenire corpori, ex nihilo scilicet, à Deo creatam, atque idcirco immaterialem & immortalem esse. Tandem ea ratione significatur animam quodammodo prodijsse ex ore Dei, vt ex eo intelligeretur animam rationalem, eò maximè cæteris animabus precellere, quòd ipsa capax, & particeps est vitæ gratiæ, ac sapientiæ Dei. Legimus enim in cap. 24. libri Ecclesiastici diuinam sapientiam prodijsse ex ore Dei.

V.

IN faciem eius.] Præcipuè hoc in loco Moyses nominauit faciem, seu nares (vtrumque enim

Facicis specialiter applicatur anima.

enim nomen Hebræum Aph significat) quia in facie maximê apparet vita, quæ per inspirationem & respirationem oris & narium fit. Deinde quia in facie potissimum vigent sensus tam interiores, quàm exteriores. Denique quia in facie interiores animi motus & affectus extant, & innotescunt.

VI. *Spiraculum vitarum in solo homine reperitur.*

SPiraculum vitæ.] Hebraica phrasi positum est pro eo quod est spiraculũ vitale seu viuificans: nec est in Hebræo singulariter spiraculum vitæ, sed pluraliter spiraculum vitarũ, ad insinuandum triplicem vitam, quam anima rationalis tribuit homini: nam licet ea sit vna tãtum secundùm substantiam; potentia tamen & ipso effectu triplex est. Siquidem præstat homini vitam vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam: ad easque vitas tuendas & exercẽdas triplici vtitur spiritu, velut instrumento. Spiritum dico vitalem in corde, naturalem in iecore, animalem in capite generatum, atque vniuersum corpus permanantem.

VII. *Anima viuẽs pro homine.*

IN animam viuentem.] Duplici locutione vsus est hoc in loco Moyses. Altera, qua illud in animam viuentem posuit pro eo, quod est anima viuens, prout inferiùs inquit: Aedificauit Deus costam in mulierem: hoc est, vt esset mulier. Et postea: Et erunt duo in carne vna; seu vt habent septuaginta, in carnem vnã, hoc est, vna caro. Altera locutio est, qua per synecdochen animam ponit pro toto homine, non secus ac inferiùs caro ponitur etiam pro toto homine, cũ dicitur: Erunt duo in carne vna, scilicet, erunt vna caro, hoc est vnus homo.

VIII. *A principio pro eo quod est prius tẽpore.*

A Principio.] Non quia paradisus factus fuit à principio, continuo sequitur eum vel primo die vel etiam ante factum esse. Et enim apud Ioannem cap. 8. Dominus noster ait, diabolum fuisse homicidam ab initio; quẽ tamen constat mortis tam spiritualis, quâm corporalis non ante sextum diem, quo creatus est homo, auctorẽ esse potuisse. Illud igitur à principio referri debet ad tempus primorum sex dierum; præsertim autem ad tertium diem, quo paradisum esse consitum communis & peruagata est sententia.

IX. *Esse in medio quot modis dicatur.*

IN medio paradisi.] Certum est verba hæc non esse intelligenda de medio Mathematico; cûm non sola arbor vitæ fuerit in medio paradisi, sed etiam arbor scientiæ boni & mali, vt in principio cap. sequentis dixit Heua: duæ autem arbores non poterant esse in eodem medio loco subtilitate Mathematica designato ac definito. Illud ergo in medio paradisi vel est Hebraismus significans eam arborem in solo paradiso, extra illum autem nusquam alibi fuisse: nam habitare in medio populi, vel ciuitatis, vel aliquorum, secundûm phrasim scripturæ, significat habitare inter ciues seu populares, aut inter aliquos, vt videre est in illis verbis, quæ dixit Dauid ad Saul 1. Reg. 17. Veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis. Hoc est, arietem existentem in grege. Vel significat eius arboris dignitatem & excellentiam, inter omnes paradisi arbores principatum obtinentis. Vel denique significat eam arborẽ fuisse in meditullio paradisi, quòd terra eius loci aut excelsior, aut fælicioris esset fertilitatis, & quô vndique ab omnibus cômodiùs adiri posset.

X. *Lignum scientiæ boni & mali vocatur sic per anticipationẽ.*

LIgnumque sciẽtiæ boni & mali.] Hæc verba per anticipationem intelligenda sunt: nomen enim scientiæ boni, & mali ab Adamo post peccatum, vel à Moyse existimo impositum esse arbori vetitæ; quia reuera antea non habebat id nominis. Vnde cum Deus dixit Adæ, ne ex ea arbore comederet, vel alio nomine eam appellauit, vel quasi digito speciem & locum eius ipsam demonstrando indicauit. Quod autem lignum istud nomen scientiæ boni & mali ab effectu postmodum subsecuto sortitum fuerit, docent D. August. lib. 14. de Ciuita. cap. 17. & lib. 8. Genes. cap. 6. D. Cyril. lib. 3. in Iulia. Theodore. q. 26. in Genes. & Euche. lib. 1. in Genes.

XI. *Heuilath regio duplex est.*

OMnem terram Heuilath.] Duplex est Heuilath, teste D. Hieronymo in libro de locis Hebraicis. Altera regio Indiæ ad Orientem vergens; sic dicta ab Heuila nepote Noe, quem Iosephus refert cum fratribus suis à flumine Cephene & regione Indiæ vsque ad eum locum, qui appellatur Ierie possedisse. Altera autem est in solitudine Pharan contra faciem AEgypti tendentibus per iter Assyriorum, quã describit Moyses infra cap. 25. dicens: Habitauit Ismael ab Heuilath, donec venias Sur, quæ est ê regione AEgypti. Ac simile quiddã habetur in 1. libro Regum cap. 15. Percussit Saul Amalec ab Heuilath donec venias Sur, quæ est ê regione AEgypti. Præsens igitur locus non debet intelligi de priori Heuilath, prout consequenter dicunt qui falso existimãt fluuium Phison esse Gangem: sed de posteriori, quæ sita est propê Palæstinam, & propê locum, vbi Paradisus terrestris consitus describitur. Et de abundantia auri, quæ in hac terra reperitur meminit Moyses in principio Deuteronomij.

XII. *Gehon lõgè differt à Nilo.*

NOmen fluuij secundi Gehon.] Nomen proprium huius fluminis forte à tempore Moysis immutatum est; nam sub hoc nomine non memoratur à Cosmographis. Certum tamen est, ac apertè ex ipso sacro textu colligitur: ipsum fuisse eruptionem quandam & (vt vulgo appellant) brachium seu ramũ Euphratis, vel fluuium ex eo loco profluentem, vbi Tigris & Euphrates iunctis aquis simul coeũt, diuerso alueo & cursu terras à Moyse nominatas perfluentem: ac proinde fluuius Gehon nullatenus idem cum Nilo, qui AEgyptum præter labitur, esse potuit, cum Nilus nullam habeat affinitatem & communionem cum Tigri & Euphrate.

XIII. *Æthiopia duplex, oriẽtalis, &c.*

OMnem terram AEthiopiæ.] Quòd vltra AEthiopiam occidẽtalem, quam perluit Nilus debeat assignari alia AEthiopia oriẽtalis vicina Palæstinæ & Syriæ, præter Homerum, quem secuti sunt Herodotus, Strabo, & Plinius, docet etiam D. Augustinus quæst. 29.

super

vtilita- talis. super Numeros. Idque ex multis scripturæ locis intelligi potest. Principio Madianitas vicinos Palæstinis censeri nomine AEthiopum cóstat argumento Sephoræ vxoris Moysis, quæ cum esset Madianitis, vt scriptum est in Exodo cap. 2. ea tamen in lib. Nume. cap. 12. appellatur AEthiopissa, Hebraicè Chusitis. In canticis etiam Habacuc ita legimus: Vidi tentoria AEthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madiã. Quo loco AEthiopes & Madianitæ, vel pro vna gente ponuntur, vel pro gentibus interse admodum vicinis & finitimis. Et cùm nominétur tentoria & pelles eorum, non obscure indicatur, eos esse, quos appellant Cosmographi Arabes Scenitas, sub pellibus atque tentorijs degentes: quorum regio ad Mesopotamiã pertinet. Et in Psalm. 86. sic est: Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus AEthiopum hi fuerunt illic. Per alienigenas, quos Septuaginta appellant Allophylos, sine dubio significantur Palæstini, quare tres gentes Palæstinorum, Tyriorum, & AEthiopum tanquam confines & vicini hoc loco à Dauide memorantur. Item in 2. lib. Paralipom. cap. 14. narrat scriptura, Zaram regem AEthiopum venisse aduersus Iudæos cum incredibilis multitudinis exercitu, quippe decies centena millia hominum continebat. Non est autem credibile illos venisse vsque ex AEthiopia Occidentali, seu Meridionali: nam & difficillimum erat tantum exercitum per tã longinqua terrarum spatia ducere; nec ratio vlla erat, cur ex tam remotis regionibus ad bel ligerandum cum Iudæis proficiscerentur. His adde quod scriptum est in eiusdem libri cap. 21. ibi: Suscitauit Dominus contra Ioram spiritum Philistinorum, qui confines sunt AEthiopibus, & ascenderunt in terram Iuda & vastauerunt eam. Item in Psalm. 71. tres gentes AEthiopum, Arabum, & Sabæorum tanquam sibi inuicem propinquæ & vicinæ commemorantur. Sic enim est: Coram illo procident AEthiopes, &c. Reges Arabum & Saba dona adducent. Arabiam autem fœlicem & Sabæorum terram ab Euphrate & Mesopotamia non longe abesse certum est.

X. ... (margin note partly cut off)

XIIII. *Mortẽpo tius Le*[illegible] *minatur quã alia mala.*

MOrte morieris.] Hanc tantùm pœnam mortis voluit Deus exprimere, tacitis tot tantisque alijs malis, quæ violato illo præcepto non Adamo tantùm, sed & omnibus eius posteris comparanda erant, quia sola mors corporalis est quæ generatim & ex æquo omnes Adæ posteros peccati eius participes comprehendit: cætera autem mala neque omnibus neque æqualiter contingunt.

XV. *Vir & vxor multipliciter dicuntur vna caro.*

ERunt duo in carne vna.] Ob plures causas dicuntur vir & vxor, quòd sint vna caro seu vnus homo per Synecdochẽ. Primo quidẽ propterea quod inuicem coniunguntur ad agẽdam vnam vitam communem, externam, carnalem, seu corporalem; cum inter illos sit omnium rerum communitas. Deinde propter copulam carnalem propterquã solam dixit Paul. 1. Corinth. 6. Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Adhæc propter vnius carnis, idest, prolis generationẽ; vna enim caro, idest, vna carnalis proles ab vtrisque efficitur; à fœmina quidem materialiter, à viro autem efficiẽter. Et præterea propter vnam & communem ac mutuam vtriusque coniugis potestatem corporis: caro enim mulieris est viri, & caro viri, est etiam mulieris. Mulier enim (vt Paul. scribit ad Corinth. prioris Epistolæ cap. 7.) sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Ac tandem potissimẽ ad insinuandam inseparabilitatem matrimonij: hæc enim significatur in eo quod dicitur virum & vxorẽ non esse duos homines, sed vnum; vxorem veluti corpus, virum veluti spiritum, & animam esse. Itaque non magis debere virum ab vxore, quàm animam à corpore separari. Et ad hoc propositum retulit hæc verba Christus Dominus Matth. 19. commendans indiuisibilitatem matrimonij.

ARGVMENTVM IN CAPVT. II.

¶ Tentatur Heua à serpente, à quo & seducitur, seductaq; suadet viro, vt comedat de ligno vetito. Comedente autẽ Adamo pœnam nuditatis vterque patitur, obquã conati sunt sese à Deo abscõdere. Increpat tamen illos Deus de peccato commisso, & in eius vindictam serpentem maledicit, condignisque plagis tam Adamum quàm Heuam mulctat: & ne desperarent, promissio Redemptoris futuri inseritur. Ac tandem eiectis de paradiso viam ad lignum vitæ intercludit per appositionem Angeli habentis flammeum gladium, & custodientis paradisum.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAPVT. III.

A. SED & *serpens* verum & na-
turale animal, vnum ex his,
quæ Deus sexto die creaue-
rat, *erat callidior cunctis ani-
mantibus terræ, quæ fecerat Do-
minus Deus*, tum in prudentia, qua vtebatur
ad tuendã salutẽ, vitamque, & quæ sibi vti-
lia commodaque erant persequenda, & as-
ciscenda; tum etiam in astutia, quam adhi-
buisset, si status hominum permisisset, ad in
sidiandum & nocendum homini, etiam sine
vllo commodo suo. *Qui* hac ratione à dia-
bolo assumptus, & ab illo quasi organum
ad loquendum motus, *dixit ad mulierem*,
interrogans illam, vt ad sibi respondendũ
prouocaret: *Cur præcepit vobis Deus, vt non
comederetis de omni ligno Paradisi?* Cuius in-
terrogationis finis fuit efficere, vt præcep
tum illud Heuæ videretur graue, durum &
iniquum, ob idque vehementer ei displice-
ret. *Cui respondit mulier*, non obstupescens,
quod serpens secũ loqueretur, quia adhuc
non sibi constabat facultatem loquẽdi nul-
li bestiæ naturaliter esse datam: *De fructu
lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur*; Vel
nobis vesci licitum ac liberum est; *de fructu
verò illius talis ligni, quod est in medio paradisi*
denuntiauit mihi vir meus Adam, & indi-
I. xit, quod *præcepit nobis Deus*, 1 *ne comederc-
mus*, & præterea grauiori onere nos con-
II. stringere volens præcepit, *ne tangeremus
illud*: 2 idque imposuit nobis sub commi-
III. natione quadam, *ne fortè moriamur*. 3 Quã
pœnam ignoro an comminãdi tantum ani-
mo, an certo proposito eam infligendi no-
bis apposuerit. *Dixit autem serpens ad mulie
rem* plurima non modo falsa, sed etiam im-
† 1.Cor. 11.a.3 pia, absurda, & incredibilia, videlicet: † *Ne
quaquam morte moriemini*, etiam si de ligno
vetito comedatis. Imò illud prohibuit
Deus inuidens vobis summum quoddam
bonum & fœlicitatem. *Scit enim Deus, quòd
in quocunque die comederitis ex eo*, ob innatã
vim, quam lignum illud habet efficiendi
vos omnium rerum scientes, *aperientur ocu-
li vestri; &* per eiusmodi scientiã *eritis sicut
dij*, eximia & singulari quadam diuinitatis
similitudine *scientes bonum & malum*, per ex
cellentem rerum omnium scientiam & sa-
† 33. q.5 c.mulier. & c. Adam. pientiam. † *Vidit igitur mulier*, non quòd
antea non vidisset lignum, sed quia seducta
à dæmone curiosius considerauit, *quòd bonũ
esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis,
aspectuquè delectabile*. Vnde iudicauit lignũ
tàm prætiosum nequaquam posse esse cau
sam mortis, serpenti magis quàm Deo pal-
mam concedens veritatis. Exarsitquè pro-
tinus in animo eius cupiditas edendi de lig
no. *Et tulit de fructu illius*, † *& comedit*, vio-
lans Dei mãdatum, quo eius ex arbore sciẽ † Eccle. 25.d.33
tię boni & mali, ei quoque interdictus fue- 1.Timo. 2.d.14.
rat: *deditque viro suo*, existimans bona illa
ingentia à serpente promissa non posse al-
teri sine altero cõtingere, dixerat enim ser-
pens si comederitis ex eo, eritis sicut dij:
quare marito, vt ederet suasit: *qui* partim
nimijs Heuæ blanditijs, partim importu-
nis precibus permotus *comedit*, suo, suorũq;
omnium posterorum exitio, summum ino
bedientiæ scelus admittens. *Et aperti sunt
oculi amborum*, 4 non quòd adquirerent ex IIII.
cellentem illam rerum omnium scientiam,
& sapientiam, quam serpens promiserat; B.
sed quia clarissimè viderunt pro exigua &
breui peccati voluptate maximum & sem-
piternum malum sibi comparatum, & vera
cem Deum, serpentem verò in sua miseria
falsissimum didicerunt: *cumquè cognouissent
se esse nudos* cum quadam erubescentia & de
decore, qualiter antea nõ cognouerãt, *con-
suerunt folia ficus*, potius, quàm alterius ar-
boris, fortè ob amplitudinem foliorum, vel
quòd illis conscientia patrati sceleris, & inu
sitato libidinis sensu, vehementer animo
commotis, ac perturbatis prior illa occur-
rit arbor, magisquè ad manum eis fuit: *& fe
cerunt sibi perizomata*, idest, succinctoria lũ-
borum. *Et cum audissent vocem Domini Dei*,
5 quæ non fuit aliud, quàm ingens quidam
terrificusquè sonitus, ac fragor, quo præsig V.
nificata fuit Adamo præsentia ipsius Dei 6 VI.
deambulantis in Paradiso, & quasi peregrè
aduenientis *ad auram post meridiem*, hoc est,
pomeridiana seu vespertina hora, *abscondit
se Adam & vxor eius a facie Domini Dei* ve-
hemẽter ambo animo perturbati, & præ ni
mio pudore, ac metu nesciẽtes, quid agerẽt
turbati enim homines interdũ quædam fa-
ciunt similia dementibus: quale fuit, quòd
Adam & Heua absconderint se *in medio lig
ni*, seu lignorum *paradisi*. 7 *Vocauitquè Do* VII.
minus Deus Adam, vt sisteret ante tribunal
& iudicium Dei. In quo Dei iudicio miseri-
cordia eius mirabiliter eluxit, quòd non vt
diabolum, statim Adamum condemnauit,
ac perdidit, sed locum & tempus dedit pœ
niten-

nitendi. *Et dixit ei* per Angelum verba in aëre formantem : *Vbi es?* Non quod Deus ignoraret vbinam locorum Adamus esset, sed quia his verbis inuitare voluit hominem ad fidenter comparendum, & intrepide colloquendum. *Qui ait : Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eò quod nudus essem, & abscondi me.* Causam timoris sui non assignauit Adamus peccato;

† Eccle. 25.d.33 1.Timo. 2.d.14.

sed nuditati corporis; satis indicans se nondum flagitij sui grauitatem agnouisse, propter quam magis erubescere, ac dolere; quàm propter corporis nuditatem deberet. *Cui dixit* Deus redarguens responsionem illius : *Quis enim indicauit tibi, quod nudus esses*, taliter quòd erubescere deberes, *nisi quòd ex ligno : de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* Vbi ostendit

IIII. Deus pœnam peccati commissi non solum fuisse mortem, quam Deus minatus fuerat, sed etiam pudorem & verecundiam,

B. quam Adamus patiebatur. *Dixitque Adam*, non petens veniam, sed excusans culpam:

† 33.q.5.c. Adã

† *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Vbi excusare volens peccatum per mulierem auxit culpam, quam tueri conatus est: oblique enim Dominum tetigit, quòd ipse peccati eius auctor extiterit, qui mulierem fecit. *Et dixit Dominus Deus ad mulierem* † *Quare hoc fecisti?* Ad hoc autem Adam & Heua requisiti fuerunt, vt peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Vnde & serpens ille persuasor, qui non erat reuocandus ad veniam, non est de culpa requisitus.

† De pœnit. d. 1. c. Serpēs.

Quæ respondit : Serpens decepit me, & comedi.

C. Heua etiam culpam ad Dominum retulit, qui serpentem in paradiso posuit. Qui enim ore diaboli fallentis

V. audierant; Eritis sicut dij, quia Deo esse

VI. similes in diuinitate nequiuerunt, ad erroris sui cumulum, Deum sibi facere similem in culpa conati sunt. *Et ait Dominus Deus ad Serpentem* verum & naturalem : *Quia fecisti hoc* tanquam instrumentum diabolicæ fraudis, *maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ* : non propter te, sed propter diabolum, qui te vsus est ad perdendum hominem. *Super pectus tuum gradieris*

VIII. 8 *& terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*,

VII. vt pote humi depressus & non arduus. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius.* Erit enim vt inter alia animalia, sic inter te & mulierem naturalis & vehemens quædam contradictio.

Vnde vterque alterum naturaliter odio habebit, & auersabitur. *Ipsa conteret caput tuum* 9, & si non semper actu, semper tamen potestate quadam, *& tu insidiaberis calcaneo eius*, conaberisque saltem extremæ plantæ dentulum infigere, vt morsu infusa pestis per venas corporis discurrens, animam exinat. *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas*, hoc est, dololes, angustias, compressiones, & alia mala, quibus afficieris, dum fœtum gestabis in vtero: multiplicabo quoque *& conceptus* 10 *tuos.* Eos scilicet, qui magno dolore afficere solent parentes. † *In dolore paries filios.* 11. Neque enim cum fœtus in vtero iam partui fuerit maturus, materna viscera sponte in tantum laxabuntur, vt commodum fœtui, sine matris dolore transitum præbeant: prout si non peccasses eiusmodi trãsitum viscera ipsa supernaturaliter præbuissent. *Et sub viri potestate eris* †, *& ipse dominabitur tui*, non prout in statu innocentiæ, hoc ipsum tibi contigisset, quo tempore absque molestia, & voluntatis repugnantia subiecta fuisses viro : post peccatum enim grauis pœna erit tibi viro subesse. *Adæ verò dixit*: † *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes,* † *maledicta terra in opere tuo* 12. Nam colendo, & operando terram experieris illam tibi maledictam, idest vtilium rerum sterilem, cõtra verò inutilium, & noxiarum feracem. *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ*: neq; enim, quæ ad victum necessaria sunt, sine magno hominum labore, & sudore generabit. *Spinas, & tribulos germinabit tibi*: & illa solùm sponte sua suppeditabit : cùm ante peccatum hæc non generasset terra homini, sed aut brutis, aut ob plenitudinem, & vniuersitatem specierum mundi : *& comedes herbam terræ*, non fructus suauissimos paradisi. *In sudore vultus tui vesceris pane*, non ob immutationem fertilitatis naturalis ipsius terræ, sed quia cultura terræ, quam ante peccatum exercuisses absque vllo mærore, modo erit tibi valde molesta, & laboriosa: † *donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Qua mortis pœna communiter, & æqualiter tenebuntur omnes, quamuis superius positas quidam, vel in tantum, vel certè maximam illarum partem effugiant : hi scilicet, qui in labore hominum non erunt, & cum hominibus

IX. X. † 5.d.c. cum exra. XI. † 1.Cor. 14.f.34. † 33.q.5.c. Ipsa manifestum & c. hoc imo. † 4.q.3. c. cum ergo. §. sed quis & infra ca. sequens. XII. D. 2.c. eccle † 13.q. 2. Ecclesiastico.

minibus non flagellabũtur. *Et vocauit Adã nomen vxoris suæ Heua*, hoc est viua seu viuens, *eo quod mater futura esset cunctorum viuentium*, à quorum vno solo vitam spiritualem ac peccati sui remedium expectabat, qui nasciturus erat de sola muliere sine cõmixtione viri. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas* ex animalium mortuorum pellibus confectas; idoneas quidem vestiendis peccatoribus, vt mortalitatis, cui propter peccatum fuerat homo subiectus, & fragilitatis, quæ ex carnis corruptela oritur, indices ac testes essent. *Et induit eos*, vt sic continentiæ, & verecundiæ consuleret: & præterea vt demõstraret ipsos etiam peccatores, & paradisi extorres non orbatum tamen iri sua prouidẽtia, & cura quantum ad ea, quę necessaria ipsis essent ad victum & vestitum. *Et ait Deus* per ironiã, vt intelligatur, quanta irrisione, & ludibrio dignus sit peccator: *Ecce Adam* magnificis serpentis, & vxoris credens promissis, post esum ligni vetiti *quasi vnus ex nobis*, & qualis Filius meus vnigenitus *factus est, sciens bonum & malum*: idest omnisciens & sapiens. *Nunc ergo* præcauere oportet, *ne fortè mittat* ob

XIII. sui arbitrij libertatem *manum suam* 13, *&* *sumat etiam de ligno vitæ, & semel atque iterum comedat, & viuat in æternum* 14: eundem quippè effectum præstabit arbor ista post peccatum; quẽ efficeret in statu innocentiæ. *Et emisit* ob hanc causam *eũ Dominus Deus de paradiso voluptatis* sub finem eius diei, quo peccauerat, qui fuit octauus postquam creatus est, videlicet feria sexta hebdomadæ; *vt operaretur terram de qua sumptus est*, non ita fertilem, sicut erat terra paradisi. *Eiecitque Adam* violenter, & ignominiose, *& collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim*, qui à paradisi aditu arceret dæmonem, ne in eum locum penetrans decerperet fructũ arboris vitæ, cuius promissione, ac donatione mortales, prorogãdæ vitæ auidissimos, & curiosissimos falleret, & ad sui cultũ, & obsequiũ adduceret; *& flammeum gladium, atq; versatilem*, id est, ancipitẽ vtrinq; acutissima acie, & ad feriẽdum acerrima præditũ, *ad custodiendam viã ligni vitæ*. Muniri enim voluit Deus paradisi aditũ duplici custodia, tũ cõtra dæmonem, tum cõtra hominem: contra dæmonem quidẽ constituit Angelum; contra hominem verò earum rerum præsidio vsus est, quę maximè sunt homini formidabiles atq; terribiles, quales sunt ignis, & gladius. XIIII.

ANNOTATIONES IN CAPVT III.

I. *Heuæ innotuit diuina prohibitio.*

PRAECEPIT nobis Deus.] Tripliciter constare potuit Heuæ hoc Dei præceptum, vel quia à Deo datum fuit vtrique simul, idest, Adamo & Heuæ: vel quia primô datum fuit Adamo, posteà verò per ipsum Adamum denunciatum, indictumque fuit Heuæ: denique quia primum soli Adamo posteà ipsi & Heuæ simul lex hæc lata & sancita fuit. Quilibet horum modorum probabilis est, mihi tamen secundus magis probatur cum Diuo Augustino in cap. 17. lib. 8. super Genesim ad literam, & Abulensi super caput 13. lib. Genesis quæstione 117.

II. *Heuæ primum peccatũ fuit mortalis displicentia præcepti.*

NE tangeremus illud.] Hæc verba de suo addidit Heua, quo magis exaggerarẽt pręcepti grauitatem: iam enim ipsi persuasione serpentis interius corruptæ præceptum illud mortaliter displicere cœperat: sicut enim mulier prohibita à marito ne domum exeat, interrogata; cur non domo exeat, respondet. Mihi non licet per maritum meum extra cubiculum pedem efferre; exaggerans & displicens sibi præceptum mariti: ita Heua exaggerando diuinum præceptum, dixit non esse sibi licitum tangere fructum illius arboris. Huiusmodi autem exaggeratio testis est internæ cuiusdam elationis, & displicentiæ præcepti sibi impositi. Et hoc peccatum præcessit illã seductioni mulieris, de qua meminit Paulus 1. Corinth. 1. Quandiu enim Heua non peccasset, nequaquam seduci potuisset, malum seductionis impediente iustitia originali, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæst. 94. artic. quarto.

III. *Heua hæsitauit de pœna mortis sibi inferenda.*

NE fortè moriamur.] Quãuis in his verbis mulieris prima fronte appareat manifesta diminutio diuini præcepti, Deus enim asseruerat moriendo morieris; mulier autem refert sub dubio dixisse Deum, ne fortè moriamini. Si tamen perspicacius consideretur sensus intentus apparebit Heuam inseruisse propriam interpretationẽ suam referẽdo præceptum Dei secundum sensum, quo illa intellexit illud. Huiusmodi autẽ relatio pullulauit ex displicentia præcepti; quod enim nobis displicet, elongatur quoq; à credulitate nostra; minus enim credim⁹, quę nobis displicẽt. Et hinc factũ est, vt mulier hęsitauerit de pœna mortis, an absolutè an cõminatoriè tantũ a Deo fuerit pronũciata. Nõ igitur mulier animo referendi falsô diuinum præceptum, sed manifestando hæsitationẽ suã circa sensum diuini præcepti, adiunxit illud

forte. Serpsit ergo diabolicum venenum in affectum simul & intellectum mulieris. In affectum quidem per displicentiam præcepti; vnde statim prodijt exaggeratio vinculi & obligationis eius. In intellectũ verò per hæsitationem pœnæ: vnde prodijt relatio eius, & ad uerbium illud, ne forte.

IIII. *Ironia vtitur scriptura.*

ET aperti sunt oculi amborum.] Vsus est Moyses referens rerum euentum eisdem verbis, quibus serpens inuitauerat Heuam ad peccandum, vt in illis quandam nimis acerbam ironiam insinuaret.

V. *Vox pro ingẽti sono.*

VOcem Domini Dei.] In his verbis vsus est Moyses modo loquendi scripturę, quo illa solet ingentes aliquos sonos appellare voces, vt cum ait, vox aquarum, vox cataractarum, vox nubis, vox tonitrui, vox tubæ, sicut videre licet in Apocalypsi non semel, & in Psa: 28. 41. 46. 76. & alijs in locis. Ergo Deus, qui anteà pacate & blande Adamo consueuerat apparere, tunc ei se repræsentauit formidabilem, & terribilem, & quasi peregrè aduenientem, & velut ira tumentem, ruentemq; & suo ingressu cõcutientem terram, ipsasque paradisi arbores pressis vestigijs tremefacientem: Quod quidem præstitit Deus, vt Adã & Heua ea re perturbati & pauidi scelus suum agnoscerent, atque confiterentur, Deique misericordiam, & veniam implorarent.

VI. *Aura post meridiem pro tẽpore vespertino.*

AD auram post meridiẽ.] Locus hic variè legi solet: quidam enim codices Latini, quos citat D. Hieronym: in quæstionibus Hebraicis super Genesim, & secutus est Augustinus, habebant tantum ad vesperam; alij post meridiẽ: Paraphrasis Chaldaica habet ad quietem diei: haud dubio ad vesperam significans; videlicet eo tẽpore quo incipit diei æstus quiescere ac remitti: Pagninus & Vatablus habent ad auram diei, id est, sub vesperam: nã eo tempore ventus spirare solet, præsertim autem Zephyrus. Dicitur verò ventus diei ille qui post meridiem & ante Solis occasum in locis maritimis spirare solet. AEgyptus enim terraque Chanaan, in quibus Hebræi (ad quos volũmen hoc scripsit Moyses) habitauerant, & habitaturi erant, sunt regiones maritimæ à latere Occidentis terminatæ, clausæque mari Mediterraneo; in quibus regionibus ex vespertino Solis accessu, quotidie ventus seu aura ex mari excitari & spirare consueuit; quem ventum Hebræi ventum diei nominant. Est igitur periphrasis pomeridiani seu vespertini temporis, quo tempore Deus in paradisum venit.

VII. *Numerꝰ singularis ꝓ plurali.*

IN medio ligni Paradisi.] Vsitata est locutio non solum apud Hebræos, sed etiam apud Latinos, per numerum singularem designare multitudinem alicuius rei; vt videre est in exemplis pro ista phrasi adducendis Exod: cap. quarto annotat: 3. Iuxta quam locutionem, quod hic dicitur in medio ligni paradisi, idem est, ac in medio multitudinis lignorum paradisi.

VIII. *Verus, et naturalis serpẽs fuit à Deo maledictus.*

SVper pectus tuum gradieris.] Hæc & alia serpentis maledicta, quæ subsequuntur, quamuis sint naturalia serpenti, tamen post peccatum eidem fuere apud homines ad magnum dedecus, opprobrium, odium, & execrationem. Qui enim anteà non fuisset homini propter ista inuisus & execrabilis, post peccatum infamis, exosus & abominabilis extitit. Nihil igitur damni serpenti accidit, tantũm infame iussum est esse, quod si non esset iussum, fuisset duntaxat naturale. Nam vt venerabilis & amabilis est figura crucis, quia in ea genus humanum est redemptum: sic maledicta & abominabilis facta est natura serpentis, quia per eam fraus & perditio humani generis perpetrata est. Et quanuis hæc serpentis maledictio soleat à Sanctis Patribus diabolo accommodari, eam tamen interpretationem consultò omisimus, quia non tam historicam, quàm allegoricam seu mysticam existimamus. Qui eam videre cupit consulat Epiphanium contra hæresim Anticomariani lib. 1. Theodoretum hic, Cyprianum lib. 2. testimon. aduersus Iudæos cap. 9. August. lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 36. Rupertum hic lib. 3. cap. 19. & lib. 2. de victoria Verbi Dei capite. 16. & Bedam hic & alios.

IX. *Mulieris mira virtus in caput serpẽtis.*

IPsa cõteret caput tuum.] Circa potestatem, quam mulier habet in serpentis caput; inquit Rupertus Abbas lib. 3. de Trinitate capit. vigesimo se ipsorum, qui per industriam explorauerunt, fida relatione comperisse, quòd si nuda mulieris planta dentem serpentis præuenerit, & viuacissimum caput eius, vel leuiter presserit statim totum cum capite corpus repente interit, ita vt nullus omnino motus nullus sensus in aliqua parte residuus sit; quod neque malleis, aut vectibus certè, nec gladijs concidentibus cito aut leuiter effici potest: si quidem excisum caput cum duobus aut tribus digitulis viuere, & abire perhibetur.

X. *Multiplicatio conceptuum nociua solet esse parentibus.*

ET cõceptus tuos.] Multiplicatio cõceptuũ quatuor ob causas intelligitur post peccatum esse pœna mulieris, & magnum quoddam malum. Primum quoniam multi conceptus prius quàm ad maturitatẽ & perfectionem veniant per abortum in vtero matris intereunt. Deinde quia multi generantur partium corporis, vel mole, vel numero, vel figura, vel situ, vel imbecillitate, & deformitate, vel sensuũ vitio, vel animi & rationis defectu deprauati, atque monstrosi, quod maximo dolori est parentibus. Præterea eorum qui generantur pauci sunt electi & prædestinati, plerique verò propter eorum flagitia ęternis supplicijs destinati. His accedit multitudinem prolis plęrumq; vel ob parentum paupertatem, cui educandæ non sufficiunt, vel ob flagitiosam & probrosam filiorum vitam, vel propter miserrimos casus & exitus acerbissimum parentibus tormentum & infortunium esse solere: qui quidem conceptus in statu innocentię nequaquam fuissent.

XI. *Dolere in partu naturale est fœminis.*

IN dolore paries filios.] Quamuis in statu innocentiæ Deus singulari quadam & supernaturali ratione mulierem omni labore & dolore partus liberasset, fecissetque vt fœtum sine labore

labore & molestia in vtero gereret, & sine vllo doloris sensu in lucem ederet: tamen Dei gratia & beneficio propter peccatum priuata mulier, obnoxia fuit doloribus partus, quatenus claustra vteri præter naturalem eius constitutionem vehementer laxari & dilatari necesse est: quod sine magno doloris sensu fieri non potest. Qui sanè dolor simpliciter quidem naturalis est mulieri, respectu autem habito ad statum innocentiæ, in quo ab eiusmodi doloribus immunis & vacua Heua fuisset, peccati pœna censeri debet.

XII. *In opere tuo, idest propter peccatum tuum.*

IN opere tuo.] Præter interpretationem, quã adhibuimus in paraphrasi exponentes cum communi doctorum locum istum de opere futuro, nempè de cultura terræ ab hominibus impendenda; potest etiam locus iste commodè exponi de opere præterito, nempe de peccato Adæ, propter quod terra maledicta est: in Hebręo siquidem habetur Baaburecha, quod non potest significare nisi propter te; id est, propter peccatum tuum. Vnde Diuus Hieronymus in quæstionibus Hebraicis monet rectè vertisse eos, qui dixerunt maledicta terra in transgresione tua.

XIII. *Signa dubitationis in verbis diuinis quid significet.*

NE forte mittat manum.] Rupertus lib. 3. de Trinitate, cap. 30. existimat ignorasse Adamum, quinetiam latuisse diabolum, quænam arbor ex his, quæ erant in Paradiso, fuerit lignum vitæ. Cæterum quia si Adamus perstitisset in paradiso, euenire posset, vt casu contingeret fructum vitæ, idcircò dici, Ne forte mittat manum. Probabilius tamen dicitur Adamum proprietatem ligni vitæ etiam in particulari agnouisse, cum illa fuerit naturalis, vt docent Strabus, & Hugo de S. Victore, & D. Thom. 1. part. quæst. 97. art. vlt. & nihilominus conuenienter dictum fuisse, ne fortè mittat manum suam: quoniam illud ne fortè non denotat ignorantiã futuri euentus, sed ad ostendendum libertatem arbitrij in Adamo nõ fuisse sublatam per peccatũ, positum fuitj. Vt enim docent Chrysost. & Hieronym. super Matth. cap. 21. cum is dubitantis verbis vtitur cui nihil potest esse incertum aut dubium, id est, Deus, ostẽditur homines liberi arbitrij esse, nec Deum præscientia, aut voluntate sua necessitatem illis imponere. Quod probant ex illis verbis Luc. 20. Mittam Filium meum dilectum. Forsitã cum hunc viderint, verebuntur. Quãuis interdum etiam ea loquendi forma eligatur, vt rei difficultas, siue paucitas facientium id quod dicitur significetur; prout pater noster Gregorius homil. 9. in Ezechiel. exponit illud Matthæ. 24. Dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Trepidabunt enim, & nutabunt, plurimùm nonnulli electorum. sed non cadent. Eodem modo intelligitur illud Luc. 18. Veruntamen Filius hominis veniens putas ne fidem inueniet in terra? Id est, in paucissimis inueniet.

XIIII. *Arbor vitæ etiam peccatores à morte præseruasset.*

ET viuat in æternũ.] Pro hac voce in æternũ Hebraicè ponitur dictio Holam, de qua inquit D Hieronymus in commentario super cap. 1. ad Galat. quòd si scribatur cũ vau significat spatium infinitum: si verò sit sine vau, significat spatium duntaxat quinquaginta annorum. Cum ergo hoc in loco sit sine vau nõ veram æternitatem, sed longum tempus ad quod se extendebat virtus naturalis ligni vitæ, pro quacũq; vice comedebatur, significat. Vnde nõ est mirum, quod arbor vitæ virtutem quam habebat mortis præseruatiuam, exercere potuerit etiam in homine peccatore, si de fructu illius pariter comederet, aliàs frustra præcaueretur homini post peccatum accessus ad arborem vitæ.

ARGVMENTVM IN CAPVT IIII.

Humanum genus per Adam in Cain & Abel propagatur; quorum Cain post occisum ex inuidia fratrem, à Deo punitus, profugus habitauit in terra; filiosque ac filias procreauit, & ab vno ex eius posteris interfectus est. Adamo quoque pro Abel datus est filius nomine Seth; qui fuit pater Enos.

PARAPHRASIS IN CAPVT IIII.

A. ADam verò haud multò tempore postquã eiectus est de paradiso *cognouit vxorem suam Heuã: quæ concepit & peperit Cain* filium suum primogenitum *dicens: Possedi hominem* 1 *per Deum*. Nam filius datus est illi potestate, munere, ac fauore Dei; quamobrem appellauit eum Cain, quod interpreta-

pretatur acquiſitio vel poſſeſsio. *Rurſumque peperit fratrem eius Abel*; quod interpretatur luctus. *Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola.* Quãuis enim in natiuitate horum fratrum ſeruatus ſit etiam in prædicãdo ordo naturæ, dum prius natiuitas maioris, quã minoris exprimitur, vbi tamen deſcribitur diſciplina viuendi ſeniori iunior antefertur: quia etſi tempore iunior, virtute tamen præſtantior fuit. *Factum eſt autem poſt multos dies*, in quibus tam Cain quàm Abel in his, quæ ad veram fidem pertinent, inſtrui potuerunt: *vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*, ad quod faciendũ tacito quodã naturę inſtinctu & impulſu adduct⁹ fuit: naturali enim ratione cognoſcere poterat offerẽdũ eſſe Deo ſacrificiũ interius & exterius.

† Hebr. 11. a. 4.

† *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui*, quæ meliora & dominis cariora, ob idque magis Deo grata, & accepta eſſe ſolent, *& de adipibus eorum*, quæ videlicet in primogenitis maximè adipata & pinguia exiſtebãt. † *Et reſpexit Dominus ad Abel* ſigno aliquo viſibili gratum ſibi, & acceptũ oſtendens ipſum offerentem; deinde reſpexit *& ad munera eius*: in quibus nequaquã Deus ſibi placuiſſet, niſi & ipſe offerens ei gratus extitiſſet. *Ad Cain verò & ad munera illius non reſpexit* 2 ob defectum fidei & pietatis ipſius Cain. *Iratuſque eſt Cain vehementer* 3. agnouit enim Deo non fuiſſe gratam oblationem ſuam per hoc quod ipſa manſit prorſus intacta, cum ſacrificiũ fratris ſui Abel igne de cœlo miſſo crematum & conſumptum fuerit à Deo: *& concidit vultus eius* 4 vindictam imaginando. *Dixitque Dominus ad eum*, non per externum ſermonem, ſed interiori & ſpirituali locutione, eo ſcilicet modo, quo ſecundùm ſuauem humani generis gubernationem conſueuit Deus alloqui homines poſt peccatum, arguendo eos, vt reſipiſcant per interiorem ſynderesis accuſationem & reprehenſionem: *Quare iratus es* ardens inuidia ſimul & odio fratris? *& cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris recipies* præmium & mercedem tuorum bonorum operum? *Sin autem male* egeris, *ſtatim in foribus peccatum aderit*, vt te pœna ſibi debita repentè inuadat? vnde nec ſinet tranquillo, & quieto animo viuere: aduerſarium namque tibi intra te conſcientiam habebis, quæ te dies & noctes accuſans, & diuini iudicij ac ſupplicij metu territans, nunquam te pacato & læto animo eſſe patietur. *Sed ſub te*; & in tua poteſtate (quia liberi arbitrij es) *erit appetitus eius*, hoc eſt conſenſus in peccatum: poteſt enim inimicus tuus excitare tentationis motum; ſed in te eſt ſi volueris, dare ſeu negare conſenſum: *& tu dominaberis illius*: vt poſsis ſi velis conſentire in obiectum peccati, vel etiam non conſentire. *Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum* blandè & amanter diſsimulãdo odiũ, quod pectore gerebat, quo facilius eum quò vellet adduceret, incautumque opprimeret: *Egrediamur foras* in campum vel in agrum. *Cumque eſſent in agro*; conſedentes ac ſimul colloquentes *conſurrexit Cain* ex improuiſo *aduerſus fratrem ſuum Abel*, ſedentem ſeu iacentem, † *& interfecit eum*, non ſtrangulando, nec in aquam demergendo, ſed ſanguinem illius effundendo. † *Et ait Dominus ad Cain*, in aliqua ſenſibili ſpecie illi apparens. *Vbi eſt Abel frater tuus?* vt quia nuſquam Abel apparebat, inciperet Cain agnoſcere crimen ſuum eſſe deprehenſum, & ſic ad confeſsionem criminis, & ad pœnitentiam adduceretur. *Qui reſpondit* mendaciter, impiè, atque inhumaniter: *Neſcio, num cuſtos fratris mei ſum ego?* Quaſi æquum non eſſet, vt maior natu frater minoris tutelam & cuſtodiam gereret. *Dixitque ad eum. Quid feciſti?* Necdum agnoſcis immanitatem tui criminis? recognoſce & perpende quid egeris; vt tanti ſceleris recognitione ad confeſsionem, & pœnitentiam eius venias, quo veniam & indulgentiam à me poſsis impetrare. Ecce non opus eſt teſtibus, nam *vox ſanguinis* 5 *fratris tui*, quem crudeliter fudiſti, non modò ſcelus tuum prodit, ac teſtatur, ſed & *clamat ad me de terra* magnam ac celerem ſui vindictam depoſcens. † *Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua*; omnes enim, qui futuri ſunt ſuper terram, maledicent te propter execrandum fratricidij ſcelus, teque, vt monſtrum & peſtem humani generis abominabuntur. *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos*: nam Deus vim fœcunditatis terræ cohibebit, ac reprimet in pœnam peccati tui; *Vagus & profugus eris ſuper terram*, quippè qui nullum certum habiturus es domicilium, ſed huc & illuc

Marginal notes:

† 90. diſtinct. ca. neque. 3. 7. ca. ingrauibus 14. q. 5. c. ſcriptũ De conſecratio. diſtinct. 1. nunquid.

II.

III.

IIII.

B.

† Sap. 10 a. 3. Matth. 23. e. 35 1. Io. 3. b. 12. Iud. 1. d. 11.

† De pœnit. d. 1. cap. ſerpens, & ca. voluiſſent. §. deniq;. De pœnit. d. 3. cap. Iudas.

V.

† 24. q. 3. c. cum ergo. §. ſedque.

illuc pererrans ſemper ac nutabundus vitā
es acturus morte deteſtabiliorem. *Dixit-
que Cain ad Dominum* perculſus atque per-
territus ijs malis, quæ ipſi euentura præ-
dixerat, & deſperans de miſericordia &
venia Dei: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt
veniam merear*, hoc eſt quàm tua miſeri-
cordia, ac propterea non opus eſt vt ve-
niam expectem à te, neque amplius de mi-
† De pœ ſericordia tua confidam. † *Ecce eycis me ho*
nit.d. 1. *die à facie terræ* exterminās me natali meo
c. voluiſ ſolo, in quo natus, educatus, & ad hanc
ſent. §. vſque diem cum parentibus & fratribus
ſerpens. meis verſatus ſum; *& à facie tua abſcon-*
VI. *dar 6*, nec enim me aſpicies oculis miſeri-
cordiæ tuæ, ſed abſcondes mihi faciem
tuam ſingulari beneuolentia, cura, tutela,
C. & protectione tua me deſtituens, *& ero
vagus & profugus in terra*, animo pariter
atque corpore commotus, fugiens homi-
num conſpectum & iudicium, ſcelus meum
execrantium, extremoque ſupplicio dig-
niſsimum iudicantium: *omnis igitur qui in-
uenerit me, occidet me*, obſequiū ſe Deo præ
ſtare exiſtimans, ſi me occiderit. *Dixit-
que ei Dominus. Nequaquam ita fiet*, vt ſta-
tim occidaris, *ſed omnis qui occiderit Cain*,
non ſolum quia hominem occidit, ſed
etiam quia contra publicam fidem & ſe-
curitatem à Deo datam id faciet; *ſeptu-
plum punietur*, id eſt, grauiſsimo & ſeue-
riſsimo ſupplicio afficietur. Voluit enim
Deus miſerrimam vitam Cain per plures
annos in perpetuo metu, & cruciatu ani-
mi, & corporis prorogare, vt eius exem-
plo diſcerent homines, quam ſit formidan-
dum Dei monita, & documenta contem-
nere, quam ſceleratum alijs diuinam gra-
tiam inuidere, quam execrandum per do-
lum & fraudem nocere alijs, denique quàm
horrendum hominum præſertim autem
ſuorum neceſſariorū ſanguine animum ma
nuſque imbuere atque contaminare. *Po-
ſuitque Dominus Cain ſignum*, ſcilicet in-
gentem quendam, & horribilē totius cor-
poris maximè verò capitis tremorem, ani-
mique pauorem, quaſi hominis vbiq;, &
ab omnibus inſidias vitæ ſuæ fieri metuen-
tis, quo cognoſcebatur ab omnibus fra-
trem ſuum innocentem interfeciſſe, & ſi-
mul iuſsiſſe ſpecialiter Deum, *vt non in-
terficeret eum omnis qui inueniſſet eum*. Lon-
gum enim agendæ pœnitentiæ ſpatium
conceſsit reflectere volens errantem, &
beneficio ſuo inuitare ad correctionem.

† *Egreſſusque Cain, à facie Domini*, non † De pœ
quòd à Dei notitia, & potentia, præſen- nit.d.ca.
tiaque (per quam vbique eſt) diſcedere po & venit.
tuerit, ſed egreſſus ab ea terra & loco, vbi
Deus faciem ſuam oſtendere, ac præſen-
tiam ſuam declarare ſolebat, edendo ora-
cula, reddendo reſponſa, & ſub aſpectabi-
li forma humanæ naturæ cum primis illis
hominibus familiariter loquendo; *habita-
uit profugus* fluctuans, & inſtabilis *in terra
ad Orientalem plagam Eden*, verſus quam
partem profectus eſt exiſtimans fortaſsis
poſſe, etiam remittente Angelo, vel per
fraudem aſſequi Paradiſum. *Cognouit au-
tem Cain vxorem ſuam*, vnam videlicet ex
ſororibus ſuis, *quæ concepit & peperit He-
noch* †: & hic creditur fuiſſe primogenitus † 6. d.c.
Cain, *& ædificauit*, ſeu iuſsit poſteris ſuis, nō eſt ve
vt ædificarent *ciuitatem 7*; non quidem ſta rum.
tim vt genuit Henoch, ſed multò poſt, VII.
ſcilicet iam ſene ipſo Cain, & quingente-
ſimum vel ſexconteſimum annum agen-
te, *vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui
Henoch*. Ad quam inhabitandam ſuffi-
ciens fuit ſoboles ipſius tantùm Cain.
*Porro Henoch genuit Irad: & Irad genuit
Mauiael, & Mauiael genuit Mathuſael, &
Mathuſael genuit Lamech. Qui* primus libi-
dinis cauſa, pręter naturæ inſtitutionē po
lygamiam introducens *accepit duas vxores;
nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. Ge-
nuitque Ada Iabel, qui fuit pater* hoc eſt, in-
ſtitutor & magiſter *habitantium in tento-
rijs, atque paſtorum*; quos docuit confice-
re domos portabiles ad inhabitandum. *Et* D.
*nomen fratris eius Iubal, ipſe fuit pater canen-
tium cithara & organo. Sella quoque genuit
Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cun-
cta opera æris & ferri. Soror vero Tubalcain
Noema*: quam dicunt adinueniſſe lanifi-
cium ad faciendum veſtes, cum prius ho-
mines pellibus animalium tegerentur. *Di-
xitque Lamech vxoribus ſuis 8 Ada & Sel-* VIII.
læ poſtquàm iam præ ſenio calligans, &
vtens ductu adoleſcentis, nihilominus ta
men venationi vacans, more ſuo feras aui-
dè venatu fatigans in ſylua quadam verſa-
retur, ſemel offendit ipſum Cain denſis
in ſyluis ferarum more inerrantem; quem
Lamech monitu ſui rectoris & ducis ferā
eſſe illum æſtimantis ſagita cōfixum inter
fecit, ac mox errore cognito tāta in puerū
exarſit ira, vt eum mulco, & vehemēti per
cuſſu, ictuq; occiderit. Poſthæc igitur allo
cutus eſt Lamech vxores ſuas geminę cędis
à ſe

Digitized by Google

† De pe nit. d. ca. & venit.

à se facta verè ac valdè pœnitens, scelusquè suum Deo & illis confessus est dicens: *Audite vocē meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum*, ex vehementia enim doloris & desiderio satisfaciendi reticere non valeo. *Quoniam occidi virum* Cain *in vulnus meum*, seu in vulnere à me illi inflicto, *& adolescentulum in liuorem meum*, dum vehementer eum percutiens arcu totum corpus pueri, qui me ducebat, liuidum feci.

† 15. q. 1. §. sed obijcitur. IX.

† *Septuplum vltio* 9. ob istam causam *dabitur de Cain*, quia grauiter punietur peccatū, quod fecit Cain; *de Lamech vero septuagies septies*, dum grauissimo & seuerissimo supplicio afficiendus veniet. Quamuis enim Cain cædem operatus sit & fratris, attamen nullo vnquam anteà conspecto, qui hoc fecisset, nec alio viso, qui pœnam dedisset eiusmodi facinoris; nec tot homicidia commiserat, quæ vtraque mihi pœnas augēt.

† 6. d. c. nō est verum. VII.

Idcircò si Cain grauiter puniri dignus fuit; ego proculdubio multo grauius, & seuerius puniri debeo. *Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam* non multo postquam occisus est Abel, *& peperit filium* pietatis quidem ac religione in Deum, reuerentia, & obseruantia erga parentes, denique integritate vitæ, morumque sanctitate perquam similem ipsi Adæ, *vocauitque nomen eius Seth*: cuius nominis etymologiam & interpretationem subiunxit, *dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Non quod ante generationem Seth nō fuerit Adamo alius filius, nisi Cain: admodum enim credibile est ante necem Abel complures filios progenuisse Adamum; sed dixit datum sibi fuisse Seth pro Abel, quia noluit Deus, vt fraudaretur Adamus aliqua ex parte numero filiorum suorum. *Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos: Iste cæpit innocare nomen Domini*, dum super omnes priores pius & religiosus erga Deum fuit, non modo colendo pietatem, sed eam quoque prædicando, aliosque homines docendo; & quia Enos primus certas quasdam precationum Dei formulas condidit, certosque ritus & ceremonias diuini cultus adinuenit, cuiusmodi fuit altarium erectio, & certorum locorum ad inuocandum Deum, cultumque eius administrandum, designatio & dedicatio; ac denique quia cæpit congregare populum ad tractandum simul Dei cultum, quasi Ecclesiam fidelium inchoans & adunans, visibiliter & externè.

ANNOTATIONES IN CAPVT IIII.

I. *Lingua primorū parentū fuit Hebræa.*

POSSEDI hominem per Deum.] Ex interpretatione vocabuli Cain satis liquet linguam, qua primi homines sunt vsi, fuisse Hebream, vt in qua sola omnium linguarum huiusmodi vocabulorum interpretationes locū habent. Simul & illud intelligitur, non rectè lib. 11. de præparatione Euangelica. ca. 4. Eusebiū vocem Cain interpretantem dixisse, eo vocabulo significari inuidiam, quòd scilicet Cain fratris sui Abel ardens inuidia eum occiderit.

D.

II. *Ob defectum fidei fuit ingrata hostia Cain.*

NOn respexit.] Defectum fidei fuisse causam, ob quam Deus non respexerit, neque gratam habuerit hostiam Cain, prout in paraphrasi subiunximus, non obscurè insinuat D. Paulus dum ad Hebr. 11. comparans sacrificiū Abel cum sacrificio Cain, inquit: Fide plurimā hostiam Abel quām Cain obtulit Deo.

VIII.

III. *Inflāmatio solebat esse signū acceptationis sacrificiorū.*

IRatusq; est Cain.] Quòd intellexerit Cain Deo placuisse oblationem Abel, non autem suam ex illo signo externo, quod in paraphrasi proposuimus, docet D. Hierony. in lib. traditionum Hebraicarū in Genesim; cui consonat translatio Theodocionis, vbi sacrificiū vtriusque fratris ijs verbis exprimitur. Et inflammauit Deus super sacrificium eius scilicet Abel, super Cain verò & super sacrificium eius non inflammauit. Idq; plurimis coniecturis cōfirmari potest. Siquidē eo signo legimus posteà sæpe declarasse Deum sibi placuisse aliquorum hominum sacrificia; quemadmodum de sacrificio consecrationis Aaron proditū est Leuit. 9. de sacrificio Gedeonis Iud. 6. Dauidis. 1. Paralip. 21 Salomonis 2. Paralip. 7. Eliæ. 3. Reg. 18. Nehemiæ, lib. 2. Machab. cap. 1.

IIII. *Deiectio vultus index est iræ.*

COncidit vultus eius.] Per effectum significatur vehemens cogitatio de modo vindicandi se, quam habuit Cain contra fratrem suum; vt enim ait Rupertus lib. 4. commentariorū in Genesim cap. 3. terram aspicere solēt qui crudelia meditantur. Quò etiam tendit illud Psa. 16. Proijcientes me nūc circundederūt me, oculos suos statuerunt declinare in terram.

V. *Mors Abel cur dicatur vox sanguinum.*

VOx sanguinis.] Hebraicè legitur in numero plurali Kol demi, vox sanguinū; idque vel ad declarandā copiā effusi sanguinis, vel propter multa vulnera, quæ Cain inflixerat, multifariam ex corpore Abel sanguis fusus fuerat; vel quia occisus fuerat Abel priusquam prolem vllam generaret, qua propter eo interfecto omnes eius posteri, qui procreari ex eo potuissent, quodammodo simul cum eo interfecti fuerant.

VI. *Deum faciem suā ostendere vel abscondere quid significet.*

A facie tua abscōdar.] Sicut Deū ostēdere faciē suā alicui in sacris literis significare solet declarare Deū manifestis signis se alicui bene velle, fauere, adesse, & sub protectione sua eū habere, vt in Psa. 79. Ostende faciē tuā, & salui

 erimus:

erimus: ita è contra abscondere Deum faciem suam alicui est eum deserere, & à se abijcere, suoque patrocinio & protectione priuare: vt hic, & cap. 31. Deuteronomij. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ. Et ait, Abscondam faciem meam ab eis.

VII. *Improbi soliciti sunt de vita præsenti.*

AEdificauit ciuitatē.] Hinc aduertere licet, quàm sint improbi homines solertes prudentes, ac soliciti ad omnia, quæ ad præsentis vitæ honores, voluptates, vtilitatesque pertinent, vel ad inuenienda, vel amplificanda, vel comparanda, abiecto prorsus amore curaque rerum cœlestium, & æternarum. Vnde Cain tanquam dux superborum vrbem ædificauit, cui ipse imperaret, non tamen inhabitaret: & ex posteris eius Lamech, quasi luxuriantium signifer, complures vxores duxit, eiusque filij varias inuenere artes, quibus ea, quæ ad humanæ vitæ cultum conferunt, abundantius, & commodius suppeterent hominibus.

VIII. *Verborū Lamech duplex interpretatio.*

DIxitque Lamech vxoribus suis.] Ex varijs interpretationibus, quæ à sacris doctoribus circunferuntur illorum verborū, quæ protulit Lamech ad vxores suas, eam in paraphrasi selegimus, quæ ob veterem Hebræorum traditionem probabilior visa est Diuo Hieronymo in epistola 125. ad Damasum: quæque magis quadrare videtur historiæ Moysi, vt scilicet intelligi debeant verba illa de occisione Cain, quam Lamech, per quam pœnitens, confessus est vxoribus suis. Ob nullam enim aliam causam, nisi quia in generatione Lamech terminata est vita Cain occisi à Lamech creditur terminasse Moysen progeniem Cain in Lamech & filijs eius, quamuis illa perdurauerit vsque ad diluuium: tum etiam quia nulla ratio erat, cur vellet Moyses narrare homicidium, quod fecerat Lamech, nisi vt miserrimū vitæ Cain exitum atque interitum indicaret. Nec tamen caret probabilitate sententia, quæ hunc locum sic interpretatur. Cum malè audiret Lamech, quòd duas vxores duxisset, & illę timerēt, ne ei mali aliquid ea causa accideret, dixit: Nunquid virum aliquem, seu adolescentulum occidi, vt vitæ meæ timere debeatis? Si Caini occisor grauiter puniendus est, proculdubio multò grauius punietur, qui me occiderit. Iuxta quem sensum verba illa, in vulnus meum, & in liuorem meum, legi debēt cum interrogatione.

IX. *Septenarius numerus multitudinem denotat.*

SEptuplum vltio.] Phrasis est scripturæ satis frequēs, vt quemadmodum septies significat multum, ita septuagies septies significet multò plus. Cui rei fidem facit illud, quod Dominus dixit Petro Matthæi cap. 18. Non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagies septies.

ARGVMENTVM IN CAPVT V.

¶ *Referuntur decem hominum generationes, quæ extiterunt ab Adamo vsque ad diluuium, videlicet generatio Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Iared, Henoch, Mathusala, Lamech, Noë, & filiorum huius.*

PARAPHRASIS IN CAPVT V.

A. HIC *est liber generationis Adam*: In quo recensentur decē generationes ab Adam vsque ad diluuium, quæ cōprehendunt annos mille sexcentos quinquagintasex, tempus videlicet transactū à creatione Adæ vsq; ad diluuiū. *In die qua creauit Deus hominē* † *ad similitudinem Dei fecit illū. Masculū & fœminam creauit eos, & benedixit illis, & vocauit nomē eorum Adam*, hoc est, homo, *in die quo creati sunt*: pro vt latè supra explicatū est. *Vixit autē Adam centum triginta annis* 1 *& genuit*

I. *filium*, nō similē alijs, quos anteà genuerat, quorum posteritas tota per diluuium, vel prius deleta est, sed ad *imaginem & similitudinem suam*, quatenus sicut in Adā species naturæ humanę cōseruata est, ac per ipsum in omne æuum propagari debuit, ita in hoc solo filio posteritas Adami permansit, atq; ex eo prosemināatus est populus Dei, & vniuersum genus humanū, quod nunc est, fuit productū. *Vocauitq; nomen eius Seth*, ob causam in cap. præcedenti propositam. *Et facti sunt dies* † *Adā, postquam genuit Seth, octingenti anni, genuitq; filios & filias*, tā ante quàm post generationē Seth. *Et factum est omne tempus, quod vixit Adam anni nongenti triginta.* 2 non menstrui, vel trimestres, aut semestres, sed pares nostratibus. *Et mortuus est* 3 iuxta id, quod idem Adamo Dominus prædixerat inquiēs: In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. *Vixit quoq; Seth centum quinque annis, & genuit Enos. Vixitq; Seth postquam genuit Enos octingentis septē annis; genuitq; filios & filias. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorū duodecim annorū, & mortuus est. Vixit verò Enos nonaginta annis; & genuit Cainan. Post cuius ortum vixit* octin-

† Sapiē. 2. d. 24. Eccl. 17. a. 1. Sap. 1. d. 18. Inf. 9. a. 6.

† 1. Paral. 1. a. 1.

II.

III.

B.

octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est. Vixit quoq; Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleel. Et vixit Cainan, postquam genuit Malaleel octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis & genuit Iared. Et vixit Malaleel postquam genuit Iared octingentis triginta annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus est.

C. *Vixitque Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoch. Et vixit Iared postquā genuit Henoch octingentis annis, & genuit filios et filias. Et facti sunt omnes dies Iared nongenti sexaginta duo anni, et mortuus est. Porrò Henoch vixit sexaginta quinque annis, et genuit Mathusalam. Et ambulauit Henoch cum Deo,* rectam & inculpatam vitam agens, Deique voluntati ac iussis obtemperando, Deo charus & acceptus fuit. *Et vixit postquam genuit Mathusalam trecentis annis, et genuit filios et filias.* *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni;* omnes videlicet dies, quibus Henoch in societate & conuersatione hominū versatus est, vitam in terris cum alijs hominibus degēs. Subtractus autem ex conuersatione hominum, quia planè nescitur, vbi nam sit, quid agat, quomodo viuat, similiter se se habet, quantum ad notitiam hominū, atq; si mortuus fuisset. *Ambulauitque cum Deo* semel atque iterum, quia non solū in iuuētute, sed etiam in senectute sanctus fuit, & charus Deo: *& non apparuit* hominum conspectibus, *quia tulit eum Deus* subducens illum ex societate & conuersatione reliquorum, & in meliorem quādam vitæ rationem & statum commutauit, absque eò quòd mortem sentiret.

Eccl. 44. c. 15. Heb. 11. a. 5.

IX. *Septenarius numerus multitudinem denotat.*

Vixitque Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. D. *Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech septingentis octoginta duobus annis 4, & genuit* IIII. *filios & filias. Et facti sunt omnes dies Mathusalæ nongenti sexaginta nouem anni 5: & mor*V.*tuus est. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis & genuit filium: vocauitque nomen eius Noë dicens,* & explicans etymologiam, seu rationem nominis. *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Noë enim, qui interpretatur requies, maximè consolatus est genus humanum, dum iustitia sua conseruare meruit seminarium humani generis, & animalium in arca, ne in totum omnia perirēt aquis diluuij. *Vixitque Lamech postquam genuit Noe quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni: & mortuus est. Noe verò cum quingentorum ac duorū esset annorum genuit,* seu cępit generare *Sem, Cham & Iapheth 6,* VI. post quam alios complures filios priusquam istos genuisset.

ANNOTATIONES IN CAPVT V.

I. *Annus extrem⁹ qualiter computādus.*

VIXIT Adam centum triginta annis.] Annus trigesimus cētesimus, quo Adā genuit Seth, seu etiam extremus cuiusque generationis annus, quo in sequentibus dicitur pater genuisse filium, tripliciter potest intelligi, vel vt is annus fuerit tantummodo inchoatus, prout vulgo dicitur curr[illegible]; vel vt fuerit iam completus, & prætereà menses aliquot sequentis anni continens; vel denique vt fuerit præcisè completus, ita vt nihil ei defuerit aut superfuerit. Si ergo hoc postremo modo extremi singularum generationum anni accipiantur, summa illa quam in paraphrasi posuimus mille sexcentorū quinquaginta sex annorum ab Adam vsque ad diluuium existit. Sin autem primo modo sumantur, euadet minor, si secundo modo maior, sed ad summum non plusquam nouem annis, & aliquot mensibus tota summa vel maior vel minor potest existere, vt arithmeticis constat.

II. *Anni antiquorū æquales fuere nostris.*

ANni nongenti triginta.] Quod tales fuerint anni illi primæ mundi ætatis, quales sunt nostri apertè conuincitur ex ipso scripturæ contextu: nam infra capit. septimo in eo vno anno, quo durauit diluuium fit mentio primi, secundi, septimi, & decimi mensis. Et ne quis posset fingere menses illos fuisse trium duntaxat dierum, memoratur ibi decimus septimus dies mensis secundi. Et cap. octauo numeratur dies vigesimus septimus mensis septimi, & mensis secundi dies septimus & vigesimus. Quinimo si dies, quos memorat Moyses in descriptione diluuij, per vnum illum annum sexcentesimum vitæ Noe recenseantur, reperientur plusquam trecenti sexaginta dies.

III. *Et mortuus est cur repetatur ante diluuium.*

ET mortuus est.] Hæc verba pluries repetuntur in generationibus, quæ in hoc capitulo referuntur, & quæ præcesserunt diluuium, eò quod in earū serie vnus aliquis numerandus erat, scilicet Henoch, de quo dici non

Digitized by Google

debuit mortuũ fuisse, sed Deũ illũ tulisse: quod quia in generationibus, quæ fuerunt post diluuium, de quibus in capite decimo & vndecimo huius libri memoratur, nihil tale contigit, in illis recensendis non subditur, & mortuus est.

IIII. *Codicibus Græcis nullatenus stãdũ est in annorum supputatione.*

VIxit Mathusala postquam genuit Lamech septingẽtis octuaginta duobus annis.] Hoc in loco sicut & alibi pluries manifestè ostenditur error Græcorum codicum, qui dicuntur esse Septuaginta interpretum in computatione annorum, qui numerantur in sacris literis. Nam codices Græci Mathulalæ post genitum Lamech, tribuunt quatuor & octingentos annos; & prætereà ab ortu Lamech, vsque ad sexcentesimum annum vitæ Noe, quo diluuium accidit, numerant annos septingentos octuaginta octo. Secundùm quam supputationem necesse est, annis sexdecim post diluuium vixisse Mathusalam; quod ipsi scripturæ apertè contradicit, quippè quæ tradit octo dumtaxat animas diluuij exitium euasisse. Hoc autem incommodum non attingit codices Hebræos, quibus innititur nostra vulgata editio: iuxta hos enim principio anni, quo euenit diluuium, mortuus est Mathusala vt patet in sequentibus. Vnde certissima est & proculdubio amplectenda sententia Diui Augustini lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 13. & Beati Hieronymi libro Hebraicarũ quæstionum super Genesim, & Sancti Bedæ Venerabilis in libro de sex ætatibus mundi, quæ asserit quotiescunque codices Græci ab Hebraicis distant in computatione annorum, qui enumerantur tam ante diluuium, quam post diluuium, potius Hebraicis quàm Græcis codicibus credendum & standum esse: cum Hebraica scriptura non sicut Græca notis numerorum vtatur, quas facilè est peruerti, & vitiari, sed propria ipsorum numerorum nomina adhibeat. Error autem prædictus non ipsis Septuaginta interpretibus, sed primis eorum libros transcribentibus tribuendus est; vt autor est idem August.

V. *Quis senior extiterit Adam an Mathusala.*

OMnes dies Mathusala nongenti sexaginta nouem anni.] Quamuis Mathusala longiorem vitam egerit in terris, quàm Adam; cæterũm Adam ad prouectiorem ætatem peruenit quàm Mathusala: nam si consideretur ætas qua creatus fuit Adam, nimirum perfecta, & idonea ad generandum, apparebit fuisse ad minus sexaginta annorum; cum enim ætas virilis hominum viuentium centum annos, sit ætas triginta annorum, consentaneum est ætatem virilem hominum viuẽtium fermè ad mille annos, fuisse ad minus sexaginta annorum. Vnde neminem reperies in hac prima ætate mundi, & in hac serie generationum, qui ante sexagesimum annum generasse memoretur; imò qui citissimè generarunt, sexaginta quinque annorum erant. Si igitur Adam creatus est in ætate sexaginta annorum, & post eam vixit nongentos & triginta annos, æstimari & cẽseri debet peruenisse ad ætatem nongentorum nonaginta annorum. Et sanè congruit hoc rationi, vt primus vir manibus Dei formatus præstantiorem ætatem tetigerit, quã quiuis alius mortalium.

VI. *Moyses non recẽsuit omnes filios Noë.*

CVm quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Iapheth.] Ex his verbis non colligitur, quòd Noë ante quingentesimum annum, vel abstinuerit à coniugio, vel impotens generandi fuerit, sed quia quamuis ante quingentesimum annum Noë complures alios filios generasse credatur, tamen quoniam illi vel naturali, vel violenta morte extincti, diluuio superstites non fuerunt, sicut alij tres filij Sem, Cham, & Iapheth, per quos post diluuium genus humanum multiplicatum est, propterea illis prætermissis, hos dumtaxat Moyses commemorare voluit. Quod etiam obseruauit in recensendis generationibus ab Adam vsque ad Noë; nec enim earum seriẽ per filios primogenitos descripsit, sed per eos dũtaxat, vnde is, cuius generatio potissimè describenda suscipitur, originem duxerit. Subiunxi autem duos annos in paraphrasi ad quingentos, quos hic dicit scriptura habuisse Noë, quando genuit Sem, quia diluuium contigit anno sexcentesimo vitæ Noë, vt habetur capit. septimo, & Sem biennio post diluuium erat centum annorum, vt infra cap. 11. natus est ergo Sem cum Noë esset quingentorum ac duorum annorum. Vnde obseruanda est hoc in loco regula Diui Augustini lib. 2. quæstionũ in Exodum quæst. 47. quæ docet solere scripturam ita tempora nuncupare, vt quod summam perfectioris numeri paululum excrescit, non computetur.

ARGVMENTVM IN CAPVT VI.

¶ Ob peccata hominum maximeque eorum, qui ad populum Dei pertinebant, statuit Deus delere vniuersum genus humanum excepto Noë, qui apud eum gratiam inuenerat. Huic præcepit Deus arcam fabricare, eiusque formam ac mensuram præfixit, in qua ipse Noë ac filij eius, & eorum vxores, reliquorumque animantiũ nonnulla ab aquis diluuij salua fieri valerent. Quam arcam perfecit Noë pro vt sibi fuerat imperatum.

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAPVT VI.

A. CVMQVE *cœpissent homines multiplicari super terram*, ac numerosissimè, & longè lateque diffundi, *& filias procreassent* in maiori numero, quam anteà, dum propter illorum intemperantiam veneris, & cibi potusque, & propter luxũ, aliaue corporis atq; animi vitia vehementer debilitata facultate generatrice, quæ est in viro, vigoreque seminis virilis labefactato, crebrior atque numerosior fœminarum generatio extitisset; *videntes*, curioseque, & inhonestè contemplantes *filij*
I. *Dei* 1, scilicet posteri Seth, & Enos *filias*
II. *hominum* 2 eorum, qui secundùm carnem sapiunt, quales erant, qui ex Caini stirpe procedebant, quarum societatem & commercia filij Seth refugere tenebantur ex præceptis parentum, *quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant:* tanta quippe fuit illorum hominum intemperantia, vt non desiderio suscipiendæ prolis, & multiplicandi genus humanum, qui est laudabilis matrimonij finis, sed ad explendam, saturandamque libidinem vxores ducerent; nec eas parentum consilio, aut rationis suasu, incorruptique iudicij ductu, sed capti pulchritudine illarum, quę est illecebra turpitudinis, sibi acceperunt. *Dixitque Deus* internè hominibus prius pœnas prænuntians quàm irrogans in signum magnæ clementiæ suæ: comminatur enim, vt à peccatis absterreat: *Non permanebit spiritus meus*, quem inspiraui in faciem hominis, vt fieret in animam viuentem, & quo ablato homo deficiet, & in puluerem suum reuertetur, is inquam, spiritus nõ permanebit *in homine in æternum*, nec enim perpetuò viuet homo in terris, sed perdam ipsum, *quia caro est*, dum sensibus carnis rationem subiugat, atque in varia peccata dilabitur, *eruntque dies illius* concessi generi humano ad resipiscendum, & agendam pœnitentiam *centum viginti annorum.* Viginti enim anni, antequam Noë generaret Sem, hæc sententia lata est. *Gigantes autem* hoc est, homines insigni corporis proceritate ac vastitate, cum qua simul coniuncta erãt incredibilis sęuitia, & crudelitas, superbia item, atque impietas *erant super terram in diebus illis.* Quorum origo & radix saltim pro maiori parte hæc fuit. *Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti* ex talibus parentibus orti facti *sunt potentes à sæculo*, seu in sæculo omni genere vitiorum excellentes, & *viri famosi* fœditate criminum ac scelerum magnitudine cæteris insigniores. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra*, nam ex pauco habitu, & consuetudine, & scientes ac volentes sine vllo pudore, ac timore in quælibet scelera ruebant: *& cuncta cogitatio* non solum partis sensitiuæ, sed *& cordis*, id est, partis rationalis non vtcunque prona, sed etiam *intenta esset* cùm vehementi conatu & impetu omnem suam viam applicando *ad malum omni tempore* 3, seu vt in plurimum *pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra.* III. Pœnituit inquam non secũdùm affectum animi, sed secundùm effectum operis. B. Talia enim facere disposuit, qualia facere solent homines pœnitentia correpti. *Et tactus dolore cordis intrinsecus*, habens se ad similitudinem hominis, qui grauissima iniuria offensus ab his, quos maximè diligebat, maximisque beneficijs affecerat valde, tristatur, & dolet, quod eos meritis pœnis plectere debeat † *Delebo inquit* irreuocabili decreto *hominem, quem creaui à facie terræ*, & non solùm hominem, sed & ea, quæ seruitij & vsus hominũ causa facta sunt, pariter delebo; videlicet *ab homine vsque ad animantia, à reptili* gradiente propè terram *vsque ad volucres cœli* 4, quæ vna cum homine habitant super terram in aëre *pœnitet enim me fecisse eos*, quatenus ad similitudinem pœnitentis homines, quos condidi destruere dispono. *Noë vero* filius Lamech *inuenit gratiam coram Domino*, cui mirum in modum placuit, & gratus fuit. *Hæ sunt generationes Noë*, seu filij quos ipse genuit: † *Noë vir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis*, ac inter homines, qui suo tẽpore geniti sunt, *cum Deo ambulauit* illum semper intuens quasi præsentẽ sibi, ac eius partes agẽs; *Et genuit tres filios Sem, Cham, & Iapheth*, & etiam alios; cæterum isti tantum saluandi erant cum ipso in arca. *Corrupta est autem terra* peccantibus hominibus in ea contentis *coram Deo*, hoc est, verè & realiter, *& repleta est iniquitate*, fraudibus scilicet, rapinis, violentijs subuersionibus, & oppressionibus. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam* peccatis, quæ tunc Deus videre dicitur, quando eam

Inf. 8. d. 21. Matthæ. 15. d. 19.

IIII.

† *Eccle. 44. c. 17.*

ea vult, & statuit punire: dum enim non punit, videtur similis dormienti aut ignorãti, *Omnis quippe caro*, id est, homo *corruperat*
V. *viam suam*; seu opus, ac rationem viuendi *super terram*; *dixit ad Noe* loquens ei per reuelationem intellectualem, vel per apparitionem in somno, vel per Angelum aliquẽ sub aspectabili forma humani corporis. *Finis vniuersæ carnis venit coram me*, quatenus statutũ est apud me delere vniuersam carnẽ. *Repleta est terra iniquitate*, & ad summum vitiorũ perducta, idque *à facie eorum*, id est, scientibus & volentibus ipsis habitatoribus terræ: *& ego disperdam eos* aquis diluuij, simul *cum terra*: nõ quod terra destrui debeat quantum ad substantiam, sed quantum ad ornatum eius, qui est in superficie ipsius, proueniens ex decore plantarum, & pulchritudine ædificiorum, & etiã quantũ ad fertilitatẽ: salsis enim Oceani aquis diu tota perfundenda, sterilior exinde erit, nec tam vberes, nec tam salubres fructus proferet. *Fac tibi* ad conseruationem tui tuæque familiæ *arcam*, non nauem, quia supernè & infernè clausa & lata esse debet, quò arcere possit aquas non modò inferiores, sed etiã superiores, è cœlo præcipitãdas. Facies autem illam *de lignis leuigatis* seu dolatis, quæ melius inter se aptantur, & cohærescunt. *Mansiunculas in arca facies*, ad similitudinẽ nidorum auium, quæ satis sint animalibus ad manendum, non autem ad latè spatiandum vel discursandum, *& bitumine* feruentissimo, & violentissimo glutine *linies intrinsecus & extrinsecus*, quò ligna arcæ nec vermibus exedi, nec solis ardore, nec ventorum flatibus, nec aquarum possint violentia dissolui. *& sic facies eam* quãtum ad magnitudinẽ & capacitatem. *Trecentorum cubi-*
VI. *torum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius*. Ita vt longitudo arcæ sit sexcupla ad latitudinem, sicut trecenta ad quinquaginta, decupla verò ad altitudinem, vt trecenta ad triginta: videlicet iuxta proportionem, quæ est inter dimẽsiones humani corporis, cuius longitudo a vertice vsq; ad plãtas pedum est sexcupla ad latitudinẽ, quæ est à latere dextro in sinistrũ per medium pectus, & est decupla ad eius altitudinem, quæ est linea recta metiẽs profunditatem pectoris iacentis hominis proni vel supini. *Fenestram* vnam atque alteram, seu plures fenestras *in arca facies* ex vitro, vel ex crystallo, vt arceatur aqua, lux verò admittatur; *& in cubito* mensurante altitudinẽ fastigij, quã debet habere operculũ arcæ perficies, & *consummabis summitatem eius*: vt enim pluuia descendẽs super tectum extra arcam facilius defluat, in summitate arcæ facere debes operculũ ita fastigiatũ, vt à lateribus ad mediũ vsq;, ad altitudinẽ cubiti vnius paulatim eleuetur. *Ostiũ autẽ arcæ pones* non in tecto, aut in capitibus arcę, sed *ex latere*, hoc est, in ipsa longitudine arcæ: nam & in animali, hominęq; atq; in alijs corporibus figuræ quadrangularis nõ ęquilateræ, propriùs dicũtur latera, quæ lõgitudinẽ, quam quę latitudinẽ mẽsurant. *Deorsum* infra ostium arcæ (ostium namq; in suprema parte lateris poni debet) *cœnacula* ampla lataq;, *& tristega*, id est, triplicata tecta, seu cœnacula tribus tectis distincta *facies in ea*, videlicet arca. Quorum quidẽ cœnaculorũ primũ, omniũque supremum habitationi hominum, & auium, conseruandisque cibarijs destinandũ erit; alterũ mansioni animaliũ; tertium cõtinere debet fundũ & imũ arcæ, vbi stercora recipi valeãt. Instar figuræ sequentis.



A.B. Longitudo arcæ habens cubitos 300.
B.C. Latitudo arcæ habens cubitos 50.
C. D. Altitudo arcæ habens cubitos 30.
H. Fastigium arcæ altitudinis cubiti vnius.

E. Cœnaculũ superius habẽs ostiũ & fenestras, pro hominibus, auibus, atque cibarijs.
F. Cœnaculum medium pro bestijs terræ.
G. Cœnaculum infimum stercorarium.

Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnẽ carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum; omnem videlicet hominem; *vniuersa quæ in terra sunt* ipsam exornantia *consumentur*. *Ponamque fœdus meum tecum* ad conseruandũ te, & societatẽ tuam D.
à prauis

Digitized by Google

à prauis hominibus, qui tibi mortem comminabuntur, si in arcam ingredi tentaueris: *& ingredieris arcam tu & filij tui*, qui nuper tibi nati sunt *vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum*, quas illi suo tempore ducturi sunt. *Et ex cunctis animantibus vniuersæ carnis bina* ad minus *induces in arcam, vt viuant tecum masculini sexus & fœminini*. De his videlicet animātibus, *De volucribus iuxta genus suum, & de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundùm genus suum. Bina de omnibus ingredientur tecum, vt possint viuere* ad propagationē speciei. Ob alias verò causas nempè ad vsum humani cibi, diuinorumque sacrificiorum plura ex mundis animalibus, & volatilibus seruare oportebit *Tolles igitur tecum* quantum ad vnius anni victum opus erit, *ex omnibus escis quæ mandi possunt* ab vnoquoque viuentium: quarum escarum notitiam te habere faciā ex diuina reuelatione, *& comportabis apud te, & erunt tam tibi quàm illis in cibum*. Escarum autem nomine etiā aqua dulcis venit intelligenda, cuius ingentem copiam comparare debes in potum animalium, hominūq; & in vsum lauandi. *Fecit igitur Noë † omnia, quæ præceperat illi Deus*. Absoluitq; totum opus arcæ centum annis.

† *Hebr. 11. b. 7.*

ANNOTATIONES IN CAPVT VI.

I. *Filij Dei vocantur posteri Seth, & Enos.*

VIDENTES filij Dei.] Ea ratione posteri Seth, & Enos vocātur filij Dei, quia omnes, aut plerique erant corpore procero, robusto, & formoso, erantq; ipsi potentes, & magnates, & principes, & propter iustitiæ, religionis, & sanctimoniæ professionem, & cultū admodum honorati, & venerādi: vel etiam dicti sunt filij Dei, vel vt alia translatio habet filij Deorum; quia Seth & Enos ab hominibus sui temporis, & multò post ob insignem virtutē, & sanctitatem dij appellati sunt, vt de Seth refert Suidas, & de Enos docet Cyrillus Alexandrinus in lib. nono aduersus Iulianum.

II. *Vox homo tripliciter accipitur.*

FIlias hominum.] Scriptura sacra (vt auctor est Gregor. lib. 4. Moral. ca. 15.) tribus modis hominem appellat, scilicet per naturam, & per infirmitatem, & per culpam. Homo quippè per naturam dicitur quando Genes. 1. scriptum inuenitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Per infirmitatem homo vocatur Hierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine: hoc est, in infirmitate. Ratione tādem culpæ nomen hominis ascribitur Psa. 81. Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini: Ac si diceret, sicut delinquentes obibitis. Et 1. Cor. 3. Cum sit inter vos zelus & cōtentio nonne carnales estis, & secundùm hominē ambulatis? quasi dicat: Qui discordes mētes ducitis, nonne adhuc ex reprehensibili humanitate peccatis? In quo quidem vltimo sensu posteri Cain vocantur in præsenti Filij hominum propter parentum impietatem.

III. *Hyperbolicè vtitur sacra scriptura.*

AD malum omni tēpore.] Hoc hyperbolicè intelligi debet, sicut & quod inferius dicitur, omnem, videlicet carnē corrupisse viā suam, & finem vniuersæ carnis venisse coram Deo. Ex his enim generalibus sententijs procul dubio excipere oportet Noë, qui hoc ipso loco appellatur iustus & perfectus, & fuit præseruatus ab excidio diluuij.

IIII. *Appetēs vindictā etiā bruta solet cōminari.*

VSq; ad volucres cœli.] Loquitur hoc loco Dominus ad similitudinē hominis irati, qui cōsueuit cōminari vindictā, nō solùm in hominem, à quo læsus est, sed in omnes etiā habitantes cum eo: prout accidit Dauid; quando tendens ad vindicandum se de Nabal Carmelo, dicebat 1. Reg. 25. Hæc faciat Dominus inimicis Dauid, & hæc addat: Si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsq; manè mingentem ad parietē. Quapropter quia pisces nō cōmunicant in habitatione cum homine, sicut reliqua animalia, quæ morantur super terram, sed habitāt sub aquis, idcircò non fit hoc in loco mentio piscium, sed tantùm animalium gradientium super terrā, & volantium in aëre. Et etiam quia terra tantū vsq; ad tempus diluuij infecta & cōtaminata fuerat hominū flagitijs, necdū enim homines mare intrauerant, nec artem nauigandi inuenerant, ex qua innumerabilia mala posteà redundarunt. Vnde hoc supplicium diluuij ad terram dumtaxat pertinere debuit, nec aquam attingere.

V. *Via in singulari pro ratione viuendi; in plurali pro operibus accipitur.*

COrruperat viam suam.] Quādo via singulariter ponitur in sacris literis, solet propriè significare rationem viuendi, quamuis secundariò etiā significet opus vniuscuiusq; vt hic: & Psal. 5. Nequando irascatur Dñs, & pereatis de via iusta. Cum autē pluraliter dicitur, etsi rationē quoq; viuendi significet, tamē proprius pro operibus accipitur, vt Iob 40. Ipse est principiū viarū Dei; & Psal. 24. Vniuersæ viæ Dñi misericordia & veritas. Psal. 90. Angelis suis mādauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: & Osee 4. Visitabo super eū vias eius.

VI. *Cubitus duplex: vulgaris & Geometricus.*

TRecentorum cubitorum.] Duplex est cubitorum genus: alius enim est cubitus vulgaris & vsitatus, alius verò Geometricus. Vulgaris est internallum in homine perfectæ magnitudinis ab articulo medio brachij, seu afflexu eius ad extremū vsq; medium digitū, vno pede ac dimidio constans, secundū Vitruuiū: pes autem constat quatuor palmis, & palmus quatuor digitis transuersis, sicut & digitus cōstat quatuor granis hordei secundū latitudinem dispositis: vt autor est Christophorus Clauius in ca. 1. sphæræ. Vnde cubitus vulgaris quasi æqui ualet mediæ vlnæ Hispanicæ. Cubitus verò Geome-

D.

Digitized by Google

Geometricus, vt idem Clauius & Origenes cõtra Celsum docent, continet sex cubitos vulgares, ac proinde nouem pedes. Dubiũ igitur est, iuxta quam harum cubiti specierum mensuram debeat intelligi dimensio arcæ, quæ in præsenti describitur. Ad quod respondeo, nequaquã intelligendam esse secundùm mensuram cubiti Geometrici; cum enim verosimilius sit Moysem eandem rationem cubiti obseruasse in hoc, & in sequentibus libris, quotiescunque alicuius rei quantitatem cubitis metitur, & Exod. 26. dicat cortinas tabernaculi & saga cilicina habuisse quatuor cubitos latitudinis, eos autẽ cubitos irrationabiliter existimetur fuisse Geometricos, nam cortinam triginta & sex pedum latitudinis impossibile esset texere: hinc est cubitos, quibus arca diluuij describitur, nullatenus fuisse Geometricos: restat ergo dicendum tam hos cubitos, quàm reliquos, quorum Moyses in sequentibus meminit, fuisse vulgares & vsitatos. Quod apertè confirmat Iosephus lib. 3. Antiquitatũ cap. 6. quem sequitur Beda lib. 1. de Tabernaculo cap. 4. Is enim definiens mẽsuram arcæ tabernaculi, cuius longitudo erat duorũ cubitorum & dimidij, altitudo verò ac latitudo cubiti & dimidij, vt dicitur Exod. 25 inquit, quòd lõgitudo eius erat quinque spithamarũ, altitudo verò & latitudo triũ spithamarũ. Habet autem spithama digitos duodecim, vt autor est Ribera lib. 2. de Templo cap. 1.

ARGVMENTVM IN CAP. VII.

¶ Ingresso Noë in arcam vnà cum vxore sua, ingressis etiam filijs eius, ipsorumque vxoribus; ac ex vniuersis animantibus tã terrestribus quàm aëreis ad arcam quibusdam adductis, factum est diluuium quadraginta diebus super terram, eamq; centum quinquaginta diebus aqua obtinuerunt.

PARAPHRASIS IN CAP. VII.

A. *Dixitque Dominus* anno sexcẽtesimo vitæ Noë, mense secũdo, decimo die mensis, & locutus est *ad eum*: † *Ingredere tu & omnis domus tua, in arcam,* & per septẽ dies inclusus expecta diluuiũ, vt cæteri cernentes temetipsum metu imminentis diluuij in arcam inclusisse, saltem hoc extremo tempore cõmoueantur pauore instãtis exitij, & conuertantur ad agẽdã pœnitentiam. *Te enim vidi iustum coram me*, & re vera dignũ, vt domus tua sola tanto miraculo conseruetur cõparatione aliorum omnium, qui *in generatione hac* † & sæculo vitæ præsentis in orbe existunt. *Ex omnibus animantibus mundis*, aptis videlicet ad ritum, vsumque sacrificiorum, *tolles septena* i. ex vna specie *& septena* ex alia, *masculum & fœminam*, vt non solùm ad conseruationem speciei, sed etiam ad alios quoque vsus copia adsit illorum. *De animantibus vero immundis* tolles *duo* ex vna specie, *& duo* ex alia, *masculum & fœminam*. Hæc enim vnam tantum ob causam seruare oportet, nempe ad propagationem speciei. *Sed & de volatilibus cæli* cùm nullum illorum hactenus immundum censeatur, seruabis *septena & septena, masculum & fœminam, vt saluetur semen* i. *super faciem vniuersæ terræ*; quod esse debet finis constructionis arcæ, & introductionis viuentium in illam. *Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam, quam feci de superficie terræ.* Quod malum sæpe sæpius denuntiauit Deus obuenturum hominibus, vt eos ad pœnitentiam reuocaret. *Fecit ergo Noë omnia quæ mandauerat ei Dominus. Eratque sexcentorum annorum quando diluuij aquæ inundauerunt super terram*: non quòd hunc numerum annorum completum haberet, sed tantummodo inchoatum. *Et* † *ingressus est Noë & filij eius* seorsum & seorsum *vxor eius & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij. De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod mouetur super terram*, cuius semen necessarium erat ad conseruationem & propagationem propriæ speciei, ad minus *duo & duo ingressa sunt ad Noë in arcam, masculus & fœmina*: quamuis quarundam specierum plura quam duo ingressa fuerint, *sicut præceperat*

Marginalia: † 1. Petri. 2. a. 5 — † 32. q. 1. ca. nuptiæ. — I. — II. — † Matthæ. 24. d. 32. Luc. 17. f. 26. 1. Petri. 3. d. 20.

ceperat Dñs Noë. Comque transissent septem dies, postquam Noë arcam occupare cœpit, aquæ diluuij inundauerunt super terram. Anno sexcentesimo vitæ Noë, qui fuit ab orbe cõdito annus millesimus, sexcẽtesimus, quinquagesimus sextus, mense secundo, non quidem illius anni communis & vsitati, qui tunc agebatur, sed mense secundo post inchoatum annum sexcentesimum vitæ Noë, cum nequaquam aliò anni & aliò menses referri debeant; septimo decimo die mensis illius secundi, rupti sunt om-
III. nes fontes abyssi magnæ 3 subterraneis aquis maxima vi, & abundantia ad obruendam terram erumpentibus. Et cataractæ cœli, seu nubes, è quibus quasi ex locis editis ac præruptis aquæ magno sonitu & fragore ruere solent, apertæ sunt metaphoricè loquendo; nam media regio aëris, vbi pluuiæ gignuntur, eo tempore infinitis vaporibus, densissimisque nubibus oppleta, maximam aquarum abundantiam effudit. Et facta est pluuia super terram ad operiendam eam aquis quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Ideò enim tanta dierum productione vsus est Deus, qui si voluisset atque imperasset, vno momento potuisset omnia perdere diluuio, vt omnem defensionis prætextum impœni-
IIII. tentibus adimeret. In articulo diei illius 4 septimi, ante diluuium absque vlla anticipatione vel dilatione temporis à Deo præscripti ingressus est Noë & Sem & Cham &
C. Iapheth filij eius; vxor illius (quæ Barthenoß vel Tytæa magna vocabatur) & tres vxores filiorum eius Pandora, Noëla, & Noëgla, cum eis in arcam: ipsi & omne animal secundum genus suum, vniuersaque iumenta in genere suo, & omne quod mouetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, vniuersæ aues, omnesque volucres, voluntate ac potestate Dei, ministerioque Angelorum vndique congregatæ, & deductæ ingressæ sunt ad Noë in arcam, bina & bina ad minus, introierunt, ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ. Et quæ ingressa sunt masculus & fœmina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus deforis: Ostium enim arcæ fuit à Deo Angelorum opera extrinsecus clausum, bitumineque oblitum, quò indicaretur præcipua quædam & eximia plena beneuolentiæ cura, quam Deus ipsius Noë protegendi, & ab illo diluuij exitio seruandi gerebat. Factumque est diluuium quadraginta diebus super terram, & in his quadraginta diebus adeò multiplicatæ sunt aquæ, & in tantum excreuerunt, quod eleuauerunt arcam tot ac tam ingentibus animalibus opletam in sublime à terra; vehementer enim
innundauerunt: & omnia repleuerunt in superficie terræ: porrò arca post illos quadraginta dies ferebatur super aquas. Et aquæ præualuerunt nimis super terram perseuerante pluuia & aquarum eruptione adhuc post illos quadraginta dies, quibus eleuata fuit arca à terra, & post opertam superficiem terræ. Opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo tam aëreo quam sidereo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat, vt discamus non solũ homines & reptilia submersa esse diluuio, sed & volucres cœli, & quæcunque in montibus degunt animalia, vt quod Deus multo antè facturum se interminatus fuerat, id fecisse eum postea, nec quidquam prætermisisse, intelligatur. † Consumptaque est omnis caro, quæ mouebatur super terram volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram, vniuersi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est, in terra mortua sunt. Et deleuit omnem substantiam, quæ erat super terram ab homine vsque ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli, & deleta sunt de terra: Remansit autem solus Noe, & qui cũ
eo erant in arca; ex cunctis hominibus, quorum habitatio & conuersatio in terris nota erat: Henoch enim, ex quo ab hominum conspectibus sublatus est, minimè venit computandus inter eos, qui arcæ beneficio fuerunt ab exitio diluuij liberati. † Obtinueruntq; aquæ terram centum quinquaginta diebus, primo inundando terram campestrem, deinde montanam: durauerat enim pluuia, & cum ea incrementum aquarum, diebûs quadraginta: postmodum sic aucta, roborata, & exaltata terram obtinens & obtegens naturalibus diebus centum quinquàginta mansit, donec penitus decresceret.

D.

V.

† Sapiẽ. 10. a. 4. Eccle. 39 c. 28.

† 1. Petr. 3. d. 20.

ANNO-

ANNOTATIONES IN CAPVT VII.

I. *Quæ animalia dicebantur müda ante legem.*

EX animantibus mundis tolles septena.] Quamuis distinctionis animalium mundorum, & immundorum obseruantia, ante legem Moysi, non fuerit aliquo Dei præcepto, aut lege, vt vocant positiua, hominibus imperata, nihilominus partim instinctu Dei, præcipuè autem maiorum traditione in consuetudinem inducta, ea dumtaxat animalia munda cēsebantur, quæ eodem instinctu apta iudicabantur ad vsum sacrificiorum: qualia erant volatilia omnia, & ex terrestribus quamplurima. Ex vnaquaque autem illorum animantium specie septem præcipiuntur conseruari, vt vnum par ad propagationem speciei deseruiret, aliud verò ad esum: nam post diluuium vescendi animalibus copia hominibus erat concedenda. Tertio autem pari ad sacrificia pro gratiarum actione opus erat. Septimum porrò animal, quod erat mas solitarius, id est, sine coniuge fœmina, destinare oportebat holocausto, mox post diluuium faciēdo, sicut factum est à Noë.

Ex mundis animalibus cur septē seruata.

II. *Tria genera animaliū nō intrauerūt in arcam.*

VT saluetur semen.] Ex fine constructionis arcæ, qui in istis verbis significatur, apertè colligitur tria genera animalium non fuisse in arcam ingressa. Primum genus fuit eorum, quæ in aquis viuunt, istis namque diluuium nihil damni attulit. Alterum genus est eorum, quæ ex diuersarum specierum animalium commistione generantur, vt mulus, & mula ex equo & asina: satis enim fuit seruatos fuisse in arca illorum parentes: Tertium genus est eorum, quæ creantur ex putrescente materia: nam cum nullo tempore post diluuium defutura esset putrescens materia, nec vis cœlestis, vnde taliū animaliū generatio existeret, necessaria non fuit eorum in arca conseruatio.

III. *Abyssus magna vocatur aqua subterranea*

FOntes abyssi magnæ.] Subterraneam aquā appellat Moyses hoc in loco abyssum magnam: in terra enim vt supra & extra, ita subter & intra immensa quædam aqua existit, intimis terræ visceribus conclusa; quæ vel non exit supra terram; vel per exiguos tantùm fontes & tenues meatus egreditur. Quia igitur hæc subterranea aqua tempore diluuij prioribus meatibus multùm dilatatis, nouisque factis, immensa quadam vi erumpit, idcircò dicitur ruptos fuisse omnes fontes abyssi magnæ.

IIII. IN articulo diei illius.] Hebraismus est, significans non ante nec post, sed punctualiter in eo die ingressum fuisse Noë in arcam.

V. *Henoch fuit seruatus extra arcam.*

CVm eo erāt in arca.] Loquitur hic scriptura solùm de hominibus, qui vitam agebant modo, & more humano, atque vsitato; non autem de Henoch, qui extra societatem hominum, & incognitus cunctis mortalibus, nec humano more vitam degebat. Vnde illum Moyses perinde ac si non esset in terris tacitum præteriuit, quem tamen Deus, vel in aëre supra aquas diluuij, vel alibi vbicunque sibi libitum fuit, conseruare potuit, & defacto conseruauit. Communis autem sententia tenet in paradiso terrestri fuisse conseruatum.

ARGVMENTVM IN CAP. VIII.

¶ Cessante diluuio arca requieuit super montes Armeniæ; vtq; Noë exploraret terræ siccitatem, emisit coruum & columbam: & expectatis nonnullis diebus, accepit diuinum præceptum, vt tam ipse quàm reliqua animantia, quæ cum eo introierant, de arca egrederentur. Quibus egressis, ædificatoque altari obtulit Noë holocaustum Domino: cui promisit Deus, nunquam se amplius terram diluuio deleturum.

PARAPHRASIS IN CAPVT VIII.

A. 1. R*Ecordatus autem Deus Noe* 1 gerēs se ad similitudinē hominū, qui recordari dicūtur eorū, quos è malis, quibus detinētur, eripere nitūtur; *cūctorumq; animātiū & omniū iumentorū, quæ erāt cū eo in arca*, quibus etiā vna cum viro iusto cōsulere dignatus est; *adduxit spiritū* aëreū vehementē & vrentē *super terrā, & imminutæ sunt aquæ* nō solū per maximā vim siccādi, & absumendi aquas, qua pollebat vētus ille vehemēs, sed etiā per cessationē earū rerū, quę diluuij causa erāt. *Et clausi sunt fontes abyssi & cataractæ cœli*, eruptiones enim illæ miraculosæ, tū terræ, tū aëris cessauerūt: *& prohibitæ sunt pluuiæ de cœlo* etiā quę naturaliter fieri poterāt, quo cōmodius terra exiccaretur. *Reuersæq; sūt aquæ de terra eūtes & redeūtes*: nā vehemēs ille vēti flatus fecit coagitare & fluctuare aquas, cū anteà immobiles stetissent; *& cœperūt minui post cētū quinquaginta dies*, videlicet anno sexcētesimo vitę Noe, mense septimo, die 19. eiusdē mēsis. *Requieuitq; arca mense septimo 27. die mēsis*, q fuit octauus à principio decremēti

aqua-

aquarum, *super montes Armeniæ* in Tauri montis vertice; vbi is mons Araxi fluuio affinis est. *At verò aquæ ibant & decrescebãt vsque ad decimum mensem.* Non quòd decimo mense fuerit omnino finitum aquarum decrementum, sed quia vsque tunc in tantum diminutæ sunt aquæ, vt inciperet apparere arida, cùm ante decimum mensem, licèt aquæ multis diebus decreuissent, nihilo minus tamen vniuersam terram, etiam super omnes montes operiebant. *Decimo enim mense prima die mensis apparuerunt cacumina mõtiũ*, videlicet sexaginta duobus diebus postquã requieuit arca super mõtes Armeniæ.

B. *Cumque transissent quadraginta dies* à primo decimi mensis *aperiens Noe fenestram* quandam *arcæ, quam fecerat* in suprema parte arcæ adeò perexiguam, vt per eam caput & corpus efferre non posset, *dimisit coruũ*, vt per illum exploraret vtrùm terra siccata esset aquis: *qui egrediebatur, &* incidens in cadauera aliqua nondum aquis consumpta, illisque tanquam inuento congruo cibo insidens, *non reuertebatur* intrinsecus in arcam intrando, quamuis volando & reuolando extra eam aliquoties manserit, vel in tecto, vel in lateribus eius; *donec siccarentur aquæ super terrã*: quod non paruum bonæ spei argumentum fuit Noë: si enim hoc non fuisset, neq; coruus pastum & consolationem aliquam inuenisset, vtiquè reuersus esset. Vnde vt in ea spe confirmaretur Noë: *Emisit quoquè columbam post eum, vt videret si iam cessassent aquæ super faciem terræ. Quæ cum non inuenisset, vbi requiesceret pes eius*, ipsaque sit animal delicatum, & munditię amans, ac refugiat vestigia ponere in locis limosis seu lutulentis, *reuersa est ad eum in arcam: aquæ enim erant super vniuersam terram.* Vnde licet vertices mõtium detecti essent & super aquas extarent, remanserunt nihilominus valde humidi, quin etiam adeò limosi & lutulenti, vt parum abessent ab ea dispositione, quam existentes sub aqua tenebant.

C. *Extenditque manum Noë, & apprehensam columbam intulit in arcam. Expectatis autem vltra septem diebus alijs* ab illis quadraginta diebus, qui transierant, ex quo aparuerant cacumina montium: *rursum dimisit columbam ex arca.* † *At illa* postquam tota die fuit pasta, *venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.* Est enim oliua ex genere earum arborum, quæ nunquam frondibus expoliantur, sed earum virorem perpetuò conseruant.

† *De sacra. vn. cap. vnico ante finem.*

Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram. Expectauitquè nihilominus septem alios dies & emisit columbam, quæ non est reuersa vltra ad eum. Igitur sexcentesimo primo anno vitæ Noe *primo mense, prima die mẽsis imminutæ sunt aquæ super terram*: ita vt nihil terrenę superficiei aquis diluuij operiretur, *& aperiens Noe tectum arcæ*, remouendo partem aliquam illius, idest, tabulam quampiam tecti, vnde cernere, & explorare posset, quòd intendebat, *aspexit, viditque quod exiccata esset* exterius tantum *superficies terræ*, quæ tamen interius adhuc erat plena humoris, totaquè mollis atque lutulẽta: quapropter expectauit alios quinquaginta sexdies. *Mense secundo, septimo & vigesimo die mensis* eiusdẽ anni sexcẽtesimi primi vitæ Noe, *arefacta est terra* perfectè, & solidata est, ita vt homines & animalia per eam commodè ingredi possent. *Locutus est autem Deus ad Noe dicens.* Egredere *de arca* 2 *tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum tecum.* II. Neque enim decuit vos absque facultate & permissione mea de arca egredi. *Cuncta animantia quæ sunt apud te ex omni carne, tam in volatilibus, quàm in bestijs, & vniuersis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredimini super terram*, quam iterum habitare vobis permittitur: † *crescite, & multiplicamini super eam.* Quamuis enim dum in arca fuistis vacare non licuerit generationibus, perculsis timore, ac perterritis, modo tamen postquam egressi fueritis de arca generandis filijs dare operam poteritis. Quo fiet, vt post nonnullas animalium generationes aliqua illorum ad maris insulas diuina virtute deducantur: & hac ratione animalia de arca egressa vniuersam terram replere, eamque inhabitare poterunt. *Egressus est ergo Noe & filij eius, vxor illius & vxores filiorum eius cum eo. Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia, quæ reptant super terram secundùm genus suum egressa sunt de arca.* Cunctis illis promptè obedientibus Noe in egressu de arca, non secus ac obedientia illi extiterant, quando introierunt. *Ædificauit autem Noe*, mox vt de arca egressus est, *altare Domino.* Sicut enim Deus arcam facere iusserat homini, in qua saluaretur homo; sic dignum profectò fuit, vt illi altare faceret homo, in quo saluator hominis adoraretur ab homine. *Et tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis*, de quibus erat sibi diuinitus reuelatum

† *Sup. I d. 21. infra. 9. a. m.*

Margin: III. *Abyssus magna vocatur aqua sub terram.* IIII. V. *Hebraicè fuit fere tus extra arcam.*

esse apta ad sacrificandum Deo, *obtulit holocausta*, quæ inter sacrificia principatum tenent, *super altare*, vbi victimæ mactari & offerri decebat: *Odoratusque est Dominus odorem suauitatis*: ita enim placatus. & quietus redditus est erga genus humanum, ob deuotionem, & pietatem offerentis hæc holocausta, ac reddi solet homo erga eum, qui illum summa odorum suauitate afficit. In cuius rei fidem amissa ira, & indignatione, quam in destructione orbis terrarũ ostenderat, locutus est ad Noe: *& ait* absoluta quadam animi deliberatione, ac firmo decreto: *Nequaquam* prout modo feci, *vltra maledicam terræ* illam vastando *propter homines*, seu propter peccata hominum. Quamuis enim in consummatione seculi incendio dissoluentur omnia, id tamen non eueniet propter peccata hominum, sed propter renouationem & commutationem mundi in meliorem statum † *Sensus enim*, seu appetitus sensitiuus, *& cogitatio humani cordis*, quæ in vsu rationis inuenitur, *in malum prona sunt* propter peccatum originale, quòd ex ipso matris vtero, & in ipsa generatione hominis ei adhæresscit † *ab adolescentia sua*: In iuuentute enim naturalis ad malum pronitas vehementer, & notabiliter erumpit in flagitia. *Non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem, sicut feci*. clementiam enim meretur id mali ad quod vehemens propensio, atque incitatio innata est. *Cunctis diebus terræ*, quibus generationi & corruptioni rerum terra ipsa deseruiet (ad differentiam temporis, quòd post diem extremi iudicij futurum est) *sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent*: nam talis annus, qualis hic fuit diluuij, non erit vltra, qui careat vicissitudine temporum, qui totus procellosis expendatur pluuijs, nulloquè modificetur beneficio caloris, aut temperamento hyemis, quo nusquam iatiatur sementis, nec vlla colligatur messis, sed erunt tempestiuæ & commodæ naturæ vices, nunc æstu nũc frigore vicissim terras aut satacoquẽte.

† Sup. 6 artic. 5. Mat. 15 6. 19.

† 12 1.6. 3.

ANNOTATIONES IN CAPVT VIII.

I. *Recordari pro auxiliũ præbere.*

Recordatus est Deus Noe.] Deus dicitur recordari, nõ quòd obliuio, seu recordatio proprie cadat in ipsũ, quippe cui omnia sunt præsentia: sed ad similitudinem hominum, qui quos non curant, & in periculis deserunt, nec iuuant, cùm possint, obliuisci eorum dicuntur: contra verò recordari cum eis auxilium præbent, & malis, quibus detinentur eripere nituntur. Videbatur igitur Deus quodammodo oblitus Noe, quem in arcam illam velut in carcerem detrusum tot menses in illa horribili abysso diluuij dereliquerat: at cum incepit diluuium tollere, recordari eius dicitur. Et in hoc sensu simili locutione loquitur Scriptura inferius cap. 30. ibi Recordatus quoquè Dominus Rachelis exaudiuit eã. Et alibi sæpe.

II. *Per integrum annum solarem mansit Noe in arca.*

Septima & vicesima die mẽsis.] Animaduertendum est, hic diligenter, quod vt superius habes decimoseptimo die mensis secundi intrauit Noe arcam, & nunc decurso toto diluuij spatio, longoquè dierum orbe circumacto vigesimoseptimo die eiusdem mensis secundi, vt hic fertur, ab illa exiuit. Vnde nimirum colligitur totum tempus, quo ille fuit in arca, fuisse vnum eundemque integrum annum solarem id est, totos duodecim menses lunares, necnon amplius alios decem dies. Idcirco enim dictum est illum decimoseptimo die mensis secundi ingressum fuisse arcam, & vigesimoseptimo eiusdem mensis de illa exijsse, vt additis duodecim mensibus lunaribus decem diebus, annus solaris integer constaret. Tunc enim temporis annus solaris trecentum sexaginta quatuor diebus constitisse putatur, donec Iulius Cæsar additis alijs sex horis, & anno bissextili, intercalarem annum de medio sustulit. Nec hoc mysterio suo vacat; adumbrat enim quod cum venit plenitudo temporis, misit Deus filiũ suum qui verus est iustitiæ Sol, qui per duodecim signa zodiaci Apostolici reuolutus, æternitatis annum nobis potiundę fœliciter complet, natum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Idest, eos qui carnalium voluptatum diluuio, legaliumque ceremoniarum abysso submersi tenebantur, repressa suffocataquè libidinum tyrannide antiquatoque statu priore, in libertatem filiorum Dei transferret.

III. *Altaria & sacrificia soli ipsi Deo dicãtur.*

Altare Domino.] Vbicũq; in sacris literis ædificatur altare, aut offertur sacrificiũ ponitur Dei nomẽ tetragrãmatõ, quod est creaturæ incõmunicabile; quia nulla creatura est, aut esse potest ipsa Dei natura, cui soli offerre sacrificiũ fas est. Ex eo igitur quòd, cũ de sacrificio offerendo agitur, illud insigne diuinitatis nomen vsurpatur, euidens constat argumẽtum, soli Deo erigendum esse altare, eidemque tantũmodo licere sacrificium offerre. Vnde altaria, quæ in sacellis sanctorũ memoriæ constructis eriguntur Deo ipsi, non illis dedicantur: ob ipsorũ tamen sanctorũ memoriam, vt eorũ interuentu sacrificium, quod offertur Deo, sit acceptum.

AR.

Digitized by Google

ARGVMENTVM IN CAPVT IX.

¶ *Post benedictionem à Deo collatam Noe, ac filijs eius, permissum est illis vesci carnibus, dum tamen carnes comedendæ sanguine non essent prædita: has enim interdixit illis Deus ad maiorem homicidij execrationem: eisquè contulit signum fœderis, quo præsignabatur, nequaquam euenturum aliud vniuersale diluuium. Cum verò Noe vineam plantasset, inebriatus est, irrisusquè à filio Cham: à Sem tamen, & Iapheth fuit insigni reuerentia affectus: ob quam causam pater illum maledixit, hos vero benedixit: ac tandem post trecentos & quinquaginta annos à diluuio, mortuus est.*

PARAPHRASIS IN CAPVT IX.

A. B*enedixitquè Deus Noë, & filijs eius* tribuens illis similia bona his, quæ contulit primis parentibus in principio nascentis mundi, scilicet, fœcunditatem naturæ ad celerem & multiplicem humani generis propagationem; & præterea excellentiam principatus, & imperij in animalia ac deniquè copiam cibi ad tuendam, sustentandamquè vitam. *Et dixit ad eos* non præcipiendo, sed quod futurum erat indicãdo.
† Sup. 1. ca. 22. 8. c. 17. † *Crescite, & multiplicamini, & replete terrã,* 1 non vtcumquè, sed magna fœtuum multitudine, quam ego vobis conferam. *Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia*
I. *terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram.* Omnia enim animalia reuerebuntur, ac metuent vos, vmbramquè vestram, ac etiam vestigia formidabunt; ita vt nullum ferè animal quamlibet sæuum ac truculentum inuadet hominem, nisi vel lacessitum, vel fame cõpulsum, vel metu vi, aut alia quapiam perturbatione occupatũ: † *Omnes pisces maris* † Sup. 1 g. 29. *manui vestræ traditi sũt,* vt ex eis edere valeatis: paterno enim affectu cõsulẽs infirmitati humanæ hanc vobis indulgentiam facio, *&*
II. *omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum* 2 minime prohibitum, imo quantum est ex diuina permissione & lege naturæ vobis licitum, & concessum. *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Propter malignitatem enim terræ, atque imbecilliorem ad nutriendum hominem plantarum virtutẽ concedo vobis cibum carnium, quem post diluuium meliorem & salubriorem vobis esse agnosco. Non igitur post hac, prout ante diluuium herbis & fructibus arborum, vt sufficienti alimento contenti ab esu carnium quasi superuacuo refugietis, *Excepto quòd carnem cum sanguine* id est, carnem viuam, sanguine præditam *non comedetis.* Tũ quia naturalis modus vescendi carnibus homini seruandus, longè diuersus esse debet ab eo, quo feræ multiquè pisces vescuntur carnibus: tum etiam quia talis cibus occasionem præberet homini, vt crudelior & iracundior fieret in proximum: quò igitur vehementius arceamini ab homicidio, esum carnis viuæ sanguine præditæ lege naturali interdico. *Sanguinem enim animarum vestrarum,* hoc est, vitam vestram *requiram* vindictam sumens, *de manu cunctarum bestiarum* interficientium vos: quia laturus sum legẽ qua præcipiam vt animal, quòd occiderit hominem, etiam ipsum occidatur: *& de manu hominis,* naturalis enim ratio dictat pœna talionis dignos esse homicidas: *de manu* B.
viri potestatem habentis, eaquè abutentis, *& fratris eius,* videlicet cognati vel affinis *requiram animam hominis* eos grauissimè puniens. De vindicta autem & punitione viri potẽtis, & fratris humanũ sanguinẽ fundẽtiũ, specialẽ facio mẽtionẽ, quia frequẽtius homicidia patrantur à potẽtioribus, & ab his, qui inter se inuicẽ cõmunicant. *Quicũq;* † Matt. 26. c. 52.
† *effuderit humanũ sanguinẽ,* si iuxta mẽsurã delicti pœnas luere debeat, etiã *fundetur sanguis illius:* dignũ est enim morte scelus illud quo omniũ Dei aspectabilium operũ magnifi-

gnificentissimum scilicet rationalis creatu
† Apoc. 13.c.19. ra destruitur. † *Ad imaginem quippe Dei*
factus est homo, qui homicidio perit, cùm
in reliquis creaturis visibilibus vestigium
tantum diuinitatis appareat. † *Vos autem*
† Supra 1,d.28. 8.d. 17. *crescite, & multiplicamini, & ingredimini*
super terram, & implete eam, vndique illam
inhabitantes & colentes. *Hæc quoquè dixit*
Deus ad Noe & ad filios eius cum eo, videns
illorum animos præteritæ calamitatis hor
rore confusos, atque consternatos non pos
se timorem penitus abijcere. *Ecce ego sta-*
tuam pactum meum vobiscum, & cum semi-
ne vestro post vos, & ad omnem animam vi-
uentem, quæ est vobiscum, tam in volucribus,
quam in iumentis, & pecudibus terræ cun-
ctis, quæ egressa sunt de arca, & vniuersis
† Isa.54 c.9. *bestijs terræ.* † *Statuam pactum meum vo-*
biscum, & nequaquam vltra interficietur om-
nis caro aquis diluuij. Imo benignitatis &
clementiæ meæ non immemor, ad infir-
mitatem vestram me demittens, & accõ-
modans semel atquè iterum vobis promit-
to, quòd *neque erit deinceps diluuium dissi-*
pans terram: & insuper firmare statuo pro
missionem meam signo quodam cunctis
mortalibus conspicuo, & vsque ad mundi
occasum mansuro. *Dixitque Deus: Hoc*
esse debet *signum fœderis quod do inter me &*
vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est
vobiscum in generationes sempiternas. Quam
uis enim iustitiæ vis, & rigor vindictæ
breuissimi temporis fuerit, cum vnicum
extiterit diluuium, & vnico tantum anno
durauerit, at misericordiæ diuinæ benefi-
cium de non futuro diluuio perpetuum
III. erit, & vsquè in æternum. *Arcum meum* 3
ponam in nubibus, idest arcum cælestem,
quem præcipua quadam ratione meum vo
co, nẽpe propter eximiam pulchritudinẽ
ipsius: *& erit signum fœderis inter me & inter*
terram. Non quòd Iris sit naturale signum
non futuri diluuij: nequè enim id signifi-
candi per se vim habet, sed tantũ ex mea
voluntate, qui ad id significandum præ
cæteris Irim assumpsi, cum aliam quam-
† Eccle. 43.6.12 libet rem ad idem potuissem adhibere. †
Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit
arcus meus in nubibus, & recordabor, qua-
tenus recordari vos faciam *fœderis mei vo-*
biscum, & cum omni anima viuente, quæ car-
nem vegetat. Re enim ipsa & factis decla-
rabo, me promissorum meorum esse me-
morem, eaquè præstabo: *& non erunt vl-*
tra aquæ diluuij ad delendum vniuersam car-
nem. Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, C.
& vt semper certi, semperquè securi sitis,
nullo tempore deinceps futurum dilu-
uium, *recordabor*, memoriam vestram exci-
tando, vt reminiscamini *fœderis sempiterni,*
quod pactum est inter Deum & omnem ani-
mam viuentem, vniuersæ carnis, quæ est su-
per terram. Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit
signum fœderis, 4 *quod constitui inter me &* IIII.
omnẽ carnẽ super terrã, habilius quidẽ secun-
dum naturam suam alijs rebus omnibus, &
accõmodatum magis ad præsignandum id
ad quod significandum institutum est. *Erãt*
ergo filij Noe, qui egressi sunt de arca Sem,
Cham, & Iapheth: porro Cham ipse est pater
Chanaan, nondum nati, quando ex arca e-
gressi fuerunt, sed nascituri: cuius potissi-
mum mentionem fieri oportet, quia iste
fuit origo Chananæorum, quorum terram
Deus postea contulit Hebræis in habita-
tionem, ac possessionem. *Tres isti filij sunt* D.
Noe: nequè enim post diluuium alium quẽ
quam generare potuit, cum sexcentorum
annorum ætas iam effœta, nec potens gene
randi fuerit, præsertim tot tantisquè ærum
nis ac calamitatibus exercita & contrita: *&*
ab his disseminatum est omne genus hominum
super vniuersam terram ob eximiam effica-
ciam benedictionis, quam Deus filijs Noe
impertiuit. *Cœpitq;* † *Noe vir agricola exer-* † 35.d. c.ante.
cere terram, non quòd ante eum non fue-
rint alij agricolæ terram exercentes, sed
quia Noe primus fuit post diluuiũ qui agri
colã ageret, vel quia autor fuit agriculturæ,
inuenta ratione exercendi terram per ani-
malia, ac arandi vomere, primus quippe
fuit, qui aratra manu solerti fecit: *& planta*
uit vineam: nam vites ante diluuium fuerant
tantum esui; Noë verò primus vitisator
fuit, & vites sparsim satas in vnũ locum, *&*
in formam vineæ, seu in vineta distribuit,
plãtauit & coluit: & licorẽ inde in potũ ex
pressit, quo potu antea homines vsi nõ fue
rant: sed Noë eius rei primus experimentũ
fecit. *Bibensque vinum* largius quàm oporte
bat, existimando tamen parẽ in potu aquæ
atquè vini esse vim, *inebriatus est*: seniores
enim præsertim vino insueti citissimè ine-
briãtur ob paucitatem, ac debilitatẽ sui ca-
loris ab eo qui accedit ex vino facilè deui-
cti: *& nudatus iacuit in tabernaculo suo.* Non
quòd se Noë nudus in terrã proiecerit, nec
spõte denudauerit: sed quia solitũ est dor-
mientibus iactare mẽbra, & tegumẽta disij
cere; præsertim si mentis cõpotes nõ sint.
Quod

Digitized by Google

2.q.2.c. qualit & c.plerum que. 15. q.5. c. de crimine. † Quod cũ vidisset Cham, qui tam natura, quã vitijs & sceleribus simillimum sui genuit filium, erat enim *pater Chanaan, verenda scilicet 5 patris sui esse nudata*, hoc est, partes humani corporis naturaliter destinatas, ac seruientes generationi prolis, *nunciauit* cum contemptu & irrisu *duobus fratribus suis foras*, ad eius irrisionem illos prouocans. *At verò Sem & Iapheth*, obiurgato in primis ab ipsis fratre Cham, ne fœditas nuditatis paternæ plurium oculis pateret, & inde cresceret patris ignominia, *pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, faciesque eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt*, exẽplũ præbentes omnibus seculis memorandum, tum insignis reuerentiæ paternæ, ac pietatis officij, tum castissimi animi & laudatissimi pudoris. *Euigilans autem Noe ex vino*, vidensquè pudenda sua propria veste nudata, & alieno pallio contecta, causam eius rei quæsiuit ex filijs Sem & Iaphet, atque hac ratione ad narrandum quod acciderat, fuerunt compulsi. Igitur *cum didicisset, quæ fecerat ei Cham filius suus minor*, non quidem adolescentior ætate, cũ vbicumquè nominantur tres filij Noe, semper Cham memoratur secundus, sed minor sensu, & moribus, & etiam dignitate, *ait* nõ ardore vindictæ, sed sanctissimo zelo iustitiæ, & afflatus spiritu prophetico. † *Maledictus Chanaan* 6 filius Cham *seruus seruorum* infimo, ac vilissimo seruitutis genere *erit fratribus suis. Dixitquè*, idem Noe subdens mercedem reuerentiæ ac pietatis, quam sibi alij duo filij Sem, & Iapheth præstiterunt: *Benedictus erit Dominus Deus Sem.* Veri enim Dei fides ac cultus in sola posteritate Sem manebit, posteris non tantũ Cham, sed etiam Iapheth, ad idololatriã dilabentibus. Et idcirco solus Deus, quem colet Sem & posteritas eius, erit benedicendus & laudandus. *Sit Chanaan seruus eius*, quod tunc adimplendum erit, quando posteri Chanaan gens, scilicet Chananæorum seruitio posterorum Sem, idest, Hebræorũ erunt mancipandi. *Dilatet Deus Sapheth*, non solum quantum ad prolem, numerosissimam illi progeniem, & posteritatem præbens, sed etiam quantum ad loca, dum eius posteri multas & varias terræ plagas peragraturi, & habitaturi sint, futurique multarum gentium atquè regnorum conditores: *& habitet in tabernaculis Sem*, tum per vnionem futuram Gentilium & Iudæorum, quando posteri Iapheth, idest, Gentiles (cum antea non solum disiuncti, sed etiam discordes, atq; inimici fuerint Iudæis, genus trahẽtibus ex Sem) postea per Christum Dominum illis copulabuntur. Tum etiam per eiectionem Hebræorum à proprijs tabernaculis, videlicet à vera Dei fide, & cultu, & sacrarum literarum eloquijs: in quæ tabernacula intrabunt gentes ad Christum conuersæ. *Sitque Chanaan seruus eius*, quando Romani, qui ex stirpe Iapheth orientur, terram Chananæorum etiam subiugabunt. *Vixit autem Noe post diluuium trecentis quinquaginta annis. Et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est*, post peractam vitam omnium mortalium longissimam, duobus tantum exceptis Iared scilicet & Mathusala. Namquè ipso Adamo longæuior fuit Noe viginti annis, breuioris tamen vitæ fuit quàm Iared annis duodecim, & quàm Mathusala decem & nouem.

Margin: V. (at "nunciauit"); IIII.; D.; 96. dist. c. in scripturis. (at "Maledictus"); † 35. c. anti.; VI. (at "fratribus suis")

ANNOTATIONES IN CAPVT IX.

I. *Mira post diluuium propagatio.*

ET Replere terram.] Quod hoc in loco promisit Deus, procul dubio contigit: nam eo tempore, quod inter diluuium, & ortum Abrahæ intercessit, hoc est, intra trecentos annos, tam numerose propagatum est humanum genus, vt autore Ctesia narret Diodorus libro tertio Ninum, Monarchiæ Assyriorum conditorem (cuius imperij quadragesimo tertio anno natum Abraham facit Eusebius in Chronico) habuisse in exercitu peditum decies septies centena millia, equi, tum verò ducenta millia, currus autem falcatos paulo minus decem millibus & sexcentis, eodemque tempore Zoroastem Bactrianorum Regem cum Nino præliaturum quadringentorum millium hominum comparasse exercitum.

II. *Esus carnium nõ præcipitur, sed cõceditur.*

ERit vobis in cibum.] In verbis istis non imponitur præceptum edendi carnes, sed indulgentia Dei paterno affectu consulentis infirmitati hominis indicatur. Non igitur contra Dei voluntatem & sententiam faciunt qui carnibus abstinent, vel quo viuant castius, vel quo intensiori animo & ardentiori studio ad diuinarum precationum, & meditationum exercitationem incumbant, vel quo pro peccatis suis dignè Deo satisfaciant, vel denique vt suscep-

ta regiosæ vitæ rationem, & Disciplinam vsque ad extremum spiritum conseruent.

Arcum meum ponam.] Arcum cælestem appellat Deus arcum suum propter eximiam pulchritudinem ipsius: ea enim quæ aliquam excellentiam præseferunt, Dei dicuntur esse: vt Psalm. 36. Iustitia tua sicut montes Dei, id est sicut altissimi montes, & Psalm. 79. Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei: & 1. Paralip. 12. Sed & per singulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vsquè dum fieret grandis numerus, vt exercitus Dei, idest, maximus. Huius autem arcus decor, & pulchritudo describitur Ecclesiastic. 43. His verbis: Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum.

III. *Iris cur vocetur Arcus Dei.*

Hoc erit signum fœderis.] Plures sunt causæ, ob quas signum istud fuit magis accommodatum, quàm aliud quodcunque ad præsignandum id, ad quod significandum institutum est. Prima, quidem: quia ob eius insignem magnitudinem, ob eximiamquè pulchritudinem, & tandem ob celsitudinem loci, in quo apparet, est omnibus conspicuum, maximequè notabile, ac proinde habet esse potens & efficax protinus excitandi in hominum animis diuini fœderis, & promissi memoriam, eamq; subinde renouandi, & perpetuo custodiendi. Deinde quia in nubibus generatur, & apparet, & quia ex nubibus, & pluuijs Noeticum diluuium magna ex parte prouenit, prouidentissime Deus voluit Iridem, quæ in nubibus est, signum homini esse non venturi diluuij, vt inde metus discuteretur, vnde diluuij generatio timeri poterat. Ad hæc, Iris ferè signum esse solet, aut futuræ serenitatis, aut non magnæ, nec diuturnæ pluuiæ: quamobrem quod attinet ad causas naturales certum signum est, vbi apparet, ibi diluuium naturaliter, & cito fieri non posse.

IIII. *Iris conueniēs signum nullatenus futuri diluuij*

Verenda scilicet.] Ea ratione partes humani corporis destinatæ, ac seruientes generationi prolis, verenda vocantur, quia præ cæteris omnibus membris, hominem ratione vtentem magno afficiant pudore propter obscenos earum motus, quibus animus ad res turpes, & flagitiosas incitatur, & propter inobedientiam earundem erga rationem. De qua re videantur Diuus Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 17. & Cicero libro primo, officiorum.

V. *Verenda cur sic vocantur.*

Maledictus puer Chanaan.] Peccante filio nepos maledicitur, quia cum Deus benedixisset omnibus filijs Noë, quando de arca sunt egressi, noluit pater cuiquam illorum maledicere, nefas ratus cui Deus benedictionem suam impertitus est, se maledictionem tribuere: sed nepos maledicitur, vt expressius magnitudo sceleris Cham ostenderetur; quòd tantum fuerat vt non in ipso solum, sed etiam in aliquo filiorum eius, eiusdemque posteritate puniri dignum fuerit.

VI. *Peccante filio cur nepos maledicatur.*

ARGVMENTVM IN CAPVT X.

¶ *A tribus filijs Noe, videlicet, Iapheth, Cham, & Sem disseminatum est totum genus humanum post diluuium, horum namque posteri vniuersos gentium ritus instituerunt, ac diuersas terræ prouincias inhabitarunt: nec tamen omnium earum prouinciarum hoc in loco fit mentio, sed dumtaxat earum, quæ in alijs Sacræ Scripturæ libris commemorantur.*

PARAPHRASIS IN CAPVT X.

1. Par. 1
ar. 5.
A. HÆ *Sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Iapheth: natiq; sunt eis filij post diluuium,* quos recensere oportet, vt in filijs vniuscuiusq; ostēdatur verissimus exitus & effectus, tam benedictionis Sem, & Iapheth, quā maledictionis Cham, quam eis impertiuit Noe. *Filij*
I. II. *Iapheth* 1 primus fuit *Gomer* 2 cuius posteri eam partem Asiæ occuparunt, quæ comparatione Iudeæ aquilonaris est, seu Septētrionalis, non procul à Palæstina, *& Magog* pater Magogæorum, seu Scytharum, è quibus origo est Tartarorum, ac Turcarum, *& Madai*, à quo orti sunt Medi in Asia maiori percelebres, *& Iauan* 3 ex quo sunt Iones III.
parentes Græcorum, *& Thubal* à quo Tubalęi populi Asiatici, sed Syriæ & Arabiæ vicini, originē ducūt, *& Mosoch*, à quo Mosochęi populi Asię & Arabię Cedarenis vicini

Digitized by Google

IIII. cini procedunt, *& Thiras*, 4 qui fuit vlti-
mus filius Iaphet. *Porro filij Gomer* fuerunt
Ascenez, cuius posteri fuerunt de populis
Asiaticis, incolæ quorũdam populorũ Asię
ad Imperium Medorum pertinentium, *&*
Riphath, à quo originem duxerunt Riphęi,
vel Riphatæi, quos postea Græci dixere
Paphlagones, *& Togorma* pater Togor-
męorum habitantium in Asia. *Filij autem*
Iauan alterius filij Iapheth fuerunt *Elisa*, à
V: quo orti sunt Græci, qui dicti sunt AEoles,
VI. *& Tharsis* 5 pater Cilicorum, *Cetthim* 6 à
quo procedunt habitatores quarundam in
sularum Maris Mediterranei, præsertim
autem AEgypto & Syriæ proximarum,
qualis est Cyprus, *& Dodanim* à quo Rhodij
originem ducunt. *Ab his* quatuor filijs Iauã
videlicet Elisa, Tharsis, Cetthim, & Doda
nim *diuisæ sunt* & occupatæ *insulæ gentium*
in regionibus suis, scilicet insulæ Maris Me-
diterranei, & ipsa Europa, quæ secundum
existimationem Iudęorum inter insulas cõ
numeratur, *vnusquisque secundum linguam*
suã quã accepit in diuisione linguarũ postea
memoranda, *& familias suas in nationibus*
suis. Alij verò filij & posteri Iapheth popu
los Asiaticos disseminarunt, vt supra dictũ
est de Gomer, Magog & Madai. *Filij autem*
Cham fuerunt *Chus*, à quo originem ducunt
AEthiopes Orientales, quorum terram Ge
VII. hon fluuius præterlabitur, *& Mesraim*, 7
qui vna cum suis posteris eam prouinciam
occupauit, quæ postea ab AEgypto Danai
fratre AEgyptus nominata est, *& Phuth*,
qui Lybiæ dedit colonos, de suoquè nomi
ne Phutos dici voluit. Mutauit autem re-
gio illa (quæ vicina est AEgypto) nomen
Phuth in Lybiam ab vno filiorum Mes-
raim, qui vocabatur Lybys, *& Chanaan*, cui
Noe pro scelere patris sui Cham, maledi-
xit; ab hoc regio, quam insederunt Hebręi,
appellata est Chananæa, vel Chanaan. *Filij*
VIII. *Chus* primogeniti Cham fuerunt *Saba*, 8
qui originem; & nomen dedit Sabæis, fœli
cem Arabiam incolentibus, *& Heuila*, à
quo Heuilæi cognominati sunt, qui terras
coluerunt versus sinũ Persicum, *& Sabatha*
cuius progenies metropolim quandam A-
rabiæ fœlicis vocatam Sabatha inhabita-
uit: vnde Sabathæi Chusæis & Sabæis in-
telliguntur permisti, *& Regma*. Huius po-
steri Regmæi, vicini & socij fuerunt Sabęo
rum, eandemquè aut certè vicinam regio-
nem coluerunt: *& Sabatacha*, cuius genus
longius profectum in extremas Arabiæ
fœlicis oras Oceanum versus recessit, at-
què ob eam causam, nec Iudæis nec Syris
notum fuit. *Filij Regma*, quarti filij Chus
fuerunt *Saba* 9 pater eorum, qui eam par-
tem fœlicis Arabiæ incoluerunt, quæ ma- IX.
gis ad sinum Persicum vergit; *& Dadan*, 10 X.
seu Dedan, à quo Dedanæi exierunt, qui
fuerunt populi Idumæis maximè coniun-
cti, aut etiam misti & confusi. *Porro Chus* B.
genuit Nemrod sextum eius filium alio no-
mine dictum Belum patrem Nini, qui cum
fuisset eo seculo famosissimus, separatam
propriamquè meruit narrationem; † *ipse* † *6. dist.*
cœpit esse post diluuium corporis mole, ro- *c. non est*
bore, audacia, superbia & crudelitate *potens* *§. ius ve-*
in terra; & erat robustus, & fortis *venator*, nõ *ro.*
solùm ferarum, circa quas quædam bello-
rum progymnasmata exerceri solent, sed &
venator hominum, quo nomine insidiosi,
& violenti hominum oppressores meta-
phoricè nuncupantur, *coram Domino*, hoc
est, in rei veritate. Deus enim iudicat & ęsti
mat rem vti est, non sic homines, quorum
existimatio & iudicium sępe fallax existit.
Ob hoc exiuit prouerbium, *&* ob tantam de
eo apud homines eius temporis existima-
tionem, & famam, vt cum demonstrare vel
lent aliquem audacissimum & fortissimũ,
esse dicerent, quòd esset *quasi Nemrod, ro-*
bustus venator coram Domino, ob insignis ro
boris præstantiã. *Fuit autem principium reg-*
ni eius Babylon, quam ipse primò ędificauit.
Quamuis enim Semiramis vxor Nini, &
Nabuchodonosor ob eximias huius vrbis,
instaurationes, de eius ędificatione se se glo
riauerint, nihilominus Nemrod fuit, qui
primò Babylonem fundauit, eamquè ca-
put regni constituit. Postea verò lon-
giùs progressus alias quoque vrbes, & gen-
tes regno suo adiecit; vnde non sola Ba-
bylon fuit sedes regni sui, sed *& Arach*,
idest Edessa, *& Achad*, hoc est Nisibin,
& Chalanne, quæ est Seleucia, vel Ctesi-
phon *in terra Senaar*: vbi ædificata est
turris Babylon, quæ regio propriè dicta
est Babylonia. *De terra illa Sennaar egres-*
sus est ad alias gentes subiugandas, alia-
què regna capessenda non contentus pa-
terno regno, ditione, scilicet, & do-
minatione terræ Babylonicæ *Assur*, non
filius ille Sem, cuius infra fiet mentio,
sed Ninus filius prædicti Nemrod, qui
ob Monarchiam insignem Assyriorum à
se debellatam Assur quoque vocatus
est, *& ædificauit Niniuen* de suo nomi-

ne eam vrbem vocans, *& plateas ciuitatis,*
quæ multitudine & magnitudine insig-
nes erant, *& Chale, Resen quoque inter Nini-*
uen & Chale, qui erãt duo vici percelebres
XI. vrbi coniuncti. *Hæc est ciuitas magna,* 11.
adeò vt nec ante, nec post habuerit parẽ.
Ambitus enim vrbis Niniues erat quadrin
gentorum octoginta stadiorum, idest, sexa
ginta mille passuum, altitudo murorum
erat pedum centum, latitudo, qua tres cur-
rus simul incederent; turres mille & quin-
gentæ, singulæ altitudinis ducentorum pe
dum. *At verò Mesraim* secundus filius Chã
genuit plures gentium nationes, videlicet
XII. *Ludim,* 12 qui regionis Mauritaniæ in
Aphrica fuerunt incolæ, & situ animo-
que, ac fœdere coniuncti cũ AEgyptijs, *&*
Anamim, & Laabim, Nephthuim, & Phetru-
sim, quæ gentes ignotæ sunt, quia bello
AEthiopico subuersæ perierũt; *Et Chasluim*
primogenitores Philisthinorum & Capa-
docum, quos nonnulli vocant Pentasce-
næos: *de quibus egressi sunt Philisthijm,* qui
loca Chananæorum à fluuio turbido, qui
irrigat AEgyptum, vsque ad terminos
Acharon contra Aquilonem per vim eie-
ctis Chananæis postea obtinuerunt. *Et*
XIII. *Capthorim* 13 etiam egressi sunt degenere
C. Chasluim. *Chanaan autem genuit Sidonem*
primogenitum suum, à quo gens Sidoniorũ
sæpesæpius in scriptura nominata origi-
nem duxit; *Hethæum* patrẽ Hethæorũ, qui
loca illa incoluerunt, quæ circa Bersa-
bæam sunt, *& Iebusæum,* cuius progenies
tenuit vrbem Hierusalem vsque ad prin-
cipatum Dauidis, ab eaque nominata fuit
Iebus; *& Amorrhæum* habitantem trans
Iordanem vsque ad tempus Moysis, à quo
Og Rex Amorrhæorũ debellatus est, eius-
que terra assignata fuit duabus tribubus
Gad & Ruben, & dimidiæ tribui Manas-
ses: *Gergesæum,* qui coluit partem terræ
promissionis; *Heuæum,* cuius generis reli-
quiæ manserunt in terra promissionis vs-
que ad principatum Salomonis; *& Ara-*
cæum, à quo conditore ciuitas Arcas in ra-
dicibus Libani sita, nomen accepit; *Si-*
XIIII. *næum* 14 incolam deserti Sinai, vel loco-
rum ei monti vicinorum; *& Aradium,* à
quo insula Aradi iuxta Phœnicen ab eius
posteris inhabitata nomen sortita est;
Samaræum patrem Samaritanorum inha-
bitantium montem Semeron, qui ab alio
proximiori parente vocati sunt Phere-
zæi, *& Amathæum,* qui nomẽ dedit ciuita-
ti & regioni Amath seu Emath. *Et post hæc*
per hos vndecim filios Chanaã *disseminati*
sunt populi Chananæorũ, quorũ quidã specia
lia nomina sibi asciuerunt: vt Iebusæi, Phe-
rezæi, & cæteri huiusmodi; alij verò vel pie
tatis, vel honoris causa nomen Chanaan,
qui omniũ illarũ gẽtiũ parens & autor fue-
rat cõseruauerũt, & vocati sunt Chananæi.
Factique sunt termini Chanaan, omnium vi-
delicet prouinciarum, quas prædicti filij
Chanaan inhabitarunt: (nam particularis
prouincia Chanaan alios terminos habuit)
venientibus à Sidone, quæ se tenet prope ter
minum Septentrionalem vsque *Geraram*
respicientem ad australem plagam, & præ-
terea versus Occidentem pertingebat *vs-*
que Gazam, quæ adiacebat marimagno
idest mediterraneo *donec* à parte Orientis
ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, & Ada
mam, & Seboim. Hæ namque ciuitates vna
cum Segor propter eius paruitatem omis-
sa in regione Pentapolis sitæ, Chananæos
cingebant ad Orientem, *vsque Lesa,* quæ
postea Callirrhoe dicta est. *Hi sunt filij*
Cham quos supra recensuimus, *in cognationi*
bus, quia vnusquilibet eorum, qui hîc sunt
nominati, perse fecit vnam cognationem
siue familiam; *& linguis,* quia quilibet isto-
rum diuersam quoque linguã sortitus est,
non quidem statim, vt natus est, sed post-
quam propter ædificationum turris diui-
sio linguarum facta est; *& generationibus,*
quia quisque supradictorum diuersam ha-
buit progeniem, neque enim isti misceban
tur interse, vt ex ipsis vna aliqua coalesce-
ret progenies; *terrisque,* quia post diuisionẽ
linguarum diuersa terræ loca petierunt,
diuersasque terræ regiones inhabitarunt,
& gentibus suis; non enim isti erant vna gẽs
sed diuersæ gentes, diuersis nominibus di-
stincti. *De Sem quoque nati sunt* filij; de
Sem, inquam, filio Noe & *patre omnium fi-*
liorum Heber, ac tot tantorumque virorum,
qui in eis claruerũt, *fratre Iapheth maiore,* ad
dignitatẽ quippe Sem pertinet, quòd ma-
ior natu & dignitate fuerit, quã Iapheth. XV.
† *Filij Sẽ* fuerũt quinque, videlicet *Ælã,* 15 † 1. Par. 1. b. 17.
à quo AElamitæ, in quorum regione Su-
san Metropolis Persarum sita fuit; *& Assur*
pater Assyriorũ, *& Arphaxad,* à quo Chal
dæi; *& Lud* qui Lydorum Asianorum pro-
genitor fuit, sicut & alter eiusdem nominis
supra inter posteros Misraim commemo-
ratus Lydorum Aphricanorum pater exti
tit; *& Aram,* qui Mesopotamiam Syriæ
sibi

sibi & suis posteris patriam delegit. *Filij Aram Hus*, Trachonitidis conditor, atque inter Palæstinam & Cœlesyriam principatum tenens; *& Hul*, à quo Armeni, *& Gether*, à quo Acarnanij, seu Carij, *& Mes*, cuius filij vocari solent Mæones, vel Mosochitæ. *At verò Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber*, vt latius postea dicetur. *Natique sunt Heber filij duo, nomen vni* à patre impositum ob rem memorabilem, quę illis diebus contigerat fuit *Phaleg* quod interpretatur diuisio, *eo quod in diebus eius*, hoc est eo anno, quo Phaleg natus est *diuisa sit terra*, secundùm diuersas linguas, & secundùm profectionem hominum ad diuersas terræ partes incolendas, *& nomen fratris eius Iectan. Qui Iectan genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, Iare, & Adurã, & Vzal, & Decla, & Hebal, & Abimael, Saba, & Ophir, & Heuila, & Iobab. Omnes isti filij Iectan*, quorum posteri à Cophene fluuio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Ieria inhabitarunt. *Et facta est habitatio eorum*, nempe filiorum Iectan, *de Messa pergentibus vsque Sephar montem orientalem.* Messa enim regio, & mons Sephar in India continentur. *Isti sunt filij Sem secundùm cognationes, & linguas, & regiones in gentibus suis*, non minus à se inuicem separati atque distincti, quàm filij Cham, de quibus id ipsum superius prolatũ est. *Hæ familiæ Noe iuxta populos & nationes suas*, nõ quod multo plures his, qui supra memorati sunt, nõ fuerint filij Sem, Cham, & Iaphet, sed propterea non alij, quàm supradicti hic commemorantur, quia alij nascendo istis accesserunt, nec ipsi diuersas gentes condiderũt, aut denominauerunt. *Ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium*: nam cæteri posteri Noe gẽtes propter quas cõmemorari debuissent, nõ cõdiderũt, sed sicut nascebantur alijs gentibus addebantur.

D.

ANNOTATIONES IN CAPVT X.

I. *Filij Iaphet cur prius recenseantur.*

FIlij Iaphet.] Circa generationes, quæ in hoc toto capite referuntur, videatur pro commentario Iosephus lib. 1. Antiquitatis Iudaicæ cap. 7. In quibus generationibus recensendis exorsus est Moyses à Iaphet minimo filiorum Noe procedẽs vsque ad maximum, qui fuit Sem, quia de progenie Sem omnis sequẽs historia subtexenda erat.

II. *Filij Gomer sunt ppinqui Palæstinis.*

GOmer.] Quòd filij Gomer habitauerint non procul à Palæstina, conijci potest ex illis verbis Ezechielis cap. 38. Gomer & vniuersa agmina eius, domus Togorma latera Aquilonis: vbi describit propheta gentes, à quibus debellandi erant Iudæi, postquam è Babylone regressi fuissent in patriam. Ex vaticinio autẽ Danielis cap. 11. & ex historia Iosephi cõstat Iudæos post reditum ex Babylonica captiuitate sæpè ac vehementer vexatos esse à regibus AEgypti ab Austro, & à regibus Asiæ ab Aquilone.

III. *Iauan pater Græcorum.*

IAuan.] Quia ex isto Iauan iuxta omnium sententiam prodiere Græci, idcirco multis in scripturæ locis pro Hebræa voce Iauan Latinus interpres vertit Græciam, & pro plurali Iauanim transtulit Græcos, vt videre est apud Isaiam cap. 66. Ezechielis cap. 27. Ioe-lis. 3.

XV. † 1. Par. 1. b. 17.

IIII. *Thiras habitauit remote à Palæstina.*

ET Thiras.] Huius nusquam aliàs, nisi primo Paralipomenon cap. 1. fit mentio in scriptura, fortassè eo quòd ipse, atq; eius posteri terras insederint longè dissitas à Iudæis: eos enim ferè populos commemorare solet scriptura, qui vel Palæstinæ vicini fuerũt, vel hostiũ populi Dei castra secuti infestarunt, & vexarunt Iudæos, eos funditus omnino delere conantes.

V. *Tharsis plures habet significationes in scriptura.*

THarsis.] Nomine Tharsis primò significata est Cilicia cuius Metropolis Tarsus dicitur. Deinde extẽsum est nomẽ Tharsis ad regiones omnes, quæ sub imperio Cilicũ cõstitutæ erant, quomodo intelligenda veniunt verba illa Iudith secundo, prædauitque omnes filios Tharsis: Omnes namque prouinciæ, quæ supra mare Mediterraneum à sinu Issico, siue à portis Amani, tenduntur in Occasum, vsque ad extremos Ciliciæ Thrachææ siue Aspheræ fines, atque vlterius etiam longè, & ea, quæ à Capadocia & Pamphilia ad Lydiam & Pontum pertinent, olim dictæ sunt Tharsis: quia posterorum Tharsis erant. Eadem ratione mare Mediterraneum à sinu Issico, quod in eius fine est, vsque ad Pontum Euxinum dictum est Tharsis, vt patet Ionæ. 1. Descendit in Ioppẽ, & inuenit nauem euntem in Tharsis. Vbi Tharsis vel significat ipsum mare mediterraneum, vel loca eius maritima, quæ similiter Tharsis dicebantur, & præcipuè Carthago. Nam Isai 23. vbi nos legimus vlulate naues Tharsis. Septuaginta pro Tharsis ponunt Charchedonis idest, Carthaginis. Et Ezechielis. 27. Carthaginenses negotiatores tui, pro Carthaginenses Hebraica legit Tharsis. Translatum est quoque nomen Tharsis ad significandum mare Oceanum: vt constat. 2. Paralip. 20. vbi dicitur de rege Iosaphat, & amicis eius. Et particeps fuit vt faceret naues, quæ irent in Tharsis: feceruntque classem in Hasiongaber. Est enim Hasiongaber locus quidam ad mare Rubrum, qui nũc Berenice vocatur, à quo non poterat classis dirigi in mare Mediterraneum, sed in Oceanũ per mare Rubrum. Tãdem nomen Tharsis poni so-

ni solet pro mari absolute & in cõmuni: vnde Ezechielis primo, vbi nos habemus: Et aspectus rotarũ, quasi visio maris; pro maris legunt septuaginta Tharsis, Hebræi Tarxix: & ita intelligũt nõnulli id, quod scriptum legimus in Psal. 47. In spiritu vehementi conteres naues Tharsis. Ac si dicat impetu procellæ poteris tu Domine omnia maris nauigia obruere & dissipare. Et quia chrysolytus lapis pretiosus habet colorem maris solis radijs repercussi; ideo chrysolitus in Hebraico nomine Tharsis significatur: vt Exo. 28. vbi agitur de quatuor ordinibus lapidum pretiosorum, quibus erat ornandum Rationale sacerdotis, in quarto ordine est hæc eadem dictio, pro qua loco illo Septuaginta verterunt chrysolitos, & noster interpres chrysolitus. Et id ipsum contigit Ezechie. 10. ibi: Et aspectus rotarum & opus earũ quasi visio chrysoliti.

VI. *Cetthim pro Italis seu Romanis, et pro Græcis.*

CEtthim.] Quia Hebræi populos à se mediterraneo mari discretos omnes insularum incolas esse putabant, translatum est nomen Cetthim interdum ad significandum Italos seu Romanos: vt Numer. cap. 24. & Ezechielis cap. 27. Et Danielis cap. 11. vbi vocem Hebraicam Cetthim Latinus interpres transtulit Italiam, vel Romanos: interdum etiam ad insinuandum Macedoniam, vel Græciam, vt patet in exordio primi libri Machabęorum, & etiam cap. 8. eiusdem libri.

VII. *Ægypti solet vocari Mesraim & Terra Chã, & campus Taneos.*

ET Mesraim.] Licet sæpe & regio & gens AEgyptiorum de nomine sui conditoris appelletur Mesraim à Iosepho, ac cæteris Hebræis; quibus consentiunt Turcæ vocantes AEgyptum adhuc hodie Masra: cæterũm quia Mesraim filius fuit maledicti Cham, propterea non semel AEgyptus vocatur in scriptura terra Cham; vt videre licet in Psalm. 77. 104. & 105. vbi etiam vocatur Campus Taneos à ciuitate regia Tanis, ab amplissimaque suæ situs planitie.

VIII. *Arabes distincti à Sabæis.*

SAba.] Qui ab hoc Saba originem duxerunt, Arabes vocantur in sacris literis ad differentiam illorum Sabæorum, qui à Saba filio Regma progeniti sunt; vt in illo Psal. 71. Reges Arabum & Saba dona adducent. Vbi nomine Arabum intelliguntur posteri huius Saba filij Chus; nomine autem Saba significantur posteri Saba filij Regma: de quo statim fit mentio.

IX. *Sabæorũ regio vbi sita.*

FIlij Regma Saba.] Huius posteri dicti Sabæi fuerunt propter thura, & aurum (quorum feracissima est eorum regio) apud omnes gentes celeberrimi, latrocinijs nihilominus delectabantur: vnde illis maximè vsus est Sathã ad spoliandum bonis suis Iob, qui in terra Hus Sabææ propinqua habitabat. Et quoniam hæc Sabæa respectu Iudeæ Australis est, & ad meridiem spectans, & ab ipsa Iudæa longo terrarũ spatio distans, propterea regina huius prouinciæ, quæ ad Salomonem magna pompa venit, vocatur regina Austri, & venisse à finibus terræ, idest, à longinquis regionibus, Matth. 12. cap. Est autem discrimen in lingua Hebraica inter nomina prædictorum filij Chus, & filij Regma, quòd nomen Saba filij Chus scribitur per Samech, & nomen alterius per Sin.

X. *Dedanæi & Idumæi socij.*

ET Dadan.] Quod huius posteri fuerint maximè coniuncti Idumæis, vt dicitur in paraphrasi, constat: quia Ieremias cap. 49. & Ezechi. cap. 25. cum de vastatione & excidio Idumæorum vaticinantur, vna cum Idumæis consociant, & coniungunt Dedanæos tanquã socios, & affines, odijque, & crudelitatis aduersus Hebræum populum participes.

XI. *Niniues magnitudo.*

CIuitas magna.] Magnitudinem ciuitatis Niniues, quam in paraphrasi commemorauimus, refert Diodorus Siculus lib. 3. rerum antiquarum cap. 1. cui attestatur Strabo libro decimo sexto affirmans eiusmodi vrbem Babylone fuisse maiorem. Et D. Hieronymus super Ionam cap. 3. ait, tanti ambitus eam fuisse, vt vix trium dierum posset itinere circumiri.

XII. *Lidij cõiũcti Ægyptijs.*

LVdim.] Quòd Ludim seu Lydij fuerint AEgyptijs coniũcti, colligitur apertè ex Ierem. cap. 46. & Ezechie. cap. 30. quos enim isti prophetæ Lydos vocant, Hebraica lectio nominat Ludim. Hi autem Lidij possunt dici Africani, ad differentiã Lydorum Asianorum, qui, vt in hoc eodem capite dicitur, à Lud filio Sem duxerunt originem.

XIII. *Caphtorim ijdẽ quod Cappadoces.*

ET Caphtorim.] Hos alibi semper Græcus & Latinꝰ interpres appellat Cappadoces; sicut & Caphtor, Cappadociam, vt patet Deuteron. cap. 2. non quod Caphtorim fuerint veri Cappadoces habitantes regionem latissimam, proximam Põto, & Tauro; sed quia erãt gens alia commune cum Cappadocibus nomẽ habens.

XIIII. *Sinæi diuersi à Cynæis.*

SInæum.] A Sinæis diuersi admodum fuere Cynæi, genus ducentes ex Hobab filio Raguelis, qui Moysis socer fuit, & is peregrinationis Iudæorum in deserto non solùm comes, sed etiam quasi rector fuit. Huius posteri intra possessionem terræ Chanaan admissi à Iudæis, partim cum tribu Nephtali, partim etiam cum Amalecitis misti habitarunt: vt Iudi. 1. & 4. & lib. 1. Regum cap. 15. constat. Et postea ab Assyrijs destruendos prædixit Balaam Numerorum. 24.

XV. *Susa sita est in Ælam.*

FIlij Sem AElam.] Quòd Susa vel Susan ciuitas insignis (cuius frequens fit mentio in libro Hester) sita fuerit in regione AElã, apertè colligitur ex Danielis cap. 8. vbi inquit propheta: Vidi in visione mea, cum essem in Susis castro, quod est in AElam regione.

ARGVMENTVM IN CAP. XI.

¶ Dum ædificatur turris Babel à posteris Noe causa celebrandi propriam

Digitized by Google

propriam famam, repressit Deus eorum superbiam, suborta repente confusione linguarum, postquam dispersi in diuersas terræ plagas dissociati sunt ab inuicem. Ab vnaque illorū familia ortus est Thare pater Abram, qui fuit filius Nachor, filij Sale, filij Caynan, filij Arphaxad, filij Sem, mortuus est autem Thare in Haran.

X.

PARAPHRASIS IN CAP. XI.

Sap. 10. 4.5. A. ERAT *autem terra*, idest, vniuersum hominum genus, quod habitabat in terra, *labij vnius, & sermonum eorundem*: eadem quippe lingua & oratione vtebantur non solum quantùm ad voces, sed etiam quantùm ad modum proferendi illas, eandem Phrasim ac loquēdi stylum seruātes. *Cumque* centesimo anno post diluuium *proficiscerentur* tam Noe, quàm eius posteri *de oriente*, vbi aderant montes Armeniæ, in quibus arca finito diluuio resederat, & in quibus Noe & eius posteri per illos centū annos, qui post diluuium fluxerunt, habitauerant; *inuenerunt campum in terra* postea vocata *Senaar*, hoc est, excussio dentium, ob amissionem vocis antiquæ, quæ in eo loco hominibus contigit, *& habitauerunt in eo*, quousque incessit eos homines ambitiosa quædam & vesana cupido aggrediendi & perficiendi magna aliqua opera, & in omne posteritatis æuum famosa. Ad quorum executionem summo consilio se inuicem inuitauerunt. *Dixitque alter ad proximum suum: Venite faciamus lateres*, quando quidem in terra ista campestri saxa nobis non suppetunt, *& coquamus eos igni*, quò solidius & firmius ac diuturnius sit ædificiū, quod facere intendimus. *Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cemento* seu pro glutine, quo materia structuræ conglutinaretur, & cohæresceret, sicque tenacior & firmior redderetur. *Et dixerunt* quidam eorū videlicet Nemrod & eius asseclæ: † *Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim* quandam inter reliquas eiusdem ciuitatis præcipuam, omniumque celsissimam, *& cuius culmen* tam insuitatam ac incredibilē habeat altitudinem, vt quasi *pertingat ad cœlum*, hyperbolicè loquendo, *& celebremus nomen nostrum*: famamque apud omnes, omnique æuo celeberrimam relinquamus, *antequam diuidamur in vniuersas terras*, diuisi nāque non ita poterimus celebrare nomen nostrum.

6. dict. c. non est. 9. ius vero.

I.

Descendit autem Dominus, nō quidem corporali motu, sed speciali cura & prouidentia, quam circa superbiam & impietatem hominum turrim ædificare volētium exercuit; quamdiu enim Deus hanc curam, non ostendebat, in cœlo residere videbatur, nunc autem descendit, *vt videret* non festinanter, sed lōganimiter, & quasi tempus sumens ad cognoscendum & perpendēdū *ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam*, quem hi specialiter imitabantur, dum nomen æternum sibi adquirere, & vsque in cœlum turrim ædificare voluerunt, sicut & Adam fructum vetitum ausus est comedere, diuinam scientiam cōcupiscens & affectans. *Et dixit* Deus antequā descenderet, quod enim de descēsu Domini hucusque dictum est, per anticipationem intelligi debet: *Ecce vnus est populus & vnum labium omnibus*: nam duplex est vnitas, qua homines isti confisi ausi sunt tātum opus aggredi. Altera quidem vnitas communitatis, & societatis popularis: Altera verò vnitas labij, idest linguæ, propter quam cùm omnes inter se, se intelligant, alijque alios incitent, nihil profecto attentabunt, quod non facilè perficiant, ac præstēt. *Cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*, nisi virtute diuina prohibeantur. Quapropter ne horum hominum superbia & impietas magis ac magis crescat, duas illas vnitates, quarum fiducia efferuntur, demoliamur. B. *Venite igitur* Angeli ministri mei ac cooperatores, *descendamus* quantum ad operationem & effectum, qui non in cœlo, sed in terra, quæ infimus locus est comparatione cœli, fieri debet: *& confundamus ibi linguam eorum*. a Cum enim dominatio imperantis in lingua sit, in illa damnare superbiam conueniens erit supplicium, *vt non audiat* auditione cū intellectu cōiūcta, quali- II.

lis est propria hominis auditio, *vnusquisq; vocem proximi sui*, qui alterius fuerit fami-
liæ; nam pro diuersitate familiarum etiam
linguarum diuersitatem existere oportet,
non autem pro diuersitate personarum, ne
omnes inuicem dissociati proculdubio pe-
reant. *Atque ita* confundendo scilicet lin-
guas eorum *diuisit eos Dominus ex illo loco
in vniuersas terras*, dum quisque ab eo, quē
non intelligebat, abscederet, nec se nisi cū
quo loqui poterat aggregaret. *Et cessaue-
runt ædificare ciuitatem*; nam linguarum re-
pentè oborta confusio sacrilegos ausus ho
minum, nefandosque compescuit. *Et ideir-
co vocatum est nomen eius* ciuitatis *Babel*, nō
à Belo, qui pater fuit regis Nini, & quem
vt Deum inprimis Chaldæi & Assyrij co-
luerunt, sed *quia ibi confusum est labium vni
uersæ terræ*: dum homines, qui antea indiffe
renter vna lingua vtebantur, confusi sunt
& perturbati; ob plurimas & diuersissimas
linguas tunc inuentas, *& inde dispersit eos*
III. *Dominus* 3 *super faciem cunctarum regionum*
ad maximam humani generis vtilitatem &
prosperitatē. *Hæ sunt generationes Sem* per
filium Arphaxad, quas exactiùs, quàm in
capite præcedenti connumerare & recen-
† 1. Par. 1. b. 19. sere oportet. † *Sem erat centum annorum,
quando genuit Arphaxad biēnio post diluuiū.
Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad,
quingentis annis: & genuit filios & filias.* Nec
oportet dicere quòd mortuus est, sicut sub
ditur in serie generationum, quæ fuerunt
ante diluuium, quia nemo est in tota hac
complexione nascentium post diluuium,
de quo tanquam ex cæteris mortalibus ex-
cepto, dici possit, quod tunc de Henoch di
ctum est: Ambulauit cum Domino, & non
apparuit, quia tulit eum Deus. *Porrò Arpha
xad vixit triginta quinque annis & genuit Sa*
IIII. *le*, 4 non quidem immediatè, sed quia hac
ætate genuit Cainan; qui Cainan postea ge
nuit Sale. *Vixitque Arphaxad postquam ge-
nuit Sale*, seu postquam cœpit illum gene-
rare, generando Cainan, *trecentis tribus an-*
C. *nis, & genuit filios & filias. Sale quoque* post
quam genitus est à Cainan, *vixit triginta*
V. *annis*, 5 *& genuit Heber. Vixitque Sale, post-
quam genuit Heber quadringentis tribus an-
nis, & genuit filios & filias. Vixit autem He-
ber triginta quatuor annis, & genuit Pha-
leg. Et vixit Heber postquam genuit Pha-
leg quadringentis triginta annis, & genuit fi-
lios & filias. Vixitquoque Phaleg triginta an-
nis, & genuit Reu. Vixitque Phaleg, postquam
genuit Reu, ducentis nouē annis, & genuit fi-
lios & filias. Vixit autem Reu triginta duobus
annis, & genuit Sarug. Vixitquoque Reu, post
quam genuit Sarug, ducentis septem annis, &
genuit filios & filias. Vixit verò Sarug trigin-
ta annis, & genuit Nachor. Vixitque Sarug,
postquam genuit Nachor, ducentis annis, & ge
nuit filios & filias. Vixit autem Nachor vi-
ginti nouem annis, & genuit Thare. Vixitque
Nachor, postquam genuit Thare, centum decem
& nouem annis, & genuit filios & filias. Vi-
xitque Thare* † *septuaginta annis, & genuit*, † 1. Par.
hoc est cœpit generare *Abram, & Na-* 1. b. 28.
chor, & Aran 6 eo quippe anno genuit pri Iof. 24. a. 2.
mogenitum istorum, qui fuit Aran, postea
Nachor, & cum esset centum triginta an- VI.
norum genuit Abram. *Hæ sunt autem gene-
rationes Thare. Thare genuit Abram, Nachor,
& Aran*, & etiam Sarai, quam genuit ex
alia vxore distincta à matre Abram. *Porro
Aran genuit Lot. Mortuusque est Aran ante
Thare patrem suum*, ipso scilicet patre viuē
te ac superstite, *in terra natiuitatis suæ in Vr
Chaldæorum*, hoc est in vrbe, quæ Vr Chal-
dæorū vocabatur. † *Duxerunt autē Abram* † 35. q. 1. c. 1. &
& Nachor vxores, nomen vxoris Abram, eadem c.
Sarai, quæ soror sua erat non vterina, qua- ac itaque
lem tunc temporis maximè ex defectu fœ Sarai.
minarum fidelium licitum fuit Abræ duce
re in vxorem, *& nomen vxoris Nachor, Mel
cha filia Arā patris Melchæ, & patris Iescha.*
Adeò enim minor ætate erat Nachor quā
Aran, vt filiam eius commode ducere po-
tuerit in vxorem. † *Erat autem Sarai steri-* † 32. q. 4. c. recur
lis; non ob prouectam ætatem, sed quia vi rat. § bis
generatrice carebat, *nec habebat liberos*, neq; itaque.
vnquam illos habuerat. † *Tulit itaque Tha* † Iosue. 24. a. 2.
re, relicto idolorum cultu, cui aliquandiu in Nehe. 9.
Chaldæa seruierat; *Abram filium suum, &* b. 7. Iu-
Lot filium Aran, filium filij sui. & Sarai nu- dit. 5. a.
rum suam vxorem Abram filij sui; quam non 6.
voco filiam Thare, quamuis verè fuerit,
sed nurum Thare, & vxorem Abram, quo
niam maior gloria accreuit Sarai, ex eo
quod vxor fuerit Abræ, quàm ex eo quod
fuerit filia Thare, *& eduxit eos de Vr Chal-
dæorum*, persuasus à filio suo Abram, cui
præceperat Deus, vt egrederetur de terra
sua[illegible]ut postea dicetur; eduxitque eos,
vt irent in terram Chanaan nescientes in quā
partem vellet Deus, vt ipsi proficiscerentur,
sed tendebant, quocunque Deus vellet
illos ire, *veneruntque vsque Haran*, seu Cha-
ran extremam Mesopotamiæ vrbem, *&
habitauerunt ibi* 7 vsque ad mortem Thare. VII.
Et

† *Act. 7 4.2.*

Et facti sunt dies † Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran antequam Abraham tenderet in terram Chanaan. Eius autem mortem, & exitum de Vr Chaldæorum per anticipationem refero: ea enim quæ in principio capitis sequentis de sermone Dei ad Abram enarrabo, ante mortem Thare, imo & ante aduentum eius in Haran contigerunt; prout inferius patebit.

ANNOTATIONES IN CAPVT XI.

I. *Finis ædificantiũ turrim.*

CElebremus nomen nostrum.] His verbis insinuatur consilium horum hominum in ædificanda turri, non fuisse vt venturi diluuij, vel incendij exitium euaderent; sed vt aliquo mirabili facinore & memorabili monimento celebritatem nominis, & famæ apud posteros adquirerent.

II. *Confusio linguarũ qualis.*

COnfundamus linguam eorum.] Hanc confusionem hoc modo contigisse verosimilius reputo: vt primò quidem fecerit Deus omnes illos homines præter Heber & familiã eius obliuisci Hebraicæ linguæ, quæ antea fuerat omnium communis. Obliuionem verò attulit delendo ex animis eorum hominum habitum illum, quo significationes omnium vocum illius linguæ cognitas habuerant, hisque quotiescunque volebant ad loquendum vti promptissimum & facillimum illis fuerat; deinde pro diuersitate earum gentium, quæ ex tribus filijs Noe proseminatæ concurrerant ad ædificationem ciuitatis & turris, diuersos habitus variarum linguarum mentibus eorum inseruit subitò Deus.

III. *Dispersio gentium post diluuiũ vtilis.*

DIspersit eos Dominus.] Hæc dispersio per quàm vtilis futura erat humano generi. Primò quidem propter cibi & victus commoditatem & abundantiam: neque enim vna aliqua regio sufficientem tantæ hominum multitudini & quidem indies magis ac magis crescẽti suppeditare victum potuisset. Deinde si omne genus hominum vno in loco fuisset, exorto inter ipsos bello vel grassante peste, aliove exitiali morbo facile fuisset, vt omnes communi clade interirent. Adde quòd bonos mores corrumpunt colloquia praua, & societas improborum atque impiorum hominum sensim quasi contagiosus morbus serpẽs etiã bonos inficit.

IIII. *Arphaxad cur dicatur genuisse nepotem tacita generatione filij.*

GEnuit Sale.] Certum est ex Beato Luca Euangelista cap. 3. Arphaxad genuisse Cainan, & Cainan genuisse Sale. Cum igitur hoc in loco & 1. Paralip. 1. dicitur Arphaxad cum esset triginta annorum genuisse Sale, intelligendum est, quòd incepit illum generare; generando enim filium incepit dare operam generationi nepotis. Tunc enim secundùm phrasim scripturæ dicitur quis aliquem generare, quando verum est dicere, quòd incepit generare, vt quando supra in cap. 5. dicitur, quod Noe cum quingẽtorum esset annorum genuit, idest, incepit generare Sem, Chã, & Iapheth; & de Thare hoc eodẽ capite habetur quòd cum esset septuaginta annorum genuit Abram, Nachor, & Aran: neque enim tres filij simul, eodemque anno geniti fuere. Prætermisit autem Moyses generationem Cainan, ac etiam supputationem triginta annorum, quos ipse Cainan habebat, quando genuit Sale, vt seriem generationum ab Adam vsque ad diluuium, & à diluuio vsque ad Abraham, in duas decades distingueret: idque ob aliquam certè causam nobis occultam: quemadmodum Beatus Matthæus in genealogia Saluatoris nostri, quam in exordio sui Euangelij descripsit, generationes ab Abrahamo vsque ad Christum Dominum duas & quadraginta dumtaxat, compluribus alijs prætermissis, recensuit. Hac etiam eadem causa in exordio prioris libri Paralipomenon generatio hæc Cainan commemorata nõ fuit; quamuis enim in libris Paralipomenon nonnulla suppleantur, quæ alibi in sacris literis derelicta fuerant (vnde nomen etiam libri illi habẽt) non tamen omnia eiusmodi superaddi debuerunt.

V. *Codicib. græcis nõ est standum in supputatione annorum.*

VIxit triginta annis.] Codices Græci, qui nunc circunferuntur, sub nomine septuaginta interpretum, habent fuisse Sale quando genuit Heber, centum triginta annorum. Cæterùm illos centum annos, qui in hac & in alijs generationibus adiecti sunt annis, quos habent Hebræi, Latinique codices, mendosos esse, nec à Septuaginta interpretibus positos docet D. Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 13. Nec vlla ratione standum esse prædictis codicibus in his, in quibus discrepant ab Hebræis, ostendimus supra capite quinto Annot. 4.

VI. *Abrahã non fuit primogenit. Thare.*

GEnuit Abram & Nachor & Aran.] Quod Abraham non fuerit primogenitus Thare, nec eius anno septuagesimo natus extiterit aperte colligitur ex capite sequenti, vt videre licet in annotatione tertia eiusdem capitis. Nominatur autem primus Abram inter filios Thare vt autor est D. Augustinus quæst. 25. propter virtutis eius præstantiam, & propter prærogatiuam dignitatis, quòd futurus esset pater multarum gentium, & populi Dei, quin etiam omnium credentium: vt dicitur Rom. 4.

VII. *Tempus mãsionis Thare in Haran ignoratur.*

ET habitauerunt ibi.] Quantum temporis Thare cum filijs suis extiterit in Haran, non constat ex sacris literis, sicut neque ex eisdem colligi potest, quo anno vitæ suæ illuc deuenerit, quem insecutus est postea Nachor alter frater Abrahæ, fortè quia ob discessum patris & fratrum suspectus habebatur à Chaldæis idolorum cultoribus: & deueniens in Haran, ibi habitationem delegit in vrbe ab eo dicta vrbs Nachor. Vnde infra in capite 27. ac duobus sequentibus dicitur Laban, nepotem huius Nachor, habitasse in Haran, quam Græci & Lati-

Latini Charras vocant: vnde Lucanus Assyrias latio maculauit sanguine Charras. Et in Actibus Apostolorum capite septimo, vocatur Charan.

ARGVMENTVM IN CAP. XII.

¶ *Præcipienti Deo Abræ, vt egrederetur de terra sua, promittẽtique ei ingentia bona, si id faciat, obedit Abram: & egressus de Haran, cum esset septuaginta quinque annorum, venit in Chanaan, vna cum Sarai vxore sua, & Lot filio fratris sui: ob subortam tamen famẽ secessit inde, & descendit in Ægyptum, dicens de vxore sua, quòd esset eius soror. quam quidem Pharao in domo sua retinuit quousque edoctus à Deo, & flagellatus restituit eam intactã viro suo.*

PARAPHRASIS IN CAP. XII.

I. DIXIT *autem* † *Dominus ad*
† Act.7. *Abram*: apparens ei per re-
a.3. uelationem, cum adhuc esset
A. in Vr Chaldæorum in regione Mesopotamiæ: *Egredere de terra tua* non solum quantùm ad corpus, sed etiam quantùm ad voluntatem, & desiderium redeundi in illam, *& de cognatione tua, & de domo patris tui*, si tecum ipsi venire noluerint; seu cultũ vnius Dei amplecti recusauerint, *& veni in terram, quam monstrabo tibi*, cuius quidem nomen, seu conditionem non explico, quo amplius fides
† 32.q. tua, & iustitia exerceri queat. † *Faciamque*
c.recurrat.§.his *te crescere*, ac principatum tenere *in gentem*
itaque. *magnam*, qualis erit gens Israelitica, quæ aliarum gentium comparatione, magna & excellens futura est, *& benedicam tibi* bonorum ac facultatum ingenti copia afficiens; *& magnificabo nomen tuum* vna cum nomine Dei magno & tremendo, dum per orbẽ terrarum in ipsa inuocatione nominis mei magnificè commemorabitur nomen tuũ, & dicetur Deus Abram: *erisque benedictus* præ cunctis patribus tuis omni benedictio-
† 24.q. num genere. † *Benedicam benedicentibus ti-*
3.c.cum *bi*, benefaciens amicis tuis fautoribus & lau-
ergo. §. datoribus tuis; *& maledicam maledicentibus*
sed qui *tibi*, vltionem accipiens de hostibus tuis
& c.cum etiam de his, qui lingua te persequentur.
sancti. *Atque* † *IN TE benedicentur vniuer-*
II. *sæ cognationes terræ*, quatenus omnes, qui
† Gal. tui notitiam habuerint, imprecantes alicui
3.b.8.In benedictionem dicent, faciat tibi Deus sicut fecit Abræ. *Egressus est itaque Abram* fra.18.c.18.22.c.17.Heb.11.b.8.
primo quidem de terra sua quando profectus de Vr Chaldæorum peruenit in Haran; deinde etiam post aliquam temporis moram egressus est de Haran, *sicut præceperat ei Dominus*, scilicet post mortem patris sui: nam vsque ad illud tempus ex ordinatione diuina commoratus est cùm patre in Haran: *& iuit cum eo Lot* spontaneè illum concomitans. *Septuaginta quinque annorum* III.
erat Abram, cum egrederetur de Haran, eius videlicet ætatis, in qua plerique hominum ad peregrinandum difficiliores sunt. B.
Tulitque Sarai vxorem suam & Lot filium fratris sui; (cuius vxoris memoriam non facio, vel quia nondum illam habebat Lot, vel quia pro infidelitate sua indigna est nominari) *vniuersamque substantiam, quam possederant, & animas quas fecerant in Haran*, homines videlicet ibidem genitos, tam mares quàm fœminas, siue à Lot siue à familia Abræ & Lot. *Et egressi sunt vt irent in terram Chanaan*; soloque Dei verbo innixi, & confortati, relictis proprijs, Domino iubente peregrinabantur in aliena terra per molestias grauissimas viarũ, exemplo suo omnes docendo, per quos transibant; & qui tantorum virorum peregrinationis causas inquirebant, quali fide & obedientia Deus colendus esset, agnoscebant. *Cumque venissent in eam* regionem, videlicet Chanaan *pertransiuit Abram terram vsque ad*

ad locum, qui postea à filio quodam Hemor accepit nomen *Sichem*, *vsque ad conuallem illustrem*, quę vallis ideo sic vocabatur, quia quercubus, & loci amœnitate perspicua, & insignis erat, ibiq; regio Pētapolis sita fuit. *Chananæus autem tunc erat in terra*, qui eam iam ad inhabitandū præoccupauerat post diluuium; quapropter cogebatur Abram quasi vagus & peregrinus diuersari, & fortè neque facile diuersorium inueniebat; attamen nec sic ęgrè ferebat, nec fluctuabat, sed integra mente, & perfecta fide benefidens Dei promissis immoto perstitit animo. Vnde statim & supernam consolationem accipere meruit. *Apparuit autem Dominus Abram* ad confirmandum apparitionem eiusdem in Mesopotamia: æquū enim fuit, vt obedienti Abræ primæ apparitioni, secundò appareret. *Et* † *dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc* certò & infallibiliter. *Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei*, iuxta morem illius temporis, altaris erectione, pro promissis gratias agens, ac veræ fidei & cultus vnius Dei monimentū posteris relinquens; *& inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem*, seu à parte orientali ciuitatis *Bethel*, sic per anticipationem dicta, nā Iacob huic ciuitati imposuit nomen Bethel, quæ prius Luza vocabatur, *tetendit ibi tabernaculum suum*, portatile, videlicet domicilium, *ab occidente* vbi adest mare Mediterraneum *habens Bethel, & ab oriente Hai*. Inter quæ duo loca tentorium suum erexit Abram.

† Infra 13.d.14 15.d.18 26.a.2. Deu.34.64.

III. *Ædificauit quoque ibi altare Domino*, vt in omni loco haberet Sanctus Patriarcha, vbi manus puras

B. ad Deum leuaret, *& inuocauit nomen eius* prosequens hic, quod Enos cœperat ante diluuium. *Perrexitque Abram* in terram Palæstinorum, quæ est in confinibus Chananæorum versus AEgyptum *vadens & vltra progrediens ad meridiem*, & quasi expeditus miles nunc huc, nunc illuc tentoria sua figebat, nesciens locum, in quo Dominus

C. vellet, vt ille habitaret. *Facta est autem fames in terra* illa, in qua morabatur Abram: *descenditque Abram*, & Lot cū eo, *in Ægyptum* eo ipso anno, quo exijt de Haran, videlicet septuagesimo quinto suæ ætatis, *vt peregrinaretur ibi*, ac cibos quæreret tam sibi, quàm familiæ suæ; *prænaluerat enim fames in terra*: quod Dominus sic disposuit, vt per famem, quasi per lictorem perduceret Abram in AEgyptum, vt eos qui in tenebris errorum illic sedebant, ad veritatis viam, ac Dei timorem introduceret. *Cumque propè esset, vt ingrederetur Ægyptum* angore mentis afflictus, & de vita sua timens & tremens, *dixit Sarai vxori suæ: Noui quòd pulchra sis mulier*; nec enim quòd post tot annorum numerum in senectam iam versa sis, nec tanta miseriarum ac malorum sustinentia, quam in via fuisti experta, de locis in loca transeundo, vigorem tuæ pulchritudinis delere potuerunt; *& quòd cum viderint te Ægyptij*, nisi prudenter hoc illis occultetur; *dicturi sunt, vxor ipsius est, &* tanquam æmulum & vindicem vxoris *interficient me, & te reseruabunt*, † *Dic ergo, obsecro te* inquirentibus, quam ob causam vna simul iter agamus, *quòd soror mea sis*, tacendo aliam causam cohabitationis nostræ, cōtractum videlicet matrimonij; *vt benè sit mihi propter te*, dū benè tractabor ab AEgyptijs propter affinitatem, quam sperabunt se mecum contracturos, *& viuat anima mea ob gratiam tui*, nempe te dissimulante, quod vxor mea sis.

† Infra 20.c.11.

IIII. *Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum*, contigit, quod ipse prius suspicabatur: nam *viderunt Ægyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis. Et nunciauerunt principes Pharaoni* regi AEgypti, *& laudauerunt eam apud illum*, ceu dignam regio matrimonio. *Et sublata est mulier in domum Pharaonis*, vt iuxta consuetudinem antiquorum per annum ad regem præpararetur introitus. V.

Abram verò benè vsi sunt propter illam: credentes enim esse fratrem Sarai & non maritum, munera ei offerebant. D.

Fueruntque ei oues, & boues, & asini, & serui, & famulæ, & asinæ, & cameli, quæ contulit ei Pharao honoris gratia existimans futurum esse illius leuirum. *Flagellauit autē Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius*, percutiens non solum personam Pharaonis, sed etiam eius famulos, & principes; quia isti quoque fuerunt cooperatores surreptionis Sarai, dum laudantes eam coram Pharaone, lænonis egere officium in gratiam regis, vnde iure flagellati sunt *propter Sarai vxorem Abram*; quia fœminam peregrinam tanto viro comitatam, non curantes an esset vxorata nec ne, voluerunt vt Pharao duceret in vxorem; & etiam quia nolenti non fuerat auferenda soror. Quarū plagarum causam, & quod Sarai virum haberet, reuelauit Deus Pharaoni. *Vocauitque Pharao Abram, &* excusando se maxima cum lenitate ab iniuria, eo quod affectu maritali eam tulisset, ipsomet Abram occasionem

sionem dante, *Dixit ei: Quidnam est hoc, quod fecisti mihi?* Tu enim asserendo Sarai esse sororem tuam, Deum inimicum mihi reddidisti, iram eius super me induxisti, pœnæ me obnoxium fecisti, & vt pœnam lueret tota mea domus eorum, quæ in te admiserunt, causa extitisti: *Quare non indicasti, quòd vxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem?* Proculdubio quasi deceptorem te puniuissem, & extremis affecissem supplicijs, nisi ex plagarum grauitate, quas pertuli, maximam virtutem tuam, & sanctitatem, & Dei tui potentiam certo certiùs agnouissem. *Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam, & vade.* Timuit enim Pharao, ne ex diuturna Abræ mora aliquis de populo illum offenderet, & ipse tanquam rector & gubernator pœnas lueret. *Præcepitque Pharao super Abram viris* deputatis ad custodias viarũ seu prosecutoribus, vt deducerẽt eum, nequis de populo barbaro irrogaret violẽtiã vel peculio viri, vel vxoris pudori; *& deduxerũt eũ, & vxorẽ illi⁹, & omnia, quæ habebat* absque eo, q̀ ausus quisquã fuisset iniuriam inferre discedentibus.

ANNOTATIONES IN CAPVT XII.

I. *Vr Chaldæorũ sita est in Mesopotamia.*

DOminus ad Abram.] Præceptum hoc egrediendi de terra sua datum fuit Abrahæ antequam ipse veniret in Haran; vt manifestè asseritur in cap. 5. Iudith, & in cap. 7. Actuum Apostolorum: & ex consequenti fuit illi eiusmodi præceptum impositum in Vr Chaldæorum, pro vt apertè significatur infra cap. 15. quãdo dicitur; Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum. Cæterum quia Beatus Stephanus Actuum cap. 7. inquit, id factum fuisse in Mesopotamia, dicendum est Vr Chaldæorum sitam esse in eo terræ spatio, quod est intra Tigrim & Euphratem, cuius vna pars pertinebat ad terram Chaldæorum; & quia totum quod continetur intra Tigrim & Euphratem vocatur Mesopotamia, vt nomen sonat; hinc est quòd quando hoc præceptũ datum fuit Abrahæ, ipse & erat in Vr Chaldæorum, & etiam in Mesopotamia.

II. *Benedici in aliquo dupliciter contingit.*

ATque in te benedicentur.] Quamuis verba ista similem omnino sensum habere videantur cum verbis illis Genesis 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; ob identitatem vocis, quæ in translatione nostra habetur, scilicet benedicentur: cæterum, vt bene annotauit Burgensis infra cap. 22. additione vltima, nequaquam hæc duo loca in sensu conueniunt: quorum discrimen ostendunt diuersa omnino verba, quæ in Hebræo correspondent huic voci, benedicentur, in his duobus locis positæ. Nam verbum Iebarech, quod hic habetur, non aliud significat nisi quod imprecantes alicui benedictionem dicant, Benefaciat tibi Deus, sicut benefecit tali. In qua etiam significatione ponitur idem verbum infra cap. 48. quando benedicens Iacob filijs Ioseph dixit: In te benedicetur Israel; atque dicetur; faciat tibi sicut Ephraim. At verò verbum Hitbarchu, quod ponitur Genesis 22. & 26. quando vtrobique dicitur, Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, & etiam in Psalm. 71. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: illud, inquam, verbum significat; quòd ille, in quo alij benedicuntur, sit causa principalis effectiua illius benedictionis, quod nulli puræ creaturæ potest conuenire: vnde nequeunt eiusmodi testimonia nisi solùm de Christo ad literam interpretari.

III. *Abrahã non fuit natus anno septuagesimo Thare.*

SEptuaginta quinque annorum.] Ex hoc loco apertè conuincitur, Abraham non fuisse natum anno septuagesimo Thare patris sui, sed multo postea: certum enim est Abraham non exijsse de Haran, nisi post mortem patris; & cum non haberet filium, prout vtrumque docet Beatus Stephanus Actorum septimo: cũ igitur Thare mortuus fuerit, cum esset ducentorum quinque annorum, vt dictum est in calce capitis præcedentis; & exiens Abraham de Haran esset ætatis septuaginta quinque annorum, vt hic habetur, consequens est; quòd Thare ad minus centum & triginta annorum erat, quando genuit Abraham: ac perinde constat Abraham non fuisse primogenitum Thare, quandoquidem in capite præcedenti dicitur, Thare genuisse, hoc est, cœpisse generare tres filios suos Abram, Nachor, & Aran, cum esset septuaginta annorum: sic enim explicari commode posse verba illa, docet D. Augustinus quæst. 25. in Genesim.

IIII. *Prudentia Abrahæ.*

ET viuet anima mea.] Aduerte qualiter prudentissimus Patriarcha duobus periculis, quæ tunc temporis sibi imminebant, quantum iure potuit, prouidit. In primis enim periclitabatur pudicitia coniugis, deinde quoque vita ipsius. Quia ergo pudicitiam coniugis nõ poterat Abraham tueri, Deo commisit defendendam; & periculum vitæ suæ medio conuenienti nempe tacendo, quòd Sarai esset eius vxor, non tamen id negando, euitauit: quod certè si non fecisset, magis tentasset Deum, quàm sperasset in eo.

V. *Pharao non tetigit Sarã.*

IN domũ Pharaonis. Non dicitur, quòd sublata fuerit Sarai, vt statim fieret vxor Pharaonis, sed in domum Pharaonis, ita vt certũ sit Pharaonem non illam tetigisse. Vnde satis probabiliter creditur, in AEgypto viguisse illam consuetudinem, cuius fit mentio in capite secũdo libri Hester: iuxta quã fœminæ, quæ futuræ erãt vxores regis, prius quã ad thorũ regiũ peruenirent, sex mensibus oleo vngebãtur

myrrhino,

Digitized by Google

myrrhino, & alijs sex quibusdam pigmentis, & aromatibus vtebantur, vt per annum ad regem præpararetur introitus. Quædum fiebant in Sarai, ditatus est Abraham ouibus, & bobus. & camelis, & etiam flagellatus est Pharao, quousque reddita est Sarai viro suo.

ARGVMENTVM IN CAP. XIII.

¶ Regreßis Abram, & Lot de Ægypto in terram Chanaan rixa orta est inter pastores ouium ipsorum, obquam causam diuidi debuerunt ab inuicem, & quia Lot delegit habitare in Sodomis Abrã mansit in terra Chanaan, qui accepta iterum promißione, quod possessurus esset terram illam decreuit tandem habitare in conualle Mambre, vbi ad gratias Deo referendas altare construxit.

PARAPHRASIS IN CAPVT XIII.

A. ASCENDIT *Ergo Abrã de Ægypto* in terram Chanaan, qui prius de Chanaan descenderat in Ægyptum, *ipse, & vxor eius, & omnia, quæ habebat, & Lot cum eo* ad locum vnde prius egressus fuerat, videlicet *ad australem plagam*, quæ Australis erat in ordine ad tabernaculum Abræ inter Bethel, & Hai. *Erat autem diues valde in possessione auri, & argenti*, qui enim ex iussione Dei nuper famelicus, & quasi vagus descenderat, nunc diues honoratus, & fœlix ascendit, & reuertitur, non solum iumentis, & hominibus auctus, sed etiam argento, & auro. *Reuersusque est per iter, quò venerat*, prius de Bethel in meridiem, per hoc inquam iter nunc reuertitur, *à meridie in Bethel, vsque ad locum, vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai in loco † altaris, quod fecerat prius*, vt dictum est capitulo præcedenti. *Et inuocauit ibi nomen Domini*, vbi enim prius, & ante descensum in Ægyptum Dominum adorauerat, iam nunc periculis ereptus Domino gratias agit de saluo reditu suo. *Sed & Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula*, quæ partim Abram, vt potè liberalis, Lot fratris filio donauerat, partem Ægyptij dederant in Patriarchæ gratiam. *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul*, cum non sufficerent pascua illius regionis ad pecora, & armenta vtriusque sustentanda. † *Erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter*, pacifice videlicet & quietè. *Vnde, & facta est rixa inter pastores gregum Abrã, & Lot*: quia tam isti quàm illi volebant sibi præoccupare meliora pascua, & meliores aquas. *Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa*, 1 vnde non mirum, quòd non remaneret locus gregibus Abram, & Lot. *Dixit ergo Abram ad Lot*, volens fibras discordiæ amputare, ne contagium serperet. *Nequæso sit iurgium inter me, & te, &* quia seruulorum dissensionibus dominorum concordia frequenter soluitur, similiter obsecro, ne detur locus, vt sit contentio, *inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus* 2 fraternitate cõsanguinitatis, secundùm quod cognati solent vocari fratres lato sumpto vocabulo. Inter viros autem tali fœdere copulatos minus proculdubio decent iurgia. *Ecce vniuersa terra* regionis huius, *coram te est*, vt quoquo versus velis habitationi locum eligere possis. *Recede à me obsecro*, seu separare à me; nam si hîc permanere volueris, ego recedam, licet enim mirum in modum delectet præsentia tua, cui patrium affectum exhibeo, tolerabilius tamen iudico, vt copula sequestretur, quàm vt gratia dirimatur. Quapropter *si ad sinistram ieris ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*. Ea enim est perfectæ diuisionis ratio, vt maior diuidat, & minor eligat. *Eleuatis itaque Lot oculis*, vt faceret, quod Abram iusserat, *vidit omnem circa*, idest propinquam seu confinem *regionem Iordanis*, *quæ* regio fluuio Iordani proxima *vniuersa irrigabatur*

I.

II.

† Supra. 12.b.8.

† Infra. 36.ar.7.

C. bitur: tunc temporis, videlicet *antequam sub uerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut paradisus Domini* tempore, quo existebat in terris, irrigabatur fluuio egrediente de Heden; *& sicut Ægyptus* irrigabatur inundationibus Nili, ita, inquam, irrigabatur regio illa Iordanis, *venientibus in Segor*, hoc est, ex ea parte, qua peruenitur in vrbem nomine Segor, quæ ad preces Lot de incendio reseruata, vsque nunc ostenditur. *Elegitque sibi Lot regionem, circa Iordanem*, aliquantum irreuerenter se habens ad auunculum, cuius dispositioni omnino stare rebuisset absque propria electione, ob quam rem suo tempore puniendus venit, *& recessit ab Oriente*, relinquendo Abræ partem orientalem possidendam. *Diuisique sunt alterutrum à fratre suo*, prouidente Deo huiusmodi diuisionem, tum ob causas prædictas, tum vt non solum Chananæi in Abram, sed etiam Sodomitæ in Lot haberent virtutis exemplũ, quod imitarentur. *Abram habitauit in terra Chanaan*, quæ sibi promissa, & denuo promittenda erat. *Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit* in vno illorum nomine *Sodomis*, quod Hebraice appellatur Sedom. Idque non parum laudibus Lot proficit, quod bonus inter malos fuerit: sicut enim grauioris est culpæ inter bonos bonum, nõ esse, ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse. *Homines autem Sodomi-*

III. IIII. *tæ pessimi erant, & peccatores* 3 *coram Domino.* 4 hoc est in rei veritate, & non vtcumque peccatores, sed *nimis*, vt patebit ex his, quæ de istorum peccatis dicetur inferius. *Dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est ab eo Lot*, & postquam ipse cessit primatu suo, & facultate eligendi ex zelo pacis & Charitatis, † *Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nũc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem*, quantum vales oculis circumspicere, per quatuor cardines mundi. *Omnem terram quam conspicis*, imò, & quam non conspicis pertineat ad terram Chanaan, *tibi dabo*, non in propria persona, cum nec passum pedis possessurus sis absque commutatione, & emptionẽ, sed ratione tui dabo illam tuis posteris, *& semini tuo vsque in sempiternum*, nisi per illos stet, & tanquam iniusti possessores, illa terra veniant spoliandi. *Faciamque semen*

D. *tuum*, quod futurum est tibi tam secundum carnem, quàm secundùm imitationem fidei, non solum magnum, prout capitulo præcedenti futurum esse dixi, sed etiam multum, idque *sicut puluerem terræ*. Quamuis enim copiosa futura sit progenies tua, erunt tamen in ea multi steriles, sicut puluis terræ; ob infœcunditatem spiritus. *Si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit*, hyperbolicè loquendo. *Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua*, vt perambulando venias ad eam, quam oculis vno loco stans videre, non potes, *quia tibi daturus sum eam*, hoc est ob gratiam tui dabo, his qui de te nascentur. *Mouens igitur tabernaculum suum Abram venit, & habitauit iuxta conuallem*, quercubus ornatam cuiusdam viri Amorrhæi nomine *Mambre*, *quæ est in Hebron. Ædificauitque ibi altare Domino*, ad sacrificandum, & gratias agendum ipsi Deo, quod fuit tertium altare constructum ab Abram in terra Chanaan.

† *Supra. 12. b. 7. infra 15. c. 18. 26. artic. 4. Deu. 34. b. 4.*

ANNOTATIONES IN CAPVT XIII.

I. *Ob quid meminit scriptura habitationis Chananæi & Pherezæi.*

HABITABANT in terra illa.] Aliqui existimant verba ista subiuncta fuisse à Moyse ad significandum locum, in quo facta est rixa inter pastores gregum Abram, & Lot: ac si diceret Moyses, quod contigit rixa hæc in territorio partim Chananææ partim Pherezææ gentis. Cæterum quia sufficienter in præcedentibus descriptus fuerat locus iste dum dictum erat Abram, & Lot, tunc temporis extitisse inter Bethel & Hai, verosimilius dicitur cũ Paraphrasi, meminisse hic Moysem habitationis Chananæi, & Pherezæi ad insinuãdã paucitatẽ pascuorũ, ob quę iurgati sunt pastores isti.

II. *Fratres pro cognatis.*

FRatres enim sumus.] Hinc habes qualiter Scriptura Sacra, non solum genitos ex eodem patre, & matre appellet interdum fratres, verum etiam eos, qui vnius cognationis sunt: vt Tob. 8. Non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, etiam si gradu sanguinis differant, vt alter sit in superiore, alter in inferiore: sicut hoc loco, nam patruus erat Abraham Lot.

III. *Peccati, & peccatoris duplex acceptio.*

PEccatores.] Sicut nomen peccati plerumque sumitur pro ipsa culpa, interdum vero etiam pro pœna, & supplicio peccati: ita nomen peccatoris, vt in plurimum tribuitur ei, qui labem, & maculam peccati habet, nonnunquam vero eum significat, qui propter peccatum obnoxius est supplicio. Prioris significationis exempla passim occurrunt

in

Digitized by Google

in sacris literis. Posterioris autem luculentum est quod in historia 3. Regum cap. 1. legitur: Eritque cum dormierit Dominus meus rex cũ patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores: idest, tanquam rei peccati, mortis supplicio plectemur. Hoc igitur loco nomen peccatoris vtrauis significatione, aut etiã vtraque commode accipitur; vt significetur Sodomitas fuisse sceleratissimos; & ob id supplicio dignissimos. Principalius tamen significatur hoc posterius per nomen, peccatores, sicut & illud prius erat, designatum per illa verba, erant pessimi.

IIII. *Corã Deo pro in rei veritate.* CORAM Domino.] Quoniam oculi Dei falli non possunt, quod Deo, siue corã Deo, siue in oculis Dei, tale esse dicitur, id verè & simpliciter tale est; etiam si dissentiãt hominum iudicia. Vnde non solum apud Hebræos sed etiã apud Hispanos vsitatissimum est, assertionem confirmare cum his verbis, coram Deo, dicendo, Ita est coram Deo. Hac phrasi vtitur scriptura Luc. 1. Erit enim magnus coram Domino, idest, reuera erit magnus: siue hominibus ita videatur, siue secus. Et etiam superius cap. 10. Erat robustus venator corã Domino, idest, verè erat robustus. Et infra cap. 27. Benedicã tibi coram Domino, hoc est, in rei veritate, & absque dubio. Ita similiter in proposito significatur, Sodomitas reuera fuisse pessimos, & peccatores; etiam si aliter fortè nonnulli opinarentur ex vicinis ciuitatibus; quorum iudicia erant deprauata. Ad quam significationem consequitur quod Andreas Masius super Iosue cap. 4. vers. 3. adnotauit circa hanc phrasim, nimirum per illam quoque insinuari rem, de qua agitur esse illustrem, ac celebrem. Idcircò enim adducitur Deus quasi testis, & spectator malitiæ Sodomorum, & sanctitatis Baptistæ, & aliarũ similiũ rerũ; quia vnaquæque illarum erat insignis, & excellens in suo genere.

D.

ARGVMENTVM IN CAP. XIIII.

¶ Ducto Lot in captiuitatem à quatuor regibus Assyriorum, accinxit se Abram ad eum liberandum; sumptisque secum centum decem & octo vernaculis Assyrios insequutus est: illisque debellatis, reduxit secum omnia, quæ hostes tulerant: ob quod mirabile factũ Melchisedech oblato panis & vini sacrificio benedixit Abræ, à quo tamen decimas accepit.

PARAPHRASIS IN CAP. XIIII.

A.

I. FACTVM *est autem in illo tempore*, quando habitabat Abram iuxta conuallem Mambre in diebus Amraphel, *vt Amraphel* dictus alio nomine Nanias *rex Sennaar*, seu Chaldææ, *& Arioch rex Ponti*, non quidem illius Ponti, quæ ad Occidẽtem sita maximis interuallis remota est ab his locis, de quibus hîc agitur, cum hæc loca ad Orientẽ sint, sed alterius Ponti, quæ alio nomine vocatur Ellesar; *& Chodorlaomor rex Elamitarum, & Tadal rex gentium*, qui reges partim Chaldæi, partim Assyrij erãt: cõtigit ergo, vt hi quatuor reges *inirent bellum contra Bara regẽ Sodomorũ & contra Bersa regem Gomorrhæ, & cõtra Senaab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ ipsa est Segor.* Quorum regnorum gentium ac ciuitatum ea nomina refero, quibus tempore, quo isthæc scribuntur communiter vocantur. *Omnes hi conuenerunt in vallem syluestrem, quæ nunc est mare salis*: nam à tempore subuersionis Sodomæ vallis hæc, in qua omnes isti reges conuenerunt ad præliandum, cooperta fuit aquis, & Hebraico more appellata mare propter cõgregationem aquarum. Vocatur autẽ mare salis seu mare mortuum; quia verè tam salsum est, vt nihil possit in eo viuere. Et alio nomine dicitur lacus Asphalti. Ratio autem quare hi quinque reges conuenerunt, ea fuit, *duodecim enim annis seruierant Chodorlaomor* tributa illi soluentes, *& tertio decimo anno recesserunt ab eo* deficientes ipsi, ac tributa denegãtes. *Igitur quarto decimo anno venit Chodorlaomor & reges, qui erant cum eo: percusseruntque* sex nationes gentium antequam peruenirent ad præliandum cõtra Pentapolitas videlicet *Raphaim*; qui morabantur *in Astaroth, Carnaim, & Zuzim cum eis*, qui erãt in Ham, *& Emim*, qui habitabant *in Saue Cariathaim, & Chorræos* degentes *in montibus Seir vsque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine. Reuersique sunt*, nam progressi fuerant digrediendo à via qua tendebatur in Pentapolim;

polim: vnde necesse fuit reuerti, *& venerũt*
II. *ad fontem Misphat*, *id ipsa est Cades*, per antici
pationem dicta fons Misphat. *Et percus-
serunt omnem regionem* illam, quam habita-
bant prædecessores gentis *Amalecitarum*,
& Amorrhæum seu populum illum Amor-
rhæorum, *qui habitabat in Asasonthamar*,
quod oppidum nunc vocatur Engaddi.
B. *Et egressi sunt rex Sodomorum, & rex Gomor
rhæ: rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon &
rex Balæ, quæ est Segor, & direxerunt aciem
contra eos in valle siluestri*, quæ nunc est ma
re mortuum, *scilicet aduersus Chodorlaomor
regem Elamitarum, & Thadal regem gentium,
& Amraphel regem Sennaar & Arioch regem
Ponti, quatuor Reges aduersus quinque. Val-
lis autem siluestris*, vbi iniri debebat præliũ
erat valde fauorabilis Pentapolitanis, nam
cum indigenæ essent, & habitatores illius
terræ agnoscebant situm & dispositionem
loci, Assyrijs vero erat offendiculis ple-
III. na: nam *habebat puteos multos bituminis*,
in quibus facilis erat casus Assyrijs, vt po-
te peregrinis & ignorantibus huiusmo-
di pericula. *Itaquè Rex Sodomorum &
Gomorrhæ terga verterunt*, & exercitus il-
lorum dissoluti sunt, *cecideruntquè ibi*: nam
plures ex militibus ipsorum interfecti
sunt ab hostibus, *& qui remanserant fu-
gerunt ad montem* dimissa terra campestri
direptioni & prædæ inimicorum. Qui
iuxta victoriæ insolentis consuetudinem,
C. quæcumquè potuerunt abstulére. *Tu-
lerunt autem omnem substantiam Sodomorum
& Gomorrhæ*, & etiam aliorum, qui ad
auxiliandum istos deuenerant, *& vniuer-
sa, quæ ad cibum pertinent*, vt Pentapo-
litanos remanentes, quos gladio occi-
dere non potuerunt, fame interimerent,
& abierunt: *Necnon* quoquè tulerunt,
*& Lot & substantiam eius, filium fratris
Abraham, qui habitabat in Sodomis*: ex
societate quippe malorum iusti aliquan-
do pœnas incurrunt temporales, licet
ipsorum criminis non sint participes.
Et ecce vnus, forsan seruus ipsius Lot,
qui euaserat è manibus Assyriorum, *nun-*
IIII. *tiauit Abram Hebræo*, hoc est, transflu-
uiali sic vocato à Chananæis, inter quos
iam habitabat, quod è regione trans flu-
uium Euphratem ad eos venisset, *qui
habitabat in conualle Mambre Amorrhæi fra
tris Escol & fratris Aner: hi enim pepige-
rant fœdus cum Abram*, vnde libenter ei
locum in illa conualle ad manendum con-
cesserant, fœdus & amicitiam illius sum-
mo in pretio habentes. *Quod cum audis-
set Abram captum videlicet Lot, fratrem*,
idest consanguineum *suum, numerauit* eli-
gendo & præparando ad bellum promp-
tos *& expeditos vernaculos suos* domi natos
& arte bellandi peritos, & ex plurimis,
quos alebat & instituebat moribus & v-
su rerum temporalium, armauit *trecentos
decem & octo*, & munitus trium fratrum co
mitatu Aner, Eschol, & Mambre, qui cum
ipso fœdus pepigerant, certiorquè factus,
qua tenderent Assyriorum Reges, *persequu-
tus est vsque Dan* oppidum ad radices An-
tilibani situm, quod Iudeæ prouinciam
versus septentrionem terminat, & no-
men sortitur à fonte Dan ibi scaturiente,
quæ vna cum fonte Ior fluuium Iordanis
inchoat. *Et diuisis socijs irruit super eos nocte*:
prudenter se habens tum diuidendo viros
suos in multas partes, vt per diuersa loca
irruentes, & exterrerent incautos quies-
centes & facilius interciperent fere circun
datos; tum eligendo tempus nocturnum,
quo victores securi quiescebant somno, vel
etiam ebrietate. *Percussitque eos*, & post-
quam cœpit percutere *persecutus est eos, vs-
que Hoba, quæ est ad læuam Damasci*; & alio
nomine dicitur Chobaa, situm habens in
eadem regione Damasci. Persecutus est
autem Assyrios, tam longa via, non tam ani
mo vindictæ, quamuis & hanc exercere
potuisset Abram, quia erat supremus prin
ceps non habens superiorem in terris, &
læsus fuerat in nepote, quàm animo & in-
tentione recuperandi plura earum rerum,
quas hostes prædati fuerant: quod perse-
quendo eos perficere potuit. *Reduxitque
omnem substantiã* non solũ equorũ, sed & re
liquarũ facultatũ, quam Assyrij tulerant,
*& Lot fratrem suum cum substantia illius, mu-
lieres quoque, & populum* vniuersum, quem
captiuum duxerant cunctis reddens mani-
festam suam fortitudinem, charitatem,
fidem, vigilantiam, prouidentiam, iusti-
tiam, liberalitatem, & studium in ami-
cos. *Egressus est autem Rex Sodomorum in
occursum eius* gratiam exhibiturus Abræ
pro recuperato sibi regno & hostibus
prostratis, *postquam reuersus est à cæde
Chodorlaomor, & regum, qui cum eo erant*.
Locus autem occursus Regis Sodomo-
rum fuit *in valle Saue, quæ est vallis Regis*.
Hoc nomen sortita, quod ad eam vallem
recreandi animi gratia reges se se conferre
con-

Digitized by Google

consueuerant; nam & locum fuisse dicunt & stadium, vbi reges ludebant & se se exercebant. Nunc vocatur à Palæstinis Aulon aut Gau'on. † *At verò Melchisedech*, cuius neque genealogiam, neque vitæ mensuram describere oportet, qui tamē erat *Rex Salē*, scilicet ciuitatis, quæ postea dicta est Hierusalem, vel oppidi Salem iuxta Scythopolim in regione Sichem, *proferens panem & vinum* in oblationem & sacrificium offerendum summo Deo in gratiarum actionem pro Patriarchæ victoria. Quale sacrificium iure optimo Melchisedech offerre poterat: *erat enim sacerdos Dei altissimi* ratione primogenituræ, *benedixit ei*, videlicet Abræ benedictione opitulantis, tanquā maior minori, *& ait, Benedictus Abrā* sit, & bonis omnibus præditus, non quidem coram hominibus, seu existimatione hominum, qui frequenter falluntur, & bonum malum, & malum bonum dicunt, & iudicant, sed sit Benedictus *Deo excelso, qui creauit cælum & terram*, idest coram Deo summo, qui reuera res omnes, quascunque vult, veris bonis afficit; *& benedictus* sit benedictione laudis, & exaltatus *Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt*, ac traditi potestati tuæ. Abram verò agnoscens summam excellentiā sacerdotis Melchisedech, tum quod simul esset Rex & sacerdos, tum quòd neque carnis neque sanguinis victimas, neque cruētū aliud immolauerit, sed panem & vinum simplex, purumque sacrificium; partem eorum, quæ ex victoria Regum acquisierat, obtulit ipsi Melchisedech. *Et dedit ei decimas*; nempe vnum de decem, loco portionis Deo, ac sacerdotibus debitæ, *ex omnibus* quæ tam ex præda hostibus adempta, quàm ex receptis bonis Pentapolitanorum habita fuerāt. *Dixit autem Rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas*, seu mihi subditas personas, quarum quasi princeps singularem curam gero: *cætera tolle tibi*: totum enim ac bonorum meorum iacturam nihili facio. *Qui respondit ei: Leuo manum meam*, ó secundùm quod leuare solent iurantes *ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ*, cuius fidem profiteor, & quem in testem inuoco, ne fortè existimes me simulatè loqui, *quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ*, hoc est, rem quamcunque, etiam quantumuis vilem, & contemptibilem *non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*, siue ad te pertineant, siue ad alios Pentapolitas socios tuos. Quam rem idcirco promitto, *ne dicas, Ego ditaui Abram*: volo enim vt gloria, quam præsefert me ditatē fecisse, soli Deo reseruetur, qui innumera mihi quotidie suppeditat bona. Hac igitur de causa voui Domino nihil tuarum rerum accepturum, *exceptis his, quæ comederunt iuuenes*: digni enim fuerunt mercenarij mercede sua, *& partibus virorum, qui venerunt mecum Aner, Eschol, & Mambre: isti accipient partes suas*, quæ sibi stipendij loco contingunt. Quæ autem Sacerdoti Melchisedech data sunt, non tam à me, quàm à Deo, cui pro gratiarum actione debebantur, accepta esse iudico.

[Margin: † Heb. 7.a.5. de conse. d. 2.c. in calice. & c. à capite. — D. — V. — VI.]

ANNOTATIONES IN CAP. XIIII.

I. *Amraphel quis fuerit.*

VT Amraphel.] Hunc aliqui existimant præsertim Hebræi fuisse Nemrod. Id tamen nequaquam verum esse potest. Abraham enim iuxta Eusebium in Chronicis, natus est anno quadragesimo tertio regni Nini filij Nemrod. Vnde veriùs dicitur, quòd Amraphel fuerit Nanias, qui secundùm computationem Berosi circa annum octogesimum ætatis Abram regnauit in Chaldæa, quæ eadem regio est cum Senaar.

II. *Fôs Misphath idē quod Cades.*

AD fontem Misphath.] Ea ratione locus, qui primò dicebatur Cades, postea dictus est fons Misphath, idest, fons iudicij, vt interpretatur D. Hieronymus, quia in eo loco cōtigerunt insignia quædā Dei iudicia. Ibi enim dum filij Israel tendentes de Ægypto in terrā promissionis agerent trigesimam tertiam mansionem, occubuit Maria soror Moysi, & rupe percussa Moyses, & Aaron aquam sitienti populo dederunt, ac contra ipsos sentētia lata est decernēs non esse ingressuros Moysen & Aarō terram promissionis: vt dicitur Num. cap. 20.

III. *Insignis Abrahæ victoria.*

HAbebat puteos multos.] In Hebræo legitur, habebat puteos & puteos: doctus autem interpres phrasim Hebraicam, quæ per repetitionem eiusdem rei significat multitudinē illius, explicuit dicens puteos multos. Idcirco autem referuntur incommoda, quæ Assyrijs imminebant in loco, vbi iniri debebat prælium, vt his omnibus argumentis eximia horum quatuor Regum potentia, & ingens robur manifestius appareat: cum post deuictas plures gentium nationes, tandem contra plures numero reges in locis sibi incommodis victores extiterint: vtque exinde Abrahæ victoria de omnibus illis cum paucis sumpta, illustrior cernatur, Deique præsidio ascribatur.

IIII. *Hebræi vnde dicti.*

ABram Hebræo.] Quoniam Abraham, qui prius cum Thare patre egressus ex Vr Chaldæorum habitauerat in Haran vrbe Meso-

potamiæ Genes. 11. ab eo quod fluuium magnum Euphratem transisset; à Chananæis, inter quos iam habitabat, quasi alienigena & ignotus cæpit vocari Hebræus, quasi dicerent träsfluuialis, quòd e regione transfluuium venisset; sicut modo dicimus Transpadanos, Transmarinos, & Transmontanos. Ideò ipse primus omnium dictus est Hebræus hoc in loco; cum tamen nec ipse Abram, antequam fluuium transiret, neque vllus alius ex posteris Heber hoc cognomen sortitus fuerit. Et hinc ortum habuit, quòd Israelitæ, quasi legitimi Abræ hæredes, cognomen etiam ipsius conseruauerint, & dicti sint non Heberæi, ab Heber, sed Hebræi. Quam sententiam tenent Origenes, Diodorus Tarsensis, Chrysostomus, & Theodoretus quæst. 60. lateque probat Burgensis super cap. 21. Matthæi.

V. *Sacerdotis Melchisedech tria munera.* Dedit ei decimas.] Ex hoc loco manifestè constat tria munera peregisse Melchisedech, quæ ei nō vt Regi, sed vt eximio sacerdoti competierunt. Primum quia panem & vinū obtulit in sacrificium; secundùm quod Abrahæ victori, tanquam maior minori benedixit: tertiū quod decimas recepit ab Abraham de omnibus. Ob quæ munia Dauid in Psalmo 109. & Paulus ad Hebræos cap. 5. sacerdotium Christi potius sacerdotio Melchisedech, quā Aaronis assimilarunt. De qua re videantur D. Tho. & eius expositores 3. p. q. 22. art. 6.

VI. *Leuare man⁹ plura significat.* Leuo manum meam.] Leuare manus multas ac diuersas significationes habet in sacris literis, secundùm quod vni vel alteri rei adiungitur, seu applicatur modus iste loquēdi. Quādo ergo dicitur leuare manum ad Deum semper importat iuramentum, seu inuocationem diuini nominis, solent enim iurantes manum ad cœlum leuare. Vnde in hoc sensu accipiuntur in præsenti verba ista Abrahæ: & etiam quod dicitur Deuteronomij 32. Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam, viuo ego in æternum; & illud Exodi 6. Et induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham.

ARGVMENTVM IN CAP. XV.

¶ Roboratur Abram à Deo ne timore inimicorum succumbat; hæresque de semine suo sibi promittitur, ex quo multitudo populorum propagari debeat, eique promittit Deus terræ Chanaan possessionē, quam promissionem confirmat fœdere inito inter se & Abrā, post cuius fœderis contractionem distinctè commemorat gentium populos, quos dare intendit posteris Abræ.

PARAPHRASIS IN CAP. XV.

A. HIS *itaque transactis*, quæ de eximijs Abrahæ virtutibus in capitulo præcedenti retuli, *factus est sermo Domini ad Abram per* occultā inspirationem, seu internam mentis *visionem dicens:* † *Noli timere Abram*, quòd contra tot Reges insurrexeris quasi potentes sint ad redeundum in Pentapolim, & opprimēdum Hebrō, & omnem terram Chanaan, nec timore traharis ad migrandum inde in remotiorem regionem: nam *ego protector tuus sum*, qui scuti vice tibi ero, & contra omnes hostes tibi clypeus existā, sagittas excipiam inimicorum, easque propellam, *& merces tua magna nimis* ego quoque ero; Ita vt peregrinus factus propter me vtrobique gaudeas de me, scilicet in præsenti quatenus sum protector tuus, & in futuro dum ero merces tua; eaque adeò magna, vt tam excellens bonum, neque oculus vnquam viderit, neque auris audierit, nec in cor hominis ascenderit. *Dixitque Abram* humili conquestione Deum pulsans, vt sibi hæredem tribuat: *Domine Deus quid dabis mihi?* Quamuis enim multa & magna promittis, & das, & beneficijs obruis, maximum tamen bonorum in hoc sæculo, sine quo alia non sunt iucunda, mihi non præstas, filium scilicet de meo semine mearum rerum hæredem & fidei: *ego vadam absque liberis: &* hæreditatem meam consequetur *filius procuratoris domus meæ, iste* videlicet, qui vocatur *Damascus Eliezer*, quem adoptare in filium & relinquere hæredem intendo. *Addiditque Abram* verba hæc adhuc humiliter & constanter pulsando: *Mihi autem non dedisti semen: & ecce* qualiter ob hanc causam *vernaculus meus hæres meus erit.* Hanc synceram & humilem efficacemque Abræ querimoniam reijcere Dei bonitas non debuit, vnde festinatam ei consolationem præstitit. *Statimque*

† 23. q. 5. c. dicat.

B. *que sermo Domini factus est ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus, sed qui* per actum legitimi matrimonij filius *egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.* Cæterùm quia super naturam erat promissio, & vincebat humanam rationem, tum propter senectutem Abræ, tum quia Sarai vxor eius sterilis erat, atque vtero emortuo, ideo auget Dominus promissionum magnitudinem, vt ad promittentis liberalitatem, & non ad naturæ imbecillitatem respiciens Abram benè speraret, consideretque sic euenturũ:

VI. *Leam man' pia ra signif cat.*

Eduxitque eum foras in locum, vbi sereno cœlo stellas claritate differentes conspicere posset, *& ait illi:* † *Suspice cœlum, & numera stellas si potes.* Neque enim possibile est te eas aliqua ratione enumerare posse. Ignorabat Abram, quò tenderet ista Dei iussio, nec tamen audebat quidpiam de illa interrogare. Cæterũ Deus benignissimus illam sibi explicuit, *& dixit ei: Sic erit semen tuum*, tam carnale, quàm quod secundùm spiritum per imitationem fidei futurum est tibi in populo Christiano, non solum quatenus vtrumque semen stellis in multitudine adæquabit; sed etiam quia cœlestis gratia & gloria, qua clarificandi sunt plures vtriusque populi, in siderum claritate præsignatur.

† Rom. 4.c.18.

† *Credidit Abram Deo*; Non humana ratiocinatione curiosius ea, quæ dicta sunt explorans, sed fide ipsam rationem præueniente consentiens. Et quia hoc opus quo Abram credidit, fuit maximè voluntarium & liberum, & ex summa charitate procedens, idcirco, *& reputatum est illi ad iustitiam.* Ita vt ratione huius solius actus credendi ex iusto iustior fieret, quãuis cibis legalibus, aut potibus, aut varijs baptismatibus, vel alijs iustitijs carnis minimè studuerit, nec inseruierit; imo neque tũc temporis circuncisus esset. *Dixitque ad eum* Dominus volens fidem illius corroborare, & persuadere copiosis argumentis de his, quæ nunciata sunt: *Ego Dominus qui eduxi te* non violentia, sed promissionibus, ac mandato *de Vr Chaldæorũ*, nec tamen frustra, & in vanum te illinc euocaui, sed *vt darem tibi terram istam*, I *& vt* tanquam hæres meus *possideres eam*, non quidem per temetipsum sed per posteros: filij enim tui possidebũt eam propter ius, quod tibi accrescit ex mea donatione. *At ille ait: Domine Deus* his quidem quæ à te dicta sunt de hæreditaria possessione terræ Chanaan firmissime credo. Cæterùm consulens infirmitati posteritatis meæ vellẽ, vt mihi dares aliquod signum externum fixæ stabilisque veritatis tuæ, quod sit manifestatiuum fœderis, quod mecum pepigisti de danda terra ista semini meo; non secus ac patri meo Noe dedisti arcum fœderis in signum quod nullatenus futurum esset vltra in terra aquæ diluuium. Aliàs *vnde scire possum*, ita vt posteros meos scientes ac certos faciam, *quòd possessurus sim eã?* Quod quidem firmitatis signum non tam pro me quàm pro semine meo expostulo, vt sciant me hæredem esse à te institutum illius terræ.

† Rom. 4.a.3. Gal.3.a.6. Iac.2.d.23.

I.

Et respondens Dominus: Sume inquit mihi ad offerendum sacrificium *vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.* Hæc enim animalia, quæ offerenda sunt mihi in sacrificijs tã à te, quàm à semine tuo, erũt signa rememoratiua filijs tuis, quòd promiserim tibi terram Chanaan. *Qui tollens vniuersa hæc* † *diuisit ea per mediũ*: idque ex diuino præcepto: voluit enim benignissimus Dominus, postquã contulit Abræ signum externum, quod postulabat, firmare etiam humano more fœdus cum eo, de danda illi terra promissionis, quo certiores faceret filios eius, quòd proculdubio daret eam illis. Hac de causa diuisit Abram vnumquodque illorum trium quadrupedum in duas partes: *& vtrasque partes contra se altrinsecus posuit*, ita vt inter illas posset esse transitus. Moris enim fuit apud veteres, vt cum fœdus inibãt, animal aliquod occiderent, in duasque partes diuiderent, ac inter eas transirent, quasi similẽ sibi pestem imprecantes, si fœdus illud violarent. *Aues autem non diuisit*, quia non erat moris, vt in confirmatione fœderis auis occideretur, aut diuideretur: reliquit tamen illas Abram pro sacrificio. *Descendebantque volucres* solitæ vesci carnibus cadauerum *super cadauera, & abigebat eas Abram.* Nam expectans vt Dominus transiret per medium partium diuersarum abigebat interdum volucres. *Cumque Sol occumberet, sopor* non somnus, sed potius ecstasis *irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum*: quod factum est ad eleuandum Abram à sensibus externis, quo aptius perciperet diuinam reuelationem. *Dictumque est ad eum* per internam mentis illuminationem: *Scito prænoscens quòd* † *peregrinum futurum sit semen tuum*, quod habebis in Isaac & posteris eius,

† Iere. 34.d.18.

C.

† Act.7.a.6.

eius, *in terra non sua* siue in terra Chanaan, antequam tibi in hereditatem donetur siue in AEgypto; in qua quidem peregrinatione nonnulli, ad quos filij tui diuertent, male tractabunt eos, *& subycient eos seruituti, & affligent* oneribus, & duris terræ operibus: duratura est autem huiusmodi peregrinatio *quadringentis annis.* 2 Quamuis
II. enim aliquanto amplius perdurare debeat; cæterum propter numeri plenitudinem dico illam duraturam quadringentis annis. *Verumtamen gentem cui seruituri sunt*, videlicet AEgyptios, *ego iudicabo*, exercendo in eos iudicium vindictæ per immisionem decem atrocissimarum plagarum, *& post hæc egredientur cum magna substantia*, propter supellectilem, qua AEgyptios spoliabunt. *Tu autem ibis* secundum animam *ad patres tuos* iustos, & sanctos, nempe Abel, Noe, & Enoch, *in pace sepultus*: in pace inquam Dei, quæ exuperat omnem sensum, scilicet in gratia & charitate, & *in senectute bona*, non præmatura morte, sed plenus dierum, nempe expletis centum septuaginta quinque annis, in Dei gloriam consum-
D. ptis. *Generatione autem quarta* 3 computan-
III. da ex quo filij tui egressi de terra ista descenderint in AEgyptum, *reuertentur huc*, accepturi terram Chanaan in possessionẽ sibi & semini eorum: *necdum enim comple-*
IIII. *tæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, 4 quas Deus ferre decreuit, & pro quibus eos è patria expulsurus est; *vsque ad præsens tempus*, tempus videlicet quartæ generationis, in quo filij tui reuersuri sunt in terrã Chanaan, & eiecturi priores illius terræ habitatores ob flagitia: & iniquitates eorũ. *Cum ergo occubuisset Sol*, & perseueraret Abram in sopore & horrore magno, qui inuaserat eum, *facta est caligo tenebrosa*, prænuntiatiua proximæ futuræ diuinæ operationis, *& apparuit clibanus fumans, & lampas ignis* 5 in V.
signum diuinæ præsentiæ, *transiens inter diuisiones illas.* Per quem transitum designauit fœdus, quod inire intendebat cũ Abrã, de danda illi terra Chanaã, & simul cõsumpsit quæ proposita erant in sacrificium. *In illo die* † *pepigit Dominus fœdus cũ Abram*, † Sup.
externo & visibili ritu, qualis fuit ille tran- 12. b. 7.
situs inter partes animalium diuisas; & etiã 13. d. 5.
pepigit fœdus intima mentis inspiratione Infr. 26.
dicens: *Semini* † *tuo dabo terrã hanc*, 6 quæ a. 4 Deu.
protenditur *à fluuio Ægypti* turbido, qui à 34. b. 4.
meridie, & quodammodo ab occidente di- 4. par. 9.
uidit AEgyptum à terra Promissionis per f. 26. 1.
desertum, *vsque ad fluuium magnũ Euphra-* Reg. 4. c.
tem, qui huic terræ orientalis est, & quadã 20.
ex parte Septentrionalis, diuidens Palæ- † 25. q.
stinam à Mesopotamia, & Syria Damasci 7. c. si de
in regione Hemath. Est autem terra ista tã rebus.
tæ & tam miræ magnitudinis, vt decem VI.
gentium genera comprehendat, videlicet
† *Cinæos* seu Horrhæos, quorum populos † Deu.
obtinebunt Idumæi, *& Cenezæos* postea 2. b. 10.
vocatos Emim, quos tradam Moabitis, *Cedmonæos*, seu Zomzommim, quos conferam Ammonitis, *& Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque*, qui alio nomine vocantur Heuæi, *& Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos*, quos septẽ posteriores populos partim Iosue, partim Dauid ac Salomon imperio Israelitico subiugabunt.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

I. *Quod vni promittitur, posteris solet conferri.*

VT darem tibi terram istam.] Id quod in præsenti promittitur Abrahæ, non in eo adimpletum est, sed in eius posteris: est enim consuetudo scripturarum quam adnotauit D. Chrys. hom. 8. in Matth. Et Euthym. in cap. 2. eiusdẽ Euangelistæ super illa verba, Ex AEgypto vocaui, &c. vt soleant alicui quædam promitti, quæ non in eo cui promittuntur, sed in eius posteris implenda sunt. Hi autem, quibus hæc promittũtur, principium ferè generis sunt & capita. Patet hoc ex Gene. 26. Tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has: cum tamen non fuerint datæ ipsi Isaac in propria persona, sed in suis posteris. Et infra cap. 27. Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Nec hoc impletum est in Iacob; ipse potius incuruatus est ante filium matris suæ, idest, ante Esau: impletum est autem in Iudæis, qui dominati sunt Idumæis. Denique in beneditionibus Patriarcharum Genes. 49. multa huius obseruationis exempla sunt.

II. *Quod paululum excedit summam perfectioris numeri, non computatur.*

QVadringentis annis.] Quia ex quo Abraham exijt de Haram, cum esset septuaginta quinque annorum & facta est ei promissio, vsque ad exitum populi Israel de AEgypto, & dationem legis in monte Sinai, fluxerunt anni quadringenti & triginta; vt habetur ad Galatas cap. 3. & nos ostendemus super Exod. 12. Hinc est, quòd à tẽpore, de quo loquitur hæc reuelatio, nẽpe à natiuitate Isaac (nã loquitur de peregrinatione seminis Abrahæ) vsque ad exitũ Israel de AEgypto, trãsierint quadringẽti quinq; anni: nã ab illis quadringẽtis trigin ta subtrahi debẽt viginti quinq; anni, qui fuerunt ab exitu Abrahæ de Haran vsque ad natiuitatem Isaac: qui natus est anno centesimo Abrahæ Gene. 17. Hi autem anni quadringenti quinque dicũtur hic quadringenti anni, quia vt

vt docet D. August. li. 2. quæstionum in Exodum q. 47. Solet Scriptura ita tempora nuncupare, vt quod summam perfectionis numeri paululum excrescit, non computetur: cuius locutionis plurima exempla videre poteris apud Martinez lib. 6. Hypotypos. capit. 4. & lib. 10 regula. 43. Prædictam rationem computandi hos quadringentos annos amplectitur D. Aug. in loco allegato, & lib. 16. de Ciuitate Dei, capit. 24. & iuxta eandem intelligere oportet D. Stephanum Actuum. 7.

III. *Quatuor generationes Israelitarũ in Ægypto referũtur*

GEneratione autem quarta.] Quod generatione quarta, ex quo filij Israel egressi sunt de terra Chanaan, reuersi fuerint in illam habituri eius dominium constat ex computatione generationum, quæ in tribubus Iudâ & Leui intra illud tempus contigerunt. Hesron enim filius Phares, filij Iudâ, qui descendit in AEgyptum cum proauo suo Israel; vt dicitur Genesi. cap. 46. Prima generatione earum, quæ contigerunt in AEgypto, genuit Aram, deinde secunda generatione Aram genuit Aminadab: tertia verò in ordine Aminadab genuit Naason & quarta tandem Naason genuit Salmon: quo Salmone nato ingressi sunt Israelitæ terram Promissionis. Is namque Salmon duxit vxorem Raab meretricem Ierico, vt dicitur Matthæi primo. Præterea Caath, filius Leui, qui descedit in AEgyptum cum auo suo Iacob vt habetur Genes. 46. prima generatione earũ quæ fuerant in AEgypto genuit Aram: deinde secunda generatione Aram genuit Aaron: tertia vero Aaron genuit Eleazar; & tandem Eleazar genuit Phinees; quo nato ingressi sunt filij Israel in terram Promissionis. Ob quam causam has quatuor generationes, & non plures enumerat Scriptura Exodi cap. 6.

IIII *Tria genera iniquitatũ gẽtis Chananæorũ*

INiquitates Amorrhæorum.] Duæ difficultates se se offerunt circa verba ista, quas nos in Paraphasi pro qualitate rei explicare nequiuimus. Prima est, quænam fuerint iniquitates, propter quas, cum venisset earum complementum, gentes illæ patrijs sedibus exterminandæ erant. Ad quod dico eas iniquitates cõmemorari in sacris literis, vt Leuitici 18. Deuteronomio. 9. & 12. videre est. Et vt summatim eas lectori indicem, triplex earum iniquitatum genus fuit. Primum promiscua & indifferens matrimonialis coniunctio cum mulieribus nullo habito discrimine, nulloque respectu cognationis, & affinitatis. Alterum fuit peccatũ nefandum, & contra naturam, id est, commistio non solùm marium cum maribus, sed etiã cum bestijs. Tertium fuit multiplex, eaquê fœdissima, & impietatis plenissima superstitio; præsertim autem quod proprios filios igni cõburendo Dijs emmolarent: atque hisce tot tantisque sceleribus gentes illæ adeo factæ sunt abominabiles, vt eas terra sicut Scriptura loquitur. Leuit. 20. sustinere amplius non potuerit sed coacta fuerit euomere, ac prorsus ab se abijcere. Altera difficultas est, cur hic vnius tantũ gentis Amorrhæorum mentio fiat; cum manifestum sit ex alijs Scripturæ locis septem fuisse gẽtes, quæ terram illam habitauerint, & possederint, & quibus exterminatis Deus, in eorum terram Hebræos introduxerit. Ad quod facile respondetur. Aut enim per Synecdochẽ posita est pars pro toto, id est, vna gens Amorrhæorum pro omnibus gentibus, quæ terram illam possidebant: sicut etiam Iosue capi. 1. nominantur tantum Ethei pro alijs omnibus. Aut (quod proprius vero est) ob eam causam præcipuè, ac singulariter nominati sunt Amorrhæi, quod isti & amplitudine gentis, & proceritate corporis, ac robore, & crudelitatis atque impietatis inhumanitate cæteris eius terre habitatoribus insigniores, ac celebriores futuri essent. Namque Amorrhæi dispersim & confuse vniuersam ferè Chananitidem habitasse videntur. Cum enim ea natio primo regnum Seon & Og, quod erat trans Iordanem occupasset; postea numerosissima prole aucta multas colonias emisit in diuersas Chananææ partes: siquidem circa Antilibanum consederunt, vt legitur Deut. 1. Alios non procul Cadesbarne, & Amalecitis sedes tenuisse proditum est Genes. 14. Alios denique Iudææ montanis habitasse ex relatione speculatorum Moysis Numero. 13. cognoscere licet. Non igitur mirum si Amorrhæorum appellatio pro vniuerso eius terræ incolarum genere nonnunquam ponatur in sacris literis. Proceritas certe & robur corporis eius gentis non potest expressius declarari, quam declaratum est per hyperbolicam locutionem ab Amos Propheta cap. 2. illis verbis: Ego exterminaui Amorrhæum: cuius altitudo cedrorum altitudo eius; & fortis ipse quasi quercus. Tanta porro erat Amorrhæorum immanitas morum, & crudelitas, atque impietas, vt olim Prouerbio locum fecerit: quo enim improbitas alicuius exaggeraretur, solebat ille appellari Amorrhæus: quemadmodum Ezechiel decimosexto de Iudaico populo dixit: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Gethæa.

Cur hoc loco soli nominentur Amorrhæi

Quales fuerint Amorrhæi.

V. *Lampas ignis & clibanus quid designauerint.*

ET lampas ignis.] Ea ratione transiuit Dominus inter diuisiones illas sub figuris clibani & lampadis, quia talem se exhibere exterius voluit in oculis Abrahæ, qualis postea futurus erat filijs eius in AEgypto: illos enim prius transire fecit per clibanum laborum, & seruitutis AEgyptiacæ: ac postea multis miraculis, & prodigijs, quasi lampade diuinæ claritatis illustrauit. Quod autem transitus iste Dei sub figura clibani, & lampadis inter diuisiones animalium occisorum fuerit symbolum pacti, seu fœderis diuini constat ex eo, quod simili ritu & ceremonia antiquitus moris erat inire pacta. Quem etiam morem tetigit Ieremias cap. 34. dicens ex persona Dei de induratis Iudæis: Non obseruauerunt verba fœderis mei, quibus assensi sunt in conspectu meo vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.

VI. *Duplex promissio Abrahæ*

SEmini tuo dabo terram hanc.] Duplex promissio facta est Abrahæ, & vtraque adimplenda erat in semine eius. Altera quidem

facta, spiritualis & temporalis. erat temporalis, & terrena: De qua in præsenti fit mentio; nempe quod hoc vel illud terræ spacium semen illius habere debuerit. Altera verò erat spiritualis, & æterna in Christo adimplenda: de qua dicitur inferiùs capite 22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Hæc igitur posterior, quia dignior fuit, & excellentior, non in quolibet semine Abrahæ, sed in eo quod vocandum erat in filio hærede, nempe in Isaac, & Iacob completa est. Cæterum illa prior benedictio terrena, & corporalis non solis filijs Isaac & Iacob, sed etiam alijs aliquo modo pertinentibus ad Abraham communicari debuit loco munerum, quæ contulit Abraham filijs concubinarum, vt habetur inferiùs cap. 25. Vnde terra decem gentium, cuius hic fit mentio, non in vniuersum cessit in potestatem Israelitarum: sed pars quædam data est Idumæis filijs Esau nepotis Abrahæ; & aliæ duæ partes datæ sunt Moabitis, & Ammonitis filijs Lot consobrini Abrahæ; idque ob merita ipsius Abrahæ. Vnde contra eos non fuit licitum Israelitis bellum inire. Reliquæ autem septem partes datæ sunt Israelitis: ac proinde istarum dumtaxat, & non plurium fit mentio in libris Exodi & Deuteronomij, quotiescúq; memorátur gentes, in quarũ terrã introducendi erãt filij Israel, præsertim Deute. 7

ARGVMENTVM IN CAPVT XVI.

¶ Sarai tradit Abræ in vxorem Agar Ancillam: hæc autem videns se concepisse, despexit dominam suam, à qua affligitur, quousquè fugam inijt. Cæterũ fugiens consolatur ab Angelo, & ab eo reducitur in domum Abrahæ, vbi peperit filium, quem vocauit Ismael: cum esset Abraham octoginta sex annorum.

PARAPHRASIS IN CAPVT XVI.

A. IGITVR *Sarai vxor Abrã non genuerat liberos*, etiam post Dei pacta cũ eo inita, & post pollicitationẽ innumeræ multitudinis ex eo procreandæ, *sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar* vnam ex his, quæ Pharao illi donauerat, quando tanta vltione à Deo punitus est, *dixit marito suo* nón absquè impulsu Spiritus Sancti, cor ac linguam illius mouentis: *Ecce conclusit me Dominus ne parerem*: sicut enim nos aperimus & claudimus domos, ita & Dominus in naturis rerum operatur, & suo præcepto claudit: & iterum quando vult aperit, & iubet naturam, quod suum est operari: † *Ingredere ad ancillam meam*, maritali non adulterino affectu, *si forte saltim ex illa suscipiam filios* adoptiuos, quando non possum eos habere naturales. *Cumquè ille acquiesceret deprecanti*, ita vt nullus iniuriæ in vxorem primam ex hac bigamia locus relinqueretur: tunc Sarai *tulit Agar Ægyptiam ancillam suam post annos decem, quàm habitare cæperant in terra Chanaan*, cum iam experta esset, quòd ipsa nec puella, nec iuuenis, nec prouectioris ætatis concepisset; agebat enim septuagesimum quintum ætatis annũ *& dedit eam viro suo vxorem*: Id proculdubio naturali lege permittente, quæ nulla tenus prohibebat ex sufficienti causa, qualis tũc temporis interueniebat, plures habere vxores: & idcirco Abram accepit ancillam in vxorem minus principalem. *Qui ingressus est ad eam*, vt prolem, quam de Sarai habere non poterat, de ancilla haberet. *At illa concepisse se videns*, neq; Dominæ admirabilem maiestatem, nequè suæ conditionis vilitatem cogitauit, sed inflata & superbiens *despexit dominam suam*, quę illam tam commendatam habebat, vt & in viri thalamum admitteret. *Dixitque Sarai ad Abram* torquens in ipsum iniuriam sibi ab ancilla illatam. *Inique agis contra me*; iniquitas enim quę in me fit, super te innititur, & super authoritatem tuam fulcitur: quoniam non auderet ancilla mea despicere me, nisi in te cõfideret, *ego dedi ancillam meam in sinum tuũ*, vt mærorem illum solarer, quem habebas ex prolis inopia: *quæ videns, quòd conceperit despectui me habet*, signa despectionis & contemptus oculis ipsis demõstrando. Cogita ergo quantam rem egerim, vt te consolarer, volens te vel in senectute patrem fieri, &an-

Margin: I. B.

† 32. q. 4. c. dixit Sara. 2. q. 9. c. tãtũ valet 56. dist. c. bis.

Digitized by Google

& ancillam meam in locum meum adduxi. Tu autem videns illam, tam ingratam non vltus es, non rependisti mihi vices beneuolentiæ, quam in te declaraui. Quapropter Deum tanquam supremum tribunal appello, *iudices Dominus inter me & te*. Quæ verba & si dolentis animæ erant, certè Abram ægrè tulisset, nisi tantis virtutibus fuisset præditus, & in tanta reuerentia Saram habuisset, non ignarus eam muliebri passione turbatâ prædicta verba protulisse. *Cui respondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est*, neque enim illi ita affectus sum, vt contra æquitatem ei patrociner; *vtere ea, vt libet*, puni, castiga, increpa, vt vis, & tibi placuerit. Nulla mihi eius rei cura vel ratio, tantùm ne mihi imputes, quæ illa temere egit. *Affligente igitur eam Sarai*, & authoritate suâ vtente, ac ostendente se dominã illius esse, Agar fœminea impatientia sub esse noluit, vnde *fugam iniit*, periclitari eligens potius & aufugere, quam humiliari & obedire. *Cumquè inuenisset eam Angelus Domini* custos familiæ ipsius Abræ, *iuxta fontem aquæ in solitudine*, quiquidem fons aquæ, *est in via Sur in deserto*, quòd ad AEgypti cõfinia peruenit: versus AEgyptũ enim AEgyptia ibat, *Dixit ad illam* non ignorando, sed vt responsionem eliciat: *Agar ancilla Sarai, vnde venis, & quo vadis?* Vocauit autem illam Angelus proprio nomine & propria conditione seruitutis exprimendo nomen suæ dominæ, vt Agar, quæ Angelum secum loquentem hominem putabat, non horreret respondere ad interrogata homini cognoscenti illam, vt pote nomen, & dominam, & conditionem ipsius Agar explananti: *Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ*, eiusquè vehementi furore, *ego fugio*. Confitetur peccatum non excusans illud, vnde veniam, consolationem & gratiam consequitur. *Dixitquè ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, &* quia ex fastu & superbia mentis illam in iram excitasti, *humiliare sub manu illius*, ac subiecta esto ei: hoc enim tibi proderit. Cogitante autem secum Agar, quis nam esset, qui eam monebat ad reuertendum & se humiliandum, siluit paululum Angelus, ac manifestauit se ipsum, *& rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, &* si reuersa fueris ac humiliaueris te sub manu dominæ tuæ, semen tuum *non numerabitur præ multitudine*. Quæ verba in persona Dei locutus est Angelus. *Ac deinceps, Ecce, ait, concepisti & paries filium, vocabisquè nomen eius Ismael* i quòd exauditio Dei interpretatur, *eo quod audierit Dominus afflictionem tuam*, tam eam, quàm à Sarai perpessa es, quam eam, qua in deserto periclitata, & qua humiliata nunc Dominæ obedire consentis: nulla enim afflictio saltim quatenus pœnam infert, excluditur in vita præsenti ab exauditione diuina. Vnde quantum sit in afflictionibus lucrum, & quanta calamitatis vtilitas in ipsa nominis filij tui impositione agnoscere poteris. *Hic erit ferus homo*, & siluestris, qui quasi onager fugiet hominum frequentiam, & tam ipse quàm semen eius diliget in eremo, incertisquè sedibus habitare. *Manus eius contra omnes, & manus omniũ contra eum*: posteri enim eius vniuersas gentes, quibus desertum ex latere iungitur, incursabunt, & impugnabuntur ab omnibus *& è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula*: morabitur enim in deserto Pharan, quod est in conspectu terræ inhabitandæ à reliquis filijs Abram, & à filijs Lot: hos namque appello fratres Ismael. *Vocauit autem* Agar *nomen Domini, qui loquebatur ad eam* imponendo nouum & speciale nomen ei, qui per ministerium Angeli loquebatur cum ea, & vocans eum: *Tu Deus qui vidisti me*: à beneficio enim quo dignatus est ipsam visere prouidendo illi, peculiare nomen Deo imposuit, & vocauit, Videns mei: ipsa siquidem nominatio est beneficij agnitio, ac gratiarum actio. Cognouit quippe Agar Deum esse, qui per Angelum & ministrum suum locutus est ad eam, tum quòd subito est sibi occultatus; ita vt amplius illũ videre nequiuerit Agar: tum etiã agnouit quid diuinum esse, ex effectibus cœlestis consolationis & tranquillitatis mentis, & serenitatis cogitationum, quos in se ipsa experta est. *Dixit enim* post quam euanuit Angelus ab oculis eius: *Profectò hic vidi*, & experta sum effectus diuinæ prouidẽtiæ, qui sunt *posteriora videntis me* oculis immensæ præscientiæ: non tamen vidi faciẽ eius, quæ est incommutabilis ipsius substãtia & essencia. † *Propterea appellauit puteum illum*, seu fontem aquæ, iuxta quem hæc apparitio contigit, *Puteum viuentis* Dei, qui solus habitat immortalitatem, *& videntis me* corporali specie visitando, & saluti meæ prouidendo. Puteus autem *ipse est inter Cades & Barad* in confinibus Palæstinorum, vbi terminatur terra Chanaan versus austrum. *Peperitque Agar Abræ filium* post quam

III.
D.
L.
B.
II.
† Infra 24.v.62
IIII.

quam reuersa fuerat ad eius domum: *qui vocauit nomen eius Ismael,* & fuit primus inter homines, qui ante natiuitatem sortiti sunt nomen à Deo. *Octoginta & sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem* anno videlicet vndecimo postquã de Charran exiuit: tunc enim agebat septuagesimum quintum annum.

ANNOTATIONES IN CAPVT XVI.

I. *Abrahã ex Dei nutu plures accepit vxores.*

DEDIT Viro suo vxorem.] Cum Abraham videret non sibi nasci filios, & tamen semini suo fuisse promissam terram, & innumerabilis multitudinis abundantiam, nec sibi fuisse patefactum, quomodo illius seminis esset futura propagatio, primo de adoptione cogitabat, vnde cum Deo loquens capite præcedenti dixit: Ecce vernaculus meus hæres meus erit, tanquam diceret, quia de me ipso mihi semen non dedisti, in isto comple, quod meo semini promisisti. Solet enim semen alicuius appellari etiam quod ab eius carne non nascitur: prout Apost. Roma. 4. Vocat nos semen Abrahæ, qui certe originem carnis ab illo non ducimus, sed imitatione fidei semen eius facti sumus credentes in Christum: cuius caro ex illius carne propagata est. Postquam autem Abrahã audiuit à Domino: Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem: iam nunc adoptionis cogitatione sublata, cum de se ipso semen speraret Abraham restabat incertum vtrum ex Sarai, an ex alia: quod illi Deus occultare voluit, ad hoc vt ex concubinis vetus testamentum, & hæreticorum turba figurentur. Vnde Abraham (præter Cethuram, quã in concubinam postea accepit affectu maritali) videns sterilem vxorem cupientem sibi prolem, quam parere ipsa nõ poterat, ex famula sua, & ex se, vt potè ipsius marito prouenire, non suæ carnali cupiditati consentiens, sed coniugali potestati obtemperans, Agar in vxorem accepit, credens Saram hoc ex Dei nutu voluisse, qui iam ex se ipso illi hæredem promiserat: sed ex qua fœmina, is sibi futurus esset, non prædixerat.

II. *Facies pro furore seu indignatione.*

A Facie Sarai.] Facies pro furore accipi frequens est in sanctis Scripturis: qualc est illud Psalm. 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Et illud Ierem. Thren. 4. Facies Domini diuisit eos. Et illud Oseæ. 7. Humiliabitur superbia in facie eius. Et apud Iob cap 41. Dominus inquit: Quis resistere poterit vultui meo? Et in Psalm. 33. Vultus autem Domini super facientes mala, vt disperdat de terra memoriam eorum. Quibus in locis atque alijs id genus Panim Hebraicum, quod modo facies modo vultus interpretatur, recte pro furore seu indignatione positum intelligitur.

NOmen eius Ismael.] Quamuis tam nouam & non paruam gratiam Ismael à Deo obtinuerit, nescitur tamen bonus ne an malus fuerit: vt ex diuina gratia gratis data nullus glorietur, nec se ipsum certo existimet bonum. Vltra Ismaelem alij tantum tres leguntur in sacris literis habuisse nomina imposita à Deo ante natiuitatem. Videlicet Isaac, capite sequenti: Ioannes Baptista, & Christus Dominus, Luc. 1. Nomina enim Iosiæ Regis Iudæ, 3. Reg. 13. & Cyri Regis Persarum Isa. 45. potius prophetata videntur, quàm à Deo imposita aut instituta. III. *Nomina imposita ante generationem.*

PVteum illum.] Nõ moueat lectorem quod qui paulo ante dictus fuerat fons, hic appelletur puteus. Vere enim fons erat, sed quia in profundo terræ latebat, nec nisi per funem, situlam, aut alio quopiam modo hauriri ex eo aqua poterat, propterea appellatus est puteus. Vera enim est sententia illa B. August. tracta. 5. in Ioann. Omnis puteus fons est, non omnis fons puteus. Vbi enim aqua de terra manat, & vsui præbetur haurientibus, fons dicitur. Sed si in promptu & in superficie sit, fons tantum dicitur. Si autem in alto & profundo sit, ita puteus vocatur, vt fontis nomen non amittat. IIII. *Fons & puteus interdũ sũt idem.*

ARGVMENTVM IN CAPVT XVII.

¶ *Apparens Deus Abræ iterum promittit ei multiplicationem seminis sui, in cuius rei signum & mutat illi nomen, vocans eum Abraham, & imponit præceptum Circuncisionis, & quia huiusmodi multiplicatio futura erat per filiũ, quem habere debebat Sarai, mutat etiam illi nomen vocando eam Saram: & eius filij nomen prædicitur, quod futurũ erat Isaac, qua reuelatione transacta Abrahã & omnes domestici eius masculi circunciduntur.*

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAPVT XVII.

A. POSTQVAM *vero nonaginta & nouē annorū esse cœperat*, ne Abrā putaret promissum illud quod non esset eius hæres vernaculus, quem adoptare intendebat, sed filius, qui de suo vtero nasciturus erat, fuisse impletum in ancillæ
I. filio, *apparuit ei Dominus* 1 in specie visibili corporeis oculis, *dixitque ad eum. Ego Deus omnipotens*, qui mihi & omnibus solus sufficiens sum, *ambula coram me*, atquè stude in omnibus mihi complacere, & inseruire, non secus atque homines solent ad nutum regis actiones suas componere, quando ante faciem eius ambulant: *& esto perfectus* cunctaque conare, quantum vales, perfectè conficere, enitens ad culmen virtutū cunctarum. *Ponamque* in exercitio, & executioni mandabo *fœdus meum*, quod pepigi *inter me, & te*, vt peculiari cura ego tibi sim Deus, tu verò peculiari quodam affectu mihi soli seruias: *& multiplicabo te vehementer*, sicut puluerem terræ, *& nimis*, sicut stellas cæli. *Cecidit Abram*, adorans & gratias agens *pronus in faciem*, hac ceremonia, & figura suam indicans gratitudinem, & humilitatem. Ita enim gratæ animæ quanto maiori fruuntur fiducia; tanto maiorem Deo reuerentiam exhibent. *Dixitque ei Deus* suam ineffabilem liberalitatem amplius ostendens: *Ego sum* ipsum æternum & incommutabile esse, qui vt talis non obliuiscor eorum, quæ promisi: Vnde *& pactum meū* quod superius capite quinto decimo pepigi *tecum*, opere complebo & firmabo † *erisque pater multarum gentium*, tam secundum carnem, quàm secundum spiritum. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram*, quod interpretatur pater excelsus: esse enim patrē excelsum conuenire potest cuilibet magnati, etiamsi habeat modicam prolem, vel
II. familiam: *sed appellaberis Abraham*, 2 quod transfertur pater multarum vel multitudinis: *quia patrem multarum gentium constitui te* conferens tibi ex gratuito Dei dono, quod non habebas ex natura. *Faciamq; te crescere vehementissime. & ponam te*, vt sis pater multitudinis non solum in populo Israel, seu populo Iudæorum, sed etiam *in gentibus*, quarū plures ex te egredientur secundum carnem, & multo plures per propagationē fidei, & spiritus: *regesque ex te egredientur*, imo & ipse rex regum & Dominus dominantium Christus Iesus. *Et statuam pactum meum*, speciale vltra generale, quod pepigi cum vniuerso hominum genere ratione creationis, *inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis*: primum quidē in generatione carnali eorum, qui ex te originem ducent per lineam Iacob; deinde in generatione spirituali eorum, qui per fidē seminis tui, quod est Christus, futuri sunt semen tuum. In his igitur duabus generationibus statuā pactū meū *fœdere sempiterno*, successiuè tamē: nā cū semine carnali durabit fœdus hoc vsq; ad aduentū Christi, cū semine autē spirituali durabit vsq; ad consummationem seculi. Pactum autem & fœdus, quod statuam, in hoc consistet, *vt sim Deus tuus, & seminis tui post te* specialiora signa prouidentiæ meæ, & gubernationis circa vos ostendens, quatenus ex omnibus gentibus vos eligam in peculium, & hæreditatem meam, vt peculiari ritu, & ceremonijs me tanquam Deum vestrum colatis, & reuereamini. † *Daboque tibi, & semini tuo*, quod ex te futurum est per carnalem propagationem, *terram peregrinationis tuæ*, non quidem vniuersam illam, nec enim tibi dabo terram Aegypti, quamuis in ea etiam peregrinatus fueris, sed *omnem terram Chanaan in possessionem æternam*, nunquam à filijs tuis auferendam, quandiu status & illorum respublica durauerit, & quamdiu te per morum imitationem tanquam patrem habuerint, & reuerebuntur. *Eroque Deus eorum* maximam me ipsorum curam habere ostendens, meumque subsidium illis præstans. *Dixit iterum Deus ad Abraham* interposita pausa priorem sermonē prosequēs. † *Et tu ergo* tanquam altera pars paciscēs solicitudine adhibita *custodies*, seu custodire teneberis *pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis*: vt enim quecūquè pollicitus sum opere compleam, à vobis quoquè obseruatio & adimpletio eorū, quæ ad vos pertinent maximopere exigitur. *Hoc est pactum meum* quantùm ad id, quod requiritur ex parte vestri, † *quod obseruabitis*, hoc est, obseruare tenebimini *inter me & vos, & semen tuum post te*. Neque enim ad illud tenentur vniuersi de mundo, sicut suo tempore tenebuntur ad legem baptismi, sed hi tantū qui ad te pertinent ratione carnalis propagationis, *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*, nō verò fœminæ quia

Marginal notes:
† Ezech. 44. c. 20. Rom. 4. c. 17.
† 32. q. 4. ca. recurrat §. his itaq; B.
† Act. 4. 8.
† 25. q. 1. c. 1. §. ita ergo.

Digitized by Google

quia signum distinctiuum populi Dei à populis gentium, & quod specialiter ordinatur in remedium originalis peccati, quale est circuncisio, institui debet in sexu perfecto à natura ad gubernationem, imo & ad constitutionem reipublicæ, & in eo, qui fuit causa transfusionis originalis peccati. Is autem est sexus masculinus: *& circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit* † *in signum* († Rom. 4. b.11. Leuit.12 a.3, Lu. 2.c.a.21.) *fœderis inter me & vos*: sicut enim signum fœderis, quòd pepigi cum Noë, quod diluuium aquarum vlterius inundaturum non erat, rectè in ipsis nubibus, ex quibus pluuiæ generantur, positum est: ita signum fœderis, quòd in semine tuo benedicentur omnes gentes, conuenienter in ipso seminis effusorio à me est institutum. *Infans octo dierum circuncidetur in vobis*, tum quia ante octauum diem nimis tener infans valde læderetur dolore circuncisionis; & post octauum diem versus duritiem tendẽs plus doloris sentiret, tum præcipuè, quia sicut circuncisionis signum pro testimonio fit vobis, quod fidem habeatis venturi seminis, scilicet Christi, ita in eo quod non quocũ què, sed octauo die circunciditur infans, mysterium continetur plenæ resurrectionis, quam idem Christus est operaturus. *Omne masculinum in generationibus*, & familijs *vestris tam is*, qui dominatus est, qui dicitur *vernaculus, quàm emptitius*, qui pretio aliquo ad seruiendum vobis emptus est, *circuncidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra*, si tamen ad vos pertineat, velitquè recipi in consortium, & ritum vestrum; solis quippe vobis, seu reipublicæ vestræ pręceptum istud circuncisionis imponitur. *Eritquè pactum meum* opere complendum, & executioni mandandum *in carne vestra* per circuncisionem; non quasi fœdus cito abolendum, sed *in fœdus æternum* duraturũ in longum tempus, & prolixum, videlicet quousquè exhibeam semen tuum, quod est Christus, cuius signum & quasi pignus est circuncisio. *Masculus* adultus, qui fuerit de stirpe tua per lineam Isaac, & Iacob hæredum tuorum, talis enim dumtaxat censeri debet obnoxius pœnæ omissæ circuncisionis,
III. *cuius præputij caro* culpabiliter & ex negligentia sua *circuncisa non fuerit*, ‡ in pœnam huiusmodi omissionis, *delebitur anima*
IIII. *illa de populo suo* + morte temporali corporis sui: *quia pactum meum*, seu signum illius fœderis, quod pepigi tecũ, vt omnes de populo tuo circuncidantur, *irritum fecit* illud præuaricãdo, & si aliàs peccatum originale sibi dimissum sit per remedium naturę à patribus applicatum. *Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai*, per nomen constans his tribus literis Sin, Res, & Iod, quòd interpretatur princeps mea, quasi vnius tãtũ domus sit mater familias, *sed Saram*, ita vt sublato elemento Iod, loco illius ponatur litera He, & significetur absolute princeps absque limitatione: omnium quippe gentium futura iam princeps est; *& benedicam ei* dono fœcunditatis miraculosè exornãs, *& ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum* omnibus illis benedictionibus, quas modo retuli, dum nomen tibi commutaui: eum enim crescere faciam vehementissimè. *Eritquè in nationes, & reges populorum orientur ex eo.* Nam secũdum carnem ex Isaac populorum quidem Hebręorum & Idumæorum reges oriẽtur; & secundum spiritum per fidem, qui est ex semine Abrahæ per Isaac renascentur reges gentium, & quam plurimi Ecclesiarum idonei rectores. *Cecidit Abraham in faciem suam* iterum Dominum supplex adorans, *& risit dicens in corde suo*, non irrisione diffidentis, sed risu & exultatione gratulantis: *Putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Quæ verba non dubitantis fuerunt, sed suam fœlicitatem ineffabiliter admirantis; applaudendo enim non disceptando illa protulit. *Dixitquè ad Deum:* Domine satis me consolatus es, & dolorẽ quem ex prolis inopia Sara gerebat dato Ismaele in lætitiam vertisti. Nato enim illo nec in mentem postea accepi, vel cogitaui aliquando quòd è Sara futurus sit mihi filius, sed neq; ipsa hoc expectauit, eo quod Agar mihi tradidit omnem sibi spem denegans. *Vtinam* igitur *Ismael*, qui à te quasi mihi & Saræ datus est, *viuat corã te*, hoc est, in rei veritate, sic enim abundè satis recreati erimus, & senectutem nostram illius vita solabitur. *Et ait Deus ad Abrahã:* † *Sara* († Infra 18.b.10 21.a.2,) *vxor tua*, quam putabas, tum propter sterilitatem, tũ propter ætatem parere nõ posse: ipsa *pariet tibi filium*, & vt nihil hæsitas, ecce tibi & nomen eius qui nascetur præmonstrabo. *Vocabisq; nomen eius Isaac*, quod interpretatur risus, quia risisti ad eius promissionem. *Et constituam pactum meum*, quo promisi dare tibi, & semini tuo terrã Chanaã, & quod speciali cura futurus sum Deus vester; huius inquam fœderis adimpletio reseruabitur *illi in fœdus sempiternum, & semini*

mini eius post eum: ero enim filiorum ipsius Deus, & hi terrã à me promissã habitaturi sunt in perpetuũ, quandiu seculũ & status illorum perseuerauerit, scilicet vsque ad ad uentum Christi, nisi per eos stet. *Super Ismael quoque exaudiui te:* neque enim solum proculdubio viuet, sed præterea *ecce benedi-*
V. *cam ei* 5 cælestis gratiæ beneficio eũ prosequens: *& augebo & multiplicabo eum valde* tum diuitijs tum etiam pluralitate seminis. *Duodecim duces*, & diuersarum gentium reges *generabit, & faciam illum* crescere ac propagari *in gentem magnam* & potentem, ita vt clarissima sit eius posteritas inter omniũ gentium populos. *Pactum verò meum* vni-
D. uersalis salutis & benedictionis omnium gentiũ *statuam ad Isaac*: Christus enim nasciturus est ex semine Isaac, *quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero:* cuius natiuitatis certum tempus exprimo, vt omni ex parte intelligas sic ad literam futurum esse, quod promitto. *Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo* in forma visibili, quam assumpserat, *ascendit Deus ab Abraham* inuisibilem se præbens. *Tulit autem Abraham,* post quam se ipsum circuncidi fecerat, *Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, vniuersosque, quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ*, omnes quippe illi voluntarie, ac libenter suasu, rogatuque Patriarchę circuncisionem acceperunt, quãuis ad id non tenerentur: mouit enim illos summa eius apud suos beneuolentia, & auctoritas: *& circuncidit carnem præputij eorũ statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus*, nihil vlterius percontans, neque causam quęrens, quare illud iusserit Dominus, *Abrahã nonaginta & nouem erat annorum, quando circuncidit carnem præputij sui*: quamuis enim iam in decrepita esset ætate, leniter tulit vehementissimum dolorem propter præceptum Dei. *Et Ismael filius tredecim annos impleuerat tempore circuncisionis suæ*. Ad cuius imitationem futurum erat vt Sarraceni eiusdem Ismaelis posteri circuncidere statuerent pueros suos in tertio decimo anno vitæ ipsorum. *Eadẽ die circũcisus est Abrahã & Ismael filius eius. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quã emptitij, & alienigenæ*, qui ad fidem vnius Dei relicto idolorũ cultu transierãt, *pariter circuncisi sunt:* nec enim voluit Abraham adimpletionem diuini præcepti; etiam per aliquam tẽporis moram differre.

ANNOTATIONES IN CAPVT XVII.

I. *Apparuit Deus Abrahę in specie visibili.*

APPARVIT illi Dominus.] Qualis fuerit ista apparitio non omnino colligitur ex istis verbis: nã possent intelligi, quod apparuerit Deus in imaginatione, mentẽ Abrahæ illustrando. Cæterum ex sequentibus manifeste constat apparitionem istam fuisse factam in specie visibili, tum ex subiuncta bis adoratione Abraham prosternendo se super terram; sensuum enim externorum vsus ad prostrationem testatur non fuisse Abraham abstractum à sensibus; tum etiam quòd in calce huius apparitionis scribitur ascendisse Deum ab Abraham ad significandum abscessum Dei. Hæc enim sonant corporales actiones.

† *Infra 18.b.10 21.a.1.*

II. *ratio mutationis nominis Abram in Abraham.*

SEd appellaberis Abraham.] Ab hoc loco scribendum & proferendum est Abraham cuius nominis hæc est etymologia: Hamon enim multitudinem sonat, quod si cum Abram cõponatur vltima syllaba dẽpta fiet Abramhã sed quia esset cacophonia, m, nominis Abraham dimittitur, fitquè Abraham ex Abra & ham significans patrem multorum, seu multarum gentium: adiectiua enim substantiuata aequipollent in significando substantiuis, & adiectiuis simul. Ante ergo promissionem Isaac, nomen patriarchæ erat Abram, id est pater excelsus: postea autem paternitatis illius celsitudo ornatur interpositione, He, literæ, quæ inter sacratiores literas, quibus nomina Dei scribuntur, principalis est, vt pote quæ sola bis scribitur in nomine illo ineffabili Iehouah, & denotat personam Verbi in duplici natura subsistentem, vt intelligatur multiplicationem seminis Abrahę, penes quã celsitudo paternitatis eius attendi debet, non vtcumque obuenturam, sed in filio, qui in litera, He, communicare debet cũ patre Abraham, nempe per filium, qui futurus est Deus. Quod vt amplius significetur semel ascribitur litera He nomini Abraham, & secundo ascribitur nomini Saræ mutata Iod in He: bis enim litera hæc vt dictum est inuenitur in nomine ineffabili, & sic apertius indicatur prærogatiua quędam maxima data vtrisque parentibus generandi Deum aliquando de semine suo in Christo nascituro de beatissima Dei genitrice Maria, quæ vera & naturalis fuit filia Abrahæ & Saræ.

III. *Pœnæ omissæ circuncisionis solos adultos astringit.*

CIrcuncisa non fuerit.] Hic non loquitur Scriptura de infantibus, sed tantum de adultis Hebræis, in quorum potestate est seruare, vel violare circuncisionis fœdus diuinum: vt docet Diodorus Tharsensis præceptor D. Chrysostomi, quem recentiores communiter sequuntur: quamuis enim infans Israelita non esset circuncisus, nõ propterea erat obnoxius pœnæ mortis: quod patet: nam nõ erat illi pænæ astrictus ob neglectum præceptum circũcisionis, cum id non fuisset sibi voluntarium: neque etiam propter peccatum originale, nam poterat contingere, quòd hoc sibi esset dimis-

sum

sum per remedium naturæ ex fide parentum, & oblatione hostiarum: constat ergo hoc in loco pœnam mortis impositam esse dumtaxat adulto; cuius caro præputij circuncisa non fuerit, proculdubio voluntarie; maximè quòd appositam pœnam ad præsentem vitam spectare videtur: nam apud Hebræos animam alicuius deleri de populo suo idem significat, atque exterminari à societate viuentium, & facere ne possit quis amplius inter homines viuere, & quod Latine dicitur, de medio tolli, & vita spoliari: passim enim in scriptura anima pro vita vsurpatur, vt patet Iob primo: Pellem pro pelle, & cuncta, quæ possidet, dabit homo pro anima sua. Psal. 118. Anima mea in manibus meis semper. Ma 16. Qui odit animā suā, & alibi sępe

IIII. *Pœna omissæ circuncisionis a quo tempore cœpit obligare.*

DE populo suo.] Iuxta Hebræum pluraliter legitur de populis suis ad significandū, vt optimè ponderat Caietanus, quod huiusmodi pœna mortis corporalis non promulgabatur pro tunc, sed pro futuro tempore, quo semē Abrahæ in multos populos diuisum foret: quod tunc fuit, quando post egressum ex AEgypto filij Israel ingressi sunt terram promissionis, & per diuersas ciuitates sparsi cōstituerunt plures populos, partes tamen vnius totalis populi Israel. Ad illud itaque tempus refertur hæc pœna, delebitur anima illa de populo suo. Præcepit siquidem Deus tempore Abrahæ, vt cum aduenerit tempus, quo semē suū erit in terra Chanaan obtinens ciuitates, & complens vnam per se rempublicam non patiantur adultum aliquem incircuncisum, sed siquis nō vult circuncidi deleatur vita eius. Quæ pœna erat auctoritate Iudicum infligenda. An vero sub reatu culpæ obligauerit hoc præceptum à tempore Abrahæ, ita vt omnes Abrahemitæ, in quibus scilicet vocandum erat semen Abrahæ, tenerentur sub culpa graui, cessante legitimo impedimento, circuncidere octauo die paruulos suos; vero similior apparet pars affirmatiua constatque ex eo quod in libro Exodi capit. 4. proditum est contigisse Moysi; cùm namque Angelus interimere voluit ob prætermissam filij circuncisionem. Dixi autem cessante legitimo impedimento: quia potuit circuncisio, sine crimine, vltra diē octauū differri, si aliquod ineuitabile impedimentum, necessitas ve circūcisionē octauo die fieri prohiberet. Quod verū esse probatur similitudine desumpta à dispositione legis circa celebrationē Paschæ. Ipsum quippe Pascha Iudaicum, non minus seuera, rigidaquè lege Dei primo anni mense agi mandatum est, quàm circuncisio octauo die: at celebritas paschalis, vltra id tēpus differri poterat, si tunc quispiam propter legalem immūditiā super animā hominis mortui, à celebrādo Paschate impediretur; aut è longinquo veniens, ad diē lege constitutū peruēnire non posset ad eum locum vbi celebrandū erat Pascha, vt habetur Num. 9. Consimili igitur ratione, si octauo die ingens vitæ periculū ex circuncisione timeretur infanti, aut esset quispiā in itinere, necessitate quapiā suscepto, nec interquiescēdi certū aliquod spacium daretur, sine vitio poterat circuncisio prorogari. Ob idq; omissionem circūcisionis in deserto, cuius meminit Iosue ca. 5. à crimine vindicant noster Damascenus li. 4. Fidei orthodoxæ ca. 16. Theodoret. in Iosue, q. 21. & alij quā plures; nusquā quoq; in Sacris literis legimus crimini datū Hebræis. Vnde quod incircuncisi essent, qui nascebātur in deserto, non tam fuit culpa, quā pœna, quæ parentū animos vreret magis, quā filios ipsos plecteret. Huc enim videntur spectare verba illa Domini Nume. 14. Vestra cadauera iacebūt in solitudine. Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationē vestrā, donec consumātur cadauera patrum in deserto. Quasi diceret, quia vos per rebellionē, à familia mea in quā adoptati eratis, desciuistis; filij quoq; vestri, adoptionis meæ nota & insigni, quod est in circuncisione, carebunt, quandiu vos viuetis. Et huius equidē rebellionis meminit D. Aug. q. 6. in Iosue, cū inquit filios Hebręorū in deserto incircuncisos fuisse propter inobediētiā parentū: neque enim loquitur de inobedientia ob prætermissam circuncisionem.

A tēpore Abrahæ, culpabilis fuit Hebræis omissio circūcisionis.

Ex legitima causa differri poterat circūcisio.

V. *Benedicere, & gratiam impartire.*

ECce benedicā ei.] Quia opera Dei perfecta sunt, & Deū cuipiā benedicere idē est quod benefacere, quotiescūq;. In sacris literis dicitur, quod Deus alicui benedicit, si non exprimatur genus aliquod bonorū, quorum largitio per benedictionē repromittatur, intelligendū est ea bona illi Deū cōferre velle, quæ vere, & perfecte bona sunt in ordine ad naturā & cōditionē eius, qui benedicitur. Vnde cū homini, eo quod ordinatus est ad finē supernaturalem, nullū perfectū bonū obuenire possit, nisi particeps fiat diuinæ gratiæ, hinc probabilissimū reputo, nulli hominū Deum in sacris literis benedictionē suam absolute & sine limitatione impartire, quin & ad gratiā suā admittere statuerit: qualiter ipsum Ismael admissum fuisse credo. An vero ab eiusmodi gratia, saltim tēpore circūcisionis ei collata, aliquādo acciderit, prout cecidit Cham filius Noë, & dānatus fuerit, incertū est. Ego verius existimo minime fuisse damnatū, sed pœnitentiā egisse de eo, quod persequebatur Isaac, fœliciq; morte fuisse resolutū: de eo enim inferius ca. 25. dicitur: Mortuus est & appositus est ad populum suum: quæ verba nō nisi de iustis vita defunctis refert scriptura: vt ostēdemus inferius cap. 49. anno. vltima.

ARGVMENTVM IN CAPVT XVIII.

¶ *Cōmendat Deus hospitalitatem Abrahæ diuertendo ad eum visibili forma sub specie trium virorum per quos iterum, promittit Abrahæ, quod daret illi filium ex Sara generandum, & per eosdem etiam reuelat Abrahæ punitionem, quā exercere*

inten-

Digitized by Google

intēdebat in Sodomitas. Pro quibus orauit Patriarcha, quousque certior factus ma ximæ eorum impietatis, ab oratione cessauit; Dominusque disparuit.

PARAPHRASIS IN CAP. XVIII.

A. *Apparuit autē* † *ei Dñs* quo eximiā serui sui hospitalitatis virtutē cunctis notā faceret, *in cōualle Mambre*, vbi morabatur Abrahā à tēpore, quo à Lot diuisus est; apparuit autē *sedenti in ostio tabernaculi sui*, vnde Abrahā more suo hospitū explorabat aduēt⁹ *in ipso feruore diei*, quā do sciebat, ꝙ quibus est itineris necessitas, maxime indigēt cura. *Cumq́ eleuasset oculos apparuerūt ei tres*, qui quamuis Angeli erant, & personas gerebāt trini Dei, in forma tamē externa ab illis assūpta videbātur quasi *viri stātes prope eū* in loco aliquantulū eminentiori, quā vbi sedebat Abraham. *Quos cū vidisset* immemor ꝓpriæ imbecillitatis, & senectutis, ne tantū lucrū, quātū est hospitalitas elaberetur, *cucurrit in occursum eorū de ostio tabernaculi & quia existimauit nō sufficere, vt verbis dūtaxat adhortaretur ad manendū *adorauit in terra* in signū eximij cuiusdā honoris, & reuerētię qualis honos tūc tēporis solitus fuit exhiberi magnatibus. *Et dixit* ad vnū eorū, qui honoratior cæteris apparebat: *Dñe si inueni gratiā in oculis tuis*, id est acceptus sum tibi, *ne trāseas seruū tuū* recusās obsequiū meū; magni enim beneficij loco habiturus sum, si ad me declinare digneris. Deinde cōuers⁹ ad duos quos ministros arbitrabatur etiam ipsis deferre gestit famulatū, sobiūgēs: *Sed afferā pauxillū aquæ, & lauate pedes vestros*. Nec enim magnū quiddā est quod ego exhibeo, aquā vobis solū præstare possū, qua loti pedes vestros fatigationē deponite, *& requiescite sub arbore* ad flatū auręgratissimū calētibus ex itinere. *Ponāq́ buccellā panis, & cōfortate cor vestrū postea trāsibitis. Idcircò enim* ex decreto diuinæ ꝓuidētiæ *declinastis ad seruū vestrū*, vt hęc scilicet officia vobis impendere: quod ꝓ maximo Dei beneficio mihi præstito ego reputo: nō ergo debetis trāsire seruū vestrū absq; eo vt apud eū diuertatis. *Qui dixerūt: Fac vt locutus es*. Nihil enim suaui⁹ peregrino, quā alacritas & beneuolētia hospitis, & quia ꝑfectus vir non solū in principio boni operis alacritatem ostendit, sed etiā in progressu, ideò sicut ad inuitandū cucurrerat, ita post acceptatū cōuiuiū ab angelis, quos ipse huc vsq; viros existimabat, *Festinauit Abrahā in tabernaculū* nō ad aliquā ancillarum, sed ad venerandam matronam studio pietatis æque vigētem, scilicet *ad Saram, dixitq́ ei: Accelera* (omnia quippè festinanter & sedulo fieri exopto) *tria sata similæ*, seu tres mensuras farinæ triticeæ excussio omni furfure, *cōmisce & fac subcinericios panes*, seu placētas, panes videlicet rotūdos extēsos, minimæ altitudinis, ac proinde de facili coquibiles, quos subcinericios voco, quia sub tabulis æneis cinere inflāmato cōspersis coqui debēt. *Ipse verò ad armentū cucurrit* per omnia mōstrans his, qui aduenerant quanta voluptate perfusus sit, quantiq; faciat eorū præsentiam, *& tulit inde vitulū* nō casu incidentē, sed *tenerrimū & optimū*: licet enim per cūcta festinet, scit tamē quę precipua & magna sunt hospitio susceptis offerēda, *deditq́ puero* ęque solicito, vt pręparaet vitulū, *qui festinauit, & coxit illū*. Et neq; sic sanctus ille senex quieuit; sed iterū in ministrorū ordinē trāsiēs, † *Tulit etiam que butyrū & lac*, prima sanctorū patrū sal femēta, *& vitulū, que coxerat, & posuit corā eis. Ipse verò* illis superintendēs tū humanitatis, tū officij gratia, *stabat iuxta eos sub arbore* summū honorē existimās, si quā honorificentissimè peregrinos tractasset. *Cumq́ comedissent* a cibū & potū assumendo, atq; intra sumpta corpora traijciēdo ac ibi in alias circūstantes substātias cōuertendo, *dixerūt ad eū: Vbi est Sara vxor tua? Ille respōdit: Ecce in tabernaculo est*. Is enim fœminis debet esse pudor, vt in publicū nō facilicer prodeant, ne procaci occursu hospitum in se oculos inflectant. † *Cui dixit* ille, qui apparebat inter eos præcipuus: *Reuertens veniā ad te tēpore isto, vita comite*: sicut enim tēpus istud mēsurat vitam vestram, ita etiam mensurabit illam tempus, quo ego reuertar, quia & vos eritis viui: *& habebit filium*, non dico adoptiuum, sed naturalem *Sara vxor tua*. Quod nuntiū fuit hospitalitatis fructus, & miræ Abrahæ alacritatis merces, imò & laborum Saræ eximia retributio. *Quo audito*, curiosè enim mulierū more auscultabat *Sara risit post ostiū tabernaculi*: nec dū quippè in publicū prodierat, quāuis iā parabatur ad exeundū. *Erant autē ambo senes prouectæq; ætatis*, & neq; hoc solū impedimēto erat generationi filiorū: sed quod *& desierant Saræ fieri muliebria*, eratq; cruore mēstruo destituta propter quod iā parere nō posset, etiā si sterilis

Margin notes: † Heb. 13. a. 12. — I. — B. — † 35. d. c. 6. dic & 42. d. §. 10. — II. — † Supra 17. c. 19. Infr. 21. a. 1. Re. 9. b. 9. 2. Petr. 3. a. 6.

Digitized by Google

sterilis nō fuisset. *Quæ risit* risu quodam externo ob causam, quam expressit in corde suo *occultè dicēs: Postquā cōsenui & dominus meus* Abraham, quē dominū voco in signū subiectionis & obedientię viris debitæ ab vxoribus, *vetulus est, voluptati operā dabo?* Profectò id absq; spe prolis, vbi nō imminet periculū fornicationis, nequaquā decet. Hoc dicebat Sara ad naturalem dūtaxat rationē attendēs, nescia, ꝙ Angelus esset, qui oppositū asserebat. *Dixit autē Dñs* verus Deus, qui in tribus illis viris Angelorum ministerio apparebat, & loquebatur *ad Abraham: Quare risit Sara dicens: Num verè paritura sum anus?* plus acquiescēs naturæ viribus quàm diuinę potentiæ. *Nunquid Deo quidquā est difficile* factu, etiā si per naturā fieri nequeat? Quapropter semel atq; iterū cōfirmo, quę dixi; *iuxta condictum reuertar ad te hoc eodē tēpore vita comite, & habebit Sara filium.* Cæterū vt illa audiuit tā ea, quæ in occulto fecerat, quàm ea quæ cogitauerat manifesta esse pręsenti, præ angustia fœminarū more, *Negauit Sara dicēs; Nō risi.* Condonabile verò fuit peccatū, quia nō contēptu Dei sed *timore perterrita* mendaciū protulit. *Dñs autem* increpans eā, *non est, inquit ita: sed risisti.* Cognouit autē Abraham eū, qui loquebatur Dñm esse, tum in eo quod natiuitatē Isaac sibi diuinitus reuelatā annūciauit, tū in eo quod manifestauit occulta. *Cū ergo surrexissent inde viri*, idest, Angeli in similitudinē virorū, *direxerūt oculos cōtra Sodomā*, quo duo eorū ꝓfecturi erāt, alter, vt eam vrbē euerteret, alter, vt tueretur Lot, & domesticos eius: nam ex tribus, qui Abrahę apparuerāt, vnus, qui ad annūtiādū natiuitatē Isaac deuenerat, cū Abrahā remanere debebat, nō in domo, sed in via: nam *& Abrahā simul gradiebatur deducēs eos*, & habēs se ad modū eorū, qui iter indicant, & comitantur iter agentes, ne via errent. *Dixitq; Dñs* per illūmet Angelū, per quē hucvsq; locutus fuerat Abrahæ: *Num celare potero*, seu æquū est, vt celem *Abraham, quæ gesturus sum*, & non potius sicut certiorē eum feci pręmijs iustorū, sic etiam manifestare ei oportet supplicia impiorū, *cū futurus sit ingentē magnā, ac robustissimā*, pater scilicet omniū credentiū ob eximiā suā fidē, & tā insigni polleat spe, vt certus sit quod *& † BENEDICENDÆ sint in illo omnes nationes terræ*, nempe in Christo quē ipse ex semine suo nasciturū expectat; & prætereà tam ingēti charitate pręditus existat vt dignus habeatur institutor, magisterq; virtutū? *Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viā Dñi*, quod est rectè se habere in ordine ad Deū: *& faciāt iudicium* mortificādo se ipsos *& iustitiā* in ordine ad ꝓximos reddendo vnicuiq; quod suū est, siue ex misericordia siue ex debito iustitię. Quo fiet *vt adducat Dñs* adimplēdo promissa *ꝓpter Abrahā* ac meritis eius, *omnia quæ locutus est ad eū* de possessione terræ Chanaā, & alijs innumeris beneficijs: quia ergo amicis præsertim familiaribus & præ dignis secreta à dñis reuelari solēt, nequaquā decet, vt ego abscōdā ab Abrahā, quæ facturus sum cū ipse ob ingētes suas virtutes tanta mecū familiaritate fruatur. *Dixit itaq; Dñs: Clamor Sodomorū* 3 *& † Gomorrhæ*, quo celerē vindictā magnitudine peccatorū ac vehementi impudentia & libertate iniquitatis exposcere vidētur, *multiplicatus est*, ita vt iā quasi dissimulare nequeā sed punire cogar, *& peccatū eorū aggrauatū est nimis:* insolitū enim iniquitatis modū excogitauerunt. *Descendā & sicut* qui nūtio iniurię aut iniuria aliqua prouocatus domo exit, & propius accedit quasi iniuriā inspecturus, ac tū demū se vlciscitur, ad eū modū ego quoq; *videbo vtrū clamorē, qui venit ad me, opere cōpleuerint; an non est ita*, ꝙ opere cōpleuerint, *vt sciā* 4 quidnā rei veritas habeat. *Conuerterūtq; se inde* duo Angeli, & relicto eo, qui personā Dñi gerens loquebatur ad Abrahā prosecuti sunt iter, *& abierunt Sodomam*, quo à Deo mittebantur. *Abrahā vero adhuc stabat coram Dño.* Etampliori orationis affectu *appropinquans* pro tota Pentapoli incipit patrocinari, & per paucorū iustitiā impetrare volēs misericordiā multorū *ait: Nunquid perdes iustū cū impio? si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate*, seu in ciuitatibus istis, pro qbus rogo, *peribūt simul* cū impijs, q sunt ibi, *& nō parces loco illi* Pentapolis, quem destruere intēdis, *propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit à te*, precor Dñe, *vt rem hāc facias, & occidas iustū cū impio, fiatq; iustus sicut impius*, & sit par apud te vtriusque cōditio: *non est hoc tuum*, vt iustus non distet ab impio, *qui iudicas omnē terram, nequaquam facies*, 5 seu non decet vt facias *iudicium hoc*, quæ non inuehēdo sed adorando profero; meū dumtaxat desiderium ac mentem declarans, nec attendens ad incomprehensibilia, multipliciaq; iudicia tua, quibus interdū iustum simul cū impio

Marginal notes: 1. Petri. 3.a.6. — † Sup. 12. a 3. Inf. 32. d.17. — C — III. — † 2.q.1 ca. Deus. De accusationibus. cap. qualiter 2. & cū dilecti. 1. De simonia. ca. licet. — IIII. — V.

C impio tẽporaliter perire decet: *Dixitque Dñs ad eum*, eius petitioni annuẽs. *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis*, hoc est intra ciuitatẽ *dimittã omni loco propter eos. Respondensq; Abraham*

D. *ait, Quia semel cœpi* loqui ad te Dñe & ex tua responsione ingẽtem misericordiã tuã agnoui, iterũ cõfidẽter *loquar ad Dñm meũ*, quãuis tali collocutione existã omnino indignus, *cum sim* abiectissimus & vilissim⁹, nõ secus atq; *puluis & cinis*, quæ sub omnium pedibus habẽtur, & cõculcantur. Inquiro ergo; *Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint, delebis propter* defectũ quinque dũtaxat, si tamẽ remaneãt *quadraginta quinque, vniuersam vrbẽ*, seu vniuersas vrbes, quas delere proponis? *Et ait: Non delebo, si inuẽero ibi quadraginta quinque.*

III. *Rursumq; locutus est ad eũ* sciẽs maximã Dei lõganimitatẽ erga homines: *Sin autẽ quadraginta ibi inuẽti fuerint, qd facies? Ait Non percutiã propter quadraginta.* Exinde timẽs Abrahã ne fortè videretur trãscendere modũ precãdo, *Ne quæso inquit indigne feras Dñe si loquar: Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit: Non faciã si inuenero ibi triginta.* Erat autẽ tanta Abrahæ constantia, vt ac si ipse foret obnoxius sententiæ ita eripere studeret Sodomitas à pœna illis inferenda. Vnde *quia semel ait cœpi, loquar ad Dominũ meum: Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Nõ interficiã propter viginti.* Veruntamen Sanctus Patriarcha agnoscẽs diuitias misericordiæ Dei nõ subsistit, sed iterũ, *obsecro, inquit, Ne irascaris Dñe, si loquar adhuc semel: Quid si inuenti fuerint ibi decẽ? Et dixit: Non delebo propter decẽ.* Quia verò Abrahã iam promiserat se cessaturũ, & nõ decebat vltra perscrutari occulta iudicia Dei, & quia ex dictis malitia Sodomorũ patescere poterat, & seueritas Dei à calũmnia liberari, nõ vltra expectauit plures Abrahæ interrogationes. *Abijtq; Dñs postquã cessauit loqui ad Abraham*, per hoc quod disparuit Angelus à cõspectu Abrahæ dimittẽdo figurã visibilem, quam assumpserat: *& ille reuersus est in locum suum*, ad conuallem scilicet Mambre.

IIII.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

I. *Inuenire gratiã pro gratum esse.* SI inueni gratiã in oculis tuis.] Inuenire gratiam in oculis alicuius Hebraismus est, & significat esse illi gratũ; eo quòd gratia maximè oculis ostẽdi soleat. Et ob eandẽ causam solet in Scriptura oculus pro fauore sumi, vt 1. Esdræ 5. Oculus autẽ Dei eorũ factus est super senes eorũ. Et infra cap. 44. Ponã oculos meos super illũ. Quasi dicat: Beneficus ei sum futurus, fauebo & iuuabo illum. Hinc nata phrasis Latina, Respice me, pro Faue mihi.

II. *Comedere quomodo cõtingat spiritibus.* CVmque comedissent.] Certũ est, quòd nec Deo nec Angelis (esto quòd ad tẽpus aërea assumant corpora) cõpetit propriè atq; vniuoce cum hominibus, & cæteris animãtibus comedere; cum vim vegetatiuã, ac nutritiuã nõ habeãt, nec cibus & potus, quẽ sumũt in eorũ substantiã sit vertibilis: sed eatenus mãducare & bibere dicũtur, quòd cibũ ac potũ insumãt, atque intra corpora aërea traijciãt, vbi consumitur, non secus ac humor à calore solis attractus, qui cõsumitur quidẽ ab eo, nec tamẽ in eũ cõuertitur. Et hoc idẽ dicẽdum est de reliquis sensuũ operationibus. Angeli namq; cũ nõ vniãtur corporibus, quæ assumunt vt formæ, sed solũmodo vt motores; nec in se sensitiuas potentias habeant, minimè vidẽt per oculos, nec audiũt per aures corporũ assumptorũ, nec per ea aliquid sentiunt, minusq; corpora ipsa viuunt. Dicũtur Angeli comedere, & alia huiusmodi vitalia opera facere more in scripturis vsitatissimo, quo res aliqua sic narratur historicè, quomodo eo tempore ab spectatoribus credebatur contingere: vt autor est D. Hieronymus Hieremiæ. 18. & super Matth. 14. c. In quo sensu annotat. 14. capitis primi diximus Lunam vocari luminare maius.

V.

III. *Clamor pro magnis, & manifestis peccatis.* CLAMOR Sodomorum.] Magna peccata vocãtur clamor in sacris literis vt hic & supra cap. 4. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Et Isaiæ cap. 5. Et expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; & iustitiam, & ecce clamor. Quia videntur clamare & Deũ cogere ad vindictam, ducta ab hominibus metaphora, qui dissimulant se iniurias videre, aut audire contumelias, ne cogantur irasci, & vindicare; sed cum multa sunt, aut magno clamore dicuntur, non possunt iam dissimulare, sed puniunt. Vndè Diuus Augustinus lib. de Locution. Hebraicis, & D. Gregor. lib. 5. in Iob cap. 7. & in Pastor. 3. p. admon. 32. scribũt clamorẽ solere in sacra scripturæ poni pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, vt nec verecundia nec pudore vllo scelera celentur. De quo peccati clamore præclarè multa D. Remigius Antisiodoren. in cap. 1. Ionæ, & Saluianus Massilien. lib. 1. de prouidentia Dei. De gentium autem istarum sceleribus disertè admodum loquitur Philo libro de Abraham.

IIII. *Dei longanimitas.* VT sciã.] Hæc humano more protulit Deus, tũ ad ostẽsionem magnæ suæ patiẽtiæ, propterquam nõ statim peccatorem punit, sed diu differt expectans correctionem; tum prætereà ad instruendum homines, vt non præcipites iudicent, & puniant, sed cũ clamor infamiæ multiplicatæ peruenerit ad eos, descendant inquirendo, donec clara luce videant, an sit verum, quod infamia detulit. Ita Conciliũ Triburiense cap. 12. & Lateranense primum ca. 8.

V. *Futurum pro "re, quod est iustũ & æquum.* NEquaquam facies.] Futura apud Hebræos sæpe debitum indicant, ac decorum; vt hic, & infra cap. 20. Vbi nos habemus: Quæ nõ debuisti facere, fecisti nobis: in Hebræo legitur;

gitur: Opera, quæ non fient, feciſti nobis. Et Paraphraſis Chaldaica ſic habet. Opera, quæ nõ erant digna fi ri, feciſti mecum. Et Malachiæ. 2. Labia Sacerdotis cuſtodient ſciẽtiam, ideſt, cuſtodire debent: Ita etiam illud intelligitur Matthæ. 16. Abſit à te Domine, non erit tibi hoc: ideſt, non eſt æquum, vt innocens iſta patiaris.

ARGVMENTVM IN CAPVT XIX.

¶ Accedentes duo Angeli Sodomam à Lot hoſpitio ſuſcipiuntur, cuius domum ciues vniuerſi inuadere molientes ab Angelis excæcãtur. A quibus etiam Lot, & vxor eius cum duabus filiabus à ciuitate extrahuntur, & in Segor tendere non aſpiciendo retro præcipiuntur. Sodomitæ verò vna cum habitatoribus vicinarum vrbiũ igne de cælo dimiſſo cõcremãtur, & vxor Lot ob violatũ præceptũ verſa eſt in ſtatuã ſalis. Poſt quæ fugiẽs Lot in mõtẽ, cũ duabus filiabus inebriatus concubuit; factuſq; eſt pater Moab, & Amõ.

PARAPHRASIS IN CAPVT XIX.

A. *VEneruntque duo Angeli*, nam alius, qui priùs gerebat perſonã Dei, poſtquam receſsit ab Abrahã, nõ apparuit amplius, perueneruntque *Sodomam veſpere* eiuſdem diei, quo pranſi fuerãt apud Abrahã, & *ſedente Lot in foribus ciuitatis*: vbi obſeruabat aduenientes peregrinos, vt illos hoſpitio exciperet, & hoſpitalitatem, quam in domo Patriarchæ didicerat, exerceret. *Qui cũ vidiſſet eos*, quos viros exiſtimabat, *ſurrexit & iuit † obuiam eis*, ne inciderent in malignũ aliquẽ hoſpitem, quales omnes in illo populo eſſe nouerat, *adorauitq; pronus in terram* eo honore illos præueniens, qui tũc temporis hominibus ſpectabilibus exhiberi ſolebat; *& dixit: Obſecro Dñi* hanc gratiã donate mihi, & petitionẽ meam ne fruſtremini *declinate in domũ pueri veſtri*, qui vobis libẽtiſsimo animo ſeruiet, *& manete ibi. Lauate pedes veſtros* ſeu ſinite lauari, *& mane proficiſcemini in viã veſtrã.* Obtulit itaq; Lot nõ ſolum hoſpitiũ, ſed & ſingulas cõmoditates pernoctandi, ſurgendi hora matutina, & eundi. *Qui dixerũt: Minime, ſed in platea manebimus*, vbi pauperes hoſpitari ſolẽt. Renuerũt namq; primam hoſpitij inuitationẽ, quia imprudentis eſt & onèroſi de facili acquieſcere inuitanti ſe ad hoſpitium. *Cõpulit* nihilominus Lot *illos oppido, vt diuerterent ad eũ*, qui vbi viderũt iuſtum ita feruentem & nolentem deſiſtere, niſi voti cõpos fieret, diuerterunt ad eũ. *Ingreſsiq; domum illius fecit conuiuiũ, & coxit azyma*, hoc eſt placẽtas ex pane azymo, quæ cito coqui poſſunt, & eo tẽpore dabantur tanquã cibus quidam pretioſus: *& comederunt* nõ per actionem aliquam ſenſitiuã, prout homines, & animalia dicũtur comedere: ſed perducendo localiter cibũ in aliũ locũ. *Prius autẽ quàm irent cubitum*, cũ Angelorum aduentus in domũ Lot in ſpecie iuuenũ peregrinorũ habuerit ſe quaſi quædam inquiſitio publica, quæ omnibus palam fieri poſſet, an in illa ciuitate eſſent plures iuſti nec ne, cõtigit in teſtimoniũ inenarrabilis peruerſitatis, quòd *viri ciuitatis vallauerunt domũ* Lot ſumma malitia cõſpirantes, ac vehementi malè agendi ſtudio accenſi *à puero* annos diſcretionis habente *vſq; ad ſenem, omnis populus ſimul*, ita quod manifeſtè cõſtanit nõ ſolum non adeſſe ibi decem iuſtos, de quibus Abraham quæſierat, nũ propter illos ſaluaſe vellet Dominus ciuitatẽ, ſed neq; vnum quẽpiam præter Lot. Omnes enim efferata quadam libidine aggreſsi ſunt domũ: *Vocauerũtq; Lot, & dixerunt ei: Vbi ſunt viri, qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoſcamus eos* actu nefando. *Egreſſus ad eos Lot poſt tergum occludens oſtiũ*, ſciebat enim eorum inſaniam, & audaciam, ſuſpicabaturque eorum temeritatem, ac benigne locutus eſt ad eos, ſi fortè à tãto malo arcere poſſet, & *ait: Nolite quæſo fratres mei, nolite malum hoc facere*, nec tam graue ſcelus admittere: ſed ſi volueritis inſaniæ veſtræ furorem demulcere, ego aliquid præbebo, quo flagitium veſtrum lenius fiat. *† Habeo duas filias*, i. quæ nec *dum cognouerunt virum: educam eas ad vos, & abutemini eis, ſicut vobis placuerit;* I. B.

† Hebr. 13. a. 2.

† 14. d. ca. quod ait. 32. q. 7. ca. ſ afferebat.

cuerit, dummodo viris istis nihil mali fa-
ciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culmi
nis mei. Existimauit quippè *Lot* quòd So
domitæ ob tantam eius submissionē à cæ-
pto desisterent. *At illi dixerunt: Recede*
illuc, & ne stes pro ostio, nec prohibeas nos
domum tuam ingredi. *Et rursus: Ingressus*
es (inquiunt) vt aduena, & receptus es à no
bis tantum ad beneficium habitandi in ci-
uitate. *Nunquid* vis vsurpare officium ma-
gistratus, quasi adueneris ad hoc, *vt indi-*
ces? Te ergo ipsum magis, quàm hos
† 2. Pet. *affligemus* †. si non vis silere, & quiesce-
2.b. 18. re. Tantum enim excæcauit eos prauissi-
ma consuetudo, vt magis reprehenderetur
ab eis reprehensor flagitiorum, quàm fa-
ctor. *Vimque faciebant Lot vehementissi-*
mè, vt ipsum à custodia ostij amouerent:
ille verò sola fide armatus corpus suum &
vitam vniuersæ multitudini opposuit pro
hospitibus. *Iamque prope erat, vt effrin-*
gerent fores, quas Lot exiens post se clau-
serat. *Et ecce miserunt manum viri*, suam
declarantes potentiam, *& introduxerunt*
ad se Lot; clauseruntque ostium, & eos
qui foris erant percusserunt cæcitate à mi-
nimo vsque ad maximum: non ita vt om-
nino nil viderent: hoc enim modo sua ca-
lamitate turbati vlterius ostium non re-
II, quirerent, sed *ita vt ostium a inuenire*
non possent, quamuis illud requirentes
multum laborauerint. *Dixerunt autem ad*
Lot Angeli manifestantes ei, quinam ip-
C. si essent, & ad quid venissent: *Habes hic*
quempiam tuorum, generum aut filios aut
filias, quos liberari velis à calamitate, quæ
huic ciuitati iamiam imminet? *Omnes qui*
tui sunt educ de vrbe hac, nam merito
tuo saluari poterunt, si voluerint tecum
à prauis longè fieri. *Delebimus enim*
locum istum, eo quod increuerit clamor eo-
rum, hoc est peccatum nimia publicita-
te, & libertate ab eis commissum *corā Do-*
mino, qui res, pro vt verè se habent, con-
templatur, & *qui misit nos, vt perda-*
mus illos tanquam incorrigibiles, & quo-
† d. 26. rum nulla est spes emendæ. † *Egres-*
c. egres- *sus itaque Lot* à domo sua, à qua iam Sodo
sus. mitæ non inuenientes illius ostium fati-
gati recesserant, *locutus est ad generos*
suos, qui accepturi erant filias eius: nec
dum enim illæ erant matrimonio copu-
latæ, sed sponsalibus tantum promissæ
& dixit: Surgite egredimini de loco isto;
quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Cui
illi, quos etiam prauæ consuetudinis amor
ligauerat, non crediderunt, sed facete &
iocosè responderunt: *Et visus est eis*
quasi ludens loqui. Tale quippè est iu-
dicium hominum, qui nesciunt ea, quæ
sunt Dei; stultum enim putant volupta-
tes propriæ ciuitatis relinquere. *Cumque*
esset mane, quoniam Lot etsi scelera So-
domorum displicebant; tamen ægrè se-
des suas relinquebat, *cogebant eum An-*
geli dicentes: Surge, tolle vxorem tuam,
& duas filias quas habes, & exi cito de
loco isto, *ne & tu pariter pereas in* pœ-
na & supplicio infligendo pro *scelere ciui-*
tatis. 3 *Dissimulante illo* quasi Ange- III.
lorum voces non audiens, aut quasi illas D.
non satis intelligens; adhuc enim amæni-
tate Sodomorum tenebatur; *apprehen-*
derunt manum eius, & manum vxoris ac
duarum filiarum eius. Quæ quidem beni-
gnissima manuum apprehensio non tam
fuit propter iustitiam ipsius Lot; quàm *eo*
quòd parceret Dominus illi misericordi-
ter volens eum cum his, qui ad eum per-
tinebant, ab incendio Sodomorum libe-
rare. Indulgere enim & parcere non di-
citur solùm respectu culparum, sed etiam
respectu illorum malorum, in quæ inci-
deremus, nisi speciali Dei gratia præ-
uenti liberaremur. † *Eduxeruntque eum,* † Sapiē.
& posuerunt extra ciuitatem. Ibique di- 10.a.6.
gnior factus verba salutis audire, Angeli
locuti sunt ad eum dicentes: Salua ani-
mam tuam seu vitam, in tui enim arbi-
trij libertate posita est. *Noli respicere*
post tergum, Nō quod in eiusmodi visione
sit aliqua superstitio, sed quò celerius re-
cedas à loco, isto *nec stes in omni circa re-*
gione, sed in monte saluum te fac, ne & tu
simul pereas: ad destruēdum enim omnem
istā vallem misit nos Deus. *Dixitq́; Lot ad*
eos timēs ne fortè nō posset designatū lo-
cū assequi, & in montem peruenire. *Quæso*
Dñe mi, quē in vobis angelis suis loquētem
veneror, & agnosco, *quia inuenit seruus*
tuus gratiam corā te & magnificasti osten
dendo magnam esse & excellentem *mise-*
ricordiam tuam quā fecisti mecum, vt sal-
uares animam meam, & longum iter quod
est ad montem ob fatigationem & sene-
ctutem peragere non valeo, vnde *nec pos-*
sum in monte saluari, ne fortè ante quā il-
luc perueniam, *apprehendat me malū* quod
infligi debet Sodomitis, ac particeps fiam
interitus eorum, *& moriar*, propterea obse

 cro, vt

cro, vt ampliorem misericordiam mihi exhibeas, & laborem meũ subleues, *est ciuitas hac iuxta, ad quam possum fugere* ratione breuis viæ, qua ad eam peruenitur, & præterea iniquitates eius non sunt tantæ, sicut aliarum quatuor ciuitatum huius vallis: est enim *parua, & sic* conuenienter si ipse iusseris *saluabor in ea. Nũquid nõ modica est* quid mirũ paucis illius habitatoribus parcas, siquidem hac ratione saluari potero, *& viuet anima mea?*

E. *Dixitq́ ad eũ* Angelus in persona Dei loquens: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbẽ pro qua locutus es.* Deinde subdidit Angelus, non iam ex persona Dei loquẽs, sed ex seipso quasi ministerium executurus, quod

† Sapi. 10.a.6. Deus illi cõmisit: † *Festina & saluare ibi, quia* secũdùm ordinem mihi destinatum à Deo *nõ potero facere quid quã donec ingrediaris illuc:* curam enim ago tuæ salutis. Et quia Lot dixit ciuitatem illam pro qua rogabat esse paruam, *idcirco vocatum est nomẽ vrbis illius Segor,* siue Seor, & Syriacè

† Sapi. 14.b.8. Zohar, interpretatur parua † cũ anteà vocaretur Bale, vt vocaui eã in superiorib[9]. *Sol egressus est super terrã,* summa aëris serenitate existẽte, *& Lot ingressus est Segor,* moxq́; incendia Sodomæ, & reliquarum triũ ciuitatũ miraculosè, quamuis aër serenus erat, subsecuta sunt. *Igitur Dñs* Filius Dei vnigenitus, seu etiam Spiritus sanctus *pluit super Sodomã & Gomorrhã,* quæ erãt pręcipuæ vrbes illius regionis *sulphur & ig-*

† Deut. 29.d.23 Isa.13.d. 19. Hier. 50 f.40. Ezec.16 f.48. Ose. 11. cap.8. Amos4. d.11. Luc. 17. f.29. Iudic.1.ca. 7.

nem sale mistũ † idq; nõ à semetipso quasi actionẽ & potẽtiã pluendi habuerit Filius, aut Spiritus sanctus à se ipso, & nõ ab alio cõmunicatam, sed pluit *à Domino 4,* id est, à Patre: quia Filius & etiã Spiritus sanctus sicut habet essentiam à patre ita & operari, vna cum quo pluit super illas ciuitates sulphur & ignẽ *de cœlo* pręter naturalẽ rerum cursum: neq; enim prodijt eiusmodi cõflagratio ex vi illa naturæ, qua pars aliqua terræ solet ardere, *& subuertit ciuitates has & omnem circa regionẽ,* in qua sitæ erant aliæ duæ vrbes Adamas & Seboim minores prædictis: quæ tamen ex vicinitate eundem morbum cõtraxerant, qui contagiosus est: subuertit quoque *vniuersos habita-*

IIII. *tores vrbium:* nam infantes etiam cum parentibus cremati sunt, vt possit aduerti impijssimum facinus Sodomitarum, ne de eorum origine aliquod permaneret vestigiũ. Quibus infantibus etiam est prouisum, ne diu viuentes sequerentur exempla patrum & acrius posteà punirentur, *& cuncta terra virentia,* quibus pessimi illi delectati fuerant, destruxit in detestationẽ tanti criminis; ita vt terra in æternum arescceret, & non sicut post diluuium virescceret. † *Respi-* † Luc.17 g.33. Sapien. 18 a.3.

ciensque vxor eius, scilicet Lot, quãdo pergebant in Segor *post se, versa est* † *in statuam salis,* in qua saliantur & præseruentur contẽplãtes, qualiter punit Deus prævaricantes præcepta sua. *Abraham autem* simul & de Sodomitarum interitu, quem propter suum peccatum sustinere debebant, misertus, & de suo nepote valde solicitus, *consurgẽs mane* sequentis diei, postquam pro illis Dominum rogauerat, accedensque ad locum *vbi steterat prius cũ Domino, intuitus est Sodomam & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius,* quæ inferior erat ad locum vbi Abraham existebat: *Viditque ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum:* non tamen vidit ignem aut sulphur descendere per modum pluuiæ: fuit enim huiusmodi pluuia repentina, & iam præcesserat, ex qua remansit quasi fumus, & fauilla, quæ ascendunt de fornace, vbi coquuntur lapides calcis, & hæc prospexit Abraham. Restat igitur vt fiat epilogus eorum, quæ dicta sunt, quæ quidem paucis verbis comprehendi possunt. *Cum enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius recordatus Abraha,* & petitionis, quam fecerat dicens: Ne simu' perdas iustum cum impio, atque habens se ad modum eius, qui recordatur *liberauit Lot de subuersione vrbium in quibus habitauerat:* ita vt non solum propter suam iustitiam, sed multo amplius propter merita Abrahæ saluatus fuerit Lot.

† 35. d. c. 6. dic. 15. q. 1. c. inebriauerunt. 40. d. ca. qualibet 21. q. 5. ca. quid ergo. 1. q. 4. c. Ecclesia. §. istẽ David. 24. q. 3. §. in princip. 32. q. 7. c. flagitia. De peniten. d. 3. c. sũt plures.

F.

† *Ascenditque Lot de Segor* in montem in quem admonente Domino ascendere prius renuerat, *& mansit in monte, duæ quoque eius filiæ cum eo: timuerat enim manere in Segor* diffidens de verbis Angelicis, quibus promissum sibi fuerat seruãdã esse ciuitatẽ illã: *& mãsit in spelunca ipse & duæ eius filiæ cum eo.* Vbi infidelitas ipsius occasionẽ prębuit incestus filiarũ. Incendium enim Segor, quod pater timuit futurũ, leuissima mulierũ mẽs iudicauit euenisse: vnde filię Lot pręcipiti cõsilio corruerũt. *Dixitq́ maior ad minorẽ:* † *Pater noster senex est:* quare nõ decet propositi nostri executionẽ differre; & *nullus virorũ remãsit in terra, qui possit ingredi ad nos iuxta morem vniuersa terra:* vidimus enim igne

† 40. d. c. quilibet. 32. q. 4. c. dixit Sara

† 4. d. c. quelibet 32. q. 4. ca. dixit Sara. 35 d. cap. 6. dic.

igne ac sulphureis flammis cuncta vastari, matrem quoque nostram vidimus non esse saluatã. Vnde suspicari possumus tale aliquid factum quale in temporibus Noë audiuimus contigisse. Quapropter ob reparandam saltem ex patre nostro mortalium posteritatem; *Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen.* Quamuis enim graue fœminis istis crimen videretur furari concubitum patris; grauior enim eis videbatur impietas si humanæ, vt putabant posteritatis spem seruata castitate delerent.

V. *Dederunt itaque patri suo bibere vinum* 5 *nocte illa*, quod adduxerat ex Segor ad leuandum mœrorem & afflictionem patris. *Et ingressa est maior, dormiuitque cum patre* maxima ebrietate sopito. *At ille non sensit*, nec sciuit penitus notitia rationali vniuersam rem gestam à primo actu vsque ad vltimum, videlicet *nec quando accubuit filia, nec quando surrexit*. Certum enim est hominem ebrium opus venereum cum virgine perficere posse non cognoscendo, quid faciat, cum vniuersum opus hoc exequi valeat impedito rationis vsu. *Altera quoque die dixit maior ad minorem* inducẽs eam ad simile facinus, ne sola infamiam sustinere

G — cogeretur. *Ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vinum* in tanta quantitate vt inebriari possit, *etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt saluemus semen de pa-*

F.

tre nostro, ne in æternum genus illius pereat. *Dederunt etiam & illa nocte patri suo bibere vinum* in magna quantitate. *Ingressaque minor filia dormiuit cum eo*, agente Lot dum erat ebrius, quod si fuisset sobrius omnino cauisset: *& ne tunc quidem sensit* cognitione intellectuali, *quando concubuerit, vel quãdo illa surrexerit*; quod quidem factum cum à me narratur prophetia est, cum verò in illorum vita, qui hoc commiserunt consideratur, flagitium est. *Conceperunt ergo duæ filiæ* Lot de patre suo non libidine succensæ, sed seruandi humani generis desiderio inflammatæ. Vnde pietas intentionis seu intentio pietatis multum attenuauit turpis, nefandique reatum flagitij. *Peperitque maior filiũ, &* publicans incestum suum in ipsa nominis filij impositione, *vocauit nomen eius Moab*, quod interpretatur ex patre; ex hoc etiam insinuans, quam audax fuerit prius consulendo sibi, & sorori incestum paternum. *Ipse est pater Moabitarum vsque in præsentem diem* 6, seu VI. vsque in perpetuum. *Minor quoque peperit filium; &* maiori verecũdia prædita, quàm eius soror, & vt ipso nomine stirpẽ abominabilẽ indicaret, *vocauit nomẽ eius Ammõ, idest, filius populi mei*, occultans quidem incestum, manifestans tamen se non genuisse ex populo damnato à Deo, sed ex viro proprij populi. *Ipse est pater Ammonitarum vsque hodie*, & in perpetuum.

ANNOTATIONES IN CAPVT XIX.

I. *Lot quo animo obtulit filias Sodomitis.*

HABEO duas filias.] Non placet Soti lib. 6. de iust. & iure, quæst. 1. art. 5. atque aliorum sentẽtia, qui vt Lot in facto isto à peccato excusent, dicunt eum se habuisse instar illius, qui latroni parato ad surripiendum rem magni pretij, consuluit, vt surripiat rem minoris valoris, alia dimissa. Quod proculdubio licitum aliquando esse; charitati conforme omnes Theologi affirmant. Cæterum falluntur accommodantes doctrinam istam facto Lotinam vt consilium istud pium sit, oportet in eo prouidere minori damno eius, qui iniuriam patitur absque iniuria alterius. Si enim parato occidere Petrũ consulas, vt Petro dimisso percutiat Ioannem, iniustè facis: ad quem modum tenentur prædicti asserere Lot se habuisse. Dicendum est ergo cum Caietano, & alijs recentioribus Lot non declinasse à iustitia in oblatione filiarum facta Sodomitis; eo quod non obtulit filias animo recõpensandi flagitiũ flagitio, sed placandi hyperbolica submissione furentem populum: arbitrabatur enim, & rationabiliter, vt rei probauit euentus, quòd populus non acceptaret huiusmodi oblationem, sed quòd fortè placatus tanta submissione ipsius Lot desisteret ab incepto: & ideò existimabat rationabilius, eos non accepturos oblationem filiarum eius à se factam, quòd ipsæ iam sponsæ erant ciuium quorundam eiusdem ciuitatis. Habuit se ergo Lot in facto isto, quemadmodum vir placaturus lacessitum iniuria, qui pugionem nudum offert dicendo, interfice me, non quidẽ animo vt interficiatur, sed vt tanta condescensione placetur læsus. Quòd autem factum istud Lot fuerit licitũ, probare videtur illud 2. Pet. 2. Et iustũ Lot oppressum a nefandorũ iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit, aspectu enim & auditu iustus erat.

II. *Cæcitas Sodomitarũ qualis fuerit*

ITa vt ostium.] Aliqui existimant hic non solùm sermonem fieri de ostio domus Lot, sed etiam de ostio domus cuiusq; fuit ita vt Sodomitæ ob cæcitatem neq; in proprias domos

 ingredi

ingredi valerent: quod tradi arbitrantur in illis verbis Sapien. 19. Percussi sunt autem cæcitate sicut illi in foribus iusti, cũ subitaneis cooperti essent tenebris, vnusquisq; transitum ostij sui quærebat. Cæterum verosimilius est Sodomitas taliter fuisse percussos cæcitate, vt reliqua videre possent, præter ostium domus Lot: ita vt eius solius rei aspectus interciperetur, quam videre iuuabat, vel cupiebant, non secus ac illi qui quærebãt Heliseum quarto Regum sexto. Qui cætera videntes vna vel altera res illos latebat. Nec obstat locus Sapient. 19. Ibi enim manifestè loquitur scriptura de AEgyptijs, quorum cæcitas, quam passi sunt, quando subitaneis cooperti fuerunt tenebris, non inuenientes transitum ad ostium domus vniuscuiusque, comparatur cæcitati Sodomitarum: non tamen dicitur quòd vtrique ostia sua quæsierint. Sed hoc tantũ refertur ad AEgyptios. Circa modum autem, quo cæcitas ista causata fuerit, dicendum existimo diuinitus factum fuisse, vt oculi Sodomitarum pro tunc non perciperent species sensibiles talis obiecti, ex quibus & potentia causari debuit sensatio: ob idq; percussos fuisse Sodomitas cæcitate, quia caruerunt aliquo principio necessario ad videndum ostium, quamuis non ad alia videndum. Et simile, quidpiam contigit Syrijs [illegible] rentibus Elisæum, & etiam discipulis euntibus in Emaunthem Lucæ vltimo. Sed vt omnia similia facta vno miraculorum genere comprehendantur, dici etiam potest, Deum in huiusmodi euentibus suspendere suum concursum generalem, quo Deus vnacum causa secunda influat oportet in effectum, vt actio creaturæ subsequi valeat. Ob cuius influxus suspensionem communiter dicitur ignem Babylonicum non combussisse tres pueros: Danielis tertio.

III.
Peccatũ, vel scelus, pro pœna peccati.

IN scelere ciuitatis.] Eo locutionis genere, quo causata causarum nominibus appellamus, quod commune esse solet in sacris scripturis, vt autor est Euthimius Psalm. 7. solet interdum scriptura pœnam peccati vocare peccatum, vel scelus, vt hic, & sup. capite. 4. Nonne si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim peccatum tuum in foribus aderit, idest, pœna debita pro peccato? & Danielis. 4. Peccata tua eleemosynis redime[illegible]

IIII.
Pluit Dominus à Domino dupliciter exponitur.

A Domino.] Diuus Hylar. lib. 9. de Trinitat. & in libro de synodis, & multi alij patres sanctitate, & antiquitate percelebres, maximè omnes illi, qui ex veteri Scriptura mysterium Sanctissimæ Trinitatis contra Iudæos, vel Hæreticos argumentantur, hunc locum significare dicunt distinctionem diuinarum personarum. Vnde vana est quorundam interpretatio, qui asserunt Dominum pluisse ignem à Domino, Hebraismum duntaxat esse nullius mysterij significatiuum: hi namque proculdubio errant: quamuis enim Hebraismum verba ista contineant, tamen propter processionem diuinarum personarum, ita scripturam locutã fuisse, argumento est, quod in alijs rebus exprimendis phrasim istam non reperimus. Et præter grauissimorum patrum authoritatem, ita exponentium, extat Concilium Syrmiense contra Arrium congregatum sub Iulio primo, cuius fit mentio lib. 5. Tripartitæ historiæ cap. 3. in quo canon hic statutus est. Si quis illud, quod scriptum est. Pluit Dominus à Domino non de Patre, & Filio perceperit, sed & ipsum à semetipso pluere dixerit, anathema sit, pluit namque Dominus Filius à Domino Patre. Hęc Concilium. Vbi aduertendum est, non damnare Concilium, quaslibet huius loci interpretationes, quæ ab ea, quam proponit Concilium fuerint distinctæ, sed solum eas, quæ prædictæ contradixerint, vel repugnauerint, vt si quis vellet asserere Deum taliter à semetipso pluere, quasi in quo nulla est personarum distinctio; eam proculdubio interpretationem damnat Concilium. Cæterum si quis salua veritate tanti Concilij conetur aliam interpretationem prædictis verbis assignare taliter consonam sensui Concilij, qualiter verum vero consonare dicimus: & prout idem locus Scripturæ plures sensus habere posse fatemur, is proculdubio in nullo peccat. Vnde Abulensis, Caietanus, Pagninus, Oleaster, & Vatablus satis pie interpretantur hunc locum de pluuia, non naturali, nec vsitata dicentes fuisse Dei à Deo, id est, factam à Deo sine concursu causarum naturalium, fuisseque pluuiam extraordinariam, & prodigiosam, & singulare quoddam ac proprium opus diuinæ omnipotentiæ. Quem prædictorum verborum sensum habuere omnes Hebræi in veteri testamento, præter eos, quibus diuino lumine singulariter illustratis patefactum est mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

V.
Bibere vinum pro inebriari.

BIBERE vinum.] Scriptura sacra etiam, quæ turpia sunt honestissimè refert, vnde supra, hoc eodem capitulo concubitum nefandum significat per hoc quod est alium cognoscere: & modo ebrietatem vinique copiam exprimit dicens. Dederunt itaque patri suo bibere vinum. Idque semel atque iterum repetit statim. Quæ etiam modesta locutio reperitur in Psalm. 68. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum. Et Hamos. 6. Bibentes vinum in phialis. Quibus in locis vini abundantia, potusque inordinatus significatur.

VI.
Vsque in præsentẽ diem interdũ significat perpetuũ.

VSQVE in præsentem diem.] His verbis, & alijs similibus vti solet scriptura ad significandum de aliquo, quòd vsque ad finem vel vitæ, vel sæculi permaneat, vt docet Origenes Homilia. 7. In Iosue. Et in eo sensu venit intelligendus locus iste, & quod statim subditur de Ammone, ipse est pater Amonitarum vsque hodie: & 4. regum. 17. Translatusque est Israel de terra sua in Assyrios, vsque in diem hanc, idest, in perpetuum: & Matthæi. 28. Diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsque in hodiernum diem, idest, vsque ad finem sæculi. Dixi autem in hoc sensu vti solere scripturam istis verbis, quia non semper modus hic loquendi denotat perpetuitatem, sed interdum significat tantum durationem vsque ad tempus de que

Digitized by Google

quo fit sermo: vt infra capite. 31. Apud Laban peregrinatus sum, & fui vsque in præsentem diem, id est, vsque ad tempus istud, in quo hæc loquor: nec enim Iacob perpetuo mansit apud Laban. Et Genes. 26. Et nomen vrbi impositum est Bersabee, vsque in præsentem diem, id est, vsque ad tempus, in quo ista scribuntur, nam posteà mutatum est nomen illius ciuitatis & hodie aiunt vocari Giblin: nomina quippè antiqua planè interierunt.

ARGVMENTVM IN CAPVT XX.

¶ Abram peregrinatur in Geraris & dicente eo, quòd Sara esset soror sua tulit eam sibi Abimelech rex Geraræ, qui tamen à Deo flagellatus & reprehensus Saram Abrahæ restituit conferens eis munera, & concedens facultatem inhabitandi quamcunque terræ suæ plagam. Quo facto oràteque Abraham pro Abimelech, ipse & omnes domestici eius incolumitati restituuntur.

PARAPHRASIS IN CAP. XX.

A. P*ROFECTVS inde Abraham* scilicet de conualle Mambre *in terram australem*, vt fidei & morum exempla passim circunferre, & vbiq; Dei gloriam factis ac verbis prædicare posset, *habitauit* in ea parte terræ Palæstinorum quæ existit *inter Cades & Sur*, duas nempe solitudines, quarum Sur Ægypto iungitur, ad eamque postea populus Israel trans fretum Rubri maris peruenit: Cades verò vsque ad Saracenorum eremum extenditur, *& peregrinatus est in Geraris*, quæ Palæstinorum metropolis erat. † *Dixitque de Sara vxore sua: Soror mea est*, tacens quòd esset eius vxor, ne ob hanc causam ab impijs occideretur ad liberius ea fruendum; certus tamen erat de Deo, quòd illam violari non permitteret, sicut nec priùs † à Pharaone permisit Dominus, vt Abraham iniuriam pateretur. *Misit ergo Abimelech rex Geraræ, &* factus certior quòd Sara esset valdè pulchra: neque enim senectute amiserat decorem seu pulchritudinē, *tulit eam* in domum suam, vt haberet eam in vxorē. *Venit autem Deus ad Abimelech*, & postquā flagellauerat eum, & domesticos eius priuando illos potentia coeundi, locutus est ad eum *per somnium nocte & ait illi* comminando ipsum vt à peccato retraheret: *En morieris* (I.) *propter mulierem, quam tulisti*, nisi mox illam viro suo reddideris, *habet enim virum*, illum scilicet cuius dicit se esse sororem. *Abimelech verò non tetigerat eam, & idcircò* de facinore se defendens *ait, Domine num gentem ignorantem & iustam interficies?* Nunquid sciens mulierem eius esse hæc feci? *Nonne ipse dixit mihi, soror mea est, & ipsa ait, frater meus est?* Ego autem existimás eos non esse coniuges, nec cogitaui malum agere, tantum abest, vt etiam opere peccatum cōmiserim: nam *in simplicitate cordis* (II.) *mei* absque animo lædendi proximum, *& munditia manuum mearum*, non vt iniquum facturus, sed vt legitimum & licitum irreprehensibileque *feci hoc. Dixitque ad eum Deus* per somnium illi loquens & eius excusationem admittens: † *Et ego scio quòd simplici corde feceris, & ideò* non puniui te, qualiter alios punire soleo permittendo (B.) eos de peccato in peccatum labi, sed *custodiui te* per infirmitatem seu frigiditatem, quam tibi inflixi, *ne peccares in me*, in quem etiam peccat, quicunque in proximū peccatum committit; *& non dimisi, vt tangeres eam* impudicè. *Nunc ergo redde viro suo vxorem* quam ipse resumet placatus tibi, nec tibi irascetur, *quia propheta est; &* certo nouit te eam non tetigisse, & animo simplici te egisse, mundamque, & sanctam vt fuerat anteà sibi remittere vxorem. Quapropter *orabit pro te & viues*, immunis ab infirmitate, quam pateris, & in hoc apertè cognosces, quòd propter vxorem, quam tulisti, æger es. *Si autem nolueris reddere, scito quòd* quasi incorrectus inobedientiæ tuæ pœnam lues, dum *morte morieris tu & omnia quæ tua sunt*: seruus enim sciens volun-

† 22. q. 2 c. quæritur.

† Supra 12.d.17.

† 25.q.4 c. nemo.

tatem Domini & non faciens acrius venit flagellandus. *Statimque de nocte consurgens Abimelech*, nec mandatum Dei recusauit, nec obsequium distulit, sed *vocauit omnes seruos suos: & locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum*, factus prædicator virtutis Abrahæ, ac benignitatis Dei, necnon & eximiæ curæ, quam erga iustos, & amicos suos Deus habet: *timueruntque omnes viri valde* videntes Deum peccata nõ sinere inulta. C. *Vocauit autem Abimelech etiam Abraham*, qui nihil horum sciebat, *& dixit ei: Quid fecisti nobis*, vt veritatem supprimeres? *Quid peccauimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande* volens per deceptionem tuam me incidere in tantum peccatum, pro quo non satis erat, vt ego punirer, sed & omne regnum meum simul perdendum erat? *Quæ non debuisti facere*, neque digna erant fieri, *fecisti nobis. Rursumque expostulans ait*: Si videns es, & propheta dic mihi: *Quid vidisti*, aut quid tibi Dominus reuelauit, *vt hoc faceres*, quod nostrorum nullus admittere voluisset, vt vxorem alteri dimitteret quacunque ex causa ac multo minus mendacium proferendo? *Respondit Abraham*: Non vidi aliquid, sed dumtaxat non asserendo, sed dubitando, *Cogitaui mecum dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto*; vel huius loci homines forte Deum non colunt, nec reuerentur; *& interficient me propter vxorem meam*, quo liberius ea fruantur me interfecto: licuit ergo consulendo vitæ meæ, non quidem falsum proferre, benè tamen veritatem occultare tacendo quòd Sara esset vxor mea. *Alias autem* † *& verè soror mea est* 3, non tamen vterina, sed *filia patris mei, & non filia matris meæ, &* hac de causa accedente gentis meæ consuetudine licitè *duxi eam in vxorem*. (Sup. 12. c. 13. infra. 21. c. 23.) III. *Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei*, vt huc illucque terram lustrando peregrinarer, *dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum in omni loco ad quem ingrediemur*, qui mihi fuerit suspectus propter tuam pulchritudinem, & populi malitiam, vt celes me esse virum tuum ac *dices quòd frater tuus sim*, & hac ratione vitam tuebor, ac pudicitiam tuam Deo conseruandum committam, quando aliàs eam ego defendere non valuero. *Tulit igitur Abimelech oues, & boues, & seruos & ancillas, &* qui prius aliena abstulerat posteà peccati pœnitens propria largitus est, ac *dedit Abraham.* D. *Reddiditque illi Saram vxorem suam: &* non solum tot illum muneribus affecit, ac vxorem tradidit, sed etiam facultatem illi præbens, vt in terra sua inhabitaret, *ait: Terra coram vobis est*, eamque inquirendi, & contemplandi liberam habetis facultatem: *Vbicumque tibi placuerit, habita. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos* seu siclos, præter oues, & boues, & seruos, & ancillas, *dedi fratri tuo, hoc* qualecunque munus *erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt*, vt habeas vnde emere possis velamina famulabus & ancillis tuis, quæ tecum commorantur. *Et quocunque perrexeris* ne vtaris tali loquendi modo, quali mecum vsa es dicẽs, Abraham esse fratrem tuum *memento que te deprehensam* fuisse nũc, quòd vxor eius sis, qualiter modo à me deprehensa es. Vnde nihil tibi vtilitatis afferet rem istam occultare, quandoquidem posteà reuelanda erit, pro vt nunc reuelata est. *Orante autem Abraham sanauit Deus Abimelech, & vxorem* etiam, quam Abimelech habebat, *ancillasque eius* seruorũ suorum vxores, *& pepererunt* reddita facultate coeũdi, quę diuina potentia in ipsis, & in domo Abimelech impedita fuerat. *Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech* subtrahendo generalem concursum ad vsum illius *propter Sarã vxorẽ Abrahæ*; vt hoc flagello regis, ac seruorum eius petulantia à Domino puniretur.

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

I. *Comminationes diuinæ sẽper sunt veræ.*

EN morieris.] Quamuis mors Abimelech postmodum subsequuta non fuerit, non proinde censendum est posse diuinæ reuelationi subesse falsum: & enim diuina præscientia respicit futura secundùm duo, scilicet secundùm quod sunt in se ipsis, inquantum scilicet ipsa præsentialiter intuetur: & secundùm quod sunt in suis causis, inquantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamuis contingentia futura, prout sunt in se ipsis, sint determinata ad vnum, tamen, prout sunt in suis causis non sunt determinata quin possint aliter euenire. Et licet ista duplex cognitio in intellectu diuino semper coniungatur, non tamen coniungitur semper in reuelatione facta creaturis: quia impres-

impressio agentis non semper adæquat eius virtutem. Vnde quandoque reuelatio creata est impressa quædam similitudo diuinæ præscientiæ, prout respicit ipsa futura contingentia in seipsis: vt quando in hoc eodem capite dictum est ad Abimelec: Orabit pro te, & viues. Et talia sic eueniunt, sicut reuelantur. Quãdoque verò diuina reuelatio est impressa similitudo diuinæ præsciẽtiæ, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus, vt accidit in comminationibus: & tunc quandoque aliter euenit, quàm reuelatur: nec tamen propterea diuina reuelatio continet falsitatem. Nã sensus talis reuelationis est, quod inferiorum causarum dispositio, siue naturalium, siue humanorum actuum, hoc habet, vt tales effectus eueniant. Et secundùm hoc intelliguntur verba dicta Abimelech: En morieris. Id est; hoc merita tua exigunt, nisi ea correxeris, vt moriaris: Et quod habetur 4. Reg. 20. Cras morieris. Id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur. Is autem cui huiusmodi reuelationes fiunt, non semper cognoscit, an sint de rebus, prout existunt in se ipsis, an secundum ordinem causarum tantum, seu meritorum. Quæ omnia obseruare oportet circa comminationes quæ passim occurrunt in scriptura sacra: de quibus videatur D. Thom. 1. part. quæstio. 10. artic. 7. & Cantapetren. lib. 9. Hypotyposeon reg. 3.

II. *simplex vocatur ille, qui caret affectu lædendi aliquem.*

IN simplicitate.] Ille dicitur in sacris literis simpliciter aliquid facere, qui innocenter, & absque vllo mali timore quippiam operatur, & ex consequenti ille vocatur simplex, qui neminem iniuria afficit, aut lædit. Et in hoc sensu dixit Abimelech: In simplicitate cordis mei feci hoc: & de Iacob dicitur infra capite 25. Iacob autem vir simplex habitans in tabernaculis. Iob 1. Vir rectus & simplex. Et Matthæ. 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

III. *Sara fuit propriè soror Abrahæ.*

VERE soror mea est:] Credere proculdubio oportet textui claro planè asserenti, quòd Sara fuerit vere soror Abrahæ ex parte patris, non matris: quam sententiam tenent grauissimi patres Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, Eucherius super hunc locum, Rupertus lib. 2. in Leuitic. cap. 32. Caietanus hic & super Leuit. cap. 18. Lypomanus & Oleaster super hunc locum. Clemens Alexandri. sub finem lib. 2. Stromaton. Dominicus Soto lib. 2. de iustitia & iure, quæst. 3. artic. 8. Et is ait, quòd primus, qui rem hanc reuocauit in dubium, & ausus est asserere Saram fuisse filiam Aram, sororemque Lot, fuit Iosephus lib. 10. Antiquitatum cap. 15. Quem nonnulli Catholicorum secuti sunt. Contra quos tamen scriptura clamat: quia si Sara fuisset filia Aram fratris longè maioris Abrahæ, & soror carnalis Lot, vocasset eam Abraham sororem suam duntaxat: quemadmodum supra capite. 13. vocauit Lot fratrem, cæterum dicendo verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ apertè significat, quòd filia est patris sui, non aui sui, non fratris sui. Præterea si nomine patris intellexisset auum, non adiunxisset negatiuam, non filia matris meæ. Et rursus sicut matris nomine vtitur propriè, ita & patris. Et demum si his verbis, vere soror mea est filia patris mei & non filia matris meæ, nõ significatur soror carnalis, nõ vterina, nullis profecto verbis eiusmodi consanguinitas significari poterit. Sed hinc nascitur difficultas de causa, ob quã excusandus venit Abrahã, vt nõ peccaret ducendo sororem suam in vxorẽ, in quo videtur fecisse contra ius naturæ. Diuus Hierony. vbi supra illum excusat, quia eo tẽpore necdum tales nuptiæ erant lege prohibitæ: Rupertus verò: quia iuxta consuetudinem gentiũ fecit. Vterque igitur supponit coniugium inter fratrem & sororem esse ex his actionibus, quæ quamuis speciem mali gerant, non tamen sunt intrinsecè malę; aliàs nunquam possent fieri benè: potuit autem fieri benè ducere sororem; videlicet existente causa rationabili, vt patet saltẽ in filijs Adam. Et hoc ipsum dicendũ est in Abraham, ob defectũ mulierũ fideliũ, adiuncta cõsuetudine, & legis permissione: aliàs Abimelech fuisset scandalizatus de tali matrimonio: Cuius rei exẽplũ assumi potest ex polygamia: quãuis enim habere plures vxores speciẽ mali habeat; cæterũ quia id non est intrinsece & per se malũ, vt mendacium, & furtum; potuit fieri benè ex causa rationabili, & lege nõ ꝓhibente; prout ante legẽ Euãgelicã licitũ erat plures habere vxores. In hoc tamen est discrimen quantũ ad præsentem statũ, quòd modò habere plures vxores prohibitũ est lege diuina positiua: non sic autem est prohibitum cõiugium cũ sorore, sed duntaxat lege ecclesiastica, & consuetudine populi Christiani, & fortè etiam consuetudine alterius cuiuslibet reipublicæ.

Matrimonium inter fratres non est intrinsece malum, sed quia prohibitũ.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXI.

¶ Peperit Sara filiũ, quẽ vocauit Isaac; in cuius ablactationis die Abrahã grãde instruxit conuiuiũ. Et quia Ismael ausus est illũ persequi, à patre vna cũ Agar domo excluditur, aberrãsq; in itinere ab Angelo visitatur, ac ei ingẽtia bona promittũtur. Quibus peractis Abimelech rex Geraræ cum Abraham fœdus iniuit in Bersabee, ibidemq; nemus plantauit Abrahã, ad inuocandũ in eo Dei nomen.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAP. XXI.

A. Visitauit autem Dominus *Saram* fœlicissimum filij conceptum donando, *sicut promiserat:* sæpe sæpius Abrahæ, *& impleuit quæ locutus est*, quādo hospitio exceptus fuerat in Angelis apud quercum Mambre. *Concepitque* Sara nonagenaria † *& peperit filium* viro suo in Bersabee, quando ipse Abraham erat iā constitutus *in senectute sua* 1, nempe in ætate centum annorum; *tempore quo prædixerat ei Deus:* verax namque & fidelis Dominus fallere nescit, neq; falli. *Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei* infœcunda illa vetula *Sara, Isaac*, quod interpretatur risus: riserat † enim & pater, quando ei promissus est admirās in gaudio; riserat † & mater, quando per angelos iterum promissus est, dubitans de gaudio: *& circuncidit eum octauo die, sicut* † *præceperat ei Deus*, statuens, vt die octauo circunciderentur quicunque in familia Abrahæ post eiusmodi iussionem nascerentur: circuncidit autem eum Abraham, *cum centum esset annorum, hac quippe ætate patris natus est Isaac*, ne difficile quidquam etiam in alijs Dei promissionibus credamus, quantumlibet diu differat beneficiū. *Dixitque Sara* post rarum, admirabilemque partum suum: *Risum fecit mihi Deus*, ac gaudium tam ingens præstitit, vt etiam admodum risus extra prodeat. Vnde *quicūque audierit*, non quia peperi, sed quia sic peperi, *corridebit mihi* congaudēs mecum ob magnum donum à Deo concessum, & quod humanam transcendit infirmitatem. *Rursumque* Sara incipiens puerum lactare *ait: Quis auditurum crederet Abraham* fidem præbuisse cuiquam sibi asserenti, *quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?* Certè prius quā n parerem, nemo fuisset hominum ausus Abrahæ nunciare. Nec Abraham putaretur credere: quoniā suprà naturā est, hoc factum; ad cuius comprehēsionem humana ratio minimè sufficiebat. *Creuit igitur puer, &* post biennium, vel triennium *ablactatus est*, atque cæpit solidioribus cibis vti. *Fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius*, ratus obseruare laudabilem Chananæorum, vel gentilium suorum, inter quos versabatur, consuetudinem; non tam quòd à nutrici lacte subductus esset puer, ac corpore robustior effectus, quàm ob profectum mentis, quia idoneus habitus est Isaac fortiori gratiæ cibo, & mandatorum cælestium alimento. † *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem* †, seu manus per modum ludi & ioci conferentem *cum Isaac filio suo*, in rei tamen veritate illum persequentem, *dixit ad Abraham:* † *Eijce ancillam hanc & filium eius* à domo tua: ne fortè attentent se in hæreditatem intrudere: *non enim erit*, seu esse debet, *hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*, cum longè diuersa sit vtriusque conditio. Noluit autem prudentissima Sara manifestare Abrahæ qualiter vidisset, quòd Ismael persequebatur Isaac, ne plusquam par erat contristaret animum viri sui; ne etiam inter proximos iurgia seminaret. *Dure accepit hoc* quod Sara postulabat *Abraham pro filio suo*, paterno namque affectu commotus eijcere filium proprium, ac primogenitum nulla exigente culpa filij, iniquum, atque crudele sibi videbatur. *Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum* verbum, quod dixit tibi Sara *super puero, & super ancilla tua* petens, vt eos de domo eijcias. *Omnia quæ dixerit tibi Sara* super eiectione ista, facito libenter, *audi vocem eius* illi consentiendo; † *quia in Isaac* dumtaxat, & non in vtroque filio *vocabitur tibi semen* 3, si enim maneret Ismael domi, cum sit primo genitus, propagatio nominis tui in semine, nempe hoc, quod est vocari genus Abrahæ pertineret directius, & prius ad familiam Ismaelis, quàm ad familiam Isaac: eiectio autem Ismaelis efficiet, vt Isaac solus sit successor in domo tua, & progenies tantum eius vocetur genus Abrahæ: *Sed & filium ancillæ*, quamuis nolim eum primogenitorum honore fungi, nihilominus *faciam in gentem magnam*, multiplicando in immensum; ita vt ex eo gentes, & regna prodeant: *quia semen tuum est:* non tamen in eo propagabitur nomen tuum; filij namque eius non vocabuntur filij Abrahæ. *Surrexit itaque Abraham mane* illius noctis, in qua locutus est ei Deus: vt dimitteret Agar ancillam suam: *& tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius*. Quanto autem ancillæ in exilium destinandæ pauciora dedit tanto plura Deo commisit, ac

Marginalia (left): † Sap. 17.c.19. 18.b.10 Gal.4.c. 23. Heb. 11.c.11. — I. — † Sap. 17.c.17. — † Sap. 18.b.10. — † Sap 17.b.10 Math.1. a.2.

Marginalia (right): † 47.d. c. quantumlibet 32. q. 2. c. nō omnis. & q. 4. ca. recurrat, & c. dicat. — II. — † Gala. 4.d.10. — B. — † Rom. 9.b.7. Heb. 11. d.28. — III.

ac fidei ardorem maiorem expressit: *tradiditque puerum, & dimisit eam*, non immemorem promissionum Dei factarum de puero, ac proinde sine murmure & querelis à domino dimitti passa est. *Quæ cum abiisset, errabat in solitudine* posteà vocata solitudo *Bersabee*. *Cumque consumpta esset aqua in utre* dolens ob immodicam erga filium affectionem *abiecit puerum † subter vnam arborum, quæ ibi erant*, illius curam quasi iam iammorituri dimittendo. *Et abijt* ita discedens à filio, vt puer ignoraret, quò mater abierit: *seditque è regione procul, quantum potest arcus iacere*, ac latuit in syluestribus stirpibus, ne filium siti deficientem videret, *dixit enim: Non videbo*, seu nolo videre *morientem puerum, & sedens contra*, nempe è regione filij, quò se elongauerat, *leuauit vocem suam, & fleuit* ob imminentem filij mortem, de cuius salute iam desperauerat oblita promissionis sibi à Deo factæ de prosperitate filij. *Exaudiuit autem Deus* non matrem, quæ confidentiam amiserat, sed *vocem pueri*, quam ipse à matre dimissus ad Deum dirigebat, vt potè qui à patre in Dominum credere, & sperare didicerat. *Vocauitque Angelus Dei Agar de cœlo*, apparens in specie visibili in aëre, ac *dicens: Quid agis Agar?* Cur desperas de diuina promissione, quam à me audisti, dum gestares Ismaelem in vtero? *Noli timere* mortem filij: *exaudiuit enim Deus vocem pueri*, qua ad Dominũ fortissima prece inclamauit *de loco, in quo est*, nempe sub arbore, sub qua eum dimisisti. *Surge, tolle puerum*, ac præ sitis ardore vehementer languidum & exhaustum subleua, *& tene manum illius* solicitum ac maternum ei affectum exhibendo, *quia in gentem magnam faciam eum*, ita vt eximiæ cuiusdam gentis princeps existat. Tunc exanimis ferè mater dudum promissa Dei rursum audiens certa fide credidit de futuris beneficijs. *Aperuitque oculos eius Deus*, mentem illius excitando, viamque ostendendo & locum, in quo fontes aquarum scaturiebant. *Quæ videns puteum aquæ abijt, & impleuit vtrem*, quem Abraham illi donauerat, *deditque puero bibere*. *Et* Deus, qui aperuit oculos matris indicando locum aquæ, *fuit cum eo* nempe cum Ismaele gratiam illi conferens, & alia quamplurima bona. *Qui creuit* ætate & viribus, *& moratus est in solitudine*, delectabatur nanque in captione animalium habitantium in deserto: *factusque est iuuenis sagittarius*, ferarum venationibus vacans, *habitauitque in deserto Pharan*, sic dicto ab oppido Pharan, quod est trans Arabiam versus australem plagam, & distat ab Aula contra Orientem itinere trium dierum; *& accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti*, naturali quippe amore vnusquisque afficitur nationi suæ, & propterea Agar Ægyptia mulierẽ Ægyptiam in nurum asciuit. *Eodem tempore dixit Abimelech* rex Palæstinorum ambiens societatem Abrahæ, *& Phicol princeps exercitus eius ad Abraham*, à quo fidei rudimenta & virtutum exempla Gerarite susceperant: *Deus tecum est in vniuersis quæ agis*, pro vt in victoria de regibus, & in conceptu & generatione Saræ, & in alijs quam plurimis luce clarius constat. *Iura ergo per Deum ne noceas*, seu quod non nocebis *mihi & posteris meis, stirpique meæ, sed* potius quòd referes gratiam in te collatam, & quòd *iuxta misericordiam † quam feci tibi*, quando restituens vxorem tuam simul dedi tibi facultatem liberè terram inhabitandi, similiter *facies mihi, & terræ* seu habitantibus in terra, *in qua versatus es aduena*; qualis est terra Geraræ, cuius ego sum princeps. *Dixitque Abraham* sponte admittens regis huius amicitiam: *Ego iurabo* quod postulas, quamuis ad id præstandum non valde tenear, ex quo serui tui non modicam mihi iniuriam ausi sint inferre. *Et increpauit* Abraham regem *Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant serui eius*. Iure autem de eiusmodi iactura rerum suarum Abraham querebatur, ob magnam viuæ aquæ penuriam, quæ in ea regione est. *Respunditque Abimelech* sciens non licere sibi, quamuis rex esset, cum aliorum iniuria locupletari: *Nesciui quis fecerit hanc rem*, & non solum à quo factum est crimen istud ignoraui, *sed & tu non indicasti mihi* hoc quod passus es, neque quisquam alius indicauit, *nam & ego non audiui præter hodie*. Quapropter excusandus venio, quandoquidem nullius crimen maculat nescientem. *Tulit itaque Abraham oues, & boues, &* vt haberet gratiam regis Palæstino-

IIII. † 47. c. quantulibus 32. q. 1. c. non nisi. & q. 4. ca. nec curat, & ibidem cat.

II. † Gala. 4. d. 10.

B.

† Rom. 9. b. 7. Heb. 11. d. 18.

III.

† Supra 20. d. 13

D.

læstinorum pro pace sua ac suorum *dedit Abimelech* munera, tanquam principi terræ: *percusseruntque ambo fœdus* pro se, & pro eorum posteris Hebræis & Philistæis. *Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum*, vt illis redimeret puteum per vim sibi sublatum. *Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum? At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, vt sint* in pretium redemptionis putei, & ex consequenti sint *mihi in testimonium*, & posteris meis, quòd fidem faciat, & manifestet, *quoniam ego fodi puteum istum*, ac proinde quòd ad me, & non ad alium ius huius putei pertinere debeat. *Idcircò vocatus est locus ille*, vbi hæc omnia facta sunt *Bersabee*, id est, puteus septem, propter septem agnas, quas Abraham dedit Abimelech in pretium & signum, quod suus esset puteus. Vel vocatus est Bersabee, id est; puteus iuramenti: *Quia ibi vterque iurauit*, Abraham quidem quòd amicus futurus esset Geraritarum, Abimelech verò quòd nullatenus permitteret vllam vnquam iniuriam inferri Abrahæ, & quod amicus Hebræorum esset: & *inierunt fœdus* non solum futuræ amicitiæ, sed etiam *pro puteo iuramenti*, nempè quòd in posterum ad Abrahæ ius puteus ille pertinere deberet; ne eius putei occasione aliqua exinde præteriti motus scintilla inter eos subsideret. *Surrexit autem Abimelech & Phicol princeps exercitus eius* discedentes de solitudine illa Bersabee, vbi fœdus inierant cum Abraham: *reuersique sunt in terram* inhabitatam, vrbesque *Palæstinorum. Abraham verò plantauit nemus in Bersabee*, consito ex diuersis arboribus quasi quodam templo, seu loco sacro, vt esset oratorium tam sibi, quàm alijs colentibus verum Deum: quod ante legem scriptam licitum erat fieri, *& inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni* preces & sacrificia illi offerendo. *Et fuit colonus* ad modum tamen peregrini *terræ Palæstinorum diebus multis*. Plus namque temporis habitauit Abraham in Palæstina, quàm in Hebron, seu in alio quouis loco terræ Chanaan.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXI.

I. *Parere viris est phrasis Hebraica.*

IN senectute sua.] Ex pronomine Hebraico, pro quo Latinus interpres posuit sua, constat verba ista non esse referenda ad Saram, sed ad Abraham: est enim pronomen illud masculini generis: & vtitur scriptura hoc in loco phrasi Hebraica, qua dicuntur mulieres viris suis filios parere: vt simili modo loquendi dicitur paulò post: Nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac. Et inferius; Quem peperit ei iam seni. Et postea capit. vigesimo quarto. Filia sum Bathuelis filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Et ibidem seruus Abraham protulit verba omnino similia his, quæ in hoc loco habentur dicens ad Laban: Et peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in senectute sua: hoc est, cum Abraham iam esset senex.

II. *Ludere plura significat in scriptura*

LVdentem.] Dictio Mezahek à radice Zahak, quam Interpres transtulit ludentem, plures habet in Hebræo significationes, saltem ex antecedentibus & consequentibus appropriatas & accommodatas. Interdum enim significat mutuis amplexibus sese osculari: Vt infra capit. vigesimo sexto. Vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua. Interdum verò lætitiam agere: vt Isai. 31. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Interdum quoque significat manus inter se conserere pugnando, vel quasi pugnando: vt 2. Regum. 2. Surgant pueri, & ludant. Ac tandem significat irridere, & subsannare: vt 4. Regum. 2. Pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei. Quamuis ergo vnaquæque istarum significationum possit præsenti loco adaptari; vt videre est apud Mendoçam Quodlib. 8. positiuo: proprius tamen intelligitur hic locus secundùm tertiam significationem: iuxta quam verius ac proprius consonat verba Diui Pauli ad Galatas cap. quarto dicentis, quod is, qui erat secundùm carnem, id est, Ismael persequebatur eum, qui erat secundùm spiritum nempe Isaac. Vnde constat ludum istum fuisse quandam pugnam simulatam, qua Ismael odio & inuidia succensus persequebatur Isaac: vt auctor est Diuus Hieronymus lib. secundo Commentariorum super epistolam ad Galatas cap. quarto: quem Paulus Burgen. & alij recentiores sequuntur.

III. *Semen Abrahæ qui dicantur.*

IN Isaac vocabitur tibi semen.] Non dicit, erit, sed vocabitur tibi semen: quoniam Ismael semen erat Abrahæ; vt ipsemet Deus subiungit dicendo Abrahæ de Ismael: Quia semen tuum est: sed hoc futurum erat singulare in Isaac, quod in eius posteritate conseruaretur nomen, & memoria Abrahæ: ita vt eius duntaxat posteri vocandi essent filij Abraham, seu etiam Hebræi. Hanc enim appellationem Israelitæ ab Abraham sortiti sunt, vt aduertimus supra cap. decimoquarto, annota-

notat.

notatione quarta. Posteris Ismaelis nomen Abraham, sicut & religionem ipsius repellentibus. Ismaelis namque posteri ab alijs quidem Agareni, à seipsis verò Saraceni vocantur: atque adeo non pertinent ad nomen Abrahę, quo soli Israelitæ gloriantur.

IIII. *Abijcere pro nō curare.* ABiecit puerum.] Cum Ismael dimissus à patre fuerit plusquam sexdecim annorum nam quatuordecim annorum erat, quando natus est Isaac, hoc quod dicit scriptura nempe Agar abiecisse puerum, non debet intelligi, quasi eum quem portabat deiecerit: neque enim credibile est tam grandem puerum in vlnis deferri; sed intelligendum est abiectum esse non à portante, sed ab animo & cura materna; prout dimitti dicuntur à medicis infirmi iamiam morituri. In quo sensu sumitur idem verbum 1. Regum. 1. Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex. Et Osee 9. Abiecit eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum. Ita interpretatur locum istum Genesis Diuus Augustinus quæstione 5 . super Genesim.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXII.

¶ Tentatur Abraham à Domino præcipiente sibi, vt offerat in holocaustum filium suum Isaac: qui mox de nocte consurgens ad locum sibi diuinitus designatum accessit, ibique altari constructo filium super struem lignorum posuit; ac dum eum iamiam ferire vellet, ab Angelo intercipitur, arietemque pro filio immolare iubetur. Ob quam rem ingentia bona Patriarchæ denuo promittuntur, præsertim, futura ex eius semine Christi successio. Quibus gestis nuntiatum est Abrahæ Nachor fratrem suum octo filios ex Melcha suscepisse.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXII.

A. QVAE *postquam gesta sunt,* nempe post tot Dei promissiones, & maximè post illam, quæ recens facta eius memoria adhuc in auribus Abrahæ sonabat, de eo quod in Isaac vocari deberet eius semen, cum iam tandem adolesceret Isaac, & in ipso ætatis flore esset, cresceretque patris erga illum dilectio, † *tentauit Deus Abraham*, gerens se ad similitudinem eius, qui tentat aliquem, vt cunctis fieret manifesta fides, & obedientia Abrahæ, *& dixit ad eum: Abraham Abraham*; geminata vocatione eum attentiorem reddens. *At ille respondit. Adsum* promptissimus iussioni tuæ Domine. *Ait illi: Tolle* statim & sine mora *filium tuum vnigenitum* secundùm electionem diuinam eiecto Ismaele vnicum tibi relictum, *quem diligis, Isaac,* & quem successurum tibi semenque tuum multiplicaturum expectas, *& vade in terram* habituram ob futurum euentum nomen *visionis*, I. *atque ibi offeres eum in holocaustum* integrè concremandum, *super vnum montium, quem monstrauero tibi,* quando post triduanum iter illi te appropinquare contingat. *Igitur Abraham* nihil hæsitans vnam tantum rem curauit, vt imperata opere impleret, postpositaque omni affectione filij *de nocte consurgens* mox vt mandatum accepit, *strauit asinum suum* ad portandum ligna sacrificij *ducēs secum duos iuuenes & Isaac filium suum*; de propria namque familia paucos accepit, secretum agere volens & à nemine impediri. *Cumque concidisset ligna in holocaustum*, ne forte impediret obedientiam in incerto loco lignorum defectus; *abijt ad locum, quem præceperat ei Deus* tendens à Bersabee, vbi tunc temporis habitabat in regionem Iudææ. *Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum*

† *Iudit. 8. c. 22. Heb. 11. d. 17.*

III. *Semen Abrahæ qui dicātur.*

cum procul sibi à Deo designatum ad sa-
crificandamdum in eo filium. *Dixitque*
II. *ad pueros suos* a volens vt eos lateret,
quod facere intendebat: *Expectate hic*
cum asino, ego & puer illucusque prope-
rantes postquam adorauerimus offerendo
sacrificium, *reuertemur ad vos.* Non quod
vere & indubitanti animo mactare filium
nollet, sed [illegible] firmissimè credebat quòd
& à mortuis suscitare illum poterat Deus,
imo & quòd defacto suscitasset, vt pro-
missiones Dei saluæ consisterent. *Tulit*
B. *quoque de* dorso asini *ligna holocausti, &*
imposuit super Isaac filium suum, qui
erat iam iuuenis valde validus & fortis.
Ipse verò portabat in manibus ignem ad
incendenda ligna, *& gladium* ad mactan-
dum hostiam sacrificij nempe filium. *Cum-*
que duo pergerent simul, quo fluctibus
quibusdam dilectionis fortissimum Abra-
hæ pectus hinc atque inde amplius ten-
deretur, *dixit Isaac patri suo: Pater mi.*
Quod verbum ad lanceanda Abrahæ vis-
cera sufficiebat. *At ille respondit: Quid*
vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna, vbi
est victima holocausti? Nihil namque mi-
nus mentem incidebat Isaac, quàm se
vnicum filium à patre occidendum iussu
Dei, ex cuius gratia contra naturam cen-
tenario genitus, & hæres dictus erat. *Di-*
xit autem Abraham generoso spiritu &
forti animo: *Deus prouidebit sibi victi-*
mam holocausti fili mi, quam iam sibi pro-
uidisse Abraham existimabat, sed quod
futurum erat occultare voluit puero. *Per-*
gebant ergo pariter, & die tertio ex quo
egressi sunt à Bersabee, *venerunt ad lo-*
cum, quem ostenderat ei Deus, in quo
ædificauit altare, cespite fosso, & saxis
aliquot coaceruatis construens suggestum
scilicet in quo sacrificium mactaretur, *&*
desuper ligna composuit forma, quæ com-
moda esset combustioni perficiendæ. *Cum-*
que declarata prius iuueni voluntate diui-
na *alligasset Isaac filium suum*, non qui-
dem timendo quòd Isaac fugeret, aut exi-
liret ab altari, prout exilire solent, &
fugere ouis, aut aries aut vitulus cum ma-
ctatur, sed ne inuoluntarij, vt pote na-
turales motus membrorum in actu iugu-
lationis insurgentes ordinatum com-
positumque situm victimæ exturbarent in
nonnullam indecentiam diuini sacrificij,
posuit eum in altare super struem ligno-
rum, cui rei Isaac nullatenus restitit, sed
patientissimè diuino præcepto per pa-
trem tunc illi patefacto consensit. † *Ex-* *Iacob. 2.*
tenditque manum Abraham, gladium- *d. 21.*
que vibrauit in iuuenis ceruicem, Do-
minum filio præferens, *& arripuit gla-*
dium, vt immolaret filium suum, quem
senex iam & penè moriturus acceperat
hæredem. *Et ecce Angelus Domini*, vbi
pia mens Abrahæ ad omnia consumman-
dum properabat, vt ictum vibrantis oc-
cuparet dexteræ *de cælo clamauit* ex per-
sona Dei *dicens: Abraham Abraham*, ge-
minatione vsus, vt superaret impetum
Abrahæ, & quasi per vocem sensibilem
detineretur eius dextera iam tendens ad
iuuenis cædem: facile quippe erat nisi
Angelus vocem terribiliter geminaret, vt
animo in Dei obedientiam incitato An-
gelum præueniret Patriarcha. *Qui respon-*
dit: Adsum Domine paratus ad immo-
lationem. *Dixitque ei: Non extendas ma-*
num 3 *tuam super puerum* ad illum occi- III.
dendum, seu percutiendum; *neque facias*
illi quidquam. Nunc aggressus fecisti rem,
ob quam repræsentatam in essentia mea
ab æterno *cognoui* 4 notitia visi ouis, *quod* IIII.
times Deum, & enim ex egregio Dei
timore processit, quòd quantum fuit ex
parte tua, *non pepercisti vnigenito fi-*
lio tuo propter me: contentus sum igi-
tur voluntate tua, & ex hac te corono,
& prædico: *Leuauit Abraham oculos*
suos, & huc atque illuc contemplabatur,
an loco filij qui à sacrificio subtraheba-
tur, aliquid sibi ad immolandum diuini-
tus concederetur: *viditque post tergum*
arietem non fictitium, sed verum aliun-
de ab Angelo illuc allatum *inter vepres*
hærentem cornibus, nec fugere valentem:
stabat enim cornibus erectis, & ad car-
pendas arboris frondes sublimis *quem as-*
sumens quasi victimam à Deo prouisam
obtulit holocaustū pro filio, & sacrificium
consummauit ne tam sacratum opus re-
maneret imperfectum, vtque figurato
figura aptius responderet. *Appellauit-*
que nomen loci illius, Dñs videt, volens
quasi in colūna erecta, qualis futura erat apud
fideles illa nominis impositio, insculpe-
re loco per appellationem, visitationem
sibi à Deo factam, qua patrem ab an-
gustia liberauit, & filium à morte eri-
puit, vt maior inde confidentia in Deū ho-
minibus proueniret. *Vnde vsq; hodie* ab his,
qui in angustia constituti Domini optant
auxilio

auxilio subleuari, *dicitur*, quasi prouerbium: *In monte Dominus videbit*, insinuando quod sicut Abrahæ Dominus misertus est, ita & illorum misereatur. *Vocauit autem Angelus Domini*, qui in persona Dei loquebatur, *Abraham secundo de cælo*, seu aere in quo apparebat *dicens*: † *Per me metipsum iuraui*, cum superiorem non habeam, per quem iurem, *dicit Dominus: Quia fecisti hanc rem*, qua intercedente ab æterno disposueram me facturum, ea quæ subiunguntur, *& non pepercisti* quantum in te fuit *filio tuo vnigenito propter me*, ob hanc inquam obedientiam *benedicam tibi* eximijs bonis spiritualibus, ac temporalibus afficiens, *& multiplicabo semen tuum*, tam quod nascetur ex te secundum carnem, quam quod deputabitur tibi per vnitatem fidei *sicut stellas cæli & velut arenam, quæ est in litore maris*, ita vt nequaquam dinumerari valeat. *Possidebit semen tuum*, seu filij, in quibus vocabitur tibi semen, & conseruabitur nomen tuum, quales dumtaxat erunt filij Isaac & Iacob. *Portas inimicorum suorum*, quando debellatis Chananæis ciuitates eorum ingredientur filij Israel, & occupabunt eas, † *& BENEDICENTVR in semine tuo*, quod erit Christus Dominus *omnes gentes terræ*, quantum ad sufficientiam, nullus enim erit, qui salutem in illo consequi nõ valeat: idque perficiam *quia obedisti voci meæ* accingendo te ad immolationem filij. *Reuersus est Abraham ad pueros suos*, ad locum, in quo eos reliquerat cum asino, *abieruntque Bersabee simul*, vnde egressi fuerant, quando ad sacrificandum Abrahã venerat, *& habitabit ibi*, nempe iuxta puteum iuramenti ad australem & extremam partem promissæ terræ in confinibus Palæstinæ. *His ita gestis nunciatum est Abrahæ* nolenti accipere filio suo Isaac vxorem de filiabus Chananæorum, inter quos habitabat, & solicito vnde esset sibi nurus speranda digna filio suo, *quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo, Hus primogenitum, & Buz fratrem eius, & Chamuel patrem Syrorum* habitantium in Damasco *& Cased*, à quo Chasdim, idest, Chaldæi post eavocati sunt *& Azau, Pheldas quoque, & Iedlaph ac Bathuel, de quo nata est Rebecca. Octo istos genuit Melcha Nachor fratri Abrahæ. Concubina vero illius nomine Roma peperit Thabee, & Gaham, & Thaas, & Maacha*. Qui omnes subesse tenebantur primogenito, à quo nutriendi erant.

† Psal. 104.a.9 Luc.1.g.73, Eccl. 44.d.21 Hebr. 6.c.13. 1. Mac. 2.f.52. Lu. 1.g.73.

D. V.

III.

IIII.

† Sup. 12.a.3. 18.c.18.

inf. 26.a.4. Acto.3.d.25. Eccl. 44.d.25

ANNOTATIONES IN CAPVT XXII.

I. *Terra visionis & Iudea.*

IN terram visionis.] Terra ista visionis Iudæa est, vt ex sententia sanctorum Patrum docet hic Lippomanus: præsertim verò est illa Iudææ pars, quæ inter montana existit, sic forte dicta, quoniam ipsa à longe, & de ea à longe videri poterat, vel per anticipationem etiam alio modo, dicitur terra visionis, tum quod in ea Dominus oculis misericordibus conspexit Abraham, vt in hoc eodem capite dicitur, tum quia futura erat terra illa prophetarum habitatio, & videntium, quibus copiosissimæ factæ sunt cælestes visiones, & reuelationes: vel tandem quia in terra illa Filius Dei verus homo erat habitaturus palpabilis & visibilis, iuxta illud Baruch cap. 3. Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.

II. *Pueri acceptio multiplex.*

AD pueros suos.] Quos parum antea scriptura vocauerat iuuenes, modo vocat pueros, vt sciamus in sacris literis nomen pueri non semper infantibus, & puerulis dari, quasi paulo ante genitis: sed etiam viris, & adolescentibus, vel quia ministri sunt & famuli alicuius, sumpta metaphora à pueris ætate, quod hi ministrare soleant maioribus: vel quia sensu careant, seu malitia, sicut vere pueri carent: sensu quidem, vt quando Isai. 65. dicitur: Maledictus puer centum annorum: malitia autem, vt quando Zachar. 2. dicitur de eodem propheta: Loquere ad puerum istum. Est autem in his acceptionibus obseruandum discrimen: nam quando nomen pueri denotat puerum, vel ministrum: semper significatur is, cuius est seruitus, vt hic: Dixitque ad pueros suos: Et Luc. 1. In domo Dauid pueri sui. Secus verò est, quando secundum alias acceptiones vsurpatur. Ex dictis constat, sæpesæpius in hoc capitulo Isaac vocari puerum, ob carentiam malitiæ: non autem propter infantilem ætatem. Qui enim potens fuit portare supra humeros suos ligna, quæ sufficiebant ad holocaustum, & integram incinerationem corporis humani, vt hic significatur, non vtcumque iuuenis, sed etiam magnis viribus, ac robore præditus esse debuit. Qua in re maxime relucet patientia, & obedientia ipsius Isaac, qui cum tam facile potuisset resistere patri volenti necem inferre, nullatenus mortem sibi infligendam recusare voluit.

III. *Extendere manũ pro puniτe.*

NOn extendas manum.] Extendere manum solet significare inflictionem alicu-

aliсuius pœnæ, eo quod gestum percutientis ostendit, vt docet D. Hieron, Super caput primum Sophoniæ: & in hoc sensu sumuntur hæc verba hoc in loco, & Exod. 7. Qui extenderim manum meam super AEgyptum. Et Iob 1. Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet. Isai. 5. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum. Et statim: In his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta, id est, adhuc percutere auet. Et Sophoniæ cap. 1. Et extendam manum meam super Iudam. Et alibi pluries.

VI. *deus qualiter dicatur, nunc aliquid cognoscere.*

Nunc cognoui.] Particula nunc hoc in loco non debet applicari ad cognitionem ... Diuinam secundum se, nec etiam ad obiectū diuinæ cognitionis, prout relucet in ipsa essentia Dei, sed ad obiectum diuinæ scientiæ, prout est in propria mensura: vt sit sensus: Modo ostendisti te Deum timere, & ob contēplationem rei, quam modo operatus es, quamque ego in essentia mea intuebar, ab æterno cognoui te Deum timere. Nam factū istud Abrahæ relucens in essentia Dei, & nunc executioni mādatū terminauit scientiam Dei visionis. Et hic est planus literæ sensus: nec ex eo colligitur Abrahamum nihil ante operatum fuisse, ex quo agnosci potuerit se Deum timere, sed vel quod nullum illud aliud à se factum tam præclarum argumentum fuit diuini timoris, sicut istud: vel quod ex hoc solo, etiam si nihil aliud fecisset, timor Dei in illo constare poterat, iuxta modum loquendi, quo vsi sunt blasphemi Iudæi dicentes Ioan. 8. Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Hi enim non negabant se ante id cognouisse, cum id sæpe prius affirmassent: sed indicabant illud idem quod tunc Dominus faciebat, esse sufficiens argumentum id affirmandi, etiam si nullum aliud præcessisset. Solemus enim dicere, nunc noui te amicum, nunc intelligo te virum doctum, id est, vel ex hoc solo nosco te virum doctum, te amicum. Sunt autem præter prædictam aliæ huius diuinæ locutionis expositiones, quas ego non repudio. Diodorus Tharsensis exponit. Nunc omnibus notum fecisti. D. Aug. q. 58. & D. Gregorius lib. 28. in Iob cap. 7. interpretatur, Nūc nosse te feci. D. Hilarius super Psalm. 1. Nunc nosse dignatus sum. Martinus del Rio inquit Deum hæc verba more hominum fuisse locutum: qui, cuius rei periculum fecerunt, id se perfectè putant nouisse.

V. *Semē Abrahæ stellis, & arenæ cōparatur.*

Sicut stellas cæli.] Sæpe sæpius comparat scriptura semen Abrahæ stellis cæli, & arenæ, quæ est in litore maris; vt hic & supra, cap. 13. & capite. 15 & infra capit. 26. & alibi. Idque non solum ad exaggerandam filiorum Abrahæ multitudinem, & incrementum; sed etiam ad significandum, quod in semine Abrahæ, tam in eo, quod futurum est illi secundum carnem, quàm in eo quod illi attribuitur ob vnitatem fidei, multi erunt filij carnales, terreni, aridi, & bonis operibus infœcundi, ac proinde similes puluери terræ, seu arenæ maris. Alij verò plures ob claritatem virtutum lumen fidei gratiā & etiam gloriam, qua clarificandi sunt, ipsis cæli syderibus assimilabuntur: vt bene Procopius, Rabanus, & Rupertus. In qua quidem syderum assimilatione consistit illa lux, quam Abrahæ semini promissam testatur Ecclesia, cum in missis quotidianis defunctorum, animabus dormientium bene precatur his verbis: Signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius. Vbi illud &, exegeticū est, pro id est semini eius. Quam lucē nullibi nisi hic, & in locis allegatis promissam esse testantur Lyranus, & Abulensis.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXIII.

¶ Moritur Sara in Ciuitate Arbee, anno ætatis suæ cētesimo vigesimoseptimo, ad quā sepeliendā Abraham petijt sepulchrum à filijs Heth: & eis consentientibus emit agrum cum spelunca duplici ab Ephron Hethæo, vbi vxori suæ, ac sibi sepulturam designauit, quæ sita est propè conuallem Mambre in Hebron.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIII.

A. † Act. 7 a. 5.

VIXIT *Autem Sara centum viginti septem annis.* Et his exactis cum Abraham esset centum trigintaseptem annorum, *mortua est in ciuitate* † *Arbee, quæ est Hebron in terra Chanaan. Venitque Abraham* de Bersabee, vbi tunc tēporis morabatur exequias pro more acturus, *vt plāgeret & fleret eam* non gentiliter, sed cū modestia, & cōsolabiliter. *Cūq; surrexisset ab officio funeris*, seu à celebri, & aperto plāctu, quē in vxoris fecit exequijs, *locutus est ad filios Heth* habitatores ciuitatis illius, qui ad Abraham aduenerant, vt sepulturæ Saræ debitum honorem impenderent *dicens: Aduena sum & peregrinus apud vos*, ita vt nec † passum pedis in terra vestra possideam: *date mihi* † Act. 7 a. 5.

mihi obsecro gratis, & absque vlla commutatione *ius sepulchri vehisium*, quod
I. inter sacra & spiritualia computatur, *vt sepeliam mortuum meum*, 1 & sicut cohabitatorem sustinuistis in conualle Mambre, ita mortuum non abijciatis. *Responderunt filij Heth* rationabili, ac modesta Abrahæ oratione conuicti *dicentes. Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos*, tam spectabilis nãq; & clarus à nobis haberis: vt quasi
II. rex vices summi Dei gerens inter nos videaris. Quapropter *in electis sepulchris* 2 *nostris*, seu in vno eorum, quod elegeris *sepeli mortuum tuum, nullusque te prohibere poterit*, nec id sibi permittetur, *quin in monumento eius sepelias mortuũ tuum*: nam in resurrectione mortuorũ te, qui amicus Dei es, omnes consortem habere cupimus. *Surrexit Abraham* de loco, in quo cum alijs de
III. populo in porta vrbis consedebat, *& adorauit populũ terræ*, 3 *filios videlicet Heth*,
B. honorem & reuerentiam eis exhibendo in signum gratitudinis: *dixitque ad eos: Si placet animæ vestræ*, seu vobis gratum est, *vt sepeliam mortuum meum* in terra vestra in qua nunc habito, *audite me* consentiendo desiderio ac petitioni meæ, *& intercedite pro me apud Ephron filium Seor* conciuẽ vestrum, qui præsens adest, *vt det mihi speluncam duplicem* continentem speluncam intra speluncam, *quam habet in extrema parte agri sui*, ac proinde facile est illam à
IIII. possessione agri seiungere *pecunia dignâ* 4 quæ ei satisfaciat, & æquet pretium speluncę, *tradat eam mihi coram vobis*, vt illã consecrare & dedicare valeam *in possessio-*
V. *nem sepulchri. Habitabat autem Ephron in medio filiorum* 5 *Heth*, seu inter illos quasi eorum conciuis. *Respondit q; Ephron ad Abraham*, non priuatim, sed coram omnibus, & *cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam ciuitatis illius dicens: Nequaquam ita fiat Domine mi*, vt pretium ego accipiam pro eiusmodi spelunca, *sed tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi*
C. gratis & absque vlla mercede, *& speluncam: quæ in eo est*: idque non ficte, sed *præsentibus filijs populi mei*, quasi testibus huius voluntariæ & gratuitæ donationis, ac proinde tanquam dominus illius fundi *sepeli mortuum tuum* in eo, quando tibi placuerit. *Adorauit Abraham*, & gratias agens præstitit reuerentiam decoro corporis gestu Ephroni Ethęo, *coram populo terræ*, qui præsens aderat: *& locutus est ad Ephron circunstante plebe. Quæso, vt audias me*, ac consensum præbeas rei, quam postulo. *Dabo pecuniam pro agro*, quo firmius habeam eius dominium *suscipe eam; & sic sepeliam mortuum meum in eo*: nolo namque illic alios sepeliri; quod forsitan eueniret, si agrum tuum gratis acciperem. *Responditque Ephron: Domine mi audi me: Terra, quam postulas, quadringentis siclis* ducentis videlicet vncijs, vel mille & sexcentis dragmis Aticis; *argenti valet: Istud est pretium inter me & te* ratione amicitiæ, & quia te noui virum iustum & sanctum: alteri namquè non darem eo pretio; *sed quantum est hoc*, vt ob tam modicum valorem desinam conferre tibi gratis prędium istud? *sepeli mortuum tuum*, & habeto agrum quocumquè modo volueris.
Quod cum audisset Abraham appendit pecuniã 6, *quam Ephron postulauerat audientibus filijs Heth*: Qui etiam contractum emptionis testificarunt, ne posteris relinqueretur contentionis occasio. Appendit què *quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ*, & qualis inter mercatores sine vlla controuersia recipiebatur. VI.
Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex respiciens Mambre conuallem, videlicet illam, vbi olim habitauerat Abraham. Inter ciuitatem enim Arbee & conuallem Mambre situs erat ager ille, qui titulo emptionis cessit, *tam ipse, quam spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum Abrahæ in possessionem, videntibus*, ac consensum præstantibus *filijs Heth, & cunctis, qui intrabant portam ciuitatis illius*, & qui erant de populo illo. *Atque ita* † *sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat*, & sita erat versus *Mambre. Hæc autem terra seu ciuitas* Arbee continens conuallem Mambre, & speluncam duplicem *est Hebron* insignis proculdubio ob reliquias plurium Patriarcharum, qui ibi iacent *in terra Chanaan. Et confirmatus est*, ac firma translatione cessit *ager & antrum, quod erat in eo Abrahæ in possessionem monumenti à filijs Heth* consentientibus venditioni, quam Ephron fecit Abrahæ,

D.

† 23. q. 2 c. Hebro de sepulturis c. 1

ANNOTATIONES IN CAPVT XXIII.

I. *Sub genere masculino cōprehēditur fæmininum.*

SEPELIAM Mortuū meum.] Hebraismus est vsitatissimus in sacris literis, cuius frequenter meminit D. Au. in libris locutionū Genes. & Exodi, vt sexus fœmininus per masculinum, vt pote honoratiorem, significetur: vt Exodi 13. Primogenitum asini mutabis oue, idest, primogenitum asinæ: lex namque primogenitorum, ea tantum animalia comprehendebat, quæ primo aperiebant vuluam matris: Vnde in ordine ad matrem, non in ordine ad patrem primogenita dicebantur. Similis locutio habetur in eodem ca. 13. Exodi, cum subditur: Omne primogenitū hominis de filijs tuis pretio redimes. Vbi ob prædictam etiam causam homo ponitur pro fœmina. Iuxta quem modū loquendi in hoc capite pluries repetitur mortuum; quod in Hebraico est generis masculini, etiamsi sermo sit de mortua Sara.

II. *Numerus pluralis interdū ponitur pro singulari.*

IN electis sepulchris.] More Hebræorum dictum est: In electis sepulchris nostris, pro in vno ex electis sepulchris: vt Act. 13. referens Paulus testimonium prophetæ Abachuc, inquit: Ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis. Videte contemptores & admiramini: Non quod in pluribus prophetis hæc verba scripta reperiantur, sed quia in vno ex prophetis. Et quamuis glossa interlinealis & Lyranus putauerint dixisse Paulum: In Prophetis, quia verba illa erant scripta in vno libro duodecim Prophetarum, nequaquam tamen eorum sententia placet; nam etiam Christus Dominus referens librum Isaiæ, qui vnius dumtaxat prophetæ liber est, inquit Ioan. 6. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Et frequenter dicitur: In diebus illis, pro, in vno illorum duorum.

III. *Populus terræ pro plebeijs.*

AD populum terræ.] Per populum terræ iuxta phrasim Hebraicam solent intelligi indigenæ eius loci, de quo fit sermo; quatenus indigenæ, seu populares, à principibus, & magnatibus distinguuntur: vt constat ex illo Ierem. 44. Reges vestri, & principes vestri, & populus terræ. Et ca. 52. eiusdem Prophetæ habetur. Et septem viros de his, qui videbant faciem regis & cætera: & sexaginta viros de populo terræ. In quo quidem sensu loquitur hic scriptura: & etiam paulo post quando dicitur. Et locutus est ad Ephron circunstante plebe eius: idest, circunstantibus reliquis de populo, qui simul cum Ephron inhabitabant ciuitatem Arbee.

IIII. *Dignū pro æquali & sufficienti.*

PEcunia digna.] Dignum æqualitatem quādam, & sufficientiam importat. Vnde dignum vocatur, quod satis esse iudicatur ad aliquid aliud: vt Michęæ. 6. Quid dignum offeram Domino? Idest, quid dignum offerre Domino possum, quod sufficiens sit ad eum placādum? Et Roma. 8. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam: quasi dicat: Multo maior est gloria nobis reddenda pro malis, quæ patimur, quam mala ipsa. Mala enim tempore finiuntur, neque vsque adeo excruciāt, gloria verò perpetua est: & multo plus habet iucunditatis, ac dulcedinis, quam huius temporis dolores habeant acerbitatis & molestiæ. Quamuis secundum aliam considerationem, & quatenus passiones temporales innitūtur meritis Christi dignæ sunt æternæ beatitudinis retributione. Iuxta hunc igitur sensum vocat Abraham pecuniam dignam, quam Dominus prædij satis iudicare deberet adhoc, vt per illā sibi satisfieret, & æqualitas seruaretur.

V. *In medio aliquorū pro inter illos.*

IN medio filiorum.] In medio rei alicuius esse dicitur, quod intra illam est, siue bene, siue male se habeat, qui in medio aliquorum esse dicitur: Vt. 4. Reg. 4. In medio populi mei ego habito, idest, habito inter meos, à quibus iuuari possum, siquid negocij habeam apud regem. Et Isai. 6. In medio populi polluta labia habentis ego habito. Luc. 4. Stetit Iesus in medio eorum. Et Apocalypsis. 1. Et in medio septem candelabrorum similem filio hominis: idest inter septem candelabra. Et Michææ. 3. Et conciderunt sicut in lebete, & sicut carnem in medio ollæ. Non igitur locutio ista significat melius, & securius alicubi esse, vt nonnulli voluerunt: sed simpliciter interesse alicubi, & hoc modo intelligendus est præsens locus.

VI. *Appendere pecuniā pro numerare.*

APpendit pecuniam.] Olim apud Chananæos, & Hebræos, & Chaldęos pecunia in commercijs non numerabatur tantum sed etiam ponderabatur, quod hodie etiā apud Italos & apud alias nationes sæpe fieri videmus: ne minus forte auri, aut argenti in pondere habeant, quam deberent. Inde in scriptura cum pecunia soluitur appendi, idest, ponderari dicitur: vt hic & Isa. 55. Quare appenditis argentum non in panibus? Ierem. 32. Appendique ei argentum septem stateres. Et hinc in persona auarorum dicitur Amos. 8. Imminuamus mensuram & augeamus siclum & supponamus stateras dolosas. Nam cum appendenda erat pecunia, fures siclum augebant faciendo, vt lanx, in qua pecunia ponebatur, esset altera leuior, vt emptor aliquid siclis suis addere cogeretur: aut faciendo vt pondus, quod in altera parte ponebatur, vt appenderetur argentum esse grauius iusto. De valore autem siclorum, quos Abraham appendit, dicemus Exod. 30. Vbi in textu fit eius rei mentio.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXIIII.

¶ Missus fuit Abrahæ famulus in Mesopotamiam Syriæ, vt inde assumeret vxorē Isaac, quæ esset ex cognatione ipsius Patriarchæ.

Hanc

Hâs vt cõmode inueniret fidelis seruus orationem ad Deũ præmisit, ac signo hospitalitatis, & pietatis sibi præfixo, Rebeccã filiã Bathuelis deprehendit: eamquê ad Isaac adduxit: cui vniuersa, quæ contigerãt, retulit. Isaac verò Rebeccam mox in vxorem accepit, atque illam mirum in modum dilexit.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIIII.

A. ERAT Autẽ *Abraham senex dierumque multorum*, bene ac fœliciter consumptorũ: & proximus morti videbatur, cui iunior cõpar obierat, *& Dominus in cũctis benedixerat ei* largã spiritualium, & tẽporaliũ bonorũ affluẽtiã tribuẽs. *Dixitq; ad seruũ seniorẽ domus suæ, qui* hero virtutibus similior, & fide spectatior erat, & *præerat omnibus quæ habebat* officio œconomi fungẽs † nomine Eliezer: *Pone manũ tuã subter fæmur meũ*, quasi tãgẽdo Christũ Dominũ, qui in semine meo futurus est, *vt adiurẽ te per Dominũ Deum cæli & terræ*, prout adiurari solẽt homines per contactũ altaris, vel rei alicuius sacræ, *vt non accipias vxorẽ filio meo* vnigenito Isaac *de filiabus Chananeorum, inter quos habito*: scio enim eas perfidas esse, carnales, & filio meo indignas, earumq; posteritatẽ à Domino exterminãdam; *sed ad terrã & cognationẽ meam proficiscaris* tendens in Mesopotamiã ad gentem & familiã, de qua natus sum: *& inde accipias vxorem filio meo Isaac*, vt coniugem eisdẽ moribus viuentem, & eadẽ fide cum ipso prẹditã sortiri valeat. *Respondit seruus* rationabiliter agenda præmeditatus, & ne frustra conficeret tantũ iter, si vacuus rediret ait: *Si noluerit mulier venire mecum in terrã hanc, nunquid reducere debeo filiũ tuũ ad locum, de quo tu egressus es*, vt accepta sponsa postea huc redeat? *Dixitq; Abrahã: Caue nequando reducas filiũ meũ illuc* existimans te vacuum redituru, nisi illuc eum reduxeris, sed omnino in Deo fiduciam habe, & de bono rei exitu bene spera. *Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi dicẽs † Semini tuo dabo terrã hanc*, ipse in prẹteritorũ donorũ exhibitione, futurorũ certitudinẽ præstitit, ac proinde *mittet Angelum suum corã te*, vt qui mihi sæpe sæpius hactenus astitit, cõmissum quoq; negotio tam arduum fœliciter dirigat; *& accipies inde vxorem filio meo*, eamq; è Mesopotamia in locũ istum transmittere curabis: *sin autem mulier noluerit sequi te*, (quod nullatenus futurum credo) *non teneberis iuramento* mihi de hac re præstando: *filium meũ tantum ne reducas illuc*: nam quantũ ad hoc volo te omnino iuramento esse cõstrictum. *Posuit ergo seruus manum sub fæmore Abrahã domini sui* quasi tangens aliquem, qui futurus erat ex semine Abrahæ scilicet Christum Dominũ, *& iurauit illi super sermone hoc*, promittendo se obseruaturum, quẹ illi tunc temporis prẹcipiebat. *Tulitque decem camelos de grege Domini sui*, ac seruos ad eorum curam necessarios, *& abijt* quo eum mittebat Abrahã, *ex omnibus bonis eius*, quidquid pretiosum ac magnificũ domi habebat, *portans secum*, vt his sponsa, atq; eius ancillẹ simul & parentes donari, & honorari, & ad amicitiã allici & pertrahi possent: *profectusq; perrexit in Mesopotamiã ad* Haran, vbi Abraham nutritus fuerat, postea vocatã *vrbem Nachor*: quod nomẽ sortita est ciuitas illa, quia mortuo Thare filius eius Nachor potẽtia & diuitijs insignis locũ illũ sibi in habitationẽ delegit. *Cumq; camelos fecisset accumbere* œconomus Abrahã *extra oppidũ iuxta puteum aquæ vespere tẽpore, quo solẽt mulieres egredi ad hauriẽdã aquã dixit* in corde suo: *Domine Deus domini mei Abrahã* I.
occurre obsecro mihi hodie cõfirmando propositũ meũ, *& fac misericordiã cũ domino meo Abrahã* executioni mãdando, quẹ desiderat anima eius. *Ecce ego sto prope fontẽ aquæ, & filiæ habitatorũ huius ciuitatis* pro more patriæ, quantũuis ipsæ sint nobiles, *egrediẽtur ad hauriẽdã aquã. Igitur* fœliciter mihi o Domine occurre hodie, ac voto tũ suorũ compotem fac herum meum, me quoque fac deprehendere signo satis conuenienti moribus domini mei fœminam, quæ filio eius digna sit vxor. Quapropter ex magna quã de te habeo confidẽtia, quãdo aliter explorare nõ valeo mores ac virtutẽ puellẹ à me deligẽdæ, certus ero, ꝙ *puella cui ego dixero: inclina hydriã tuã, vt bibã & il-*

† Sup. 15 a. 2.
† In. 47 g. 29.
† Sup. 12 b. 7. 13. d. 5. & 15 d. 18. Infra. 26. ar. 2.

& illa ob maximā in animo eius hospitalitatis virtutē *respōderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum*, ac in ea re se eisdem moribus præditam ostenderit, quibus Dominus meus Abraham, *ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligā, quod feceris misericordiam cum domino meo* Abraham, eum exaudiens in re, quam ipse tantopere exoptat. *Necdum intra se verba cōpleuerat* seruus Abrahæ, & quæ volente Deo optare cœperat eodem prouidente, ac perficiente completa sunt, non fortuna, nō augurio, sed ad certitudinem fidei firmandam de futuris maioribus bonis semini Abrahæ promissis: nam *& ecce Rebecca egrediebatur* de ciuitate ad hauriendā aquā *filia Bathuel filij Melcha vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua.* Erat autem Rebecca *puella decora nimis virgoque pulcherrima* & non so-

II. lum virginitatis habitum gerens more innuptarum virginum, sed *& incognita viro,* quātum ad veram carnis integritatē. *Descenderat autem ad fontem,* seu puteum continentem aquam, *& impleuerat hy-*

C. *driam* aqua, antequā seruus Abrahę ei quidquam loqueretur, *ac reuertebatur* tendens versus ciuitatē. *Occurritque ei seruus, & ait, Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.* Nā quamuis secum haberet seruos, qui potum afferre potuissent, sed fide plenus de manu virginis bibere eligebat vt hac via eiusdem mores & virtutē exploraret. *Quæ respondit: Bibe domine mi. Celeriterq; deposuit hydriam super vlnam suam, &* indicibili quadam alacritate *dedit ei potum. Cumque ille bibisset,* virgo animi liberalitatem & mentis candorem declarans *adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquā, donec cuncti bibāt:* multò plura peregrino sponte exhibens, quā fuerat rogata. *Effundensque hydriam in canalibus,* quæ erant lapides magni cauati, vt in eis biberent animalia, *recurrit ad puteum, vt hauriret aquā & haustā omnibus camelis dedit* ingenuā suam educationem ostendens dignam coniugio humanissimi iuuenis Isaac. *Ipse autem* nempe seruus Abrahæ *contemplabatur eā tacitus,* aspectum videlicet eius, incessum, habitū, & an omnia, quæ ipse prius à Domino postulauerat in puella illa inuenirentur *scire volens vtrum prosperum iter suum fecisset Dominus* votis suis ad amussim respōdēdo per occursum illius virginis, *an nō,* sed oporteret sibi aliā quærere. *Postquā autem biberūt cameli protulit vir* de loco, in quo munera afferebat binas *inaures aureas appēdentes siclos duos, & armillas totidē pondo siclorū decē,* vt paratas eas haberet & daret illi fœminæ, si fortè ei dare oporteret. *Dixitq; ad eā: Cuius es filia? Indica mihi, est in domo patris tui locus ad manēdū? Quæ* nonnihil cogitans de Abrahā fratre aui sui, si forte homo iste nuncius illius esset, *respōdit: Filia sum Bathuelis filij Melchæ, quem peperit ipsi Nachor* non solū de patre, sed etiā de auis memoriā faciens: quod auū sciss et fratrē fuisse Abrahæ, & auiam neptem eiusdē extitisse. *Et addidit dicens: Palearū quoque & fœni,* quibus cameli valeāt sustentari, *plurimū est apud nos, & locus spatiosus ad manendū.* Hęc vt audiuit œconomus Abrahæ, admiratus est mirā & largam puellæ hospitalitatē, & mox vt didicit fœminā illam esse de cognatione domini sui, manifestauit ei, quisnā ipse esset, & ex patriarchę nomine prębuit illi inaures aureas & armillas, quas protulerat. *Inclinauit se* præterea genua flectēs *homo & adorauit Dominū,* eiq; gratias egit, quod nō ad ignotos quosdā venisset, sed in domū Nachor, qui frater ęrat heri sui, *dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abrahā, qui nō abstulit misericordiā & veritatē suam à domino meo,* tā prospere, & fæliciter omnia faciēs succedere, nihilq; non adimplēs eorū, quæ domino meo promisit: *& recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei* eximiā prouidentiam, quā rerum Patriarchæ habet ostendēs. *Cucurrit itaq; puel-*

la, & nuntiauit in domū matris suæ, (ne- III.

que enim patrē superstitē habebat) *omnia quæ audierat,* nempe hominē illum non ex aliena domo venire, sed Abrahā fratrē Nachor hùc eum misisse. *Habebat autē Rebec-*

ca fratrē nomine Laban, qui ob defectū pa- D.

tris familiā omnē regebat: hic *festinus egressus est ad hominē vbi erat fons,* prius tamē inquisiuit à sorore, quidnā ei homo ille peregrinus dixisset. *Cumq; vidißet inaures, & armillas in manibus sororis suæ,* indicātes magnificētiā & potētiā viri, qui eas donauerat, *& audisset cuncta verba* Rebeccæ sororis suæ *referentis, hæc locutus est mihi homo,* statim stabulum prouidit ac parauit; quo facto *venit ad virū, qui stabat iuxta camelos, & prope fontem aquæ:* Noluerat enim seruus Abrahę ad puellæ vocem se se cū tot camelis ignotus ingerere, sed magis, tāquā amicus inuitari & introduci à viro aliquo, quod modestiæ esse sciebat. Accessit ergo Laban, *dixitque ad eum: Ingre-*

Digitized by Google

gredere benedicte Domini; nam quasi à Domino benedictum & omni bonorũ genere præditum te excipere opto. *Cur foris stas?* ex quo soror mea dixit tibi locũ adesse spatiosum ad manendum in domo nostra? *præparaui domum & locum camelis* vt commodius hospitari valeas. *Et introduxit eum in hospitium, ac destrauit camelos* deponendo sellas & onera eorum; *deditque paleas & fænum & aquam ad lauandos pedes eius*, & non solum ipsius serui Abrahæ, quod in quolibet hospitio factum fuisset, sed *& virorum, qui venerant cũ eo*: quamuis enim domestici Laban adhuc in errore idololatriæ tenerentur, magnam nihilominus hospitalitatis curam agebant. *Et appositus est in conspectu eius panis* cum non modico ciborum apparatu. *Qui ait: Non comedam donec loquar sermones meos*: cum non deceat eum, cui aliquid iniũgitur prius quietis suæ habere rationem, quàm mandatum domini exequi. *Respondit ei* Laban, qui ex nomine matris domũ gubernabat: *Loquere. At ille: Seruus, inquit, Abraham sum*, qui non solũ vobis cognatis suis, sed & omnibus terræ regibus celebri fama notus est: *& Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est* ingenti diuitiarum abundantia: nam vltra bona spiritualia, quæ ei contulit Deus, *& dedit ei oues, & boues, argentum, & aurum, seruos, & ancillas, camelos, & asinos. Et* ne existimetis diuitias istas Abrahæ à pluribus filijs hereditandas esse scitote, quod *peperit*

III. *Sara vxor domini mei filium domino meo*, cum iam ipse existeret *in senectute sua: deditque illi omnia, quæ habuerat*, nam adhuc viuente Sara illum omnium bonorum suorum hæredem constituit. *Et adiurauit me*

D. *dominus meus dicens: Non accipies vxorẽ filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito, sed* quia amicitiam magis cum consanguineis meis firmare volo, *ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo. Ego verò*

E. difficultatẽ negotij mecum perpendẽs, *respondi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier? Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo*, seu ad cuius nutum actiones meas componere studeo, *mittet Angelum suum tecum, &* illius ministerio *diriget viã tuam* in finem intentum: *accipiesque vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei*: nemoque detrectare poterit, quod dominus imperauit. *Innocens eris à maledictione mea*, & solutus à iuramento tuo, *cum veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi* sponsam, quam ab eis petieris. *Veni ergo* & per plures dies viam meam continuãdo, accessi *hodie ad fontem aquæ &* pro fœlici euentu operis, cui incũbebam, suppliciter Dominum exorãs *dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in quã nunc ambulo*, prout te illam direxisse firmiter credo, obsecro, vt indicio à me excogitato deprehẽdere valeam vxorem dignam filio domini mei: nam, *ecce sto iuxta fontem aquæ, &* firmiter credam, quòd *virgo quæ egredietur, ad hauriendam aquam*, & portans eam *audierit a me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua, & dixerit mihi: & tu bibe, & camelis tuis hauriã, ipsa est mulier, quam præparauit Dominus filio domini mei. Dũq; hæc tacitus mecum voluerem*, confestim id, quod desiderabam adimpletum est: nam *apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula: descenditque ad fontem, & hausit aquam. Et* cum illa regrederetur, ego factus illi obuiam, *aio ad eam: Da mihi paululum bibere. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: Et tu bibe & camelis tuis tribuam potum*: manifeste demonstrãs animi sui ingenuitatẽ: *bibi, & adaquauit camelos*, & vt certior redderer diuinę in me prouidentiæ, scrutatus sum genus puellæ. *Interrogauique eam, & dixi: Cuius es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filij Nachor, quem peperit ei Melcha.* Vt igitur didici è quibus esset nata, manifestaui ei, qualiter in domum patris sui missus fuerim: muneraque ex nomine domini mei obtuli. *Suspendi itaque inaures adornandam* F.
faciem eius, & armillas posui in manibus eius: in locis videlicet vbi eiusmodi ornatus poni consueuerunt. *Pronusque adoraui Dominum* gratias agens & benedictione laudis *benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere*, nullatenus me errare permittens in opere, ad quod veniebam: nempe, *vt sumerem filiam fratris domini mei filio eius. Quambrem si* volentes Rebeccam tradere vxorem filio Abrahæ *facitis misericordiã*, ad quam ex iustitia non tenemini, *& veritatẽ cũ domino meo*, qua verificari valeãt tot signa diuinę volũtatis nobis exhibita: *indicate mihi: sin autem aliud places, & hoc dicite mihi*: vt quæsiturus puellam, quæ sit

vxor Isaac, *vadam ad dexteram, siue ad si-*
nistram quousque inueniā illam inter cog
natos Abrahæ, quales sunt omnes filij Na-
chor fratris domini mei. *Responderuntque*
Laban &, quidam alius frater eius, vel cog-
natus nomine *Bathuel: A domino egreßus*
IIII. *est sermo* 4 docens nos, quid agere debea-
mus: nam ex narratione tua satis intelligi-
mus diuinā esse dispensationē, vt soror no-
stra detur in vxorē filio domini tui: cū igi
tur manifestè constet id esse à domino præ
ordinatum, *non possumus* licite & absq; pec
cato *extra placitum eius quidquā aliud lo-*
† 35.q.5.c.1. *qui tecum,* Dei voluntatem infringentes. †
En Rebecca coram te est, tuæ potestati reli
cta: *tolle eam, & proficiscere, & sit vxor fi-*
lij domini tui, sicut locutus est Dominus per
euentū signi, quod ab ipso postulasti. *Quod*
cū audisset puer Abrahā procidens geni-
bus flexis signa subiectionis exhibens *ado-*
rauit in terra Dominum de negotio bene
perfecto gratias agens: *prolatisque vasis ar-*
genteis & aureis, quæ erant iocalia quædā
& ornamenta muliebria, *ac vestibus dedit*
ea Rebecca pro munere ministrans ei omnia
hæc quasi iam verbis desponsatæ Isaac. *Fra-*
† 35.q.2.honor. *tribus quoque eius.* † Laban & Bathuel ac
reliquis cognatis Rebeccæ, *& matri dona*
obtulit: & cum vidit negotium & manda-
tum impletum, tunc tandem refici se pas-
sus est. *Inito conuiuio, vescentes pariter &*
bibentes seruus Abrahæ & viri, qui cum eo
accesserant, *manserunt ibi* illa duntaxat no-
cte. *Surgens autem mane* diei sequentis, *lo-*
quutus est puer, seu minister Abrahæ ad fra
trem & matrem Rebeccæ dicens vnicuiq;
illorum: *Dimitte me, vt vadā ad dominum*
meū ducens mecum filij sui sponsam. *Respō*
deruntque fratres eius & mater permoti
ex naturali amore, ne tam cito & quodam
modo inopinatè à Rebecca separarentur, &
dixerunt: *Maneat puella saltem decem dies*
apud nos, & postea proficiscetur. Conijcie-
bant enim se postea, aut raro, aut nunquam
visuros. *Nolite, ait,* œconomus Abrahæ *me*
retinere, quia Dominus direxit viam meā,
deditque in omnibus tantam facilitatē, vt
ex ea constare possit non esse volūtatis suæ
quod via mea differatur. *Dimittite me, vt*
pergam ad dominum meum, conformareq;
velle vestrū summi Dei prouidentiæ. *Et di-*
xerunt: Vocemus puellam & quæramus ip-
sius voluntatem: non de sponsalibus cum nō
sit virginalis pudoris hunc, vel illum in ma
ritum eligere: imo in ea re debeat iudicio
parentum conformari, sed iam desponsata
consulatur de profectionis die & itineris
societate. *Cumque vocata venisset sciscita-* G.
ti sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait, va-
dam. Concordabant enim admodum stu-
dia humanitatis vtrinque, hoc est, in seruo
fideli, & honestissima puella: ac vterq; Dei
prouidentiam plena fiducia suscipiebat. *Di-*
miserunt ergo eam & nutricem illius vi-
delicet Delboram, cuius solatio foueri de-
bebat Rebecca absque parentibus ad nup-
tias proficiscens, *seruumque Abraham, &*
comites eius, Benedixeruntquè Rebeccam
cognati sui *imprecantes prospera sorori suæ,*
atque dicentes: soror nostra es: quaprop-
ter mirum in modum optamus vt *crescas in*
mille millia, multiplici filiorū procreatio-
ne, *& possideat semen tuum portas inimico-*
rum suorū adimplente Deo in filijs tuis pro
missiones factas socero tuo Abrahæ, quas
seruus eius nobis retulit. *Igitur Rebecca &*
puellæ illius ascensis camelis absque fletu
& turbatione, verbo Dei credentes & ad-
hærentes *secutæ sunt virum, qui festinus re-*
uertebatur ad dominum suum versus extre-
mam partem terræ Chanaan ad meridiem,
quò diuina prouidentia disponente paucis
diebus peruenerunt. *Eo autem tempore de-*
ambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad pu-
teum, vbi Agar fugiens vidit Angelū Dei,
cuius nomen † *est viuentis & videntis,* & † Sup. 16.d.24
situs est puteus iste inter Cades & Barad.
Habitabat enim tunc temporis non longe
à puteo illo nempe in Bersabee, vel prope
Bersabee, quæ sita est *in terra Australi* res
pectu totius prouinciæ Chanaan, *& egres-*
sus fuerat ad meditandum, ac loquendum
cum Deo per mentis eleuationem *In agro*
inclinata iam die: quies enim loci & tem-
poris inuitabat sanctum virum ad offeren-
dum Deo spirituales victimas. *Cumque ele-*
uasset oculos vidit camelos venientes pro-
cul. † *Rebecca quoque conspecto Isaac,* ne spō
sum, quem vt caput suum, dominūquè sibi † 30.q.1.c.nec illud.
colendum, & honorandum esse nouerat, ip
sa de loco superiori, sedensquè, in loco infe
riori stantem indecenter acciperet, *descen-*
dit de camelo: nam statim vt peruenit ad
locum, vnde eum videre potuit, interroga
uit: *& ait ad puerum* seruum Abrahæ, qui
eam ducebat. *Quis est, ille homo, qui ve-*
nit per agrum in occursum nobis? Dixitque
ei: Ipse est dominus meus. At illa mox, vt
didicit à seruo Abrahæ illum esse Isaac, de
siliit à camelo, & *tollens cito pallium,* seu
vesti-

Digitized by Google

vestimentum quoddam Arabicum, quo mulieres prouinciæ illius caput, & faciem velabantur, *operuit se*, docens verecundiam, ac pudicitiam nuptijs præire debere, in cuius testimonium, Rebecca, ne sui quidem sponsi Isaac primum aspectum sustinere voluit. *Seruus autem cuncta, quæ gesserat, narrauit*, nō solum Abrahæ, qui miserat illum, sed etiam *Isaac. Qui* accepta patris benedictione, & vna cum Rebecca gratijs Deo præstitis pro nouo coniugio, *introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ*, conferendo illi eam authoritatem, & potestatem gubernandi domum, quam habebat Sara, *& accepit eam vxorem*, ita vt præter Rebeccam nullam aliam Isaac habuerit, nec cognouerit. *Et in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius*, à tribus annis ante *acciderat*, *temperaret*, quamuis eiusmodi dolor, non omnino extinctus fuerit.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXIIII.

I. *Dicere, p cogitare.*

DIXIT: Domine Deus.] Quod hæc verba protulerit mentaliter seruus Abrahæ, & non externe ex duplici constat loco. Alter quidem quando subiungens scriptura, in hoc ipso capite euentum subsecutum, post hæc verba, sic ait. Necdum intra se verba compleuerat: tunc autem dicuntur fieri verba intra se, quando mētaliter, & in corde dumtaxat proferuntur, vt Matth. 9. Dicebant intra se, idest, in corde suo. Alter locus est, quando ipsemet seruus Abrahæ post modum referens, quæ sibi contigerant fratribus Rebeccæ, dicit: Cumque hæc tacitus mecum voluerem, quod propriè significat internam locutionem.

II. *Discrimē inter virginē, & incognitam viro.*

ET incognita viro.] In his ac præcedentibus verbis, quibus ait Moyses Rebeccam fuisse virginem, & incognitam viro, alterutra vox superuacua videtur, aut virgo, aut incognita viro: nam si virgo erat, necesse fuit esse incognitam atque intactam viro, & contra si erat intacta viro, necesse fuit virginem esse. Ad hoc respondent aliqui, posterius verbum additum esse ad clariorem prioris expositionem, aut confirmationem: prout fieri solere in verborum Sacræ Scripturæ repetitionibus, docet D. Augustinus super Psalm. 74. vbi hanc scripturæ consuetudinem, plurimis in medium adductis testimonijs, confirmat. Cæterum nobis magis arridet in hac parte modus dicendi Caietani asserentis nomen Virgo significare hoc loco tantummodo habitum innuptarum mulierum virginalem, illud vero, & incognita viro, denotare integritatem mentis, & corporis. Etenim sicut Rebecca describitur ab ætate puella, à formositate, decora, & pulcherrima: ita ab habitu, virgo, & ab integritate carnis prædicatur incognita viro.

III. *Rebecca cur dicatur iuisse in domum matris.*

NVnciauit in domum matris suæ.] De causa, ob quam potius dicitur Rebecca iuisse in domum matris suæ, quam in domum patris, variæ circunferuntur doctorum sententiæ: sed inter illas, quæ magis animum quietat est, quæ in Paraphrasi adhibetur, nempe quia pater Rebeccæ defunctus fuerat, vnde tota gubernatio domus pendebat à matre, & à primogenito, qui erat Laban. Et hinc est, quòd quamuis pluries fiat in hoc capite specialis mentio matris, & fratrum, nunquam fit mentio patris, cum tamē agatur de re, quæ maximè ad patrem pertinebat. Sed ad hoc dicunt aliqui, quòd pater erat valde senex: & ideo, non fit illius tāta mentio, sicut matris, & fratrum. Cæterum hoc stare nō potest, cum Bathuel fuerit filius neptis Abrahæ; imò secundùm eos, qui hæc dicunt Nachor pater Bathuelis erat minor, quàm Abraham: vnde non poterat esse tantæ ætatis pater Rebeccæ, quantæ isti insinuant. Ex dictis præterea sequitur, quòd Bathuel cuius in hoc eodem capite fit mentio ibi, responderuntque Laban, & Bathuel, non fuit pater Rebeccæ, sed vel frater, vel cognatus, vt colligitur, quia statim posita responsione istorum, dicitur seruum Abrahæ contulisse munera fratribus Rebeccæ. Et prætereà, quia in sacris literis, licet interdum frater iunior prius soleat memorari ob aliquam excellentiam quàm senior, nunquam tamen nominatur prius filius, quàm pater, & tamen in prædictis verbis nominatur prius Laban, quàm Bathuel: consequens igitur est, quòd hic, non erat pater illius.

IIII. *Egredi, seu procedere de alio actionē omnino voluntariā significas.*

EGressus est sermo.] Egredi, aut procedere sæpè exitum quemdam significat omnino voluntarium, & in quo magis voluntas, quàm quæuis res alia dominetur, vt Ierem. 44. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro: idest, faciemus, quidquid libebit dicere. Item Daniel. 2. Et interrogabant eum quam ob causam tam crudelis sententia à facie regis esset egressa. Ex quo intelligitur illud Deuteronom. 8. Quod Dominus Matth. 4. retulit. Et dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui, vt ostenderet tibi, quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod egredietur de ore Domini: idest, quacunque re eum Deus pascere voluerit, pascet. Ita etiam intelligi debet illud Prouerbiorum. 29. Multi requirunt faciem principis, & iudicium à Domino egreditur. Idest, multi quærunt placere principibus, vt diuites fiant, & potētes, sed hæc Dominus vnicuique distribuit, quod vult, potius quàm reges. Ita ergo, nunc ait Labā à Domino egressus est sermo: idest, hoc Dominus vult. Vnde continuò subijcit. Nō possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum.

ARGVMENTVM IN CAP. XXV.

¶ Vltra Saram, & Agar habuit Abraham vxorem Ceturam, ex qua sex suscepit filios, eisque pater munera contulit, & ab Isaac seiunxit. His expletis Abraham, cũ esset centum septuaginta quinque annorum mortuus est, & in spelunca duplici ab Isaac, & Ismaele sepultus. Quorum Ismael duodecim filios genuit, & centesimum trigesimum septimum annum agens obijt. Isaac verò cum esset sexaginta annorum habuit filios Esau, & Iacob. Horum prior propter lentis edulium vendidit primogenita, posteriori, cui ex diuinæ gratiæ largitate debebantur.

PARAPHRASIS IN CAP. XXV.

1. par. 1. cap. 32.
A.
1.
ABRAHAM *verò* præter Saram, & Agar, eisque mortuis, *aliam duxit vxorem*, 1 quoad thorum, non quoad gubernationem domus: vt suo exemplo demonstraret post obitum coniugis, iterum coniugari, non esse peccatum: accepit autem in vxorem iuuenculam,
† 32. 9. quandam † *nomine Ceturam: quæ peperit*
4. cap. 1. *ei* sex filios, videlicet *Zamran, & Iecsan, &*
§. 1. *Madan, & Madian, & Iesboc, & Sue:* ex quibus diuersæ gentium nationes Israelitis infensæ originem duxere. *Iecsan quoque* secundus Ceturæ filius, *genuit Saba, & Dadan. Filij Dadan fuerunt Assurim* negociationis, ac mercaturæ inuentores, *& Latusim* æris ferrique metalla cudentes, *& Loomim*, qui multarum tribuum, ac populorũ principes extitere. *At verò ex Madian*, quarto Ceturæ filio *ortus est Epha, & Opher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: omnes hi filij Ceturæ*, quorum debuit specialis fieri mentio ob molestiam, quam eorum posteri intulerunt populo Dei, quamuis pro rerum mutationibus nomina quoque ipsorum mutata fuerint, ac sub alijs nominibus in sequẽtibus memorentur. *Deditque Abraham cũcta, quæ possederat Isaac* vniuersalem illum bonorum suorum hæredem constituens; prout seruus ipsius Abrahæ in domum Bathuelis enarrauerat. *Filijs autẽ* Agar, & Ceturæ *concubinarum largitus est munera*, vt pote ex legitimo quoque matrimonio natis, *& separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad plagam orientalem;* vt enim exoneraret filium suum Isaac à cura quę illi tamquam hæredi vniuersali incumbebat prouidendi fratribus suis ab hæreditate exclusis, vtque simultatem inter tot filios tolleret, non solum filijs concubinarum dona magnifica dedit, sed & illos in terram Oriẽtis à Bersabee longe remotam ad inhabitandum misit. *Fuerunt autem dies* omnes præsentis huius ac temporalis *vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni. Et deficiens*, viribus naturæ destitutus *mortuus est*, per resolutionem animæ, & corporis *in senectute bona*, vt pote absque ęgritudinibus, & molestijs, quę senectutem sæpè sæpius infestare solent, *prouectæque ætatis, & plenus dierum*, ita vt nihil ex bonis, quæ in diebus huius vitæ temporalis contingere solent, amplius desideraret. *Congregatusque est*, & coadunatus secundum animam *ad populum suum*, & consortium iustorum omnium, qui ante eum obierant, & in sinu Abrahæ aduentum Saluatoris expectabant, *Et sepelierunt eum*, quantum ad corpus (cadauer namque Abrahæ, non fuit congregatum ad populum suum) *Isaac, & Ismael filij sui*, absentibus filijs Ceturæ ob remotissimam illorum habitationem, vel alia quauis de causa, *in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre*, nempe inter ciuitatem Arbeæ, & Mambre, *quem emerat* Abraham quadringentis siclis, *à filijs Heth. Ibi* B.
sepultus est ipse, & Sara vxor eius, quæ triginta, & octo annis ante ipsum Abraham obierat. Vnde in eius sepulchro commodè

potuit

potuit Abraham sepeliri. *Et post obitum illius*, sicut & antequam Abraham moreretur, *benedixit Deus Isaac filio eius*, tam bonis spiritualibus, quam temporalibus illum afficiens, *qui habitabat iuxta puteum nomine viuentis, & videntis*, nempe in extrema parte prouinciæ Palæstinorum ac totius terræ Chanaan versus Austrum. Et quia Ismael honorem detulit patri suo in eius sepultura, operæpretium erit illius ac eius posteritatis honorificam facere mentionem, simulque ostendere in eo fuisse cõpleta, quæ Agar matri suæ Angelus prædixerat. *Hæ sunt* igitur familiæ, seu *generationes Ismael filij Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia famula Saræ, & hæc nomina filiorum eius*, non solum, *in vocabulis*, quibus ipsi filij Ismaelis vocati sunt, sed *& generationibus suis*, nam posteri eorum eisdem nominibus, quibus & ipsi filij Ismaelis

† 1. par. 1. b. 29. appellati sunt † *Primogenitus Ismaelis Nabaioth*, à quo omnis regio ab Euphrate vsque ad mare rubrum Nabathena dicitur, quæ pars Arabiæ est. *Deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsan, Masma quoque, & Duma, & Masa, Hadad, & Thema, & Iethur, & Naphis, & Cedma. Isti sunt filij Ismaelis, & hæc nomina, per castella, & oppida eorum*: nam oppida ab illis possessa retinent quoque nomina ipsorum filiorum Ismael. Vnde Cedar in deserto, & Duma alia regio, & Theman ad austrum, & Cedma ad orĩetalem plagam ab his filijs Ismael nomina obtinent. Fuerunt autem filij Ismael, *duodecim principes tribuum suarum*, quorum quilibet habebat propriũ palatium, & propriam curiam peculiarisque gentis dux erat, & princeps. *Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem, deficiensque* sensuum, ac vitæ corporalis viribus, *mortuus est, & secũdum* animam *appositus est ad populum suum*: nã ad Lymbum Sanctorum Patrum, vel ad sibi similes defunctorum animas, ex quocun-

C. que populo fuerint, congregatus est. *Habitauit autem* genus, seu posteritas Ismaelis, *ab Heuila, vsque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios*: tendentes namque, per iter Assyriorũ, versus Ægyptum, pertranseunt regionem Ismaelitarum. *Co-*

II. *ram cunctis fratribus suis obijt* 2. Ismael, nempe in præsentia filiorum suorum, nulloque ex eis prius morte perempto, liberos namque etiam licet interdum fratres nominare. *Hæ quoque sunt generationes Isaac filij Abraham*, cuius in sequentibus historia texenda est. *Abraham genuit Isaac.* Qui non festinanter, nec temere, sed postquam naturæ robur diu expectauerat, *cum quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban*, prout latè in superioribus explicuimus. *Deprecatusque est Isaac Dominum, pro vxore sua*, volens precibus obtinere, quod Deus ab æterno ordinauerat medijs orationibus præstare, nempe vt Rebecca conciperet, *eo quod esset sterilis*, qualis esse sanctorum matres sæpe sæpius voluit Dominus, vt illarum conceptus, non tam naturæ viribus, quàm Dei gratiæ tribuantur. *Qui exaudiuit eum*, postquam per viginti annos, vel circiter Isaac perseuerauerat rogans Dominum, *& dedit conceptum Rebeccæ*, prout Isaac expetierat. *Sed collidebantur in vtero eius paruuli*, impellentes se mutuò, & quasi contendẽtes, cum non modica matris molestia. *Quæ ait: Si sic mihi futurum erat*, vt ex angustia tantum cruciatum sentirem, extremoque dolore affici deberem, *quid necesse fuit concipere?* timeo namque abortum ex vehementissimo dolore proculdubio secuturum. *Perre-*

xitque 3 Rebecca, non per loci mutatio- III.

nem, sed per noui operis executionem: nã ad Deum orando supplex accessit, *vt consuleret*, & de futuro euentu inquireret *Dominum. Qui* sibi per somnium, siue per Angelum, siue per quempiam Sacerdotum,

respondens ait: † *Duæ gentes sunt in* † Rom. 9. c. 10.

vtero tuo, non in se ipsis, sed in suis patribus, *& duo populi*, nempe Israelitarum, & Idumæorum, *ex ventre tuo diuidentur*, per diuisionem parentum suorum, *populusque populum superabit*, neque enim æquales erunt in potentia, & robore: *& maior* natu ex eis *seruiet minori*: nam gens propaganda à maiori filio tributa soluet posteris alterius. *Iam tempus pariendi aduenerat*, impletique sunt dies, vt pareret Rebecca, *& ecce gemini in vtero eius reperti sunt*, prout antea matri ex infantum collisione, ac di-

uina reuelatione innotuerat. † *Qui prior* † Osee. 12. a. 3.

egressus est, rufus erat, pilos habens fere rubeos, *& totus in morem pellis hispidus*:

nam cutem habebat acribus ac duris pilis D.

contectam: *Vocatumque est nomen eius Esau*, idest, factus, aut factura eius, quod quasi factus homo sit ex vtero egressus ferens secum pilos, qui in alijs pueris successu tẽporis nascuntur, & crescunt, & non nisi post annos pubertatis. *Protinus alter egrediens*

Digitized by Google

diens plantam fratris tenebat manu, quasi obstãs ne se prior ille nasceretur, *& idcirco*, Rebecca mater eius *appellauit eum Iacob*,
IIII. 4 idest, supplantator, eo quòd manu plantam fratris tenuerit: hoc enim propriè supplãtator significat. *Sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt ei paruuli*, Abraham verò centum, & sexaginta annorum tũc erat, vixitq; quindecim annis post natiuitatem nepotum. *Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi*, iracundiam animi sui in ferarum venatione exercens, *& homo agricola* ad similitudinem Cain, cui non modicum in moribus similis extitit. *Iacob autem*
V. *vir simplex*, 5 ac sine dolo, neminemque iniuria afficiens, aut lædens, *habitabat in tabernaculis*, vacabatque domesticis officijs, & cultu proprij animi. *Isaac amabat Esau*, tum quòd primogenitus naturalem dilectionem sequens, tum etiam, *eo quod de venationibus illius vesceretur*, non tamen quod moribus eius delectaretur, *& Rebecca diligebat Iacob*, non solum propter singularem virtutis illius præstantiam, sed etiam propter assiduam cum eo consuetudinẽ: quia domi commorabatur, ac tandem, propter diuinas promissiones ei factas. *Coxit autem Iacob pulmentum* de legumine, quod vocatur lenticula, *ad quem cum venisset Esau de agro lassus*, & canina fame percullsus *ait: Da mihi de coctione hac russa*, qualiscunque illa sit, *quia oppidò*, ex vehementissimo agri labore *lassus sum*. Lenticulas autem coctionem russam vocauit, quia illæ, vel natura, vel pigmentatione russæ erant, *quam ob causam vocatum est nomen eius Edom*. † quod russum significat. *Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua*. Voluit namque Iacob prudenter redimere vexationem sibi illatam, dum ius primogenituræ, quod reuelante matre sibi ex gratia ei competebat à fratre Esau reuera occupabatur. *Ille respondit* vehementi illius cibi concupiscentia, plusquam mortis periculo commotus. *En morior*, nisi cibum accepero, quod si ita est, *quid mihi proderunt primogenita?* Qua propter liber trado illa tibi, pro eduliotto. *Ait Iacob, Iura ergo mihi*, quo stabilis fiat omnino ista concessio. *Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita* à natura sibi data, transieruntque ad eum, qui virtute animi præfulgebat. *Et sic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, &* profanus ac irreligiosus existens *abijt paruipendens, quòd primogenita vendidisset*, quæ tamen, vt sacrosancta Iacob plurimi pendebat.

† *Heb. 12. ca. 16. Abdie. 1. art.*

ANNOTATIONES IN CAPVT XXV.

I. *Cetura alia fuit ab Agar*

ALIAM duxit vxorem.] Hic duplex potest oriri quæstio, altera est an Cetura eadem fuerit cum Agar: altera verò de tempore, quo Abraham duxit in vxorem Ceturam. Ad quarum primam responsum est in Paraphrasi negatiuè, idque cum maxima probabilitate: tum quia in eo quod dicitur Abraham aliam duxisse vxorem, insinuatur fuisse illam diuersam ab his, quarum hucusque facta est mentio, maximè, quòd clarè subiungitur Abraham habuisse, non vnam tantum, sed multas cõcubinas, quales dumtaxat esse potuerunt Agar, & Cetura: Sara enim fuit vxor principalis. Et certè si Agar nomine Ceturæ vocaretur, quorsum in hoc eodem capite nominaretur Agar, suo nomine Agar, quando fit mentio Ismaelis filij eius? Et tandem inter filios, qui Ceturæ adscribuntur, nequaquam commemoratur Ismael, cum tamen inter præcipuos filios Abrahæ post Isaac fuerit. Consequens igitur est Ceturam, & Agar diuersas prorsus Abrahæ vxores fuisse, quod communem Catholicorum sententiam tenere docet hic Lyranus, repugnantibus Hebræis. Ad secundam difficultatem etiam respõsio in Paraphrasi assignata, vero similior apparet: quamuis enim, mirum sit, quòd Abraham tam senex, agens videlicet centesimum quadragesimum annum, vel circa, habensque filios adultos cum promissionibus diuinis, quòd vere que futurus esset princeps gentis magnæ, & quòd in semine Isaac benedicendæ erant omnes gentes terræ, nec vlla facta mentione diuinæ consultationis, acceperit Abraham puellam ad generandum filios, in quibus non erat vocandum ei semen, cum à Deo dictum fuisset, in Isaac vocabitur tibi semen: nihilominus coniugium istud euenisse post mortem Saræ tenent communiter Doctores cum D. Augustino in locis infra citandis, & cum Origene homil. 11. in Genesim. Idque patet ex ordine Mosaycæ narrationis, quæ id memorat post mortem Saræ: esse autem eum ordinem rectum, & cum ordine rei gestæ congruentem, existimare conuenit, cum nihil sit, quod nos contra sentire cogat. Senectus enim Abrahæ nihil obstat: ex quo namque Deus effœtum illud corpus, vt Isaac filium gigneret, validum, & fœcundum reddiderat, potuit adhuc alios liberos gignere. Et licet diuinæ consultationis mentio, non fiat, certum tamen est ad id faciendum Dei instinctum intercessisse. Causæ quoque ducendi minimè defuerunt. Primam refert D. Augustinus quæst. 70. Deum coniugium istud ordinasse, vt sicut in filio Saræ nouum testamentum, & in filio

Abrahã non nisi mortua Sara accepit Ceturam in vxorem.

Digitized by Google

Agar vetus præsignabantur: ita in filijs Ceturæ hæreticorum turbæ præfigurarentur. Alteram magis historicam tradit idem Augustinus lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 34. nempe, vt iam tunc Deus tanti viri exemplo præfulcire, ac præmunire voluerit ius, ac potestatem secundarum nuptiarum, aduersus quosdam futuros aliquando hæreticos, eiusmodi nuptiarum improbatores, atque damnatores. Tertiam subiungo, quia iam à contubernio Isaac separatus fuerat Abraham, nouam oportuit ducere vxorem, quæ senectutis suæ præcipuam haberet rationem curamque suæ domus, & familiæ, rerumque suarum studiose, & diligenter ageret.

II. *Fratres interdũ ponũtur pro filijs*

Coram cunctis fratribus suis.] Sensum horum verborum, quem in Paraphrasi secuti sumus amplectitur D. Hieronym. in lib. Hebraicarum quæstionum. Ibidemque confirmat filios in sacris literis fratres nõnunquam nominari ex verbis, quæ protulit Iacob, quando Laban scrutatus est omnẽ supellectilem eius dicẽs Genes. 31. Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ: pone hic corã fratribus meis, & fratribus tuis. Vbi Iacob liberos suos vocat fratres. Nec enim fas est credere, quòd Iacob eo in loco exceptis filijs secũ fratres aliquos habuerit.

III. *Pergere ad aliquid est illud aggredi.*

Perrexit.] Dubitari solet quo tenderit Rebecca ad consulendum Dominum. Cæterum hac in re magis placet dicere verba ista intelligenda esse ad modum hebræismi, quo Hebræi, imò & Hispani ad significandum, quod aliquis aggressus est executionẽ alicuius rei, quam antea, non exercebat, consueuerunt dicere, quòd perrexit facere talem rem, iuxta quam locutionem loquitur scriptura, infra ca. 5. Vbi de Isaac dicitur, Ibat proficiens atque succrescens, idest, proficiebat, & succrescebat. Et Exod. cap. 2. ibi: Egressus est post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem. Non quia vir iste de loco ad locum tetenderit, sed quia vxorem, quam antea non acceperat, accepit. Ita igitur in præsenti dicitur, quòd perrexit Rebecca, vt consuleret Dominum: idest, consuluit Rebecca Dominum.

IIII. *Supplantare, qd propriè, & quid metaphoricè significet.*

Appellauit eum Iacob.] Supplantare aliud propriè aliud metaphoricè significat: propriè enim supplantare dicitur, qui pede obiecto, vel alio quouis modo plantam alterius detinet, ne præcurrat: & quia hoc fieri solet ad decipiendum aduersarium, illumque deuincendum; hinc per metaphoram supplantare significat decipere. Iacob nomen habuit ab hoc verbo propriè accepto, idest, eo quòd manu plantam fratris tenuit, quasi obstans ne prior ille nasceretur: vt hic dicitur. Cæterum quando infra cap. 27. ait Esau: Iustè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me en altera vice. Primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam: tunc Esau sumpsit Etymologiam nominis Iacob, ab eo quod metaphoricè significat supplantare, idest, à deceptione, iuxta illud, quod pater dixerat: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.

V. Vir simplex.] Pro significatione huius vocis simplex videantur, quæ diximus supra cap. 10. annotat. 1.

ARGVMENTVM IN CAP. XXVI.

¶ Adiens Isaac Geraram cibos quæsiturus audiuit Dominũ præcipientem sibi ne descenderet in Ægyptum, magnaque, & ingentia bona promittentem ob merita Abrahæ. Timens autem ne à Palæstinis occideretur propter Rebeccæ pulchritudinem, dixit eam esse sororem suam, quam tamen esse vxorem agnouit Abimelech. Vnde securum reddens Isaac, copiam illi fecit terram inhabitandi, quousq; inuidia succensus recedere fecit: quem tamen postea visitans in Bersabee, cum eo fœdus iniuit. Esau verò quadragenarius duas accepit vxores Chananæas.

PARAPHRASIS IN CAP. XXVI.

A. I. ORTA autem fame super terram illam Palæstinæ, quam Isaac inhabitabat *post eam sterilitatẽ, quæ* ante plures annos *acciderat in diebus Abraham, abijt Isaac*, quæsiturus cibos sibi ac familiæ suæ *ad Abimelech regem Palæstinorum* habitantem *in Gerara*, quæ erat metropolis Palæstinæ, cum ea intentione, vt si ibi cibos non inuenisset, tenderet in Ægyptum, quo pater suus Abraham ierat tempore præteritæ famis. *Apparuitque ei Dominus*, per internam mentis inspi-

Digitized by Google

inspirationem, vel per Angelum, *& ait: Ne*
descendas in Ægyptum, neque enim volo,
vt angustiam tanti itineris experiaris, *sed*
quiesce in terra, quam dixero tibi, ac diui-
nitus ostendero. *Et peregrinare in ea, ero-*
que tecum, curam tui ac omnium tuorum
agens, nec te deseram, sicut, & patrem tuũ
non deserui, *& benedicam tibi*, rebus om-
nibus te affluentem faciens. *Tibi enim*, non
in propria persona, sed in posteris tuis, nã
II: *& semini tuo dabo a vniuersas regiones*
† Sup. *has*, quæ sunt in terra Chanaan, † *com-*
12.b.7. *plens iuramentum, quod spopendi Abra-*
1.15.d. *ham patri tuo*, quando voluit te mihi in ho
18. locaustum offerre. *Et multiplicabo semen*
tuum, tam illud, quod futurum est tibi se-
cundùm carnem, quàm quod imitaturum
est fidem tuam, *sicut stellas cœli*, quarum
multitudinẽ filij tui adæquabunt, ac eorum
plurimi claritate bonorum operum, quasi
sydera fulgebunt. *Daboque posteris tuis*
vniuersas regiones has, quod ad maiorem
certitudinem, ac fidei firmitatem repeto,
B. † *& BENEDICENTVR* omni be-
† Sup. nedictionum genere *in semine tuo*, quod e-
12.ar.3. rit Christus Dominus, *omnes gentes terræ*,
18.c.18. nisi per illos stet suscipere benedictionem
22.d.17 sibi à Christo offerendam. Cuius rei execu
8.ca.19. tionem opere complebo, *eò quod obedierit*
Abrahã voci meæ, qua præcepi, vt te mihi
in holocaustum offerret, *& custodierit præ-*
cepta moralia humanæ menti naturaliter
indita, *& mandata mea*, quæ ipsi Abrahæ
specialiter imposui, vt quod egrederetur
de terra sua, & quod eijceret Agar ac filium
eius, *& cerimonias*, seu ritus colendi Deum
erigendo altaria, ac nemora plantãdo, *leges-*
que seruauerit à me institutas pro vniuerso
posteritatis suæ statu, quales fuerunt leges
circuncisionẽ concernẽtes. *Mãsit itaq; Isaac*
in Geraris accepto ibidẽ domicilio. *Qui cũ*
interrogaretur à viris loci illius super vxo-
re sua, an videlicet esset eius vxor mulier il-
la, quæ insolita forma, & pulchritudine præ
cũctis Palæstinorum mulieribus pollebat,
respondit: Soror mea est. Propinquã nãque
sibi paterno ac materno sanguine Hebræo
rũ morẽ secutus, licite potuit sororẽ appel
lare, maxime ob rationabilẽ imminẽtis pe-
riculi timorẽ. *Timuerat enim confiteri, quòd*
sibi esset sociata coniugio, reputãs ne fortè,
quasi zelatorẽ pudicitiæ vxoris suæ *interfi*
cerent eũ propter illius pulchritudinẽ ad li-
berius ea fruendum. Vnde prudenti ratione
Isaac vitæ suæ prouidit, ac pudicitiã vxoris
suæ Deo conseruandã cõmisit, quãdo aliàs
eã defendere, non valebat, exemplũ secutus
patris sui Abrahã, qui simili omnino proui-
dentia vsus fuerat. *Cũque pertransissent dies*
plurimi, & ibide in ciuitate Geraræ Isaac *mo*
raretur, prospiciens Abimelech rex Palæsti-
norũ per fenestrã vidit eũ, vt virilẽ rigorẽ
blanda hilaritate tẽperaret, *iocantem cũ Re*
becca vxore sua, mutuisq; amplexibus se se
osculãtes. *Et accersito eo ait: Perspicuum est,*
quòd mulier ista, quã tecũ circunducis, *vxor*
tua sit. Neque enim de te incestũ, vel quid-
piã turpe, non modo iudicare, sed nec suspi-
cari audeã. *Cur mentitus es*, seu qua de causa
interrogatus dixisti, *eã sororẽ tuã esse? Res-*
pondit Isaac videns se ex coniecturis depre
hẽsum. *Timui ne morerer propter eã. Dixitq;*
Abimelech memor calamitatis, quã ipse, vel
pater suus pertulerat tẽpore Abrahæ. *Qua-* C.
re imposuisti nobis? sicut enim ob sublatam
Sarã, per ignorantiã peccaturi eramus, ita
nunc quoque, per ignorantiam *potuit coire*
quispiã de populo cũ vxore tua, & eiusmo
di rei occasionẽ tu præbens *induxeras su-*
per nos grande peccatũ, quale est adulteriũ:
hoc enim ex peccatis, quæ in personã pro-
ximi cõmittũtur post homicidiũ primũ te
net locũ. *Præcepitque* Abimelech *omni po-*
pulo dicens, per præconis vocẽ. *Qui tetige-*
rit hominis huius vxorẽ morte morietur, &
ex consequenti simili pœna mulctabitur,
qui occasione vxoris viro nocuerit. *Seuit*
autẽ Isaac in terra illa, & contra expecta-
tionẽ omniũ, & naturalẽ cursum *inuenit in*
ipso anno centuplũ: voluit namque ostẽdere
Deus, quòd ipse sit naturæ conditor, & in re
bus difficilibus facilia omnia facere queat,
simulque cõmendare virtutẽ ipsius Isaac in
beneficijs sibi diuinitus collatis. *Benedixit-*
q; ei Dominus, nõ solũ bonorũ spiritualiũ in
cremẽto, sed etiã terrenarũ rerũ copia, nam
& locupletatus est homo, & ibat proficiens
atq; succrescens: proficiebat namque bonis
tẽporalibus, & mirũ in modũ ditabatur, *do-*
nec magnus vehementer effectus est, nõ so-
lũ in diuitijs, sed in honore quoque fama,
ac virtute. *Habuit quoq; possessiones ouiũ, &*
armentorũ, & familiæ hominũ, qui sub il-
lius regimine, & directione in timore Do-
mini erudiebantur *plurimũ*, & magnã ista-
rũ rerũ quantitatẽ. *Ob hoc inuidentes ei Pa*
læstini, non curantes cui nocerent, sed tan-
tũ, vt inuidiæ zelo satisfacerent, *omnes pu-*
teos, tam ipsis Palæstinis, quàm alijs vtiles,
quos foderant serui patris illius Abrahã in
diebus, quibus Abrahã peregrinatus est in
Geraris *illo tempore*, quando scilicet cõtra D.

Isaac inuidia exarserunt Geraritæ, *obstruxe
runt implentes humo in tantũ*, nâque po-
tentia Isaac illis fuit infesta, *vt ipse Abime
lech*, quãuis rex esset, inuidiã continere nõ
valens, *diceret ad Isaac: Recede à nobis*, etiã
si nihil cuiquam nocueris, *quoniam potẽtior
nobis factus es valde*. More etenim inuidẽ-
tium Abimelech, non poterat benigniter,
videre Isaac prosperitatem, sed fœlicitatem
proximi suam putauit infœlicitatẽ. *Et ille
uẽpe Isaac discedens, vt veniret ad torren-
tem Gerara, habitaretque ibi*, ac discedendo
à ciuitate daret locum iræ, & maleuolentiæ
Geraritarũ: *rursum fodit alios puteos*, humũ
iniectam ab eis extrahendo, *quos foderant*,
primò ac de nouo *serui patris sui Abrahã*,
C. *& quos illo mortuo olim obstruxerant Phi-
listijm*, implentes humo, ne quis ex poste-
ris Abrahæ se in illis ius habere diceret. *Ap
pellauitq́ eos* puteos Isaac *eisdẽ nominibus,
quibus ante pater vocauerat*, in ea re quo-
que reuerenter se habẽs ad patrẽ. *Foderunt-
que* Isaac, & serui eius *in torrente*, vbi non
iugis aqua, sed quę ex inũdatione imbrium;
vel resolutione niuiũ, aut glaciei decurrere
solet, *& repererunt aquam viuam*, de subtus
scaturientẽ, & fluentem, quæ instar rerum
viuentium se mouebat. *Sed & ibi iurgium
fuit pastorum Gerara* iniustam rixam conci
tancium *aduersus pastores Isaac dicentium:
Nostra est aqua*. Voluerunt enim id, quod
suum non erat, per violentiam extorquere.
*Quamobrem nomen putei ex eo, quod accide
rat vocauit Calumniã*, eo quod Geraritæ ca
lũniantes iniuria affecerint ipsum Isaac. *Fo-*
E. *derunt aute, & alium* puteũ, serui Isaac, *&
pro illo quoque rixati sunt* pastores Gerarę
contendentes illũ etiã esse suũ, vnde impo
suit nomen puteo Isaac, *appellauitq́ eũ Ini
micitias*, quod inimicitiarũ fuisset occasio.
Cęterũ quotidie talia ferẽs ab his, qui regio
nẽ incolebãt, nõ granatim tulit, nec abiecto
fuit animo, sed omnia magna cũ mansuetu-
dine tolerauit: & idcirco dignus fuit habi-
tus, qui ampliori diuino auxilio adiuuare-
tur. *Profectus* namque *inde fodit alium pu-
teũ, pro quo, non contenderunt*, sed absque
omni pauore laboribus suis frui licuit: *itaq́
vocauit nomen eius Latitudo*, vt in ipsa no-
minis impositione Deo gratias referret, cui
totum tribuebat *dicens: Nunc dilatauit nos
Dominus, & fecit crescere super terram*, pa-
cifica enim putei possessio plurimum con-
gruebat ad incrementũ terrenæ substãtiæ.
Ascendit autem ex illo loco Isaac reputans
D. ad pacem assequendam opportunum esse
secedere *in Bersabee, vbi* ad confortãdum
Isaac de iniurijs sibi illatis, *apparuit ei Do-
minus in ipsa nocte*, fortè cum somnũ age-
ret Isaac, *dicens: Ego sum Deus Abraham* 4 IIII.
patris tui, qui adhuc secundùm animam vi-
uit, & cuius curã in omnibus gessi, adeô vt
eũ quãuis peregrinũ, & aduenã illustriorẽ
omnibus incolis fecerim. *Noli timere* nec te
perturbet, quòd ab Abimelech sis expulsus,
& à pastoribus sis iniuria affectus, *quia ego
tecũ sum*, sicut fui cum patre tuo, quẽ inui-
ctum, & infestantibus potentiorẽ, & inua-
dentibus fortiorẽ reddidi. *Benedicam tibi*
eximia bonorum largitate, *& multiplicabo
semen tuũ propter seruũ meũ Abraham*, cui
ipse, & aliæ quàm plurimæ retributiones
ob suam in me obedientiam debentur. *Itaq́* F.
ædificauit ibi altare, nempe in Bersabee,
vbi erat nemus, quod plãtauerat Abraham,
ad inuocandum ibi nomen Domini: *& in-
uocato* ab Isaac *nomine Domini extendit
tabernaculum*, ad habitandum, non quidem
semper ibi mansurus, sed more peregrino-
rum ad mandatum Domini abscessurus. *Præ
cepitque seruis suis, vt foderent puteum* il-
lum, quem in eo loco foderat Abraham pa-
ter suus, & quem Palæstini ob inuidiam,
vna cum alijs puteis, quos foderat Abraham
obstruxerant. *Ad quem locum cum venis-
sent de Geraris* ciuitate regia illius prouin-
ciæ rex 4 *Abimelech, & Ochozath amicus
illius, & Phicol dux militum locutus est eis
Isaac*, & cum magna lenitate verborum di-
xit: *Quid venistis*, seu quare cẽsuistis, vt vo
bis veniendum esset, *ad me hominem, quem
odistis, & expulistis à vobis? Qui responde-
runt, vidimus tecum esse Dominum*, nam
ex rerum serie contemplati sumus, quòd su
perno auxilio niteris, *& idcirco nos dixi-
mus*, animumque applicuimus adhoc, vt *sit
iuramentum* execratorium, quale inter pa-
ciscentes esse solet, *inter nos*, & imprecan-
tes mala ei, qui illud violauerit, *ineamus fœ
dus, vt* in futurũ securitatem nobis concilie
mus, quod *nõ facias nobis quidquam mali,
sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fe-
cimus, quod te læderet, sed cũ pace dimisi-
mus auctũ benedictione Domini*. Iniustã nã
que expulsionem principes isti lenire curã
tes illã vocauerũt dimissionẽ in pace, & vt
se excusarent, iniurias Isaac illatas mendaci
ter negarunt: verum iustus, non petijt ratio
nẽ, neque arguit ea, quæ ab illis dicta sunt,
imò potius amicitiam postulatam libenter
obtulit. *Fecit ergo eis conuiuium*; magna
hospitalitate regem ac principes Geraritarum

† 2.q.1. c. moret. tum excipiens, † *& post cibum, & potum surgentes mane* alterius diei, *iurauerunt sibi mutuo*, renouantes fœdus, quod Abraham cum eisdem Geraritis inierat, *dimisitq; eos Isaac pacifice in locum suum*, certa dans argumenta se non fore memorem eorum, quæ in se commiserant. *Ecce autem venerunt in ipso die*, quo Geraritæ abierant, *serui Isaac annunciantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: Inuenimus aquam. Vnde*, quia munerum diuinorum memorias erigebant passim patres desumendo ex eis nomina, quæ rebus imponerent, *appellauit eum* Sabaa, quod erat nomen eidem puteo prius impositum ab Abraham, & significat non solum septem, sed etiam iuramentum, imò, & societatem, seu *Abundantiam*: quæ quidem significata illi puteo optime congruebant ob diuersos euentus, qui ibidem in diebus Abrahæ, & Isaac contigerunt: Imò, *& nomen vrbi* postea in ea solitudine ædificatæ *impositum est Bersabee, vsque in præsentem diem*, & est terminus terræ Chanaan versus meridiem. *Esau verò quadragenarius* renitentibus parentibus *duxit vxores* ex gentibus, quas accipere non debebat, videlicet Oolibama vocatam alio nomine *Iudith filiam* adoptiuam seu legalem *Veeri Hethæi*; secundum carnem vero filia erat Annæ filij Sebeon Heuæi, vt inferius dicam: duxit præterea Esau vxorem Ada vocatam, *& Basemath filiam Elon eiusdem loci*, inquem frequenter tendebat Esau causa visitandi sepulchrum Abrahæ & Saræ, quod erat apud Hethæos in Hebron; & hæc forte fuit occasio, vt prædictæ mulieres placerent oculis Esau: † *quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ*, ob dissimilitudinem tum morum, tum etiam religionis. † Infra 27.§.46

ANNOTATIONES IN CAPVT XXVI.

I. *Aduentus Isaac in Geraris quando contigerit.*

ORta autem fame.] Aliqui existimant ea, quæ in hoc capite commemorantur per recapitulationem fuisse conscripta, accidisseque, antequam Esau vẽdidisset primogenita sua cibo lenticulæ: quæ ideo existimant in capite præcedenti fuisse prętermissa, vt primum de filijs Isaac de quibus tractari cæptum fuerat vsq; ad illum locum de lenticula narratio perueniret. Cæterum commodius dicitur ordinem historiæ seruasse hic Moysen, abijsseque Isaac ad Abimelech postquam Esau vendidit primogenita: mansio enim Isaac in Geraris contigit post mortem Abrahæ: nam in hoc eodem capite dicitur Isaac fodisse rursum puteos, quos foderat serui patris sui Abraham, & quos illo mortuo obstruxerant Philistijm. Quando autem mortuus est Abraham Iacob & Esau quindecim annorum erant: nati enim sunt anno sexagesimo Isaac: Isaac vero septuaginta quinque annorum erat quando obijt Abraham: vt patet ex duobus capitibus præcedentibus. Rationabiliter ergo saluatur ordo historiæ ab anno quintodecimo ætatis Esau vsque ad annum quadragesimũ eiusdem, si dicamus primo Abraham obijsse, eũque sepelisse Isaac & Ismaelem eius filios: postea Isaac habitasse iuxta puteum viuentis & videntis in solitudine sub tentorijs & tabernaculis more peregrinorum, ibique post aliquot annos Esau vendidisse primogenita; ac deinde ob subortam famem in illa regione Isaac cum tota sua familia aduenisse in Geraram, ibique mansisse, donec expulsus à Geraritis abijt in Bersabee, quo postea tetendit Abimelech contracturus cum eo fœdus, & tandem Esau postquam peruenisset ad ætatem quadraginta annorum accepisse mulieres Hethæas in vxores.

II. *Et pro idest.*

ET semini tuo.] Cõiunctio, Et, vt bene aduotauit Martinez lib. 5. hypotypos. ca. 9. interdum ponitur tam in sacris literis quàm in profanis loco dictionis declaratiuæ significans idẽ quod idest, vt Coloss. 2. Videte nequis vos decipiat per philosophiam; vbi nequis existimaret Apostolum damnare rectam & veram philosophiam, quæ ad diuinarum rerum cognitionem viam parat, subdidit Apostolus, & declarat de qua philosophia loquatur dicens. Et inanem fallaciam, quasi diceret, idest, inanem fallaciam. Et etiam ex profanis autoribus Plautus in eodem sensu vtitur coniunctione, &, inquiens: Annos natus iam sexaginta & senex. Prout ad hoc propositum citat illum Calepinus in dictione, Et. Ita igitur in præsenti postquam dictum est Isaac, Tibi enim, ne existimaretur ipsi Isaac in propria persona dandum esse quod subditur, sed eius posteris statim additur. Et semini tuo: quasi diceret, idest, semini tuo dabo vniuersas regiones has. Iuxta quem modum locutus est Paulus Rom. 2. Thesaurizas tibi iram in die iræ &, pro idest, reuelationis iusti indicij Dei.

III. *Deus Abrahæ quid insinuet.*

EGo sum Deus Abraham.] In his verbis ostenditur, quantum æstimauerit Deus Abraham, quandoquidem, quamuis totius orbis conditor ac Dominus esset, vnius hominis Deum se dixit; idque non concludens, aut abbreuians cum patriarchæ appellatione suum dominium, sed vt magnam in illum suam beneuolentiam demonstraret, quasi diceret, Ita illum feci mihi proprium, vt apud me reputetur tantus quanti alij omnes. Quod proculdubio non in modicam Abrahæ laudem cedit.

IIII. *Abimelech regiæ dignitatis nomenclatura.*

DE Geraris Abimelech.] Abimelech quod interpretatur Pater & rex nō personæ nomen est, sed regię dignitatis noméclatura apud Palę..inos, vt docent D. Hieronymus lib. 9. in Ezechie. Diodorus, & Procopius hic: quasi pater sit & rex: sic enim esse debēt, qui populis pręficiuntur: sic Pharaones dicti sunt reges Aegypti, & Cæsares Romanorum imperatores Augusti: non igitur ex identitate nominis Abimelech cogit vlla necessitas asserere hunc regem Geraræ, qui inijt fœdus cum Isaac, esse eundem cum eo, qui contraxit amicitiam cum Abraham supra ca. 21. quamuis ad id concedendū D. Augustinū q. 75. Chrysostomum, Iosephū, & alios moueat memoria eiusdem ducis militū nomine Phicol, qui hic & illic memoratur. Verum ne dicere cogamur eūdē Abimelech plus centū annis regnasse, asserēdū potius est Phicol, quod interpretatur, Omnis facies, nomē esse officij, significās primū ducē militū, quasi qui cūctorum primus in acie sues ducere, & præire debeat, sicut & facies corpus ipsum præcedit.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXVII.

¶ Post iussionem factam ab Isaac filio suo Esau, vt cibos deferens de venatione sua ad recipiendam benedictionē veniret, Jacob ex consilio matris cautè accessit, & personam fratris repræsentās primogenitorum benedictionem sibi diuinitus promissam suscepit: quod postquā furibūdus frater agnouit à patre bonorū tēporaliū abundātiā extorsit, & in fratrē ira succēsus quod eū occisurus esset minabatur. Ob quā causam Rebecca cū Jacob & Jsaac agit de recessu filij à terra illa, in qua tunc temporis morabantur.

A. PARAPHRASIS IN CAPVT XXVII. I.

SEnuit autem Isaac, qui tamē nō erat proximus morti, sed diu adhuc vixit postea, *& caligauerūt oculi eius* ob multā ætatem quā habebat, *& videre nō poterat* clarè & apertè. Adeo namq; cōtractū & confusum fuit videndi acumen tū ætate, tū crebris ægritudinibus, vt parū admodū cerneret, nō quod esset cæcus, sed cæcutiret. *Vocauitq; Esau filiū suū maiore, &* posteritatis curā gerens, ac pro viribus pręordinans *dixit ei: Fili mi. Qui respondit. Adsum* prōptus iussioni tuę. *Cui pater. Vides inquit, quod senuerim, & ignore die mortis meæ*, quē Deus me scire noluit, vt eius iudicium semper expectem, paueam, illiq; vitā, & mortem, ac opera cōmittam. *Sume* igitur fili mi *arma tua pharetrā* videlicet *& arcū, & egredere foras* in agrū: *Cumq; venatu aliquid apprehēderis fac mihi inde pulmētū*, siue delicatioris cibi ferculū, & gustui gratū *sicut velle me nosti* ac scis me libēter vesci ex alijs cibibus, quibus me venatione tua pauisti: *& affer vt comedā*, sicq; meus erga te amor, qui ob defectū virtutis tuæ aliquantū decreuit, obsequio tuo augeatur: obsequiū nāq; necdum patrē, sed immanes etiam, viros cōciliare ac mitigare solet: & hac ratione fiet, vt *& benedicat tibi anima mea* ex animo, veroq; affectu *antequā moriar*, paternaq; in te benedictio propagetur, atq; exinde terrā promissam semētuū possidere valeat. *Quod cū audisset Rebecca, & ille abijsset in agrū, vt iussionē patris impleret*, noletq; Rebecca minori filio patris benedictionē auferri, eo quod ante quā pareret audierat, Maior seruiet minori, *dixit filio suo Iacob: Audiui patrē tuū loquētē cū Esau fratre tuo, & dicētē ei: Affer mi* II.
hi de venatione tua, & fac cibos, vt comedā, & benedicā tibi corā Domino, seu in rei veritate, *antequā moriar. Nūc ergo fili mi acquiesce consilijs meis*, in eo quod ego præcipio tibi, *& pergēs ad gregem affer mihi duos hædos optimos*, vt ex artubus vtriusq; delicatiores eligā, & *faciā ex eis escas patri tuo*, ac lauticias quasdā, *quibus libēter vescitur*, vt pote quē admodū amat præparatas, *quas cū intuleris* gerēs personā fratris tui, *& comederit, benedicat tibi, prius quā moriatur*, existimans quod tu sis frater tuus Esau. *Cui ille* prudētiam ac morū mātuetudinē indicans *respondit: Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis, si attrectauerit me pater meus & senserit* me non esse Esau, quia nō sum hispidus vt ille: quāuis ego hoc quod iubes faciā, nō animo fallendi patrem, sed animo assequendi diuinum pro-

num promissum tibi reuelatum *timeo, ne pater meus putet me sibi voluisse illudere, & apud eum verus appaream illusor*, ac obid *inducat super me maledictionem pro benedictione*, & patiar simile quoddam quod Chā filius Noe. *Ad quem mater* sciēs quòd in ea re diuino ministrabat oraculo, ac proinde nullū adesse periculū maledictionis, *In me sit, ait, ista maledictio fili mi, tātum audi vocem meam* obediens existens iussioni meę, *& pergens affer quæ dixi, Abijt* Iacob ad gregem fideiussionem matris acceptans, *& attulit* quæ sibi fuerant imperata; *deditque matri. Parauit illa cibos sicut velle nouerat patrem illius, & vestibus Esau valde bonis*, quæ preciosæ erant & raræ eo quod vestes essent sacerdotales, siue ornatus primogenituræ, & insignia maioritatis, *quas apud se habebat domi*, ut quasi mater familias eas pro more seruabat *induit eum, pelliculasque hædorum* solerti ingenio & arte *circundedit manibus, & colli nuda protexit* satagēs nuditatem Iacob velare quantum poterat, vt seni imponeret cæcutienti, soloque attactu contēto. *Deditque pulmentum* quàm citissimè paratum, *& panes quos coxerat, tradidit* in manibus, vt patri portaret. *Quibus illatis* Iacob inuitans patrem ad comedendum exeis, *dixit: Pater mi. At ille respondit: Audio. Quis es tu fili mi?* † *Dixitque Iacob* gerens personā Esau ex ordinatione diuina, & ex eius nomine loquens sicut qui ex nomine eorū quos repręsentant, loquuntur in scenis: *Ego sum primogenitus tuus Esau, 3 feci sicut præcepisti mihi, Surge, sede & comede de venatione mea*, vt ex intimo cordis affectu *benedicat mihi anima tua. Rursumque Isaac ad filium suū, Quo modo inquit tam cito inuenire potuisti fili mi? Qui* summo essendi principio distributorique omnium specialem curā habenti sui ipsius & etiā eiusdem Isaac attribuens celeritatē facti: *respondit: Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi, quod volebam*: ex diuina namq; ordinatione miserat eū mater ad gregem, vnde cito posset adducere cibū patri parandum. *Dixitq; Isaac* incertus omnino existens an nutans, an ille esset Esau. *Accede huc, vt tāgā te fili mi, & probē* pertactū quod agnoscere nō valeo per visum, videlicet *verū tu sis filius meus Esau, an non*: nihil enim pro indagāda veritate omittere volebat senex. *Accessit ille ad patrē & quāuis* ob vocē placidiorē existimare potuerit pater quod ille esset Iacob, ceterū *palpato eo dixit Isaac: Vox quidē vox Iacob est*, saltē quātū ad apparētiā, *sed manus, manus sunt Esau. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus* ob pelliculas ipsi circundatas, *similitudinem maioris expresserant*, maxime quod vniuersa hæc à Dei gratia procedebāt, quæ efficiebat, vt nihil eorū Isaac attenderet, & Iacob paterna benedictione frueretur. *Benedicēs ergo illi pater*, hoc est, præparās se, & volēs illum benedicere, *ait. Tu es filius meus Esau? Respondit* Iacob eiusdē Esau personā gerēs ex ordinatione diuina pro vt hucusq; fecerat. *Ego sum: At ille, Affer mihi (inquit) cibos de venatione tua fili mi* propius, & ad vescēdū mensam admoue cū cibis, quos mihi pręparasti, *vt benedicat tibi anima mea*: ex suauitate nāq; ciborū, quos mihi offeres, sumere intendo occasionē ad te benedicēdū, *Quos cū oblatos comedisset, obtulit ei etiā vinū. Quo hausto dixit ad eū. Accede ad me, & da mihi osculū fili mi.* Osculū in quā sanctū, quod est amoris symbolū. *Accessit, & osculatus est eū. Statimq; vt sensit vestimētorū illius fragantiā*, sumpta occasione ex odore vestis, quo mirū in modū delectatus est, *benedicēs illi*, à quo fuit osculatus, & qui vestibus odoriferis indutus erat nō attēdēs ad personā, quā gerebat *ait. Ecce odor filij mei*, & fragātia vestimētorū eius habet se *sicut odor agri pleni* odoriferis floribus, vel suaueolētibus fructibus, *cui benedixit Dominus* magnā vberēque fœcunditatē pręstando. *Det tibi Deus* tantā bonorū opulētiā, vt in ea omne diuitiarū genus cōprehēdatur; videlicet *de rore Cæli*, cui mel, manna, & alia huiusmodi attribuūtur, *& de pinguedine terræ*, quæ lac, butyrū, & animalia homini vtilia pręstare solet, & pręterea *abūdantiam frumenti, & vini*, & olei, quarum rerum copia mirum in modū necessaria est humano victui, *& seruiant tibi populi* quasi eorum Domino, & principi, *& adorēt te tribus* incuruātes se, ac debitum tibi honorem exhibētes. *Esto Dominus fratrū tuorū* gaudēs superioritate, & principatu primogenituræ, *& incuruentur ante te filij matris tuæ*: itavt in successoribus vestris etiā debitus ob seruetur ordo, quatenus posteri fratris tui, tibi, & semini tuo honorem & reuerentiam exhibere tenebuntur *Qui* † *maledixerit tibi* super eū recidat Dei maledictio, & *sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur* non solum temporalibus sed etiam spiritualibus, *Vix Isaac sermonē*, quo filio benedixerat *impleuerat, & egresso Iacob foras à cōspectu patris, venit Esau* nescius prorsus eorū, quæ fecerat, Iacob, *coctosque de*

Left margin: D. † 22.q. 2.c. quaritur. III.

Right margin: D. † 24.q. 3.c. cū ergo §. 16. qui. E.

que de venatione cibos, & ab vxoribus suis extra patris tabernaculũ præparatos *intulit patri dicẽs: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui* , *vt benedicat mihi anima tua* prout te facturum asseruisti. *Dixitque illi Isaac. Quis enim es tu*, qui modo postulas benedici? *Qui respõdit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau* : cui à te benedictio promissa est, si obsequium impẽderem ciborum. *Expauit Isaac stupore vehementi*, & in ecstasim raptus subito ordinationẽ Dei, qua decreuit minorẽ filiũ præferendũ esse maiori agnouit:
D. vnde *vltra quã credi potest admirãs*, ac benedictionem alteri filio collatam confirmans *ait: Quis igitur ille est* diuino consilio mihi proculdubio occultatus, *qui dudũ captã venationẽ* vel cibũ quempiam prætextu venationis *attulit mihi* , *& comedi ex omnibus, prius quam tu venires?* Cui quãuis alias irascendum fuisset, quod fefellerit me, cęterũ quia nunc scio hoc Domino placuisse, nec mutari posse, nõ improbo factũ, nec retracto, sed rei gestę à fratre tuo acquiesco, *benedixiq; ei, & erit benedictus* à Deo cuius est effectũ benedictionis tribuere. *Auditis Esau sermonibus patris* flens, & eiulãs *irrugijt clamore magno, &* nõ ex vera cordis cõpũctione, nec ex charitate, sed ex priuato potius cõmodo, & cupiditatis affectu, quo nimiũ erga tẽporalia tenebatur, & ipsorũ tantum iacturam indolebat; *consternatus ait, Benedic etiam & mihi pater mi.* Non quod sibi valde esset cordi benedictio paterna, sed quia inuidus, cum esset Esau , nolebat fratrem in potioribus bonis esse, nec sibi pręferri à pa-
IIII. tre. *Qui ait: Venit germanus tuus fraudulẽter,* nõ dolosè sed cautè, *& accepit benedictionem tuã*, quã scilicet tibi dare intẽderã. *At ille subiũxit, Iustè vocatũ est nomẽ eius Iacob*; seu
V. supplãtator ab eo quod dũ nascebamur detinuit plãtã pedis mei: nã sicut hoc efficere solẽt luctatores ad decipiendũ aduersarios, vt illos in terram proijciant, ita Iacob post quã adoleuit semel atq; iterũ me decepit: *supplantauit enim me en altera vice*, seu dua-
† Sup. 25.d. 25 bus vicibus. † *Primogenita mea antetulit, & nũc secundo surripuit benedictionẽ meã.* Quibus verbis de duobus conquestus est Esau, & de vtroq; falsum dixit: nam & ipse volũtarie vẽdidit primogenita Iacob, nec is alienã surripuit benedictionem, sed diuina sibi debitã ordinatione, caute accepit. *Rursumq;* subdẽs Esau *ad patrẽ, Nũquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionẽ?* Siccine omnia bona fratri imprecatus es, vt nihil mihi supersit, quo me benedicas, qui in te nihil peccaui? *Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui*: vnde quantum ad honorem & excellẽtiam nihil tibi est reseruatũ, ac præterea *frumento, & vino*, quibus omnis esca & potus subintelligenda veniunt, *stabiliui eũ*, rerum omnium necessariarum vbertatem ei imprecans, *& tibi post hæc fili mi vltra quid faciam*, quando nihil est vlterius relictum, quod tibi impendere possim? *Cui Esau: Nũ vnam inquit tantum benedictionem habes pater*, vt non possis mihi etiam, sicut & fratri meo benedicere? potes siquidem , si velis. Vnde *mihi quoq; obsecro, vt benedicas*, vt vterque beneficio & honore primogenituræ gaudeamus. *Cũq; eiulatu magno fleret*, nihilominus non potuit inducere patrẽ suũ, vt pęniteret se de benedictione, quã cõtulerat Iacob fratri minori , & cõferret illam ipsi Esau. Cæterũ tot clamoribus *motus Isaac dixit ad eũ:* † *In pinguedine terræ & in rore cæli* † Heb.
desuper erit benedictio tua , abundabis nam- 11 d. 27.
que bonis temporalibus, quæ ex cælorum beneficio & terræ nascuntur, non tamẽqua si hęreditarius princeps & dominus , quod primogenito cõuenit, sed quasi stipendiarius miles & seruus, *Viues in gladio*, quatenus genus tuum militiæ vacando vitam deget, *& fratri tuo seruies*, non per te ipsum sed per tuam posteritatem, quã filij Iacob sibi subijcient, *tẽpusque veniet, o cum* in eadem poste- VI.
ritate tua *excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis* , quando videlicet ijdem filij Iacob præuaricati fuerint legẽ Dei, & abiecerint à se iugum præceptorum eius. *Ode-* G.
rat ergo semper Esau Iacob inuidia succensus *pro benedictione* primogenitorum , *qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo*, non ex subita ira, sed perfecto mẽtis consensu, ac intimo cordis affectu: † *Venient dies luctus pa-* † Abdia
tris mei, tẽpore quo ipse vitã finierit, *& occi-* 1.c.10.
dam Iacob fratrem meum. Patris enim obitũ Esau crudeliter desiderabat, quo se de fratre vindicaret. *Nunciata sunt hæc Rebeccæ* , vel quia diuinitus isthæc fuerũt ei reuelata, vel quia Esau nõ solũ corde tractabat odiũ, sed verbis etiã sibi tẽperare non potuit, quin proderet cõsiliũ occidẽdi fratrẽ, quod audi tũ matri quispiã indicauit. *Quæ mittẽs & vocãs Iacob filiũ suũ dixit ad eũ: Ecce Esau frater tuus minatur*, & insidiatur tibi, *vt occidat te*, idq; cũ tãto cordis affectu, vt in ea re videatur cõstituere cõsolationẽ suã. *Nũc ergo fili mi*, sicut dudũ audita voce mea magnas illas

 à patre

à patre benedictiones assequutus es, ita & nūc, *audi vocem meam*, acquiescendo cōsilijs meis, vt effugere possis fratris manus, *& cōsurgens*, de loco isto, *fuge ad Laban fratrem meū in Haran*, seu Charran, *habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius obliuiscaturque eorū; quæ fecisti in eum.* Nam verisimile est quod separatio & temporis processus poterit mitigare iram; & finire inuidiam. & obliuionē afferre eorū, quę in furto benedictionis gesta sunt. *Postea mittā & adducam te inde huc,* tur, si consilijs meis non acquieueris, vis esse causa, ob quam, *vtroque orbabor filio in vno die*, altero quia occidetur, altero quiā si homicidium ausus fuerit pœnam à Deo latam luet, qua effundenti humanum sanguinem fusio sanguinis illius præscribitur. *Dixitq; Rebecca ad Isaac*, cū animo inducendi illū ad præstandum consensum discessioni Iacob: *Tædet me vitæ meæ*, ob malū culpæ, in quod frequenter incurro † *propter filias Heth*, vxores Esau, quæ animum meum non cessant offendere: *si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ*, Seu de genere Chanaan, *nolo viuere*. Nam si vxores Esau ferre non possum ob illarum malitiam, si etiam Iacob ex similibus earum quales sunt omnes mulieres terræ huius vxores accipiat, actum est de vita mea. Quapropter obsecro, vt mittas filium nostrum Iacob in terram aliā, vnde vxorem habere valeat.

† *Supra 26. g. 35*

ANNOTATIONES IN CAPVT XXVII.

I. *Benedictio Isaac erat [illegible] primogenituræ.*

ET BENEDICAT TIBI.] Ista benedictio, de qua in toto isto capite agitur erat quasiquædam solennitas, per quam Isaac intendebat constituere Esau in possesione primogenituræ: nō secus ac denudatio vestiū Aarō & indūtio eorūdē facta filio eius Eleazaro, sunt ritus, per quē Eleazarus adquisiuit possessionē summi sacerdotij: vt dicitur Num. ca. 20. Et illa vnctio, & acclamatio Salomonis, quæ refertur. 3. Reg. 1. fuit introductio in possesionē regni. Vnde non mirū quod tātopere fuerit conata Rebecca, vt illa benedictio daretur filió suo Iacob, cui ex ordinatione diuina ipsi Rebeccæ manifestata debebatur. Sed hic oritur quæstio, cur Isaac vir iustus & Deo charus nō illū, quē Deus elegerat benedicere volebat. Cui quæstioni D. Hieronymus a Damaso Papa de illa interrogatus sufficiēter respondit dicens: Isaac ignorasse diuinum decretum statuens Iacob esse præferendum in primogenitura fratri suo Esau neq; id quidpiam derogare dignitati & excellētiæ Isaac, quādoquidē nullus homo excepto eo, qui ob nostram salutem carnem est indutus humanam, plenam habet scientiam ac rerum omnium certissimam veritatem.

II. COram Domino.] Quē sensum faciat modus iste loquendi iaiē ostendimus in superioribus cap. 13. annot. 3.

III. *Iacob excusatur à mendacio etiam officioso.*

EGo sum primogenitus tuus Esau.] Caietanus super hunc locū existimat inexcusabilē esse Iacob in huiusmodi verbis ab officioso mendacio: licet eius bona fuerit intentio, locutio tamē mala moraliter. Idē tenet Aloisius Lypomanus. oppositū autē docent D. Augustinus quæst. 74. super Genesim, & lib. 16. de ciuitate Dei ca. 37. & D. Ambrosius lib. 1. de Iacob & vita beata ca. 2. & 3. ac D. Chrysostomus homilia 53. super Genesim & homil. 6. ad Colossen. Innocen. cap. Gaudemus. de Diuor. Gratianus noster cap. Quæritur 2. q. 2. quibus adhæret communis scholasticorū sententia cū Magistro in 3. d. 37. Hinc itaq; omnes, quibus proculdubio standū est, asserunt quod Iacob non fuerit mentitus quando hoc in loco dixit: Ego sum Esau primogenitus tuus. Et ratio est, nā licet Iacob non esset Esau in persona, erat tamen officio & dignitate, quātum ad ius primogenituræ: ac proinde erat is cui benedictio debebatur, & qui licite in actu petendi benedictionē paternā poterat repræsentare personā Esau. Quo loquendi modo vsus est Christus Dn̄s Math. 11. appellās Ioānē Baptistā Eliā, cū inquit, Elias iam venit. Ite, Si vultis recipere, ipse est Elias. Nimirū quia venit in spiritu & virtute Elię, & eius vices gerēs quātū ad aliquod munus. In hoc eodem sensu vera sunt quæ in scenis loquuntur histriones assumentes nomina illorū, quorū personas gerūt dicendo. Ego sum Cæsar, Ego sum Pōpeius. Quāuis enim in hac & similibus locutionibus voces per tropū & figurā extrahantur à propria ad metaphoricam significationē, nihilominus vere illud, quod intēditur significatur metaphorice non secus, ac quando dicitur vere, Christus est vitis. Et si aliquis obijciat, quod Iacob tenebatur loqui iuxta intentionē patris interrogantis, quis nam ille esset, proprie & non metaphorice, Respondetur hoc negandū: nemo enim tenetur respondere ad intentionē particularē cuiuslibet, etiā interrogātis ex ignorātia, sed ad intētionē quā cōmuniter cōcipiūt homines attētis circunstantijs rerū & personarū: & quia quicunq; consideraret Iacob indutum vestibus alienis, pelliculasq; hœdorum habentē circundatas manibus, & benedictionē alteri proni istam postulantem, intelligeret illum alterius personam gerere, ad interrogationem sibi factā, quis nā esset, potuit verè respōdere: Ego sum Esau: sensus enim est, Esau personā gero, & eius officio fungor, quidquid pater secundum particularē intentionem existimaret.

FRaudulēter.] Hoc nō est accipiendū de fraude in propria significatione, sed secundum IIII.

judicium

Nomina interdũ adaptantur rebus secũdum externã apperentiam. iudiciũ hominũ ignorantiũ mysteriũ. Hinc ait Apost. 1. Corinth. 12. Cum essem astutus dolo vos cepi. Et Iere. 20. dicit propheta. Seduxisti me Domine, & seductus sum: quoniã ex quibusdã verbis quæ fecerat ad eũ Dñs, occasionem errandi acceperat Ieremias, non plane intelligens verborum significationem. Sic ergo Isaac dixit filium Iacob fraudulenter egisse, quia dũ benedixit ei putabat esse Esau primogenitum secũdum carnem.

V. NOMEN Eius Iacob.] De impositione nominis Iacob, & quo tẽderint verba, quę hic protulit Esau, diximus supra capit. 25. anno. 4.

VI: *Quando Esau excutit iugum fratris sui.* TEmpusque veniet.] Per tempus istud non debet intelligi status præsens Reipublicæ Christianæ, prout existimant Iudæi dicentes, Christianos, id est, Romanos ab Esau descẽdisse, & nũc dominari eos ipsi Iacob, hoc est, Iudæis. Cæterum Isaac hoc in loco nõ dicit, quod Esau dominaturus esset fratri suo: sed dumtaxat quod deberet se ipsum eximere a subiectione fratris sui. Quod quidem conuenienter creditur fuisse adimpletum, quando, vt dicitur. 4. Reg. 8. In diebus lorã filij Iosaphat regis Iuda, Idumæi constituerunt sibi regem, & recesserũt nolentes esse sub Iuda: cui seruierant a diebus Dauid, vt habetur. 2. Reg. 8.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXVIII.

¶ Isaac accersito Iacob iterũ impẽdit illi benedictionẽ, ac præcepit ire in Harã accepturũ inde vxorẽ ex filiabus Labã. Cui iussioni statim obediuit Iacob, qui iter agẽs peruenit vsq; Bethel, vbi nocte dormiẽs vidit scalã ad cælũ vsq; pertingentẽ Angelosque per eã ascẽdentes & descẽdentes ac Dominũ innixũ scalæ, eiusq; mysteriũ declarãtẽ, ac ingentia bona ipsi Iacob promittẽtem: qui euigilans pro gratiarũ actione nomẽ loco imposuit, titulum erexit, ac votũ vouit.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXVIII.

A. *VOcauit itaq; Isaac Iacob*, auditis quæ à Rebeca de vxoribus Esau dicebantur, *& benedixit eũ*, cõfirmans quod illi fuerat datũ per surreptã benedictionem: *præcepitq; ei dicens*: † *Noli accipere coniugem de genere Chanaan*, ne impie nutrita impietatem filijs cõmunicet: *sed vade & proficiscere in Mesopotamiã Syriæ*, ad ciuitatẽ Haran, quæ alio nomine dicitur Charan, ibiq; accede *ad domum Bathuel*, soceri mei videlicet, *patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui*, quas scio non tibi denegandas fore. *Deus autẽ omnipotens*, à quo est omnis bonorũ sufficientia, *benedicat tibi*, fide & operibus gratũ efficiẽs *& crescere te faciat atq; multiplicet*, in filijs carnis & spiritus, *vt sis in turbas populorum*: fiasque in ecclesiam latissime & eũ inæstimabili gloria ex diuersis populis propagãdã. *Et det tibi benedictiones Abrahæ*, beneficia illi promissa tibi conferendo, *& semini tuo post te*. Sic namque fiet *vt possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo*. Hæc vt audiuit Iacob impleuit iussa patris accingẽs se itineri. † *Cũq; dimisisset eũ Isaac profectus venit in Mesopotamiã Syriæ ad Labã filiũ Bathuel Syri fratrẽ Rebeccæ matris suæ*. Cęterũ antequã illuc perueniret, nonnulla cõtigerunt, quæ sunt consequenter persingula describenda. In primis Esau alienigenis vxoribus cũ offensione paterni & materni animi adhærẽdo, aliam, quã Dei domũ ædificare cœpit. *Videns autem Esau quod benedixisset pater suus Iacob*, conferendo illi honorem & dignitatem primogenituræ, *& misisset eum in Mesopotamiam Syriæ; vt inde vxorem duceret, & quod post benedictionem præcepisset ei*, quasi hæredi principali à se constituto, *dicens: Non accipies vxorẽ de filiabus Chanaan, quodque obediens Iacob parentibus suis*, nec se excusans ob magnos labores itineris & longissimæ peregrinationis, *ijsset in Syriam*, *probans quoque*, atque experimento compertens, *quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus*, sed exosas haberet ob improbitatem morum earum: *iuit ad Ismaelem &*, quasi corrigere volens erratum suũ, & placare patrẽ, *duxit vxorẽ absque his, quas prius habebat Maheleth*, alio nomine dictã Basemath, *filiam Ismael filij Abraham sororem Nabaiot*, eamq; incõsultis parẽtibus accepit valde insipienter ac stulte in omnibus se gerens. Cæterum videamus nunc quomodo

Margin notes: † 35. q. 1. c. cum igitur §. hac itaq; — † Osea. 12. d.

peregrinationem obierit Iacob. *Igitur egressus Iacob de Bersabee*, vbi eo tēpore moraba
tur Isaac, *pergebat Harā. Cūq; venisset ad quē
dā locū*, inhabitatum, qui sibi in via occurre
rat, *& vellet in eo requiescere?* Nam tēpus ip-
sum, vt id faceret exigebat: erat enim *post so
lis occubitū*, tulit vnūquēdā, *de lapidibus, qui
iacebant* in loco illo lapidoso, *& supponens
capiti suo*, pro puluinari eo vtēs *dormiuit in
eodē loco* pro stratu habēs ipsum terrę solū:
C. *viditq; in somnis* per sensibiles similitudines
I. in sensu interiori repręsentātes *Scalā* 1 per
quā sibi insinuabatur diuina prouidentia, si
cut enim scala plures habet gradus quorum
alij sunt inferiores, alij superiores, ita Deus
multiplicibus vijs, varijsq; modis res à se
cōditas, & ad multiformes essendi gradus
pertinētes pro ipsarū rerū varietate regit,
& gubernat. Et duo latera scalę, quibus
vtrinq; inserti, atq; infixi tenentur gradus
fuere duę virtutes, siue proprietates diuinę
prouidētiæ fortitudo, & suauitas: attingit
nāq; à fine vsq; ad finē fortiter, & disponit
omnia suauiter. Hāc igitur scalā vidit Iacob
*Stantē super terrā, & cacumen illius tangēs cæ
lū*, ad significandū quod nihil siue terrenū,
siue cęleste diuinā prouidentiā subterfuge
re valet. Vidit pręterea Iacob *Angelos quo
que Dei*, intentos ministerijs diuinæ proui-
dētiæ obeundis, ac proinde, *ascendētes & des
cendētes per eā* scalā: ascendūt enim referētes
ad Deū preces, & vota, & necessitates mor-
taliū: descēdūt vero deferētes à Deo ad ho-
mines diuina cōsilia eis reuelāda, & auxilia
cælestia eis pręstanda. Vidit tādē, *& Domi
nū innixū scalæ*, prospicientem inde infe-
riora omnia quantumuis minima, & abdi-
† Supra 36.á.2. 48.á.3. tissima, ac *dicentem sibi*, † *Ego sum Dominus
Deus Abrahā patris tui, & Deus Isaac*, qui ad
cōsolationē & confirmationē tui nūc vehe
mēter anxij, & afflicti mysteriū diuinæ pro
uidētiæ sub quarūdā rerū imaginibus pate
facere decreui. *Terrā, in qua dormis tibi dabo &
semini tuo*, conuenienti tēpore possidēdam.
Eritq; semen tuū, secundū multitudinē, *quasi
puluis terræ*, qui numerari non potest: *dilata
beris* pręterea in semine spirituali, quod ha
† Deut. 12.c.20. & 19.c.14. bituruses per imitationē fidei, † *ad Orientē, &
Occidētē, & septentrionē & meridiē*, quatenus
spirituales Israelitæ vbiq; terrarū tēpore le
† Supra 26.a.4. gis euāgelicæ nasciturisunt & † *BENE
DICENTVR IN TE*: & seu, idest,
in semine tuo, quod erit Christus tāquā in
autore & causa principali benedictionis cō
ferēdæ, *cunctæ tribus terræ*: Christus namq;
ex te nasciturus potētia suæ diuinitatis vni
uersis gētibus & tribubus & linguis in eū
credentibus benedictionē omnē cælestem
conferet. *Et ero custos tuus quocūq; perrexe-
ris* nō sinēdo te à quoquā lædi, *& reducā te
in terrā hanc*, à qua modo fugis *nec dimittam*,
neq; desinā tibi auxiliū ferre, *nisi compleue-
ro vniuersa, quæ dixi*: omnia namq; sine du-
bio faciā. *Cūq; euigilasset Iacob de somno ait:
Vere Dūs est in loco isto*, nō solū secūdū com
munē modū vbiq; essendi, sed etiā secundū
specialē exhibitionē præsentię suæ, qua mi
hi seipsum demonstrare dignatus est, *& ego
nesciebā*, dignitatē huius loci, in quo tot mys
teria hominibus innotescūt. † *Pauēsq;* ac † Infra. 31.b.13.
tremēs diuinū iudiciū ne forte existēti sibi
corā summo Deo imputarentur defectus,
quos ipse cōmiserat: *quā terribilis est inquit*,
& omni reuerētia dignus, *Locus iste: non est D.
hic aliud nisi domus Dei*, in qua Deus speciali
modo se mihi præsentem exhibuit, *& por-
ta cæli*, nā scala quā vidi quasi ad portā cæli
pertingebat, qua egrediebātur descēdentes
Angeli, & ingrediebantur ascendentes. *Sur
gens ergo Iacob mane*, in memoriā reuelatio-
nis sibi factæ, *tulit lapidē, quē supposuerat ca-
piti suo & erexit*, illū super terrā secūdū lon
gitudinem suā, vt esset *in titulū*, & signum
sanctitatis illius loci, & mysterij sibi reue-
lati: ac *fundens oleum desuper*, 2 in summitate II.
lapidis, nō solū locū illū vetustissimo ritu
quasi cōsecrauit, verū etiā in lapide sic lini
to vt oleū vsitaretur in Ecclesia tāquā exi-
miū quoddā symbolū cęlestiū, & spiritaliū
virtutū atq; gratiarū cōmendauit. Idq; ob
multas & perinsignes olei proprietates, &
virtutes *Appellauitq; nomen vrbis*, 3 tunc III.
dirutæ, sed post ea reædificandæ, *Bethel*, 4 IIII.
idest, domū Dei, *quæ prius Luza vocabatur*
ab amygdalorū frequentia, nā luz amygda
lus Hebræis dicitur, *vouit etiā votū*, in gra-
tiarū actionē pro beneficio supernæ cōsola
tionis sibi exhibito, *dicēs: si fuerit Deus me-
cū*, prout futurū esse spero *& custodierit me*
sanum & incolumem, *in via, per quam ego
ambulo &*, conferens vitæ necessaria, *dede-
rit mihi panem ad vescendum, & vestimētū ad
induendum?* perq; omne præsentis vitæ sub
sidiū intelligi volo, *reuersusque fuero prospe
re, seu in pace ad domū patris mei*: ita vt vni
uersa illa mihi eueniant, quæ se daturum
promisit Deus, *erit mihi Dominus in Deū*
per specialem cultum vltra illum, ad quem
alias tenebar: *& lapis iste, quem erexi in
titulum*, & memoriale consolationis mihi
exhi-

exhibitæ, *vocabitur domus Dei* à me & à posteris meis; ad eum namque, tanquam ad locum diuinæ præsentiæ destinatum sacri ficaturi veniemus: *cunctorumque, quæ dederis mihi decimas offeram tibi* in sacrificiorum & holocaustorum vsus destinandas.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXVIII.

I. *Scala, quam vidit Iacob, historice designauit diuinam prouidentiam.*

SCALAM.] Per scalam istam aliquid vltra ipsam etiam iuxta historiæ veritatem insinuatum fuisse ipse Iacob, nemo, qui vtcumque prophetarum scripta perlegerit, dubitare poterit. Ex eorũ nãque libris cõstat Deum rebus ipsis sicut & verbis loqui solere etiã intra latitudinẽ sensus historici. Quo fit, vt visiones ipsæ prophetarum, siue res in huiusmodi visionibus repræsentatæ, verba quædã Dei dicũtur: vt patet Ezechielis. 1. Vbi postquã inquit Propheta: Factũ est verbũ Domini ad Ezechielẽ filiũ Buzi Sacerdotẽ in terra Chaldæorũ secus flumẽ Chobar, nõ subiungit aliqua verba, quæ sibi fuerint prolata: sed addit visionẽ quandã dicens. Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone. Vbi aperte insinuatur Deũ rebus Prophetæ repræsentatis, etiã historię aliquid voluisse reuelare. Sed clarius hoc ipsum cõstat Zachariæ. 1. ibi. Factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ filij Adbo Prophetã dicens: Loco autem verborum, quæ sibi dicta sunt subiungit statim visionem. Vidi per noctem, & ecce vir & cętera. Et huc tendit illud D. Hieronymi super Osee cap. 10. dicentis: Hanc habet consuetudinem sermo diuinus, vt per tropologiam, & metaphoram historiæ exprimat veritatem. Constat ergo per visionem huius scalæ aliquid fuisse reuelatum Iacob in ea scala pertinens ad sensum literalem huius loci. Quid autem illud fuerit non omnino constat. Existimo tamen id nullatenus fuisse templum Salomonis, prout aliqui putaut: tum quia templum illud secundum se non erat tantæ excellentiæ & vtilitatis generi humano, vt propter illud tam insignes gratias referret Iacob, votũ videlicet faciendo, Lapidem erigendo, & decimas offerendo: tũ etiã quia verisimile est, quod verba prolata à Deo prope scalam apparente aliquid deberent concernere cum mysterio per scalam repræsentato: quæ tamen verba nihil prorsus redolent templum illud, & tandem fundamentũ, cui ista sententia innititur, nempe quod ille locus, vbi Iacob dormiuit, erat is, in quo postea ædificatũ fuit templum Salomonis, est omnino falsum, vt annota. 3. ostendemus. Restat ergo dicere cum Theodoreto in quæst. 81. in Genesim & alijs præsertim. D. Augus. lib. 12. contra Faustum, cap. 26. & lib. 16. de ciuitate Dei ca. 38. in ea scala fuisse iuxta historiam reuelatum Iacob mysterium diuinæ prouidentiæ, quo ipsi Iacob innotesceret cura, quam Deus habet non solum totius vniuersi, sed etiã proprie illa, quã singulariter Deus ipsius Iacob habebat, & in posterũ habiturus erat: in id namq; tẽdunt verba tunc temporis à Deo prolata.

II. *Res sacræ oleo vngi cõsueuerũt*

FVndens oleũ desuper.] Ad imitationem Patriarchæ Iacob altaria consecranda consueuit Ecclesia oleo vngere: vt docet Rabanus monachus Benedictinus lib. 1. de institutione Clericorũ cap. 45. Ob multas autẽ & perinsignes olei proprietates, tã in veteri testamento, quã in nouo inoleuit varius in sacris rebus olei vsus, tamquam eximij cuiusdam symboli cælestium & spiritualium virtutum, atque gratiarum. Prima harum proprietatum est illuminare, quatenus habet esse pabulum & alimentum lucis. Secunda est condire cibos, reddendo illos vtiles ad sanitatem, & iucundos ad gustũ. Tertia, supernatare alijs liquoribus. Quarta, fouere vulnera, doloresque mitigare. Apud Lucam enim cap. 10. ei, quem latrones grauissimis plagis impositis semiuiuum reliquerant. Samaritanus illi obligauit vulnera, oleum infundẽs & vinum. Quinta exhilarare faciem, lassaque & lãguida mẽbra recreare, ac reficere, iuxta illud Psal 103. vt exhilaret faciẽ in oleo. Sexta leuare labores, minuereque molestias: quo spectat illud Isai. 10. Cõputrescet iugũ à facie olei. Septima vegetare, roboraque corpus, & habile reddere ad luctandi certamen: vt in athletis fieri solebat. Octaua tandẽ mollire, & impinguare. Vnde Psal. 22. Impinguasti in oleo caput meũ. Ex quo propter mollitiẽ & pinguedinem, solet oleum denotare misericordiam.

III. *Vrbs pro vrbe diruta.*

NOmen vrbis.] Quia (vt ait Augustinus in libro de quęstionibus Hebraicis) mirũ fuisset, quod Iacob cõstitueret titulũ in vrbe habitata, & etiã magis mirũ, quod indigueritlapide ad habẽdũ ceruical, vbi diuersoria prouiatoribus adessent, videtur dicẽdũ cũ Caietano, per vrbẽ hoc loco intelligere Moysem ruinas quasdam, quæ ex vrbe diruta remanserant, & in quibus postea reędificata est vrbs Bethel, seu Luza.

IIII. *Bethel duplex.*

BEthel.] Duplex fuit Bethel (tamet si vnicã Andreas Masius dicat in loc. c. 16. vers. 1.) sed potius quam aut scripturam an interpretes sequens. Altera in sorte tribus Ephraim cui hoc in loco nomẽ imposuit Iacob. Altera in sorte Benjamin. Huius posterioris meminit Iosue cap. 18. inter ciuitates Beniamin. Illius vero, quæ erat in tribu Ephraim, & Luza quoque dicta est, ibidẽ etiã mentionẽ fecit: nã de sorte Beniamin ait: Pertrãsiens iuxta Luzã ad meridiẽ. Erat igitur Luza seu Bethel extra sortem Beniamin: vt recte ibi colligit Lyranus. Sed apertius Iudi. 1. Domus quoq; Ioseph ascendit in Bethel, fuitq; Dñs cũ eis. Nã cũ obsiderent vrbẽ, quæ prius Luza vocabatur &c. Percusserũt vrbẽ in ore gladii &c. Hinc D. Hierony. in illud Osee ca. 5. Vlulare in Bethauẽ post tergũ tuũ Bẽiamin præfatus Bethauen esse quæ prius dicebatur Bethel ait: Et pulchrè dixit quod Bethauẽ post tergum sit Beniamin: Vbi enim tribus finitur Beniamin, haud procul in tribu Ephraim hæc vrbs condita est. Ex quibus verbis cõstat D. Hieron. suã correxisse sententiã: scripserat enim in locis Hebraicis: Bethel quæ primũ Luza vocabatur cecidisse in sortẽ

Beniamin duodecimo ab Aelia lapide. Correxit inquã: nam post librum de locis Hebraicis scripsit in Oseam, vt ipse fatetur in libro de viris illustribus in fine. Ex dictis constat quam longe à vero distent, qui dicunt locum istum cui Iacob imposuit nomen Bethel, fuisse Ierusalem, scalamque vidisse Iacob in monte Moria, vbi postea templum Salomonis constructum fuit. Quorum error aperte conuincitur, tum ex his quæ modo diximus, tum etiam ex ipso contextu cap. 1. libri Iudicum: vbi oppugnatio Ierusalem attribuitur filijs Iuda: oppugnatio vero Bethel filijs Ioseph, hoc est, tribui Ephraim. Loquitur autem ibi Scriptura de Bethel, quæ prius Luza vocabatur.

ARGVMENTVM IN CAPVT *XXIX.*

¶ Perueniens Iacob in Haran obuiam habuit Rachelem filiam Laban, qua visa præ gaudio lachrymas fudit, & osculatus est eam. At illa festinans nuntiauit patri suo, qui egressus vrbem, nepotem in domum suam perduxit, & facta conuentione septem annos seruire fecit pro Rachele, sed postea Liam superposuit quousque alios septem annos seruitij promisit: sicque vtramque in vxorem duxit, sed quia Liam despiciebat, cõtulit huic Deus miram fœcũditatem, quæ quatuor consequenter concepit filios, videlicet Ruben, Simeon, Leui, & Iudam.

PARAPHRASIS IN CAPVT *XXIX.*

A *PRofectus ergo Iacob* de Bersabee, & animæquior redditus diuina visione ac promissione sibi facta in via, *venit in terram orientalem*, qualis est Mesopotamia respectu Bersabee. *Et vidit puteum in agro*, non procul ab vrbe nomine Haran seu Charras, *tres quoque greges ouium accubantes iuxta eũ. Nã ex illo adaquabantur pecora & os eius grãdi lapide claudebatur* ob maiorem custodiam ac nitorem aquæ mirum in modum gregibus necessariæ. *Morisque erat, vt cunctis ouibus congregatis* pastores eas minantes *deuoluerent lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent*, ne forte negligentia custodiendi aquam magno illis damno esset. *Dixitque ad pastores* Iacob gratiose & suauiter ad ignotos loquens. *Fratres, vnde estis? Qui responderunt, De Harã nos* sumus. *Quos interrogans, Nunquid (ait) nostis Laban filium Nachor?* Quamuis enim Laban filius esset Bathuel ob maiorem tamen dignitatem & famam, quam habebat Nachor, plusquam Bathuel, Iacob vocauit Laban filium Nachor, eo locutionis genere quo aliquis aui & proaui filius solet nominari. *Dixerũt* autem illi pastores: *Nouimus. Sanus ne est? inquit: Valet, inquiunt. Et ecce Rachel filia eius venit cum grege suo.* Pascendis namque gregibus eo tempore etiam filiæ nobilium intendebant. *Dixitque Iacob* exhortans mansuete viros pro illorũ cõmodo: *Adhuc multũ diei superest nec est tempus, vt reducantur ad caulas greges. Date ante potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite.* Licet enim Iacob in tabernaculis paternis vitam egerit, ex frequenti tamen accessu & recessu ad gregem optime callebat, quid nam ouibus expediret, idque humaniter pastores edocebat. B *Qui responderunt: Non possumus* potum, vt ais, dare ouibus, *donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges*: tanti nãque ponderis est lapis voluendus, vt nisi plures simus amouere nõ possimus, ne forsan si solus euolueret aquam fœdare vel inficere posset quispiam alijs in exitium vel pestem. *Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui, nam gregem ipsa pascebat*: tanta namque erat priscorũ hominum probitas, vt tam speciosæ virgines oues tuto pascere, & non solum parentum domos, sed & ciuitates solæ egredi ausæ fuerint: & cum pastorum multitudine curam pecorum agere, eis sine periculo castitatis & famæ licuerit. *Quam cum vidisset Iacob, & sciret* ex relatione sibi à pastoribus facta esse *consobrinã suã ouesq;* quas ipsa pascebat esse *Laban auunculi sui*, statim non expectatis alijs pastoribus solus

Iacob

Digitized by Google

Iacob superno auxilio roboratus, *amouit lapidē quo puteus claudebatur*, volēs ipsum Labā beneficijs prçuenire, *& adaquato grege*, quē pascebat Rachel, sermoneq; cū illa præhabito, *osculatus est eā* more propinquorū. Quod quidem secū fieri passa est. Rachel: nam ex signis & verbis, quæ precesserant in Iacob manifeste agnouerat, quòd ipse esset cōsobrinus suus: nam attente perpendit qualiter Iacob præ gaudio, quòd vidisset fœminam tantopere sibi propinquā commotus est, *& eleuata voce fleuit*, & præterea verbis *indicauit ei, quòd frater*, hoc est, cognatus *esset patris sui*, non vtcumque sed *& filius Rebeccæ*: obquam causam permisit Rachel, vt Iacob illā oscularetur. *At illa festinans nunciauit patri suo. Qui cum audisset venisse Iacob filium sororis suæ, cucurrit obuiā ei, complexusque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris*, nempe omnibus his, quæ gesta erant cum Esau, quæque præcepta sibi fuerant à patre de vxore ducenda ex filiabus ipsius Laban, ac tandem qua ratione dimissus esset à patre, & quæ in itinere sibi accidissent, eis omnibus fidē simplici animo præbens Laban Deo mouente cor eius, *respondit: Os meum es, & caro mea*, cum sis mihi cōsanguineus; & hoc sufficit, vt prono te animo excipiam, nefas sit tibi quidquam denegare. Remansit ergo Iacob in domo Laban rebus illius fideliter & vtiliter interdum consulendo. *Et postquam impleti sunt dies mēsis vnius*, iniquum existimans Laban officium sibi gratis deferri à Iacob, *dixit ei: Nū quia frater meus es*, seu consanguineus, *gratis seruies mihi? Dic quid mercedis accipias.* Noluit enim Laban propria æstimatione pretiū definire, sed comitate vsus, quid & quantum velit interrogauit. *Habebat vero duas filias, nomen maioris Lia*, quod interpretatur laboriosa vel fatigata: *minor verò appellabatur Rachel*, id est, ouis. *Sed Lia lippis erat oculis*, quod ad deformitatem permultum referebat. *Rachel decora facie & venusto aspectu: quam diligens Iacob*, non tam propter eius formā, quā quia prior illi occurrerat à Domino, quasi destinata non secus ac Rebecca occurrerat seruo Abrahæ, ac proinde credens placere Deo, quod vxor sua esset, *ait: Seruiā tibi pro Rachel filia tua minore septem annis*. Argumentumque præbuit C. Iacob eiusmodi verbis non solum amoris, sed castitatis quoque & continentiæ mirabilis, qui tot annis nuptias expectare, licet cohabitando, valeret. *Respondit Laban: Melius est, vt tibi eam dem*, & propter tuas virtutes, & quia propinquus es, & ditissimorum proles parentum, *quàm alteri viro*: quapropter conuentionem libenter admitto. *Mane apud me. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis*, pastoraliumque laborum ærumnas cōstanti animo toto eo tempore tulit: *& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*, non quòd desiderium dilatum non afflixerit illum, sed quia diutius laborare voluisset pro ea, quàm carere, ideo pauci dies sibi videbantur, & facilis labor proquo tam grata cum merces maneret à Domino præparata. Transacto autem septennio vxorem sibi desponsatam postulauit Iacob. *Dixitque ad Laban: Da mihi vxorem meam; quia iam tempus impletum est vt ingrediar ad illam*, & de posteritate post hac cogitare me oportet. *Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias. Et vespere*, cum iam tenebræ essent, vt & verecundiæ locus prætenderetur, & dolus exerceretur, *Liam filiam suam introduxit ad eum dans ancillam filiæ, Zelpham nomine*, tum honoris gratia, tum quò leuius ferret Lia labores domesticos. *Ad quam cum ex more Iacob fuisset ingressus*, neque agnouisset per totā noctem, an ipsa esset Rachel, nec ne, quia in vxore sua blanditias meretricias in tactibus & verbis non quæsierat, sed magis ea vsus fuerat in castitate maritali, *facto mane vidit Liam* esse, cumqua dormierat; vnde conquestus est de Laban, quòd non stetisset conuentioni factæ inter eos, *& dixit ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti?* vnam fœminam alteri subrogando? *nonne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi?* *Respondit Laban* honestam afferens excusationem, & dicens: *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias*: imo apud nos vim legis obtinuit, vt primùm nuptui tradatur maior natu, propterea hoc quidem factum est. *Imple* nihilominus *hebdomadam dierum* i. *huius copulæ*, D. I. vt more nostro per septem hos dies celebretur cōiugium Liæ, *& hanc quoque* Rachelem, quam tantopere expectas, *dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis alijs. Acquieuit placito* Iacob lege naturæ permittente, cum causa honesta plures habere vxores, & in Liam tanquam in vxorem consensit: exindeque verum fuit inter eos matrimonium: *& hebdomada transacta* conuiuij nuptiarum Liæ, statim *Rachel duxit*

xit *vxorem, cui pater*, non minorem hono-
rem detulerat, quàm Liæ, nam ei quoq; *ser*
uam Balam tradiderat, vt in domesticis offi-
cijs illi esset auxilio. *Tandemque potitus opta*
tis nuptijs amorem sequentis priori prætulit: &
hoc certè absque alicuius iniuria, nam Ra-
chel iure data, vel accepta: Lia autē fraude
ad eius torum fuerat introducta. Perman-
sit igitur Iacob in domo Laban *seruiēs apud*
eum septem annis alijs, vltra eos septē, quos
antequam vtramque vxorem acciperet ser
uierat. *Videns autem Dominus* vniuersorum
conditor, cuius est moderari, & dispensare
omnia, *quòd respiceret Liam* Iacob, vt sola-
tium ipsa haberet, ac in sui amorem virum
allicere posset, *aperuit vuluam eius* præben
do illi fœcunditatis beneficium *sorore ste-*
II. *rili permanente*. 2 *Quæ conceptum genuit fi-*
lium primogenitum Iacob, *vocauitque no-*
men eius Ruben, quod interpretatur filius vi
sionis, grata enim mulier fructum ventris
sui Domino consecrauit, *dicens*: *Vidit Domi*
nus humilitatem meam, & qualiter fuerim
despicabilis, & exosa viro meo, ob quam
causam præbuit mihi partum, propter quē
III. diligar, & in pretio habear; 3 *nunc* igitur
& post hac *amabit me vir meus*. *Rursumque cō*
cepit, quo magis Iacob amabilis fieret, *& pe*
perit filium secundum viro suo, *& ait*: *Quo-* E.
niam audiuit me Dominus clamantem ad se,
& agnouit me *haberi contemptui*, *dedit etiam*
istum mihi. *Vocauitque nomē eius Simeon*, hoc
est, auditio, insinuans Deum illam orantem
exaudisse dando ei hunc filium. *Concepitque*
tertio, *& genuit alium filium*, *dixitque*: *Nunc*
quoque præstitit mihi Deus tam ingens be-
neficium, vt ratione illius certa sim, quòd
tam quam indiuiduus huius vitæ comes *co-*
pulabitur mihi maritus meus, *eo quòd pepererim*
ei tres filios, *& idcirco appellauit nomen eius Le*
ui, quod interpretatum sonat copulatus, spe
rans accessione huius tertij filij gratiam si-
bi perpetuæ copulationis à marito impe-
trandam. *Quarto concepit* contendens Deus
cum ea muneribus certare, *& peperit filium*,
& ait: *Modo* quando eximia filiorum pro-
creatione à Deo mihi data, & mœroris ni-
mietate discussa accepi solatium perfectum
deformitati, & in locum sororis meæ trans
lata sum omnibus meis viribus *cōfitebor Do-*
mino, eum iugiter laudando, ac pro benefi-
cijs acceptis ingentes gratias exhibendo,
† *Et ob hoc vocauit eum Iudam* confessionis † Matth. 1.a.2.
nomen filio indicens: *cessauitque parere*, non
omnino, sed aliquantulum temporis, nam
postea filios duos, vnamq; filiam peperit.

ANNOTATIONES IN CAPVT. XXIX.

I. *Cōiugia per septē dies celebrabātur*

HEBDOMADAM dierum.] Quod mos fuerit antiquorum per septem dies conuiuij celebrare coniugia ex varijs Sacræ Scripturæ locis apertè conuincitur. In libro namque Iudicum cap. 14. dicitur de Sansone, quod per septem dies fecit conuiuiū, quando duxit vxorem filiam Tanathei. Et Tob. 11. per septem dies epulantes gauisi sunt in desponsatione Tobiæ iunioris, & Sarę. Quapropter per hebdomadam dierum cuius hic fit mentio, proculdubio intelligitur solemnitas nuptiarum, quæ conuiuijs, & tripudijs per eos dies celebrari oportebat, nā quo matrimonium Iacob cum Lia magis constaret, voluit Laban illud hac etiam solennitate fulciri, timebat solubilitatem huius matrimonij ob fraudem, quæ in eo à principio interuenerat.

II. *Radix pro filio.*

SOrore sterili parmanente.] Pro sterili in Hebraico ponitur Acharah, idest, eradicata filium enim vocat Hebraismus Echer, hoc est, radicem: quoniam filij videntur esse parentum radices, quibus sustentantur, quemadmodum in radicibus arbor. Qua locutione vtitur scriptura Esai. 11. Erit radix Iesse, idest, filius Iesse, qui surget regere gentes. Et cap. 53. Ascendet sicut radix de terra sitienti. Item Apocalyp. 5. vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid.

III. *Nunc, idest, post hac.*

NVnc amabit me.] Quamuis aduerbium nunc secundum se nihil aliud importet, quam præsentis temporis moram, ceterum ex adiuncto, quando videlicet applicatur verbo futuri temporis quandam successionē in futurū denotat: vt idē sit dicere nūc, ac dicere posthac. In quo sensu accipitur hæc dictio hic, & statim quādo dicit eadē Lia: nūc quoq; copulabitur mihi maritus meus, idest, post hac. Et supra cap. 4. Nunc igitur maledictus eris super terram. Et Oseæ cap. 5. Nunc deuorabit eos mēsis. Michæ etiam cap. 5. Nunc vastaberis filia latronis.

ARGVMENTVM IN CAP. XXX.

¶ Rachel vt mærorem sterilitatis suæ temperaret ancillam Balam dedit viro suo, de qua habuit Iacob filios duos Dā, & Neptalim, & hoc ipsum faciens Lia tradidit ancillā suam Zelpham, vt eßet vxor Iacob, ex qua similiter totidem filios suscepit scilicet Gad. & Asser.

Deinde

Digitized by Google

L. *Deinde Lia peperit Isachar, & Zabulon, & filiam Dinam, ac tandem Rachel concepit, & peperit Ioseph, quo nato, Iacob nouam fecit conuentionem cum Laban pro custodia pecorum, quia mirum in modum ditatus est Deo sibi prouidente, & benefaciente.*

PARAPHRASIS IN CAPVT. XXX.

A. C*ERNENS autem Rachel*
quòd infœcũda esset, Lia tot fi-
lios generante; *inuidit sorori*
suæ, & graui zelotypiæ malo
vulnerata *ait marito suo: Da*
mihi liberos, prout sorori meę tu ipse donas-
ti, *alioquin moriar*, ob tristitiæ magnitudi-
nem: nec enim ferre valeo dolorem, qui me
dum cogito sterilitatem meam angit, & tor-
quet. *Cui iratus respondit Iacob: Num pro Deo*
ego sum, aut naturæ Domino venio compa-
randus, *qui priuauit te fructu ventris tui?* Ne
igitur à me quæras, quod pręberе, non pos-
sum, & cuius nõ sum Dominus, nam si hoc
in me fuisset, sorori te omnino prętulissem.
† 32. q. 4. c. obijciunt. † *At illa, habeo, inquit, famulam Balam*, vt er-
go parum aliquod solatium inuenire pos-
sim, *ingredere ad illam*, affectu maritali gene-
rationi incumbẽs, *vt pariat* filios, à me ado-
ptandos, quos ego quasi proprios teneam,
super genua mea, ad eis blandiendum, *& ha-*
beam ex illa filios, per adoptionem, quamuis
sui sint per naturam. *Deditq; illi Balam in cõ-*
iugium, vt eam, quasi vxorem ministerialẽ,
& quantum ad thorum haberet. *Quę ingres-*
so ad se viro concepit peperit filium, qui in or-
dine filiorum Iacob quintum locum obti-
nuit. *Dixitq; Rachel: Iudicauit mihi Dominus,*
& quasi prolis indignam æstimauit, nolens
me de proprio corpore prolẽ habere, & ni-
hilominus *exaudiuit vocẽ meam dans mihi fi-*
lium ex adoptione, vt aliena suscepta prole
cogar interim esse cõtenta. *Et idcirco appella-*
uit nomẽ eius Dã filio ancillæ iudicij nomẽ
imponens, Dan quippe interpretatur iudi-
cium. *Rursumq; Bala concipiens peperit alterũ,*
B. nempe sextum filium Iacob: *pro quo ait Ra-*
chel: Comparauit me Deus cum sorore mea, in eo
quod sicut illa habet plures filios, ita & ego
licet nõ in æquali numero: *& inualui* in ora-
tione mea, quatenus idquod concupiueram
concessum est mihi, videlicet vt possem cõ-
parari sorori meæ, per natiuitatem alterius
filij. A qua cõparatione, & similitudine de-
sumpsit Rachel nomen, quod imponeret fi-
lio ancillæ, *vocauitq; eũ Nephthali*, quod no-
men comparationem sonat. *Sẽtiens Lia, quod*
parere desijsset, nolensque conatibus sororis
vllo modo cedere, *Zelpham ancillam suã mari-*
to tradidit, vt ei esset vxor concubinaria, seu
minus principalis. *Qua post conceptũ edente fi-*
liũ, qui fuit septimus marito suo gaudẽs de
ea re mirũ in modũ Lia *dixit: Fœliciter* mihi
accidit, nã assequuta sum, ꝙ expectabã. *Et*
idcirco vocauit nomen eius Gad, quod felix seu
fœlicitas interpretatur. *Peperit quoq; Zel-*
pha alterum filium, octauum in ordine filio-
rum Iacob. *Dixitque Lia. Hoc pro beatitudine*
mea contigit, nempe quòd ego habeã qua-
tuor filios proprios, & duos adoptiuos: *bea-*
tam quippe me dicent mulieres, & valde lauda-
bilem existimabunt, audientes me tot tri-
buum maximarum capita genuisse. *Propte-*
rea appellauit eum Asser, quod beatitudinem
significat. *Egressus autem Ruben* primogeni-
tus Liæ & Iacob, iamq; grãdiusculus factus
tempore messis triticeæ in agrum, sicut solent
pergere libenter puerili ad messores, *repe-*
rit mandragoras, habentes poma quædã pul-
chra, & suaueolentia, saporis tamen insipi-
di, *quas matri Liæ detulit. Dixitq; Rachel: Da*
mihi partem de mãdragoris filij tui. Illa facetè,
& prout fieri solet, inter mulieres mutuo
se diligentes, quæ quidquid placuerit quam-
uis duriusculum alijs videretur, securè per se
dicere posse arbitrãtur, per sales, & iocum,
respondit: Parumne tibi videtur, quod præri- C.
pueris maritum mihi, vi maximi amoris, quo
in te propensus est, *nisi etiam mãdragoras fi-*
lij mei tuleris? Ait Rachel, quasi omnem viri
potestatẽ habẽs ob eximium amorem, quo
eam Iacob prosequebatur: *Dormiat tecũ hac*
nocte, pro mandragoris filij tui. Eas namque I.
Rachel valde concupiuerat, fortè propter
pomorum earum raritatem, & odoris iucun-
ditatẽ. *Redeuntique ad vesperam Iacob de agro*
egressa est in occursum eius Lia, & ad me, inquit
intrabis, quia mercede conduxi te pro mandrago-
ris filij mei. Et quãuis repente atq; inopina-
te à pulcherrima cõiuge reuocaretur Iacob,
& ad minus decorã vocaretur, non ira excã-
duit, nec tristitia nubilatus est, sed quasi ma-
ritus iustus, & prouidus pater cũ illas pro-
lis curã gerere videret, & ipse nihil aliud de
con-

concubitu quæreret, earum voluntati obtē
perandum iudicauit. *Dormiuitque cū ea*, vi-
delicet cum Lia *nocte illa. Et exaudiuit Deus*
preces eius, quibus à Domino, nō propriam
voluptatē, sed filios benedictionis postula-
uerat. *Cōcepitq; & peperit filium quintum*, qui
tamē inter omnes filios Iacob nonus erat:
& ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia ex ve
hementi filiorū desiderio consentiendo di-
uino beneplacito *dedi ancillam meā viro meo*
& fructus quidem ventris merces est Dei.
Appellauitque nomē eius Issachar, quod inter
pretatur merces. *Rursum Lia concipiens pepe*
rit sextum filium, decimū tamen ordine filio
rū Iacob, *& ait: Dotauit me Deus dote bona*,
nempe fœcunditate, qua proculdubio indi
gebam, vt pote, quæ non expetita, insuper,
& indotata viro clam tradita fueram, *etiam*
hac vice mecum erit maritus meus, libētius me
cum habitando: *eo quod genuerim ei sex filios*,
& idcirco appellauit nomen eius Zabulō, quod
D. significat habitaculū. *Post quem peperit filiā*
nomine Dinam. Recordatus quoque Dominus
Rachelis, ac gerens se ad similitudinē homi-
num, qui tunc recordari dicuntur alicuius
quando illum ex mærore in quo antea deti
nebatur, eripiūt, *exaudiuit eam*, ad se iugiter
clamantem, *& aperuit vuluam eius* conferen
do illi fœcunditatis donū. *Quæ cōcepit, & pe-*
perit filium, vndecimum viro suo, cū Iacob
nonagesimum ætatis annum ageret, *dicēs:*
Abstulit Deus opprobrium meum, quod mihi
accidebat ratione sterilitatis. *Et vocauit no-*
men eius Ioseph, idest, augmentum ab eo,
quod sibi alium ad di mater optauit, *dicens:*
Addat mihi Dominus filium alterum natura-
lem, & à me generandum. *Nato autē Ioseph,*
dixit Iacob socero suo: Dimitte me, vt reuertar
in patriam, & ad terram meā, videlicet ad ter
ram Chanaā, in qua natus, & educatus sum,
& vbi parentes habeo superstites, & quam
iure speciali meā appellare possum ob pro
missionem mihi de ea factam à Deo. *Da mi*
hi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui ti
bi, quāuis enim in mea sint potestate, & me
cum eos habeam, consensum tamen tuum
exopto volens te etiā in hac re digno pro-
sequi honore: *vt abeam* libere, & cum bene
placito tuo, quo iturus sum: *tu nosti seruitu-*
tē, qua seruiui tibi, cuius pensum tibi ipsi æsti
mandum relinquo, vt illud perpendens, nō
renuas concedere, quæ tam iuste à me pos
tulantur. *Ait illi Laban, Inueniam* obsecro
gratiam in conspectu tuo, vt cōsentias mecum
in re, quam exopto. *Experimento didici, quia*
benedixerit mihi Deus propter te, præsentia nā
que tua locupletior mihi diuina virtus con
tigit. *Cōstitue igitur mercedem tuam, quā dem*
tibi, tantum vt diutius te mecum retinere
valeam. Laudando enim præstitum benefi-
cium inuitabat Laban Iacob ad diutius ser
uiendum, forma quidem verborum pietatē
referentiū, reuera tamen proprio commo-
do prospiciebat, & suas cupiens diuitias au
geri magis omnibus, quibus posset, impos-
turis generum suum circunuenire parabat.
At ille respondit: Tu nosti quomodo seruierim ti
bi: te enim ipsum testem facio meæ gratitu
dinis, & fidelitatis, vt pote qui optime vi-
disti quāto studio omnia administrauerim,
& quanta in manibus meis fuerit possessio tua: E.
nā in paruo numero accepi pecora tua, quę
diligentia vigilantiaque mea in magnū nu-
merum crescere feci. *Modicum itaq; habuisti*
antequam venirem ad te, & nunc diues effectus
es: benedixitque tibi Dominus ingentium abū
dantiam bonorum præbens *ad introitum*
meum, seu ex quo ingressus sum domum
tuam. *Iustum est igitur, vt aliquando prouideā,*
etiam domui meæ: taliter enim prouidentiæ
diuinæ, per omnia innitendum est, vt tamē
non omittatur studium humanum, & ope-
ra, maximè quod non debent filij parenti-
bus thesaurizare, sed parentes filijs. *Dixitq;*
Laban: Quid tibi dabo, seu quid mercedis, vis
à me tibi dari, pro seruitio impendēdo? *At*
ille ait: Nihil volo à te mercedis nomine re-
portare, *sed si feceris, quod postulo iterum pas-*
cam, & custodiam pecora tua, & quod mihi
Dei bonitas, pro opera mea retribuere dig-
nabitur, loco mercedis gratus amplectar.
Gyra omnes greges tuos diligenter eos cōtem
plando, *& separa cunctas oues varias, & spar-*
so vellere, habētes scilicet vellus respersum
coloribus, tamquam frustis, vel punctis, &
trade eas filijs tuis: ita vt mecū alba, & ni-
gra pecora, id est, vnius coloris, tantum re-
maneant custodienda, *& quodcumque furuū,*
& maculosum variumque fuerit natum in gre
ge mihi cōmisso, *tam in ouibus quam in capris*
erit merces mea. Respondebitque mihi cras, scili II.
cet in futuro tempore *iustitia mea*, nā si fide
liter seruierim tibi Dominus digno me prę
mio munerabit, finaliter feram, quod ipse
voluerit: hæc autem correspondentia eue-
niet mihi, *quando placiti tempus aduenerit*, &
completum fuerit tempus, quod placitum
erit *coram te*, beneq; tibi visum fuerit statue
re, *& omnia, quæ non fuerint varia, & maculo*
sa, & furua, sed omnino alba, vel omnino ni

gra *tam in ouibus, quàm in capris,* si apud me fuerint inuenta, *furti me arguent,* & pro conuicto de furto habebis. Rem non difficilem postulo. Tecum facit natura pecorum, cum alba ex albis, & nigra nascantur ex nigris. Mecum erit iustitia mea, dum Deus humilitatem meam respicit, & laborem. *Dixitque Laban: Gratũ habeo, quod petis,* scilicet vt mihi ex vnicoloribus generentur vnicolores pro more, tibi verò ex vnicoloribus pecora multicoloria, aut subrussa, si Deo placuerit,

F. idquod rarius vsu venire solet. *Et separauit in die illa capras, & oues, & hircos, & arie-*

III. *tes varios, atque maculosos, cunctum autem,* 3 pro & cũctum, *gregem vnicolorem, idest albi, & nigri velleris:* nam & illum, & istum separauit, & quem ab isto seiunxit, *tradidit in manu filiorum suorum,* vt filij Labã vna cum seruulis pastoribus alijs, pecora varia, atq; maculosa tunc separata custodirẽt. *Et posuit spatium itineris trium dierũ,* itineris videlicet, quod sine periculo greges potuissent conficere triduo, *inter se, & generum, qui pascebat reliquos greges eius:* nequis ex vicinitate pecorũ nasceretur dolus. *Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis ex parte decorticauit eas, detractisque corticibus in his* locis virgarũ, *quæ spoliata fuerant, cãdor apparuit. Illa vero* virgarum loca, *quæ integra fuerant, viridia permanserũt: atq; in hunc modũ color effectus est varius. Posuitq; eas in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cum venissent greges ad bibendũ, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum cõciperent.* Sciebat namque Iacob animalis imaginatiuam hanc habere virtutẽ super corpus, & super materiam, vnde fit conceptus, vt similes fœtus concipiantur illis rebus, quas

G. aspiciunt attentè in extremo coitus. *Factũque est* ob industriam, qua vtebatur Iacob, *vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas* partim albas, & partim virides, *& parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa.* Qua strophà optimo iure vsus est Iacob ad redimendam vexationem sibi illatã à Laban. Is enim vnam postulanti filiam in cõiugium, & pro vna seruitium suscipienti, alteram quidem peregrino, & aduenæ, per fraudem imposuerat: & quamuis eam, quã inrogatus extruderat, sine magna dote à parente præstanda ob defectum oculorum nuptijs tradere nequiuisset, nihilominus pro ea seruitium septem annorum à Iacob extorserat. *Diuisitque gregem Iacob,* postquã oues cœperunt parere varia, & maculosa, nam Laban nolebat permittere, vt pecora diuersorũ colorum, quæ pertinebant ad Iacob, pascerent simul cũ gregibus vnius coloris pertinentibus ad ipsum Laban, ne arietes albi, vel nigri accederent ad oues maculosas, & hac ratione multiplicarentur greges varij. Cæterũ Iacob, sicut posuerat in conspectu omnium, ita *& posuit virgas in canalibus ante oculos arietum,* quo frequentius, & certius nascerentur maculosa. *Erãt autem alba, & nigra quæque Laban, cætera verò Iacob separatis inter se gregibus.* Et quia si omnes agnos, & hœdos varios pecora procreassent, fuisset aliqua suspicio doli, & apertè huic rei Laban inuidus contraisset, idcirco noua calliditate vsus est Iacob, & ita omnia temperauit, vt & ipse laboris sui fructum acciperet, & Laban non penitus spoliaretur. *Igitur quando primo tẽpore,* quo gigni solent fœtus primitiui *ascendebantur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarũ ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione conciperent* varia, & maculosa. *Quando vero serotina admissura erat, & conceptus extremus,* tempore scilicet, quo debiliores erant oues ad coeundum, quæ serotina appellatur admissura, *non ponebat eas:* vt tunc, quæ nascebantur oues, vnicolores essent. *Factaque sunt ea quæ erant serotina Laban,* vnius enim tam in nigro, quàm in albo coloris existebant, *& quæ primi tẽporis Iacob,* quia hæc varia, & maculosa erant. *Ditatusque est homo vltra modum,* seu valde nimis, nam *& habuit greges multos, ancillas, & seruos, camelos, & asinos,* quæ omnia fuerunt illi virtutum adiumenta, ac materia benefaciendi, & charitatis officia exercendi ad proximos.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXX.

I. *Mandragoras cur expetierit Rachel.*

PRO mandragoris filij tui.] Quam ob causam tam eximiè expetierit Rachel mandragoras, quas filius sororis repererat, non omnino certũ est inter doctores. Aliqui existimant eius rei causam extitisse, quod prout à medicis proditum est, hæc herba mẽstrua eijcit, vuluamque muliebrem ad conceptum mirificè accommodat. Ac proinde putant Rachel omnino institisse pro mandragoris, ob cupiditatem, quam habebat pariendi. Quod tamen probabiliter diceretur si statim Rachel post acceptas mandragoras concepisset. Cæterum, quia Rachel, non habuit prolem, nisi postquam Lia ab eo tempore, quo eius filius mãdragoras reperit, genuit alios duos filios, nec etiam in alia fœmina talem mandragoræ effectum quisquam expertus est, non opor-

oportet isthæc suspicari. Vnde cōuenientius dicitur cum D. Augustino lib. 22. cōtra Faustum cap. 56. Ideo Rachelem tantopere concupijsse mandragoras, quod odore sint valde commendabiles: quod etiam in Canticis Canticorum cap. 7. insinuatur, dum dicitur: Mandragoræ dederunt odorem suum.

II. *Cras, id est futuro tempore.*

RESpondebitque mihi, cras.] Per crastinū futurum tēpus intelligi solet in sacris literis, vt probat D. Hieronymus super Matthæum ca. 6. ex eo quod in calce eiusdem capituli dicitur: Nolite soliciti esse in crastinum, vbi Dominus prohibet de futuris cogitare. In quo etiam sensu sumitur aduerbiū cras, hoc in loco, & 1. Regum. 28. quando dictum est Sauli à phantasmate Samuelis: Cras tu & filij tui mecū eritis, hoc est, sequenti tempore. Et Iosue capite 22. Cras dicent filij vestri. Et parum infra: Nequaquam dicant cras filij vestri, vtrobique enim cras stat pro futuro tempore. Verum est tamen quod si isthæc testimonia attentè considerentur facilè est ex eis colligere cras, non vtcumque significare futurum tempus, sed potius proxime futurum: non tamen præcise, & determinatè diem crastinum.

III. *Conuentio inter Iacob, & Laban, qualis fuerit.*

CVnctum autem gregem.] Sensus huius loci adeo difficilis est, vt D. Hieron. in libro de quæstionibus seu traditionibus Hebraicis dicat de eo: Multum apud septuaginta confusus est sensus, & vsque in præsentem diem nullum potui inuenire nostrorū, qui ad liquidum quid in hoc loco diceretur exponeret. Hæc Hieron. videtur enim Moyses in præsenti asserere, quod Laban tradidit oues vnius coloris filijs suis: hoc autem apertè repugnat conuentioni factæ inter Iacob, & Laban, qua cautum est, vt Iacob custodiret oues vnius coloris, filij autem Laban greges reliquos. Omissis ergo varijs dicendi modis verisimilior horum verborum sensus videtur is, quem in Paraphrasi proposuimus, videlicet quod Laban separauit greges maculosos, & varios, & etiam separauit cunctum alium gregem, & illos priores tradidit filijs suis. Iuxta quem sensum aduerbium, Autem non facit sensum aduersatiuum, sed dūtaxat copulatiuum, ita vt stet pro coniunctione, & prout alibi sæpe poni solet in sacris literis, vt Matth. 16. vos autem, idest, & vos, quem me esse dicitis? Et Luc. 1. vbi dicitur: Exurgens autem Maria, illud autem, facit sensum coniunctionis &. Sed præcipuè dictio autem, retinet sensum istū Nume. 31. cap. vbi dicitur. Reliqua autem vtensilia portauerunt ad castra. Docet enim ibi Scriptura ad eundem locum fuisse adducta vtensilia, ad quem deportata fuerant alia, quorum præcessit sermo: vnde in eo loco autē, non potest stare pro sed, vel pro cæterum, sed pro, &, vt ibi videbimus. Verbum præterea separauit, quod præcedit hæc verba, cunctum autem gregem, debet sub intelligi, hoc in loco, maxime si ab his verbis, cunctum autem gregem, incipiat periodus. Et præterea ante verbum tradidit, debet subintelligi coniunctio, &, quæ referat verbum tradidit, non ad cunctum gregem vnicolorem, de quo proxime facta est mētio, sed ad capras, & oues, & hircos varios, quorum prius meminerat Moyses. Nec mirum est, quod ad perfectum sensum horum verborum debeant nōnulla subintelligi, cum id sæpè sæpius necessarium sit in sacris literis, prout in præfatione huius operis plurimis sanctorum patrum testimonijs comprobatum reliquimus.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXI.

¶ *Audiens Iacob querelas filiorum Laban pro facultatibus, quas possidebat, & præceptum sibi à Deo impositum, quod reuerteretur in terram suam habito consensu Rachelis, & Liæ, cum omni domo sua regreditur in terram Chanaan: & Euphrate transmisso sistit in monte Galaad, quem insequutus Labā magna cognatorum turba stipatus, à Deo nocte corripitur præcipiente sibi ne quidquam mali ageret contra Iacob, vnde ad illum perueniens nihilque suorum apud eum inueniens, fœdus cum genero iniuit.*

PARAPHRASIS IN CAP. XXXI.

A. POSTQVAM *autem audiuit* Iacob querelas, & hyperbolica *verba filiorū Laban dicentiū, Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri*: tāta enim abstulit, quod parum nobis remansit, *& de illius facultate ditatus factus est inclytus*, valdeque honorabilis, & illustris, *animaduertit quoque faciem Laban*, quæ cordis solet esse subscriptio, *quòd non esset erga se sicut heri, & nudius tertius*, scilicet, sicut tempore præterito, nā partim inuidia partim verba puerorum immutauerant cor Laban, obliuiscique fecerat illorum verborum, quæ pridem dixerat ad Iacob, experimento didici, quod benedixerit mihi Deus propter te. Ob has

igitur

igitur causas, & *maximè dicente sibi Domino,* per interiorē suggestionē, vel Angelicā reuelationē. *Reuertere in terrā patrū tuorū*, qualis est terra Chanaan, *& ad generationē tuam*, seu parentes tuos adhuc superstites, *eroque tecum*, qui hucusque res tuas gubernaui, & augeri feci semen tuū. *Misit & vocauit Rachel, & Liā*, quæ principales vxores erant, *in agrū vbi pascebat greges: dixitq; eis, Video faciē patris vestri, quod non sit erga me sicut heri,*
I. *& nudius tertius*, 1 imò potius amorem in odiū commutauit. *Deus autē patris mei fuit mecū*, quod proculdubio cessit in magnā vtilitatē Laban, nam hac de causa benedixit illi Dominus ad introitū meum: præterea, *& ipsæ nostis, quod totis viribus meis seruierim patri vestro*, qua etiā ratione fui illi maximè proficuus, *sed & pater vester* reddens pro bono malum *circumuenit me* omnibus, quibus potuit modis: nā *& mutauit mercedem meā de-*
II. *cē vicibus*, 2 hoc est, pluries, nunc variegatas mihi oues promittēdo, nunc albas solū, interdum vero dutaxat nigras, cū alias prospere augeri cōspiceret, *& tamen non dimisit eū Deus, vt noceret mihi*, sed sortē meam semper potiorē reddidit, & promouit. *Si quādo* enim Laban pater vester *dixit, Variæ* pecudes, & maculosæ *erunt mercedes tuæ, pariebāt omnes oues varios fœtus, quando verò è contrario ait alba quæque accipies, pro mercede omnes greges alba pepererunt.* Sicq; factū est in reliquis modis, quibus immutata est merces
B. mea. *Tulitq; Deus substantiā patris vestri, & dedit mihi:* quod quidē se facturū ipse Deus, per Angelum suū, mihi antea prænuntiauerat. *Postquā enim conceptus ouiū tempus aduenerat*, habent nāque pecudes certū anni tēpus, ad concipiendū *leuaui oculos meos*, non corporeos, sed mentis, *& vidi in somnis*, quādo potissimum viget ratio in prophetis, & in eis, qui desuper illustrantur, *ascendētes mares super fœminas*, mares inquā illius cōditionis, & coloris, quales futuri erant fœtus mihi à Laban designati, videlicet *varios, & maculosos, & diuersorum colorum*: ita vt quomodocumque mutaret pactū socer meus Laban, semper in somnis ostensum fuit mihi rē in profectū meū cessurā. *Dixitq; Angelus Dei ad me in somnis*, loquēs in persona Dei, & vocans: *Iacob? Et ego respondi: Adsum.* Qui repræsentando mihi visionē, quā retuli *ait. Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas varios maculosos atq; respersos*, & quales, pro mercede tui laboris singulis vicibus promisit tibi dare Labā. Intuere illos, nā fœtus futuri in te tales erunt, quales in somnis præuidentur generādi, per accessum similiū masculorū ad fœminas. *Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Labā*, & qualiter, nō solū mercedē abstulerit, sed etiā animū à te iniustè alienauerit. *Ego sum Deus*, qui apparui tibi in vrbe, † *Bethel, vbi vnxisti lapidē & votū vouisti mihi*, quòd dares mihi decimas, si reuersus esses prosperè ad domū patris tui. *Nūc ergo surge* accingens te itineri, *& egredere de terra hac reuertens in terrā natiuitatis tuæ*, ad quā promisi te fœliciter reducturū. Cæterū, quia sine vxorū cōsensu, & comitatu recedere nolo, nec debeo cum maritus, & cōiux perpetuo cohabitare teneātur, ideò nūc, & ipsæ in recessum meū, vt consentiatis obsecro. *Responderuntque Rachel, & Lia: Numquid habemus residui quidquā* quòd post hac expectare possimus *in facultatibus, & hereditate domus patris nostri?* Nihil certè superest nobis in opibus eius: filijs enim suis deputauit omnia, & quidquid adhuc habebit dabit. Præterea, *nonne quasi alienas reputauit nos; & vendidit* tibi, qui multis annis pro nobis seruiuisti: *comeditq; pretiū nostrum* in propriū cōmodum conuertēdo pecuniā nobis, pro mariti nostri labore debitā? *Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas*
tradidit nobis, ac filijs nostris faciēdo fœlicitatē cessare in gregibus illius, & è cōtra eā in tuis gregibus florescere. Ideò nō est nobis cū patre nostro manēdi causa, quinimò concordi voto hic nūc sumus cū filijs, ancillis, & pecoribus, quidquid iniunxeris facturæ. *Vnde omnia, quæ præcepit tibi Deus fac:* nos enim quocunq; perrexeris cōmitabimur. *Surrexit itaq; Iacob, &* quoniā vidit male sanam mentē Labā, nō vltra, sicut prius, renūtiare ei quidquā voluit, sed eo inconsulto *impositis liberis, ac cōiugibus suis super camelos, abijt* cū magna animi fortitudine, quò Deus præcipiebat. *Tulitq; omnē substantiā suā, & greges & quicquid in Mesopotamia adquisierat.* Talia enim ista hæc erant, vt secū illa auferre posset, noluit enim Iacob, quidpiā in Syria possidere, propter quod ab aduersario teneretur obnoxius; sicq; abijt *pergens ad Isaac patrē suū in terrā Chanaan. Eo tēpore ierat Labā ad tondēdas oues*, quæ erāt in spatio triū dierū à loco, vbi Iacob morabatur: *& Rachel* ignorāte viro suo, qui proculdubio, si resciuisset, id nequaquā permisisset, *furata est idola patris sui*, quæ erāt figuræ quædā, vel imagines, quarum cultui Labā addictus erat, & earū pulchritudinē Rachel pro delicijs aspiciebat puerili more. *Noluitq; Iacob confiterī socero suo, quod fugeret*, quia ex præcedētibus frau-

† Sap. 28. d. 11

C.

fraudibus probabiliter timebat, ne auferret ei omnia, si sciret, cũ recedere. *Cũq; abijsset tā ipse quā omnia, quæ iuris sui erāt, & amne* Euphrate, qui Mesopotamiā à prouincijs Chananæorũ diuidit, *transmisso pergeret cõtra mõtē* postea vocatũ *Galaad*, qui est ad tergũ Phœnices, & Arabiæ collibus Libani copulatus, *nunciatũ est Labā die tertio, quod fugeret Iacob, Qui assumptis fratribus suis*, filijs videlicet, & cognatis ac eorundē seruulis, & vernaculis, multis nāq; socijs indigebat, qui Iacob iā seruis multis, & familia instructũ violēter reducere intēdebat: *persequutus est eũ diebus septē, & cõprehēdit*, seu cõlecutus est *eũ in mõte Galaad*, quò Iacob decem, aut vndecim diebus peruenerat. *Viditq;* Laban pridie quam assequeretur Iacob *in somnis dicentē sibi Deũ*, seque terribiliter cõminantē. D. *Caue ne quidquā asperè*, vel molestũ, non modo opere exequaris, sed necverbis *loquaris cõtra Iacob*. Noluit enim Deus præcipere Labā, vt ad propria reuerteretur, sed solum prohibuit, nequid durũ ergaIacob faceret, vel diceret, vt Iacob, & eius familia ex verbis ipsius Labā disceret, quantam sui curam Deus gereret: sicq; maiorē alacritatem pro ficiscēdo haberet, & fiduciā acciperet. *Iāq;* C. *Iacob* antequā illuc perueniret Laban, *extenderat in mõte tabernaculũ*, quod erat transito riũ quoddā habitaculũ. *Cumq; ille consecutus fuisset eũ cũ fratribus suis* nõ est ausus ꝑpter visionē prędictā bellũ inire, nec violēter inuadere Iacob, sed pacificè *in eodē monte Galaad fixit tentoriũ, Et* qui cũ multa indignatione ad pugnā cõtēdere, & contra generũ insurgere intendebat à Deo territus postmodũ mitissimè *dixit ad Iacob: quare ita egisti, vt clā me abigeres*, per vim auferendo *filias meas, quasi captiuas gladio? Cur ignorāte me fugere voluisti, nec indicare mihi, vt prosequerer te*, ac dimitterē *cũ gaudio, & cāticis, & tympanis, & Cytharis*, cũ iocũditate (inquā), cordis, oris, & operis? *Non es passus, vt oscularer filios meos, & filias*, quales sũt filij tui, & vxores *stulte operatus es*, seu ignoranter, *& nũc quidē valet manus mea reddere tibi malum, sed* Dei potētiam, quā pro te habes, horreo & expauesco *Deus patris vestri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quidquā durius*, cuius certè Dei virtute cogor vindicta abstinere. *Esto ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui*, quod mirũ, nõ erat præsertim post annos viginti. Cæterũ *cur furatus es deos meos*. Tāta quippe erat in Labā erroris grauitas, vt quāuis esset ratione præditus, coleret lapides, & metalla, & eos quasi deos haberet, qui furto tolli poterāt, nõ perpēdens qualiter suos poterāt custodire cultores, qui se ipsos custodire nequibāt. *Respõdit Iacob*, & magna mansuetudine de obiectis criminibus se purgans ait: *Quod inscio te profectus sum*, nõ stultũ, nec nimium tibi videatur, nā probabili ratione *timui, ne violenter auferres filias tuas* vxores meas, ac proinde si non mihi caussem, vt inscio te proficiscerer, cœlesti me ipsum tutelæ cõmittēs, & credēs custodię, quā mihi pollicitus est Deus, tũc potius ego stultus damnis meis arguētibus inuenirer. *Quod autem furti me arguis*, cedo nũc ius esto: *apudquēcũque inueneris deos tuos necetur corā fratribus nostris*, & cõsanguineis; *scrutare quidquid tuorũ apud me inueneris, & aufer*: certus sum etenim nihil tuarũ rerũ mecũ aduētasse. E. *Hæc dicēs* nequaquā mētitus est Iacob, quoniā *ignorabat quòd Rachel furata esset idola. Ingressus itaque Labā tabernaculũ*, atq; cubicula *Iacob, & Liæ & vtriusq; famulæ nõ inuenit*, quidpiā suorũ quāuis velut cõtra furē, & mendacē mortis occasionē perquireret. *Cũq; intrasset tētoriũ Rachelis, illa festināns abscõdit idola subter stramēta cameli, & sedit desuper*, nec enim illa idola, vt deos colēdos credebat: *scrutātiq; omne tētoriũ, & nihil inuenienti ait* Rachel patri suo: *Ne irascatur dominus meus, quòd corā te assurgere nequeo* exhibēdo reuerētiā naturali iure debitā, *quia iuxta consuetudinē fœminarum nũc accidit mihi*: mēstruorũ autē fluxus assurgere fœminas non permittũt. *Sic delusa sollicitudo quærentis est*, dũ leuiter excusationi muliebri Labā credidit. *Tumensq; Iacob*, tum ob fiduciā cõceptā ex his, quæ Labā cõfessus est, tũ quia nihil reprehēsione dignum cõtra se Labā scrutādo inuenerat, *cũ iurgio ait: Quā ob culpā meā, & ob quod peccatũ meũ sic exarsisti post me, & scrutatus es omnē supellectilē meā? Quid inuenisti de cũcta substātia domus tuæ*, tāto scrutinio facto? *Pone hic*, & profer in mediũ, ꝙ inuenisti tuũ *corā fratribus meis, & fratribus tuis* proximis ac familiaribus nostris, *& iudicēt inter me, & te*, quis nā nostrũ ab alio iniuriam patiatur. *Idcirco*, & hoc est stipendiũ, ꝙ mihi præstas pro eo ꝙ *viginti annis fui tecum?* in quibus omnibus, quia benedictio Domini mecum ad te ingressa est *oues tuæ, & capræ steriles non fuerũt*, nec abortum fecerunt, *arietes gregis tui non comedi*, prout facere solent mercenarij, F. qui non greges, sed semetipsos pascunt, *nec captum à bestia ostendi tibi* in excusationem mei, vt non cogerer numerum reddere tibi: *ego damnum omne reddebam*, siquid laniatum à bestia interueniebat. *quidquid furto peribat à me exigebas*, quamquam pro me esset excusabilis causa: *die noctuque æstu vrebar, & gelu præ nimietate*

Digitized by Google

tate caloris & frigoris, *fugiebatque somnus ab oculis meis*, vigilias agẽs ꝑ gregib⁹ tuis: *Sicq; per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis. Immutasti quoq; mercedẽ meã decem vicibus* volens me quoquomodo posses priuare mercede mea. *Nisi Deus patris mei Abrahã, &* eius virtus, ac fortitudo, obquã
III. ipsemet Deus est etiã *Timor Isaac*, 3 quasi qui summa reuerẽtia ab Isaac timetur, *affuisset* & subuenisset *mihi, forsitã modo nudũ me dimisisses*, omniaq; mea abstulisses, & iustitiã quã proposueras, opere cõpleuisses: *afflictione meã & labore manuũ mearũ*, quẽ perpessus sum pascẽs oues tuas *respexit Deus, &* hac de causa *arguit te heri* coercẽs iniustitiã, quã aduersum me struebas, & irrationabiles tuos conatus repressit. *Respõdit ei Labã*, quietior aliquãto redditus ex colloquio Iacob: *Filiæ meæ & filij & greges tui, & omnia, quæ cernis, mea sunt*, vel iure cõsanguinitatis, vel quia ex substantia mea accesserũt. *Quid* igitur mali *possum facere filijs & nepotibus meis?* Quãuis enim Dei timore cõpressus nõ fuissem, causa carnalis affectus, isthæc omnia salua dimisissem. *Veni ergo & ineamus fœdus, vt sit in testimoniũ*, & signũ testificãs amicitiã, quæ debet esse *inter me & te. Tulit itaq; Iacob lapidẽ, & erexit illũ in titulũ*, seu, in signũ & memoriã rei, quæ tũc fiebat. *Dixitq; fratribus suis* Labã & reliquis cognatis eius, qui cũ Labã venerãt: *Afferte lapides. Qui cõgregãtes fecerũt tumulũ* lapidũ, in signũ cõiũctionis animorũ, *comederũtq; super eũ*, nã mos erat antiquitus fœdus incũtibus inuicẽ cõuiuari in verũ pacis & amicitiæ symbolũ. *Quẽ* tumulũ lapidum *vocauit Laban* Iegar saadutha, quod lingua Syrorũ qua Labã frequentius vtebatur significat *Tumulũ testis, & Iacob* vocauit Galaad, quod Hebraice idẽ significat, ac Iegar saadutha, scilicet Tumulũ testis, seu *Aceruũ testimonij, vterq;* nãque loco nomẽ aptauit *iuxta proprietatẽ linguæ suæ*, intẽdẽs eãdẽ rẽ significare. *Dixitq; Labã*
G. *Tumulus iste*, vel aggestus lapidũ, *erit testis* pacti & fœderis initi *inter me & te hodie: & idcirco appellatũ est nomẽ eius Galaad, idest, Tumulus testis*, quia signũ futurũ erat attestatiuũ pacis tũc firmatæ & adiecit Labã: *Intueatur & iudicet* vltor existẽs *Dominus inter nos* si initũ pactũ violauerimus, & præsertim, *quando recesserimus à nobis*: quo tẽpore neq; quæ inter nos fient scire, neq; mutuo vlcisci poterimus: *si afflixeris filias meas* male tractãdo eas, seu contẽnendo, *& si introduxeris alias vxores*, quæ præferantur & velis q͂ sint *super eas*; cũ potius filiæ meæ præferri debeãt alijs quibuscunque vxoribus tuis. *Nullus sermonis nostri testis est* sufficiens & omni acceptione maior in viris, qui hic nobiscũ adsunt *absque Deo, qui præsens respicit* quæ inter nos fiunt, ac promittuntur; reliqui enim quia partibus dediti sunt, & affines inepti existũt ad reddẽdũ testimoniũ. *Dixitque rursus ad Iacob: En tumulus hic & lapis, quẽ erexi inter me & te, testis erit*, quatenus posteri illum pro signo posito conspicientes, pacti inter nos initi rememoraturi sunt. *Tumulus, inquam iste & lapis sint in testimoniũ* violati fœderis, *si aut ego transiero illũ pergens ad te nocendi causa, aut tu præterieris, malum mihi cogitans*; taliterq; fœdus initũ inter nos maneat, vt alter ab altero nõ offendatur. *Deus Abrahã, & Deus Nachor iudicet inter nos*, ac reddat vnicuiq; nostrũ pænam vel præmiũ, quibus pro obseruatione vel fractione fœderis digni fuerimus: qui quidem Deus etiã fuit *Deus patris eorũ. Iurauit ergo Iacob per Timorẽ*, hoc est per Deũ tremendũ *patris sui Isaac*, quòd malũ contra Labã nullũ cogitaret, neq; ad illũ mali intentione transiret præsentis acerui testimonio cõmonitus. *Immolatisq; victimis in monte* à Iacob exercẽte priuilegiũ primogenituræ, quod erat sacrificia offerre, Deoque gratijs collatis, Laban *vocauit fratres suos*, ac reliquos, qui cum ipso venerant cognatos & affines Iacob, *vt ederent panẽ* & aliorũ ciborũ abundantiã, *qui cũ comedissent, manserunt ibi* in monte pernoctantes. *Labã vero de nocte consurgens osculatus est filios*, videlicet nepotes, *& filias suas, & benedixit illis* bona eis implorando: *reuersusque est in locum suum* ad Mesopotamiam Syriæ.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXI.

I. *Heri & nudius tertius, id est præteritotẽpore.*

HERI & nudius tertius.] Sicut in cap. præced. anno. 1. dicebamus per crastinum non intelligi præcisè diem proximè sequentem: ita docet D. August. hic, per aduerbia heri & nudiustertius non semper significari diem primum vel secundum proximè præcedentem, sed interdum etiam stare pro preterito indeterminato tempore: vt Exodo. 4. Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius. Et Exod. 21. Si sciebat quod bos cornupeta esset ab heri & nudius tertius. Et 1. Reg. 14. Hebrei, qui fuerant cum Philistijm he-

ri & nudiustertius ascenderantque cum eis, in castris, reuersi sunt.

II. *Decē vicibus, id est, multoties.* Decem vicibus.] Numerus denarius ob suū cōplementū, vltra quod in cōputationibus numerorū non est vlterius progredi sed mox ad vnitatē reditur, solet in sacris literis multitudinē quādā indeterminatā significare; vt adnotauit D. Cyrillus Zachar. cap. 8. explicās in hoc sensu illud prophetę: In diebus illis, in quibus apprehēdēt decē homines, &c. & iuxta eundē sensum loquitur scriptura hic, & Leuit. 26. Ita vt decē mulieres, idest, multæ in vno clibano coquāt. Et Iob 19. En decies cōfunditis me. Et Numer. 14. Et cētauerūt me iam per decem vices.

III. *Timor Isaac, id est, Deus Isaac.* Timor Isaac.] Eundē quē esse dixerat Deum patris sui Abrahā, intelligere voluit Iacob per Timorē Isaac hic: & quando parū infra dicitur iurasse per Timorem Isaac, eum nēpe de quo loquitur Isaias ca. 8. Inquiēs Dominū exercituū sanctificate, ipse timor vester, & ipse tremor vester. vtitur autē Iacob hoc diuino attributo dicēs: Timor Isaac, & nō Deus Isaac; vt simul cū cōmemoratione diuinæ maiestatis ostēderet, qua maxime via Isaac, quia viator adhuc erat, tēderet in Deū, videlicet adimplēdo illud Apostoli ad Philippēses. 2. Cū metu & tremore vestrā salutē operamini. Ac etiā vt exēplo patris sui Isaac induceret Labā ad timendū Deum qui ei dixerat: Caue ne quidquā asperè loquaris cōtra Iacob. Vtitur præterea nomine timoris quasi in abstracto ad insinuādū, quā summe Deus timēdus sit, quámque super omnia eū timuerit Isaac. Prout Moyses Exod. 15. vocat Deū laudē suā ad significandū quàm eximiè Deus veniat laudandus, & quāto conatu vellet eū Moyses laudare. Qui loquendi modus tam frequens est in sacris literis, vt non indigeat plurium authoritatum vel exemplorum confirmatione.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXII.

¶ Prosequens Iacob iter suum, Angelos Dei obuiam habuit, à quibus nomen loco indidit, vocans eum castra. Indeque misit nūtios ad Esau captandæ beneuolentiæ gratia: & quia resciuit ipsum cum quadringentis viris ad se venire, timore perterritus, diuisis facultatibus suis in duas partes, ac fusa ad Deum oratione fratrem muneribus placare tentauit, quapropter magnifica dona ad eum misit: ipse verò transuadato Iaboch luctatus est cum Angelo, qui ei nominis mutationem promisit, nimium fratris timorē expulit, ac neruū fœmoris tetigit; obquā causam similē neruū Hebræi non comedunt.

PARAPHRASIS IN CAP. XXXII.

† Infra 48. c. 16

A. IACOB † *quoq; abijt in itinere quo cœperat,* discedēs à mōte Galaad versus terram Chanaā, *fuerūtq; ei obuiā Angeli Dei,* in forma hominū visibiliter apparētes, atque ad Domini præceptū illius familiæ ministrantes. *Quos cū vidisset,* agnouit Deū eos misisse ad cōsolationē terroris, qui sibi imminebat ex occursu fratris inimici & *ait: Castra Dei sunt hæc,* quæ Dominus Deus exercituū ad me misit, vt eis comitatus non metuā fratrē meū Esau, securus eorū auxilio; *& appellauit nomen loci illius* vbi Angeli occurrerūt *Mahanaim idest, Castra. Misit autē & nūcios ante se ad Esau fratrē suū in terrā Seir in regione Edō,* cogitans de recōciliatione fraterna *præcepitq; eis dicens: Sic loquimini domino meo Esau,* quē honore præuenire opto: *Hæc dicit frater tuus Iacob: Apud Labā peregrinatus sum, & fui vsque in præsentē diē,* nullatenus attingēs hereditatem paternam. *Habeo* nihilominus plurima nēpe *boues, & asinos, & oues, & seruos, & ancillas,* quæ proprio labore & diligentia absq; alicuius prorsus iniuria adquisiui: *mittoq; nūc legationē ad dominū meū,* quærēs, & ambiēs amicitiā suā, *vt inueniā gratiā in conspectu tuo,* & sim tibi gratus. Quāuis enim Iacob se Angelorū agminibus munitum esse conspexisset, certoque sciret in itinere fœliciter progressurū, cæterum ne Deū tentare videretur humilitate, ofūcijs, ac muneribus emere conatus est dilectionē fraternā. Obquā causam nuntios cū prædicta legatione ad fratrem misit. *Reuersiq; sunt nūncij ad Iacob dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum,* & nescimus an bono, vel malo animo nos exceperit, ac dimiserit; tātū scimus, quòd *ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris. Timuit Iacob valde:* quamuis enim verisimile esset bo- B.

na in-

na intentione & fraterna dilectione permo
tum Esau, post tot annos ab exilio redeū-
tē fratrē amicè velle amplecti, etenim nun-
tij nihil duri renūciarūt, neq; vt præcaue-
ret sibi Iacob hortati sunt, ac etiā credibile
esset tot viros voluisse assumere secū Esau,
vt suā fratri ostentaret potentiā & faculta-
tē, suāque benedictionē non fuisse illi va-
cuā. Cōscius tamē Iacob eorū, quæ aduer-
sum illū fecerat, vehemēter timuit nuntio-
rū verbis ignorans, quò tenderet occursus
fratris cū tanta multitudine: *& perterritus*
diuisit populū, qui secū erat, greges quoque,
I. *&, idest, oues, & boues, & camelos in duas*
turmas, humano & solerti vtens consilio, ac
dicēs: Si venerit Esau ad vnā turmā, & per-
cusserit eā, alia turma, quæ reliqua est, salua
bitur: & forte istis tot adhibitis cautelis in
parte euadere potero. *Dixitq; Iacob* ad Do-
minū fortissimis se orationū armis muniēs:
C. *Deus patris mei Abraham, & Deus patris*
mei Isaac, quē illi plurimis meritis, ac stu-
diosis operibus colūt, & venerantur: *Domi*
ne qui dixisti mihi, reuertere in terrā tuā,
& in locū natiuitatis tuæ, & benefaciā tibi,
immēsam nō solū parētū meorū, sed & mei
ipsius prouidētiā, ac gubernationē te habe
re ostēdēs, fateor Domine quod *minor sum*, &
indignus *cunctis miserationibus tuis*, & be
neficijs hactenus mihi misericorditer impē
sis: *& veritate tua, quā* adimplēdo promis-
sa *expleuisti seruo tuo*: operū nāque tuorum
exhibitione, quæ sunt misericordia & veri-
tas fateor me indignū: hoc tamē pro me ha
beo quod agnosco, & recolo illa. *In baculo*
II. *meo*, & cū tanta inopia, vt nihil amplius
præter eū haberē, *transiui Iordanē istū*, quē
ex eminētia huius montis post campestria
Moab cōspicio, *& nūc* in magna opulentia
nēpe *cū duabus turmis*, in quas populum &
greges meos diuisi, *regredior* ex Mesopota
mia in terrā natiuitatis meæ. *Erue me* igitur
Domine *de manu fratris mei Esau, quia val*
de eū timeo, ne forte veniens percutiat non
solū me, qui ei valde sum infensus, sed etiā
matrē, seu matres *cū filijs*, si enim ego & il-
li interfecti fuerimus, nequaquā adimplebū
tur pollicitationes tuæ. *Tu locutus es, quòd*
benefaceres mihi, & dilatares semen meū,
sicut arenā maris, quæ præ multitudine nume
rari nō potest, vnde nō meis meritis sed ad
verificādū diuina verba, obsecro Domine,
vt eruas me de imminēti periculo, pro qua
re tam feruēter oro, quia scio prædestina-
tionis ac prouidentiæ tuæ effectus orando
plerūque esse obtinendos. *Cūque dormisset* D.
ibi nocte illa, vt nihil omitteret eorū, quæ
rationabiliter pro euadendo periculo fieri
poterāt, antequā abiret dormitū *separauit*
de his quæ habebat, munera Esau fratri suo,
diligēter inspiciēdo, si cōuenirēt ac digna
essent pro munere destinādo, *capras ducen-*
tas, hircos viginti, oues ducētas, & arietes
viginti, camelos fœtas, seu lactātes *cū pullis*
suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros
viginti, asinas viginti, & pullos earū decē,
& misit per manus seruorum suorū singulos
seorsum greges, ita vt inter gregē vnius spe-
ciei & gregē alterius speciei esset interuallū;
dixitq; pueris suis gregū ductoribus: *Ante-*
cedite me, & sit spatiū inter gregē & gregē,
vt munera non solū multitudine, sed etiam E.
magnitudine placere valeant. *Et præcepit*
priori dicēs: Si obuiā habueris fratrē meum
Esau, & interrogauerit te, Cuius es? aut Quo
vadis? aut, Cuius sunt ista, quæ sequeris? res-
pōdebis ad primā interrogationē: Famulus
sum *serui tui Iacob*. Ad cæteras autē dices:
Munera misit Iacob *Domino meo Esau*, &
hæc sunt, quæ nos sequimur; *ipse quoq; post*
nos venit. Similiter dedit mādata secūdo, &
tertio, & cūctis, qui sequebātur greges dicēs,
Ijsdē verbis loquimini ad Esau cū inueneri-
tis eū. Et postquā responsum præbueritis
his, quæ vobis interrogauerit *addetis: Ipse*
quoq; seruus tuus Iacob iter nostrū insequi-
tur. Quæ omnia ea intētione fecit Iacob, vt
scilicet Esau ante esset muneribus recōcilia
tus, quā à fratre visus: *dixit enim* in corde
suo: *Placabo illū muneribus, quæ præcedunt,*
& postea videbo illū. Forsitā hac ratione *pro*
pitiabitur mihi, & cōmissa in se condonans
benignè me suscipiet. *Præcesserunt itaq; mu*
nera ante eū, ipse verò māsit nocte illa in ca
stris, seu in loco illo, quē appellauerat Ca-
stra, eo quod ibi vidisset castra Dei. *Cumq;* F.
manè surrexisset, antequā dies lucesceret,
tulit duas vxores suas, & totidē famulas
cum vndecim filijs, ac reliquis familiaribus
suis, *& trāsiuit vadū Iaboc* fluminis cuius-
dā, quod vltra procedēs Iordani fluuio cō-
miscetur. *Traductisq; omnibus, quæ ad se perti*
nebāt, fecit vniuersos anteire, & ipse *māsit*
solus in loco, quem postea appellauit Pha-
nuel, vt commodius orationi vacaret, seque
& suos Deo cōmendaret perculsus timore
Esau. *Et ecce vir*, qui proculdubio Angelus
erat, ac personā filij Dei gerebat habēs figu
rā hominis, *luctabatur cū eo* ab hora antelu
cana *vsque manè*: vt enim misericors Deus

 formi-

formidinem ex anima Iacob eximeret, &
persuadēt eū, vt citra angorē fratri occurre
ret; hanc luctā sensibilē iniuit per Angelū.
Qui quidē Angelus *cum videret* per expe-
III. rientiā *quòd eū superare non posset*, 3 quia
nō decebat vti maiori mēsura viriū, quam
quæ pro tūc dispositione diuina erat Ange
lo decreta, ne Iacob de hac victoria superbi
ret putans se Angelū omnino vicisse cū po
tius Angelus spontaneā de se victoriam illi
prębuisset, *tetigit neruū fœmoris eius* con
trectādo eā coxæ partē quæ est è regionē
alterius coxæ, intra quam partē coxæ erat
neruus iste, *& statim emarcuit*, vt maximā
ei⁹, cū quo luctabatur virtutē, in ea saltē re,
Iacob euidēter agnosceret. *Dixitque ad eū*
Dimitte me, iam enim ascendit aurora: ex
quo namque Angelus submiserat se Iacob
ex ordinatione diuina, maiores vires erāt in
Iacob ad detinendū, quā in Angelo ad eua-
dendū per corpus assumptū. *Respondit* Ia-
cob sentiēs magnitudinē colluctatoris, & q
Dei vices gerebat: *Non dimittā te nisi bene*
IIII. *dixeris mihi*. 4 Precibusq; ac lachrymis bē
nedictionē ab Angelo postulauit: cuius pe-
titioni Angelus cōsensit. *Ait ergo: Quod nō*
men est tibi? Nō quod Angelus illud igno-
raret, sed vt oratione cōgrua nomē ei mutā
G. dum indicaret. *Respondit: Iacob* est nomen
meū. *At ille: Nequaquā, inquit, Iacob appel*
labitur nomen tuū: tempus enim adueniet,
V. quādo iā non vocaberis Iacob, *sed Israel*, 5
hoc est, Princeps Dei, vel Princeps cum
Deo, *quoniā si contra Deū*, qui in Angelo te
cū luctatus est, *fortis fuisti*, & quasi princi-
pē & dominatorē te exhibuisti, *quanto ma-*
gis contra homines præualebis? Ac proinde
non solū ipso Esau tibi in occursum veniē-
ti, & quē tantopere formidabas, sed etiam
cunctis alijs hominibus superior existes; cū
dignus nomine principis & dominatoris
cū Deo habearis. *Interrogauit eū Iacob*, vo
lēs proficere in cognitione rerū diuinarū:
Dic mihi quo appellaris nomine; vt nomi-
ne tuo proprio deinceps te inuocare & ho
norare valeā. *Respondit* Angelus in persona
Dei, quē repræsentabat: *Cur quæris nomen*
meū, cū id inquirere ad te nō pertineat. *Et*
benedixit ei in eodē loco, confortans ipsum
Iacob & expellēs ab eo fratris sui timorē;
qui eū quasi exanimē reddiderat. *Vocauitq́*
Iacob nomē loci illius Phanuel, hoc est, fa-
cies Dei *dicēs: vidi Deū*, nō in propria sub-
stātia, sed in forma, quæ ipsum natura inuisi
bilē repręsentabat, quale erat corpus ab An
gelo assumptū, quod corpus cōtēplatus sum
facie ad faciē, & salua facta est anima mea:
quæ propemodū mortua erat præ timore
Esau: quoniā ex benedictione, quā mihi cō-
tulit Deus per Angelū à me visum, cor meū
conseruatū est. *Ortusq́ est ei statim Sol, post-*
quā transgressus est Phanuel: summo enim
mane luctatus est Iacob cū Angelo. *Ipse ve*
rò claudicabat pede, id Deo prouidente, ne
quod re vera gestū erat phātasiā fuisse exi
stimaret. *Quā ob causam* in memoriā tā in-
signis facinoris, quale fuit luctare cū Ange-
lo gerēte personā Dei, & in gratiarū actio-
nē pro benedictione tunc præstita Israeli,
non comedunt neruū filij Israel: neruum in
quā illū, qui similis est ei, *qui emarcuit in*
fœmore Iacob vsque in præsentē diē, eo quod
Angelus luctando cū Iacob, *tetigerit neruū*
fœmoris eius, qui erat intra fœmen coxæ,
& obstupuerit, manifeste indicans in eo ta-
ctu se virtute cœlesti esse præditum.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXII.

I. *Et pro id est.* GREGES quoque, & oues.] Coniunctio Et interdum est declaratiua particula significans idem quod, Idest, vt Matth. 13. Colligēt de regno eius omnia scandala, &, pro idest, eos qui faciunt iniquitatē. Et Rom. 2. Thesaurizas tibi iram in die iræ, & seu idest, iusti iudicij Dei. Et Coloss. 2. Videte nequis vos decipiat per philosophiam, & pro idest, inanem fallaciā. In quo sensu proculdubio debet intelligi coniunctio Et, quādo in præsenti loco facta mentione diuisionis gregum, quam fecerat Iacob, incipit scriptura sigillatim commemorare, quos greges Iacob diuiserit dicēs: Et oues, & boues, & camelos: coniunctio namque in priori loco posita per idest explicari debet.

II. *In idest, cum.* IN baculo meo.] Idest cum baculo meo: nullum comitem habui, cum Iordanem transiui præter baculū meū. Chaldæus: solus trāsiui Iordanem istum. Non enim est ab scripturæ consuetudine alienū In accipi pro cum; vt hic, & Osee 4. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestiā agri, & in volucre cœli; sed & pisces maris congregabuntur. Id est; simul cum bestia agri, & cum volucre cœli: vt verterūt septuaginta. Et 2. Petri 1. vos autē curā omnē subinferētes ministrate in fide vestra virtutem; in virtute autem scientiam; in scientia autem abstinētiam, & cætera. Hoc est: cum fide virtutem, cum virtute scientiam, cum scientia abstinentiam. Et Psal. 2. seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In Græco, & in Hebræo est: In timore & in tremore: & tamen Interpres non dubitauit vertere cum tremore.

SVPE.

III. *Non posse pro Nō decere.* SVPERARE non posset.] Plerunque in sacris literis dicitur aliquid fieri nō posse, quando iuxta decretū diuinæ ordinationis non est consentaneū rectæ rationi, nec decet id fieri: vt infra cap. 34. Dixerunt filij Iacob ad Sichem. Non possumus facere quod petitis; idest, non licet. Et Mar. 2. dicitur: Quanto tempore habent secum sponsum non possunt ieiunare. Quasi dicat, Non decet ieiunare. Et idem Euangelista cap. 6. vtitur eadem locutione dicēs: Et non poterat ibi virtutem vllam facere: quia nō conueniebat, vt Christus ea operaretur propter incredulitatem habitantium in Nazareth: vt docet Matth. cap. 13. Iuxta quem sensum intelligi debet locus iste, quando dicitur, quôd Angelus non poterat superare Iacob: quia non decebat vt Angelus vteretur omnibus suis viribus sibi posibilibus per naturam; sed eis dumtaxat, quas Deus decreuerat ad hoc, vt Iacob animosior redderetur.

IIII. NISI benedixeris mihi.] Quod lachrymis, ac precibus petierit Iacob benedictionem ab Angelo habetur expresse Osee cap. 12. vbi referens Propheta pietatem, qua erga Deum se gessisset Iacob in facto isto, inquit: Inualuit ad Angelū, & confortatus est, fleuit, & rogauit eū.

V. *Israel, id est, Princeps Dei.* SED Israel.] Ex ratione, quam hoc in loco subiungit Angelus ad mutandum nomen Iacob, manifeste colligitur significatio nominis Israel, videlicet vt nulla alia sit quâm princeps Dei, vel princeps cum Deo. Dicens enim Angelus: Nequaquam Iacob appellabitur nomē tuū, sed Israel; quoniam si contra Deum fortis fuisti quanto magis contra homines preualebis? idem significare voluit, vt placet D. Hieronymo in lib. de traditionibus Hebraicis super Genesim, ac si dixisset: Non vocabitur nomen tuū Iacob, sed princeps cum Deo; hoc est, Israel: quomodo enim ego princeps sum, sic & tu, qui mecū luctari potuisti, princeps eris: si autē mecū pugnare potuisti, quāto magis cū hominibus? Vnde quāuis pleriq; doctores antiqui existimēt Israel idē esse, quod vir vidēs Deū, aut mēs videns Deū, prout tenēt Philo in lib. de Abrahā, Origenes homil. 2. in Num. & in prologo super cātica cāticorū, Et tom. 11. in Matthæū, Eusebius in libro nominū Hebraicorū, Chrysost. hom. 14. in Ioan. & multi alij. Eos tamē illorū suppresis nominibus meritò impugnat D. Hieronym. in lib. præallegato, inquiēs: Quāuis grandis authoritatis sint eloquentiæ, & ipsorū vmbra nos opprimat, qui Israel virū siue mentē videntē Deum transtulerunt; nos magis scripturæ & Angeli, vel Dei, qui ipsum Israel vocauit, authoritate ducimur, quā cuiuslibet eloquentiæ secularis. Nec mirum videri debet alicui; quôd D. Hieronym. interpretationem, quā hic reijcit, alijs in locis sequatur, videlicet Isai. 1. & lib. 7. in eundem cap. 2, in fine, & super Os. cap. 12. in illud fugit Iacob, & in lib. nominum Hebraicorum: solet enim Hieronymus sæpe communes, aut receptas doctorum virorum sententias proponere lectori, quamuis ipse aliter sentiat, præsertim cum alio festinat, ne cogatur immorari impugnandis alijs, & confirmandis suis. Mutationem autem nominis Iacob in nomen Israel, quam hic promisit Angelus, postea executioni mandauit inferius cap. 35.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXIII.

¶ Diuisa familia Iacob in duas turmas, ipse vtramque præcessit, & primus fit obuiam fratri suo Esau, cui antequam appropinquaret septies reuerentiam intulit, deinde ab eo amplexatus amicè conuersati sunt. Regressoque Esau in Seir, Iacob venit in Sochot, ac postmodū transiuit in Salē vrbē Sichimorum, vbi emit agrū centū agnis, in quo fixit tabernacula, & erexit altare ad inuocādū Deū.

PARAPHRASIS IN CAP. XXXIII.

A. ELEVANS *autem Iacob oculos suos*, versus Idumeā, quæ superior terra est, quam illa per quā tunc tēporis transibat, *vidit venientē Esau, & cū eo quadringentos viros: diuisitque filios Liæ & Rachel, ambarumque famularū* in duas turmas, cuiq; matri suos filios cōmendans, *& posuit vtramque ancillā & liberos earū in principio*, nēpe in priore cuneo, *Liā, verò & filios eius in secundo loco*, & in eadem turma cū Rachel, ita tamen vt aliquantulū Lia cū filijs suis sororē præcederet; *Rachel autem & Ioseph nouissimos* 1. constituit, nēpe post Liam ac filios eius, quasi in loco digniori & honoratiori. *Et ipse progrediens* ante vtrūque gregem cæpit à remotis adorare Esau fratrem suū, exhibendo ei signa honoris & reuerentiæ quasi principi & magnati, & cum adorasset semel surrexit, paululumque progrediens adorauit secundo, ac denuo surgens, & parum procedens adorauit tertio: & hoc modo *adorauit pronus in terram*, vel curuando genua, vel totum corpus prosternendo, *septies donec appropinquaret frater eius*, vt tam frequenti

& magna humiliatione fratrē prouocaret ad
pietatem. *Currens itaque Esau obuiā fratri
suo*, neq; expectās appropinquationē fra-
tris solito gradu prior *amplexatus est eum,
stringensq́ collū eius, & osculans fleuit* præ
fraterna teneritudine: ex Dei enim ordina-
tione eius indignatio cōuersa est in pietatē.
Leuatisq́ oculis, quos prius in fratrem fixos
habebat, *vidit mulieres & paruulos earum*,
& in admirationē adductus ob tantā fami-
liæ abūdantiā, *ait: Quid sibi volūt isti* infan
B. tes? scire enim vellē, quinā sint, *& si ad te
pertinent? Respondit: Paruuli sunt, quos do-
nauit mihi Deus seruo tuo. Et appropinquan
tes ancillæ & filiæ earū incuruati sunt* hu
militer reuerētes Esau. *Accessitque quoque Lia
cum pueris suis, & cum similiter adorassent,
extremi, Ioseph* per gerulæ industriā incli-
natus, *& Rachel adorauerunt*. Excellenti ita
que humilitate sui & suorū, deuicit Iacob
fratrē suū Esau, ad quē etiā vt conuenien-
tius eum reconciliaret, munera præmise-
rat: expectabat autē scire, quidnā de eis mu
neribus factū esset. *Dixitque Esau: Quænam
sunt istæ turmæ* caprarū, hircorum, ouium,
arietum, camelorū, vaccarū, taurorū, & asi-
narū, *quas obuiam habui*? quāuis enim seruo
rū eas agentiū relatu didicerim tuas esse; sci
re tamen vellem quā ob causam mihi isthæc
miseris. *Respondit: Vt* non solū supplicatio-
nibus, sed etiā muneribus *inuenirem gratiā
II. coram Domino meo*, 2 & gratus tibi essem,
munera illa præmisi. *At ille ait: Habeo plu-
rima, frater mi*, & plusquā necessaria possi-
deo: *sint tua tibi*, tuæque familiæ serua. *Di-
xitque Iacob: Noli ita, obsecro: sed si inueni
gratiā in oculis tuis*, seu gratus tibi extiti,
III. *accipe munusculū* 3 *de manibus meis*, quod
exiguū æstimo respectu ingentiū bonorū
quæ tibi conferre vellē: *sic enim vidi faciē
tuā*, hyperbolice loquendo, *quasi viderim
IIII. vultum Dei*; 4 non quidē secundū æquali-
tatē, sed secundum aliqualē similitudinē: vi-
dens enim faciē tuā hilaris factus sum & læ
tus, pro vt hilaris quoque fierē, si viderem
C. faciē Dei: *esto mihi propitius, & cōplace* in
re, quā postulo, ac *suscipe benedictionē*, quā
nō quòd ea indigeas, sed ad te reuerendū &
venerandū, *attuli tibi, & quā donauit mihi
Deus* nō parce quidē & auarè, sed simul cū
ea *tribuens omnia*; ita vt nihil amplius in vi
ta mortali desiderare valeā. *Vix fratre cōpel
lente, suscipiēs, ait: Gradiamur simul, eroque
socius itineris tui*, exhibeboque vltra con-
ductū quidē, colloquiū quoque, ac solatium
& officiū. *Dixitq́ Iacob*, causatus honestum
prætextū: *Nosti domine mi, quòd paruulos
habeā teneros, & oues, & boues fœtas mecū*,
nō valētes nisi lētè & pedetētim progredi:
quas si plus in ambulādo fecero laborare, nō
solū prima die laborādo exhaustæ posteris
cessare cogētur, sed etiā *morientur vna die
cuncti greges*, eo quod nondū adoleuerint,
ad iter. *Præcedat dominus meus ante seruū
suū*, quādoquidē impedimētis caret puero-
rū, & mulierū, *& ego sequar paulatim vesti
gia eius*, vt cōmodius potero, & *sicut vide-
ro paruulos meos posse donec veniā ad domi
nū meū in Seir*. Nec tamē postea peruenit
Iacob in Seir: quāuis enim forte veraci ani-
mo promiserit illuc tēdere, sed aliud postea
cogitādo delegit. *Respondit Esau*, volēs fra-
trē magno honore afficere eidēque officiū
impēdere: *Oro te, vt de populo, qui mecū est,
saltē socij remaneāt via tua*, qui te condu-
cāt, sintq; solatio & auxilio, dū fuerit opus.
Non est (inquit) *necesse*, vt hāc pro me feras
molestiā, *hoc vno tātū indigeo, vt* sicut mo
do, ita & in posterū *inueniā gratiā in cōspe
ctu tuo domine mi*: si hoc assequutus fuero,
nihil aliud mihi curæ est; affectus namque
præferri debet officijs. *Reuersus est itaque
illo die Esau*, & cœpit regredi *itinere quo
venerat in Seir*: quo tamē eo die peruenire
nequiuit. *Et Iacob venit in Socoth*, locū quē D.
dam sitū trans Iordanē in parte Scythopo
leos; *vbi ædificata domo* in signū fidei, quā
præstabat promissioni sibi factæ de eo, quod
possessurus esset terrā illā, *& fixis tētorijs*
ac tugurijs, seu caulis pro pecoribus suis,
*appellauit nomen loci illius Socoth, idest, ta
bernacula*; indicans nondū perpetuā sibi in
terra illa habitationē concessam. *Transiuitq́
in Salē* postea vocatam Sichē, & tandē Si-
char, *vrbē Sichimorum, quæ est in terra Cha
naā* in regione Samariæ, ad quā peruenit Ia
cob Iordāne transuadato, *postquam reuersus
est de Mesopotamia Syriæ, & habitauit iux-
ta oppidū* Salem in agris, quæ erant extra
ciuitatē. *Emitque partē agri, in qua fixerat
tabernacula à filijs Hemor patris Sichem* 5 V.
Heuæis pretio monetæ argēteæ, quæ tunc
erat in vsu videlicet *centū agnis*, 6 inten- VI.
dēs diutius in ea regione cōmorari. *Et erecto
ibi altari*, in eo nēpe loco, in quo aliud alta-
re cōstruxerat Abraham, quando de Meso-
potamia primo venit in terram Chanaan,
*inuocauit super illud fortissimum Deum
Israel*; tum sacrificia offerendo, tum etiam
eius nomini altare dicando.

ANNO-

ANNOTATIONES IN CAP. XXXIII.

I. *Nouissimum pro eo quod post aliũ sequitur*

ET Ioseph nouissimos.]Ex hoc loco aperte conuincitur quidnam interpres vulgatus intelligat per dictionẽ nouissime hic &alibi plu ries: non tam enim per hanc vocem significatur id post quod nõ succedit aliud, quã id quod succedit post aliud. Quod patet ex dictione Hebraica Aharonim bis hic posita, quam interpres plerunque transfert per nouissimũ: vt quãdo ait; Rachel autẽ & Ioseph nouissimos. Interdum verò per postea vel per aliquid æquiualẽs: vt quando dicitur de Lia: Liam verò & filios eius in secundo loco: vbi in Hebræo etiam ponitur Aharonim, quasi scriptũ esset. Liam verò & filios eius postea vel nouissimos. Quamuis igitur in editione vulgata reperiatur vox nouissime, non proinde sequitur intelligi debere id quod omnino est postremũ, sed satis erit intelligere id, quod post aliud sequitur. Quod oportet animaduertere pro locis, in quibus loquens scriptura de aduẽtu Christi Domini, vtitur hac voce nouissime: vt Isai.9. Danielis.2. Mich.4. Matth.21.& alibi sæpe. In eis enim debet accipi pro postea. Vnde D. Petrus Actorũ 2. refert prophetiã Ioelis ca.2. per hæc verba: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundã de spiritu meo super omnẽ terrã. Cũ tamẽ in propheta ipso sic legatur: Et erit post hæc & effundam de spiritu meo super omnem carnem.

II. *Prudentia Iacob.*

COram domino meo.] Non imprudenter fatetur Iacob, quam ob causam illi tot tantaque munera præmiserit. Si quidem homines animo elato vehementer ambiunt tum supplicationibus, tum muneribus apertẽ secum agi: gaudent publicis quibusuis honoribus, tanquam manifestis, certissimisque suæ ipsorum præstantiæ atque potestatis testimonijs: ac subinde talibus oblectati, captique multo facilius placantur, & fiunt clementiores. Quod autem non dixit, coram te, sed coram domino meo Emphatice locutus est: loco enim pronominis vsus est nomine excellentiam denotante. Id quod fecit haud parum prudenter apud hominem adhuc imperium sibi arrogantem.

III. *Munusculum quid.*

MVnusculum.] Pro Munusculum in Hebræo est Minhhathi, id est, munus meum quod interpres sensum potius, quam verba secutus, forma diminutiua expressit: quõdam Iacob non tanquam opibus abundantior, & ipso Esau locupletior, illi, ceu pauperi, & indigenti, munera tribuere prætendebat: sed tanquam inferior, quod illud esset irritantis, hoc autem placantis. Et re vera Minhha Hebræis munus est illud, quod superioribus vel Deo vel homini in eorũ excellentiæ testimoniũ offertur: ac proinde debuit eius significatio nomine diminutiuo designari.

IIII. *Quadruplex cõparatio vultus Esau cũ vultu Dei.*

QVasi viderim vultum Dei.] Nullatenus ferendi sunt, qui existimant Iacob, hoc in loco, perturbatum & vehementi fratris timore consternatum, in cuiusdam adulationis crimen his verbis prorupisse: sancti enim, qui tanquam virtutum exemplaria in scriptura nobis proponuntur, ab omni peccati labe (si verborum sensus permittat) defendi debent: verba autem hoc in loco à Iacob prolata, quadruplicẽ verissimũ sensum obtinere valent. Primus est, vt intelligantur hyperbolicè: neque enim aliena est a sacris literis hyperbolica locutio, cum ad res opinione maiores explicandas, valde vtilis sit: & apertẽ vtitur scriptura infra cap.41. vbi loquẽs de abundantia tritici, quæ certo quodam tempore contigit in AEgypto, ait: Tantaque fuit abũdantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet. Secundus sensus est, qui obseruari solet in comparationibus: hæ namque non semper intelligi debent secũdũm æqualitatem, sed secundũ aliquã similitudinẽ. Iuxta quẽ modũ intelligitur illud Matt.5. Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Et Ioann.17. Pater serua eos in nomine tuo, vt sint vnũ, sicut & nos. Et hos duos sensus, vt verisimiliores, amplexati sumus in paraphrasi: vltra quos est tertius sensus, vt voce Dei, nõ intelligatur verus Deus, sed Deus tantum participatiuẽ, prout Angeli, & hi, quibus dicitur in Psal.81. Ego dixi, dij estis. Et Moyses dictus est Deus Pharaonis, Exod.7. De quibus loquitur D.Paul.1.Corin.8. Sũt qui dicãtur dij, siue in cœlo, siue in terra, siquidẽ sunt dij multi, & domini multi. Ad hũc ergo modũ potest intelligi locutũ fuisse Iacob de vultu Dei, cui cõparauit faciẽ Esau, maximẽ quia sine articulo in Græco ponitur à LXX, quo articulo euidẽtissime solet Dei veri vnius fieri significatio. Vltimus horũ verborũ sensus esse potest, vt per vultũ Dei voluerit signicare Iacob generositatẽ & excellentiã faciei Esau, eo loquẽdi modo, quo in sacris literis quod illustre est diuinũ dicitur: vt mons Dei, fluuius Dei, paradisus Dei. Hi duo posteriores sensus discrepãt à prioribus, quòd per hęc verba Quasi viderim vultum Dei in posterioribus sensibus non significatur clara Dei visio, bene tamen iuxta priores sensus.

A Filijs Hemor patris Sichẽ.] Ob quã causam Hemor qui hic dicitur pater Sichẽ, vocatur à D.Stephano Actor.7, filius Sichem, dicemus in annotationibus super idem caput.7. V.

VI. *Agna, vel ouis est genus moneta argẽtea.*

CEntũ agnis.] Agna vel ouis monetæ genus quoddã est Hebraice dictum Kesita, quod vsq; hodie perseuerat in Arabia retinẽs nomen Kesita: vnde aliqui trãstulerũt locũ istũ pro cẽtũ agnis legẽtes centũ denarijs, vel centũ probatis nummis. Obtinuit autẽ moneta ista nomẽ Agnæ propter imaginẽ ouis in ea depictã prout in Lusitania est quædã moneta dicta Cruciata ob crucẽ in ea depictã. Quòd verò per cẽtũ agnas quarũ hic fit mentio debeat intelligi pretiũ aliquod argẽteũ aperte colligitur ex verbis D. Stephani, Actor.cap.7. vbi loquens de isto agro inquit: positi sunt in sepulchro, quod emit Abrahã, hoc est nepos Abrahã precio argenti à filijs Hemor. Nõ dixit cõmutatione animaliũ, sed precio argẽti emptũ fuisse agrũ, vbi postea cõstrũctũ fuit sepulchrũ Patriarcharũ. Cęterũ quia lo

sue c. vlti. hoc ipsum quod hic dicitur de ouib⁹, apertius repetitur, sic enim habetur: Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant filij Israel de AEgypto sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus: vt hæc cum sententia D. Stephani proprius consonent, possemus dicere Iacobum vendidisse aliquibus pastoribus centum agnas, & illarum pretium contulisse pro agro illo filijs Hemor, qui more magnarum fortè magis curabant de pecunia, quàm de pecoribus. Asserere enim illo in tempore rerum dominia non nisi commutatione vnius rei pro alia fieri solita dissonat, ab eo quod supra cap. 23. refertur Abrahã emisse speluncã duplicẽ quadringentis siclis argenti probatæ monetæ.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXIIII.

¶ Sichem filius Hemor vi oppressit Dinam filiã Iacob, quo facto postulauit eam in vxorem, cui tamen filij Iacob responderunt in dolo nequaquam illam sibi daturos, nisi vniuersi Sichimitæ circũciderentur: acquiescentibus huic placito Sichimitis postquam cũcti viri fuerunt circuncisi quando grauissimus in eis dolor erat, nempe die tertio, Simeon & Leui fratres Dinæ vna cum alijs filijs Iacob ingressi vrbem Sichem depopulati sunt eam, Sichem autem ac reliquos masculos necauerunt in vltionem stupri.

PARAPHRASIS IN CAP. XXXIIII.

EGRESSA *est autem* post plures dies quibus Iacob prope Salem inhabitauerat, *Dina filia* † *Liæ* nondum experta improbitates hominũ, *vt videret mulieres regionis illius* adducta curiositate intuendi habitum & mores earum: *Quam cum vidisset Sichem filius Hemor* de stirpe ac progenie *Heuæi* filij Chanaan filij Cham filij Noe essetque Sichem *princeps* scilicet filius regis *terræ illius, adamauit eam* illicito ac turpi amore *& rapuit* in domum suam *& dormiuit cum illa*, eam carnaliter cognoscens atque *vi opprimens virginem* ita vt non nudam committeret fornicationẽ sed raptum & stuprum. *Et conglutinata est anima eius cum ea*: nimis namque ardenter & inordinatè eam dilexit *tristemque deliniuit blanditijs*: nam talia locutus est ei verba qualia satis fuerunt ad conciliandum sibi animum puellæ. *Et pergens* Sichem retẽta apud se Dina post stuprum cõmissum *ad Hemor patrem suum*, quo patris voluntate ac potentia abuteretur ad suam concupiscentiam, *Accipe (inquit) mihi puellam hanc coniugem. Quod cum audisset Iacob* cõtaminasse videlicet, siue profanasse Sichẽ Dinam filiam suam, idque sciuisset *absentibus filijs & in pastu pecorũ occupatis* nõ tumultuatus est nec furia inebriatus, sed *filiis donec redirent* dissimulãdo prudẽter quod pro tũc nõ poterat emẽdare. *Egresso autem Hemor patre Sichẽ* de domo sua vbi Dina asseruata tenebatur & abiret, *vt loqueretur ad Iacob* in tabernaculis, in quibus extra vrbẽ morabatur, *ecce filij eius veniebant de agro, auditoque quod acciderat, irati sunt valde*, idque iure optimo nẽpe *eo quod fœdã rem operatus esset*, nõ contra quẽcũque hominẽ, sed quod peius erat *in Israel* in hominẽ scilicet dignũ cõnumerari inter principes summi Dei *& violata filia Iacob rem illicitã perpetrasset*, quapropter vindictam quã rationabiliter cũ superiorẽ in terris nõ haberẽt exigere poterãt ab illa hora excogitauerũt. *Locutus est itaq; Hemor ad eos, Sichẽ filij mei adhæsit anima filiæ vestræ* per ingẽtẽ ac vehemẽtissimũ volũtatis affectũ idcirco *date eã illi vxorẽ, & iungamus vicissim cõnubia; filias vestras*, quæ natæ sunt vel in posterũ nascẽtur *tradite nobis & filias nostras accipite & habitate nobiscum: Terra in potestate vestra est, exercete* circa eã quascũque actiones volueritis, *negotiamini & possidete eã* si id quod petimus facere disponitis. *Sed & Sichẽ* quod suũ erat, obtulit: nã *ad patrẽ & ad fratres eius* videlicet Dinæ ait, *Inueniã gratiã coram vobis & quod postulo facere volueritis quæcunque statueritis dabo: augete dotem*: nã & si moris sit vt tradentes filias nuptui dotes parent nubentibus, ego tamen modo hanc habeam vxorem dotem ei volo constituere, quin imò quantamcunque dotem multipli-

† *De pænitentia dist. 5. c. 1. ante finẽ.*

A.

B.

tiplicare volueritis soluam, imo vltra dotem, *& munera postulate*, seu xenia quæcumque *& libenter tribuam quod petieritis, tantum date mihi puellam hanc vxorem: Responderunt filij Iacob, Sichem & patri eius in dolo*, non quidem mortali, sed veniali, meditabantur namque vindictam, quam iuste sumere intendebant *sevientes ob stuprum sororis. Non possumus*, nec licitū est nobis *facere, quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircunciso, quod illicitum, & nefarium est apud nos.* 1 Decreta enim à Deo Abrahæ circuncisione masculorum, decretum simul est vt fœminæ generis Abrahæ non nubant, nisi circūcisis. *Sed in hoc valebimus* absque crimine *fœderari, si volueritis esse similes nostri; & circuncidatur in vobis omne masculini sexus:* quod si feceritis: *tunc dabimus, & accipiemus mutuo filias vestras ac nostras; & habitabimus vobiscum, erimusque vnus populus. Si autem circuncidi nolueritis, tollemus filiam nostram.* Si dare eam nobis volueritis, quam, quia & ex patris nomine loquimur, filiam vocamus, *& recedemus.* Hęc dixerunt filij Iacob, non vt proselytos ad salutem facerent Sichimitas, sed vt securos pariter & saucios tertia die, quando naturaliter vulnerum grauissimus dolor est, imparatos facilius occiderent iustamque vindictam exercerent, ac sororem recuperarēt. *Placuit oblatio eorū Hemor & Sichē filio eius*, & consensum ei præstiterūt. *Nec distulit adolescens, quin statim quod petebatur* nempe vt semetipsum patrem omnemque populum circunciderct *expleret: amabat enim puellam valde*, ac totum se in eius amorem effuderat, *& ipse* præterea Sichē *erat inclytus* & honorabilior præ cunctis alijs *in omni domo patris sui*, ac proinde facile potuit cæteros omnes ad circuncisionem inducere. *Ingressique* Hemor & Sichem *portam vrbis*, in portis namque antiquitus prætoria erant, *locuti sunt ad populum. Viri isti* Hebræi qui habitant in tabernaculis prope vrbem *pacifici sunt & volunt habitare nobiscum; negocientur in terra* pascuis pecorum intendendo *& exerceant* colendo & seminando *eam quæ* cum sit *spatiosa & lata cultoribus indiget*, sicque ex vsura terræ commoda multa consequi poterimus si eam hominibus istis colendam dederimus. *Filias eorum*, præterea quæ eleganti sunt forma *accipiemus vxores, & nostras illis dabimus* generosque tam insigni prudentia præditos, quales isti sunt ad magnum Reipublicæ nostrę commodum semper habebimus. *Vnum est* & id quidem satis facile, *quo differtur tantum bonum* videlicet circuncisionis assumptio, nam *si circuncidamus masculos nostros ritū gentis imitantes*, vt per hanc illorum nos obseruationibus & ceremonijs conformemus. *Et substantia eorum & pecora, & cūcta quæ possident nostra erunt* ob societatem & vnionem, quam nobiscum contrahent. *Tantum in hoc* facto circuncisionis, *acquiescamus & habitantes simul vnum efficiamus populum* per eiusdem ritus obseruantiam per mutuam virorum & mulierum copulam per cognationis & affinitatis vinculum & tandem per bonorum omnium communicationem & participationem. *Assensique sunt omnes* habitantes intra Mænia ciuitatis & obedierunt principibus suis, *circuncisis cunctis maribus.* Non itaque pro Dei amore & cultu circūcisionis Sacramentum assumpserunt, sed abusi sunt ad prætextum propriam explēdi libidinem, ac nocendi peregrinis ac fruēdi eorum substantia. *Et ecce die tertio*, ex quo omnes simul habitatores vrbis Salem circuncisionis signum in corpore acceperunt, *quando grauissimus vulnerum dolor est*, & cum hi, qui prouectioris, seu virilis ætatis erant, in lectulis non sine cruciatu magno recumbebant *arreptis duo filij Iacob Simeon & Leui* 2 *fratres* vterini *Dinæ gladijs*, ne exemplum posteris relinquerent parum curatæ castitatis, *ingressi sunt vrbem* cum sufficienti numero armatorum *confidenter* ob zelum sanctū quod habebant; *interfectisq; omnibus masculis* iam adultis, *Hemor & Sichem pariter necauerunt tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam*, quam forte extrahere, vel malefactores punire non potuissent, nisi vniuersos habitatores vrbis filij Iacob interfecissent. *Quibus egressis* de domo Sichem, vt Dinam ad patrem reducerent *irruerunt super occisos cæteri filij Iacob* vna cum ipsis Simeon & Leui *& depopulati*, seu deprædati *sunt vrbem in vltionem stupri*, in quod omnes ciues consenserant, saltem interpretatiuè fauentes stupratori. *Oues, eorum*, ob hanc causam filij Iacob iure optimo, *& armenta, & asinos cunctaque vastantes quæ in domibus & in agris erant paruulos quoque eorum, & vxores duxerunt captiuas*, vtentes per omnia iure legi-

Margin notes: I. C. D. II.

legitimo iusti belli, *Quibus perpetratis audacter Iacob*, ostendens causam mæroris, quo ob tantam vindictam affectus fuit, *dixit ad Simeon & Leui. Turbastis*, seu inquietastis *me & odiosum fecistis me Chananæis*
II. *† & Pherezæis habitatoribus terræ huius*, ob amicitiam & maximam propinquitatem, quam habebant cum Euæis quos interfecistis. *Nos pauci sumus*, comparatione eorum, qui in nos consurgent: *illi congregati* ex multis ciuitatibus *percutient me & delebor ego, & domus mea*, facile enim nos pati facient eadem quibus vobis Sichimitas afficere placuit. *Responderunt: Nunquid vt scorto abuti debuere sorore nostra*, ita vt tam impune accedere licuerit ad eã ac si soror nostra meretrix esset? Nulla prorsus ratione hoc permittendum erat.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXXIIII.

I. *Illicitũ, & nefarium differunt.*

ILLICITVM Et nefarium est apud nos.] Omne nefarium est illicitum, sed nõ omne illicitum censetur nefarium, grauius enim aliquid sonat nefarium, quam illicitum. Est namque illicitum mendacium, nimius ornatus, concitatior ira animus, & impudicus aspectus. Nefanda scelera sunt homicidium, patriæ proditio hæresis, idololatria, virginis præsertim inuitæ constupratio Sed quæres, quo iure illicitum erat, atque nefarium locare puellam homini incircunciso? Respondeo quod iure positiuo fuit Hebræis prohibitum eiusmodi coniugium. Lege enim de circuncisione Abrahæ data intelligitur cõnubium Hebræarum fœminarum cum viris incircuncisis vetitum fecisse. Imo & iure quoque naturali coniugium fidelis cum infideli iniquum est. Vnde Paulus. 2. Corin. 6. Nolite, inquit iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli. Beatus quoque Ambrosius in Epistolis hanc rem, vtpote maximè detestabilem multis sceleribus anteponit, inquiens: Prope nihil grauius quam copulari alienigenæ, vbi libidinis & discordiæ incentiua & sacrilegij flagitia conflantur.

II. *Sub nomine pricipũ cõprehẽdũtur, inferiores.*

SImeon & Leui.] Frequens vsus est in sacris literis per personam, quæ insignior est eam etiam intelligere, quæ minus nota est, vt docet Euthimius Matth. 8. Cumque sentire videtur D. Hieron. q. 4. ad Hebibiam, & Theoph. Ioa. 1. Ob quam causam Genes. 8. vbi dicitur: Recordatus autem Dominus Noe, cunctorumque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, solum fit mentio Noe, nõ autem filiorum eius, & mulierum quia in commemoratione dignioris reliqui subintelliguntur. Hinc colligit D. Aug. li. 1. qq. super Genes. q. 107. in eo quod dicitur Simeon & Leui. Sichimitas interfecisse subintelligi secum multam familiarium & fratrum habuisse societatẽ soli tamen Simeon & Leui commemorantur, quia hi principes atque autores extiterunt eiusmodi facti, eo quod ipsi præ cæteris violatæ sororis vterinæ vicem doluerunt aliosque fratres ad vltionem pro tam graui flagitio de improbo iuuene sumendam concitauerunt.

III. *Filij Iacob licite occiderũt Sichimitas.*

TVrbastis me.] Ex his verbis non incommode colligit Burgensis super hunc locũ nullam prorsus iniustitiam commisisse filios Iacob in Sichimitas in eo quod eos interfecerunt, & vrbem eorum deprędati sunt quãdo quidem Iacob dumtaxat redarguit filios suos propterea quod posuerũt ipsum & familiã eius in graui mortis periculo. Vbi videtur insinuari quod si familia Iacob fuisset in tãto numero vt verisimiliter potuisset aduersarijs resistere Iacob non improbasset factum filiorum neq; illos increpasset, quod certè facere non desijsset si opus illorum iniustitiam contineret. Cæterũ quidquid sit de sufficientia iudicij cui innititur assertio Burgẽsis proculdubio assertio ipsa certissima est, qua vastatio vrbis Salem excusatur ab iniustitia in ea enim vastatione conditiones iusti belli interuenerunt: quæ scilicet præscribuntur a D. Aug. lib. 83. qq. q. 10. Vbi ait. Iusta bella solent difiniri quæ vlciscuntur iniurias si gens, vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit quæ à suis improbe factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est. Quæ omnia concurrerunt in depopulatione Salem, quam exercuerunt filij Iacob: cum enim non haberent superiorem in cuius iudicio exigere possent vindictam à Sichimitis, qui fauorem præstabant principi suo in raptu & stupro Dinæ, licite hi, qui iniuriam patiebantur, potuerunt aduersarios debellare, ac vi & armis Sororem suã ab eorum potestate extrahere. Vnde sancta vidua Iudith facinus istud cõmendans ait Iudith ca. 9. Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti ei gladium in defensionem alienigenarũ, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt fæmur virginis in confusionem, & dedisti mulieres eorũ in prędam, & filias eorũ in captiuitatem, & omnem prędam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelũ tuum, subueni, quæso te Domine Deus meus, mihi viduæ. Nec tamen ex hoc sequitur, quod in dolo illo, quem fecerunt filij Israel, quando induxerunt Sichimitas ad circuncisionem, nõ peccauerint, fuit enim verè & propriè mendacium & fraus. Cęterum, quia mendacium illud fuit officiosum non aliter se habens, quã si quis ad recuperandum res suas sibi furto sublatas falleret latronem, idcirco non fuit peccatum mortale, sed dumtaxat veniale.

ARGV-

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXV

¶ *Tendit Iacob de Sichem in Bethel infossis prius idolis domesticorum suorum subter terebinthum. Mortua autem Debora in radice montis Bethel, & sepulta, iterum apparuit Deus Iacob in Luza; eique nomen imposuit Israel, & magna atquè ingentia bona promisit. Post quæ natus est Benjamin cuius mater Rachel, ob difficultatem partus mortua est: pater verò in Turrem gregis secedens graui iniuria afficitur à Ruben, ob rem habitam cum Bala concubina Iacob. Moritur tandem Isaac, & eius sepulturæ Esau & Jacob astiterunt.*

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXV.

A. INterea cum hæc, quæ prædicta sunt gerebantur, *locutus est Deus ad Iacob*, vt cōsolaretur eum à mœrore, in quo erat dicens. *Surge, & ascende Bethel, & habita ibi*, quando quidem times habitare in Sichem, *facque altare Deo*, de quo quasi de alia persona loquor, quia plures sumus in diuinis personæ: cæterum quia omnes in deitate cōuenimus, idem erit facere altare mihi, ac illud construere Deo, † *qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum*, vt per constructionem eiusmodi altaris illi gratias de reditu tuo in terram istam referas. *Iacob verò* sciens, quòd multa erāt simulacra idolorū inter domesticos suos, præcipuè ex noua præda Salem, *conuocata omni domo sua*, cum his quoque, qui captiui tenebātur *ait: Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt*, seu possidentur à vobis, *& mundamini*, per virtutem pœnitentiæ, tā à peccato idololatriæ, quàm à reliquis criminibus, *ac mutate vestimenta vestra* in signum nouæ vitæ, & conuersationis. *Surgite, &* qui hactenus prostrati iacuimus, atquè oscitāter Deum coluimus, *ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ*: quando fugiebam fratrē meū Esau: tunc enim non solū consolationem immisit, sed *& socius fuit itineris mei*, actus meos, studia, atq; conatus dirigens. *Dederūt ergo ei omnes deos alienos*: quas colunt gentes, quæ à fidelibus religione, moribus, & habitatione alienæ sunt, & quas ipsi domestici Iacob in facultatibus suis *habebant & inaures, quæ* prius extiterant phylacteria deorum alienorū, indeq; sublatis à domesticis Iacob, se eis ornabāt *& erant in auribus eorum*, quas similiter Iacob tradiderūt: vt plenè mūdarentur ab ijs quæ idolorū erant. *At ille infodit ea*, tam scilicet simulacra, quā inaures *subter Terebinthum, quæ est post vrbē Sichē* nolēs ea fundere, ne quidpiā idolorū, etiā ad alios vsus apud ipsos remaneret. *Cūq; profecti essent de Sichē versus Bethel, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates*, quæ cōglobatę conspirare intēdebant cōtra Iacob, *& non sunt ausi persequi recedentes*: Dominus enim est, qui malorū conatus restringit, & cū tentatione prouentum iustis facit. *Venit igitur Iacob Luzā, quæ est in terra Chanaā cognomento Bethel: ipse, & omnis populus cū eo*: domestici namq; eius iam in populū excreuerāt. *Ædificauitq; ibi altare*, ac sacrificia obtulit, sicut præceperat ei Dominus, & ipse se facturū promiserat, quādo eorū, quæ possederat, decimas Deo daturū vouerat. *Et appellauit nomē loci illius* Bethel hoc est, *Domus Dei*, ob eādē causam, ob quā iam antea hoc ipsum nomen eidē loco indiderat. *Ibi enim* † *apparuit ei Deus*, innixus scalæ stāti super terram, *cū fugeret fratrē suum*: propter quā Dei præsentiā nomen Domus Dei loco imposuerat. *Eodem tēpore* quo Iacob ex iussu Dei ascēdit in Bethel, *mortua est Debora nutrix Rebeccæ*, quę mortua Rebecca, cū qua venerat à Mesopotamia in terrā Chanaā, audiēs, q Iacob rediisset ex Mesopota. cū vxoribus, & habitaret in terra Chanaā, accesserat ad eū, cupiēs vitā ducere cū mulieribus Mesopotamię vxoribus Iacob: *& sepulta est ad radices Bethel subter quercū* in ipsa Vallis planitie: neque enim ascēderat Bethel, quia annosa nimis erat, & cum supellectili remāserat: *vocatūq; est nomen loci illius, Quercus fletus*, ob nimium

Marginalia: 1. — † Supra 28. c. 13 — B. — † Sup. 28 c. 18.

miũ luctuosam Deboræ exumationẽ. *Apparuit autẽ iterum Deus Iacob* in Bethel,
sub specie sensibili, *postquã reuersus est de*
Mesopotamia Syriæ, prout prius visus fuerat ei quãdo illuc tẽdebat. *benedixitq; ei*
† Su. 32. cõfirmans promissiones, quas quãdo abie-
f. 28. rat illi fecerat, *dicẽs.* † *Non vocaberis vltra*
Iacob, quasi hoc debeat esse præcipuũ tuũ
nomen, prout hucusq; fuit, *sed Israel erit*
nomen tuũ, propter causam quã pridem te
cũ luctando prædixi. *Et appellauit eum Is-*
I. *rael,* 1 exequẽdo id quod superius de mu-
tatione nominis promiserat. *Dixitque ei:*
Ego Deus omnipotens, vt potè qui nõ solũ
plurima bona tibi cõtuli, sed adhuc etiam
multo maiora promisi, *cresce & multipli-*
II. *care,* 2 hoc est, cresces est multiplicaberis:
nã *gentes & populi nationũ,* tam secundũ
carnẽ, quam secundũ spiritũ, & imitationẽ
fidei; *ex te erũt,* seu de tuo semine, ac de fi-
liorũ filijs: *reges* tũ Ierusalẽ, tum Samariæ,
de lumbis tuis egredientur per carnalẽ ge-
nerationẽ, quæ lũbis appropriari solet: *ter-*
rãq;, quam dedi Abrahã & Isaac, non vt
per se ipsos illã possiderent, sed vt propter
ius á me illis præstitũ posteri eorũ eiusmo
di terrã hereditarẽt, *dabo tibi, &* seu idest,
C. *semini tuo post te,* ita vt quę patribus tuis dedi
in spe exheredatis alijs filijs eorũ, tuis dum
taxat dabo in te. *Et recessit ab eo* Dominus
cessando apparere Iacob in specie visibili,
qua cũ eo loquebatur. *Ille vero erexit titu*
lũ lapideum in loco, quo locutus fuerat ei
Deus, pro signo & memoriali diuinæ sibi
factæ reuelationis, *libãs super eum,* ac offe-
rẽs Deo in sacrificiũ *libamina,* quædã de
liquidis materijs, puta vinũ, seu lac, *& effun*
des oleũ vocansque nomẽ loci illius Bethel:
in signũ enim gratitudinis suę rediẽs Iacob
de Mesopotamia ea omnia in Bethel cõfir
mauit, & renouauit, quæ abiẽs illuc pie, &
religiose fecerat. *Egressus autẽ inde venit*
III. *verno tẽpore,* 3 quãdo cibũ incipit dare tel
lus *ad terrã, quæ ducit Ephratã* versus locũ
vbi habitabat Isaac: *in qua cũ parturiret Ra-*
chel, ac in pariẽdi doloribus cõstituta esset
ob difficultate partus periclitari cœpit. Di-
xitq; ei obstetrix, ad aliquã illius cõsolatio
nem. *Noli timere, quia* licet te cruciẽt dolo
res veruntamẽ *& hũc habebis filium,* quod
mulieribus omnibus iucũdũ esse solet. *Egre*
diete autẽ anima præ dolore, & imminẽ-
te iã morte vocauit nomẽ filij sui Benoni, id
est filius doloris mei, ob ingẽtẽ dolorẽ, qui
puer in nascẽdo matri attulit. *Pater vero ap*
pellauit eum Bẽjamin, idest, filius dextræ,
ob cõstantiã & fortitudinẽ, qua omnia pa-
tiẽter ferre didicerat. † *Mortua est ergo Ra* † 13. q. 2
chel, & quia iuxta Domini voluntatẽ in via §. e cõtra
mortuã pius Iacob ibidẽ quoq; sepeliendã
credidit, idcirco *sepulta est in via, quæ di-*
cit Ephratã. Hæc est Bethlehẽ, & quinto mil
liario ab Ierusalẽ distat contra meridianam
plagã. *Erexitq; Iacob titulũ,* seu pyramidẽ
quandã ac lapidẽ eleuatũ, † *super sepulchrũ* † Infra
eius volẽs, vt mater tantę posteritatis in lo 48. b. 7.
co noto sepulta iaceret. *Hic est titulus,* &
insignis pyramidis *monumẽti Rachel,* quã
posuit Iacob & perdurat, *vsq; in præsentẽ*
diẽ, quo hęc á me literis mãdantur. *Egressus*
inde Iacob de loco vbi sepulta est Rachel,
fixit tabernaculũ † *trãs Turre gregis,* 4 pro † Infra
pe Bethlehẽ in loco Turris gregis vocato. 49. a. 1.
Cũque habitaret in illa regione abijt Rube IIII.
& qui seuerus extiterat in vindicãdo pec-
catũ Dinæ in grauius incidit scelus: nã *dor* D.
miuit cũ Bala concubina patris sui, & ancil
la Rachelis, iam mortuæ matreque Dan &
Nephtali filiorũ Iacob, *quod illũ minime*
latuit: nec tamẽ iustus statim filiũ puniuit,
vel quia naturali erga eũ fuit amore deuin-
ctus, vel ne pœna infligẽda potius iracun-
dię, quã rationi ascriberetur: cęterũ postea
cum ex hac vita emigraturus esset filio ob
eiusmodi crimẽ maledixit, vt & cæteri il-
lius exẽplo emendarẽtur. *Erãt autẽ filij Ia*
cob duodecim. Filij Liæ: primogenitus Rubẽ
& Simeõ, & Leui, & Iudas, & Isachar, &
Zabulõ: hos verò prius quã filios Rachel re
cẽsere oportet, quia seniores erãt. *Filij Ra*
chel Ioseph & Benjamin, qui omnes, quia
sequẽtibus honoratiores fuerũt, vt pote ex
vxoribus nati, pręinde procedere debẽt. *Fi*
lij Balæ ancillæ Rachelis, Dã & Nephthali:
seniores quidẽ quã sequentes. *Filij Zelphæ*
ancillæ Liæ, Gad, & Asser. Et hi quatuor le
gitimi quoq; erãt, quãuis ex vxoribus non
principalibus nati. *Hi sunt filij Iacob, qui*
nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ, saltẽ pro
maiori, ac pręcipua eorũ parte, excepto nã
que Bẽjamin reliqui in Mesopotamia nati
sunt. *Venit etiã* Iacob vno quodã tẽpore
post regressum de Mesopotamia *ad Isaac*
patrẽ suum adimplẽdo Dei præceptũ, quo
sibi fuerat imperatũ, vt reuerteretur ad ge-
nerationẽ suã: venit autẽ *in Mambre,* quę si
ta est iuxta *ciuitatẽ Arbee. Hæc est Hebrõ,*
in qua peregrinatus est Abrahã & Isaac,
ac de ea satis superq; in superioribus locuti
sumus. *Et cõpleti sunt dies Isaac centũ o-*
ctuaginta annorũ. Consumptusq; ætate mor
tuus est, cũ diu ante obitũ suũ cæcutiẽs, &
captus

captus oculis extitisset: *& appositus est populo suo,* tam ex parte corporis, quàm ex parte animæ: ex parte quidem corporis, quia tumulatus est in spelunca duplici cum Abraham & Sara parentibus suis: ex parte autem animæ, quia sanctarum animarum congregationi additus est: fuitque *senex, & plenus dierum,* ita vt plures habere dies nullatenus desideraret, *& sepelierunt eum Esau, & Iacob filij sui,* cum essent centū, & viginti annorū, nā sexagenarius erat Isaac quādo Esau & Iacob nati sunt; vnde obitū Isaac præueniēdo refero, ne eius narratio seriem sequentis historiæ interrumpat.

ANNOTATIONES IN CAPUT XXXV.

I. *Iac. quādo sortitus est nomē Israel.*

APPELLAVIT eum Israel.] D. Hiero. in qq. Hebraicis, tenet quod ille Angelus, qui supra cap. 32. luctabatur cum Iacob, non ei imposuit nomen Israel, sed dumtaxat prædixit esse illi postea imponendum. Quod igitur eo tempore promissum fuit Iacob hic significatur expletum: prout tale quid D. Petro contigit, cui prius dixerat Christus. Ioa. 1. Tu vocaberis Cephas: quod interpretatur Petrus. Postea autem Matth. 16. reipsa imposuit ei nomen illud dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

II. *Imperatiuū pro futuro.*

CResce, & multiplicare.] Solet scriptura in promissionibus vti imperatiuo pro futuro, vt significet id, quod promittitur, esse certissimum, quasi nihil iam supersit, nisi manus ad promissionem illam capiendam mittere: vt Isai. 6. Auribus audite, & nolite intelligere: excæca cor populi huius. Quæ omnia futuritionem quandam important. Et cap. 55. Audite audientes me, & comedite bonum: idest, si me audieritis, non dixit, comedetis bonū, sed vt certum & paratum bonum demonstret. Comedite bonum. Hūc etiam tendunt imperia illa Psal. 105. Constitue super eum peccatorem & diabolus stet à dextris eius & cætera. Et iuxta eundem sensum, loquitur hic Deus ad Iacob inquiens: cresce & multiplicare, hoc est, cresces & multiplicaberis.

III. *Chibrath Hebrais dictio ambigua.*

VErno tempore.] Varie tam nostri, quam Hebræi hunc locum reddiderunt: alijs de spatio terræ, quod erat vsque ad Ephratam, alijs de qualitate temporis, in quo ibi erat Iacob, illum interpretantibus. Causa verò huius diuersitatis est vox Hebraica Chibrath, quæ duarum vocum, vel vnius dumtaxat rationem potest habere; sicut apud nos hæc vox sustineamus, quæ & vna dictio esse potest, vel tres, videlicet sus, tinea, mus, ita hæc dictio Hebraica: potest enim legi cōiunctim Chibrath significabitque interuallum, vel spacium. Dicuntque Hebræi certum esse terræ spatium, vt puta vnum milliare. Cui opinioni consonat Chaldaica editio habens. Et profecti sunt de Bethel, & cum adhuc esset spatium terræ, vt ingrederetur Ephratam. Potest etiam legi disiunctim, vt litera Chaph non sit litera substantialis huius dictionis, videlicet Chi Berath, significabitque circa ver, circa viriditatem, cum ager pascuus est, & cibum dat terra, à Bara, verbo descendens, quod cibare significat. Prima opinio nullatenus placuit vulgato Interpreti, quia non habet simile vnde Chibrath significet spacium nisi forte à Cabis deducatur, quod multiplex, magnum, multum, seu grande significat: vt magnum terræ spacium, seu interuallū, ante quam Ephratam introeas, indicetur. Quapropter adhæsit Interpres secundæ sententiæ iuxta quam transtulit verno tempore.

IIII. *Turris gregis quid dicatur.*

TRās Turrem gregis.] Duo sunt loca longe inter se diuersa, quæ nomen Turris gregis retinere videntur in sacris literis. Alterū est ciuitas Ierusalem, de qua dicitur Michæ. 4. Et tu Turris gregis nebulosa filia Sion. Vocatur autem Ierusalem. Turris gregis ob rationes à nobis adducendas super ea verba Michææ. Alter est prope Bethlehem, vno miliario ab ea distans, vt docet Calixtus: Vbi cantarunt Angeli pastoribus post Christum natum, Gloria in excelsis Deo. Et iste fuit locus, ad quem in præsenti dicitur peruenisse Iacob, & in eo fixisse tabernacula, vt verosimilius reputat D. Hierony. in lib. de quæstionibus Hebraicis. Vocatur autem in præsenti locus iste Turris gregis, vel per anticipationem; quia Iacob in eo loco pecora sua pascens, illi eiusmodi nomen imposuit, vel etiam Turris gregis dicitur quia vaticinio quodam in eo nomine præfigurabatur Angelorum gregem ibidem in ortu Domini mysterium, Dominicæ natiuitatis pastoribus gregum manifestaturum.

ARGUMENTUM IN CAPUT XXXVI.

¶ Post patris sepulturam perpetuo separatur Iacob ab Esau: huius autem posteritas latè refertur.

PARAPHRASIS IN CAPUT XXXVI.

A. I.

HAE *sunt autē generationes Esau: ipse* verò à rubedine iuris lēticularū cuius auiditate deperijt, alio nomine dictus *est Edom.* I *Esau accepit vxores* duas, cū esset quadragenarius *de filiabus Chanaan,* videlicet Basemath alio nomine vocatā *Ada filiā Elon Hethæi, & Oolibama* nominatā etiam Iudith *filiā Ana filij Sebeon*

beon Hevei: vltra quas accepit etiam in vxorem *Basemath quoque filiam Ismael*, vocatā alio nomine Meleoh *sororē Nabaioth* primogeniti Ismaelis, ac proinde insignis viri & suo tempore famosi.
† 1. Para. 1. c. 29 † *Peperit autē Ada Eliphaz* primogenitum Esau. *Basemath genuit Rahuel. Oolibama genuit Iehus & Ihelon & Core*. Filias quoque habuit multas Esau, quas tamen recensere nō oportet. *Hi filij Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan. Tulit autem Esau* post mortem patris *vxores suas, & filios, & filias, & omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora & cuncta quæ habere poterat*, & sui iuris erant, *in terra Chanaan, & abijt in alteram regionem*, quam semel habitare cęperat, nempe in montem Seireum namq; locum adhuc superstite patre, & antequā Iacob regrederetur de Mesopotamia in mansionem suā delegerat. *Recessitque à fratre suo Iacob*, eo quod pascua non sufficerent pecoribus vtriusque alendis.
† Sup. 13 a. 6. † *Diuites enim erāt valde, & simul habitare non poterant, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum*, qualis erat terra Chanaan,
B. *præ multitudine gregum*: id Deo prouidentē, vt soli Israelitæ terram Chanaā inhabitarent, qui bus dumtaxat promissa erat.
† Iof. 24 a. 4. † *Habitauitque Esau in monte Seir, ipse est Edom. Hæ autē sunt generationes* filiorū scilicet,
II. ac nepotū successiones *Esau patris*, seu autoris gentis & populi *Edom* 2 *in monte Seir & hæc nomina filiorum eius*
† 1. par. 1. c. 34. † *Eliphaz filius Ada vxoris Esau, Rahuel quoque filius Basemath vxoris eius. Fueruntque Eliphaz filij Theman*, à quo vrbs Idumææ dicta Theman nomen accepit, *Omar, Sepho*, alias Sephi *& Gathā, & Cenez. Erat autem Tamna* filia Seir Horęi, & soror Lothan, *concubina Eliphaz filij Esau, quæ peperit ei Amalech*, habitatorem deserti ad meridiem Iudę trans vrbem Petram euntibus Ailam, *Hi sunt filij* proximi, vel remoti *Ada vxoris Esau. Filij autem Rahuel* alterius filij Esau fuerunt *Naath, & Zara, Samma, & Meza. Hi filij* remoti fuerunt scilicet nepotes *Basemath vxoris Esau: Isti quoque erant filij Oolibama filiæ Ana filiæ Sebeon vxoris Esau, quos genuit ei, Iehus, & Helō, & Core*, ex quibus Esau plures habuit nepotes, quorum tamen nomina non recensentur, quia eorum ducatus non ab Esau, sed ab ipsorū met nominibus appellati sunt, deserentes prorsus nomen Edom. *Hi duces filiorum*
III. *Esau* 3 extiterunt, ac populorum rectores in nullo à regibus distincti, nisi quod reges coronati, hi verò corona redimiti non fuerunt. *Filij Eliphaz primogeniti Esau* vno eodemquè tempore septem possederunt ducatus, videlicet *Dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez, dux Core, dux Gatham, dux Amalech. Hi filij Eliphaz in terra Edom, & hi filij*, hoc est nepotes, *Ada. Hi quoque filij Rahuel filij Esau* duces extiterūt, scilicet *dux Naath, dux Zara, dux Sāma, dux Meza. Hi autem duces Rahuel in terra Edom. Isti* inquam fuerunt *filij Basemath vxoris Esau. Hi autem*, qui modo veniunt recensendi, fuerunt; *filij Oolibama, vxoris Esau, dux Iehus, dux Ielon, dux Core*. *Hi duces* fuerunt filij
C. proprij *Oolibama filiæ Ana vxoris Esau. Isti* hucusquè recensiti *sunt filij Esau, & hi* prænominati extiterunt *duces eorum*, idest, inter eos filios Esau: *Ipse est Edom*, qui pater fuit prædictorum. † *Isti* verò qui modo veniunt memorandi *sunt filij Seir Horræi habitatores terræ Seir*: eosque recensere oportet, tum propter vxorem quandam Esau, tum etiam propter cō- † 2. par. 1. c. 38.
cubinam Eliphaz, quæ ex Horręo originē duxerunt. Fuerunt igitur filij Seir *Lothan & Sobal, & Sebeon, & Ana, & Dison, & Eser, & Disan. Hi duces Horræi filij Seir in terra*, quæ postea ab Esau nomen obtinuit *Edom. Facti sunt autem filij Lothan* primogeniti Seir, hi tantum duo, videlicet *Hori, & Heman. Erat autem soror Lothan Tamna*, quam dixi fuisse concubinam Eliphaz primogeniti Esau, ac matrem Amalech. *Et isti filij Sobal*, secundi filij Seir: videlicet *Aluā & Manahat, & Ebal, & Sepho, & Onam. Et hi filij Sebeon*, tertij filij Seir: nempe *Aia, & Ana* socer Esau, *Iste est Ana, qui inuenit* rarum quid, & tunc temporis magno in precio habitum, videlicet *aquas calidas*, scatentes, seu balnea quædā sulphurea, & medicinalia in arido, ac deserto loco, nēpe *in solitudine, cum* in eo loco, qui est inter AEliam, & Diospolim, *pasceret asinos Sebeon patris sui. Habuitque filium Dison & filiam Oolibama* vxorem Esau. *Et isti*, qui mox subsequūtur, sunt *filij Dison* quinti filij Seir, (Omisso Ana quarto filio, eo quod liberis caruerit) videlicet *Hamdan*, seu Amaraam, *& Eseban, & Ietran, & Charan. Hi quoque filij Eser* sexti filij Seir *Balaan, & Zauan, & Achan. Habuit autem filios Disan*, septimus filius Seir scilicet *Hus, & Haram. Hi* verò dumtaxat ex omnibus, quos supra commemorauimus, fuerunt *duces Horræorum* videlicet *dux Lothan, dux*

Sobal

Sobal, dux Sebeon, dux Ana, dux Dison, dux Eser, dux Disan. Isti septem filij Seir, Horræi fuerunt *duces Horræorum, qui imperauerunt in terra Seir*, & ab eis prouinciæ, ac ciuitates nonnullæ nomina aliquandiu habuerunt: cum tamen aliæ ciuitates imperio & regimini filiorum Esau subiacerent? Vno enim & eodem tempore filij Seir, & filij Esau in diuersis tamen locis ducatum gerebant. *Reges autem qui* expulsis atque deletis Horræis, eleuataque Idumæa in regnum, *regnauerũt in terra Edom, ante*
D. *quam haberent regem filij Israel*. Imo & antequam Moyses hæc literis mandaret fuerunt hi: *Bela filius Beor, nomenque vrbis eius*, in qua natus est fuit *Denaba. Mortuus*
IIII. *est autem Bela & regnauit pro eo Iobab*, idem qui Iob, exemplar patientiæ, ac *filius Zaræ* nepotis Esau, qui ortum habuit *de Bosra* ciuitate Idumææ, quæ est inter Adrã & Adramam, prope torrentem Iabor, in terra Hus. *Cumque mortuus esset Iobab regnauit pro eo Husan de terra Themanorum* à Theman filio Eliphaz filij Esau sortita vocabulum. *Hoc quoque mortuo regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian* habitatorem vrbis sic vocatæ ab vno filiorum Abrahæ ex Cæthura: percussit autem eum *in regione Moab*, quæ tale sortita est nomen à Moab filio Lot, *& nomen vrbis eius*, vnde ortus est Adad fuit *Auith*, seu Gethaim, quæ postea vocata est Gebalene. *Cumque mortuus esset Adad regnauit pro eo Semla*, ortum habens *de Masreca* vrbe Idumææ circa Gabalené. *Hoc quoque mortuo regnauit pro eo Saul:* qui idcirco dicitur ortus *de fluuio Rohoboth*, quia de vrbe quæ iuxta amnem sita est, ac nomen eiusdem fluminis retinet, originem duxit. *Cumque & hic obijsset, successit in regnum Balanam filius Achobor. Isto quoque mortuo regnauit pro eo Adar*, huius nominis secundus, *nomenque vrbis eius Phau*, alias Phai, vel Fogo. *appellabatur vxor illius Meetabel filia Matred filia Mezaab*. Adar † autẽ mortuo duces pro regibus in Edom esse cæperunt, quos operæprecium erit breuiter recensere. *Hæc ergo nomina ducum* † Para. 1 d. 51.
Esau in cognationibus & locis, & vocabulis suis: neque enim omnes hic connumerandi vni & eidem cognationi, seu loco præfuerũt, sed regnũ scindẽtes singuli suas partes obtinuerunt; omnesque tempus, quo hæc scribuntur, præcesserunt, videlicet, *dux Tamna, dux Alua, dux Ietheth, dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, dux Magdiel, dux Hiran. Hi* vndecim fuerunt *duces Edom habitantes* non in vna & eadẽ V.
vrbe, sed vnusquisque *in terra imperij sui. Ipse est Esau* frater Iacob, & de quo hucusque factus est sermo, qui extitit autor, & *pater Idumæorũ*, hostium Israelitarum, qui fuerũt duces, & capita cognationũ habitãtiũ in Seir, per loca sibi attributa in regionibus, quas singuli à suo nomine appellarũt. C.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXXVI.

I. *Pluralitas nominũ dupliciter cõtingit*

IPSE est Edom.] Duplex genus mutationis nominum reperitur in hoc capitulo, & in alijs pluribus locis sacræ Scripturæ. Alterum est, secundum quòd vni & eidem personæ plura, ac diuersa omnino nomina tribuũtur: ita vt binomines sint, non solum viri, sed & fœminæ: vt patet in Esau, qui dictus est etiam Seir, & Edom: & vxores eius, quas supra capi. 26. & 28. Scriptura nominauerat Basemath, Iudith, & Mahelet, hoc in loco appellantur Ada, Oolibama, & Basemath. Quod pariter contigit in lingua Latina: vnus namque, & idem homo vocatur Marcus & Tulius & Cicero. Aliud genus mutationis nominis reperitur in sacris literis, quo eidem personæ aptantur plura nomina non omnino diuersa, sed penes aliquid, vt nepos quidam Seir Horræi, qui hic vocatur Amdam in lib. 1. Paralip. cap. 1. appellatur Hamaran. Quam nominum mutationem sæpius perpendes, si conferas caput istud Geneseos, cum prædicto. 1. Paralipome. 1. Quam etiam variationem non abhorret lingua Latina, imo frequenter hoc Synonymorum genere vtitur, dum per Luysum, & Ludouicum vnum & eundem hominem significare solet; Et Alphõsus & Ildephonsus eandẽ personam designant: quod maximopere obseruare oportet, ne ob multiplicitatẽ nominum, personas aberrando multiplices in sacra pagina.

II. *Edõ pro Idumæis*

PAtris Edom.] Edom hic non est nomen personæ sicut prius, quando in principio capitis dicitur de Esau. Ipse est Edom, sed est nomen gentis Idumææ, quæ ab eodem nominata est: sicut enim ab Israel appellati sunt Israelitæ: ita ab Edom cognomine Esau appellati sunt Idumæi: qui dicuntur Edom: sicut etiam Israelitæ dicuntur Israel, iuxta phrasim communem scripturæ, qua gentes ipsæ & populi frequenter vocari solent nominibus progenitorum suorum: vt Moabitæ Moab, Amalechitæ Amalech, Madianitæ Madian, & sic de alijs.

Hi

Digitized by Google

III. *Duces Idumææ qualesfuerint.* HI duces filiorum Esau.] Hi duces, nec etiam alij, qui post reges inferius connumerantur, nõ fuerũt totius populi Idumæorũ duces: nam plerique eorum vno & eodẽ tempore extiterunt. Imo isti priores vna cum ducibus Horræis imperium gesserunt: sed vnusquisque dux fuit in tribu sua, sicut superius, Genes. 17. Dominus dixit de Ismaele: Duodecim duces generabit: duces videlicet duodecim tribuum suarum. Hos autem Idumæorum Patriarchas, tam diligenter descripsit Moyses, vt ex ordine consecraret æternitati eorum patres, qui & Israelitas pacifice transire permiserunt ex AEgypto venientes, & vt se mutuo fratres agnoscerent, & arctius diligerent: vtque videamus quam sit fidelis Deus in promissis, non solum ipsi Iacob, sed etiam ipsi Esau, & quam non frustra Esau benedictionem paternam, tam anxie flendo postulauerit, ac tanti patris sui meritis, & Dei gratia maxima terrenorum bonorum beneficia, turbas proliũ, tantosque ducatus populorum susceperit.

IIII. *Iobab idem, ac Iob.* REgnauit pro eo Iobab.] Proculdubio probabilissimum est speculum patientiæ Iob Idumæum fuisse, cum terra Hus, quam ipsum inhabitasse sui libri exordium demonstrat, non nisi in Idumæa, quantum ex sacris literis coniectari licet, dicatur esse: vt patet ex illo Thren. 4. Gaude & lætare filia Edõ quæ habitas in terra Hus. Ob idque communis opinio præsertim Patrum, & Auctorum Ecclesiasticorum tenet hunc Iobab, pronepotem Esau, fuisse ipsum Iob, neque enim semper varia nominum scriptura, variam arguit eorum nominum significationem. Cuius quidem sententiæ autores sunt Aristæus relatus ab Eusebio lib. 9. de præparatione Euange. cap. vlt. Athanasius in Synopsi in commemoratione librorum sacræ Scripturæ libro. 17. Chrysostomus Homil. 2. de patientia Iob. Augustinus, lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 47. Gregor. cap. 1 præfationis in Iob, Theodoretus quæst. 92. in Genes. Et ad supradictos auctores adiungere oportet, quos citauit Diuus Hieronymus, in Epistola ad Euagrium, quæ est. 126. Videlicet Hippolytum, Hirenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarium item, & Eustathium. Rationes autem, quæ ad id opinandum mouere potuerunt sufficienter discutiuntur, ab Abulensi super cap. 22. Genesis, & à Benedicto Pererio, hoc in loco disputatione. 2. & à Pineda super capi. 1. Iob. obidque ab earum repetitione supersedendum statui: præsertim, quod earum potissima mihi videtur esse concors tantorum virorum sententia.

V. *Idumæorum multiplex principatus.* DVcum Esau.] Sicut filij Israel primo regebantur per iudices, vsque ad Saul, deinde per reges vsque ad transmigrationem Babylonis, & post hæc rursus per principes quosdam, seu duces, quorum multi fuerunt pontifices Sic Idumæi ex Esau nati primo habuerunt duces, deinde reges, quorum primus fuit Bela, & secundus Iobab, postea redierunt ad ducatum: nam 1. Paralypo. 1. dicitur. Adar autem mortuo duces pro regibus esse cœperunt in Edom: ipse autem Adar vltimus, fuit Idumæorũ rex supra à Moyse descriptus. Demũ post duces secundos regẽ sibi constituerũt tẽpore Ioram regis Iuda: vt legitur. 4. Reg. 3. quorum tamen nomina scriptura nõ exprimit.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXVII.

¶ Ioseph à patre eximiè dilectus, à fratribus verò maximo odio habitus somnium duplex vidit: alterum quo manipulos fratrum manipulum suum circunstare, eumque stantem adorare conspexit: alterum, quo se à sole & luna & vndecim stellis adorari videbat. Ob quam causam fratres inuidia succẽsi missum Ioseph à patre ad eos visendos, tunica spoliatum demittũt in cisternam à qua, postea extractum Ismaelitis vendunt, & tunicam tinctam sanguine hædi ad patrem, deferri fecerunt. Iacob verò existimans filium à bestia deuoratum illum multo tempore deplorat.

A. PARAPHRASIS IN CAPVT *XXXVII.*

HAbitauit autem Iacob, post quam recessit ab eo Esau, *in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est*; vnde quidnam familiæ suæ in ea regione contigerit explicandum erit. *Et hæ sunt* huiusque conditionis fuerunt, ac taliter se gesserunt *generationes eius*, seu filij & nepotes Iacob ex quibus quidam fuerunt iusti, alij verò pessimi; vt ex contextu huius historiæ patebit. *Ioseph cum sedecim esset annorum*, ageretque annum decimum septimum ætatis suæ, *pascebat gregem, cum fratribus suis* exi-

Digitized by Google

existēs *adhuc puer*, non solum ætate, sed multò magis innocentia, ac simplicitate: *& erat cum filijs Bala, & Zelphæ uxorum patris sui* refugiens consortium filiorum Liæ; quia cum de libera essent grandiores habentes animos eum, vt pote filium dilectæ Rachelis non libenter aspiciebant; *accusauitque fratres suos* & conquestus est de illis *apud patrem* vt ipse eum defenderet de *crimine pessimo* fraterni odij, quo erga ipsum Ioseph fratres eius affecti erāt. *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos*, non solum propter animæ virtutem, qua cunctis præstabat, sed etiam *eo quod in senectute*, seu in maiori ætate *genuisset eum*: nam magis amabiles sunt filij, qui posterius à parentibus generantur: ob id quod esse paternum diutius in eis seruādum creditur: *fecitque ei tunicam polymitam* varijs coloribus distinctam, & vsque ad talos pertingentem. *Videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis filijs amaretur* inuidia commoti *oderant eum* hostili quodam & ingenti odio; quare *nec poterant ei quidquam pacifice loqui*, in tantum affectio dominabatur eis, & inuidia eos quasi captiuos tenebat. *Accidit quoque, vt visum somnium*, Dei nutu sibi immissum, *referret fratribus suis*, vt eos diuinorum mysteriorum gnaros, ac participes

I. faceret: *quæ causa*, I. seu rei tractatio *maioris odij seminarium fuit*: impijs enim omnia cooperantur in malum. *Dixitque ad*

B. *eos: Audite somnium meum, quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum*, postquam velut contemptibilis iacuerat, *& stare* erectum ac firmiter consistere, *vestrosque manipulos circunstantes* sese incuruare, & deuoluentes *adorare manipulum meum*. Non tamen expressit Ioseph qualiter manipulorum illud somnium præsignaret fratres suos frumenti gratia in Ægypto adoraturos ipsum Ioseph, per eumque de famis periculo esse liberandos. *Responderunt fratres eius*, quasi præsagientes somnij significationem, quam tamen impossibilem iudicabant: *Nunquid rex noster eris? aut subijciemur ditioni tuæ*, ob quam rationem te adorare debeamus? *Hæc ergo causa*, seu hoc negotium *somniorum, atque sermonum*, nempe visio rerum futurarum, ac propalatio earundem *inuidiæ, & odij fomitem ministrauit* fratribus Ioseph ob malitiam ac duritiem cordis eorum. *Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus* imo ipsi etiam patri *ait*. *Vidi per somnium quasi Solem & Lunam & Stellas vndecim adorare me* qua visione præfigurabat Deus omnem familiam Iacob saltem II. exhibendo munera veneraturam Ioseph quasi superiorem & potentiorem: familia namque patre & matre & filijs constare solet. *Quod cum patri suo & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus* volens il- C. lius fratres pacificare, quos sciebat ei mirū in modum inuidere, *& dixit: Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num* fas est credere, quòd *ego, & mater tua, & fratres tui*, seu quotquot fuerint in domo mea, *adorabimus te super terram*, genus aliquod reuerentiæ tibi exhibentes quasi superiori & potentiori? Hoc proculdubio cogitare insanum est & vanum. *Inuidebant ei igitur fratres sui: pater verò*, quamuis in aperto filium increpare videretur, secum tamen *rem tacitus considerabat*. Videns enim iuuenis innocentiam, hoc aliquid numinis esse putabat; & ideo exitum rei obseruabat. *Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem*, licet enim inde olim aufugissent ob factum Dinæ, defendente tamen eos ab hostibus Dei prouidentia, eius loci pascua intrepide frequentabant: & cum Ioseph apud patrem domi remaneret, *dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oues in Sichimis*, vbi dudum populo terræ odiosos eos fecerat furor ipsorum maximus, idcirco *veni mittam te ad eos*: non enim absre de illis sum solicitus. *Quo respondente, Præsto sum*, gratāque filijs fore visitationem pater existimans, si non quamcunque hominem, sed eum, quem maximopere diligebat, filium mitteret ad eos, *ait ei: Vade, & vide si cūcta prospera sint erga fratres tuos & pecora, & renuncia mihi, quid agatur*: estoque medius inter absentes vtriusque salutis nuncius existens. *Missus igitur Ioseph de valle Hebron*, vbi Iacob vna cum patre Isaac D. morabatur, *venit in Sichem*, solus agens iter, viarum ignarus. *Inuenitque eum vir*, qui forte Angelus erat, *errantem in agro*, & vt occasionem captaret ad illum in viā reducendum, *interrogauit, quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro: indica mihi, vbi pascant greges*, vt eos videre possim. *Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Ioseph post*

fratres suos, & tandiu quæsiuit eos perseuerans, quousque *inuenit eos in Dothaint*, vbi in duodecimo à Sebaste milliario contra Aquilonis plagam greges pascebant. *Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos cogitauerunt*, & incredibili malignitate machinati sunt *illum occidere: & mutuo loquebantur* irrisione quadam minaci, & odij plena: *Ecce somniator venit*, qui somnia ad manum habet, & in sua potestate est somniare quod vult: *venite occidamus eum*, ac postquam occiderimus, sumamus corpus eius, *& mittamus in cisternam veterem*, ne vltra appareat, *dicemusque* his, qui nobis de illo interrogauerint; *Fera pessima* vrsus, vel leo *deuorauit eum, & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua*, quando nihil eueniet eorum, quæ ipse somniauit. † *Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum, &* retrahens eos ab actu percutiendi, seu iugulandi, vel feriendi fratrem, *dicebat: Non interficiatis animam*, i. hoc est vitam corporalem *eius, nec effundatis sanguinem*, quod nobis lege diuina sub graui comminatione prohibitum est: *sed proijcite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine*, vt ibi fame moriatur, *manusque vestras seruate innoxias* ab horribili fraterni sanguinis effusione. *Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum*: intendebat enim Ruben discedentibus fratribus à loco illo extrahere Ioseph de fouea, *& reddere patri suo*: quia quamuis libidine carnali reliquis fuerat peior, naturali tamen pietate, & odio tanti criminis, compatientiaque fraterna melior erat. *Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos* Ioseph, illi, non pro vt oportebat, amplexati sunt fratrem, nec quomodo se pater haberet inquisierunt, sed quasi bestiæ quædam, vbi agnum conspicatæ sunt, apprehenderunt, & *nudauerunt eum veste* superiori, nempe *tunica talari, & polymita* plurimis contexta coloribus, quam ei pater fecerat: *miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam*, consilio Ruben acquiescentes. Ruben autem quo fratres ab eo loco abduceret statim in alia pascua secessit; quem tamen cæteri non sunt secuti, sed ibidem manserunt. *Et sedentes vt comederent panem* manibus pollutis, quantumlibet aqua fortasse dilutis, *viderunt Ismaelitas* ducentes originem à filijs concubinarum Abrahæ, à quorum principaliori Ismaele denominabantur quoque Ismaelitæ posteri reliquorum, etiam si essent Madianitæ, quales isti erant, quos filij Iacob viderunt *viatores venire de Galaad* quà venientibus ex Arabia per Dothain in AEgyptum erat transeundum, *& camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in AEgyptum*: erant enim mercatores. *Dixit ergo Iudas fratribus suis* volens fratrem Ioseph ab interitu eripere: *Quid nobis prodest*, & quem ex nece fructum consequemur, *si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius*, cum cogamur vindictam reticere nec de ea liceat gloriari? *melius est*, & magis proderit nobis, *vt venundetur Ismaelitis*, seu Madianitis istis, *& manus nostra non polluantur* grauissimo fratricidij scelere: *frater enim & caro nostra est*, dum ex eadem carne procreati sumus. *Acquieuerunt fratres sermonibus illius* complentes Dei ordinationem, qua decreuerat mittere ante eos Ioseph in AEgyptum: † *Et prætereuntibus Madianitis negociatoribus extrahentes eum de cisterna vendiderunt eũ Ismaelitis*, seu Madianitis *viginti argenteis*, ac si esset vile mancipium, *qui duxerunt eum in AEgyptum*, quò semen Israelis euentu isto incepit peruenire, donec reliquum quoque succederet. *Reuersusque Ruben ad cisternam*, vt ex mortis periculo, quod fratri imminere existimabat, illum eriperet, *non inuenit puerum, &* videns se à sententia sua excidisse, vehementissimo dolore correptus *scissis vestibus pergens ad fratres suos* ante quam ad eos peruenisset *ait: Puer non comparet, & ego*, qui cæteris fratribus meis præesse videor, *quo ibo?* seu quid faciam? & qualem habere potero defensionem? *Tulerunt autem fratres Ioseph tunicam eius* talarem, quæ erat vestis superior ipsius, *& in sanguine hædi, quem occiderant tinxerunt mittentes, qui ferrent ad patrem*, & sic animum Iacob à suspicione sui sceleris longius repellerent, ac dissimulandi laborem transferrent in alios, qui *dicerent: Hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit, an non? Quam cũ agnouisset pater*: permit-

E. † Infra. 42. c. 12. III. F. † Sap. 10. c. 13. IIII.

permittente Deo, vt qui fefellerat patrem, à filijs quoque etiam ipse deciperetur, *ait: Tunica filij mei est.* Et quia tam immane scelus animum non subibat paternum, existimauit ob tinctionem vestis à feris in via fuisse laniatum filiū: Palęstina namque leonibus, vrsis, & feris alijs carniuoris scatebat. Vnde subiungit: *Fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Verè quippe in malas inciderat bestias crudelitate oppressus, fraternale videlicet odium, inuidia fauoris paterni, impatientia correctionis & admonitionis. *Scissisque vestibus* in signum eximij mœroris, secundum Hebræorum consuetudinem, quibus in magnis doloribus positis vestes lacerare mos fuit, *indutus est cilicio* seu sacco cilicino ex setis equinis, vel pilis caprinis, aut alia qualibet eiusmodi materia, consuto, *lugens filium suum multo tempore* videlicet viginti tribus annis, qui fluxerunt à decimo sexto anno ætatis Ioseph vsque ad patris fratrumque introitum in Ægyptum, *Congregatis autem cunctis liberis eius* semel atque iterum, *vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed* spiritu sibi suggerente nonnihil criminis commissum in familia, renuit ab illa consolari, & *ait: Descendam ad filium*
meum lugens in infernum; 5. non enim ni- V.
si moriendo, & ad limbum sanctorum descendendo, cessabo lugere filium meum: cum tamen in communi iustorum receptaculo videro Iosephum, consolationem libenter admittam. *Et illo perseuerante in fletu Madianitæ* generali voce dicti Ismaelitæ, *vendiderunt Ioseph in Ægypto Putiphari Eunucho,* ministro cuidā regio ac nobili palatino præfecto custodū domus, vel personæ *Pharaonis, magistro militum* interficientium, ac iugulantium offendentes personam regis: cuique munus incūbebat Regiæ custodiæ, atq; facinorosos in carcerem cōpingendi, & curandi eos custodiri.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXVII.

I. *Causa pro negotio.*

QVAE causa.] Nomen causa non semper denotat id, ex quo aliud sequitur, sed plærumque ipsa res, de qua agitur, vel negotium, quod tractatur, solet vocari causa: vt passim videre est apud rhetores. In hoc igitur posteriori sensu bis sumitur nomen causa in hoc capite. Primo hîc; & iterum, quando paucis interpositis subiungitur: Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum inuidiæ, & odij fomitem ministrauit.

II. *Sol & Luna & Stellæ qualiter typi fuerint familiæ Iacob.*

QVASI Solem, & Lunam.] Pro verificatione huius somnij multum laborant doctores: Tum quia mater Ioseph longo tempore ante quam Iacob descenderet in AEgyptum, imo antequam Ioseph haberet huiusmodi reuelationem, mortua est. Et si dicas per Lunam non ipsam Rachelem, sed Balam, quæ matris officio fungebatur, intelligendam esse, contra hoc obstat, quòd etiam non constat Balam adorasse Ioseph. Et verosimilius videtur eam fuisse mortuam ante descensum in AEgyptum ob crimen ab ea commissum contra virum suum. Tum etiam quia pater non legitur adorasse Ioseph. Vnde tam ex parte patris, quàm ex parte matris videtur somnium non fuisse adimpletum. Ad hoc aliqui, in quorum sententiam videtur inclinare Holeaster, dicunt Ioseph vidisse quidem Solem & Lunam, & Stellas vndecim, sed non omnia vidit se adorare, sed solum Stellas vndecim. Et confirmari potest hæc sententia ex eo, quòd in priore somnio, nulla patris & matris fuerit facta mentio. Cæterum hæc interpretatio nullatenus consistere potest, quia Iacob rectè callens verba prolata à Ioseph intulit ex eis patrem & matrem adoraturos filium super terram: Dicendum est ergo ad propositam difficultatem per Solem & Lunam & Stellas vndecim non intelligi in particulari hanc vel illam personam, sed in communi totam familiam Iacob, quascunque personas illa contineret, sumpta phrasi ab his, quibus constare communiter solet familia: quales sunt parentes & filij: Vnde nihil interest, quòd tempore adorationis existeret, vel non existeret mater: dum tamen hi, qui præcipui erant in familia Iacob, reuerentiam præstarent ipsi Ioseph: quam quidem præstiterunt, quando Iacob, nomine familiæ suæ misit munera ad Ioseph per filios; vt dicitur infra capit. 43. Quod factum fuit, quando secunda vice ierunt fratres Ioseph in AEgyptum ad emendum cibos: per adorationem enim quælibet reuerentia alteri facta tanquam potentiori, intelligitur: & hanc exhibuit Iacob filio Ioseph, quando ei misit munera: & quia hoc non fecit, quando prima vice abierunt filij in AEgyptum, idcirco in prima reuelatione facta Ioseph nulla fit mentio patris & matris, seu integræ familiæ paternæ, sed tantum fratrum Ioseph: quia prima vice soli fratres venerati sunt Ioseph.

III. *Anima pro vita corporali.* NON interficiamus animam.] Sadducæi falso imposuerunt Moysi quòd hoc loco animam hominis mortalem esse docuerit: nam & in prophetis inuenitur frequenter huiusmodi loquendi modus: iuxta illud quod Hieremiæ capite quadragesimo habetur: scito quòd Baalis Rex filiorum Ammon misit Ismael filium Nathaniæ percutere animam tuam. Cum tamen certissimum sit prophetas sanctos posuisse rationalem hominis animam esse immortalem. Dicendum est ergo in his & in alijs similibus locis nomine animæ, vitam corporis animati significari: poni que causam ipsam pro eo, quod efficitur: vt docet Diuus Augustinus in libro locutionum in Genesim. In quo etiam sensu sumitur eadem vox anima apud Iob capite secundo. Pellem pro pelle, & cuncta, quæ possidet, dabit homo pro anima sua. Et post pauca. Veruntamen animam illius serua.

IIII. *Ioseph bis tātū fuit venditus.* VEndiderunt eum Ismaelitis.] Quorundā Rabinorum sententia est, Ioseph ter fuisse vēditum. Primò quando fratres sui vēdiderunt eum Ismaelitis, vt hic dicitur. Secundò quando Ismaelitæ vendiderunt eum Madianitis: cuius venditionis in sacra scriptura non fit expressa mentio, debet tamen subintelligi. Tertiò quādo inferius in hoc eodem capite dicitur Madianitas vendidisse Ioseph in AEgypto Putiphari; quod videtur intelligendum de tertia venditione. Hæc tamen sententia innititur falso fundamento, & scripturæ sacræ contrario: existimat enim Ismaelitas non vendidisse Ioseph Putiphari, sed Madianitas: cuius tamen oppositum asseritur infra capite trigesimo nono, vbi dicitur Putiphar emisse Ioseph ductū in AEgyptū, de manu Ismaelitarum. Vera igitur sententia est Ioseph bis tantum fuisse venditum: semel scilicet Ismaelitis, & semel Putiphari. Neque obstat Madianitas vendidisse eum Putiphari: Ismaelitæ enim & Madianitæ quamuis à diuersis filijs Abrahæ originem duxerint, nempe ab Ismaele filio Agar & à Madian filio Cethuræ; nihilominus saltim per aliquod tempus vnam & eandem gentem condiderunt, & eandem prouinciam habitauerunt: quod insinuat scriptura supra capite vigesimoquinto, quando inquit: Abraham separasse filios concubinarum ab Isaac filio suo ad plagam Orientalem. Vel potest dici & melius, quòd sicut Iudæi strictè sumpto vocabulo, solum dicuntur qui ex tribu Iudā originem ducunt: largè verò sumpto appellantur Iudæi omnes Israelitæ, accepta denominatione à principaliori tribu, quæ fuit Iudæ. Ita Ismaelitarum nomen propriè & strictè sumptum significat solum descendentes ab Ismaele, largè verò omnes descendentes à filijs concubinarum Abrahę, eo q inter eos præcipuus fuit Ismael, appellantur Ismaelitæ. Et quia tales erant Madianitæ, qui emerunt Ioseph, vocantur hic generali appellatione Ismaelitæ, cum tamen propriè essent Madianitæ. Et hunc modum dicendi sequimur in paraphasi. Vnde Ismaelitæ & Madianitæ hoc in loco pro eadem gente reputantur à D. Augus. in quæst. super Genes. & ab alijs communiter doctoribus.

Madianitæ interdū cōprehenduntur sub Ismaelitis

V. *Infernus sanctorū Patrum.* LVgens in infernum.] Hoc in loco Hebręorum plerique, & nonnulli nostrorum Hebraicum Sceol pro fossa vel sepulchro accipiunt: sed fortè falluntur. Nā si de sepulchro sermo fiat, quomodo Iacob in spelunca duplici sepeliendus dixisset, se descensurū ad filium, qui à bestijs deuoratus putabatur? Non enim tantum dixit: Descendam lugens in infernum: sed descendam ad filium meum. Quare procul dubio intellexit de loco quodam inferno, in quo cum prioribus iustis filij eius animā quiescere putabat: vt sensus sit, consolationem nullam se admissurum donec Ioseph videat: quem visurus non sit iam mortuum, donec illi in communi iustorum receptaculo apponatur. In hoc sensu explicant locum istum D. Hieronymus in Epist. 119. ad Dardanum, Augusti. quæstione. 126. Rupertus libro. 8. in Genes. capit. 25. quos communiter Theologi sequuntur. Vide plura de hac re apud Pererium hic disputatione 8.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXVIII.

¶ Iudas accepit in vxorem filiam Sue Chananitidē, de qua tres habuit filios, quorum primogenito dedit in vxorem Thamar, & illo mortuo tradidit eandem filio secundo, quo etiam mortuo, post multum temporis ipse Judas habuit rem cum nuru sua, existimans eam eße aliquam meretricem, sed postea agnitis muneribus, quidnam à se factum fuisset, etiam agnouit. Ex eo autem concubitu Thamar concepit, & peperit geminos infantes, Phares, videlicet & Zaram,

PARA-

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXVIII.

A. E*ODEM tempore* antequam Ioseph esset venditus *descendens Iudas à fratribus suis*, è loco altiori, qualis est Hebron, *diuertit*, vxorem requisiturus *ad virum Odollamitem nomine Hiram* pastorem gregum suorum, qui habitabat in vico Odolla, decem milliaribus ab Eutropoli distante versus ortum solis. † *Viditque ibi filiam hominis Chananæi*, seu negotiatoris cuiusdam *vocabulo Sue: & accepta vxore* filia præfati Sue à Iuda *ingressus est ad eam* I. per actũ matrimonij. *Quæ concepit, & peperit filium & vocauit nomen eius Her.* † *Rursumque concepto fœtu natum filium vocauit Onan. Tertium quoque peperit, quem appellauit Sela: quo nato parere vltra cessauit.* Hos igitur tres filios habuit consequenter, & absque intermissione vir eius ex illa. *Dedit autem Iudas vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar.* † *Fuit quoque Her primogenitus Iudæ* eius conditionis, qualis fuerunt primogeniti Abrahæ, Isaac, & Israelis, videlicet *nequã in conspectu Domini*, seu in rei veritate, *&* ideo *ab eo occisus est*; vt in horum primogenitorum abiecta conditione mysterium abiectionis Iudæorum & insertionis Ecclesiæ ex gentibus præfiguraretur. *Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum: Ingredere ad vxorem fratris tui* defuncti, & nullum post se semen relinquentis, *& sociare illi* affectu maritali, antequam ad eam ingrediaris, *vt suscites semen fratri tuo* gignendo filium ex Thamar, qui fratri suo mortuo ascribatur, & eius sit filius secundum legem inter nos iam cæptam obseruari. *Ille sciens non sibi*, sed fratri suo mortuo, *nasci filios*, nam qui nascituri essent nõ sibi, sed fratri ex lege ascriberẽtur: nec sui, sed fratris filij vocandi essent, *introiens ad vxorem fratris sui* eã carnaliter cognoscendo, *semen fundebat in terram*, hoc est, extra vas muliebre, idque inuidia permotus, *ne liberi fratris nomine nascerẽtur. Et idcirco percussit eum Dominus* insigni aliqua plaga, & innaturali morte eo *quod rem detestabilem faceret*, & quæ contra naturam non solum speciei, sed etiam generis erat. *Quamobrem dixit Iudas Thamar nurui suæ: Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus.* Cæterum quamuis Iudas sponderet Selam, propositum tamen gerebat non dare illum Thamar nurui suæ: *timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius*, arbitratus eam male ominatam fœminam: cum nihilominus non sua culpa contigisset mors filijs Iudæ, sed ipsorum malitia, qui indigni erãt sacro semine, quod Deus destinauerat ex Thamar nobili palma mundo edere. *Quæ abijt & habitauit in domo patris sui*, expectans donec leuir suus cresceret, & ad ætatem nuptialem perueniret. *Euolutis autem* C. *multis diebus mortua est filia* viri illius Chananitidis *Sue, vxor Iudæ; qui post luctum consolatione suscepta ascendebat ad tonsores ouium suarum ipse & Hiras opilio gregis Odollamites*, cuius superius memoriam feci, *in Thamnas* prægrandem vicum in finibus Diospoleos euntibus Æliam. *Nunciatumque est Thamar, quod socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oues. Quæ* videns Iudam non velle implere promissa dandi sibi in maritum filium suum Sela, tempus congruum expectauerat, quo posset filios ex socero procreare: quapropter mox vt sibi innotuit occasio expectata, *depositis viduitatis vestibus assumpsit theristrum*, seu velum æstiuum lineum, aut sericeum, maiorem corporis partem & caput tegens, quo meretrices vtebantur, *& mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam*: vbi pelliceret socerum ad sui desiderium, eiusque concubitum furari posset, *eo quod creuisset Sela, & non eum accepisset maritum*, expeteretque illustri ad modum Abrahæ semine frui, & in eo nomen habere. *Quam cum vidisset* D. *Iudas suspicatus est esse meretricem*, tum ex habitu, & gestu, tum quia sola absque socijs transeuntium conspectui se obijciebat: *operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur*: quod tunc temporis meretrices facere solebant, & vsque hodie alicubi mos est meretrices faciem operire. *Ingrediensque ad eam* Iudas, accedendo ad locum Thamar existebat graui cõcupiscentiæ crimine irretitus *est. Dimitte me vt coeam tecum*, existimans se meretricem ad concubitum dumtaxat vagum, quamuis mortalem inuitare: *nesciebat enim quod nurus sua esset. Quæ* sono

Marginal notes: † 1. par. 2. a. — † Num. 26. b. 19 — † Num. 6. c. 19.

vocis immutatio respondente; *Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? dixit: Mittam tibi hædum de gregibus*, ad quas nunc pergo: *Rursumque illa dicente; Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem*, seu pignus, quod dato precio redimi possit, *donec mittas, quod polliceris. Ait Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum*, quo literas signare soles, *& armillam*, qua cingis brachij extremitatem, *& baculum, quem manu tenes.* Ne enim de vita & honore periclitaretur, hæc omnia exigere debuit prudens Thamar, quæ non ad ornamentum, sed ad testimo-

E. nium reseruauit. *Ad vnum igitur coitum mulier concepit*; nec tamen id absque grauissimo incestus peccato peregit: *& surgens abijt* in domum suam, *depositoque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus*; sub quibus honestè ac castè conuersabatur in domo paterna. *Misit autem Iudas hædum per pastorem suum Odollamitem*, qui cum eo venerat, eratque conscius & facti & loci, *vt reciperet pignus quod dederat mulieri. Qui cum non inuenisset eam, interrogauit homines loci illius: Vbi est mulier, quæ sedebat in biuio*, seu meretrix execrabili lucro turpem vitam agens? *Respondentibus cunctis: Non fuit in loco isto meretrix*, quæ se se ad stipem exponeret; *reuersus est ad Iudam & dixit ei: Non inueni eam; sed & ho-*

F. *mines loci illius dixerunt mihi: Nunquam sedisse ibi scortum. Ait Iudas; Habeat sibi* arrhabonem, seu pignus, quod pro hœdo illi tradidi; *certe mendacij arguere nos non poterit. Ego misi hædum, quem promiseram & tu non inuenisti eam.* Interdum namque carnalis homo magis de mendacio, quod non semper peccatum est ad mortem, etiam apud meretricem; quàm de fornicatione, quæ semper est ad mortem apud Deum se reum haberi formidat. *Ecce autem post tres menses nunciauerunt Iudæ* tanquam gubernatori & ius dicenti in terra illa, *dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua*: idque sarcina ventris apertè ostendit; nam *& videtur vterus illius intumescere. Dixitque Iudas* præcipitando sententiam: *Producite*

II. *te eam, vt comburatur*: quod est sæuitia maxima, & odio nurus suæ magis quàm ex iustitia infligi statuit Iudas honestæ aliàs & castæ mulieri. *Quæ cum duceretur ad pœnam* grauida, vna cum prole immanissimè comburenda, *misit ad socerum suum dicens: De viro cuius hæc sunt concepi. Cognosce cuius sit annulus & armilla & baculus*: quæ tria in testes fide dignos affero, qui loquantur, & satis me criminis innoxiam demonstrent coram te. *Qui agnitis muneribus*, G.

sententiam reuocando & irritando, *ait: Iustior me est*; non quod iusta fue- III.

rit, sed quia comparatione mei minus mali fecit: desiderium enim habendæ prolis, quo ducta illa se mihi supposuit, *quia non tradidi eam Sela filio meo*, minus malum fuit, quàm libidinosi concubitus ardor, quo ipse velut ad meretricem victus intraui. *Attamen vltra non cognouit eam*: neque etiam alteri desponsauit, cum non deceret leuiro eam ducere in vxorem, postquam cognita fuit à socero. † *Instante autem partu apparuerunt gemini in vtero*, quos obstetrix deprehendit nascituros; *atque in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum*, quasi prior exiturus, *in qua obstetrix*, vt vter ex gemellis nascentibus primogenitus esset, discerneretur, *ligauit coccinum*, seu filum quoddam rubrum & duplicatum, *dicens: Iste*, qui protulit manum, *egredietur prior. Illo vero retrahente manum, egressus est alter*, qui ex prudentia humana tardior iudicabatur. *Dixitque mulier* ignorans causam mysterij obquam primus factus fuerit nouissimus, & nouissimus primus. *Quare à fratre tuo* quasi patefaciente tibi viam *diuisa est propter te*: nempe vt tu primus exires, & nasceceris, *maceria*, seu membranula secundinarum? cum naturalis ordo nascendi sit, vt vnusquisque fœtus sibi ipsi non alteri viam aperiat, ac repagula diuidat? *Et ob hanc causam*, scilicet propter miraculosam diuisionem pelliculæ matricis propter ipsum non tamen ab ipso factam, mater vel obstetrix *vocauit nomen eius Phares*, quod interpretatur diuisio. *Postea* † *egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum*, in signum quòd prior secundùm naturæ cursum oriri debuisset: *quem appellauit Zaram*, hoc est orientem vel claritatem. Quod nomen illi impo-

† Mat. 1. a. 3.

† 1. Par. 2. a. 4.

impositum fuit, vel quia primus in ortu apparuit, vel ob refulgentiam fili coccinei, quod in manu gestabat: Zara enim Orientem significat.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXVIII.

I. *Ingredi ad mulierem pro concubere.* INGRESSVS est ad eam.] Ingredi ad fęminam per Hebraismum est rem cum ea habere; eo quod congressus maris & fœminæ intra domum in cubiculo fieri soleat, aut in alio loco incluso, seu occulto. Vnde in hoc eodem capite, vbi nos habemus dixisse Thamar ad Iudam: Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? textus Hebraicus habet: Quid mihi dabis, vt ingrediaris ad me? Et parum postea: Ingressus est ad eam: id est, concubuit cum ea. De quo quidem concubitu nulla est difficultas fuisse peccatum, tam ex parte Thamar, quàm ex parte Iudæ. Thamar enim constat in primis grauiter peccasse in eo, quod simulauit se meretricem, ac transeuntium libidini se exposuit. Tali namque specie, atque ornatu Iudam vehementer ad peccandum incitauit. *Thamar grauiter peccauit.* Meretricius quippe habitus, locique ipsius atque temporis opportunitas magnam ad excitandum libidinem, patrandumque flagitium illecebram habuerunt. Deinde concubitus ille nurus cum socero, non solùm malus, sed etiam pessimus, atque detestandus fuit. Neque prauitatē eius diluit quòd non ardore libidinis, sed cupiditate prolis cum concubitum Thamar appetierit. Etenim si opus, quod fit, genere suo malum est, etiam si optimum ob finem suscipiatur, & fiat, non propterea moraliter bonum erit: bonum enim constat ex integra causa: nec bonum erit, si de his, quæ requiruntur ad bonitatem actus moralis vel vnum quidpiam defuerit. Alioqui nullum esset flagitium, non furtum, non homicidium, non sacrilegium, quin facere id liceret ob bonum finem; vt ad largiendam eleemosynam, obseruandam vitam corporalem, vel ob consequendum bonum aliquod publicum. At reclamat Apostolus Rom. 3. dicens, non esse facienda mala vt inde bona eueniant. Erat sanè bona cupiditas habendi prolem qua Thamar flagrabat, si tamen eam recta via, & legitima ratione habere voluisset: at eam ex soceri concubitu expetere turpe necessariò & execrandum fuit. Satius enim fuisset nunquam matrem fieri, quàm sic fieri matrem, etiam numerosissimæ ac pulcherrimæ prolis: non enim factum aliquod censetur bonum, quod ex eo magnum quodpiam bonum secutum est: sed quia ipsum benè, atque vt oportebat fieri, factum est. *Iudas excusari nō potest à peccato.* Iudam item in illo cum Thamar concubitu peccasse, nulla dubitandi ratio esse potest: nam & factum ipsum per se malum erat & mala facientis intentio. Nempe meretricius concubitus per se malus est. Iudas præterea nulla vel in specie honesta causa impulsus est ad concubitum Thamar: sed improba & libidinosa mente accedens ad eam, quam putabat meretricem sola explendæ libidinis causa. Nec prauitatem facti Iudæ eleuat, quod postea tantopere is à Iacobo laudandus fuerit, omnibusque fratribus suis longe prælatus, quin etiam à Deo electus, vt ex eius stirpe generetur Messias. Non enim propterea non peccauit Gedeon, quod à B. Paulo ad Hebræ. 11. laudatus, & inter sanctos recensitus fuerit]. Nec Dauidis adulterium, & homicidium nō fuit peccatum, quòd is postea amplissimis laudibus à Deo commendatus, maximisque beneficijs cumulatus fuerit: nec ideo putandum est non peccasse D. Petrum, quod postea princeps fuerit apostolorum, simulque pastor ac rector Ecclesiæ. Nimirum priora hominum peccata, ritè per pœnitentiam expiata, nihil obstāt datis à Deo postea beneficijs. Nec factū Iudæ propterea malū nō fuit, quia per illud, sacrū quodpiā magnūque mysteriū præfiguratū, & significatū sit: id enim non volente ac designante Iuda factum est, sed ordinante Deo: cuius tanta est bonitas & potentia, vt mala hominum facta ad ingentium bonorum effectionem & significationem ordinare possit, & vere soleat. Pro his quæ diximus de peccatis Thamar & Iudæ legatur D. Augustinus libro. 22. contra Faustū ca 61. 62. 63. 83. & 84.

VT comburatur.] Sæuum profectò supplicium, & sæuius multo quòd ante partum prægnans occidi iubetur. Quid meruere pati, qui non sunt ab vtero nati? Non est igitur cur Iudam à sæuitia maxima, & crudelitate in nurum suam (prout Rabini faciūt) excusemus; cum etiam in alijs multipliciter peccauerit scilicet immanissimo fratris odio, & inuidia, imo & plagio, mendacio quoque, & fornicatione. Nec debemus quorumlibet fidelium opera in exemplum trahere, nisi eorum dumtaxat qui nobis in exemplum virtutis proponuntur, aliorum verò non nisi eorum facta verbo Dei manifeste concordent: vel aliter constet Deo fuisse accepta & grata. II. *Iuda flagitia multa.*

Quanā verò authoritate, & potestate Iudas damnauerit pœna capitali Thamar, cum ea potestas pertineret ad principem & iudices eius loci, in quo Iudas aduena erat & peregrinus, tripliciter explicatur à doctoribus. *Qua authoritate Iudas iusserit comburere Thamar.* Primò enim Abulensis, Paulus Burgensis, Caietanus Oleaster & alij putant potestatem illam fuisse delatam Iudæ à Chananæis, inter quos versabatur, tum ob præstantem eius prudentiam, atque virtutem multis in rebus spectatam illis, probatamque: tùm quòd propter matrimoniū, quod fecerat cum filia Sue Chananæi, qui eius loci princeps erat, aut certè primarius, magno erat ibi in honore, nec iam vt alienigena, sed tanquam Chananæus habebatur. Secunda expositio est Thomæ Anglici Dominicani dicentis: verba illa Iudæ, Producite eā vt comburatur non esse verba hominis sua auctoritate iubentis

bentis eam comburi, tanquam pro imperio quod in eam haberet: sed verba accusantis, & volentis publicam iustitiam exerceri in Thamar. Tertia explicatio est quorundam, qui opinantur fuisse id temporis in more apud illas gentes, vt qui princeps erat, caputque totius familiæ, in eos qui eius familiæ & sub illius gubernatione essent, plenã & absolutã, vitæ iuxta, necisque potestatem haberet: quemadmodum apud multas gentes, viro in vxorem adulteram animaduertere, ius & potestas erat: Iudas verò caput erat familiæ, ad quã Thamar tã quam nurus eius pertinebat. Ex his modis dicendi eligat lector, quem magis placuerit: mihi certè secundus verosimilior apparet.

III. *Quis grauius peccauerit Iudas an Thamar*

IVstior me est.] In istis verbis non significatur iustam fuisse Thamar, sed malam & culpabilem. Nam vt rectè docent D. Hierony. in Traditionibus Hebraicis in Genesim, & D. Augustinus lib. 22. contra Faustum capite sexagesimosecundo, si Iudam & Thamar inter se conferas, & exactè iudices exploratum habebis, quod quantum ad fornicandi incitamentum spectat multo minus quàm Iudas culpanda Thamar inuenitur, quæ tantum officioso quodam suscitandæ prolis affectu cum socero suo concũbere procurauit. At ille sola explendæ libidinis causa ad alienam accessit, secundûm quod ille fatetur dicens. Iustior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo. Si autem vtriusque crimen inter se compares multo grauius peccauit Thamar, quàm Iudas: quoniam illa incestu polluta est: licet officiosa quadam ignorantia hoc in illa crimen minuatur. Hic autem tantummodo simplicis fornicationis reus est censendus. Nullatenus enim ad eam accessisset, si nurum agnouisset. Id quod ex eo quod sequitur, euidens est. Attamen vltra non cognouit eam.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXIX.

¶ Joseph ductus in Ægyptum, Putipharique venditus gratiam coram hero suo inuenit, ob eximiam tamen ipsius pulchritudinem à domina sua adamatur, & ab ea ad illicitum opus inuitatur: quia vero à Joseph se vidit contemptam, illum apud virum accusat attentati adulterij; propter quam causam in carcerem, vbi vincti regis asseruabantur innocens introducitur; Cæterum ibi quoque gratiam inuenit custodis, à quo cæteris vinctis præficitur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXIX.

A. IGITVR *Ioseph*, vt ad ordinem redeat scriptura, vnde recesserat, *ductus est in Ægyptum* accepturus totius prouinciæ principatum; *emitque eum Putiphar eunuchus*, & præfectus militibus custodientibus personam *Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius de manu Ismaelitarum*, seu Madianitarum *à quibus perductus erat*, disponente Deo, vt humiliaretur ad tempus, qui imminenti tempore erat regnaturus. *Fuitque Dominus cum eo*, illum diuina sua gratia ac superna prouidentia concomitans, *& erat vir* ob virtutem non ob ætatem *in cunctis prospere agens* ac omnia in manu sua proficere faciens, & augeri. *Habitauitque* non in agris cum rustica familia, sed inter famulos domesticos & vrbanos *in domo domini sui, qui* fide in Deum proficiens *optime nouerat Dominum esse cum eo*, ipsaque experientia certior fiebat herus omnia Iosepho quasi in manibus crescere; *& omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius:* Domino namque ferebat acceptum quidquid prosperitatis consequebatur per seruum Ioseph, non fato, non cœlis; *Inuenitque Ioseph gratiam coram Domino suo*, cui gratus mirum in modum extitit, *& ministrabat ei. A quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum: & vniuersa quæ ei tradita fuerant; Benedixitque Dominus*, ac benefecit *domui Ægyptij propter Ioseph*, non secus ac benedixerat domui Laban propter Iacob: *& multiplicauit tam in ædibus, quam in agris*, hoc est domi & foris *cunctam eius substantiam*: ita vt nihil dominus haberet, quod in manibus Ioseph non prosperaretur, & proficeret. *Nec quidquam aliud nouerat* ipse herus cuius rationem exposceret, aut curam habe-

I. habebat, *nisi panem, quo vescebatur*, seu comedere & bibere: nam hoc solùm curabat, an cibus ad comedendum esset paratus an non: cætera fideli seruo committēs. *Erat autem Ioseph* non solùm animo virtuti deditus, ac pulcher in anima, sed & *pulchra facie, & decorus aspectu*; tum figuræ tum coloris pulchritudinem perferēs. *Post multos itaque dies*, nempe post annum captiuitatis decimum, vel vndecimum, vt diabolus, qui in Iosephi necem fratres armauerat, contra eum armaret & fœminam, *iniecit domina sua oculos suos* lasciuos & flagitium spirantes *in Ioseph*, prius oculorū telis, deinde verborum aculeis eum adoriens, *& ait: Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario*, quò procacem illam mulierem, quantum possibile erat ab insania hac liberaret, & ab illicita hac concupiscentia, & consilium illi afferret, quod sufficiebat ei; vt pudefieret, & quid sibi prodesset cognosceret *dixit ad eam: Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua*, ac tantopere est mihi beneficus quãuis famulo, & peregrino & captiuo, quòd *nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi* ex omnibus, quæ possidet, *præter te, quæ vxor eius es*; cui soli subijcior cū alijs omnibus præsim. *Quomodo ergo possum hoc malum* tã horrendū, tot deformitatibus plenū in herū, & in benefactorē *facere, &* præterea quod horribilius *est peccare in Deum meum* supremū iudicē, à quo nullatenus latere poterimus? C. *Huiuscemodi verbis per singulos dies* vtebatur; sæpius nāque cōpulsus est Ioseph certamen hoc sustinere, nā *& mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* II. *Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum*, prout ratione sui officij intrare solebat, *& operis quippiam absque arbitris faceret*, nō præuidēs, quòd solus existēs herę furēti copiā dabat ad hoc, vt *& illa apprehēsa lacinia*, seu extrema ora, vel fimbria *vestimēti eius* nō astricti, sed fluētis, *diceret: Dormi mecū. Qui* tutius iudicās vestimentū suū cū tēporali dispendio excutere, & ignē procul à se abijcere, quā silētio diu premēdo flamā fœmineam in sinu suo alligare cū periculo animę, *relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.* Licet enim potuisset robustus adolescēs mulierculę palliū de manibus violēter extorquere: sed ne reuerētiæ deesset, nec vllā vim facere dominæ voluit. *Cūque vidisset mulier vestē in manibus suis, & se esse contēptam* insanum amorē in acutū odiū cōuertens, *vocauit ad se homines domus suæ, &* multis verbis, vt fieri solet, mēdacio fidē astruere studēs, *ait ad eos: En* videte, quid egit *introduxit virū Hebræū vt illuderet*, seu irrideret *nobis. Ingressus est* nāque seruus iste Hebræus *ad me, vt coiret mecū. Cūque ego succlamassē, & audisset* quòd eleuarē *vocē meā, reliquit palliū, quod tenebā, & fugit foras.* III. D. *In argumentū ergo fidei*, & in signū ac probationē accusationis suæ, quòd vera esset & digna, cui fides adhiberetur, *retentū palliū ostēdit marito reuertēti domū, &* cōsuetis mulierū armis, mēdacijs exaggerationibus, cōtēptu, clamoribus, peruicarijs, inuerecūdia, aggrediēs perditionē sancti adolescētis *ait: Ingressus est ad me seruus Hebræus, quē adduxisti* quasi adhuc tantū finē, nēpe *vt illuderet mihi. Cūque audisset me clamare, reliquit palliū, quod*, vt eū detinerē, ne fugā iniret, *tenebā & fugit foras. His auditis dñs, & nimiū credulus verbis cōiugis*, non aduertit hāc ipsā vestē indiciū esse vxoris violētię, & adolescētis reuerētiæ: nā si vim dominę voluisset inferre, facile viribus præstātior amiculū retinuisset. Vnde *iratus est valde*, nihilominus nō permisit Deus ad cędē iusti festinare, sed tantū quod includeret, vt iniectus in carcerē, etiā illic suā declararet virtutē. Herus ergo quāuis iratus esset cōtinuit tamē furibundā manū; † *tradiditque Ioseph in carcerē vbi vincti regis*, quos rex includi præcipiebat, *custodiebantur, & erat ibi clausus*, durissimis vinculis & cōpedibus cōstrictus. († Ps. 104 b. 28.) IIII. *Fuit autem Dñs cū Ioseph*, non derelinquēs eū in hac afflictione, *& misertus illius* ipsum consolādo, *dedit ei gratiā in cōspectu principis carceris*: nā fecit, vt illi esset gratiosus, & acceptus. *Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos, qui in custodia tenebātur*, vt qui fuerat clausus in carcere ipse potius carceris claustra seruaret, *& quidquid fiebat, sub ipso erat*, nihil enim aliud vincti faciebāt nisi ꝙ Ioseph iubebat fieri: *nec nouerat aliquid* custos carceris ad hoc, vt eius curā ageret, vel solicitus esset *cūctis ei creditis*; quia sola fretus fidelitate Ioseph, cui omnia plenissime commiserat, quidnā circa vinctos ageretur, nesciebat carceris princeps. Hāc rerū prosperitatē fons omniū bonorū largitus est ipsi Ioseph. *Dñs enim erat cū illo, & omnia opera eius dirigebat faciens, vt cūcta prosperè succederent.*

ANNOTATIONES IN CAP. XXXIX.

I. *Nescire panem quid designet.*

NEC quidquam aliud nouerat nisi panem.] Variè tam nostri quàm Hebræi locum istum interpretantur. Quidam enim ad Ioseph verbum nouerat referentes hunc faciunt sensum: Ioseph nihil ex cibis domini sui nouerat præter siccum panem, quo vescebatur; & tamen vultum habuit elegantem. Sicut & Daniel abstinens à regijs cibis, vescebatur leguminibus, & interim erat corpulentior, & puchrior illis, qui regijs nutriebantur alimentis. Alij referentes verbum nouerat ad Putipharem hanc literam sic legunt, & intelligunt: Non discernebat cum eo quidquam nisi panem; id est; omnia illis communia erant, nisi quod dominus in cibo non communicabat cum eo, quoniam non licebat AEgyptijs comedere cum Hebræis, vt infra dicetur. Sed simplex & germanus literæ sensus est, quem in paraphrasi proposuimus, videlicet quòd Ioseph cuncta curante, dominus non curabat nisi comedere & bibere; ita vt nihil eorum, quæ possidebat, nouerat nisi solum panem, id est, cibum, seu comedere & bibere; nam hoc solum curabat, an cibus ad comedendum esset paratus, necne. Per panem enim hoc in loco, vt Diuus Augustinus in locutionibus adnotauit, omnia intelliguntur ad victum pertinentia. Et hunc sensum contextus approbat; nam antea dictum est, quòd dominus constituerat eum super domum suam, & omnia quæ habebat tradiderat in manu eius, vt scilicet ipse de cætero ea curaret, & dominus suus vacaret ab huiuscemodi curis. Infra etiam dicit heræ suæ Ioseph. Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua nec quidquam est quod non in mea sit potestate. Vbi præcedens & subsequens textus locum illum explicare videntur in sensu, quo à nobis explicatur.

II. *Stuprum pro adulterio.*

REcusabat stuprum.] Duplicem habet significationem, propriam videlicet & communem. Propriè stuprum vocatur illicita virginum defloratio, vt docet noster Gratianus circa cap. lex illa 36. quæstione. 1. Communiter vero & largo sumpto vocabulo etiam adulterium vocari solet stuprum, vt in l. Iulia D. de adulterijs; & alibi sæpè apud Iuris consultos: & hanc significationem etiam admittit D. Augustinus relatus in cap. Idolatria 28. quæstione 1. In quo sensu dicitur in præsenti Iosephum recusasse stuprum. & Numer. cap. 5. stuprum sumitur etiam pro adulterio.

III. *Superbi dedignantur alios nominare.*

EN introduxit:] Mulier ista propriam malignitatem innocenti imponens apud familiam, non nominat virum suum quamuis de eo sermonem faciat, sed superborum loquitur more qui eos, de quibus loquuntur nominare dedignantur: vt Ezechiel. 11. visio, quam hic videt in multos, & in tempora longa iste prophetat. Vbi impij Iudæi contemnentes Ezechielem eius nomen tacebant. Hoc ipsum adnotauit Cyril. libro. 4. super Ioannem cap. 37. circa illa verba Ioan. capit. 7. vbi est ille; dicens Iudæos ex arrogantia magna noluisse his verbis Christum nominare, quasi eum contemnentes. Et Saul 1. Reg. 20. in contemptũ Dauidis nolens eũ proprio nomine vocare, appellat eum filiũ Isai.

IIII. *Cur dominus Ioseph non iusserit eum occidi.*

TRadiditque Ioseph in carcerem.] Quæret fortasse quispiam cur dominus Ioseph credens illum tãti criminis esse reum, valdeque ira percitus, prout fatetur textus affirmat, non iusserit occidi: dignus enim ob tam audax & nefarium scelus capitali supplicio videri ei debuit. Respondet D. Chrysostomus homil. 61. in Genesim, Deum, qui erat Beati Ioseph tutor & protector, non esse passum id fieri, neque id venire in mentem domino Ioseph: sed animum eius demitigasse, & complacasse aduersus Ioseph, à consilio & voluntate necandi eum prorsus auertendo. Posset etiam dici, illũ indulsisse hoc singulari beneuolentiæ atque amori, quo diu multumque dilexerat ipsum: maximè verò id condonasse multis, & magnis erga se officijs & meritis: quippe qui fidelissimam sibi, & liberalissimam, atque vtilissimam seruitutem multis annis seruierat.

Ioseph non solũ in carcere, sed etiam in vinculis & compedibus fuit.

Ioseph præterea non solùm in carcerem esse detrusum, sed etiam durissimis vinculis & compedibus fuisse constrictum, vt in paraphrasi habetur liquido constat tum ex illo Psalm. 104. Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius: tum etiam ex illo Sapien. cap. 10. Hæc (Sapientia) Venditum iustum (Ioseph) non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum; descendit que cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illũ: donec afferret illi sceptrũ regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.

ARGVMENTVM IN CAP. XL.

¶ *Ioseph in carcere existente pincerna & pistor regij incarcerantur: & cum vterque somnium vidisset, conforme muneri*

neri suo accessit Ioseph, eisque somnia prudentissimè dissoluit; iuxta cuius interpretationem post diem tertium pincernarum princeps restitutus est officio suo, pistorum vero magister è patibulo suspensus: nec tamen propterea præpositus pincernarum recordatus est Ioseph, qui sibi prospera nunciauerat,

PARAPHRASIS IN CAPVT XL.

A. HIS ITA GESTIS, quę in præcedēti capite dicta sunt, *accidit vt peccarent duo Eunuchi*, seu præfecti palatini, nempe *pincerna Regis Ægypti*, qui ei poculū immediatè porrigebat, *& pistor*, cuius erat operā dare, vt fieret panis pro rege, *domino suo* offendentes animū Pharaonis: quia facile periclitantur, qui potentibus famulantur. *Iratusque contra eos duos Eunuchos Pharao*, quos eunuchos voco, *nam alter pincernis præerat,*

I. *alter pistoribus, misit eos in carcerem*, qui erat constitutus sub officio Putipharis, *principis militum* custodientium domum regiam, *in quo erat vinctus & Ioseph*, non quòd ligatus esset vinculis ferreis, aut alterius materiæ, sed quia carcere quasi vinculis clausus detinebatur; ita tamen vt curam aliorum vinctorum gerere posset. *At custos carceris tradidit eos* duos eunuchos, prout etiam tradiderat reliquos vinctos ipsi *Ioseph, qui & ministrabat eis*, & præter id consolabatur eorum mentes, erigebat eorum animos, & non permittebat absorberi tristitia. *Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. Videruntque ambo somnium nocte vna* & eadem; & somnium quod quisque vidit fuit secundum exigentiam propriæ causæ, *iuxta interpretationem congruam sibi*, quam postea contulit Ioseph somnio vniuscuiusque prout vterque vinctus post modum expertus est. *Ad quos cum introisset Ioseph mane* eis summa diligentia & charitate ministraturus, *& vidisset eos tristes* facie mutata, ostendebant enim facies eorum intus latentem turbatio-

B. nem, *sciscitatus est eos dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra*, adeò vt infirmos vos esse videamus? *Qui respondetunt: Somnium vidimus*, indicans, quid cuique nostrum in posterum sit euenturum, *& non est* ariolus aliquis, vel augur, seu prudens quisquam somniorum coniector, *qui interpretetur nobis*, cum ad eos recurrere non possimus. *Dixitque ad eos Ioseph: Numquid non Dei est interpretatio*, & explicatio rerum difficilium? ac proinde is dumtaxat, cui Deus reuelauerit, poterit interpretari somnia melius, quàm ariolus, aut augur. *Referte mihi quid videritis*: ego enim, qui verum Deum colo, & veneror, forsan interpretabor ac certè promitto non ex me confictum expositionē. *Narrauit prior, præpositus pincernarum somnium suum* animæquior factus verbis Ioseph. *Videbā coram me vitem, in qua erant tres propagines*, seu palmites, quos palmites videbam *crescere paulatim in gemmas, & post flores*, qui in gemmis pullulabant, conspiciebam succedentes *vuas maturescere, calicemque Pharaonis*, in quo ei vinum ministrare solebam, *in manu mea: Tuli ergo vuas: & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni*. Cuius, obsecro, visio ista signum esse potuit? *Respondit Ioseph. Hæc est interpretatio somnij. Tres propagines*, seu palmites, quos in vitē conspexisti *tres adhuc dies sunt*, in illis palmitibus repræsentati, *post quos recordabitur Pharao ministerij tui*, misericorditer tecum agens, *& restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueueras*, quando exercebas munus pincernæ eius. *Tantum memento mei*: neque enim exposco pretium tam fausti nuncij: tantū peto, vt, mei etiā recorderis, *cum bene tibi fuerit*, & fęlicitatem tuam obtinueris, *& facias mecum*, qui hæc tibi prædixi, hanc II.

hanc singularem *misericordiam, vt suggeras Pharaoni* mei mentionem faciens, & succurrens ad hoc; *vt educat me de isto carcere*, ad quod mouere te debet duplex infęlicitas, quam patior: *quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & quasi mancipium alienigenis traditus, ac præterea hic innocens in lacum*, seu carcerem profundum, *missus sum. Videns pistorum magister quòd prudenter* verisimilia prędicens & fausta, *somnium dissoluisset*, ratus suum sibi somnium boni aliquid præsignare, speransque & ipse grata audire *ait. Et ego vidi somnium, Quod tria canistra farinæ* decoctę & in cibos redactæ *haberem super caput meũ*: quorũ vnũ alteri eminebat: *& in vno canistro quod erat* cęteris duobus *excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo. Respondit Ioseph* accepta etiam ex superna reuelatione huius somnij dijudicatione, dicens: *Hæc est interpretatio somnij. Tria canistra tres adhuc dies sunt*, tribus illis canistris diuinitus præsignati; *post quos auferet Pharao caput tuum*, decollari te faciens, *ac suspendet te*, seu emortuum corpus tuum *in cruce*, vtpote atrocissimo, simulque ignominiosissimo supplicio; *& lacerabunt volucres carnes tuas*. Hæc duo somnia & eorum

D.

enodatio non pro meritis somniantiũ, sed vt Ioseph, qui latebat manifestaretur, & magnificaretur, proculdubio euenerunt. *Exinde* igitur *dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuiũ pueris suis*, vt diem natalis sui cum festiuitate celebraret, *recordatus est inter* ordinandum & disponendum *epulas magistri pincernarum, & pistorum principis*, recensendo scilicet ministros, quos epulis assistere oportebat. *Restituitque alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum, alterum* post caput eius sublatum *suspendit in patibulo*: nam sicut clementia honor est Principis; sic & † honor regis iudicium diligit. Vtrumque autem diuinitus ordinatum est *vt coniectoris veritas*, atque quàm verus somniorum interpres esset Ioseph, *probaretur* ipsa experientia: non quod Pharaoni causa faciendi, seu executioni mandandi prædicta iudicia fuerit, vt quod nesciebat somnium & explicationem eius confirmaret: sed exercendo quod diuina prouidentia portendebat ostendit vera fuisse, & nõ inania quæ Ioseph retulerat. *Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui*: sic Dei prouidentia disponente, quo iustus Ioseph clarius & magnificentius redimeretur.

III. (beside "raonis erat")

† Psal. 98. 4.

IIII. (beside "cedentibus prosperis")

ANNOTATIONES IN CAP. XL.

I. *Eunuchi erãt præfecti ministris regijs.*

CONTRA eos Pharao.] Ex hoc loco licet intelligere quidnam intelligat scriptura nomine Eunuchi. Hucusque enim textus Hebraicus non expresserat hos duos ministros regis, nempe pincernam & pistorem fuisse eunuchos: nam in principio capitis litera Hebraica sic habet: Accidit vt peccarent pincerna regis, &c. Hic vero sic legit. Et iratus est Pharao cõtra duos Eunuchos. Vnde quia post ista verba immediatè videtur subiungere rationem ob quam eos vocat eunuchos videlicet, nam alter pincernis præerat, alter pistoribus, existimo cũ Lyrano, Abulensi, Caietano & alijs nomine eunuchi, non semper significari castratos, sed interdum etiam ministros regis, non quoscumque, sed præfectos seu principes duntaxat: ea forte ratione quod prioribus temporibus domestici ministri regij, & qui præficiebantur alijs ministris manentibus extra palatium, fuerãt vere eunuchi; quo securius intra domum regiam cum vxoribus & ancillis principis agere & communicare possent: & inde similes ministri, quamuis spadones non essent, idem nomen eunuchi retinuerunt. Quòd autem qui eunuchi vocabantur, præfecti essent aliorum patet tum ex hoc loco, vbi illa causalis, nam alter pincernis præerat, &c. non potest referri nisi ad id quod dixerat esse eunuchos: quæ assertio in litera Hebraica immediate præcedit; in editione vero Latina ponitur in principio capituli. Tum etiam ex Hester cap. 2. vbi eunuchi ianitores dicũtur præfecti ibi. Irati sunt Bagathã & Thares duo eunuchi regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præsidebant.

II. *Interpretatio sõniorum aliquan do licita*

HAEC est interpretatio somnij.] Interpretatio somniorum non solum licita est quando somnia procedunt ex causa naturali intrinseca vel extrinseca, & diuinatio non se extendit, vltra id quod talis causa vel virtus naturalis potest: sed etiam & multo amplius est licita, quando somnium procedit ex reuelatione diuina, & qui illud interpretatur pollet spiritu prophetiæ; vt contigit in præsenti: In quo casu loquitur Iob capit. 33. inquiens: Per somnium in visione nocturna, quãdo irruit sopor super homines & dormiunt in lectulo, tunc aperit (scilicet Deus) aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina. Et Numer. 12. dicitur. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Cæterum qui de hac re plura videre desiderat legat D. Th. 2. 2. quæst.

quæst. 95. artic. 6. & 3. cont. gent. cap. 54. & eius commentatores.

II. *Antiquitas & superstitio celebrãdi dies natales.*

DIes tertius natalitius.] Vide quàm sit antiqua superstitio hæc apud principes huius mundi, diem suum natalem ingenti magnificentia, luxuque celebrandi. Fuit hoc in more apud antiquos illos Persas, totius Asiæ regnatores, vt meminit Plato in primo Alcibiade. Cùm primus natu, inquit, filius regi natus fuerit, & cuius regnum est futurum, natalem eius primo colebant omnes qui in regia sunt, & quibuscunque dominaturus est: deinde in reliquum tempus, eiusdem natalem diem omnis Asia celebrat, & sacrificat. Idem factitasse Reges Medorum, qui ante Persas imperarunt Asiæ, intelligere licet ex primo libro Xenophontis de Cyropædia. A barbaris porrò transijt hæc superstitio ad Græcos; nec ad Principes tantùm, verùm ad Philosophos etiam, &, quod mirari est magis ad eos maximè, ad quos minimè omnium pertinere videretur. Epicurum certè M. Cicero acutè ac festiuè incessit, quòd qui animos hominum faceret mortales, nihilque hominis post mortem superesse censeret, is tamen accuratè ac diligenter testamento suo sanxerit, vt hæredes ipsius aliquantum pecuniæ quotquot annis, ad natalem suũ mense Gamelione celebrandum conferrent. Hæc ego, inquit Cicero, non possum dicere nõ esse hominis, quamuis & belli, & humani: sapientis verò nullo modo: Physici præsertim, quem se ille vult, putare vllum esse cuiuspiam diem natalem. Quid? verene potest esse dies sæpius, qui semel fuit? Certè non potest. An eiusdem modi? Ne id quidem, nisi cum multa annorum intercesserint millia, & omnium syderum, eôdem, vnde profecta sint, fiat ad vnũ tempus reuersio. Nullus est igitur cuiusquam dies natalis. Atque hac ratione Cicero vanissimi hominis superstitionem confutauit,

Idem moris fuisse postea apud Romanorũ Imperatores, ex Romanis historijs notum est. Monstrum illud, & pestis humani generis, Caligula Imperator, Consulibus Romanis oblitis de natali suo edicere, abrogauit magistratum. Refert Gellius Epistolam Augusti Cęsaris scriptam ad Caium Nepotem in hanc sententiam: Aue mi Cai, meus ocellus iucundissimus, quem semper medius fidius desidero, cũ à me abes, sed præcipuè diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem, vbicunque hoc die fuisti, spero lætum & bene valentem, celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum: nam, vt vides, climatericum annum communem seniorum omnium, tertium & sexagesimum annum euasimus, sic ille. Amici etiam amicorum, quin etiam multo antè mortuorum hominum, quos videlicet maximè diligebant, & honorabant, natalitium diem agebant. Plinius certè libro. 3. Epistolarum scribit, Silium Italicum vsque adeo Virgilij memoriam coluisse, vt natalem eius religiosiùs, quàm suum celebraret. Neapoli maximè, vbi monimentum eius adire vt templum solebat.

At enimuerò neminem offendimus in sacris literis, (quantum in præsens suppeditat memoria) laudatæ virtutis & sanctitatis virum, natalem suum celebrasse; sed id tantùm de duobus memorari regibus, Pharaone & Herode; altero Gentili, in hoc loco; altero Iudæo, sed improbo atque impio, apud Marcum capite sexto. Imò verò legimus sanctissimos viros conceptum & ortum suum multis & lacrymis deplorasse, atque etiam maledictis insectatos esse. Nota est querimonia illa Iob: Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo; & cętera, quæ ibi subduntur. Similis est comploratio & querimonia atque insectatio apud Hieremiam: Maledicta (inquit) dies, in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Hæc scilicet sancti viri dicebant cum animo suo reputantes se conceptos & natos esse cum peccato, & naturâ filios iræ; & in hunc modum tanquam in ærumnosissimum & calamitosissimũ exilium venisse plurimis & grauissimis doloribus ac miserijs obnoxios, cuius rei manifestum esse signum ait Plinius, solum animalium hominem, cum planctu vagitũque nasci. Hominem tantùm, inquit, nudum, & in nuda humo natali die abijcit ad vagitus statim, & planctum natura, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio. Nec risus, etiam præcox ille & celerrimus, ante quadragesimum diem vlli d[illegible]r. Et paucis interpositis; Itaque multi extitere, inquit, qui non nasci optimum censuerunt, aut quàm ocyssimè aboleri.

III. *Tres tantum natales dies celebrant Christiani.*

Sic Plinius. Populus autem Christianus triũ duntaxat natales dies festos agit, & religiosè celebrat, Christi Domini, Deiparę virginis, & præcursoris Domini Ioannis Baptistæ. Cur autem id faciat & iusta & manifesta causa est. Nam vt alia taceam ad ortum Saluatoris nostri celebrandum Angelorum exemplo, documentoque incitatus est. Scriptum enim est, nato Domino dixisse Angelum pastoribus: Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium gloria in altissimis Deo & cætera. De beatissima Virgine canit Ecclesia: Natiuitas tua Dei genitrix virgo gaudium annunciauit vniuerso mundo: ex te enim natus est sol iustitiæ Christus Deus noster & cætera. De sancto præcursore Baptista Angelus dixit Zachariæ: Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus corã Dño. Cæterorum verò sanctorũ Ecclesia non ingressum in hunc mundum celebrat, sed egressum ex hoc mundo in cælum; atque eum diem verè appellat eorum natalem, quippe qui non eos mundo miseros edit, sed cælo parit beatos.

ET

Digitized by Google

III. *Anima pro vita corporali.* NON interficiamus animam.] Sadducæi falso imposuerunt Moysi quòd hoc loco animam hominis mortalem esse docuerit: nam & in prophetis inuenitur frequenter huiusmodi loquendi modus: iuxta illud quod Hieremiæ capite quadragesimo habetur: scito quòd Baalis Rex filiorum Ammon misit Ismael filium Nathaniæ percutere animam tuam. Cum tamen certissimum sit prophetas sanctos posuisse rationalem hominis animam esse immortalem. Dicendum est ergo in his & in alijs similibus locis nomine animæ, vitam corporis animati significari: ponique causam ipsam pro eo, quod efficitur: vt docet Diuus Augustinus in libro locutionum in Genesim. In quo etiam sensu sumitur eadem vox anima apud Iob capite secundo. Pellem pro pelle, & cuncta, quæ possidet, dabit homo pro anima sua. Et post pauca. Veruntamen animam illius serua.

IIII. *Ioseph bis tātū fuit venditus.* VEndiderunt eum Ismaelitis.] Quorundā Rabinorum sententia est, Ioseph ter fuisse vēditum. Primò quando fratres sui vēdiderunt eum Ismaelitis, vt hic dicitur. Secundò quando Ismaelitæ vendiderunt eum Madianitis: cuius venditionis in sacra scriptura non fit expressa mentio, debet tamen subintelligi. Tertiò quādo inferius in hoc eodem capite dicitur Madianitas vendidisse Ioseph in AEgypto Putiphari; quod videtur intelligendum de tertia venditione. Hæc tamen sententia innititur falso fundamento, & scripturæ sacræ contrario: existimat enim Ismaelitas non vendidisse Ioseph Putiphari, sed Madianitas: cuius tamen oppositum asseritur infra capite trigesimo nono, vbi dicitur Putiphar emisse Ioseph ductū in AEgyptū, de manu Ismaelitarum. Vera igitur sententia est Ioseph bis tantum fuisse venditum: semel scilicet Ismaelitis, & semel Putiphari. Neque obstat Madianitas vendidisse eum Putiphari: Ismaelitæ enim & Madianitæ quamuis à diuersis filijs Abrahæ originem duxerint, nempe ab Ismaele filio Agar & à Madian filio Cethuræ; nihilominus saltim per aliquod tempus vnam & eandem gentem condiderunt, & eandem prouinciam habitauerunt: quod insinuat scriptura supra capite vigesimoquinto, quando inquit: Abraham separasse filios concubinarum ab Isaac filio suo ad plagam Orientalem. Vel potest dici & melius, quòd sicut Iudæi strictè sumpto vocabulo, solum dicuntur qui ex tribu Iudà originem ducunt: largè verò sumpto appellantur Iudæi omnes Israelitæ, accepta denominatione à principaliori tribu, quæ fuit Iudæ. Ita Ismaelitarum nomen propriè & strictè sumptum significat solum descendentes ab Ismaele, largè verò omnes descendentes à filijs concubinarum Abrahę, eo quod inter eos præcipuus fuit Ismael, appellantur Ismaelitæ. Et quia tales erant Madianitæ, qui emerunt Ioseph, vocantur hic generali appellatione Ismaelitæ, cum tamen propriè essent Madianitæ. Et hunc modum dicendi sequimur in paraphrasi. Vnde Ismaelitæ & Madianitæ hoc in loco pro eadem gente reputantur à D. Augus. in quæst. super Genes. & ab alijs communiter doctoribus.

Madianitæ interdū cōprehenduntur sub Ismaelitis

LVgens in infernum.] Hoc in loco Hebręorum plerique, & nonnulli nostrorum Hebraicum Sceol pro fossa vel sepulchro accipiunt: sed fortè falluntur. Nā si de sepulchro sermo fiat, quomodo Iacob in spelunca duplici sepeliendus dixisset, se descensurū ad filium, qui à bestijs deuoratus putabatur? Non enim tantum dixit: Descendam lugens in infernum: sed descendam ad filium meum. Quare procul dubio intellexit de loco quodam inferno, in quo cum prioribus iustis filij eius animā quiescere putabat: vt sensus sit, consolationem nullam se admissurum donec Ioseph videat: quem visurus non sit iam mortuum, donec illi in communi iustorum receptaculo apponatur. In hoc sensu explicant locum istum D. Hieronymus in Epist. 129. ad Dardanum, Augusti. quæstione. 126. Rupertus libro. 8. in Genes. capit. 25. quos communiter Theologi sequuntur. Vide plura de hac re apud Pererium hic disputatione 8. V. *Infer ānus sanctorū Patrum.*

ARGVMENTVM IN CAP. XXXVIII.

¶ Iudas accepit in vxorem filiam Sue Chananitidē, de qua tres habuit filios, quorum primogenito dedit in vxorem Thamar, & illo mortuo tradidit eandem filio secundo, quo etiam mortuo, post multum temporis ipse Iudas habuit rem cum nuru sua, existimans eam esse aliquam meretricem, sed postea agnitis muneribus, quidnam à se factum fuisset, etiam agnouit. Ex eo autem concubitu Thamar concepit, & peperit geminos infantes, Phares, videlicet & Zaram,

PARA-

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXVIII.

A. EODEM *tempore* antequam Ioseph esset venditus *descendens Iudas à fratribus suis*, è loco altiori, qualis est Hebron, *diuertit*, vxorem requisiturus *ad virum Odollamitem nomine Hiram* pastorem gregum suorum, qui habitabat in vico Odolla, decem milliaribus ab
† 1. par. 2. a. Eutropoli distante versus ortum solis. † *Viditque ibi filiam hominis Chananæi*, seu negotiatoris cuiusdam *vocabulo Sue: & accepta vxore* filia præfati Sue à Iuda *in-*
I. *gressus est ad eam* 1 per actũ matrimonij. *Quæ concepit, & peperit filium & vocauit*
† Num. 26. b. 19 *nomen eius Her.* † *Rursumque concepto fœtu natum filium vocauit Onan. Tertium quoque peperit, quem appellauit Sela: quo nato parere vltra cessauit.* Hos igitur tres filios habuit consequenter, & absque intermissione vir eius ex illa. *Dedit autem Iudas vxorem primogenito suo Her, nomine*
† Num. 6. c. 19. *Thamar.* † *Fuit quoque Her primogenitus Iudæ* eius conditionis, qualis fuerunt pri-
B. mogeniti Abrahæ, Isaac, & Israelis, videlicet *nequã in conspectu Domini*, seu in rei veritate, *&* ideo *ab eo occisus est*; vt in horum primogenitorum abiecta conditione mysterium abiectionis Iudæorum & insertionis Ecclesiæ ex gentibus præfiguraretur. *Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum: Ingredere ad vxorem fratris tui* defuncti, & nullum post se semen relinquentis, *& sociare illi* affectu maritali, antequam ad eam ingrediaris, *vt suscites semen fratri tuo* gignendo filium ex Thamar, qui fratri suo mortuo ascribatur, & eius sit filius secundum legem inter nos iam cæptam obseruari. *Ille sciens non sibi*, sed fratri suo mortuo, *nasci filios*, nam qui nascituri essent nõ sibi, sed fratri ex lege ascriberẽtur: nec sui, sed fratris filij vocandi essent, *introiens ad vxorem fratris sui* eã carnaliter cognoscendo, *semen fundebat in terram*, hoc est, extra vas muliebre, idque inuidia permotus, *ne liberi fratris nomine nascerẽtur. Et idcirco percussit eum Dominus* insigni aliqua plaga, & innaturali morte eo *quod rem detestabilem faceret*, & quæ contra naturam non solum speciei, sed etiam generis erat. *Quamobrem dixit Iudas Thamar nurui suæ: Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Selà filius meus.* Cæterum quamuis Iudas sponderet Selam, propositum tamen gerebat non dare illum Thamar nurui suæ: *timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius*, arbitratus eam male ominatam fœminam: cum nihilominus non sua culpa contigisset mors filijs Iudæ, sed ipsorum malitia, qui indigni erãt sacro semine, quod Deus destinauerat ex Thamar nobili palma mundo edere. *Quæ abijt & habitauit in domo patris sui*, expectans donec leuir suus cresceret, & ad ætatem nuptialem perueniret. *Euolutis autem* C.
multis diebus mortua est filia viri illius Chananitidis *Sue, vxor Iudæ; qui post luctum consolatione suscepta ascendebat ad tonsores ouium suarum ipse & Hiras opilio gregis Odollamites*, cuius superius memoriam feci, *in Thamnas* prægrandem vicum in finibus Diospoleos euntibus AEliam. *Nunciatumque est Thamar, quod socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oues. Quæ* videns Iudam non velle implere promissa dandi sibi in maritum filium suum Sela, tempus congruum expectauerat, quo posset filios ex socero procreare: quapropter mox vt sibi innotuit occasio expectata, *depositis viduitatis vestibus assumpsit theristrum*, seu velum æstiuum lineum, aut sericeum, maiorem corporis partem & caput tegens, quo meretrices vtebantur, *& mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam*: vbi pelliceret socerum ad sui desiderium, eiusque concubitum furari posset, *eo quod creuisset Sela, & non eum accepisset maritum*, experteretque illustri ad modum Abrahæ semine frui, & in eo nomen habere. *Quam cum vidisset* D.
Iudas suspicatus est esse meretricem, tum ex habitu, & gestu, tum quia sola absque socijs transeuntium conspectui se obijciebat: *operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur*; quod tunc temporis meretrices facere solebant, & vsque hodie alicubi mos est meretrices faciem operire. *Ingrediensque ad eam* Iudas, accedendo ad locum Thamar existebat graui cõcupiscentiæ crimine irretitus *est. Dimitte me vt coeam tecum*, existimans se meretricem ad concubitum dumtaxat vagum, quamuis mortalem inuitare: *nesciebat enim quod nurus sua esset. Quæ* sono

vocis imbutos. *Respondente; Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? dixit: Mittam tibi hædum de gregibus*, ad quas nunc pergo. *Rursumque illa dicente; Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem*, seu pignus, quod dato precio redimi possit, *donec mittas, quod pollicèris*, *Ait Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum*, quo literas signare soles, *& armillam*, qua cingis brachij extremitatem, *& baculum, quem manu tenes*. Ne enim de vita & honore periclitaretur, hæc omnia exigere debuit prudens Thamar, quæ non ad ornamentum, sed ad testimonium reseruauit. *Ad vnum igitur coi-*
E. *tum mulier concepit*; nec tamen id absque grauissimo incestus peccato peregit: *& surgens abijt* in domum suam, *depositoque habitu, quem sumpserat induta est viduitatis vestibus*; sub quibus honestè ac castè conuersabatur in domo paterna. *Misit autem Iudas hædum per pastorem suum Odollamitem*; qui cum eo venerat, eratque conscius & facti & loci, *vt reciperet pignus quod dederat mulieri. Qui cum non inuenisset eam, interrogauit homines loci illius: Vbi est mulier, quæ sedebat in biuio*, seu meretrix execrabili lucro turpem vitam agens? *Respondentibus cunctis: Non fuit in loco isto meretrix*, quæ se se ad stipem exponeret; *reuersus est ad Iudam & dixit ei: Non inueni eam; sed & ho-*
F. *mines loci illius dixerunt mihi: Nunquam sedisse ibi scortum. Ait Iudas: Habeat sibi* arrhabonem, seu pignus, quod pro hœdo illi tradidi: *certe mendacij arguere nos non poterit. Ego misi hædum, quem promiseram & tu non inuenisti eam*. Interdum namque carnalis homo magis de mendacio, quod non semper peccatum est ad mortem, etiam apud meretricem; quàm de fornicatione, quæ semper est ad mortem apud Deum se reum haberi formidat. *Ecce autem post tres menses nunciauerunt Iudæ* tanquam gubernatori & ius dicenti in terra illa, *dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua*: idque sarcina ventris apertè ostendit; nam *& videtur vterus illius intumescere. Dixitque Iudas* præcipitando sententiam: *Producite*
II. *te eam, vt comburatur*: quod est sæuitia maxima, & odio nurus suæ magis quàm ex iustitia infligi statuit Iudas honestæ aliàs & castæ mulieri. *Quæ cum duceretur ad pœnam* grauida, vna cum prole immanissimè comburenda, *misit ad socerum suum dicens: De viro cuius hæc sunt concepi. Cognosce cuius sit annulus & armilla & baculus*: quæ tria in testes fide dignos affero, qui loquantur, & satis me criminis innoxiam demonstrent coram te. *Qui agnitis muneribus*, G.
sententiam reuocando & irritando, *ait: Iustior me est*, non quod iusta fuerit, sed quia comparatione mei minus III.
mali fecit: desiderium enim habendæ prolis, quo ducta illa se mihi supposuit, *quia non tradidi eam Sela filio meo*, minus malum fuit, quàm libidinosi concubitus ardor, quo ipse velut ad meretricem victus intraui. *Attamen vltra non cognouit eam*: neque etiam alteri desponsauit, cum non deceret leuiro eam ducere in vxorem, postquam cognita fuit à socero. † *Instante autem partu apparuerunt gemini in vtero*, quos obstetrix deprehendit nascituros; *atque in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum*, quasi prior exiturus, *in qua obstetrix*, vt vter ex gemellis nascentibus primogenitus esset, discerneretur, *ligauit coccinum*, seu filum quoddam rubrum & duplicatum, *dicens: Iste, qui protulit manum, egredietur prior. Illo vero retrahente manum, egressus est alter*, qui ex prudentia humana tardior iudicabatur. *Dixitque mulier* ignorans causam mysterij obquam primus factus fuerit nouissimus, & nouissimus primus. *Quare à fratre tuo* quasi patefaciente tibi viam *diuisa est propter te*: nempe vt tu primus exires, & nascereris, *maceria*, seu membranula secundinarum? cum naturalis ordo nascendi sit, vt vnusquisque fœtus sibi ipsi non alteri viam aperiat, ac repagula diuidat? *Et ob hanc causam*, scilicet propter miraculosam diuisionem pelliculæ matricis propter ipsum non tamen ab ipso factam, mater vel obstetrix *vocauit nomen eius Phares*, quod interpretatur diuisio. *Postea † egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum*, in signum quòd prior secundum naturæ cursum oriri debuisset. *quem appellauit Zaram*, hoc est orientem vel claritatem. Quod nomen illi impo-

† Mat. 1. a. 3.

† 1. Par. 2. a. 4.

impositum fuit, vel quia primus in ortu apparuit, vel ob refulgentiam fili coccinei, quod in manu gestabat: Zara enim Orientem significat.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXVIII.

I. *Ingredi ad mulierem pro concũbere*

INGRESSVS est ad eam.] Ingredi ad fœminam per Hebraismum est rem cum ea habere; eo quod congressus maris & fœminæ intra domum in cubiculo fieri soleat, aut in alio loco incluso, seu occulto. Vnde in hoc eodem capite, vbi nos habemus dixisse Thamar ad Iudam: Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? textus Hebraicus habet: Quid mihi dabis, vt ingrediaris ad me? Et parum postea: Ingressus est ad eam: id est, concubuit cum ea. De quo quidem concubitu nulla est difficultas fuisse peccatum, tam ex parte Thamar, quàm ex parte Iudæ. Thamar enim constat in primis grauiter peccasse in eo, quod simulauit se meretricem, ac transeuntium libidini se exposuit. Tali namque specie, atque ornatu Iudam vehementer ad peccandum incitauit. Meretricius quippe habitus, locique ipsius atque temporis opportunitas magnam ad excitandum libidinem, patrandumque flagitium illecebram habuerunt. Deinde concubitus ille nurus cum socero, non solùm malus, sed etiam pessimus, atque detestandus fuit. Neque prauitatẽ eius diluit quòd non ardore libidinis, sed cupiditate prolis cum concubitum Thamar appetierit. Etenim si opus, quod fit, genere suo malum est, etiam si optimum ob finem suscipiatur, & fiat, non propterea moraliter bonum erit: bonum enim constat ex integra causa: nec bonum erit, si de his, quæ requiruntur ad bonitatem actus moralis vel vnum quidpiam defuerit. Alioqui nullum esset flagitium, non furtum, non homicidium, non sacrilegium, quin facere id liceret ob bonum finem; vt ad largiendam eleemosynam, obseruandam vitam corporalem, vel ob consequendum bonum aliquod publicum. At reclamat Apostolus Rom. 3. dicens, non esse facienda mala vt inde bona eueniant. Erat sanè bona cupiditas habendi prolem qua Thamar flagrabat, si tamen eam recta via, & legitima ratione habere voluisset: at eam ex soceri concubitu expetere turpe necessariò & execrandum fuit. Satius enim fuisset nunquam matrem fieri, quàm sic fieri matrem, etiam numerosissimæ ac pulcherrimæ prolis: non enim factum aliquod censetur bonum, quod ex eo magnum quodpiam bonum secutum est: sed quia ipsum benè, atque vt oportebat fieri, factum est. Iudam item in illo cum Thamar concubitu peccasse, nulla dubitandi ratio esse potest: nam & factum ipsum per se malum erat & mala facientis intentio. Nempe meretricius concubitus per se malus est. Iudas præterea nulla vel in specie honesta causa impulsus est ad concubitum Thamar: sed improba & libidinosa mente accedens ad eam, quam putabat meretricem sola explendæ libidinis causa. Nec prauitatem facti Iudæ eleuat, quod postea tantoperè is à Iacobo laudandus fuerit, omnibusque fratribus suis longe prælatus, quin etiam à Deo electus, vt ex eius stirpe generetur Messias. Non enim propterea non peccauit Gedeon, quod à B. Paulo ad Hebræ. 11. laudatus, & inter sanctos recensitus fuerit. Nec Dauidis adulterium, & homicidium nõ fuit peccatum, quòd is postea amplissimis laudibus à Deo commendatus, maximisque beneficijs cumulatus fuerit: nec ideo putandum est non peccasse D. Petrum, quod postea princeps fuerit apostolorum, simulque pastor ac rector Ecclesiæ. Nimirum priora hominum peccata, ritè per pœnitentiam expiata, nihil obstãt datis à Deo postea beneficijs. Nec factũ Iudæ propterea malũ nõ fuit, quia per illud, sacrũ quodpiã magnũque mysteriũ præfiguratũ, & significatũ sit: id enim non volente ac designante Iuda factum est, sed ordinante Deo: cuius tanta est bonitas & potentia, vt mala hominum facta ad ingentium bonorum effectionem & significationem ordinare possit, & vere soleat. Pro his quæ diximus de peccatis Thamar & Iudæ legatur D. Augustinus libro. 22. contra Faustũ ca 61. 62. 63. 83. & 84.

Thamar grauiter peccauit

Iudas excusari nõ potest à peccato.

II. *Iuda flagitia multa.*

VT comburatur.] Sæuum profectò supplicium, & sæuius multo quòd ante partum prægnans occidi iubetur. Quid meruere pati, qui non sunt ab vtero nati? Non est igitur cur Iudam à sæuitia maxima, & crudelitate in nurum suam (prout Rabini faciũt) excusemus; cum etiam in alijs multipliciter peccauerit scilicet immanissimo fratris odio, & inuidia, imo & plagio, mendacio quoque, & fornicatione. Nec debemus quorumlibet fidelium opera in exemplum trahere, nisi eorum dumtaxat qui nobis in exemplum virtutis proponuntur, aliorum verò non nisi eorum facta verbo Dei manifestè concordent: vel aliter constet Deo fuisse accepta & grata.

Qua authoritate Iudas iusserit comburere Thamar.

Qua nã verò authoritate, & potestate Iudas damnauerit pœna capitali Thamar; cum ea potestas pertineret ad principem & iudices eius loci, in quo Iudas aduena erat & peregrinus, tripliciter explicatur à doctoribus. Primò enim Abulensis, Paulus Burgensis, Caietanus Oleaster & alij putant potestatem illam fuisse delatam Iudæ à Chananæis, inter quos versabatur, tum ob præstantem eius prudentiam, atque virtutem multis in rebus spectatam illis, probatamque: tũm quòd propter matrimoniũ, quod fecerat cum filia Sue Chananæi, qui eius loci princeps erat, aut certè primarius, magno erat ibi in honore, nec iam vt alienigena, sed tanquam Chananæus habebatur. Secunda expositio est Thomæ Anglici Dominicani dicentis: verba illa Iudæ, Producite eã vt comburatur non esse verba hominis sua auctoritate iubentis

bertis eam comburi, tanquam pro imperio quod in eam haberet: sed verba accusantis, & volentis publicam iustitiam exerceri in Thamar. Tertia explicatio est quorundam, qui opinantur fuisse id temporis in more apud illas gentes, vt qui princeps erat, caputque totius familiæ, in eos qui eius familiæ & sub illius gubernatione essent, plenã & absolutã, vitæ iuxta, necisque potestatem haberet: quemadmodum apud multas gentes, viro in vxorem adulteram animaduertere, ius & potestas erat: Iudas verò caput erat familiæ, ad quã Thamar tã quam nurus eius pertinebat. Ex his modis dicendi eligat lector, quem magis placuerit: mihi certè secundus verosimilior apparet.

III. *Quis grauius peccauerit Iudas an Thamar*

Iustior me est.] In istis verbis non significatur iustam fuisse Thamar, sed malam & culpabilem. Nam vt rectè docent D. Hieronyin Traditionibus Hebraicis in Genesim, & D. Augustinus lib. 22. contra Faustum capite sexagesimosecundo, si Iudam & Thamar inter se conferas, & exactè iudices exploratum habebis, quod quantum ad fornicandi incitamentum spectat multo minus quàm Iudas culpanda Thamar inuenitur, quæ tantum officioso quodam suscitandæ prolis affectu cum socero suo concũbere procurauit. At ille sola explendæ libidinis causa ad alienam accessit, secundùm quod ille fatetur dicens. Iustior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo. Si autem vtriusque crimen inter se compares multo grauius peccauit Thamar, quàm Iudas: quoniam illa incestu polluta est: licet officiosa quadam ignorantia hoc in illa crimen minuatur. Hic autem tantummodo simplicis fornicationis reus est censendus. Nullatenus enim ad eam accessisset, si nurum agnouisset. Id quod ex eo quod sequitur, euidens est. Attamen vltra non cognouit eam.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXIX.

¶ Ioseph ductus in Ægyptum, Putipharique venditus gratiam coram hero suo inuenit, ob eximiam tamen ipsius pulchritudinem à domina sua adamatur, & ab ea ad illicitum opus inuitatur: quia vero à Ioseph se vidit contemptam, illum apud virum accusat attentati adulterij; propter quam causam in carcerem, vbi vincti regis asseruabantur innocens introducitur; Cæterum ibi quoque gratiam inuenit custodis, à quo cæteris vinctis præficitur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXIX.

A. IGITVR Ioseph, vt ad ordinem redeat scriptura, vnde recesserat, *ductus est in Ægyptum* accepturus totius prouinciæ principatum; *emitque eum Putiphar eunuchus*, & præfectus militibus custodientibus personam *Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius de manu Ismaelitarum*, seu Madianitarum à *quibus perductus erat*, disponente Deo, vt humiliaretur ad tempus, qui imminenti tempore erat regnaturus. *Fuitque Dominus cum eo*, illum diuina sua gratia ac superna prouidentia concomitans, *& erat vir* ob virtutem non ob ætatem *in cunctis prospere agens* ac omnia in manu sua proficere faciens, & augeri. *Habitauitque* non in agris cum rustica familia, sed inter famulos domesticos & vrbanos *in domo domini sui*, qui fide in Deum proficiens *optime nouerat Dominum esse cum eo*, ipsaque experientia certior fiebat herus omnia Iosepho quasi in manibus crescere; *& omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius*: Domino namque ferebat acceptum quidquid prosperitatis consequebatur per seruum Ioseph, non fato, non cœlis: *Inuenitque Ioseph gratiam coram Domino suo*, cui gratus mirum in modum extitit, *& ministrabat ei. A quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum: & vniuersa quæ ei tradita fuerant; Benedixitque Dominus*, ac benefecit *domui Ægyptij propter Ioseph*, non secus ac benedixerat domui Laban propter Iacob: *& multiplicauit tam in ædibus, quam in agris*, hoc est domi & foris *cunctam eius substantiam*: ita vt nihil dominus haberet, quod in manibus Ioseph non prosperaretur, & proficeret. *Nec quidquam aliud nouerat* ipse herus cuius rationem exposceret, aut curam habe-

haberet, nisi panem, 1 quo vescebatur, seu
I. comedere & bibere : nam hoc solùm curab[illegible], an cibus ad comedendum esset paratus an non: cætera fideli seruo committēs. Erat autem Ioseph non solùm animo virtuti deditus, ac pulcher in anima, sed & pulchra facie, & decorus aspectu; tum figuræ tum coloris pulchritudinem perferēs. Post multos itaque dies, nempe post annum captiuitatis decimum, vel vndecimum, vt diabolus, qui in Iosephi necem fratres armauerat, contra eum armaret & fęminam, iniecit domina sua oculos suos lasciuos & flagitium spirantes in Ioseph, prius oculorū telis, deinde verborum aculeis eum adoriens, & ait: Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, quò procacem illam mulierem, quantum poßibile erat ab insania hac liberaret, & ab illicita hac concupiscentia, & consilium illi afferret, quod sufficiebat ei; vt pudefieret, & quid sibi prodesset cognosceret dixit ad eam: Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, ac tantopere est mihi beneficus quāuis famulo, & peregrino & captiuo, quòd nec quidquam est, quod non in meâ sit potestate, vel non tradiderit mihi ex omnibus, quæ possidet, præter te, quæ vxor eius es; cui soli subijcior cū alijs omnibus præsim. Quomodo ergo possum hoc malum tā horrendū, tot deformitatibus plenū in herū, & in benefactorē facere, & præterea quod horribilius [illegible] peccare in Deum meum supremū iudicē, à quo nullatenus latere poterimus? Huiusce
C. modi verbis per singulos dies vtebatur; sæpius nā,ue cōpulsus est Ioseph certamen hoc sustinere, nā & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. 2 Acci-
II. dit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum, prout ratione sui officij intrare solebat, & operis quippiam absque arbitris faceret, nō præuidēs, quôd solus existēs herę furēti copiā dabat ad hoc, vt & illa apprehēsa lacinia, seu extrema ora, vel fimbria vestimēti ei9 nō astricti, sed fluētis, diceret: Dormi mecū. Qui tutius iudicās vestimentū suū cū tēporali dispendio excutere, & ignē procul à se abijcere, quā silētio diu premendo flāmā fęmineam in sinu suo alligare cū periculo animę, relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras. Licet enim potuisset robustus adolescēs mulierculę pallium de manibus violēter extorquere: sed ne reuerētiæ deesset, nec vllā vim facere dominæ voluit. Cūque vidisset mulier vestē in manibus suis, & se esse contēptam insanum amorē in acutū odiū cōuertens, vocauit ad se homines domus suæ, & multis verbis, vt fieri solet, mēdacio fidē astruere studēs, ait ad eos: En videte, quid egit introduxit 3 virū Hebræū vt illuderet, seu irrideret nobis. Ingreßus est nāque seruus iste Hebræus ad me, vt coiret mecū. Cūque ego succlamassē, III.
& audisset quòd eleuarē vocē meā, reliquit palliū, quod tenebā, & fugit foras. In argu D.
mentū ergo fidei, & in signū ac probationē accusationis suæ, quòd vera esset & digna, cui fides adhiberetur, retentū palliū ostēdit marito reuertēti domū, & cōsuetis mulierū armis, mēdacijs exaggerationib9, cōtēptu, clamoribus, peruicatijs, inuerecūdia, aggrediēs perditionē sancti adolescētis ait: Ingressus est ad me seruus Hebræus, quē adduxisti quasi adhūc tantū finē, nēpe vt illuderet mihi. Cūque audisset me clamare, reliquit palliū, quod, vt eū detinerē, ne fugā iniret, tenebā & fugit foras. His auditis dñs, & nimiū credulus verbis cōiugis, non aduertit hāc ipsā vestē indiciū esse vxoris violētię, & adolescētis reuerētiæ: nā si vim dominę voluisset inferre, facile viribus præstātior amiculū retinuisset. Vnde iratus est valde, nihilominus nō permisit Deus ad cędē iusti festinare, sed tantū quod includeret, vt iniectus in carcerē, etiā illic suā declararet virtutē. Herus ergo quāuis iratus esset cōti † Ps 104
nuit tamē furibundā manū; † tradiditq; Io b. 28.
seph in carcerē 4 vbi vincti regis, quos rex IIII.
includi præcipiebat, custodiebantur, & erat ibi clausus, durißimis vinculis & cōpedibus cōstrictus. Fuit autem Dñs cū Ioseph, non derelinquēs eū in hac afflictione, & misertus illius ipsum consolādo, dedit ei gratiā in cōspectu principis carceris: nā fecit, vt illi esset gratiosus, & acceptus. Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos, qui in custodia tenebātur, vt qui fuerat clausus in carcere ipse potius carceris claustra seruaret, & quidquid fiebat, sub ipso erat, nihil enim aliud vincti faciebāt nisi q Ioseph iubebat fieri: nec nouerat aliquid custos carceris ad hoc, vt eius curā ageret, vel solicitus esset cūctis ei creditis; quia sola fretus fidelitate Ioseph, cui omnia plenissime commiserat, quidnā circa vinctos ageretur, nesciebat carceris princeps. Hāc rerū prosperitatē fons omniū bonorū largit9 est ipsi Ioseph. Dñs enim erat cū illo, & omnia opera ei9 dirigebat faciens, vt cūcta prosperè succederent.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXIX.

I. *Nescire panem quid designet.*

NEC quidquam aliud nouerat nisi panem.] Variè tam nostri quàm Hebræi locum istum interpretantur. Quidam enim ad Ioseph verbum nouerat referentes hunc faciunt sensum: Ioseph nihil ex cibis domini sui nouerat præter siccum panem, quo vescebatur; & tamen vultum habuit elegantem. Sicut & Daniel abstinens à regijs cibis, vescebatur leguminibus, & interim erat corpulentior, & puchrior illis, qui regijs nutriebantur alimentis. Alij referentes verbum nouerat ad Putipharem hanc literam sic legunt, & intelligunt: Non discernebat cum eo quidquam nisi panem; id est; omnia illis communia erant, nisi quod dominus in cibo non communicabat cum eo, quoniam non licebat AEgyptijs comedere cum Hebræis, vt infra dicetur. Sed simplex & germanus literæ sensus est, quem in paraphrasi proposuimus, videlicet quòd Ioseph cuncta curante, dominus non curabat nisi comedere & bibere; ita vt nihil eorum, quæ possidebat, nouerat nisi solum panem, id est, cibum, seu comedere & bibere; nam hoc solum curabat, an cibus ad comedendum esset paratus, necne. Per panem enim hoc in loco, vt Diuus Augustinus in locutionibus adnotauit, omnia intelliguntur ad victum pertinentia. Et hunc sensum contextus approbat; nam antea dictum est, quòd dominus constituerat eum super domum suam, & omnia quæ habebat tradiderat in manu eius, vt scilicet ipse de cætero ea curaret, & dominus suus vacaret ab huiuscemodi curis. Infra etiam dicit heræ suæ Ioseph. Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua nec quidquam est quod non in mea sit potestate. Vbi præcedens & subsequens textus locum illum explicare videntur in sensu, quo à nobis explicatur.

II. *Stuprum pro adulterio.*

REcusabat stuprum.] Duplicem habet significationem, propriam videlicet & communem. Propriè stuprum vocatur illicita virginum defloratio, vt docet noster Gratianus circa cap. lex illa 36. quæstione. 1. Communiter vero & largo sumpto vocabulo etiam adulterium vocari solet stuprum, vt in l. Iulia D. de adulterijs; & alibi sæpè apud Iuris consultos: & hanc significationem etiam admittit D. Augustinus relatus in cap. Idolatria 28. quæstione 1. In quo sensu dicitur in præsenti Iosephum recusasse stuprum. & Numer. cap. 5. stuprum sumitur etiam pro adulterio.

III. *Superbi dedignantur alies nominare.*

EN introduxit:] Mulier ista propriam malignitatem innocenti imponens apud familiam, non nominat virum suum quamuis de eo sermonem faciat, sed superborum loquitur more qui eos, de quibus loquuntur nominare dedignantur: vt Ezechiel. 11. visio, quam hic videt in multos, & in tempora longa iste prophetat. Vbi impij Iudæi contemnentes Ezechielem eius nomen tacebant. Hoc ipsum adnotauit Cyril. libro. 4. super Ioannem cap. 37. circa illa verba Ioan. capit. 7. vbi est ille; dicens Iudæos ex arrogantia magna noluisse his verbis Christum nominare, quasi eum contemnentes. Et Saul 1. Reg. 20. in contemptũ Dauidis nolens eũ proprio nomine vocare, appellat eum filiũ Isai.

IIII. *Cur dominus Ioseph non iusserit eum occidi.*

TRadiditque Ioseph in carcerem.] Quæret fortasse quispiam cur dominus Ioseph credens illum tãti criminis esse reum, valdeque ira percitus, prout sacer textus affirmat, non iusserit occidi: dignus enim ob tam audax & nefarium scelus capitali supplicio videri ei debuit. Respondet D. Chrysostomus homil. 61. in Genesim, Deum, qui erat Beati Ioseph tutor & protector, non esse passum id fieri, neque id venire in mentem domino Ioseph: sed animum eius demitigasse, & complacasse aduersus Ioseph, à consilio & voluntate necandi eum prorsus auertendo. Posset etiam dici, illũ indulsisse hoc singulari beneuolentiæ atque amori, quo diu multumque dilexerat ipsum: maximè verò id condonasse multis, & magnis erga se officijs & meritis: quippe qui fidelissimam sibi, & liberalissimam, atque vtilissimam seruitutem multis annis seruierat.

Ioseph non solũ in carcere, sed etiam in vinculis & compedibus fuit.

Ioseph præterea non solùm in carcerem esse detrusum, sed etiam durissimis vinculis & compedibus fuisse constrictum, vt in paraphrasi habetur liquido constat tum ex illo Psalm. 104. Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt animam eius: tum etiam ex illo Sapien. cap. 10. Hæc (Sapientia) Venditum iustum (Ioseph) non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum; descendit que cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illũ: donec afferret illi sceptrũ regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.

ARGVMENTVM IN CAP. XL.

¶ *Ioseph in carcere existente pincerna & pistor regij incarcerantur: & cum vterque somnium vidisset, conforme muneri*

neri suo accessit Ioseph, eisque somnia prudentissimè dissoluit; iuxta cuius interpretationem post diem tertium pincernarum princeps restitutus est officio suo, pistorum vero magister è patibulo suspensus: nec tamen propterea præpositus pincernarum recordatus est Ioseph, qui sibi prospera nunciauerat,

PARAPHRASIS IN CAPVT XL.

A. HIS ITA GESTIS, quę in præcedēti capite dicta sunt, *accidit vt peccarent duo Eunuchi*, seu præfecti palatini, nempe *pincerna Regis Ægypti*, qui ei poculū immediatè porrigebat, *& pistor*, cuius erat operā dare, vt fieret panis pro rege, *domino suo* offendentes animū Pharaonis: quia facile periclitantur, qui potentibus famulantur. *Iratusque contra eos duos Eunuchos Pharao*, quos eunuchos voco, *nam alter pincernis praerat,*
I. *alter pistoribus, misit eos in carcerem*, qui erat constitutus sub officio Putipharis, *principis militum* custodientium domum regiam, *in quo erat vinctus & Ioseph*, non quòd ligatus esset vinculis ferreis, aut alterius materiæ, sed quia carcere quasi vinculis clausus detinebatur; ita tamen vt curam aliorum vinctorum gerere posset. *At custos carceris tradidit eos* duos eunuchos, prout etiam tradiderat reliquos vinctos ipsi *Ioseph, qui & ministrabat eis*, & præter id consolabatur eorum mentes, erigebat eorum animos, & non permittebat absorberi tristitia. *Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. Videruntque ambo somnium nocte vna* & eadem; & somnium quod quisque vidit fuit secundum exigentiam propriæ causæ, *iuxta interpretationem congruam sibi*, quam postea contulit Ioseph somnio vniuscuiusque prout vterque vinctus postmodum expertus est. *Ad quos cum introisset Ioseph mane* eis summa diligentia & charitate ministraturus, *& vidisset eos tristes* facie mutata, ostendebant enim facies eorum intus latentem turbatio-
B. nem, *sciscitatus est eos dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra*, adeò vt infirmos vos esse videamus? *Qui responderunt: Somnium vidimus*, indicans, quid cuique nostrum in posterum sit euenturum, *& non est* ariolus aliquis, vel augur, seu prudens quisquam somniorum coniector, *qui interpretetur nobis*, cum ad eos recurrere non possimus. *Dixitque ad eos Ioseph: Numquid non Dei est interpretatio*, & explicatio rerum difficilium? ac proinde is dumtaxat, cui Deus reuelauerit, poterit interpretari somnia melius, quàm ariolus, aut augur. *Referte mihi quid videritis:* ego enim, qui verum Deum colo, & veneror, forsan interpretabor: ac certè promitto non ex me confictură expositionē. *Narrauit prior, præpositus pincernarum somnium suum* animæquior factus verbis Ioseph. *Videbā coram me vitem, in qua erant tres propagines*, seu palmites, quos palmites videbam *crescere paulatim in gemmas, & post flores*, qui in gemmis pullulabant, conspiciebam succedentes *vuas maturescere, calicemque Pharaonis*, in quo ei vinum ministrare solebam, *in manu mea: Tuli ergo vuas: & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni*. Cuius, obsecro, visio ista signum esse potuit? *Respondit Ioseph. Hæc est interpretatio somnij. Tres propagines*, seu palmites, quos in vite conspexisti *tres adhuc dies sunt*, in illis II.
palmitibus repræsentati, *post quos recordabitur Pharao ministerij tui*, misericorditer tecum agens, *& restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueuerat*, quando exercebas munus pincernæ eius. *Tantum memento mei*: neque enim exposco pretium tam fausti nuncij: tantū peto, vt mei etiā recorderis, *cum bene tibi fuerit*, & fęlicitatem tuam obtinueris, *& facias mecum*, qui hæc tibi prædixi, hanc

Digitized by Google

hanc singularem *misericordiam, vt suggeras Pharaoni* mei mentionem faciens, & succurrens ad hoc, *vt educat me de isto carcere*, ad quod mouere te debet duplex infelicitas, quam patior: *quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & quasi* mancipium alienigenis traditus, ac præterea *hic innocens in lacum*, seu carcerem profundum, *missus sum. Videns pistorum magister quòd prudenter* verisimilia prędicens & fausta, *somnium dissoluisset*, ratus suum sibi somnium boni aliquid præsignare, sperans que & ipse grata audire *ait. Et ego vidi somnium, Quod tria canistra farinæ* decoctę & in cibos redactæ *haberem super caput meũ*: quorũ vnũ alteri eminebat: *& in vno canistro quod erat* cęteris duobus *excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auesque comedere ex eo. Respondit Ioseph* accepta etiam ex superna reuelatione huius somnij dijudicatione, dicens: *Hæc est interpretatio somnij. Tria canistra tres adhuc dies sunt*, tribus illis canistris diuinitus præsignati; *post quos auferet Pharao caput tuum*, decollari te faciens, *ac suspendet te*, seu emortuum corpus tuum *in cruce*, vtpote attrocissimo, simulque ignominiosissimo supplicio; *& lacerabunt volucres carnes tuas*. Hæc duo somnia & eorum

D.

enodatio non pro meritis somniantiũ, sed vt Ioseph, qui latebat manifestaretur, & magnificaretur, proculdubio euenerunt. *Exinde igitur dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuiũ pueris suis*, vt diem natalis sui cum festiuitate celebraret, *recordatus est inter* ordinandum & disponendum *epulas magistri pincernarum, & pistorum principis*, recensendo scilicet ministros, quos epulis assistere oportebat. *Restituitque alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum, alterum* post caput eius sublatum *suspendit in patibulo*: nam sicut clementia honor est Principis; sic & † honor regis iudicium diligit. Vtrumque autem diuinitus ordinatum est *vt coniectoris veritas*, atque quàm verus somniorum interpres esset Ioseph, *probaretur* ipsa experientia: non quod Pharaoni causa faciendi, seu executioni mandandi prædicta iudicia fuerit, vt quod nesciebat somnium & explicationem eius confirmaret: sed exercendo quod diuina prouidentia portendebat ostendit vera fuisse, & nõ inania quæ Ioseph retulerat. *Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui*: sic Dei prouidentia disponente, quo iustus Ioseph clarius & magnificentius redimeretur.

III. (margin, at "Exinde")

† Ps. 98. 4. (margin)

IIII. (margin, at "Et tamen")

ANNOTATIONES IN CAP. XL.

I. *Eunuchi erãt præfecti ministris regijs.*

CONTRA eos Pharao.] Ex hoc loco licet intelligere quidnam intelligat scriptura nomine Eunuchi. Hucusque enim textus Hebraicus non expresserat hos duos ministros regis, nempe pincernam & pistorem fuisse eunuchos: nam in principio capitis litera Hebraica sic habet: Accidit vt peccarent pincerna regis, &c. Hic vero sic legit. Et iratus est Pharao cõtra duos Eunuchos. Vnde quia post ista verba immediatè videtur subiungere rationem ob quam eos vocat eunuchos videlicet, nam alter pincernis præerat, alter pistoribus, existimo cũ Lyrano, Abulensi, Caietano & alijs nomine eunuchi, non semper significari castratos, sed interdum etiam ministros regis, non quoscumque, sed præfectos seu principes duntaxat: ea forte ratione quod prioribus temporibus domestici ministri regij, & qui præficiebantur alijs ministris manentibus extra palatium, fuerãt vere eunuchi; quo securius intra domum regiam cum vxoribus & ancillis principis agere & communicare possent: & inde similes ministri, quamuis spadones non essent, idem nomen eunuchi retinuerunt. Quòd autem qui eunuchi vocabantur, præfecti essent aliorum patet tum ex hoc loco, vbi illa causalis, nam alter pincernis præerat, &c. non potest referri nisi ad id quod dixerat esse eunuchos: quæ assertio in litera Hebraica immediate præcedit; in editione vero Latina ponitur in principio capituli. Tum etiam ex Hester cap. 2. vbi eunuchi ianitores dicũtur præfecti ibi. Irati sunt Bagathã & Thares duo eunuchi regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præsidebant.

II. *Interpretatio somniorum aliquando licita.*

HAEC est interpretatio somnij.] Interpretatio somniorum non solum licita est quando somnia procedunt ex causa naturali intrinseca vel extrinseca, & diuinatio non se extendit, vltra id quod talis causa vel virtus naturalis potest: sed etiam & multo amplius est licita, quando somnium procedit ex reuelatione diuina, & qui illud interpretatur pollet spiritu prophetiæ; vt contigit in præsenti: In quo casu loquitur Iob capit. 33. inquiens: Per somnium in visione nocturna, quãdo irruit sopor super homines & dormiunt in lectulo, tunc aperit (scilicet Deus) aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina. Et Numer. 12. dicitur. Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. Cæterum qui de hac re plura videre desiderat legat D. Th. 2. 2. quæst.

quæst. 95. artic. 6. & 3. cont. gent. cap. 54. & eius commentatores.

II. *Antiquitas & superstitio celebrãdi dies natales.*

Dies tertius natalitius.] Vide quàm sit antiqua superstitio hæc apud principes huius mundi, diem suum natalem ingenti magnificentia, luxuque celebrandi. Fuit hoc in more apud antiquos illos Persas, totius Asiæ regnatores, vt meminit Plato in primo Alcibiade. Cùm primus natu, inquit, filius regi natus fuerit, & cuius regnum est futurum, natalem eius primo colebant omnes qui in regia sunt, & quibuscunque dominaturus est: deinde in reliquum tempus, eiusdem natalem diem omnis Asia celebrat, & sacrificat. Idem factitasse Reges Medorum, qui ante Persas imperarunt Asiæ, intelligere licet ex primo libro Xenophontis de Cyropædia. A barbaris porrò transijt hæc superstitio ad Græcos; nec ad Principes tantùm, verùm ad Philosophos etiam, &, quod mirari est magis ad eos maximè, ad quos minimè omnium pertinere videretur. Epicurum certè M. Cicero acutè ac festiuè incessit, quòd qui animos hominum faceret mortales, nihilque hominis post mortem superesse censeret, is tamen accuratè ac diligenter testamento suo sanxerit, vt hæredes ipsius aliquantum pecuniæ quotquot annis, ad natalem suũ mense Gamelione celebrandum conferrent. Hæc ego, inquit Cicero, non possum dicere nõ esse hominis, quamuis & belli, & humani: sapientis verò nullo modo: Physici præsertim, quem se ille vult, putare vllum esse cuiuspiam diem natalem. Quid? verene potest esse dies sæpius, qui semel fuit? Certè non potest. An eiusdem modi? Ne id quidem, nisi cum multa annorum intercesserint millia, & omnium syderum, eôdem, vnde profecta sint, fiat ad vnũ tempus reuersio. Nullus est igitur cuiusquam dies natalis. Atque hac ratione Cicero vanissimi hominis superstitionem confutauit,

Idem moris fuisse postea apud Romanorũ Imperatores, ex Romanis historijs notum est. Monstrum illud, & pestis humani generis, Caligula Imperator, Consulibus Romanis oblitis de natali suo edicere, abrogauit magistratum. Refert Gellius Epistolam Augusti Cęsaris scriptam ad Caium Nepotem in hanc sententiam: Aue mi Cai, meus ocellus iucundissimus, quem semper medius fidius desidero, cũ à me abes, sed præcipuè diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium: quem, vbicunque hoc die fuisti, spero lætum & bene valentem, celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum: nam, vt vides, climatericum annum communem seniorum omnium, tertium & sexagesimum annum euasimus, sic ille. Amici etiam amicorum, quin etiam multo antè mortuorum hominum, quos videlicet maximè diligebant, & honorabant, natalitium diem agebant. Plinius certè libro. 3. Epistolarum scribit, Silium Italicum vsque adeo Virgilij memoriam coluisse, vt natalem eius religiosiùs, quàm suum celebraret. Neapoli maximè, vbi monimentum eius adire vt templum solebat.

At enimuerò neminem offendimus in sacris literis, (quantum in præsens suppeditat memoria) laudatæ virtutis & sanctitatis virum, natalem suum celebrasse; sed id tantùm de duobus memorari regibus, Pharaone & Herode; altero Gentili, in hoc loco; altero Iudæo, sed improbo atque impio, apud Marcum capite sexto. Imò verò legimus sanctissimos viros conceptum & ortum suum multis & lacrymis deplorasse, atque etiam maledictis insectatos esse. Nota est querimonia illa Iob: Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo; & cętera, quæ ibi subduntur. Similis est comploratio & querimonia atque insectatio apud Hieremiam: Maledicta (inquit) dies, in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Hæc scilicet sancti viri dicebant cum animo suo reputantes se conceptos & natos esse cum peccato, & naturâ filios iræ; & in hunc modum tanquam in ærumnosissimum & calamitosissimũ exilium venisse plurimis & grauissimis doloribus ac miserijs obnoxios, cuius rei manifestum esse signum ait Plinius, solum animalium hominem, cum planctu vagitûque nasci. Hominem tantùm, inquit, nudum, & in nuda humo natali die abijcit ad vagitus statim, & planctum natura, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio. Nec risus, etiam præcox ille & celerrimus, ante quadragesimum diem vlli datur. Et paucis interpositis; Itaque multi extitere, inquit, qui non nasci optimum censuerunt, aut quàm ocyssimè aboleri.

Sic Plinius. Populus autem Christianus triũ duntaxat natales dies festos agit, & religiosè celebrat, Christi Domini, Deiparę virginis, & præcursoris Domini Ioannis Baptistæ. Cur autem id faciat & iusta & manifesta causa est. Nam vt alia taceam ad ortum Saluatoris nostri celebrandum Angelorum exemplo, documentoque incitatus est. Scriptum enim est, nato Domino dixisse Angelum pastoribus: Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium gloria in altissimis Deo & cætera. De beatissima Virgine canit Ecclesia: Natiuitas tua Dei genitrix virgo gaudium annunciauit vniuerso mundo: ex te enim natus est sol iustitiæ Christus Deus noster & cætera. De sancto præcursore Baptista Angelus dixit Zachariæ: Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus corã Dño. Cæterorum verò sanctorũ Ecclesia non ingressum in hunc mundum celebrat, sed egressum ex hoc mundo in cælum; atque eum diem verè appellat eorum natalem, quippe qui non eos mundo miseros edit, sed cœlo parit beatos.

III. *Tres tantum natales dies celebrant Christiani.*

ET

III. *Et, signũ solet esse admirationis.* ET tamen succedentibus prosperis.] Particula, Et, hoc in loco non est tam excipulantis quã admirantis, sicut illud, quod habetur in principio Euangelij Ioannis, Lux lucet in tenebris & tenebræ eam non comprehenderunt. Et illud, in mundo erat, & mundus eum non cognouit. Et illud: In propria venit, & sui eum non receperunt. In omnibus his continuatæ orationis membris Euangelista illud, &, admiranter intertexit: est enim res admiratione maximè digna lucem in tenebris lucere, & non videri: Verbum Dei in mundo esse, nec tamen agnosci, ad sua Deum venisse, & à suis non fuisse receptum: eodem quippe modo admirabilis fuit obliuio pincernarum principem eius non meminisse, qui grauissima cura eum leuarit. Nam si magnæ ingratitudinis est gratiam non referre, cum possis, maioris vtique gratias non agere, quod facilè queas, maximæ demum benefactoris obliuisci.

ARGVMENTVM IN CAPVT XLI.

¶ Nemine valente duo somnia à Pharaone visa interpretari, Ioseph magistro pincernarum prædicatus de carcere educitur, & Pharaoni præsentatur, cui futuram septem annorum fertilitatem, & totidem annorum postmodum secuturam sterilitatem in bobus pinguibus & macilentis, & in spicis plenis & tenuibus repræsentari prædixit, & quid facto opus esset indicauit. Quo audito Pharao Principem Ægypti illum constituit, eique vxorem nobilissimam tradidit, de qua Ioseph duos filios Manassen & Ephraim suscepit.

PARAPHRASIS IN CAPVT XLI.

A. POST *duos annos* ex quo Ioseph de pincernæ ingratitudine inaniter sperauerat, exactoque secundo anno à liberatione principis pincernarum, *vidit Pharao somnium*, quod illi Deus non propter eius meritum, sed propter commune bonum misit, & etiam vt per eiusmodi somnij interpretationem Ioseph de carcere eductus sublimaretur. *Putabat se* igitur Pharao *stare super fluuium*

1. in loco quodam super ripam fluminis constituto, qui eminentior erat, & proximus fluuio Nili, *de quo ascendebant septem boues, pulchræ* visu, pinguesque carnibus, *& crassæ nimis, & pascebantur in locis palustribus* parùm remotis à flumine Nili, atque adeo humidioribus, electisque pascuis & pratis. *Alia quoque septem emergebant de flumine* post ascensum priorum, contrarias superioribus habentes conditiones: nam aspectu quidem erant *fœdæ, confectæque macie*, & graciles carnibus, adeò vt nulli nutrimento viderentur aptæ: *& pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus*: eatenus enim famelicæ existebant, vt non liceret eis longius abire ad quærenda pascua: imo cum nihil illis alimenti sufficere videretur, insecutæ sunt priores boues; cumque ad eas accessissent, absumpserunt priores, *deuorauerunt que eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat, Expergefactus Pharao rursum dormiuit, & vidit alterum somnium*, quamuis enim vnum tantum esset somnium significatione prophetica, duo tamen erant respectu temporis, atque modi significandi: atque hoc posterius fuit priori somnio simile, vt geminatione somnij præsagium confirmaretur. *Septem spicæ pululabant in culmo vno*, seu canna, quæ granis erant *plenæ, atque formosæ: alia quoque totidem spicæ tenues & percussæ vredine* propter ventum vrentem, atque Eurum desiccantem, quæ proculdubio post priores spicas *oriebantur deuorantes omnem priorum pulchritudinem. Euigilans Pharao post quietem, &* videns in idem redijsse somnia, ac proinde nequaquam esse contemnenda, *facto mane pauore perterritus misit ad omnes coniectores Ægypti, cunctosque sapientes*, qui medijs incantatio-

rationibus, vel alijs quibusuis modis diuinationibus instare solebant: *& accersitis*
B. *narrauit somnium: nec erat qui interpretaretur* apte & sapienter: somnium enim à Deo immissum ab alio, quàm ab ipso Deo explicari non poterat. *Tunc demum* cum iam tempus exaltationis iusti aduenisset *reminiscens pincernarum magister* somnij, quod ipse aliquando viderat & ipsius Ioseph, qui illud prudenter interpretatus fuerat, quasi in tertia persona loquens ad regem *ait: Confiteor peccatum meum*, & ingratitudinem, qua hucusque peccaui in interpretem meum: *Iratus rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem principis militum, vbi vna nocte vterque vidimus somnium* vnusquisque suum, *præsagium futurorum*, ac nostris conforme successibus prout euentus comprobauit. *Erat ibi puer Hebræus*, quem puerum voco, quamuis esset ferme triginta annorum, quia erat *eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia* exhibuit se nobis sapientissimum somniorum interpretem, nam ab ore eius *audiuimus quidquid postea rei probauit euentus. Ego enim redditus sum officio meo, & ille suspensus est in cruce.* Hæc audiens Pharao misit, & præcepit vocari Ioseph. *Protinus ad re-*
I. *gis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt:* incarcerati enim & exules solent esse intonsi, *ac veste mutata*, ne in sordido habitu, qualem in carcere habuerat, assisteret coram Pharaone, *obtulerunt ei. Cui ille ait: Vidi somnia nec est qui edisserat, quæ* quidem somnia non illa in particulari, quæ dico me vidisse, sed alia eis similia *audiui te sapientissime conijcere.* Id namque à pincerna audierat Pharao. *Respondit Ioseph: Absque me* operante ex proprijs viribus, & absque omni humana sapientia, *Deus* cui proprium est futura prædicare, *respondebit prospera Pharaoni*, reuelando ex dono diuinæ gratiæ mihi seruo suo veram somnij interpretationem, quam exposcis, & quam in magnam regni tui prosperitatem cessuram existimo. Quia igitur neque ex humana sapientia, neque ex proprijs rationibus loquutus sum, sed ex Dei reuelatione non renuas narrare quæ vidisti, nec diffidas de vera eorũ interpretatione. *Narrauit* C.
ergo Pharao, quod viderat somniũ dicens *Putabam me stare super ripam fluminis, & septem boues de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus*, rotundis scilicet & plenis pinguedine, seu ad esum aptis; *quæ in pastu paludis*, vbi fertilissima aderant pascua *vireta carpebant. Et ecce has sequebantur alia septem boues, in tantum deformes & macilentæ, vt nunquam tales* in turpitudine & macie *in terra Ægypti viderim. Quæ deuoratis & consumptis prioribus*, non modo non sunt impinguatæ, imo *nullum saturitatis dedere vestigium*, nec cognoscebatur, quod in vterum, vel in intestina earum aliæ fuissent ingressæ, *sed simili macie, & squallore torpebant*, perinde ac si illas non comedissent. *Euigilans rursus sopore depressus vidi somnium* aliud haud dissimile priori. *Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atque pulcherrimæ. Aliæ quoque septem tenues & percussæ vredine* seu vento orientali vrente, post priores septem spicas, *oriebantur è stipula, quæ priorum pulchritudinem deuorauerunt. Narraui coniectoribus somnium, &* tamen adeò excellens creditur & mirabile, quòd *nemo est, qui edisserat. Respondit Ioseph: Somnium regis*, seu tuum, o rex, quamuis duplex sit quoad visionem, cæterum quoad significationem *vnum est. Quæ facturus est Deus*, siue bonum siue malum, ipse namque est faciens pacem, & creans malum, *ostendit Pharaoni* per reuelationem tam illi somnianti, quam mihi interpretanti factam. *Septem boues pulchræ & septem* D.
spicæ plenæ, septem vbertatis anni sunt, 2. qui per huiusmodi res significantur, II.
eandemque vim somnij comprehendunt: nam vtrumque somnium in idem tendit. *Septem quoque boues tenues*, 3. *atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, & septem spicæ tenues,* III.
& vento vrente percussæ, septem anni ventura sunt famis, qui anni tam vbertatis quam famis, *hoc ordine* à me nunc explicando euenient, & *complebuntur. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Ægypti, quos* proxime & immediate *sequentur septem anni alij* 4. *tantæ sterili-* IIII.

ta sterilitatis, vt obliuioni tradetur cuncta retro abundãtia, ac si nullatenus talis abũdantia præcessisset: *consumptura est enim fames omnem terram* interficiendo plures habitantes in ea, ita vt ferè inhabitabilis reddatur, nisi maturiore prouisione sterilitati consulatur, nam *& vbertatis magnitudinem perditura est inopia magnitudo. Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod* Deus reuelare tibi dignatus sit, non solum quod re ipsa infallibiliter *fiat sermo Dei, &* taliter quod impediri non poterit: verum etiam indicium est quod celerrimè, & quam credi potest *velocius impleatur:* vt perpendas cito rex quidnam sit facto opus. *Nunc ergo prouideat rex virum sapientem* in rerum consideratione, *& industrium,* ad earundem operationem & executionem, *& præficiat eum terræ Ægypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones* ad curandum de tritico reseruando, *& quintam partem fructuum* conuenienti pretio & æstimatione emendam, *per septem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea,* qui quinta pars fructuum vna cum reliqua annona, quæ futura erit tempore famis, quanuis modica & fructus, quos diuites ac plures de populo reseruabunt, sufficere vtcumque poterunt ad hoc, vt posterioribus annis populus sustentetur, maximè quòd sterilitatis tempore parcius, & magis sobrie viuere solent homines. *Et omne frumentum,* quod in quintum regis congeretur, *sub Pharaonis potestate condatur:* ne quis illud contrectare audeat, *seruetúrque in vrbibus:* ita vt nec vendatur, nec in extraneas transportetur prouincias: sed reconditum maneat.

E. *Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum: &* si hoc feceris rex, *non consumetur terra,* seu qui illam habitant *inopia* panis & defectu victus necessarij. *Placuit Pharaoni consilium* hoc adeo vtile & necessarium, quod Dei instigatione dedit Ioseph, *& cunctis ministris eius. Locutusque est ad eos* Pharao, vt sine inuidia principum, qui pariter omnes diuinam Ioseph sapientiam admirabantur posset illum præficere, & ait: *Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit,* ac tanta polleat sapientia, sicut Ioseph, vt imminenti periculo consulturus præfici possit vniuersæ terræ Ægypti? Minime profecto credo cum inueniendum. *Dixit ergo ad Ioseph. Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es,* tam interpretando somnia, quam prudenter consulẽdo quid mihi agendum sit, non est cur aliũ absente quæram, quem Ægypto præficiam: & si enim exquisiero, *nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?*

† Psalm. 104. b. 21. mac. 2. f. 53. Act. 7. b. 2.

† *Tu* igitur qui ante squalebas in carcere, qui vinctis ministrabas, ex hac die *eris super domum meam,* eam gubernaturus *& ad tui oris imperium cunctus populus obediet,* s. dũ osculantes manus & pedes tuos se se omnes tibi subiectos exhibebunt.

V. *Vno tantum regni solio,* seu dignitate regia *te præcedam. Dixitque rursus Pharao ad Ioseph* pro maiori commissæ auctoritatis certitudine & confirmatione: *Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti,* vt illi præficiaris. *Tulitque annulũ de manu sua,* quo regis literæ sigillabantur *& dedit eum in manu eius,* in concessæ sibi signum potestatis: *vestiuitque eum stola byssina* confecta ex lino quodam candidissimo, qua solis nobilibus licitum erat vti, *& collo torquem,* seu catenam *auream circumposuit* ad maiorem cumulum honoris. *Fecitque eum ascendere super currum suum secundum,* & pretiosiorem cunctis alijs curribus regijs, vno tantum excepto, in quo solus rex sedebat, *clamante præcone* & vociferante ex regis nomine, *vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.* Qua solemnitate & ceremonia accepit Ioseph possessionem supremi magistratus omnium prouinciarũ Pharaonis. *Dixit quoque rex ad Ioseph* auctoritatem simul & firmitatem præstãs dicendis: *Ego sum Pharao,* & sicut ego rex,

F. ita & tu eris princeps vel præpositus regni mei, taliter quod hyperbolice loquendo *absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem* quidpiam facturus in his, quæ ad te pertinent, *in omni terra Ægypti. Vertitque nomen eius, & vocauit eum* Zaphnath paeneach, quod lingua Hebraica significat absconditorum repertorẽ, & *lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi:* vt pote qui orbem terræ ab imminente famis excidio liberaturus sperabatur ob inditam sibi scientiam rerum occultarum, & futurarum. *Deditque illi vxorem* iuxta morem Regũ, qui his deputant vxores, quos specialiter diligunt, nempe *Aseneth filiam*

VI. *Putiphare sacerdotis Heliopoleos,* distincti re, officio, & nomine à Putiphar, cuius

seruus

Digitized by Google

seruus extiterat Ioseph. *Egressus est itaque Ioseph* è ciuitate Memphi, in qua Pharao morabatur *ad terram AEgypti*, functurus officio suo: *triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis*: nam sexdecim annos habebat, quādo emerūt eum Ismaelitæ, & quatuordecim annis vel circiter mansit in seruitute, & in vinculis, *& circuiuit omnes regiones AEgypti*, vt præponeret viros, qui frumenta colligerent in annis fertilitatis, & vt se terræ Præpositū ostēderet. *Venitq́ fertilitas septem annorū*, prout prędixerat Ioseph, *& in manipulos redactæ segetes*, quia illarum grana melius hoc modo, quā à paleis excusa conseruari poterant, *congregatæ sunt in horrea AEgypti*; saltim quoad quintā partem, quę regi obtingebat. *Omnis etiam frugum abundātia*, quā Ioseph colligere præcipiebat, *in singulis vrbibus*, in quibus congregabatur, *condita est*: ne si extra illas reponeretur, vel hostium eruptione, vel esuriētium tumultu, triticum per violentiam diriperetur tēpore famis. *Tantaq́ fuit abundantia tritici*, quod Ioseph de superfluo ab AEgyptijs emebat reponēdum, in horreis regijs; ne in exteras regiones deportaretur, *vt arenæ maris coæquaretur, & copiæ mensuram excederet*, hyperbolicè loquendo; neque enim alio sermone eximiā & inusitatā illius multitudinē significare cōgruit. † *Nati sunt autem Ioseph filij duo antequā veniret fames, quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos.* Et gratus Deo existens in eorum nominibus quasi in propria illorum carne inscripsit misericordias Domini. *Vocauitq́ nomen primogeniti Manasses*, quod interpretatur obliuio *dicens: Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.* Voluit quippè Ioseph, vt nomen filij prioris memoriale præferret amoti mali. *Nomen quoq́ secundi appellauit Ephraim*, idest, crescens vel fructificans; vt memoriale esset assecutionis boni, *dicens. Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*: vbi scilicet anteà pauper & infimus extiteram. *Igitur transactis septem vbertatis annis, qui fuerant in AEgypto, cæperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph*: sicq; rerum euentus cōcessam ipsi diuinitus sapientiam omnibus detexit: *& in vniuerso orbe*, nempe in maxima vniuersi orbis parte, præsertim in finitimis circumquaq; regionibus, AEgypto communicantibus, *fames præualuit*, & victus inopia. *In cuncta autem terra AEgypti panis erat*: qui tamen parcius erogabatur prioribus annis, quò sequentibus sufficeret, ne egestate cōsumeretur terra. *Qua esuriente*, vel incipiente esurire, *clamauit populus ad Pharaonem* spreta Dei inuocatione, *alimēta petēs. Quibus ille* magnam erga Ioseph beneuolentiam ostēdens, *respondit: Ite ad Ioseph*, quē salutis autorē factum esse prædixi, *& quidquid ipse vobis dixerit facite*, nec postmodū illo relicto ad me curratis. *Crescebat autē quotidie fames in omni terra; aperuitq́ Ioseph vniuersa horrea*, quę in singulis vrbibus cōstituerat, *& vendebat AEgyptijs* iuxta indigentiā vniuscuiusq;, accipiendo moderatum pretium, *nā & illos oppresserat fames*, ac proinde cōpellebantur emere triticū ex horreis regijs. *Omnesq́ prouinciæ*, hoc est omnium prouinciarum cum AEgypto cōmunicantium, plures habitatores *veniebant in AEgyptum, vt emerēt escas, & malum inopiæ temperarēt*, ac leuius ferrent.

† *Infra. 48. c. 20 49. a. 5.* G.

ANNOTATIONES IN CAP. XLI.

I. *Super, id est, eminentius.*

STARE super fluuium.] Stare super aliquid non semper denotat esse in eo super quod dicitur stare, sed interdū significatur esse in loco eminentiori ad illam rem super quā dicitur quis esse. Vnde Pharao putans se stare super fluuium, non existimabat se adesse in ipso flumine, sed in loco aliquo superiori ad fluuiū scilicet super ripam fluminis, vt statim ipsemet explicuit referens somnia sua Ioseph. Hanc locutionem probat Diuus August. in quęstionibus super hunc locum Genesis ex illo Psalmi 135. Qui firmauit terram super aquas: vel ex illo Psalmi 23. Quia super maria fundauit eum & super flumina præparauit eum: scilicet orbē terrarum: inquit enim ex vi horum verborum non cogi homines putare sicut nauem, natare terram super aquam: sed dumtaxat ex vi horum verborum intelligere oportere, quod altior sit terra, quàm aqua; altius quippe ab aquis sustollitur, vbi habitant terrena animalia.

II. *Esse pro significare.*

SEptem vbertatis anni sunt.] Quia signa poni solent loco rerum, hinc est quòd nomen essendi applicatur interdum ipsis rebus, & tunc esse, stat pro significare: vt hic, & in capitulo præcedenti. Tres propagines, tres adhuc dies sunt: Et primo Corinthiorum 10. capite. Petra autem erat Christus, hoc est, significabat Christum, & alibi sæpè.

III. *Boves & spicæ signa sterilitatis, & fertilitatis.*

Boues tenues.] Congruè procuIdubio Spiritus sanctus annos fertilitatis & sterilitatis repræsentauit per boues & spicas pingues & tenues: quia enim fertilitas ex duobus contingit & impeditur; bona scilicet terræ cultura, vel eiius defectu, necnon ex pingui seu tenui messe; ideò prudentissimè per boues pingues & macilentas, quarum labore terra colitur, septem annos fertilitatis, & septem sterilitatis designauit, prout fertilitas & sterilitas ex bona vel mala terræ cultura proueniunt. Rursumque quia semper spicæ messis tempore colliguntur, ideò per septem plenas & septem tenues meritò septem fertilitatis & septem sterilitatis annos prænotauit, prout, ex pingui & tenui messium collectione fertilitas, & sterilitas proueniunt.

IIII. *Post fertilitatẽ frequenter sequitur sterilitas.*

Septem anni alij.] Hoc in loco quæri solet, vnde proueniat quod frequenter post magnam fertilitatem sequatur magna sterilitas. Hoc enim sæpe accidere videmus tam in agris quàm in vitibus & arboribus cunctis. Huius rei duæ possunt assignari causæ superior vna & vniuersalis, inferior altera & particularis. Et prima quidem est diuina prouidentia seu dispositio: quia enim homines tempore abundantiæ brutorum more viuunt, crapulæ, ebrietati, ludis, luxuriæ, alijsque vitiis dediti, mandatorum Dei penitus obliti, iuxta illud Psal. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Itemque Ezechiel. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia; ideò Deus quasi indomitos fame ceu verberibus castigat, vt vel vexatione dante intellectum, resipiscant, & ad cor redeant. Secunda autem inferior & particularis causa est terræ siue arborum debilitatio, quæ naturaliter post multas segetes, seu fructuum abundantiam sequitur. Nam sicut mulier quæ vno partu plures edidit filios, postea adeò remanet debilitata, vt interdum per annos plures quasi sterilis perstet: sic est in terra, seu arboribus ex ea nascentibus.

V. *Obedientia Ægyptiorũ ad Ioseph qualis.*

Cunctus populus obediet.] Verbum Issak à nassak descendens rectè vertit Interpres obediet, sicut etiam verterunt Septuaginta: Verum quia nassak etiam coniungere seu osculari quod nihil aliud est quàm os ad os coniungere, significat, crederem ea ratione verbum Issak hic fuisse positum, vt ostenderetur obedientiam præstandam ab AEgyptijs Ipsi Ioseph debere esse cum quadam subiectione & inferioritate: in signum enim subiectionis solent inferiores osculari manus vel pedes præpositis suis, quibus obedire sunt parati. Debuit autem Scriptura hunc modum obedientiæ exprimere ad differentiam obedientiæ quæ absque vlla subiectione exhiberi posset; qualis fuit illa, de qua dicitur Iosue. 10. Non fuit antea & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis. Hæc enim obedientia solum importat adimpletionem rei, quam alter exoptat, & postulat. In quo etiam sensu Legislator noster præcipit in cap. 71. Regulæ sanctæ, vt obedientes sint sibi inuicem fratres.

VI. *Putiphar prĩceps distinctus à Putiphare sacerdote.*

Putiphare sacerdotis Heliopoleos.] Ex distinctione in officio & nomine, quæ erat inter istum Putipharem, & eum, qui emit Ioseph à Madianitis, colligo distingui eos re, cum Diuo Augustino in quæstionibus super hunc locum. Quod enim distincti fuerint officio patet; cum vnus princeps militum custodientium palatium regis in ciuitate Memphi, in qua Pharaones tunc temporis maximè commorabantur, extiterit; alter vero princeps sacerdotum fuerit in ciuitate Heliopoleos, quæ à Memphi amplius, quam viginti millibus abesse dicitur. Et etiam eos nomine differre constat, quia sacerdos vnam literam habet in fine sui nominis plusquam princeps militum; scilicet literam Ayn: quam si pronuntiare satagas, prout iacet in Hebræo, dices socerum Ioseph vocari Potiphera, prout eum nominat Hieronymus Lauretus Benedictinus in eruditissimo, ac vtilissimo indice & Genealogijs virorum, ac mulierum, qui in sacra Scriptura continentur. In vulgata autem editione, princeps militum vocatur Putiphar: sacerdos verò appellatur Putiphare, ex correctione Sixti V. & Clem. VIII.

ARGVMENTVM IN CAPVT XLII.

¶ Iacob præcipit filijs suis excepto Beniamin, vt descenderent in Ægyptum alimenta empturi. Qui iussionem patris complentes adeunt Ioseph, ipsumque adorant nescientes ipsum esse Ioseph: Is tamen fratres cognoscens quasi ad alienos durius loquebatur: & sub prætextu quòd essent exploratores Simeonem retinet in vinculis, quousque cæteri adducerent Beniamin. Qui regressi ad patrem pecuniam in ore saccorum inueniunt, & fratrem instanter à patre exposcunt.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAP. XLII.

A. AVDIENS autem Iacob *in terra Chanaan, quòd alimenta venderentur in AEgypto:* viderat enim frumentum, quod alij inde portauerant, ex quorum relatione id sibi notum factum fuerat, *dixit filijs suis: Quare negligitis*, nec curatis prouidere, quæ nobis sunt necessaria? *Audiui quod triticum venundetur in Aegypto*, quæ huic vicina terra est. *Descendite & emite nobis* alimenta, quæ ad salutem sunt *necessaria vt possimus viuere, & non*, hoc est, ne *consumamur inopia.* Voluit namque Deus fidem Iacob tentari vsque ad mortis periculum esuriendo, quo amplius ipsa confirmaretur. *Descendentes igitur fratres Ioseph decem, vt emerent frumenta in AEgypto, Beniamin*, quem præ alijs pater amabat, & loco Ioseph illi erat, *domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne forte in itinere* occurrat ei mors aliquo malo euentu, prout occurrit fratri suo vterino, vel etiam ne *quidquam patiatur mali: ingressi sunt terram AEgypti cum alijs, qui pergebant* quoque ex terra Chanaan *ad emendum.*
B. *Erat ante fames in terra Chanaan, &* præterea *Ioseph erat princeps in terra AEgypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur.* Quæ duo nempe famem terræ Chanaan & principatum Ioseph prouidit Deus, vt huius somnia de adoratione sibi à fratribus exhibenda, & visio Abrahæ de descensu seminis sui in AEgyptum, & afflictione quam idem semen in terra nõ sua passurum erat, executioni mandarentur. Ingressi igitur decem filij Iacob in AEgyptum primo introitu beneuolẽtiam principis ambientes adorauerũt Ioseph, id est, regio more velut subditi salutauerũt prostrati. *Cumq; adorassent eum fratres sui, & agnouisset eos*, desiderans scire de rebus patris, & etiã fratris iunioris, *quasi ad alienos durius loquebatur*, ac timore perterruit ne in rebus dicendis fraudes vacaret machinari, *interrogans eos: Vnde venistis?* Quia fortè nesciebat, quòd adhuc in terra Chanaan habitarent, cũ pater habitationis locũ frequenter velut peregrinus mutare cõsueuisset. *Qui responderunt: De terra Chanaan* venimus, idq; *vt emamus victui necessaria. Et tamen fratres ipse cognoscens non est cognitus ab eis:* oculi enim eorũ tenebantur ne eum agnoscerẽt, tum ex speciali Dei dispẽsatione, tum quia à pueritia vsq; ad iuuenilem ætatem, quo tempore fratres nõ viderant Ioseph maximè immutãtur vultus hominum & sonus vocis. *Recordatusq; somniorum, qua aliquando viderat*, & qualiter occasione eorũ tam grauiter in eũ fratres deliquissent, quò verborum suorum stimulis quasi clauis acutis cõfigerentur, indeq; peccatum suũ agnoscerent, & media quadã satisfactione de eo pœniterent, idcircò *ait ad eos* officiosè quidem vel ironicè: *Exploratores estis*, ex pluribus ac diuersis locis congregati, & cõfœderati: *vt videatis infirmiora terræ* arte & malignitate quadam huc *venistis. Qui dixerũt: Non est ita domine* prout existimas, *sed serui tui venerũt, vt emerent cibos. Omnes filij vnius viri sumus. Pacifici venimus, nec quidquã famuli tui machinantur mali.* Se ipsos famulos & seruos vocant eius, quem ne haberent dominũ, vẽdiderunt in seruitutem. C.
Quibus ille plura de rebus patris & fratris iunioris volẽs simulãdo extrahere, *respõdit: Aliter est. Immunita terra huius considerare venistis.* Non proditionẽ homini sed terræ impingit, ne aliqua ratione se proditos formidarent de vendito fratre, & illũ diligentius aspiciẽdo agnoscerẽt. *At illi; Duodecim inquiũt serui tui fratres sumus, filij viri vnius in terra Chanaan. Minimus cũ patre nostro est, alius non est super* terram, seu non viuit saltem quantum ad notitiam nostram. Suspicatus autem Ioseph, an fortè Beniamin, quẽ cum patre esse dicebant, simili modo sicut & se affecissent, durius erga illos se se gessit subdẽs: *Hoc est, ait, quod locutus sum, exploratores estis:* etenim hoc, quod dicitis vos habere alios fratres manifestè indicat, illos vos huc & illuc misisse, vt occultè explorent. *Iam nunc experimentũ vestri capiã*, & esse ctu ipso an sitis veraces cõprobabo. † *Per salutem Pharaonis*, i. quã confert illi Deus, cuius testimoniũ inuoco, *non egrediemini hinc* omnes vos decẽ, nam aliqui ex vobis necesse est, vt exeatis ad fratrẽ accersendũ, & ducẽdum, *donec veniat frater vester minimus*, quandoquidẽ dicitis illum cũ patre mansisse. *Mittite ex vobis vnũ, & adducat eũ: vos autẽ eritis in vinculis, donec probentur, quæ dixistis:* cum enim frater vester minimus aduenerit, ille docebit *vtrũ vera an falsa sint*, & liberabit vos ab omni suspicione.

† 22. q. 1. merer § sicut eg- tiam.

I.

cione. *Alioquin*, si nō permittitis vnum è
vobis mitti ad fratrē adducēdum, *per salutē Pharaonis*, vel per auctorē illius Deū *ex*
II. *ploratores estis*, a quantū ad opinionē & iu
dicium, quod de vobis iure cōcipietur. *Tradidit ergo illos custodiæ* simul omnes inclu-
dēs, vt pariter agenda tractarēt, & vt sicut
se se ad sui vēditionem fuerant exhortati;
ita mutuo se inducerēt ad pœnitētiam, idq;
tribus diebus tantum, ne patris solitudinē
augeret & angorē. *Die autem tertio eductis*
de carcere ait: Facite quæ dixi adducētes ad
me fratrē vestrum minimū, *& viuetis*, nec
vos interficiam quasi exploratores, *Deum*
enim timeo, qui prohibet occidere sine suf
D. ficiēti criminis probatione. *Si pacifici estis*,
prout vos dicitis, in hoc apparebit: *frater*
vester vnus, seu vnus ex vobis *ligetur in*
carcere; vos autē nouem reliqui *abite & fer*
tē frumenta, quæ emistis in domos vestras,
quantum pro familia & domesticis indige-
† *Infra.* tis: † *& fratrem vestrū minimū ad me addu*
43. *a.* 5. *cite, vt possim vestros probare sermones*, quod
veri sint, *& non moriamini* subeundo pœ-
nam exploratorū. *Fecerunt, vt dixerat* con
sentientes determinationi Ioseph, vt eorū
vnus vinctus remaneret, & alij cum fru-
mentis proficiscerentur: *& locuti sunt ad*
inuicē adhuc priusquā discederent à præ-
sentia Ioseph dicētes: *Meritò hæc patimur*,
quia peccauimus in fratrē nostrū, videntes
angustias animæ illius, dū deprecaretur nos,
& non audiuimus; idcircò venit super nos
ista tribulatio. Vexatio namq; dedit eis in
tellectū, vt iustitiam Dei agnoscerēt, & cri
men mutuò accusarent, causam aspicerent,
& faterētur, ob quā, angorē præsentē susti-
nere cogebātur. *E quibus vnus* scilicet *Ru-*
† *Sapiē.* *ben ait: Nūquid nō dixi vobis:* † *Nolite pec*
37. *c.* 22 *care in puerū, & non audistis me*; quē igitur
noluistis audire dehortantē, nunc ferre co-
gimini improperantē flagitium. *En sanguis*
eius exquiritur, cuius venditi vltio à Deo
E. sumitur. *Nesciebant autē quod intelligeret*
Ioseph existimātes eorum linguā ipsum ig
norare, *eo quod per interpretē loqueretur ad*
eos; nec cura erat interpretis ea dicere illi,
à quo positus fuerat, quę nō ad illū, sed in-
ter se loquebantur. *Auertitq; se parūper* Io
seph à cōspectu fratrum, & reliquorū cir-
cunstantium, quasi aliquid aliud acturus, *&*
fleuit ex cōsideratione diuinæ prouiden-
tiæ, & admiratione ipsius, collata in se be-
neficia dulci repetens memoria, & gaudens
quòd peccatum in eum cōmissum, ita fra-
tres ad memoriam reuocarent: *& reuersus*
locutus est ad eos. Tollensque Simeon, quia
inter eos, qui consenserant venditioni eius,
maior erat, ac proinde culpabilior, *& ligās*
illis præsentibus, quò Pharaonis vincula
magis formidantes, fratris liberationi dili-
gentius incumberent, citiusq; cum fratre
Beniamin adessent: hæc inquam faciens Io
seph *iussit ministris, vt implerent eorum*
saccos tritico, & clam illis nescientibus *re-*
ponerent pecunias singulorum, quas dispen-
sator tritici prius acceperat ab vnoquoq;
eorum, *in sacculis suis datis supra cibariis*
in viam. Qui fecerunt ita. Noluit autē Io-
seph pecuniam apud se retinere ne ob de-
fectum argenti cogerentur fratres differre
reditum in AEgyptum, ad iterum emendū
triticum, & secū ducere Beniamin. *At illi*
portantes frumenta in asinis suis, profecti
sunt. Apertoq; vnus sacco vt daret iumento
pabulum in diuersorio, vbi viatores diuerte
re solent ad comedendum vel hospitandū,
contēplatus pecuniam in ore sacculi dixit
fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en
habetur in sacco. Et obstupefacti turbatique F.
mutuo, semper enim præsumit sæua pertur
bata conscientia, *dixerunt: Quidnam est hoc*,
quod efficiendo, vel permittendo *fecit no-*
bis Deus: quo manifestè deprehendamur in
tam publico malo, & fiat nobis in augmen
tum suspicionis criminis, quod antea obij-
ciebatur. *Veneruntq; ad Iacob patrem suū in*
terrā Chanaan, & narrauerūt ei omnia, quæ
accidissent sibi, neq; enim suffecit illis tur-
batio, quam passi fuerant in AEgypto, ni-
si & patrem contristarent, *dicentes: Locu-*
tus est nobis dominus terræ durè, & putauit
nos exploratores esse prouinciæ. Cui respon-
dimus: Pacifici sumus, nec vllas molimur in
sidias. Duodecim fratres vno patre geniti
sumus, vnus non est super, minimus cum pa
tre nostro est in terra Chanaan. Qui ait no-
bis: Sic probabo, quod pacifici sitis. Fratrem
vestrum vnum dimittite apud me, & ciba-
ria domibus vestris necessaria sumite & abi
te, fratremq; vestrum minimum adducite ad
me, vt sciam, quod non sitis exploratores, &
istum qui tenetur in vinculis, recipere pos-
sitis. Ac deinceps quæ vultis, emendi ha-
beatis licentiā. Pluribus igitur verbis nisi
sunt rem ordine gestam patri differere, vt
tandem pater intelligeret eos cōpulsos ad
oblationē Beniamin, nec potuisse effugere
rem, quā alioqui patri noscerent grauissi-
mam, cū nihil aliter dicere, & agere rebus
sic

Digitized by Google

sic stantibus potuissent. *His dictis cũ frumenta effunderent singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias:* prout vnus eorum repererat eas in diuersorio. *Exterritisque simul omnibus*, ac timentibus, ne fortè propter illam pecuniam malũ aliquod illis accideret, *dixit pater Iacob* addens ad cruciatum mentis eorum luctuosam quandam, & nimis acerbam querelam: *Absque liberis* quibusdam, quos maximè diligebã *me esse fecistis. Ioseph non est super*; si autem culpa vestra id acciderit, vos scitis. *Simeon tenetur in vinculis*, nisi fortè eum pro frumento vendidistis, & sic pecuniam reportatis, *& Beniamin aufertis*, seu accipere vultis. *In me hæc omnia mala reciderunt*, & ea omnia ego solus luo. *Cui respondit Ruben* insigni vtens hyperbole, & dicens. *Duos filios meos interfice* 3 *si non reduxero illum tibi. Trade illum in manu mea*, committendo eum custodiæ meæ, *& ego eum tibi restituam.* Hoc autem faciebat Ruben cogitans, quòd non esset possibile Simeonem redimere, nec alimenta in AEgypto emere, nisi Beniamin secum ferrent, in eoque pater consentiret. *At ille; Non descendet, inquit, filius meus vobiscum, frater eius mortuus est, & ipse solus remansit.* Quandiu verò hic mecum est, videor mihi habere aliquam consolationem, & huius consuetudo minuit mihi dolorem, quem ex fratre eius concepi. *Si quid ei aduersi acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos*, seu me senẽ *cum dolore ad inferos* 4 immitigabili, & vsq; ad mortẽ tristitia me afficiẽtes.

G. III. IIII.

ANNOTATIONES IN CAP. XLII.

I. *Iuramentum duplex assertoriũ, & execratoriũ*

PER salutem Pharaonis.] Tam per modum contestationis, quam per modum execrationis intelligi potest Ioseph iurasse per salutem Pharaonis, iuxta duplicem modum, quo quis iurare solet. Vno quidem per simplicem contestationem, in quantum scilicet testimonium Dei inuocatur; & hoc iuramẽtum innititur diuinæ veritati, sicut & fides. Fides autẽ est perse quidem & principaliter de Deo, qui est ipsa veritas, secundario autem de creaturis in quibus veritas Dei relucet: & similiter iuramentum principaliter refertur ad ipsum Deum, cuius testimonium inuocatur: secundario autem assumuntur ad iuramentum aliquæ creaturæ, non secundùm se sed in quantum in eis diuina veritas manifestatur; sicut iuramus per Euangelium, idest, per Deum, cuius veritas in Euangelio manifestatur; & per sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obseruauerunt. Sic igitur potest dici Ioseph iurasse per salutem Pharaonis quasi contestando veritatem diuinæ iustitiæ, ad cuius executionem principes terræ constituuntur. Alius autem modus iurandi est per execrationem, & in hoc iuramento inducitur creatura aliqua, vt in qua diuinum iudicium exerceatur; & sic solet homo iurare per caput suum, aut per filium suum, aut per aliquam aliam rem, quam diligit: sicut & Apostolus iurauit 1. ad Corinth. 1. dicens: Ego testem Deum inuoco in animam meam. Et sic etiam potest intelligi Ioseph iurasse per salutem Pharaonis quasi per modum execrationis salutem Pharaonis obligauerit Deo. De qua re vide plura apud D. Thom. & eius commentatores 2. 2. quæst. 89.

II. *Esse pro haberi, vel credi.*

EXploratores estis.] Esse plerumque pro haberi & iudicari sumitur in sacris literis, vt in Quæstionibus super hunc locũ aduertit D. Augustinus, & probat ex verbis Heliæ 3. Reg. 18. Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Id est, habeatur & iudicetur pro Deo. Et idem August. lib. 12. super Genes. ad literam illud Exod. c. 27: Locutus est Dominus ad Moysem facie ad faciem interpretatur vt verum habeat iuxta communem populi æstimationem. Et D. Hierony. Ierem. 28. eiusdem locutionis meminit; & iuxta illam dicit intelligendum Euangelium, quando Iosephum vocat patrem Domini. Et plura huius phrasis exempla inuenies apud Martinez lib. 9. Hypotypos. reg. 2. Iuxta hũc igitur modum intelligi debet asseueratio iuramento confirmata, quam præstitit Ioseph dicens: Alioquin per salutem Pharaonis, exploratores estis. Nam eo ipso quòd obiectum fuerat fratribus eius esse eos exploratores, & ad obiectionem purgandam dixerant, se habere fratrem minorem, si mẽtiti fuissent, reddidissent se suspectos, quòd exploratores essent: & sic verum iurauit Ioseph, quod si non discerneretur per hoc veracitas eorum, haberentur ex proprio mendacio exploratores.

III. *Hyperbole vtitur Ruben.*

DVos filios meos interfice.] Ruben tanquã fratrum natu maximus cum patre quamuis luctuoso, de portando in AEgyptum Beniamin primus agere cœpit, simul & alijs multo confidentior. Erat enim fretus bona conscientia, quod venditionis Ioseph autor non fuerat; ideoque promittebat sibi Deo adiutore, hunc sibi ab AEgyptio principe restituendum esse. Conditionem autem proposuit de duobus filijs suis occidendis, si fratrem non reduceret: non quòd sic faciendum esset: id enim neque rerum natura, nec pietas, neque lex vlla patiebatur, sed Ruben vrgenti alimentorum penuria commotus, simul & verbis Ioseph confisus, qui multã fœliciora illis pollicitus fuerat, si modò puerum ad eum deferrent per

hyperbolen dumtaxat locutus est, non autem propriè, vt vel sic puerum Beniamin esse reducendum patri suo persuaderet.

IIII. CVm dolore ad inferos.] Quid inferorum nomine hoc in loco sit intelligendum superius cap. 37. annot. 5. expositum est.

ARGVMENTVM IN CAPVT XLIII.

¶ Filij Iacob iterum tendunt in Ægyptum secũ deferentes Beniamin, & munera ac pecuniam duplicatam. Qui à Ioseph hospitio excepti, & ad conuiuendum inuitati ex patris nomine eum adorauerunt. Et quamuis admirati fuerint, quòd ex omni ciborum genere præstantior pars accederet fratri iuniori, nihilominus minimè cognouerunt Ioseph.

PARAPHRASIS IN CAP. XLIII.

A. INTERIM quòd regressus filiorum Iacob in AEgyptũ retardabatur, altercãtibus patre & filijs an Beniamin cum illis in AEgyptum deberet descendere, *fames omnem terrã* Chanaã, vbi habitabãt, *vehemẽter premebat. Cõsumptisq́; cibis quos ex AEgypto detulerant, dixit Iacob*, cui principaliter incumbebat cura alendæ prolis *ad filios suos: Reuertimini, & emite nobis pauxillum escarum*, quæ nõ ad abundantiã, sed ad necessitatẽ sufficiãt. *Respõdit Iudas: Denũciauit nobis vir ille sub attestatione iurisiurãdi dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrũ minimum adduxeritis vobiscũ. Si ergo vis eum mittere nobiscũ, pergemus pariter & ememus tibi necessaria. Sin autẽ nõ vis non ibimus*, neq; audebimus coram viro cõparere, cum id sine manifesto periculo facere nõ possimus. *Vir enim* (*vt sæpe diximus*) *denũcauit nobis*
† Supra 42.d.20 *dicens: † Non videbitis faciẽ meã absq́; fratre vestro minimo. Dixit eis Israel: In meã*
I. *hoc fecistis miseriã*: ex facto enim vestro
quilibet iudicabit vos voluisse me molestia
B. ac mœrore afficere & miseriorem reddere, huc nãq;, *tẽdit vt indicaretis ei & aliũ habere vos fratrẽ*, quasi hũc meũ charissimũ filium auellere volueritis, vos natu maiores istum iuniorem, adhuc materna æmulatione nonnihil imbuti. *At illi responderunt: Interrogauit nos homo per ordinẽ nostrã progeniem, si pater viueret, si haberemus fratrẽ. Et nos* ignorantes, qua ex causa quæreret, *respõdimus ei* de singulis vera & sine fraude *cõsequẽter iuxta id quod fuerat sciscitatus*, nihil minus expectantes quàm quod hunc tuũ filiũ videre vellet. *Nunquid scire poteramus quod dicturus esset; adducite fratrem vestrum vobiscum? Iudas quoque* vt ex animo paterno suspicionem eximeret *dixit patri suo: Mitte puerum mecum*, ac meæ fidei illum credito, *vt proficiscamur & possimus viuere, ne moriamur nos & paruuli nostri*, seu familia nostra, cum aliunde quàm ex AEgypto alimenta habere non possimus. † *Ego suscipio puerum* sub fideiussione mea *de manu mea require illum*: me † Infra 44.g.32
enim ipsum arrhabonem, & pignus constituo pro fratre reducẽdo. *Nisi reduxero et reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tẽpore*, atq; indignationi tuæ semper obnoxius, & pœnæ, quam inferre decreueris, *Si non intercessisset dilatio*, nequaquã extremam alimentorum necessitatem quam modo experimur, pateremur, sed *iam vice altera venissemus*, & domibus nostris cõsuluissemus. *Igitur Israel pater eorum* famis necessitate compulsus consentiens filijs *dixit ad eos: Si sic necesse est*, quòd non potestis descendere in AEgyptũ cibos inde adducturi nisi Beniamin acceperitis, *facite* C.
quod vultis. Sumite de optimis terræ fructibus, quos AEgyptus non habet *in vasis vestris* aptis ad fructus deferẽdos, *& deferte viro munera*, ex nomine meo & totius familiæ meæ, vt munerũ exhibitione agnoscat me hanc sibi reuerentiam impendere. Id autem quod deferre debetis sit *modicum resinæ*, seu guttæ defluentis ex arboribus aromaticis, *& mellis, & storacis, stactes, & terebinthi, & amygdalarũ*, quarum arborũ lachrymæ & fructus preciosi sunt, vtpote valdè vtiles vnguẽtis & medicinis, quibus AEgyptij mirũ in modum delectãtur. *Pecuniã quoq; duplicẽ ferte vobiscum*, II.
videlicet non solũ, quã dare debetis pro alimentis modo deferendis, sed *& illam quã*

Inuenistis in saccu lis, *reportate*, *ne forte* rẽmitius interpretãdo, *errore factum sit*; quod etiam alicuius maleuoli impostura ex odio cõtingere potuit. *Sed & fratrem vestrum* Beniamin, quem tantopere expetistis *tollite*, *& ite ad virum*, quẽ antonomasticè virum vocare libet. *Deus autem meus omnipotens* animarum & corporum vires sua fortitudine vincens *faciat vobis eum placabilem*, flectendo animum præsidentis AEgypto erga vos, faciatq́;, vt *& remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet* in vinculis, *& hunc Beniamin. Ego autem* vsq; dum redeatis, *quasi orbatus absq; liberis ero*, nã talis remanebo, atque ille, qui nullos habet liberos. *Tulerunt ergo viri munera & pecuniam duplicem & Beniamin*, *descenderuntq́ in AEgyptum*, *& steterunt coram Ioseph*, in loco publico vbi negotia regis exercere cõ-
D. suenerat extra domum suam. *Quos cum ille vidisset*, *& Beniamin simul*, quem adeò videre desiderauerat, *præcepit dispensatori domus suæ* inscijs fratribus, ne amicum animum coniectarent, *dicens*: *Introduc viros*
† Infra 44.5.? istos, qui ex Chanaan venerunt in meã *domum*, *& occide victimas* disponendo carnes ad cibum, *& instrue conuiuium*, *quoniam mecum sunt comesturi meridie*. *Fecit ille quod sibi fuerat imperatum*, *& introduxit viros domum* Ioseph, quam hactenus ingressi non fuerant. *Ibiq; exterriti* suspicantes ne pecuniarum gratia pœnas luerent, *dixerunt mutuo*: *Propter pecuniam*, *quam retulimus prius in saccis nostris*, *introducti sumus* in domum istam, quam ingredi non solent venientes ad emendum frumentum: idque proculdubio, *vt deuoluat in nos ca-*
C. *lumniam*, calumniose nos opprimendo potentia sua, *& violenter subijciat seruituti*, *& nos & omnia* bona, quæ in AEgypto habemus, nempe *asinos nostros*. Tales namq; sunt prauorum conscientiæ, vt etiã in prosperis expauescant, prouidente istud Deo in patriarchis, quo vindictæ diuinæ in præsenti perpetuo recordarentur. *Quamobrem* timẽtes graue aliquod damnum occasione pecuniarũ sibi obuent . rũ, *in ipsis foribus*, antequam domum Ioseph ingrederentur, *accedentes ad dispensatorem domus locuti sunt*, & nihil in ea parte conscij, sed tamen ad omnia trepidantes dixerunt: *Oramus do-*
† Supra 42. 4.2. *mine vt audias nos*. † *Iam ante descẽdimus* ex terra Chanaan in AEgyptum, *vt emere-*
E. III. *mus escas*; *quibus emptis cum venissemus ad diuersorium*, *aperuimus* 3 seu aperire cœpimus, *saccos nostros*, *& inuenimus pecuniam*, quam dederamus pro frumento ligatam *in ore saccorum*, *quam nunc eodem pondere reportauimus* tibi restituẽdam. *Sed & aliud attulimus argentum*, *vt emamus quæ nobis necessaria sunt*. *Non est in nostra conscientia*, vel non sumus conscij, *quis posuerit eã in marsupijs nostris*. *At ille respondit*: *Pax vobiscum* sit & integritas, *nolite timere*, neque huius gratia anxij sitis. *Deus vester & Deus patris vestri*, qui vestra dispensat, & quem vos colitis, ipse *dedit vobis thesauros in saccis vestris*. *Nam pecuniam*, *quam dedistis mihi probatam* & nullatenus adulteratam *ego habeo*, seu me illam habere reputo. *Eduxitque ad eos Simeon* è vinculis redemptum. *Et introductis domum attulit aquam*, & *lauerunt pedes suos* omnem eis benignitatem præfectus domus exhibens, *deditque pabulum asinis eorum*. Idque totum factum est absente Ioseph, ne insolita beneficentia quouis modo admonerentur ad cogitandum de fratre. *Illi verò* F.
parabant munera, *donec ingrederetur Ioseph meridie*, quò decentius illa offerrent præposito AEgypti, sibi præter morem & spem benefico. *Audierant enim* à dispensatore domus illos inuitante, *quòd ibi comesturi essent panem* 4 & accepturi integrum IIII.
conuiuium: vnde optima illis occasio occurrebat ad offerẽdum viro munera ex patris nomine. *Igitur ingressus est Ioseph domum suam obtuleruntque ei munera tenentes in manibus suis*, *&* pro se & pro patre suo, quasi ex eius nomine *adorauerunt* ipsum Ioseph *proni in terram* nimium se incuruando vel genua flectendo. *At ille clementer resalutatis eis* suscepit munera, & quia superioris est inferiorem ad colloquiũ prouocare, ac dare sermonis fiduciam *interrogauit eos dicens*: *Saluus ne est*, & bene valet *pater vester senex*, *de quo dixeratis mihi*, quod pater vester erat? *Adhuc viuit? Qui* profitentes se vna cum patre subiectos esse ditioni Ioseph, quamuis olim id impossibile iudicassent; *responderunt*: *Sospes est seruus tuus pater noster*. *Adhuc viuit*. *Et incuruati adorauerunt eum* in exemplum reuerentiæ, quam inferiores exhibere tenentur, quando superioribus loquuntur. *Attollens autem Ioseph oculos*, quos ad magis dissimulãdum depresserat, *vidit Beniamin fratrem suum vterinum*, *&* quasi memor factus verborum, quæ fratres dixerant, nempe se fratrem habere minimum

cum patre *ait: Iste est frater vester paruulus de quo dixeratis mihi? Et rursum* non expectando responsum, *Deus (inquit) misereatur tui fili mi*; vt enim affectum dissimularet, filium nominauit non fratrem. Et dũ in fratres affectata austeritate quasi in alienos intenderet, rupit pietas iniussa, nimiũque vltronea præparatam fortitudinẽ pectoris sui. *Festinauitque quia commota fuerant viscera eius super fratre suo*, ex præsentia obiecti quod tantopere diligebat, *& erumpebant lachrymæ, & introiens cubiculum fleuit*, vt amoris pij æstus lachrymis temperaret. *Rursumque lota facie*, ne lachrymosa deprehenderetur, *egressus continuit se* à fletu, *& ait: Ponite panes*. Et apposita est ciborum magna præparatio. *Quibus appositis* non quidem taliter, quòd cibi apponerentur omnibus simul, qui comesturi erant, sed *seorsum Ioseph*, quasi principi, cuius mensæ nemini assidere licebat, *& seorsum fratribus, AEgyptijs quoq; qui vescebãtur simul* appositis cibis *seorsum illicitũ est enim AEgyptijs comedere cum Hebræis*, 5 seu Chananæis eo quod Hebræi mactant & comedunt aliqua, quæ ab AEgyptijs coluntur, *& profanum*, seu irreligiosum vel sacrilegum, *putant huiuscemodi conuiuium*. Hoc ergo ordine appositis cibis super mensas fratres Ioseph *sederunt coram eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam*: nam quo erat quisque natu prior, eo sedit & superior, & e cõtrario quo erat quisque natu minor eo sedit & inferior. *Et mirabantur nimis* ob distributionem ciborũ qui ex mensa Ioseph ad illos deferebantur, *sumptis partibus*, *quas ab eo acceperat*, eo quod ex omni ciborũ genere præstantior portio accedebat iuniori. *Maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet*. Voluit enim Ioseph præhonorare germanum suum insigniori ferculo, qui inter eos contemptibilior haberetur, vltimusque recũbebat, tantoque minus amabatur à fratribus, quanto patri omnibus charior erat. *Biberuntq; & inebriati sunt cum eo*, 6 opulente comedentes & bibentes.

V. VI.

ANNOTATIONES IN CAP. XLIII.

I. *Loquitur Iacob ad vulgi cõsuetudinem.*

IN meam hoc fecistis miseriam.] Quamuis filij Iacob non indicauerint fratri Ioseph se alium habere fratrem eo animo, vt patrem molestia afficerent, cæterum quia tale fuit factum, vt qui viderent, dicerent eos eo animo fecisse, idcircò verè inquit Iacob. In meam hoc fecistis miseriam, vt indicaretis, &c. iuxta phrasim scripturæ, quæ se pluries accommodat ad vulgi cõsuetudinem. Mos enim est scripturæ, ita loqui, vt non consideret quid cogitauerit, qui fecit id quod narratur, aut quo animo fuerit, sed id quod factum ipsum indicat, & præ se fert, idest quod ex facto ipso, aut ex eius euentu vulgariter homines solẽt colligere, & iudicare. Loquitur enim sæpe ad vulgi consuetudinem. Vt 4. Reg. 4. Noli quæso domine mi vir Dei noli mentiri ancillæ tuæ. Licet enim ille mentiri nollet, tamen qui audirent rem, quæ ab homine præstari non potest pollicentem, putarent eum voluisse decipere mulierem. Et Psal. 10. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam: qui enim sibi malefacit, putatur se odisse. Et Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem & vxorem & filios, adhuc autem & animam suam, &c. qui enim huiusmodi necessitudines deserit odisse iudicatur. Similiter intelligendum est cum Christus maledictum dicitur, aut derelictus à Deo, vt Galatas. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: & Psalmus 21. Quare me dereliquisti, & similia. Significatur enim Christum tale supplicium subisse, vt putare possent rudes, & vulgares homines esse eum peccatorem, maledictum, & eiectum à Deo. Quod ab Isaia. capite. 53. explicatum est; Et nos putauimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum.

II. *Pecunia duplex quomodo debeat intelligi.*

PEcuniam quoque duplicem.] Aloysius Lypomanus super hunc locum existimat Iacob filijs præcepisse, vt vltra pecuniam, quam reportauerant ex AEgypto in ore saccorum, quam etiam voluit eos illuc iterato reducere, deferrent quoque secum duplicem pecuniam, timens si forte ob incrementum egestatis frumentum carius venderetur, ac malens quòd pecunia eis superesset; quam quod deficeret. Cæterum quia statim post pauca loquens scriptura de pecunia, quam filij Iacob detulerunt in AEgyptum, non memorat nisi pecuniam duplicem, inquit enim; Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem & Beniamin: verosimilius est in pecunia duplici, cuius hic fit mentio, comprehendi illam, quam attulerant ex AEgypto. Id enim quod statim subiungitur, Et illam quam inuenistis in sacculis reportate, non coniungit aliquid distinctum, sed duntaxat declarat & exponit id quod præcesserat de duplicitate pecuniæ. In quo sensu interdum debere sumi coniunctionem, &, diximus supra capit. 36. annot. 2.

III.

APeruimus saccos nostros.] Propter istæ verba, quidã Andreas citatus à Lyrano hic,

hic, dicit quòd quando filij Iacob regressi sunt prima vice de AEgypto, non solum vnus aperto sacco reperit pecuniam, sed etiam alij occasione prioris aperuerunt sacculos suos & in ore eorum inuenerunt pecunias suas. Cæterum hoc apertè obstat verbis præcedentis capituli: vbi postquam referuntur & accessus filiorum Iacob ad Chanaan, & verba quæ patri dixerunt, subiungitur. His dictis cum frumenta effunderent singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias. Exterritisque simul omnibus dixit pater Iacob. Quo in loco clare asseritur inuentionem pecuniarum, & tremorem ipsorum qui eas inuenerunt accidisse in terra Chanaan. Quam obrem id quod in præsenti dicitur: Cum venissemus ad diuersorium, aperuimus saccos nostros, & inuenimus pecuniam in ore saccorum, intelligi debet iuxta phrasim scripturæ, qua aliquid tunc dicitur fieri quando incipit executioni mandari: vt supra in capite quinto, Noe cum quingentorum esset annorum genuit (id est incepit generare) Sem, Cham, & Iaphet. Et capite vndecimo de Thare habetur, quòd cum esset septuaginta annorum, genuit Abram, Nachor, & Aran; quia eo anno cœpit illos generare. Ita ergo dicunt filij Iacob dispensatori; Cum venissemus ad diuersorium aperuimus saccos nostros, hoc est cœpimus illos aperire; quia vnus eorum aperuit, & inuenit pecuniam: reliqui vero id ipsum continuarunt posteà in domo paterna.

Factum aliquid esse dicitur, cum incipit fieri.

IIII. COmesturi essent.] Ex hoc loco manifeste patet panis nomine reliquos etiam cibos significari: cum enim superius iussisset Ioseph dispensatori domus suæ, vt instrueret conuiuiũ, certũ est hoc ipsum voluisse significare scripturam dicendo, fratres Ioseph audiuisse quod ibi comesturi essent panem. Hoc ipsum constat 1. Regum 14. vbi maledicens Saul eos qui ea die comederent panem, creditum fuit Ionatham incurrisse maledictionem ob fauum mellis prægustatum. Et 4. Regum sexto præcipiente Eliseo vt seruis regis Syriæ qui secum venerant apponeretur panis; subdit scriptura: Appositaque est eis ciborum magna præparatio.

Panis nomine cæteri etiã cibi significantur.

V. COmedere cum Hebræis.] Hebræos hic vocat scriptura non tantum eos, qui erant ex Abrahæ genere, sed etiam cunctos qui erãt ex terra Chanaan, nam sicut filij Israel dicebantur Hebræi à transitu fluminis Euphratis in terram Chanaan; sic & omnes Chananæi ab AEgyptijs dicebantur Hebræi à transitu fluuij Sicor, qui Latine Rinocorura dicitur: hic enim Chananæos ab AEgyptijs disterminat. Erat autem exosum AEgyptijs cum eiusmodi Hebræis edere: quoniam AEgyptij non solùm abstinebant ab edendis pecudum carnibus, quibus Hebræi passim vescebantur, sed etiam quasdam illarum pecudum tanquam deos stultissima superstitione colebant.

Hebræorum nomine cõprehendũtur omnes Chananæi.

VI. INebriati sunt cum eo.] Nomine ebrietatis copia magna solet significari in sacris literis: vt cõstat ex illo Psa. 35. Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ: & Deuter. 32. Inebriabo sagitas meas sanguine: sicut è cõtra nõ inebriari designat parcitatẽ; vt Aggæi. c. 1. Bibistis & nõ estis inebriati; significatur eos parũ vini è vineis percepisse. Quoniam igitur opiparum fuit conuiuium, quod Ioseph dedit fratribus suis, dicitur illos inebriatos fuisse cum eo.

Ebrietas pro magna copia

ARGVMENTVM IN CAPVT XLIIII.

¶ *Dimittuntur filij Iacob cum frumento, & cibarijs, apposito tamen scypho Ioseph in sacco iunioris; quos insequens dispensator domus accusat eos furti; in eiusque rei probationem inquiruntur sacci, & scyphus reperitur. Propter quam causam omnes redeunt ad Ioseph; cui Iudas propius accedens confidenter alloquitur, petens admitti in seruum loco fratris minimi, apud quem scyphus fuerat inuentus.*

PARAPHRASIS IN CAP. XLIIII.

A. P*RAECEPIT autem Ioseph dispensatori domus suæ*, quo diligentissimè mentem fratrum exploraret, quam erga fratrem suum Beniamin habebant *dicens: Imple saccos eorum frumento quantum possunt capere, & pone pecuniam singulorum in summitate sacci* vniuscuiusque, prout ista-

hæc duo iam semel antea fecisti. *Scyphum autem meum argenteum*, q[ui] formam habet dimidiæ amygdalæ, *& pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris:* illis prorsus ignorantibus: propter maius enim ipsorum bonum, oportet aliquantulum corda eorum simulato furto exulcerare. *Factumque est ita. Et orto mane* sequentis diei *dimissi sunt cum asinis suis. Iamque urbem exierant, & processerant paululum*, quando post gaudia instant aduersa, & vini potatio vlciscitur amaritudine cordis: nam *tunc Ioseph accersito dispensatore domus: Surge inquit, & persequere viros* magna armatorum multitudine stipatus, ne audeant resistere. *& apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono*, ac benefactori mala rependitis? *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo*
B. I. *bibit dominus meus, & in quo augurari solet*, 1 vtens eo ad auguria exercendum. Quo igitur res sublata preciosior est, eò furtum est grauius. *Pessimam rem fecistis*, tum ob ingratitudinem specialem, tum ob grauitatem operis. *Fecit ille, vt iusserat* obsequens domino suo in omnibus, & conscius probitatis suæ, & etiam totius tragœdiæ, *& apprehensis per ordinem* manibus iniitum, *locutus est ad eos* quæ Ioseph præceperat. *Qui responderunt* modestè, non rependentes iniuriosa verba ei, qui furti arguebat innocentes. *Quare sic loquitur dominus noster, vt serui tui tantum flagitij commiserint*, à quo omnino sumus immunes? *Pecuniam, quam inuenimus in summitate saccorum, reportauimus ad te de terra Chanaan.* Et tantum abest, quòd dominum tuum fraudare voluerimus, vt de remotiore nostra patria errorē commissum in pecunia, te teste emendare studuerimus: cum igitur hoc ita se habeat, *quomodo consequens est vt furati simus de domo domini tui aurum vel argentum?* Quod si hoc putas, nos ipsos facile offerimus ad maiores
C. pœnas, si sontes inueniamur. *Apud quemcunque fuerit inuentum seruorum tuorum, quod quæris, moriatur, & nos erimus serui domini nostri. Qui* instructus à Ioseph sententiam offerentium in parte approbans, *dixit eis: Fiat iuxta vestram sententiam:* & quamuis iuxta illam possem durius vobiscum agere, nihilominus satis sit, vt *apud quemcumque fuerit inuentum, ipse sit seruus meus, vos autem eritis innoxij. Itaque festinatò deponentes in terram saccos*, nihil cunctantes, sed nec vlciscentes calumniam *aperuerunt singuli:* confidebant namque facti euidentia se se innoxios comprobare. *Quos scrutatus* dispensator Ioseph *incipiens à maiori* ad magis dissimulandum *vsque ad minimum, inuenit scyphum in sacco Beniamin*; quod fratrum illius mentes omnino confudit. *At illi scissis vestibus* in signum grauissimi doloris, *oneratisque rursum asinis* non irruerunt in Beniamin, sed synceriore animo erga ipsum se exhibentes, quàm fuerant olim ad Ioseph *reuersi sunt in oppidum. Primusque Iudas*, qui patri pro Beniamin spoponderat *cum fratribus ingressus est ad Ioseph*, quod commodè facere potuit, *necdum enim de loco*, in quo mane negotia tractare consueuerat, Ioseph *abierat; omnesque ante eum pariter in terram corruerunt*, vt humilitate & reuerentia illum ad misericordiam prouocarent. *Quibus ille* D.
verba pro verberibus irrogans, ne remaneret impunitum fraternum scelus, quo ipsum vendiderant *ait: Cur sic agere voluistis?* A quo abstinere debebatis cogitantes saltem me tanta pollere scientia, vt facile vos deprehendere possem. *An ignoratis quod non sit † similis mei in augurandi*, 2 seu occulta reuelandi *scientia?* 22. q. 2. ca. quod ait. II.
Id quod clare vobis innotescere poterat, si aduertissetis me à Pharaone ob secretorum cognitionem celebratum nomine & officio. *Cui Iudas, Quid respondebimus (inquit) domino meo, vel quid loquemur* allegantes innocentiam, qua nobis conscij sumus, *aut iuste poterimus obtendere*, cum rectos nos probare non possimus, nec coram te iustificari? *Deus inuenit*, seu prodidit & manifestauit *iniquitatem seruorum tuorum*, quam aliàs nos perpetrasse fatemur, per hoc quod vult nos modo debitam pœnam satisfacere, occasione culpæ, quam non fecimus. *En omnes serui sumus domini mei, & nos & apud quem inuentus est scyphus.* Vt enim in causa desperata commiserationem extorqueret Iudas, idcirco maiorem pœnam obtulit, quam quæ à Ioseph poscebatur, se ipsum & fratres seruituti subdendo, propter vnius accusationem. *Respondit Ioseph: Absit à me, vt sic agam. Qui furatus est scyphum, ipse sit seruus meus:* vt suum quisque ferat peccatum

catum

Digitized by Google

catum: *vos autem abite liberi ad patrem vestrum.* Experiri namque eos voluit quo adhuc affectu in fratrem & patrem ferrentur, si consentirent illum periculo exponere, & relinquere in exilio, an emẽdatiores facti fuissẽt, Dei super se iudiciũ sentiẽtes, & si patrem grauare alterius quoque filij amissione æquanimiter ferre possẽt. *Accedens autem propius Iudas,* & solicitius instans, tum quia vehementius patrẽ diligebat, tũ quia obstrinxerat se pro Beniamin,
III. *confidenter ait: Oro Domine mi: Loquatur seruus tuus verbũ in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo* imperitè fortè loquenti; quia necessitas & fides accommodabunt mihi artem loquendi, cum conscientia innocentiæ, & causæ probitate. *Tu es enim post Pharaonem,* non secus atque ipse Pharao *dominus meus,* ac proinde non minus quàm ille eris nobis benignus & clemens.
† Supra 42. c. 11. † *Interrogasti prius seruos tuos, Habetis patrem aut fratrem & nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex & puer paruulus, qui in senectute illius natus est, cuius vterinus frater,* quantum mea fert opinio iam *mortuus est, & ipsum solum habet mater sua;* eum namque solum superstitem existimo de matre sua: *pater vero tenere di-*
F. *ligit eum,* vtpote natum in senectute. *Dixistique seruis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum* diligenter ipsum contemplando, ac singularis amoris affectu prosequendo. *Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum; si enim illum dimiserit, morietur* proculdubio senex à filio destitutus.
† Supra 43. a. 3. & 5. † *Et dixisti seruis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam.* Ob hanc causam promisimus illum ad te perducere. *Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narrauimus ei omnia, quæ locutus est dominus meus. Et dixit pater noster: Reuertimini & emite nobis parum tritici. Cui diximus: Ire non possumus* eo modo, quo iubes pater, *sed si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul, alioquin illo absente non audemus videre faciem viri* ob commi- G.
nationem nobis ab ipso factam. *Ad quæ ille respondit: Vos scitis quòd duos genuerit mihi* filios Rachel *vxor mea: & egres-* IIII.
sus est vnus de domo mea ad locum, vbi vos tunc eratis, *& dixistis,* seu dicere me fecistis: *Bestia deuorauit eum, & quam*uis hoc non fuerit omnino certum, tamen saltim *hucusque non comparet. Si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit* aduersitatis, vel periculi *deducetis canos meos* facientes senectutem meam descendere, *cum mœrore ad inferos;* nam calamitosus senex vim doloris ferre non valens, tristis & mœrens moriar. *Igitur si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum, & puer defuerit (cum anima,* seu vita corporalis *illius ex huius anima,* ac vita *pendeat,* ob amoris colligationem, quæ inter vtrumque est) *videritque eum non esse nobiscum, morietur, & deducent famuli tui canos eius,* seu illum iam senem *cum dolore ad inferos;* nobis enim poterit imputari, quòd pater noster sine omni consolatione in tantis angustijs diem claudat extremum. *Ego propriè seruus tuus sim:* æquum enim est, vt me pro omnibus periculoso exponam, & addicam seruituti; *qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens:* † *Nisi* † Supra
reduxero eum, peccati reus ero in patrem 43. b. 9.
meum omni tempore, atque indignationi illius ita obnoxius, ac si culpabiliter omitterem ei filium reddere. *Manebo itaque seruus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis.* nam longe mihi leuior erit quæcumque captiuitas, quàm absque fratre minimo ad patrem descendere. *Non enim possum,* nec suffert animus *redire ad patrem meum absente puero, ne calamitatis, qua oppres-*
sura est patrem meum testis assistam, & ocu- V.
lisque meis miseriam tam funestam prospiciam.

ANNOTATIONES IN CAPVT XLIIII.

I. *Ioseph excusatur à mendacio.* IN quo augurari solet.] Sicut excusandus venit Ioseph à mendacio pernicioso, & à peccato calumniæ dum imponit fratribus crimen furti: ita similiter debet accusari à mendacio pernicioso in se ipsum asserens hic se esse diuinatorem in vase argenteo. Et inferius, non esse similem sui in augurandi scientia. Verùmque enim protulit ioco non serio: vt exitus docuit: idque magnum aliquod mysterium isto quasi ludo prudenter prænotando: Cum autem quæ non sunt tanquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia. Nam vt docet Diuus Augustinus in

nus in quæstioni. 145. super hunc locum Genesis, mendacia à mendacibus serio aguntur non ioco. Cuius quidem sententiæ sunt Autor Historiæ scholasticæ in Genesi, & D. Thom. 1.2. quæst. 95. artic. 7.

II. *Augurari dupliciter dicitur propriè & metaphoricè.*

IN augurandi scientia.] Duplex est significatio tam nominis Augurium, quàm verbi Augurari. Altera propria & metaphorica. Augurari propriè significat diuinare ex auium vel volatu, vel cantu, vel pastu: hæc enim tria erãt augurij genera. Altera significatio est, vt augurari vsurpetur pro eo quod in vniuersum dicitur diuinare, siue præsagire animo, & prædicere futura, quocumque id modo fiat. Hac significatione vsi sunt augurandi verbo Plinius scribens Cornelio Tacito lib. 7. Epistolarum, & Cicero scribens Cæcinnę lib. 6. Epistolarum, & Aristoteles lib. 1. animalium, & Problemate 9. sectione 33. Cum igitur superius dixerit Ioseph se augurari in scypho, consequens est ibi, & in præsenti non sumi augurandi verbum priori modo, sic enim augurium non per scyphum, sed per aues fiebat; sed posteriori modo, pro eo quod est diuinare, siue prospiciendo, & prænunciando futura, siue pręterita, vel pręsentia, quę essent occultissima, penetrando intelligentia, & alijs manifestando.

III. *Scriptura quæ in vno loco tacet in alio refert.*

ORo domine.] Multa in hac Iudę narratione aliter dicuntur, quàm Moyses illa superius retulerat, tum Iuda nonnulla omittente, tũ aliqua addente quæ antea dicta nõ fuerant. Quod consulto & rationabilter contigisse credendum est. Ideò enim Iudas non omnia gesta recitauit, ita vt omnia de illa insinuatione quod exploratores essent, nihil diceret quia causam voluit breuiter agere, ne grauaret auditorem, & quoniã anxius animo erat, non vacabat omnium memorari. Et præterea aliqua adduntur in oratione Iudæ his, quæ Moyses historiã narrans conscripserat: quia Moyses non tenebatur in historiæ descriptione omnia sigillatim referre; cum ipsi etiam Euangelistæ multa earum rerum, quæ in vita Christi contigerunt, silentio præterierint, iuxta illud Ioann. vlt. Multa alia signa fecit Iesus, quæ non sunt scripta in libro hoc. Maximè quòd mos est scripturæ Sacræ in loco, vbi historiam primo narrat, aliquid omitttere, quod postmodum repetendo enarrat, & supplet: vt facilè perspicies si compares Euangelistam Euangelistæ, & libros Regum cum libris Paralipomenon.

IIII. *Rachel dicitur absolutè vxor Iacob.*

VXor mea.] Rachelem antonomasticè appellat Iacob vxorem suam, non solùm, quia magis dilecta fuerat, sed etiam quia sola electa ab ipso in vxorem. Liam enim præter intentionem habuerat, & aliæ famulæ erant quoad conditionem & officium.

V. *Visus plus mouet quã auditus.*

TEstis assistam.] Potius refugit Iudas calamitatis paternæ testem assistere, quam in notitiam illius peruenire, quia malum visum magis affligit animam quàm auditum. Et hoc ipsum fuit causa, propter quam Agar dimissa ab Abraham existimans filium Ismaelem moriturum in solitudine Bersabee, secessit ab illo dicẽs: Non videbo morientem puerum: vt habetur supra capite 21.

ARGVMENTVM IN CAPVT XLV.

¶ *Joseph manifestat se fratribus suis, eosq́; clemẽter consolatur, imputans diuinæ prouidentiæ, non fratrum prauitati se in Ægyptũ aduenisse, obfuturam per quinquẽnium alimentorum inopiam. Propter quam etiam causam inuitat patrem suũ vt vna cum sua familia in Ægyptum aduen iat: ad idq́; fratres cum donis ac cibarijs & etiam curribus necessarijs ad subuectionem supellectilium ad patrẽ remisit; qui isthac audiens incredibili affectus est gaudio.*

PARAPHRASIS IN CAP. XLV.

A. NON *se poterat vltra cohibere Ioseph*, nec vim sibi amplius facere, ne se fratribus à quibus iam sufficientẽ exegerat satisfactionem, ostenderet *multis corã astãtibus*, qui eum lachrymantẽ vidissent, si eos à se nõ eijceret. *Vnde præcepit vt egrederentur cũcti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ*, quò liberior lachrymis & exultatione gestiendi licẽtia esset, & proditio fratrũ non reuelaretur externis. *Eleuauitq́; vocem cũ fletu* præ gaudio, cõmiseratione, & admiratione prouidẽtię Dei, quia scilicet fratres suos secũ haberet, & adesset sibi benefaciẽdi illis & causa & opportunitas, Dño omnia disponẽte. Ideò igitur vocẽ edidit, *quã audierũt*, seu quoquo modo resciuerũt *Ægyptij, omnisq́; domus Pharaonis: & dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph*, quãuis alio ab Ægyptijs vocer nomine. *Adhuc pater me' viuit?* prę magnitudine enim filialis affect' denuo & iterũ de patris salute quære-

quęrere & audire gaudeo. *Nō poterant respondere fratres nimio terrore perterriti:* nā memores mali, quo eū affecerāt, & vidētes gloriā ac potentiā, quā habebat, de sua salu-

B. tè anxij erāt. *Ad quos ille clementer fraterneq;* cōsolari ac demulcere, & animare studēs; *Accedite, inquit, ad me. Et cū accessissent propè*, tūc submissa voce ne alienis cōmunicaretur fraterni notitia sceleris. † *Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis* mercatoribus Ismaelitis, vt longe à terra Chanaan abducerer *in AEgyptum. Nolite pauere*, aut angustiari, *neque vobis durū*, seu asperum vel terrore dignum *esse videatur, quod vendidistis me in his regionibus.*

† Acto. 7. b. 13.

† *Pro salute enim vestra*, & vt vitā & incolumitatē habere possitis *misit me Deus ante*

† Infra. 50. c. 20.

I. *vos in AEgyptum*: sine cuius voluntate, sicut folium non cadit ab arbore, multo minùs fratris ad regnum promotio, totque populorum salus & prouisio contingere potuit. *Biennium est enim quod cœpit fames esse in terra*, vel ob siccitatem vel ob aliam quamcunq; causam Deo cognitam, *& adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti*, nam parū quod terra producet, pro nihilo poterit reputari. *Præmisitque me Deus vt reseruemini super terram*, & me regnum istud gubernante, & alimenta distribuente, *escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio*, neq; ob

C. prauitatem vestram, *sed Dei voluntate huc missus sum: qui* tam respectu Pharaonis, quàm respectu familiæ illius, ac etiam totius terræ AEgypti in maximam me perduxit gloriam: nam in ordine ad regem ipsum *fecit me quasi patrem Pharaonis, &* eius curam ago, ac si officio fungerer paterno: & præterea *dominum vniuersæ domus eius; ac principem in omni terra AEgypti*, constituit me Deus, vt & familiæ Pharaonis & reliquis de populo tanquam dominus & princeps imperare valeam. *Festinate* igitur, & vt credatis, quod non vobis ascribam, quæ contra me fecistis, sed quod liberare vos disposuerim à periculo famis, *ite & ascendite ad patrem meum & dicetis*

II. *ei. Hæc mandat* & per nos tibi renuntiari *filius tuus Ioseph: Deus fecit me dominum vniuersæ terræ AEgypti* post Pharaonem, *Descende ad me, ne moreris & habitabis in terra Gessen*, quæ regio est in finibus AEgypti non longe à regia residentia, pascualis vtilis & optima. *Erisque iuxta me tu,*

D. *& filij tui, & filij filiorum tuorum; oues tua & armenta tua, & vniuersa, quæ possides, ibique te pascam. Adhuc enim quinque anni residui sunt famis*, festina igitur ascendere *ne & tu pereas & domus tua, & omnia quæ possides. En* vt vos ipsi certum facere patrem meum possitis, *oculi vestri & oculi fratris mei Beniamin vident*, quòd non per interpretem, sed *os meum loquatur ad vos*, idque Hebraicè, prout antequàm huc venire consueueram vobis loqui. *Nunciate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in AEgypto*; non quidem propter me, sed ad Dei laudem, patrisque lætitiam, quam proculdubio suscipiet pater, cum hæc audiet. *Festinate & adducite eum ad me.* His verbis consolatus est Ioseph consternatos adhuc fratres & pauidos, præ admiratione, timore, & verecundia loquī nondum audentes. *Cumque amplexatus recidisset in collum Beniamin fratris sui fleuit, illo quoque similiter flente super collum eius.* Quem primo consolari debuit Ioseph, quia absque propria culpa pro scypho fuerat confusione & rubore affectus. *Osculatusque est Ioseph, omnes fratres suos, & plorauit super singulos* fletibus pietatis & gaudij. *Post quæ* resumpto spiritu & fiducia pauoreque discusso *ausi sunt loqui ad eum*, reconciliationis perfectæ symbolum porrigentes. *Audi-* E.

tumque est, & celebri sermone vulgatum in aula regis per relationem eorum, qui erant in domo Ioseph, quòd *venerunt fratres Ioseph. Et gauisus est Pharao atque omnis familia eius:* tanta namque fuit virtus & dexteritas Ioseph, vt quamuis Hebræus esset & alienus, inuidiam aulicorum superare potuerit. *Dixitque Pharao ad Ioseph, vt imperaret fratribus suis dicens*, ex nomine ipsius regis AEgypti: *Onerantes iumenta* tam viatico, quàm reliquis, quæ necessaria vobis fuerint ad eundum & redeundum, *ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem vestrum & cognationem*, id est, familiam vestram cum consanguineis, *& venite ad me, & ego* intuitu Ioseph spontè & liberaliter *dabo vobis omnia bona AEgypti,* F.

vt comedatis medullam terræ, delicatiores scilicet fructus, ac optimos à terra prouenientes cibos. *Præcipe etiā, vt tollāt plaustra de terra AEgypti ad subuectionē paruulorū suorum ac coniugū*, imò & omniū quæ possident in terra Chanaan: *& dicite: Tollite*

lite patrem vestrum, *& properate quantocyus venientes*, *nec dimittatis quidquam de supellectili vestra*, sed omnino in hanc terram transmigrate, *quia omnes opes Aegypti vestræ erunt*, si communicare volueritis AEgyptijs, & eis commisceri. *Feceruntque filij Israel, vt eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra secundum Pharaonis imperium & cibaria*, quæ necessaria erant fratribus *in itinere*, tàm ad eundum in terram Chanaan, quàm ad redeundum in AEgyptum. *Singulis quoque* fratribus magnificus Ioseph *proferri iussit binas stolas*, seu vestes mutatorias; *Beniamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis*, liberalius illum honorando *tantumdem pecuniæ & vestium*, sicut dedit Beniamin *mittens patri suo*, *addens* eis donis quæ patri in pecunijs & vestibus mittebat, *& asinos decem*, *qui subueherent ex omnibus diuitijs AEgypti*, ex ijs videlicet, quæ pretio habentur apud Ægyptios, addens similiter *& totidem asinas triticum in itinere panesque portantes*: vt haberet quod abundanter comederet pater in via, dum veniret ad eum cum omnibus domesticis suis. *Dimisit ergo fratres suos*, & comprimere volens eorum iram & mutuam contentionem *proficiscentibus ait*: *Ne irascamini in via*, 3 vbi ipse viandi co-
III. G. mitatus debet esse inuiolabilis, & gratiæ habere consortium. *Qui ascendentes ex AEgypto venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob. Et* alacres quidem, non tamen sine verecũdia pro crimine patrato in fratrem, & mox patri reuelando, *nunciauerunt ei dicentes*: *Ioseph filius tuus viuit*: & non quoquo modo viuit, sed vltra hoc *ipse dominatur in omni terra AEgypti* secundus existens post Pharaonem. *Quo audito Iacob*, *quasi de graui somno euigilans* cœpit quasi reuiuiscere, aliqualia hilaritatis signa præbendo, *tamen non credebat eis*, sed hæsitauit, & secum constitit. Dudum enim ijdem filij contrarium ei persuaserant, nam à fera deuoratum Ioseph dixerant, vnde vel nunc mentiebantur, vel olim fuerant mentiti: quapropter Iacob nolebat filijs assentire. *Illi è contra referebant omnem ordinem rei*: asserentes quare, & quomodo Ioseph vendiderant, & qualiter fuit promotus in AEgypto. *Cumque vidisset plaustra*, *& vniuersa*, *quæ miserat* Ioseph patri, vt ipse cum filijs in AEgyptum descenderet, *reuixit spiritus eius*: nã de vehemẽti desolatione ac prostratione, quę mortis sunt imagines ad viuacitatem, & iucũditatem reuersus est, *& ait*: *Sufficit mihi* pro lõgi mei mœroris cõsolatione ex omnib⁹, quę in hac vita deinceps desidero, *si adhuc Ioseph filius meus viuit*, neq; gaudium maius cupio, sed *vadam, & videbo illum, antequam moriar*, vt colloquio, & amplexibus eius fruar saltim decrepitus.

ANNOTATIONES IN CAP. XLV.

I. *Iusti in bonã partem, & mali in malam, quæ vident, interpretãtur.*

PRO salute enim vestra.] Non vindicat Ioseph peccatũ, neq; saltem exprobrat, sed ex peccato bonũ opus efficere nititur; imò opus Dei. Sicut enim impij ex operibus iustitiæ peccata faciũt, ita & iusti ex peccatis opera iustitię & Dei. Nullũ namq; est opus tam iustũ aut sanctum, in quo iniquus non inueniat circunstantiam aliquam, qua illud damnet. Calumniabãtur sæpe Iudæi Saluatoris pijssima opera curationum & sanitatum, quod ea Christus in die Sabbathi fecisset. Sic filij Amõ 1. Reg. 10. quorum regem, cũ ob patris interitum Dauid consolari niteretur ex pietate, suspicati sunt principes illum terræ illorum insidiari, & ex misericordiæ opere, opus fecerunt impietatis. Didicerunt à diabolo patre, qui cũ in nobis opus bonum dãnare non possit, damnat intentionem. Cõmendauerat enim Dñs opera sancti Iob, ipse verò eius mentem apud Deũ damnare satagebat dicens Iob 1. Nunquid Iob frustra timet Deũ? Boni verò viceuersa cùm opus malũ aliter excusare nõ possunt, saltẽ intentionẽ, quam nõ norunt excusant, & bonã quoad possunt faciunt. Quod enim opus in rerũ natura deterius lapidationi innocentis? & tamen B. Stephanus eã ignorantia lapidantium excusat dicẽs Act. 7. Dñe ne statuas illis hoc pctũ, quia nesciunt, quid faciũt. Didicerat à magistro qui opus pessimũ crucifigẽtiũ Patri quasi nõ malũ offert dicẽs. Luc. 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sic nũc Ioseph iustus nefandissimum vẽditionis opus, Dei opus & maximę clemẽtiæ diuinæ fuisse contendit, & graue facinus in eorũ vtilitatẽ cõuertere nititur: hoc enim peculiare opus Dei esse ostẽdit; vt mala opera nostra in nostrũ vertat cõmodum, à quo hoc sancti facere didicerunt. Omnia enim ijs qui sancti vocati sunt in bonum cooperantur.

II. *Mandare pro renunciare alijs.*

HAec mandat.] Mandare in sacris literis interdum ponitur pro eo quod est quidpiã per internũcios alteri renunciare: quia in eiusmodi renunciatione legatus accipit mandatum ab eo, à quo mittitur. Et in hoc sensu dicitur in præsenti; Hæc mandat filius tuus Ioseph, id est, hæc iubet tibi renunciari: & etiam inferius capite 50. de fratribus Ioseph dicitur; quod

quod mandauerũt ei dicentes: Pater tuus, &c. pro eo quod eſt, renũciauerunt ei per internuntios. Et Num. 20. Hæc mãdat frater tuus Iſrael.

III. NE iraſcamini in via.] Variæ ſolent adduci rationes & cauſæ, ob quas Ioſeph proficiſcentibus fratribus ſpecialiter præcepit, ne iraſcerentur in via. Diuus Ambroſius in libro de Ioſeph Patriarcha inquit, ad id permotum fuiſſe Ioſeph, eò quod maximè in via fugienda eſt diſcordia; vt pote directè contraria ipſi vianti comitatui. Diuus Chryſoſtomus ſuper hunc locum exiſtimat eius rei cauſam extitiſſe, quòd Ioſeph audierat Ruben dixiſſe. Non ne dixi vobis, nolite peccare in puerum? Vnde timere poterat, ne cum fratres ab eo receſsiſſent litigarent ad inuicem imponentes ſibimet vnus alteri malitiam venditionis fratris. Mihi tamen veroſimile eſt Ioſeph ſciens conditionem fratrum eoſque eſſe procliues ad iracundiam & mutuam diſſenſionem, vtpote filios diuerſarum matrum, & hæredes maternarum æmulationum, idcircò ſpecialiter voluiſſe, vt cauerent à diſcordia. Et fortè iſta frequens contentio erat illud crimen peſsimum, quod Ioſeph detulit ad patrem ſuum ſupra capite trigeſimo ſeptimo.

imen
ſimū
d. ſer
a ſra-
tm.

ARGVMENTVM IN CAPVT XLVI.

¶ *Deſcendenti Iacob in Ægyptum apparuit Dñs iuxta puteũ iuramenti, à quo animæquior redditus proſequitur viam vna cum omni familia ſua, in quibus abſque vxoribus filiorum ſexaginta ſex perſonæ erant. Occurrit illis Ioſeph in Geſſen, & monet vt interroganti Pharaoni quodnam ſit eorum opus, reſpondeant ſe eſſe paſtores, quo ſegregati ab Ægyptijs in terra Geſſen inhabitare valeant.*

PARAPHRASIS IN CAP. XLVI.

A. P*ROFECTVSQVE Iſrael* ad videndum tam deſideratũ filium *cum omnibus quæ habebat*, vt nihil abſque diuino conſilio & præuijs Dei ſacrificijs faceret, *venit ad puteum iuramenti*, nempè in Berſabee, qui locus erat diuino cultui, ac Dei reuelationibus deſtinatus: *& mactatis ibi victimis* in nemore, quod eo in loco plantauerat Abraham, vel in altari, quod ibidem erexerat Iſaac, oblatiſque eis *Deo patris ſui Iſaac, audiuit eum per viſionem noctis*, quando ſenſus aptiores ſunt apparitionibus diuinis, *vocantẽ ſe & dicentẽ ſibi: Iacob*, Iacob duplicãdo nomẽ ad excitandum maiorem in eo qui vocabatur, attentionem; *Cui reſpondit: Ecce adſum* promptus, & paratus obedire iuſsioni tuæ. *Ait illi Deus* confortans eum à timore, quem habebat deſcendendi in AEgyptũ ob difficultatem iterum redeundi; *Ego ſum fortiſsimus Deus patris tui*, quem ille coluit, & in quem ſperauit. *Noli timere* ſenectutem vel aliud quoduis periculum obuenturum in profectu vel regreſſu viæ tuæ, ſed *deſcende in AEgyptum* gaudens & totus ſecurus: *Quia in gentem magnam faciam te ibi* magnificando poſteros tuos & numero, & potentia. *Ego deſcendam tecum illuc*, quaſi comes itineris incolumem te ſeruans, *& ego inde adducam te* non in propria perſona, ſed in poſteris *reuertentem*: quando ſcilicet ſemen tuum educam de AEgypto in brachio extento, & manu potenti, *Ioſeph quoque* quem te præceſsiſſe ad mortem dolueras tantopere, ipſe ſepulturæ tuę curator erit, non tu illius, & morẽ antiquorum ſeruans *ponit manus ſuas ſuper oculos tuos*, illos claudens in morte, quaſi pius & officioſus & à te magis dilectus. *Surrexit autem Iacob à puteo iuramenti*, diuina apparitione mirum in modum confortatus: † *tuleruntque eum filij cum paruulis* ipſorum filiorum; *& vxoribus ſuis*, & poſuerunt eos *in plauſtris quæ miſerat Pharao ad portandum ſenem*, *& omnia quæ poſſederat in terra Chanaan*, hoc eſt, ſeruos & ancillas, animalia, argentum, aurum, ſupellectilem, & pro tot perſonis bona mobilia ad mandatum Domini in AEgypto habitaturi. † *Venitque in AEgyptum cum omni ſemine ſuo, filij eius*

† Act. 7. b. 15.

† Ioſ. 24. a. 3. Pſa. 204. b. 22. Iſa. 52. a. 4.

eius & nepotes, filiæ seu neptes, *& cuncta simul progenies.* Et ingressus est Ægyptum honorificè quidem: suo tamen tẽpore longè maiori honore & numero regressurus in semine suo. *Hæc sunt autẽ nomina filiorũ Israel qui ingressi sunt in Ægyptum:* sic tamen vt computetur Israel *ipse cum liberis suis.* † *Primogenitus Ruben. Filij Ruben,*

† Exod. c. 26. b. 14. Nu. 25. f. 1. par. 5. a. 1. & 3. Exod. 6. ca. 15. 1. par. 4. c. 24. 2. p. 6. a. 1. 1. par. 2. a. 3. 4. d. 21 1. par. 7. a. 1.

Enoch, & Phallu, & Esron, & Charmi. Filij Simeon, Iamuel, 1 *& Iamin, & Ahod, & Iachin, & Sohar, & Saul filius Chananitidis.* Simeõ nanq; solũ vnum filium habuit ex matre Chananæa, reliquos autem non item. *Filij Leui, Gerson, & Caath, & Merari. Filij Iuda Her, & Onan, & Sela, & Phares, & Zara. Mortui sunt autem Her & Onã in terra Chanaã:* vnde in præsẽti cõputatione annumerãdi non erũt. *Natiq; sunt filij Phares, Esron, & Amul* non quidem in Chanaan, sed postea in Ægypto; in locum tamen Her, & Onan recensere eos oportet ob dignitatem Messiæ, qui ex Phares filijs originem est habiturus. *Filij Issachar, Thola, & Phua, & Iob, & Semron. Filij Zabulõ*

I.

Sared, & Helon, & Iahelel. Hi sex filij Iacob quorum filios recensuimus fuerunt, *filij Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syriæ, cum Dina filia sua. Omnes animæ* 2 *filiorũ*

II.

eius, nempè filiorum Iacob, quos hactenus numerauimus, *& filiarum*, seu [illegible] tãtum filiæ sunt *triginta tres* cum Iacob patre eorum. *Filij Gad Sephion, & Aggi, & Suni, & Esebon, & Heri, & Arodi, & Areli.* † *Filij Aser Iamne, & Iesua, & Iesui, & Beria. Sara quoque soror eorum.* Omnes

† 1. par. 7. f. 30.

enim filiæ seu neptes Iacob, quæ ingressę sunt cum ipso in Ægypto etiam debent memorari. *Filij Beria, Heber & Melchiel. Hi filij Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ, & hos genuit* mediatè vel immediate viro suo *Iacob*, videlicet *sedecim animas*, seu personas animatas, connumerando inter eas Saram filiam Aser. *Filij Rachel vxoris Iacob* præcipue, & qua sola contentus fuisset vir eius nisi Domino aliud placuisset fuerunt *Ioseph & Beniamin.* † *Natique*

† Supra 41. f. 53 1. par. 7. 6. b. 8. a. 1.

sunt Ioseph filij in terra Ægypti quos genuit ei Asseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos, Manasses & Ephraim. Filij Beniamin, Bela, & Becher, & Asbel, & Gera, & Naaman, & Echi, & Ros, & Mophim, & Ophim, & Ared. Hi filij Rachel, quos genuit viro suo *Iacob. Omnes animæ quatuordecim. Filij Dan* non plures fuerunt, sed vnus dumtaxat, videlicet *Husim. Filij Nephthali, Iasier, & Guni, & Ieser, & Salem. Hi filij Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ, & hos genuit* ipsa Bala viro suo *Iacob: omnes animæ septem. Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum & egressæ sunt de fœmore illius* per carnalem generationem ipsius Iacob, vel filiorũ eius *absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex* fuerunt. Vltra quos ipse Iacob & Ioseph & filij eius in Ægyptum quoque descendisse reputãtur. *Filij autem Ioseph qui nati sunt ei in terra Ægypti*, & nihilominus quia pars erant domus Iacob ductæ in Ægyptum, inter ingressos cum Iacob cõputari debuerunt, fuerũt *animæ duæ.* † *Omnes* igitur homines, seu sumendo partem pro toto omnes *animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuere septuaginta*, 3 videlicet ipse Iacob, & duodecim eius filij, & vna filia, quinquaginta & vnus nepotes, & vna neptis, & quatuor pronepotes. Quamuis si vltra hos, qui iam nati erant, cõnumerare velis alios quinque posteros Iacob, qui in vteris maternis ingressi sunt Ægyptum, habebis † septuaginta quinque animas cum Iacob in Ægyptum descẽdisse. *Misit autem* pater eorũ Iacob *Iudam*, cuius prudẽtiam expertus fuerat, & præcepit ire *ante se ad Ioseph, vt nunciaret ei* patris aduentũm, *& occurreret* obuiusque fieret patri *in Gessen. Quo cum peruenisset* Iudas, & legationem dedisset fratri, mox *iuncto Ioseph curru suo*, & præparato ad iter agendum *ascendit obuiam patri suo ad eundem locum* Gessen, vbi pater aderat. *Vidensque eum* nempe Ioseph patrem *irruit super collum eius*, & ex ingenti voluptate *inter amplexus fleuit* cogitans tam prolixum intercessisse tempus, in quo ipse patrem & pater ipsum non viderat. *Dixitque pater ad Ioseph* satis affectionem animæ declarans: *Iam lætus moriar;* quamuis enim nunc morerer consolatus existerem, nec de præcauenda morte multum curarem: *quia vidi faciem tuam &* votorum compos factus *superstitem te relinquo*, dum adhuc viuis, qui pridem mortuus & à bestijs deuoratus es habitus. *At ille locutus est ad fratres suos & ad omnem domum patris sui* instruens eos, qualiter se gerere deberent cum Pharaone, & ait. *Ascendam & nunciabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei & domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me, & sunt viri pastores*

† Deute. 10. d. 22.

III.

† Acto. 7. b. 14.

D.

Digitized by Google

stores ouiũ, curamq; habent alendorum gregum ipsi & patres eorum. *Pecora sua & armeta, & omnia quæ habere potuerunt adduxerunt secũ,* nec quidquã dimittentes de suppellectili sua, prout tu domine iussisti. *Cũque vocauerit vos & dixerit. Quod est opus vestrũ,* vel opificium, seu quid muneris habetis? *Respondebitis. Viri pastores sumus serui tui ab infantia nostra vsque in præsens & nos & patres nostri: Hæc autem dicetis,* *vt* segregati, neque cõmercium habentes cum AEgyptijs *habitare possitis in terra Gessen,* quæ optima terræ portio est, & apta pecoribus nutriendis: *quia detestantur AEgyptij omnes pastores ouium:* eo quod percutiunt & affligunt animalia, quæ ab ipsis tanquam dij coluntur, ac proinde volũt vt pastores seorsum ab eis habitationẽ habeant: quod vobis in maximam cedet abũdantiam, & tranquillitatem.

ANNOTATIONES IN CAPVT *XLVI.*

I. IAMVEL.] Hic filius Simeon Num. 26. vocatur Namuel: & hæc eadem variatio contingit in alijs nominibus eorum, qui hinc recensentur: nam ipsimet hoc in loco cõmemorati, alibi in scriptura alijs nuncupãtur nominibus: quod cõmune esse solet etiam alijs linguis ab Hebraica, vt latè ostẽdimus c. 36. annot. 1.

II. OMnes animæ. Tres locutiones, seu phrases Hebraicas, quæ in contextu huius capitis passim occurrunt, oportet maximè considerare. Prima est, qua pars sumitur pro toto: nam intrantium in AEgyptũ sæpius animæ numerantur, cũ tamen appellatione animæ eorundẽ quoq; corpora constet cõprehendi. De qua phrasi plura diximus supra cap. 2. annot. 7. Secunda phrasis est, qua Hebraico more vxores dicũtur generare filios viris suis. Vnde quãdo dicitur de filijs Zelphæ, hos genuit Iacob, & de filijs Rachel dicitur, Quos genuit Iacob, & de filijs Balæ, quando dicitur, Hos genuit Iacob, semper nomen Iacob ponitur in datiuo casu; in eo nẽpe sensu in quo clarius dicitur de filijs Ioseph. Quos genuit ei Asseneth. De qua re videantur, quæ diximus supra ca. 11. annot. 1. Tertia locutio est, qua scriptura numero plurali vtitur pro singulari, & hæc quoque pluries occurrit in hoc capite: vt quando loquens de filijs Liæ, ait Moyses: Omnes animæ filiorum eius & filiarum triginta tres: cum tamen in eis non comprehendatur nisi vna dumtaxat filia, nempe Dina. Et parum infra: Filij Dan Husin: hoc est, filius Dan fuit Husin. Cuius locutionis etiam meminimus supra ca. 13. annot. 2.

III. FVere septuaginta.] Apud Septuaginta legitur Septuaginta quinq;: quos videtur sequutus. D. Stephanus Acto. 7. vbi ait: Mittens autem Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationẽ suam in animabus septuaginta quinque. Quã dissonantiã, vt redigat in concordiã D. Hiero. in quæstio. in Genes. quẽ sequitur noster Alcuinus doctor grauissimus, ait quod non debuit Lucas auctor libri Actuũ Apostolorum ad gentes volumen scribens contrarium aliquid scribere, aduersus eam scripturã, quæ in gentibus erat diuulgata, & vtique illo tẽpore maior erat septuaginta autoritas quã Lucæ, qui ignotus & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Quæ difficultatis solutio nullatenus consistere potest: nam si illa fuit ratio, propter quam Lucas scripserit in septuaginta quinque animabus descendisse Iacob in AEgyptum, dicatur obsecro, cũ sciret B. Lucas eosdẽ septuaginta rectè in Deutero. c. 10. numerũ reddidisse legentes cũ textu Hebraico, In septuaginta animabus descenderũt patres tui in AEgiptum, cur maluit sacræ scriptor historiæ falsam septuaginta interpretũ, quã verã approbare editionẽ. Præsertim cum ipso sanctissimo patre Hieronymo in Apologia cõtra Ruffinũ teste, vbicũq; septuaginta interpretes ab Hebræo nõ discordãt, ibi Apostoli & Euãgelistæ de interpretatione eorũ exẽpla sumpserint; vbi verò discrepãt, id posuerint in Græco, quod apud Hebræos didicerũt. Quapropter D. Aug. li. 16. de ciuitate Dei c. 40. alia incedit via dicẽs: Ea ratione septuaginta interpretes cõputasse septuaginta quinq; animas, quia totũ tẽpus aplicuerũt ingressui Iacob, quo vixit Ioseph, per quẽ fuit ingressus; ac proinde illos, qui ex Ephraim & Manasse orti sunt viuente Ioseph, domui Iacob aggregauere. Potest etiã dici de mẽte eiusdẽ D. Aug. li. 2. quæstionũ in Exod. q. 47. hoc in loco & Deut. 10. seruatũ fuisse morẽ scripturæ, quo in cõputationibus omitti solet paululũ quod excrescit summã numeri perfectioris: nõ secus, ac nos cũ septuaginta duos Interpretes vocamus septuaginta: & prout superius factũ fuisse constat cap. 15. huius libri, vbi in annotatione 2. eiusdẽ quoq; phrasis meminimus. Mihi tamẽ saluo meliori iudicio, magis placet quod B. Stephanus & septuaginta numerauerint personas nõ solũ natas, sed etiã, quæ tũc tẽporis erãt in vteris maternis, & sic addiderint ad numerũ iam natorũ, qui hic recensentur. Mirum enim fuisset, quod inter tot cõiuges aliquæ mulieres prægnantes, tunc non extitissẽt. Quarũ proculdubio fœtuum, sicut & iam natorum in aliqua sacræ Scripturæ parte debuit haberi ratio; vt perfectè scire possemus, quomodo Dei prædictio impleta sit dicens. In gentem magnam faciam te ibi. Nam ex his paucis animabus breui tempore in sexcenta millia genus Israel propagatum est. Et licet huic expositioni obstet Græca editio, quæ nominatim declarat, qui fuerint illi quinque atque adeo quinq; illi nequiuerũt esse, qui in vteris maternis existebant, tempore quo ingressus est Iacob in AEgyptum; nihilominus non multum curandum est de verbis Græcæ editionis, quando quidem in editione canonica non habentur.

V.

ARGVMENTVM IN CAPVT XLVII.

¶ Ingressis patre & nonnullis ex fratribus Ioseph ad Pharaonem praecepit rex, vt traderetur eis terra Gessen, vbi aluit eos Ioseph & cunctas fratrum familias. Quod postquam factum est, cum Ægyptijs defecisset pecunia ad emendum triticum, petijt ab eis Ioseph pecora in pretium frumenti. Quæ ipsi libenter contulerunt, imo vrgente fame terras, ac se ipsos in potestatem regis tradiderunt pro cibo quousque Joseph permisit eis terram redimere pro quinta parte fructuum, quam deinceps regi tenebantur dare. Jacob autem moriturus à Ioseph exigit iuramentum, quòd sepeliret eum in sepulchro maiorum suorum.

PARAPHRASIS IN CAPVT XLVII.

A. INGRESSVS Ergo Ioseph nun-
ciauit Pharaoni aduentum pa
tris, & fratrum, & diuitias eo
rum, ne grauamen patriæ sua
paupertate importare viderē
tur, dicens: Pater meus, & fratres, oues eo-
rum, & armenta, & cuncta, quæ poßident,
venerunt de terra Chanaan: & ecce, quò
greges suos pascere possint, consistunt in
terra Gessen, quæ alendis pecoribus apta
est. Extremos quoque fratrum suorum, qui
abiectiori erant aspectu & persona, quinque
viros constituit corām rege, ne si robū-
stiores adduxisset, Pharao illos in militiā
mitteret, vel in negotijs Reipublicæ occu-
paret, ex indeque moribus gentium se mis
cerent & idola colerēt. Quos ille interroga-
uit: Quid habetis operis? seu quod officium
exercetis? Responderunt, iuxta illud quod
eis consulerat Ioseph dicentes: Pastores
I. ouium sumus 1 serui tui & nos & patres no
stri. Ad peregrinandum, & ad habitandum
in terra tua venimus, quoniam non est her-
ba gregibus seruorum tuorum, ingrauescente
fame in terra Chanaan: Vbi non adsunt
paludes, quæ feracia pascua gignant, qua-
les existunt in multis Ægypti partibus,
quamuis vtrobiq; par sit frumentorū steri
litas. Petimusque ob istā causam, vt esse nos
B. iubeas seruos tuos in terra Gessen: neq; enim
verecundamur de indigentia pascuorū, quę
cæli inclementia, & terræ ariditate prouē-
nit, non ex ignauia nostra. Dixit itaque rex
ad Ioseph. Pater tuus & fratres tui venerunt
ad te alendorū gregum causa. Terra Ægyp
ti in conspectu tuo est, vt quā partē illius e-
ligere volueris pro parte & fratribus tuis
libere possis, proinde in optimo loco fac eos
habitare, & trade eis terram Gessen, si pas-
cualis sit, & apta ad pecorum fomēta habē
da. Quod si nosti in eis esse viros industrios,
seu robustos & fortes constitue illos magi-
stros pecorū meorū, ad quod munus obeūdū
fortitudine & industria opus est. Post hæc
introduxit Ioseph patrē suum ad regē, non
erubescēs patrē se habere pastorē ouium,
quin potius quātū potuit illū honorās per
accessum ad præsentiā regis: & statuit eum
corā eo, vt gratias redderet Pharaoni pro be
neficijs sibi, ac familiæ suæ præstitis. Qui be
nedicens illi salutādo eum & bona regi im
precando, & interrogatus ab eo. Quot sunt
dies annorū vitæ tuæ, cōtēplatus enim fue
rat Pharao profundissimā Israelis senectu
tem: respondit: Dies peregrinationis meæ
quos in terra Chanaā & in Mesopotamia
peregrinādo cōsumpsi, centū triginta an-
norū sunt: & hi quidē si cōferātur cū diebus
maiorū meorū tā in numero quā in condi-
tione, sunt parui & mali, 2 hoc est pauci II.
& laboriosi, & non peruenerunt vsque ad
dies patrū meorū, quibus peregrinati sunt,
super terram, aliā promissā perpetuo vitā C.
expectātes, ac perquirētes. Et benedicto, seu
salutato rege, egressus est foras. Ioseph vero
curā habēs suorū meliori modo, quo potuit
patri & fratribus suis dedit possessionē in
Ægypto, in optimo, ac fæcūdiori terræ loco
Ramesses, vt præceperat Pharao: Ramesses e-
nim erat pars vtilior terrę Gesse, & ferti-
lior. Et alebat eos, omneq; domū patris sui, III.
præbēs cibaria singulis 3 iuxta necessitatē
& nu-

&numerũ omniũ personarũ. *In toto enim orbe* hyperbolicè loquẽdo *panis deerat & oppresserat fames terrã, maxime AEgypti & Chanaan. E quibus omnẽ pecuniam cõgregauit pro venditione frumenti & intulit eã in ærarium regis*. Fidelis enim œconomus Ioseph, res sibi commissas nõ vt proprias dispensauit, sed prout decebat fidelem dispensatorem tanquam alienas vendidit, nec donabat sine domini rerum voluntate. *Cumque defecisset emptoribus pretium* circa postremos annos sterilitatis, *venit cuncta AEgyptus*, seu de omni loco AEgypti *ad*

D. *Ioseph dicens: Da nobis panes*, per quos id, ex quo panes efficiuntur nempe triticum significare intendimus. *Quare morimur coram te deficiente pecunia*, dum permittis, quòd ob defectum pecuniæ, etiam te sciente & vidente ad extremum vsque à fame infestemur? *Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos si pretium non habetis*: satius quippe est vobis carere pecoribus, quam pane. *Quæ cum adduxissent dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & asinis: sustentauitque eos illo anno pro commutatione pecorum*. In tanta enim rerum angustia non suffecisset frumentum donatum sponte & sine parsimonia, vel difficultate, sed venditum ad vitandam populi insolentiam consuetam. *Venerunt quoque anno secundo* ab illo tempore, quo defecit AEgyptijs pecunia ad emendum, qui fuit annus, vel septimus sterilitatis, *& dixerunt ei: Non celauimus dominũ nostrũ*, sed palam notum facimus illi, *quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt, nec clam te est, quod absque corporibus & terra nihil habeamus*: cum enim omnia vendiderimus nihil restat præter corpora & terram. *Cur ergo moriemur te vidente?* quòd proculdubio permittere non debes. *Et nos & terra nostra tui erimus*, quatenus vices geris Pharaonis & eius causam agis. *Eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem*. Tanta namque

E. fuit impiorum fames, vt Ioseph, qui Domi-
3.9. no dirigente, vitæ illorum prouidit dig-
.tri num seruitute populum regi, sine gladio,
ũ. 8. & sanguine subiugare potuerit. † *Emit igi-*
mun *tur Ioseph omnem terram AEgypti*, scilicet
mu habitatores illius, & etiam terram ipsam,
ate *vendentibus singulis possessiones suas præ*
ie.c. *magnitudine famis. Subiecitque eam* serui-
min tute perpetua *Pharaoni &*, pro id est, *cunctos populos eius à nouissimis terminis AEgypti, vsque ad extremos fines eius*: adeo vt ex eo tempore AEgyptus vocari solita sit domus seruitutis, eo quod tam habitatores eius, quam terra ipsa subiecta sit seruituti regiæ: *præter terram sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis*, & sustentationi ministrorum diuini cultus mancipata, *quibus & statuta cibaria ex horreis publicis* toto tempore famis *præbebantur*, quò commodius instarent studio rerum vtilium: *& idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas*, sed eas ad necessaria vitæ & familiæ conseruauerunt. *Dixit ergo Ioseph ad populos* septimo anno sterilitatis, quando mox anno sequenti reditura erat terræ fœcunditas. *En vt cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet*, quia quilibet vestrum se ipsum, & F.
possessiones suas vendidit. *Accipite semina, & serite agros* omnemque aliam curam exhibète, *vt fruges habere possitis* idquè lege quadam satis pia, & vobis maximè vtili. *Quintam partem* fructuum, cum messis tempus aduenerit, & agri redditus suos tulerint, *regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem & in cibum familijs, & liberis vestris*: cum tamen alijs in locis coloni vix quintam partem habere soleant, & in locis non multum fertilibus ad summum media pars concedatur. *Qui responderunt* agnoscentes magnum esse beneficium, offerre colendum agrum, pro quinta dumtaxat parte, & dixerunt. *Salus nostra in manu tua est*; idcirco enim vocaris à Pharaone Saluator mundi. *Respiciat nos tantum dominus noster*, suaque prouidentia nos foueat, & nutriat, prout hucusque fecisti: *& læti seruiemus regi* quocumque modo iusseris. *Ex eo tempore vsque in præsentem diem*, quo hæc scribuntur *in vniuersa terra AEgypti regibus quinta pars soluitur, & factum est* tributum istud, ita firmum, & stabile, vt transierit *quasi in legem absque terra sacerdotali, quæ* ipsa lege naturæ & iure gentium duce *libera ab hac conditione fuit. Habitauit ergo Israel in AEgypto, id est*, in ea AEgypti regione, quæ vocatur Ramesses, & sita est *in terra Gessen: & possedit eam* vtendo fructibus eius ad propriam vtilitatem: *auctusque est* diuitijs multis, ac bonorum quorumlibet nimia abundantia, *& multiplicatus nimis in filijs*,

 ac ne-

Digitized by Google

ac nepotibus: *& vixit in ea decem & septem annis*, eximia gaudens consolatione, ob consortium sui prædilecti Ioseph. *Factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum*: propterea enim, quòd mundus paulatim deficiebat, & senescebat paucioribus annis vixit Iacob, quàm patres sui, qui tamen senior extitit filijs suis. G. *Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo* & placitus sum tibi, prout parentes placiti esse solent optimis filijs, † *pone manum tuam sub fœmore meo, & iurâ* do signo isto externo per Christum Dominum, qui ex semine meo nasciturus est, IIII. *facies mihi misericordiam*, seu gratiâ in promittendo, *& veritatem* in exequendo vel adimplendo promissa, *vt non sepelias me in Ægypto*; ne posteri mei nimium terram istam diligant, si hic patriarchã suum sepultum recordentur, ob idq; minus ardẽter ad terrã promissionis obtinẽdam anhelent, *sed dormiam*, seu iaceam secundũ corpus *cum patribus meis*, & vbi eorum corpora existunt; *& auferas me de terra hac, condasq; in sepulchro maiorum meorum* in signum vnitatis fidei, quã cõmunem cum illis habeo & profiteor. *Cui respondit Ioseph*

†Gen. 24 a. 2.

simplici verbo, seu absque iuramento: *Ego faciam quod iussisti. Et ille, Iura ergo inquit mihi*: quamuis enim de tua obediẽtia non diffidã, volo tamen, vt apud Pharaonem, & seruos eius possis rationem ad me transferendum obtendere, quòd ad iurauerim te, ne fortè illi suspicentur te id facere, eo quod alienum ab amore terræ AEgyptiæ animũ geras. *Quo iurante* ponẽdo manum sub fœmore patris, cum difficile esset seni incuruare se super terram adorationis gratia, *adorauit Israel Deum conuersus*, atque incuruatus super ceruical, quòd erat *ad lectuli caput*: sicquè gratias Deo retulit, quod nactus esset rem à se maximo pere concupitam, nempe vt in terra & sepulchro patrũ sepeliretur. V. † Adorauit quoque Israel fastigium Virgæ Ioseph filij sui honorans in eo regiam potestatẽ à Deo illi datam, magisq; Deum ipsum adorãs, qui olim adorandum esse à parente per quietem reuelauerat Ioseph, & videns Dei promissa impleta, filiumque suum, quem vnicè amabat prope ad regni fastigium eleuatum, qui & fauere fratribus posset, & corpus suum ad terram promissionis reducere tantorum honorum auctorem Deum, plenus lætitia, adoratione illa filio exhibita venerabatur.

†Heb. 11 d. 21.

ANNOTATIONES IN CAPVT XLVII.

I. *Artis pastoritiæ comẽdatio.*

PASTORES Ouium sumus.] Iure optimo cõmendari potest in patriarchis quod pecorum nutritores fuerint à pueritia sua & à parentibus suis. Est enim pastorum ars omnium simplicissima, minimeque operosa vel artificiosa, nec ita animũ hominis occupatũ tenet, vt non ei otium relinquat ad meditationem rerum naturalium diuinarumq; contẽplationem. Neque certis indiget domicilijs aut stabiles, fixasque sedes exigit, sed à peregrinationibus, etiam tractari & exerceri potest: & refert præterea imaginẽ diuinæ prouidentiæ, erga homines, præsertim autẽ erga electos. Quã obrem non solum commendatur in Abel, quod pastor fuerit ouium superius ca. 4, sed etiã Deus & Christus Dominus gaudent pastoris appellatione, eoque nomine frequenter in Sacris literis nominantur: vt Ezec. 34. Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas: & Ioan. 10. Ego sum pastor bonus: & 1. Petr. 2. Eratis enim vos oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.

II. *Malũ & insuaui & onerose.*

PArui & mali.] Vocat Iacob dies suos malos: quia quasi ab vtero in laboribus fuerat: coactus est enim ad viginti annos exulare. Postea vxorem dilectam amiserat. Tertio filium etiam, quẽ tenerrime diligebat perdidit. Quarto famem passus fuerat. Et denique in senectute coactus est patriam relinquere, & in AEgyptum descendere: ita vt iure optimo dicere potuerit illud, Psal. 87. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.

III. *Ad os familiæ, idẽ quod singulis*

PRæbens cibaria singulis.] Quod Latinus interpres transtulit singulis, in Hebræo legitur Lephi hataph, idest, ad os paruuli, seu iuxta os paruulorum, vel familiæ. In cuius Hebraismi explicatione multum laborant interpretes. Quidam enim illorum dicunt significari, quod Ioseph præbebat panem fratribus, & domui patris sui, ac si essent paruuli, hoc est, absq; illorum labore, & industria. Alij explicant ad os paruuli, idest, quando illi postulabant absque vlla detentione: solent enim infantes frequenter comedere, vt opus sit parentes, quasi semper ad manũ panẽ habere ad porrigendũ illis. Alij exponũt ad os familiæ, hoc est, iuxta volũtatem comedentium, saturando eos, & vt dici solet ad petitionẽ oris: per os enim frequẽter voluntas designatur. Cæterum nullus istorum, ita exacte exposuit vim huius locutionis Hebraicæ, sicut vulgatus interpres per vocem singulis, quasi dicat singulis de familia. Vox enim Hebraica taph, significat cœtum puerorum, deriua-

Digitized by Google

riuaturque à taphah, verbo quod significat manus complodere in plateis, saltare, & ludere, vt pueri faciunt, & solet poni pro familia, prout hoc ipso loco transtulit Chaldaica, quæ sic legit: Præbens panem iuxta familiam vniuscuiusque, & parum infra, vbi dicitur: In cibos familijs, & liberis vestris, ponitur eadem vox: Et supra ca. 43. Vbi vulgatus legit. Ne moriamur nos & paruuli nostri; in Chaldaica habetur. Et non moriemur, tam nos, quam tu, familia quoque nostra. Præterea mos est Hebræis ponere Pheh, idest, os pro vnoquoque, vt sicut nos dicentes tot capita, intelligimus tot homines, ita ipsi per os designent vnumquemque. Vnde Zachar. 1. Vbi nos habemus. Quæ vētilauerint Iudam per singulos viros: in Hebræo legitur, quæ ventilauerunt Iudā secundum os viri. Quę locutio sumpta videtur à distributione ciborū in qua ora nominari solent, quia de cibis agitur, quomodo apud Hispanos dicūt nōnulli de e̋ǵ ora domi meæ habeo, idest, decē homines alendos In hoc igitur sensu debet intelligi, quod Hebraicus textus habet, Ioseph dedisse panē fratribus ad os familiæ, id est, singulis de familia.

III. FAcies mihi misericordiam.] Mirum est quod Iacob rogando petierit à Ioseph idipsum quod inferius cap. 49. præcipit alijs filijs: ita vt hic quodammodo precibus vtatur, idem vero exigens à cæteris filijs, paternæ auctoritatis præceptum adhibeat. Cuius rei prima ratio extitit, quia mandatis Iacob magis astricti erant cæteri filij, quam Ioseph: quippe qui semper cum ipso fuerant, & ab eo vxores & bona omnia acceperant. Ioseph autem in AEgypto fuerat & nihil muneris à patre acceperat. Itē quia Ioseph magno erat in honore, ac dignitate cum esset totius AEgypti gubernator: alij autem fratres priuatæ personæ erant: quare iustum erat illis præceptum imponere, huic preces adhibere. Tandem quia funus Iacob valde sumptuosum erat futurum, nec peragi sine magnis impēsis poterat, quas Ioseph suppeditaturus erat, & effecturus apud Pharaonem & princeps AEgypti, vt nō solum se, ac fratres suos extra AEgyptum ire ad curandum funus finerent, verum etiam magna pompa, & honorifico apparatu funus ipsi comitari & ornare vellent.

AD lectuli caput.] Locus iste discrepare videtur à verbis Pauli ad Hebræ. cap. 11 vbi ita legimus: Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph, benedixit & adorauit fastigium virgæ eius. Hic autem ad lectuli caput Israel Dominum adorasse dicitur. Quamuis septuaginta interpretes hunc locum eodem modo, quo à Paulo refertur transferant. Dicendum est ergo vtrumque verum esse, & vtrumque sensum verbis Hebraicis comprehendi, & eum quē expressit vulgatus noster interpres, & eum quē septuaginta & interpres Pauli reddiderunt. Quod vt intelligatur Hebraici vocabuli ambiguitas obseruanda est. A verbo enim Nath, quòd est extendit, aut inclinauit, seu reclinauit duo nomina oriuntur mittah, quod lectum significat, in quo nos extendimus, & reclinamus, & matteh, quòd significat virgā, id est, baculum quo innitimur, & in quem corpus reclinamus. Hæc autem duo nomina si sint pūctis scribantur vnum atque idem sunt: cumque nemini dubium sit, quin Moyses sine punctis scripserit, & nomen ita scriptum duo significet, recte vtroque modo versum est. Imo Spiritus sancti consilio factum arbitror, vt duo sensus in eadem oratione latentes exprimerentur. Alter à septuaginta, & ab interprete Pauli, qui verba Apostoli fideliter reddidit, altera vulgato Genesis interprete & ab alijs interpretibus. Quemadmodum interpres Matth. 6. vertit. Panē nostrū supersubstantialē, & idē Luc. 11. scripsit. Panem nostrum quotidianum, vt sciremus vtrūq; significari nomine hyperusion Sed dices: Si duo sunt apud Hebræos vocabula, quæ diuersis sonis proferuntur, ergo altero illorum vsus est Moyses, non vtroque: etsi enim communes vtrique literas scripserit illud tamē quod intra se proferebat eo tempore scribere voluit. Et cum lex in synagogis legebatur, alterum proferebatur, non vtrumque. Non ergo potest locus vtroque modo explicari, sed altero tantum. Respondeo parum nos moueri debere auctoritate eorū Iudæorū qui puncta excogitarunt, cum constet eos male, & contra veterum pronuntiationem sæpe puncta posuisse, vt in nominibus proprijs passim videmus, cum ea conferimus cum scriptione septuaginta interpretum, & apostolorum, & Ioseph, & Hieronymi. Quæ etiam causa fuit, vt noui Bibliorum translatores multa perperam verterint, vitiata punctorū positione decepti. Nego igitur apud Hebræos duo fuisse vocabula, sed vnum atque idē esse ac significās lectū, & virgā, licet Hebręi recentiores distinctionis fortasse & perspicuitatis causa diuersos illi sonos dederint.

ARGVMENTVM IN CAPVT XLVIII.

¶ Ægrotans Israel visitatur à Joseph adducente secum duos filios suos Manassem & Ephraim. Cui pater rationē reddidit, ob quā intendit illos duos nepotes in filios adoptare, eosquè in capita tribuū extollere. Quo facto benedictionē illis contulit transponēdo manus, & Ephraim ante Manassē cōstituit quorū patri Ioseph dedit Iacob partē quandam in Sichem, quam tulerat de manu Amorrhai:

PARAPHRASIS IN CAPVT *XLVIII.*

A. HIS ita transactis nunciatũ est *Ioseph, quod ægrotaret pater suus,* ac infirmitate corporis periculosa laboraret. *Qui assumptis duobus filijs,* quos dumtaxat ad illud vsque tempus habebat, nempe, *Manasse & Ephraim, ire perrexit,* seu properauit ad patrem ad hauriẽdos thesauros benedictionis, quos pater thesaurizauerat filijs suis. *Dictumque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus,* ita vt corpus quoque fessum alleuiaretur mentis alacritate, *sedit in lectulo,* supra vires quippe moliendo. *Et ingresso ad se* Ioseph, mutuoque se inuicem

† Su. 28 c. 13.
salutatis *ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza,* postea dicta Bethel, *quæ est in terra Chanaan,* quando veniebã de Mesopotamia Syriæ, *benedixitq; mihi* maxima & ingentia beneficia promittendo, *& ait: Ego te augebo* in diuitijs & potestate, *& multiplicabo* in prolis fœcunditate, *& faciam te in turbas populorum:* taliter enim multiplicaberis, vt ex semine tuo congregationes gentium fieri valeant. *Daboque tibi terram hanc, &* facultatem, vt possis eam diuidere in tot tribus, quot volueris, & relinquere *semini tuo post te in possessionem* longam & quasi *sempiternam. Duo ergo*

† Su. 41 f. 50.
filij tui Ephraim & Manasses, † *qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt* per adoptionem, & his, qui ex me nati sunt similem à me

† Io. 13. b. 7. d. 29.
benedictionem accipient. † *Ephraim & Manasses sicut Ruben, & Simeon,* & per consequens sicut & alij quinque filiorum meorum naturalium, *reputabuntur mihi:* tum in constitutione diuersarum tribuum, quarum ipsi capita existent & nomina præstabunt, sicut & alij filij mei; tum etiam in accipiendo portiones in terra promissionis, quando inter eorum posteros erit diuidenda. *Reliquos autem quos genueris post eos,* nolo hac dignitate & honore gaudere, sed *tui erunt* dumtaxat, nec filijs meis connumerabuntur: *& nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis:* non enim accipient separatim terram, nec funiculos proprios habebunt, vt reliquæ tribus, sed in tribubus Ephraim, & Manasse, quasi appendices populi commiscebuntur, iuxta modum, quem tu diffinieris, & qualiter tibi eos distribuere placuerit. Causam autem ob quam hos filios tuos adoptare statui, tibi paucis exponã. *Mihi enim,*

1 atque in magnum meum detrimentum *quando veniebam de Mesopotamia,* antequam peruenirem ad patrem meum habitantem in Hebron, *mortua est Rachel* mater tua *in terra Chanaan, in ipso itinere,* I. B.

† Su. 35 c. 11.
cum iterato partu floresceret, & frugifera mihi esse inciperet. *Eratque vernum tempus. Et ingrediebar Ephratã: & sepeliui eã iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* Vt ego mortuæ coniugi, ex qua filios adhuc suscipere optabam semen suscitem, & suppleam adoptione, quòd minus habuit naturali generatione, idcirco hi duo filij tui, mei erunt. *Videns autem filios eius* nempe Manassem & Ephraim, sed quasi duos iuuenes Ioseph comitãtes aspiciebat, sed quia nõ discernebat qui essẽt, eoq; lõgius distabãt, & eius oculi caligabãt, *dixit ad eum: Qui sunt isti? Respõdit: Filij mei sunt, quos donauit mihi Deus,* cui in omnibus gratias referre cupio & nati sunt *in hoc loco,* seu terra Ægypti. *Adduc inquit eos ad me,* vt post oscula & amplexus affectum meum erga eos exprimentia *benedicam illis,* complens desiderium tuũ quod est, vt præ alijs fratribus tuis tibi & filijs tuis bona singulariter imprecer. Senex verò non clarè intuebatur, nec distinctè agnoscebat nepotes suos, etiam iuxta se positos. *Oculi enim Israel caligabant,* ita vt nõ posset eos facile mouere & aperire, *præ nimia senectute, &* ob hanc causam *clare videre non poterat.* Quamuis autem oculis carneis cæcutiebat, tamen spiritualibus oculis futura in longinquum eximie præuidebat. *Applicitosque ad se* nepotes suos *deosculatus, &* affectu paterno, *circumplexus eos dixit ad filium suum: Non sum fraudatus,* seu priuatus *aspectu tuo,* imo potius, tam magna mihi præstitit Dei misericordia, quod non solum concessit, vt viderem faciem tuam, sed *insuper ostendit mihi Deus semen tuum.* vltra id quod fieri posse iudicabam. *Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris* iacentis super lectum, vt eos ad benedictionem suscipiendam disponeret, in primis Ioseph *adorauit pronus in terram,* reuerentiam & honorem exhibens patri, & simul gratias referẽs pro bene-

beneficio benedictionis, quod Israel cõferre parabatur. *Et posuit Ephraim*, qui minor natu erat *ad dexterã suã, id est, ad sinistrã Israel,*
C. *Manassen vero in sinistra sua ad dexteram scilicet patris:* volebat namq; primogenitum Manassem impositione manus dextræ aui benedici; id quod iuxta sensum humanũ iustum videbatur, *applicuitque ambos adeũ. Qui extendens manũ dexterã posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistrã autem super caput Manasse, qui maior natu erat:* non quidẽ à casu, sed sciens & prudẽs cõmutans manus, & brachijs ipsis signũ crucis exprimens. †*Benedixitq; Iacob filijs Ioseph; & ait. Deus* Pater omnipotẽs *in cuius conspectu ambulauerũt patres mei Abrahã & Isaac,* illi seruientes & omnino placere studẽtes. *Deus* spiritus paraclitus *qui pascit me,* tum sustentãdo, tum etiã res meas dispensando & moderando, *ab adolescentia mea vsq; in præsentẽ diem* scilicet toto tẽpore vitæ meæ †*Angelus* magni consilij Filius Dei vnigenitus, *qui eruit me de cũctis malis,* vt nulli eorum succumberẽ, vel perirẽ, *benedicat pueris istis* illis benefaciẽdo, *& inuocetur super eos nomen meum &*
II. *nomina quoq; patrum meorũ Abraham & Isaac:* vocenturquè Israelitæ, & de genere Abrahã, Isaac, & Iacob, sicut & alij quicũquè filij mei, ac proinde iure & hereditate filiorũ meorum condecorẽtur; *& crescant in multitudinẽ super terrã,* magnã filiorũ turbam instar pisciũ germinando. *Videns autem Ioseph, quod posuisset pater suus dexterã manum super caput Ephraim,* quasi præferendo illũ fratri suo maiori, *grauiter accepit* ignarus prouidentiæ Dei. *Et apprehensam manum patris* corrigere volẽs errorẽ, quem putabat in patre, *leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse* sensu carnis permotus. *Dixit-*
D. *que ad patrem: Non ita conuenit pater,* vt maiori præponatur minor, *quia hic est primogenitus, pone dexteram tuã super caput eius,* & iuris naturalis ordinem, ac dispositionẽ obserua. *Qui renuens* manuũ cõmutationem, quã Ioseph facere conabatur, *ait: Scio fili mi scio,* hunc Manassem esse natu maiorem. *Et iste quidem erit in populos, & multiplicabitur:* nam tantã habebit progeniem, quòd poterit populos constituere, *sed frater eius minor maior erit illo:* nã reges & principes orientur ex eo, *& semen illius crescet in gentes,* dũ tribus Ephraim numero virorum semper superior erit tribu Manasse. *Benedixitq; eis in tempore illo dicens: In te* vtroq; quasi in prototypo & exemplari *benedicetur Israel, atq;* dum sibi inuicẽ benedictionẽ impertientur Israelitæ, *dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim & sicut Manasse,* tum in prole, tum in substantia & opibus. *Constituitq; Ephraim ante Manassem:* quam ob causam deinceps primum locum habuit Ephraim in situatione tabernaculorum, in mutatione eorum, in primitiarum oblatione, & dignitatibus alijs primogenito debitis. *Et ait ad Ioseph filium suum* prosequens futurorum prædictionem, quæ Deus sibi reuelauerat: *En ego morior,* ideoque non grauatim, sed omnino consentiens diuino beneplacito: *& erit Deus vobiscum,* sua speciali prouidentia gubernans: *reducetque vos* hoc est, semen vestrum *ad terram patrum vestrorũ,* quam filijs eorum se daturum promisit. *Do tibi partem* † *vnam* huius terræ promissæ vobis à Deo, quæ sita est prope vrbem Sichem, vt habeas eam *extra fratres tuos:* etenim absquè sorte volo, vt illa tibi obtingat; *quã tuli de manu* † *Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Post discessum nam- que meum ab agro Sichem occisis Eucis Sichimitis, Amorrhæi illam partem terræ occuparũt, à qua oportuit, vi & armis eos expellere; vt passu illius loci satis optimo ac iure emptionis mihi debito frui valerẽ. III.

Marginal notes: † He. 11 d. 21. — † Sup. 31 d. 29. 32 a. 2. mat. 18. 6. 10 — † Iosu. 15. b. 7. 16. a. 1. — † Iosu. 24 a. 1.

ANNOTATIONES IN CAPVT XLVIII.

I. *Iacob benedictur Ephraim & Manassẽ meminit mortis Rachelis*

MIHI enim.] Hebræi existimant causam, propter quam Iacob hoc in loco meminit mortis & sepulturæ Rachelis esse, vt excusaret se apud filium de hoc, quod mater Ioseph non erat sepulta in Hebron, vbi ipse Israel sepeliri tantopere desiderabat. Quibus plures catholici consentiunt asserentes, quod Iacob exacto à Ioseph iuramento, vt sepeliret eum in sepulchro patrum suorum, cogitauerit, vel audiuerit rationem Ioseph contra eum, quod matrem ipsius Ioseph non sepelierit Iacob in sepulchro maiorum Abrahæ, & Isaac, Saræ, & Rebeccæ, tanquam minor cura fuerit Rachelis, & tam solicitus sit de sepulchro suo. Huic inquiunt, obiectioni respondere intendit Israel, tum excusando se, quòd erat in itinere vbi Deus ostenderat se velle eam sepeliri: tum commemorando, quòd ædifica-

ficauit Racheli titulum perpetuum in eadē patria in loco patulo, euntibus in Bethlehem, & valde propè ipsam ciuitatem. Mihi tamen magis placet ratio huius rei, quam assignat noster Rupertus, quamq; in paraphrasi amplexati sumus, vt pote, quæ magis cohæret antecedentibus & consequentibus: maxime, quod inter iuramentum Ioseph, & verba ista plurimū temporis intercessit, adoptatio autem Ephraim & Manasse immediatè ante ista verba præcesserat: dictio verò causalis qualis est, enim, commodius applicatur proximè præcedentibus, quam remote positis.

II. *Inuocari super aliquē nomen Domini qd significet.*

INuocetur super eos nomen meum.] Hebraismus iste non eodem modo explicatur ab omnibus. Quidam enim existimant sensum illius esse, vt cum Ephraim, & Manasses benedicēdi essent, benedicerentur in nomine Iacob & patrū suorum dicendo, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob benedicat tibi. Cęterum quia in benedictionibus, qui principaliter inuocatur est solus Deus, Abraham autem Isaac & Iacob inuocantur satis accessoriè, & etiam non oportet restringere sententiam istam, vt solum loquatur de tempore benedictionis, sed quod procedat de omni tempore; commodius exponitur iste Hebraismus, vt super filios Ioseph taliter inuocentur nomina Abraham, Isaac, & Iacob, vt dicantur eorum filij & de eorum genere: nō secus atque Isai. 4. dicitur: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tātummodo inuocetur nomen tuum super nos: idest, vocemur vxores tuæ. Et ca. 63. Facti sumus sicut in principio, cum non dominareris nostri, neque inuocatum esset nomen tuum super nos: id est, non appellabamur populus, vel peculium tuum. Et Amos. 9. Vt possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quod inuocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus: quasi dicat, eo quod Deus eos elegit, vt sui essent & dicerentur.

III. *Quæ pars fuit collata Ioseph extra fratres suos*

DE manu Amorrhæi.] Duo ex textu isto relinquuntur ambigua, alterumq; quę nam fuerit pars ista, quam contulit Iacob filio suo Ioseph: alterum quando quave ratione Iacob acquisiuerit agrum illum iure belli de manu Amorrhæi. Et prima quidem quæstio est aliqualiter nota ex Euangelio Ioannis, cap. 4. Vbi dicitur quod prædium datum Ioseph à Iacob erat in Samaria prope ciuitatem Sichar: Sichar autē eadem vrbs est, cum ea quæ in hoc libro appellatur Sichem. Vnde videtur partem datam Ioseph, esse agrum illum quem Iacob emit à filijs Emor centum agnis supra capi. 33. huius libri. Secundæ autem quęstionis nullam certam notitiam habeo, quia nullibi legi Iacob pugnasse cū Amorrhæis: maximè quod Sichimitæ, cum quibus filij eius pugnam inierunt, non fuerūt Amorrhæi, sed Euæi, vt superius in trigesimo quarto capite patet. Cæterum quia hæc litera insinuat multa præclara à Patriarchis gesta tacita fuisse à Moyse, coniectari possumus id, quod in paraphrasi asseritur, nempe post decessum Iacob à Sichem ob timorem habitantium in terra, Amorrhæos occupasse prædium illud Iacob, quod erat prope Sichē: Amorrhæi enim, & Euæi vicini satis erant. Et quia in eo prædio conueniētia erāt pascua gregibus, non absre debuit illud Iacob recuperare meliori modo, quo potuit, quod vi & armis perfecisse creditur. Vnde dum habitaret in Hebron filij eius tendebant in Sichem ad pascendos greges, vt dicitur supra cap. 37. quasi ad locum tuto & secure obtentum.

Qn̄do Iacob gessit bellū cū Amorrhæis.

ARGVMENTVM IN CAPVT XLIX.

¶ Iacob morti propinquus vocauit omnes filios suos, quibus, quæ in futuris temporibus eorum posteris contingere deberent, prophetico spiritu enarrauit: ac postmodum benedictionibus proprijs singulos benedixit, & præcepit, vt in spelunca duplici vna cū patriarchis ibi quiescentibus illum sepelirent. Finitisquè mandatis in conspectu filiorum suorum fœlici morte resolutus obijt.

PARAPHRASIS IN CAPVT *XLIX.*

† Deut. 33. a. 6.

A.

V*Ocauit autē* † *Iacob* proximò sibi mortē imminere cernēs, integer sensu & spiritu, *filios suos* quorū ipse præcipuè gerebat curā *& ait eis: Cōgregamini, vt* priusquā vnicuiq; vestrū propriam impertiar benedictionē, *annūcie, quæ* spiritu prophetico, ac supernaturali mentis illustratione agnoui, *quæ vētura sunt vobis*, 1 ac filijs vestris *in diebus nouissimis*, 2 hoc est posterioribus tēporibus. Quę vobis prænūciari eo voluit Deus, vt cū fuerint cōpleta, intelligatis ea nō casu, neq; naturæ necessitate, sed Dei volūtate, & ordinatione cōtigisse: præsertim autē, vt habeatis certissimū, & manifestissimū indiciū eius tēporis, quo ven-

I.
II.

venturus est Messias. *Cōgregamini* igitur,
quod iterum repeto, quia maximopere vo
bis expedit, scire quæ à me sunt modo dis-
serēda; *& audite filij Iacob* nō solū attētio
ne auriū, sed etiā intētione mētis, *audite Is
rael patrem vestrū* cupiētē vobis tradere, tā
quæ ad bona temporalia & terrena, quàm
quæ ad spiritualia & sempiterna pertinere
scio. *Ruben primogenitus meus*, ac maximus
fratrū & primus, es quidē *tu fortitudo mea*,
quia in tui generatione primum innotuit
virile robur, & perfectio animalis mihi à
natura insita, es quoque *& principium do-
loris mei*; eo enim ipso quòd te primò ge-
nui, ipse primus attulisti mihi laborem &
solicitudinem, vt rebus tuis prospicerem.
Ac proinde esse etiam debuisses *prior in
donis* gaudens iure sacerdotij & duplici
portione, quæ primogenitis ex lege ob-
tinget; *maior in imperio* habendo quasi re-
galem quendam principatum, atque domi-
natum in omnes fratres; nisi illhæc tria, sa-
cerdotium videlicet, duplicem portionem,
ac regnum in pœnam tui grauissimi scele-
ris amittere meruisses. † *Effusus es* to-
† 24.q.3.c.si igitur. tus in libidinem, *sicut aqua*: 3 omnes nam
que libidini habenas laxasti. *Non crescas*
III. dignitate, supereminendo alijs, neque etiā
crescas propagatione familiæ, posterita-
† Supra 35.d.22 1.par.5.a.1. tem tuam numerose multiplicando: † *quia
ascendisti cubile patris tui* constuprando
Balam nouercam tuam, *& maculasti stra-
tum eius*, multa in eo scelere implicādo cri
mina, nempe adulterium, incestum, atque
irreuerentiam, & insignem contumeliam
aduersus patrem tuum. *Simeon*, à quo Scri-
bæ, & Pharisæi maiori ex parte originem
IIII. ducent, *& Leui* 4 parens Pontificum &
Sacerdotum *fratres* non tam carne quàm
societate & concordia sceleris, *vasa* qui-
dem sunt seu instrumenta *iniquatis bel-
lantia*; scilicet, iniqua & bellica. *In con-
silium*, quod daturi & accepturi sunt po-
steri *eorum*, *non veniat anima mea*, eis
voluntarie assentiendo *& in cœtu illorum*,
quem colligent ad tractandum de interfe-
ctione Messiæ, *non sit gloria mea*; ne tam
iniqui concilij participatione eam fœdari
† Supra 34.d.25 contingat: † *quia in furore suo*, seu furen-
tes & ita perciti prophetice conspicio
quod *occiderunt virum* illum eximium
& singularem nempe Christum Iesum,
& in voluntate sua, hoc est quantum
fuit ex parte appetitus & conatus eo-
rum, quamuis id perficere non potue-
runt, *suffoderunt murum*; 5 quoniam prin- V.
cipes sacerdotum & Scribæ subuertere co-
nabuntur omnino, quem ponet Deus,
vt sit murus & antemurale ecclesiæ. *Ma-
ledictus furor eorum quia pertinax*, dum
toties vehementer cupiente & adniten-
te Pilato Iesum, vt planè innocentem
dimittere, illi contra obnixè obsistent
clamantes, Tolle, crucifige eum. Male-
dicta quoque *& indignatio eorum*, *quia
dura*; dum Barabbam homicidam dimitti,
auctorem autem vitæ occidi flagitabunt. † Ios. 19.a.1. 21.a.6.
† *Diuidam eos in Iacob*, non in pœnā præ-
dictorum criminum, sed multo ante-
quam peccatum istud committant, *&
dispergam eos in Israel*: quia nec Si-
meon nec Leui proprium funiculum con-
sequentur in diuisione terræ promissio-
nis: sed disiuncti erunt inuicem. Simeon
namque mixtus tribui Iudæ habitabit:
tribus autem Leui dispersa erit per om-
nes tribus. *Iuda* iuxta nomen tuum, quod
significat laudem, vel confessionem lau-
dis, continget tibi, nam *te laudabunt fra-* B.
tres tui, ac tribum tuam reliquæ omnes
celebrabunt, præstantioremque & dignio-
rem confitebuntur. *Manus tua* plusquam
manus reliquarum tribuum erit *in ceruici-
bus inimicorum tuorum*, subiugando per
Dauidem, qui ex te futurus est Phili-
stæos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos,
& Syros vsque ad Euphratem. Et præ ce-
teris etiam tribubus *adorabunt te filij pa-
tris tui*: Imperium namque Israeliticum
sub viris stirpis tuæ diutius perdurabit,
maximeque sub ipsis amplissimum, flo-
rentissimum, ac potentissimum erit. † *Ca-* † 1.par. 5.a.2.
tulus leonis, 6 seu qualis iste existit, tum
in fortitudine, tum in cibi prædæque aui- VI.
ditate, talis futurus est *Iuda* in aliquo fi-
liorum suorum, nempe in Christo Sal-
uatore, qui quamuis nouissimus viro-
rum, & quasi catulus appareat, fortis-
simus tamen, & ad debellandos dæmo-
nes auidissimus erit. *Ad prædam* capien-
dam de inferno, & de principibus ac po-
testatibus tenebrarum *fili mi* Christe Ie-
su assumpta carne humana *ascendisti* 7 in VII.
arborem Crucis: in eaque *requiescens*,
ac finem imponens operi redemptionis
generis humani *accubuisti* mortem cor-
poralem oppetens. In qua quidem subeun-
da exhibebis te, *vt leo*, qui postquam
rapuit prædam incuruat se super crura,
& cubat, nec curat assurgere, licet tran-

seant animalia, quasi nullum timens & *quasi*
leæna, quæ interdum etiam ipso leo-
ne ferocior est, ac proinde minus ab
alijs animalibus inuaditur. Cum autem
hæc euenerint, *quis suscitabit eum?* pro-
culdubio nullus audebit Christum quies-
centem leonem commouere, nec quis-
quam eum lacessendo & irritando ad bel-
lum concitabit, qui temeritatis suæ pœ-
nas non luat. Tempus autem, quo ista
† Ioa. contingent etiam præsignabo. † *NON*
1. f. 45. *AVFERETVR*, nec deficiet *sceptrũ* 8
Mat. 2. seu principatus, vel monarchia *de Iuda*,
a.b. id est à tribu Iudæ, prout auferetur
VIII. principatus, & respublica specialis ex
alijs tribubus Israel, *& dux* non deficiet,
qui gubernet, & principatum gerat in
IX. monarchia ista oriunda *de femore eius* 9
ita vt semper existat magistratus aliquis
vel rector ex Hebræis, seu ex alienige-
nis, qui sit proprius princeps in tribu
Iudæ: *donec veniat, qui mittendus est*: quo-
niam quando respublica Iudæ, vel qui
eam gubernet, & sit proprius dux eius,
deficiet, prout continget in vastatione
Ierusalem per Titum facienda, necesse
est, vt Messias iam venerit: *& ipse erit*
X. *expectatio gentium*; 10 tantopere enim
gentes indigebunt aduentu Messiæ in
remedium malorum, quibus oppressi te-
nebantur, vt si nouissent ipsum, procul-
dubio ardentissimè eius aduentum desi-
derassent, atque expectassent. *Ligans*
quippe erit Christus *ad vineam*, quæ
est Ecclesia, *pullum suum*, scilicet po-
pulum gentilium, qui quasi pullus non-
dum subiugalis præceptis legis subie-
ctus non fuerat, *& ad vitem*, quæ est
ipsemet Christus, vt pote extra quem
homines quasi palmites præscisi ares-
cunt, ligabit etiam *ô fili mi asinam suam*,
nempe populum Iudæorum, qui tule-
rat iugum legis; vt ex vtroque popu-
lo vnum fidelium constituat. *Lauabit*, &
mundabit in sanguine suo, quasi *in vino*
prodeunte de torculari *stolam suam*, seu
carnem, qua indutus est: hæc enim prop-
ter merita sanguinis effusi clarior & splen
didior in die resurrectionis apparebit: *&*
in sanguine vuæ pressæ in Cruce, nem-
pe corporis sui lauabit etiam & abster-
get *pallium suum*, seu Ecclesiam, qua ve-
luti amictu vestietur. *Pulchriores*, & cla-
riores, quam antea erant ac nitidiores
quàm essent prælati Synagogæ *sunt ocu-*
li eius, nempe Apostoli, qui sicut ocu-
li celsissima parte locati regimen habent
totius corporis, ita illi supremum re-
gendæ tuendæque Ecclesiæ dignitatis ac
potestatis gradum tenebunt: quæ ma-
ior pulchritudo & munditia effecta est
vino, 11 seu propter vinum illud, in XI.
quo Christus lauabit vestimenta sua: *&*
dentes eius, id est, doctores Ecclesiæ,
per quos, quasi per instrumenta procu-
dendæ linguæ ac formandæ locutioni,
& sermoni deseruientia, Christus reue-
labit arcana fidei, *lacte*, scilicet propter
lac diuinæ reuelationis, quod absque eo-
rum studio ac merito communicabitur
illis, fient *candidiores* & illustriores quàm
antea fuerant. *Zabulon* opulentam & abun-
dantem sortem obtinebit in diuisione ter-
ræ promissionis, quippe qui *in littore ma-*
ris Mediterranei commercijs & mercatu-
ræ negotijs intentus *habitabit*, *& in sta-*
tione nauium; quoniam occupabit plu-
res portus illius maris, in quibus consi-
stere solent naues, & erit *pertingens vsque*
ad Sidonem, vel negotiando vel confi-
nium habendo cum Sidonijs illam ipsam
maris oram tenentibus. *Issachar* futurus
est quasi *asinus fortis* in laboribus agri-
culturæ assiduus atque indefessus, & præ
fertilitate & amænitate terræ, quæ si-
bi sorte obtinget, erit *accubans inter ter-*
minos regionis suæ, domique consistet,
nec externas negotiandi causa terras pe-
tet. *Vidit requiem* agricolarum, & con-
templatus est *quod esset bona*, vt pote va-
cua à periculis & molestijs tam bellicis
quàm aulicis. Vidit præterea *& terram*
sibi designatam, *quòd optima* esset, ac
pinguis vberrimosque prouentus, si co-
leretur redditura: quapropter agricultu-
ræ intendit, *& supposuit humerum suum*
ad portandum, ac sustinendum laborem
atque molestiam in cultura terræ: *factus-*
que est tributis seruiens 12 plusquàm aliæ XII.
tribus Israeliticæ. *Dan* licet satis alioqui
obscura, & ignobilis tribus futura sit, ni-
hilominus in Samsone, qui ex ea tribu
prodibit, illustrabitur, & nobilitabitur;
nam per ipsum *iudicabit*, ac vindicabit
de inimicis *populum suum*. 13 *sicut & aliæ* XIII.
tribus in Israel, quæ iudices habere con-
tigerit. *Fiat* prout proculdubio erit, C.
Dan in filio suo Samsone quasi *coluber in*
via. Quemadmodum enim venenato sæ-
uoque serpente obsidente viam, nemo au-
det

Digitized by Google

det ingredi per eam; ita duce, ac propugnatore Samsone nullus hostium audebit populum Hebræum infestare. Fiet quoque quasi *cerastes in semita*: quia sicut hoc genus serpentis præferens quadrigemina cornicula, eorum ostentatione, veluti ad escam, illectas aues perimit, reliqua corporis tegens arenis, ita Samson incautos nec opinantes aggressus hostes, magnas sæpe eorum strages edet; maximè in fine vitæ, quando exhibebit se quasi serpens *mordens vngulas equi*, non tamen tangens equitem, sed dumtaxat efficiens, *vt cadat ascensor eius retro*, & sic intereat: ita namque Samson columnas theatri, quod Philistæorum principibus erit oppletum, demolitus plura millia eorum ruina oppressa simul ipse occumbens interficiet. *SALVTARE* nihilominus *tuum expectabo Domine*: neque enim contentus sum salute temporali & transitoria, quam præstabit populo meo Samson filius Dan, sed vlterius præstolabor salutem veram & sempiternam, quæ obuentura est filijs Israel per redemptionem Iesu Christi filij tui. *Gad accinctus*, seu expeditus, & ab omnibus impedimentis vxorum, liberorum, gregum, armentorum, cæteræque supellectilis domesticæ vacuus: nam hæc omnia derelicturus est ante transitum Iordanis, *præliabitur ante eum*, scilicet Dan & alias tribus; Iordane transuadato, *& ipse* post obtentam terram promissionis à fratribus, *accingetur* ad redeundum *retrorsum* ad suos, quos trans Iordanem in terra regum Og & Sehon reliquerat. *Aser* frugiferam terram fæ ici sorte possidebit; est enim *pinguis panis eius, &* omnis eius terræ cibatus est quasi oleo delibutus propter olei abundantiam, cuius feracissima erit regio Aseritarum; ac proinde *præbebit delicias regibus* ministrando oleum necessarium ad conficienda pretiosa vnguenta, quibus reges orientis pro summis delicijs vtuntur. *Nephthali*, de cuius tribu futuri sunt Apostoli erit

XIIII. quasi *ceruus emissus*: 14 sicut enim is summa velocitate tendit in desertum; ita Apostoli vinculis peccatorum absoluti, & terrenarum rerum cupiditate nudati, celerrimè ad Christum tendent: in qua tendentia tribus Nephthali habitans in Galilæa cæteras antecedet: eritque *& dans eloquia pulchritudinis* ob prædicationem doctrinæ Euangelicæ, quam Apostoli ex Galilæa oriundi gentibus & Iudæis nunciabunt. † *Filius accrescens* iure optimo vocari debuit filius meus *Ioseph filius*, inquam iterum atque iterum *accrescens* non solum quia adauxit eum mihi Deus, sed etiam propter principatum AEgypti, in quo mirum in modum vltra fratres suos auctus est, & præterea ob progeniem suam ac posteritatem, quippe quæ duas numerosissimas tribus Israel, tribum dico Ephraim & Manasses amplexabitur: est quoque *& decorus aspectu*: adeo vt eius pulchritudo fuerit illi magna occasio tentationis & afflictionis, simulque materies ingentis gloriæ. *Filiæ* seu turba puellarum AEgypti *discurrerunt super murum*, & in editis locis deambulabant, vt de turribus ac fenestris pulchritudinem illius prospicere possent. *Sed* nihilominus hera & herus *exasperauerunt*, atque ad iracundiam concitauerunt *eum*, *& iurgati sunt*, ineuntes rixam cum eo; *inuideruntque illi*, & odio habuerunt *habentes iacula*, seu verba dura & aspera, atque mortifera, per quæ illum vulneribus infamiæ & cruciatus perimere voluerunt. *Sedit in forti arcus eius*, nam arcum suum, & arma bellica, omnemque fiduciam auxilij, & præsidij sui posuit Ioseph in Deo, qui fortis est propugnator. Propter quam caussam accersitus est à Pharaone, *& dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius*, quibus inclusus tenebatur in carcere: idque euenit ei *per manus potentis Iacob*, hoc est opera & virtute illius qui à Iacob, vt summè potens colitur ac veneratur. *Inde* etiam opera eiusdem potentis Dei Iacob *pastor egressus est* Ioseph, ad principatum assumptus pasciturus totam AEgyptum, eamque à dira fame liberaturus; & vt esset *lapis Israel*, ac firmamentum domus meæ, quippe qui patrem & fratres suos non tantum famis tempore aluit, verum etiam in optima AEgypti terra collocatos quoad ipse vixit, & post mortem suam fama nominis sui longo tempore sustentabit. *Deus patris tui*, qui tam tua, quam mea merita remunerat, *erit adiutor tuus*: *& omnipotens*, qui ad omnia perpetrandum sufficiens est, *benedicet tibi*, afficietque omnium bonorum genere, videlicet *benedictionibus cœli desuper*, per concursum earum

† 1. par. 5. a. 1.

earum rerum superiorum, quæ ad efficiendam copiam terræ nascentium requiruntur, & *benedictionibus abyssi iacentis deorsum*, præbendo fœcunditatem terræ & aquæ, quæ se se inuicem complexæ vnum globum efficiunt iacentem circa mundi centrum, quem globum voco abyssum propter profunditates terræ & aquæ multifariam impenetrabiles: benedicet quoque tibi *benedictionibus vberum & vuluæ* non solum optimam nutricationem atque educationem filijs tuis præbendo, sed etiam numerosam generationem &
D. sobolem tibi exhibendo. *Benedictiones patris tui*, quas ipse tibi impertitur, *confortatæ sunt benedictionibus patrum eius*; & ab eis robur habent & efficaciam: nam quia maiores mei benedixerunt mihi, propterea ego quoque vim habeo efficacem benedicendi filijs meis & sicut benedictiones patrum meorum completæ sunt in me, ita benedictiones meæ complebuntur in te, nec deficient *donec* aduenerit tempus, in quo decreuit Deus, vt *veniret desiderium collium æternorum* seu desideratus ab antiquis patribus, qui propter pietatis & iustitiæ sublimitatem fuerunt instar collium, & ab eis dumtaxat fuit distinctè cognitus, ac desideratus Mesias. *Fiant* bona, quæ precatus sum *in capite Ioseph*, & ei obtingant non vtcumque, sed adeò abundè atque cumulatè, vt quasi pullulare videantur *in vertice* comæ, quam patiendo propter castitatem nutriuit in carcere ad modum *Nazaræi*: hoc est segregati & separati, talis namque fuit Ioseph *inter fratres suos*, à quorum improbitate semper abstinuit, & etiam ab eorum conuersatione dum exul fuit in AEgypto. *Beniamin* in forti robusta & bellicosa tribu, quam generabit, geret se quasi *lupus rapax*: 15 sicut
XV. enim is cum valde vrgetur fame audax & violentus est, ad rapiendam escam; ita Beiamin ferox fortisque bellator erit: idque tam fœliciter ac tanta celeritate perficiet, quod *mane comedet prædam* conficiendo bellum, & *vespere diuidet spolia*, victoria iam parta: profligatis namque hostibus onusti prædis, diuitesque spolijs, frequenter reddituri sunt Beniamitæ. *Omnes hi*, de quibus locutus est Iacob in prædictis prophetijs, sunt *in tribubus Israel duodecim*: neque enim de solis ipsis patriarchis, sed etiam de illorum tribubus vaticinatus est Iacob. *Hæc locutus est eis pater suus* prædicando vnicuique rem sibi obuenturam: *benedixitque singulis*, vt siquid fortè in superioribus animos aliquorum pupugerat, id valde mitigaretur subiunctis *benedictionibus proprijs*, per quas conuenientia cuique bona precatus est, ac salutaribus quemque documentis erudiuit: & *præcepit eis dicens: Ego* secundum animam quam de sursum accepi, *congregor ad populum meum* 16 descendendo ad inferos, vbi Saluatorem, qui mittendus est, vniuersus populus sanctorum expectat, donec veniat. † *Sepelite me* quantum ad corpus *cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre in terra Chanaan,* † *quam emit Abraham cum agro ab Ephrō Hethæo in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum & Saram vxorem eius. Ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua. Ibi & Lia condita iacet*: cum quorum reliquijs ego sepeliri exopto, quandoquidem eorum quoque fidem & religionem totis meis viribus amplexatus sum. *Finitisque mandatis, quibus filios instruebat* circa pacem & concordiam inter eos custodiendam, verumque Dei cultum perpetuò conseruandum, atque AEgyptiorum, quibuscum longo tempore victuri erant fugiendam idololatriam: *collegit pedes suos*, quos habebat dependentes extra lectum, in quo sedebat, & retraxit *super lectulum*, & post quam magna animi quiete & tranquillitate, eximiaque corporis compositione & decentia se se ad mortem comparauerat, *obijt*, facili ac dulci mortis genere, per lentam quandam resolutionem & defectum paulatim labentis spiritus: *appositusque est ad populum suum*, & consortium sanctorum patrum in limbo existentium: qui & Abrahæ sinus vocari consueuit. Ita enim loquitur sacra Scriptura, vt significet hominis animam esse immortalem, & à corpore separatam perdurare; & beatas non agere vitam solitariam, aut mæstam, sed communem socialem, lætamque: malorum verò, licet in communi cum alijs degant receptaculo, tamen agere vitam minimè socialem, sed dissidijs, odijs, inuidia, luctu & acerbitate pleniorem, quàm si solitaria foret.

XVI.

† 13. g. 2. c. Hebron de sepulturis. c. 1.
† Supra 25. d.

ANNO-

ANNOTATIONES IN CAP. XLIX.

I. *Quod uni promittitur, in posteris solet adimpleri.*

VENTVRA sunt vobis.] Pro intelligentia totius huius capitis maximopere obseruare oportet consuetudinem scripturarũ, qua solent quibusdam aliqua prædicere, quæ non in eis, quibus prædicuntur, sed in eorum posteris implenda sunt: prout aduertebamus superius cap. 15. annota. 1. Certum enim est id, quod de Simeone & Leui dicitur: Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israel, non in ipsis, sed in eorum posteris fuisse impletum, & sic de alijs, quæ in discursu capitis patebunt.

II. *Nouissimũ pro eo quod subsequitur.*

IN DIEBVS nouissimis.] Ex hoc loco apertè confirmatur sensus, quem superius cap. 33. annotat. 1. diximus habere hanc dictionem, nouissimè, in sacris literis. Certum enim est per nouissimos dies Sanctum Patriarcham in præsenti non significasse postremos dies seculi, sed indistincte posteriora tempora, quæ scilicet consecuta sunt id temporis, quo ipse hoc vaticinium edidit, vt idem sit in diebus nouissimis, quod in consequentibus & vel futuris temporibus & sæculis. Vnde multa in hoc capite prædicuntur, quæ non modo ante postremos sæculi dies, sed etiam ante Christi ortum gesta sunt, vt in contextu ipso iuncta paraphrasi satis superque patet.

III. *Effundi sicut aquã pro esse incõtinentẽ.*

EFFVSVS es, sicut aqua.] Quod his verbis denotetur intemperantia libidinis Ruben, qui ne à nouerca quidem sua, patre adhuc viuente temperare sibi, & libidinem coercere potuerit, prout in paraphrasi exposuimus docet D. Hieronymus in Traditionibus super hunc locum. Vehementia enim & maximus impetus, seu omnimoda eruptio alicuius rei solet significari in sacris literis per effundere quasi aquam, sumpta metaphora ab aqua quæ à vase effunditur. Si enim oleum, aut mel, aut simile quippiam effundas, non omnino effundis, quia aliquid restat in vase, & hæret, at aqua omnino effunditur. Qua locutione vtitur scriptura non solum hic, sed etiam Deuter. 12. Comedes absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram, sicut aquam effundes, id est, ita vt nec gutta quidem maneat. Et cap. 15. Hoc solum obseruabis vt sanguinẽ eorum, non comedas, sed effundas in terram quasi aquam. Et Psal. 21. Effusus sum sicut aqua, id est, totum meum sanguinem effuderunt. Et Hoseæ. 5. super eos effundam quasi aquam iram meam, id est effundam iram meam ita vt quasi nihil ex ea in me remaneat, sed tota feretur in vindictam.

IIII. *Variæ interpretationes vaticinij Simeonis & Leui.*

SIMEON & Leui.] Locus iste varie exponitur à doctoribus. Aliqui enim existimant in eo detestari Iacob cædem Sichimitarum factam à filijs suis, præcipue tamen à Simeone & Leui, quam narrauit superius Moyses cap. 34. huius libri. Cæterum hanc interpretationem D. Ambrosius in libro de benedictionibus Patriarcharum reijcit tanquam erroneam atq; Iudaicam, ac proinde nimis humilem nihilque sublimius cogitantem. Cuius quidem falsitas aperte conuincitur ex eo quod occisio Sichimitarum non quasi culpabilis, sed laude digna prædicatur in sacris literis: vt patet Iudith. cap. 9. Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt fœmur virginis in confusionem, & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem & omnem prædam in diuisione seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum, subueni, quæso te Domine Deus meus mihi viduæ. Vbi plura proponuntur in commendationem huius operis. Primò. Deum dedisse Simeoni, gladium in vltionẽ Sichimitarum: item Simeonem eo facto zelauisse zelum Dei: præterea, Deum non solum approbando, sed etiam remunerando illud factum, dedisse illi quasi mercedem operis, mulieres & virgines in captiuitatem omnemque supellectilem in prædam: & tandem intuitu illius exposcit filia Simeonis supernum auxilium. Neque obstat quod magister historiæ scholasticæ, & Dionysius Carthusianus super eum locum Iudith dicunt, cædem illam fuisse laudabilem ex parte Dei, non tamen prout fuit opus Simeonis, ac proinde laudare eam potuisse Iudith & incusare Iacob: hoc, inquam non obstat; nam Iudith etiam laudat cædem istã ex parte Simeonis, dum dicit eum zelasse zelum Dei, & fuisse præmio dignum. Minus præterea probabiliter aliqui vt prædictam interpretationem defendant dicunt in illa cæde duas res esse considerandas, altera est ipsa substantia actus vlciscendi iniuriam, altera verò modus quo actus ille fuit executioni mandatus: primum dicunt fuisse laude dignum, secus vero secundum. Hi enim principia philosophiæ moralis ignorare videntur, iuxta quæ nequit actus aliquis in esse moris esse bonus secundũ substantiam, quin etiam sit bonus secundũ omnes circunstantias & modos, vt late docet D. Thom. 1. 2. quæst. 18. bonũ enim vt auctor est D. Dionys. 4. cap. de diui. nomi. est ex integra causa. Nec per hoc excuso à culpa mendacium, seu alia forte peccata, quæ tunc temporis commiserunt filij Iacob, quæ vt superius cap. 34. annot. vlt. diximus, distincta opera erant a vindicta Sichimitarum, & dumtaxat venialia. Caietanus & alij verisimilius quàm præcedentes interpretantur hunc locum de peccato commisso contra Ioseph, ad quem occidendum primi omnium Simeon & Leui conspirarunt, & cæteris fratribus in eius necem conspirandi auctores fuerunt: neque enim minores fratres ausi essent tantum scelus tentare, nisi eius faciendi priores & maiores fratres principes

cipes fuissent. Ac non fuisse cædis eius autorem Ruben neque Iudam eo liquet, quod Ruben adnixus est liberare Ioseph de manu aliorum fratrum; & Iudas vt necem eius auerteret suasit eum vendi Ismaelitis; consequens igitur est principes eius sceleris fuisse Simeonem & Leui. Ad huius quoque sententiæ confirmationem facit quòd cũ Ioseph in AEgypto insimulasset fratres suos proditionis, quasi essent exploratores, & idcirco vnus eorũ relinquẽdus esset quasi obses in potestate Ioseph, relictus est Simeõ vt qui auctor fuerat conspirationis aduersus Ioseph, ipse præ cæteris eius sceleris pœnas lueret; atq; huic opinioni suffragatur Thargum Hierosolymitanum, sic habens hoc loco. In ira sua occiderunt principes, & in volũtate sua vẽdiderũt Ioseph, qui assimilatus est boui. Comparatus est autem tauro Ioseph propter dignitatis & potestatis eius excellentiã, primũ ipsi puero in somnis demõstratam, postea comparatam in AEgypto. Vnde Moyses Deuter. 33. benedicẽs Ioseph cõparat eũ primogenito tauri. At enim vero quia hæc interpretatio non ita consonat omnibus partibus prophetiæ eius sicut ea quæ sola adducitur à D. Ambrosio in loco allegato, ideo eam selegimus & in paraphrasi secuti sumus: quam non allegoricam sed purè historicã & literalem existimamus.

V. *Murus pro Christo.*

IN voluntate sua suffoderunt murum.] Duo intenderunt Iudæi in passione Christi Domini, alterum occisionem eius, alterum verò extinctionem omnimodam nominis & gloriæ eius: quorum duorum meminit Hierem. cap. 11. dicens in persona Christi. Cogitauerunt super me consilia dicentes. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Primum quidem opere perfecerunt, in furore suo occidentes virum Christum. Secundũ autem nõ potuerunt efficere, sed affectum eius habuerunt; & ideo inquit Iacob, quòd in voluntate sua suffoderunt murum: intelligens per murum virtutem & gloriam Christi, qua Ecclesiam tuetur. Eodem quippe muri nomine in sensu literali quamuis metaphoricè ad id ipsum significandum vsus est Esai. cap. 26. dicẽs Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator ponetur in ea murus & antemurale.

VI. *Catulus leonis nullatenus stare potest de Dauid.*

CATVLVS leonis Iuda.] Postquam huc usque egit Iacob de statu tribus Iudæ sub lege veteri, modo incipit agere de Messia, qui secundũm carnem futurus erat de hac tribu: cuius narratio proculdubio historica est & literalis, quamuis metaphoris abundans; neque id negare audebit nisi qui literæ emortuæ, Rabinorum vestigia insequens nimis velit adhærere. Quod manifestum fiet si sensum historicum comparationum seu similitudinum, quarum in hac prophetica Iudæ vtitur Iacob, ex alijs locis sacræ Scripturæ elucidemus & in medium proferamus. In primis Deus ipse pluries in sensu literali comparatur leoni & leænæ & catulo leonis, vt Isai. 31. Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum nõn pauebit, sic descendet Dominus exercituum vt prælietur super montem Sion. Et Ose 5. Ego quasi Leæna Ephraim, & quasi catulus Leonis domui Iuda; ego ego capiam & vadam; tollam & non est qui eruat. Et ipse Christus gaudet nomine Leonis Apocal. 5. vicit leo de tribu Iuda. Et Iudæi conuersi ad Christum assimilantur leoni & catulo leonis Michæ. 5. Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis syluarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum. Dauid autem de quo aliqui existimant in his verbis prophetasse Iacob, in nullo alio scripturæ loco comparatur leoni. Cur igitur extra modum loquendi scripturarum contorquere audebimus hanc prophetiam ad Dauid?

VII. *Ad prædam ascendere cõuenit Christo.*

AD prædam fili mi ascendisti.] Otiosus profectò fecisset Iacob, si hoc in loco meminisset illius prædæ Dauid, de qua dicitur 1. Reg. 30. Hæc est præda Dauid, & non potius historicè prophetasset de præda eius, de quo dicitur Esai. 8. Voca nomen eius, Accelera, spolia detrahe, festina prædari. Quod nullatenus asserendum est; maxime cum etiam in sensu historico non minus pertineat Christus ad tribum Iuda, quàm, Dauid. Quod autem subiungitur, Requiescens accubuisti non significat Christum in Cruce requiem capturum à labore, sed dumtaxat denotat, consummaturum in ea opus nostræ redemptionis iuxta illud quod ipse dixit, Consummatum est. Requiescere namque frequenter ponitur pro cessatione seu cõsummatione rei; vt ostendimus superius cap. 2. huius libri annota. 1.

VIII. *Sceptrũ non fuit ablatum à Iuda nisi à tẽpore vastationis Ierusalẽ per Romanos.*

NON auferetur sceptrum.] Ablatio præsupponit rem fuisse habitam, ac proinde hæc prophetia non debet intelligi, quòd procedat à tempore, quo illam protulit Iacob, sed ex quo tribus Israel redactæ sunt in rempublicam in monte Horeb per acceptionem legis; tunc enim tribus Iuda cœpit habere sceptrum, per quod intelligitur principatus & gubernatio politica, & hanc dicit Iacob non esse ab ea tribu auferendam vsque ad tempus Messiæ. Quamuis enim imperium aliarum tribuum cessare debuerit ante aduentum Christi prout de facto cessauit à tempore, quo decem tribus Israel translatæ sunt è Samaria ad Assyrios; cæterum tribus Iuda, non solum dum fuit vnita alijs tribubus, sed etiam facta separatione ab alijs per Ieroboan, semper obtinuit proprium principatum, & gubernationem, non solum in Palæstina, sed in Chaldæa quoque: nam in Babylonia proprios habebat iudices, vt constat Dan. 13. Et post transmigrationem Babylonis à pontificibus gubernabatur, donec post aduentum Messiæ amiserunt propriam, & specialem gubernationem; quando autem hoc contigerit non omnino constat inter doctores. Aliqui cum Philone dicunt sublatum fuisse imperium Iudæorum tempore

Herodis

Digitized by Google

Herodis Ascalonitæ filij Antipatri Idumæi, qui occiso Hircano duce ac pontifice inuasit regnū Iudæorū triginta duobus annis ante natiuitatē Christi. Hæc tamē sententia nō mihi placet, tum quia Iudæi sub Herode & filijs eius non magis caruerunt principatu, quàm sub Chaldæis in Babylone: imo potius gaudebant proprio sceptro, cum ipsa regio, & ditio eius, regni, & subditi & sedes regni & ciuitas regia, essent tribus Iudæ; habebant quoque templum & sacerdotes, & alia huiusmodi, quibus caruerunt in Babylonia; tum præterea quia hæc assertio, in eo quod docet ablatum esse principatum Iudæorum triginta annis, antequā Christus nasceretur, contradicit prophetiæ Iacob prædicenti, non esse auferendum eiusmodi principatum vsque dum veniret Christus. Vnde veriorem reputo sententiam, quam in paraphrasi sustineo, nempe sceptrum tribus Iudæ, & illius rempublicam sublatam fuisse tempore vastationis Ierusalem peractę à Romanis: tunc etenim gubernatio, & principatus huius tribus ita funditus euersa est, sicut gubernatio reliquarum tribuum dissipata fuit tempore Assyriorum, & multo amplius. Sensus itaque prophetiæ non est, quòd mox vt veniret Messias cessare deberet gubernatio politica & externa Iudæorum, sed quòd quandiu Messias non veniret, gubernatio illa non cessaret: similem namque sensum facit dictio donec superius cap. 8. quando dicitur de coruo à Noë dimisso. Qui egrediebatur & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram. Et Matth. 1. quando dicitur de Ioseph. Et non cognoscebat eam donec peperit filiū suum primogenitum: neque enim exiccata terra regressus est coruus ad Noë; neq; virgo integerrima postquam peperit filium suum primogenitum à viro cognita fuit. Et hinc est, quod deuastata & dissipata republica Iudæorum à Romanis, hæc prophetia Iacob euidentissimum & validissimum contra Iudæos de aduentu Messiæ nobis præbet argumentum. Qua tamen nec Dominus noster, nec Euangelistæ nec Apostoli vti debuerunt, quamuis aliorum vatum oraculis & testimonijs vsi fuerint, quia illorum prædicatio præcessit eiusmodi vastationem Iudæorum. Libra cæteras expositiones huius vaticinij, quas latè prosequitur Pererius super hunc locum, & inuenies in illis multa falsa permista, & multa voluntarie & gratis dicta: huic autem nostræ nullum occurrit offendiculum, & proptereà præpono illam cæteris.

X. *Iu- voca ote- qui- ne cā m ipa ge- r.*

DVX de fœmore eius.] Verba hæc, quibus prædicit Iacob nunquam auferendum esse principatum ac ducem à tribu Iudæ vsque ad aduentum Messiæ dupliciter intelligi possunt. Vno modo ita quòd semper futurus esset aliquis ex filijs Iudæ, qui esset dux, & principatū gereret in populo. Cæterum sensus iste nullatenus est admittendus; tum quia antequam regnaret David, non nisi duo iudices ex tribu Iuda, videlicet Iudas, & Othoniel duces fuerunt populi; tum quia post captiuitatem Babylonicam nullus de semine regum Iuda fuit, qui sederet super soliū Dauid, & potestatem haberet vltrà in Iuda, vt dicitur Ieremiæ 22. Vnde secundus sensus omnino amplectendus est; vt dicamus Iacob hoc in loco non denotare genus, seu originēm ducis; sed conditionem gentis vel populi cuius dux non deberet deficere: quamuis enim duces imperantes tribui Iudæ fuerint interdum ex alijs tribubus; interdum etiam alienigenæ nihilominus subditi quibus imperabant, erant de tribu Iuda, & ita inquit Iacob, nunquam defecturos duces in tribu Iuda. Prout verissimum est, quòd à tempore Petri Apostoli vsque nunc, nequaquā defecit Episcopus vrbis Romæ, etiā si plures Episcopi, ac Summi Pontifices Romanorum fuerint aliunde exorti. Et similiter etiā si populus Romanus proprias sedes relinqueret, & transiret in Hispaniam, adhuc posset verificari non defecturam sedem Petri. Quamuis ergo tribus Iuda ducta fuerit in Babylonē & in captiuitate detenta à Nabuchdonosore, adhuc eo tēpore non defecit dux eius, sed is fuit ipse Nabuchdonosor quasi proprius princeps illius reipublicæ & populi. Et ex consequenti multo minus defecit dux de fœmore Iudæ quando ante Regem Dauid & post captiuitatem Babylonicam tribus Iudà gubernabatur à ducibus aliarum tribuum; quia quamuis personæ ipsæ imperantes essent exteræ & aliunde exortæ, nihilominus gerebant ducatum in republica & populo tribus Iudæ: & hoc sufficiebat ad veritatem præsentis prophetiæ. Et in hoc tribus Iudæ excelluit alias tribus, quarum gubernatio & respublica diu ante aduētum Messiæ ab Assyrijs fuit funditus euersa. Pro prædicta expositione vide Pererium hic num. 101.

X. *Expectari dicitur quodcumque appetitur.*

EXPECTATIO gentium.] Etsi Christus ante suum aduentum non fuerit à gentibus cognitus: prout Isai. 65. idemq; vsurpatū à Paulo Roman. 10. de Gentibus loquens Deus ait. Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui ijs qui me non interrogabant: nihilominus optima ratione dicitur expectatio gentiū, quia omnes gentes illius aduentu & redemptionē multum indigebant, & vnaquæque res quasi pōdere naturæ appetit id quo maximē indiget. Tale est illud quod Arist. 8. Ethicorum cap. 1. refert ex Euripide amare imbrem terram, cùm arefacta est, & cœlum venerandum plenum imbre amare cadere in terram. Simile est quod legimus Hoseæ. 2. Exaudiam cœlos, scilicet optātes imbribus terram perfundere, & illi exaudiēt terram optātem pluuiam, & terra exaudiet triticum, videlicet quod copiose nasci & crescere cupit. Iuxta quem etiam sensum de eodē Saluatore dicitur Isai. 42. Legem eius insulæ expectabunt. Et Aggæi 2. Veniet desideratus cunctis gentibus.

XI. *Pullus & asina significāt populos Getilicū & Iudaicū.*

PVLLVM suum.] Per pullum & asinam significari hoc in loco populum gentilicum & Iudaicum ob rationes in Paraphrasi assignatas docent Iustinus Martyr in dialogo cum Triphone, & Origenes tract. 14. in Matthæ & Cyrillus, ac cæteri communiter Patres: etenim vtrumque populum ad se Christus adducturus erat.

erat. Et prius meminit Propheta pulli, quã asinæ, quia prius intratura est plenitudo gentiũ, & postea omnis Israel saluus fiet, vt scribit Apostolus ad Roma. 11. Et in eiusdẽ rei signũ Christus introiuit Ierosolymam sedens super vtrumque animal, vt sentiunt Chrysostomus homil. 65. in Ioannẽ, Theophilactus super Matthæum cap. 21. Lyranus super Ioannẽ. 12. & Caiet. ibidẽ cũ alijs. Quamuis Zachariæ. 9. & Matth. 2. dicatur Christum prius sedisse super asinam, & postea super pullum, quia primi credentes fuere Iudæi, postea Gentiles.

XII. *Septẽ rationes, propter quas Christus comparatur viti.*

ET ad vitem.] De ea vite loquitur hic Iacob, de qua prædictũ est Eccl. 24. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis, nẽpe de diuina Sapientia, qui Christus est. Cõparatur autẽ Christus viti. Primo propter fructuũ copiã: est enim vitis fœcundissima inter omnes plantas: quod & Dauid Psalm. 127. significauit dicens: vxor tua sicut vitis abundans. Secundo propter suauitatẽ fructus: est enim dulcissimus & suauissimus. Tertio propter vinũ, quod ex eius fructu conficitur, quod lætificat cor, multosque parit effectus similes Christi aduentus fructibus. Quarto etiã, quia inter omnes plantas maximẽ ramos diffundit, & expandit, vt considerata trũci quantitate mirũ inmodũ palmites extẽdat. In quo Ecclesiæ extensio significatur, de qua Psal. 80. in figura illius populi dictũ est. Extẽdit palmites suos vsq; ad mare, & vsque ad flumẽ propagines eius. Quinto, vt vinum illud sacratissimũ insinuaret, futurũ enim erat, vt sanguinem sub vini specie nobis daret. Sexto, vt purgationẽ Apostolorũ significaret: non enim est arbor, cuius putationi, ita incũbat agricola, sicut est vitis. Ac tandẽ propria causa, cur viti nunc Christus cõparetur, & inter alias arbores vitis similitudinẽ Iacob elegerit, ea est: vt mortẽ, & passionẽ Christi significet. In prophetis enim passio Christi in vite, seu vino prædicta est: vt patet in verbis sequentibus: lauabit in vino stolã suã, & in sanguine vuæ palliũ suũ. Et Isai. 63. Torcular calcaui solus. Ex quibus omnibus colligere, licet Christũ Dei Filiũ viti conferri ratione humanæ naturæ assumptæ. Vnde rectẽ Hylari. lib. 9. de Trinitate his verbis mysteriũ assumptæ carnis insinuari docet, affirmans, idcirco carnẽ sumpsisse, & tanquã vitẽ factũ esse Dei filiũ, vt nos tanquam palmites ei inhærere possemus. Nisi enim viti similis factus esset, nemo hominũ ipsi vniri, & coniungi posset. Dũ autẽ nostram induit naturã, nos sibi tanquã palmites, per fidẽ copulauit. Quando vero audis Christũ ratione naturæ assumptæ dici vitẽ, ne excludas personã ipsius: nã Dei Filius est, qui in natura nostra viti est similis: sed similis viti nõ esset, nisi qui in ea natura est, Dei Filius esset: sicut mortuus est, vt homo, at mors eius, nõ esset salutis nostræ remediũ, nisi ille homo, qui mortuus est, Filius Dei esset. Totus ergo Christus Filius Dei, & homo viti similis est, sed ratio, & causa, propter quam viti similis est, natura humana est: tamen natura humana virtutem non haberet lauandi palliũ in proprio fructu, nisi in ea esset diuinitas. Sic intelligendus est D. Cyrillus lib. 10. in Ioannẽ capit. 13. asserens ratione diuinitatis vitã esse Christũ. Hancq; doctrinã doctis, & breuibus verbis exponit D. Augustinus tractatu 81. in Ioannẽ. Quamuis (inquit) Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus, non præberet nisi Deus esset.

Christus vitis nõ esset nisi Deus esset.

XIII. *Vinũ, & lac referũtur tanquam efficientia incremẽtum pulchritudinis, & cãdoris.*

PVlchriores sunt oculi eius vino.] Vinũ non ponitur hoc in loco tanquã id cũ quo fit comparatio in pulchritudine, sed tanquam id à quo prouenire debebat maior pulchritudo in oculis. Et hoc ipsum dicendũ est de lacte, à quo prouenit maior claritas, & munditia in dẽtibus. Idq; vtrumq; colligitur ex litera Hebraica, quæ ad verbũ sic habet. Rubuerunt oculi eius à vino, & albi dentes à lacte. Paraphrasis quoque Chaldaica hunc locũ sic vertit: montes eius rubicundiores erunt in vineis suis, distillabunt colles eius vinũ dealbabuntur campi eius frumento, & gregibus. Quod autẽ metaphoræ, quibus hic vtitur Iacob, debeãt intelligi literaliter iuxta sensum, quo explicatæ sunt in Paraphrasi, facilẽ est colligere ex alijs locis Sacræ Scripturæ, vbi prædictæ metaphoræ in eodẽ sensu historice vsurpantur. In primis vinũ, quod exprimi solet in torculari, accipitur pro sanguine Christi, nõ solum hic, sed etiã Isai. 63. Quare ergo rubrũ est indumentũ tuũ, & vestimenta sicut calcantiũ in torculari? Torcular calcaui solus. Quã metaphorã explicãs Ioan. Apoca. 19. ait de Christo. Et vestitus erat veste aspersa sanguine. In quibus etiã locis vestis significat carnẽ Christi, sicut & aliquando significat ipsos Christianos, vt Isai. 49. Omnibus his velut ornamẽto vestieris. Diuina quoq; reuelatio, & doctrina, per lac designatur hic, sicut & 1. Pet. 2. Rationabile, & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutẽ, si tamẽ gustastis, quoniam dulcis est Dominus. Ex quarũ similitudinũ historico sensu apertẽ colligitur, quidnam, per alias metaphoras, quibus vtitur hęc prophetia debeat intelligi, quo sibi inuicem cohærere valeat contextus vaticinij.

XIIII. *Issacharitæ magis, quã alij tribubus seruiebant.*

TRibutis seruiens.] Cur pręcipuẽ dicatur Issacharitæ futuri vectigales plusquam aliæ tribus, triplex ratio potest adferri. Etenim cũ propter fertilitatẽ suæ regionis omniũ essent ditissimi, solebant à regibus plus cæteris tribubus onerari, & grauari tributis. Ipsi quoque ne ab externis hostibus infestarentur, vel à suis regionibus euocarentur ad militiã, vel ad aulã, & patrio solo fertilissimo, scilicet, & amœnissimo abscedere, & abesse cogerẽtur, libẽter hãc redimebãt vexationẽ largiẽdis muneribus, & pensitandis tributis. Adhęc ex alijs tribubus plurimi seruiebãt regi, vel in aula, vel in militia, vel alijs, quibuslibet muneribus regijs, quapropter, vel immunitatẽ tributorũ, vel remissionẽ à rege mercedis loco consequebantur. Issacharitæ autẽ bellicum laborẽ ac molestiã, & aulicã ambitionẽ auersati, suisque bonis contenti, nec immunitatem, nec alleuationẽ vectigalium merebantur.

XV. *Vaticiniũ Dan.*

DAn iudicabit populũ suũ.] Hoc vaticinium Iacob de Dan intellexerũt, atq; interpretati sunt

congruit præcipue Sansoni.

sunt de Antichristo Ireneus lib. 5. aduersus hęreses, Hippolytus martyr in oratione de cōsūmatione seculi, Ambrosius in lib. de benedictionibus Patriarcharū cap. 7. August. q. 22. in Iosue, Prosper lib. de promissionibus, & prædictionibus Dei par. 4. Theodoretus q. vlt. in Gen. Gregor. lib. 30. moraliū c. 18. Deniq; super c. 7. libri Apocal. Andræas Cæsariensis, & Aretha, Haymo, Ricardus, Anselmus, Rupertus, & alij similiter interpretātur. Cæterū sensus iste Allegoricus est, Historico autē sensu hæc de Sāsone dici, qui fuit ex tribu Dā, exponūt Hiero. in traditionibus Hebraicis in Genesim, Eusebius Emissenus, Gennadius cū multis alijs: quorū interpretatio sufficienter in Paraphrasi proposita est.

XVI. *Prophetia Nephtali adimpleta est in Apostolis.*

NEphtali ceruus emissus.] D. Hiero. in lib. de traditionibus Hebraicis, cōparans interpretationem huius vaticinij, quā in Paraphrasi adduximus, cū ea quę explicat hūc locū de frugibus tēporaneis terræ Nephtali, inquit, melius referri hāc prophetiā ad illud prius, quā adhoc posterius. In qua comparatione apertè insinuat vtrāq; interpretationē esse literalē, & historicā, ac etiā ex vtraq; eā, quā in Paraphrasi adhibuimus esse præeligendā, idq; nō immerito, cōstat enim Christū incepisse prædicare in tribubus Zabulō, & Nephtali, nēpe in Galilæa, vbi erant Capharnaū, & Nazareth, ac proinde ex eis tribubus fuisse, qui primo cōuersi sunt ad legē Euāgelicā, vt patet ex illo Isai. 9. Primo tēpore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephtali, vbi vt habetur Matth. 4. loquitur propheta de prædicatione Christi Domini, vnde Apostoli, qui in mare Tiberiadis vocati sunt, quod mare in cōfinibus sortiū harū tribuū sitū est, optima ratione cōparantur ceruo emisso: illius quippe more Apostoli veloci saltu exiliētes transcēderūt implicamenta seculi huius: de quibus scriptum est Matth. 4. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eū: & de alijs etiā Apostolis eiusdē regionis subiūgitur parū postea. Illi autē statim relictis retibus, & patre secuti sunt eū. Quam vero pulchra fuerint eloquia horū Nephtalitarū docet Isai. cap. 52. dicēs. Quā pulchri super mōtes pedes annunciantis, & prædicantis pacē, & cætera. Quē locū Paulus Rom. 10. exponit de prædicatione Apostolica. Et quia altera interpretatio sua probabilitate nō caret, eā Deut. cap. 33. In explicatione benedictionis, quā ibi impertiuit Moyses huic tribui, in mediū proponemus.

XVII. *Beniamitæ bellatores fortissimi extitere.*

BEniamin lupus rapax.] Quā fuerint Bēiamitæ feroces, fortesque bellatores, vel vno eo exēplo, quod in lib. Iudi. ca. 20. memoratur manifestū esse potest. Cū enim Beniamitę immane quoddā scelus à Gabaonitis, qui ex ea tribu erāt admissum punire noluissent aduersus eos vindicādi eius flagitij causa, cęteræ omnes tribus arma rapuerūt, & ad quadraginta armatorū millia coegerūt. Cōtra vero Beniamitæ aciē suam viginti quinque mille, & septingentorum virorū instruxerūt. Cūq; tā dispares numero vtrinque essent copiæ, vt vnicuilibet Bēiamitarū sexdecim ex alijs tribubus opponerētur, tantū tamē in Bēiamitis robur animi, & virtus militaris fuit, vt duplici conflictu aduersarios profligarint: & priori quidē duo, & viginti millia posteriori autē decē & octo millia ceciderūt. Tādē victi cæsiq; sunt, sed nō virtute, verū ex insidijs & per dolos militares.

XVIII. *Congregari, seu apponi ad populum suum descensum animæ ad Limbum sanctorū patrū significat.*

EGo cōgregor ad populū meū.] Quāuis cōgregari, seu colligi significare soleat in sacris literis idē quod morte subire, eo quod morientes tollūtur de medio viuētiū conuictu, & ad multitudinē mortuorū, quasi in vnū locū adiungūtur, & aggregātur: vt Iere. 8. Congregās cōgregabo eos. Oseæ. 4. Sed & pisces maris cōgregabūtur. Sopho. 1. Cōgregās cōgregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus, cōgregans hominē & pecus, cōgregans volatilia cœli, & pisces maris, id est, omnia interficiā. Nihilominus quādo verbo cōgregari subiūgitur ad populū meū, vel ad populū suū, aliquid amplius, quā mori existimo significari. Cuius signū est, quod superaddi solet ad illud, quod est mori hoc, quod dicitur cōgregari, seu apponi ad populū suū: vt in calce huius capitis: & obijt, appositusq; est ad populū suū. Et Deut. 32. Mortuus est Aarō frater tuus in mōte Hor, & appositus populis suis. Quid autē sit illud amplius, quā mori, quod hisce verbis significatur, puto cū Ruperto nostro, Caie. Paulo Burgēsi, Lyrano, alijsque recētioribus, nihil aliud esse, quā sinū Abrahæ, seu descēsū animæ ad Limbū sanctorū patrū. Ad cuius rei assertionē moueor, quia nunquā hæc verba reperi in sacris literis, nisi quando refertur mors alicuius sancti viri: vt de Abraham Genes. 25. De Isaac Gen. 35. De Iacob in præsenti. De Moyse, & Aaron. Deuter. 32. De Iosia rege Iudæ 4. Reg. 22.

ARGVMENTVM IN CAP. L.

¶ Præcepit Ioseph, vt corpus patris aromatibus cōdiretur, fleuitque cū AEgyptus septuaginta diebus: quibus exactis obtentaque licentia à Pharaone ascendit Ioseph cum senibus domus regiæ, ac maioribus natu terræ AEgypti, ascenderunt etiam fratres eius in terrā Chanaan, sepultoq; inibi patre regressi sunt in AEgyptum. Vbi expletis centum decem annis ætatis mortuus est Ioseph, & conditus aromatibus repositus fuit in loculo in AEgypto.

PARAPHRASIS IN CAPVT L.

QVOD cernens Ioseph affectu carnis permotus, *ruit super faciem patris sui, & deosculans eum*, nō irrationabili planctu vltimum osculum, cum fletu imprimendo. *Præcepitque seruis suis medicis*, qui curandis corporibus, & à putrefactione

ne

ne præseruãdis intendebant, *vt aromatibus cõdirent patrẽ*, quo eius corpus multo tẽpore incorruptũ maneret. *Quibus iussa explẽtibus* in medendo putrefactioni corporis *transierũt quadraginta dies. Iste quippe mos erat cadauerũ conditorũ*, apud Ægyptios, vt per quadraginta dies aromatibus cõdirentur, & cu rarentur corpora mortuorũ. *Fleuitque eum Ægyptus septuaginta diebus*, iuxta cõsuetudinẽ illius terræ, cui Ioseph deferre voluit ne patrẽ videretur amasse tepidius, ne ve publicos illis mores infringeret, quos velut ceremoniales, salua veritate seruare poterãt. *Et expleto planctus tẽpore, locutus est Ioseph ad familiã Pharaonis*, & mittens ex ea aliquos intercessores ad regẽ, quẽ sciebat, non facilè permissurũ eius recessum ait. *Si inueni gratiã in conspectu vestro*, seu vobis placui, *loquimini* pro me, vel ex nomine meo *in auribus Pharaonis*, illo videlicet audiẽte: *eo quod pater meus adiurauerit me dicẽs: En morior, in sepulchro meo*, † *quod fodi mihi*, & adaptaui prope sepulchra Abrahã, & Isaac parentũ meorũ in spelunca duplici, quæ est *in terra Chanaan, sepelies me.* Huc namque tendebat adiuratio facta mihi, à patre, quamuis alijs verbis ipse eam protulerit. *Ascendam igitur, & sepeliam patrem meum, ac* vbi ea fecero, quæ iussit, *reuertar. Dixitque ei Pharao* respondens aulicis, qui sibi ex nomine Ioseph prædicta postulauerant. *Ascende, & sepeli patrem tuum, sicut* prout dicis, ab illo *adiuratus es*, irreligiosum quippe esset iuramentũ nõ obseruare, ac patrẽ vltima volũtate fraudare. *Quo ascẽdente, ierũt cũ eo omnes senes domus Pharaonis, cũctiq; maiores natu terræ Ægypti, domus Ioseph cũ fratribus suis, absque paruulis, & gregibus, atq; armẽtis, quæ dereliquerant in terra Gessen*: neq; enim poterãt in honore parẽtis minores se exhibere filij ac nepotes, quẽ videbãt tãta ambitione ab Ægyptiorũ primoribus excultum, ideò omnes pariter aderãt, & tãto itinere sequebãtur funus. *Habuit quoq; in comitatu currus, & equites, & facta est turba non modica*, certatim conantes Ægyptij officiũ declarare in honorem Ioseph. *Veneruntq; ad areã Atad, quæ sita est trãs Iordanẽ*, & nũc vocatur Betagla, quod interpretatur locus Gyri, eo quod ibi more plãgentiũ circũierunt in funere loculũ Iacob. *Vbi celebrãtes exequias plãctu magno atq; vehemẽti, impleuerant septẽ dies*, iuxta cõsuetudinẽ Ægypti obseruatã in funeribus virorũ illustriũ. *Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaã dixerũt: Plãctus magnus est iste Ægyptijs. Et idcirco vocatũ est nomẽ loci illius*, Abel Metzraim, quod interpretatur, *Planctus Ægypti. Fecerunt ergo filij Iacob, sicut præceperat eis, & portantes eũ in terrã Chanaã*, † *sepelierũt eũ* in sepultura ab ipso patre parata & effossa, quæ sita erat *in spelunca duplici*, † *quã emerat Abrahã cũ agro in possessionẽ sepulchri ab Ephron Hethæo contra faciẽ Mãbre*, prout satis in superioribus explicuimus. *Reuersusq; est Ioseph in Ægyptum cũ fratribus suis, & omni comitatu sepulto patre*, nondum enim erat tẽpus posidẽdi promissam patribus terrã, cũ nec peccata Amorrhæorũ cõpleta, nec ipsi filij Israel seueritate Ægyptiorũ exercitati fuissent ad dignius, & gratius Dei bonitatẽ percipiendã, quã illis prænuntiauerat pater eorũ. *Quo mortuo*, regressoq; Ioseph in Ægyptũ *timẽtes fratres eius & è* conscientia stimulati *mutuo colloquẽtes*, ac dicentes, *ne fortè memor sit iniuriæ, quam passus est* à nobis frater noster Ioseph, quando eũ vẽdidimus, *& reddat nobis omne malũ, quod fecimus*, dignã ob ea, quæ in illũ peccauimus, pœnã sumens, *mandauerunt ei*, & adhibitis legatis, atq; internuntijs renunciauerunt *dicẽtes: Pater tuus præcepit nobis antequã moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrũ tuorũ, & peccati atq; malitiæ, quam exercuerũt in te. Nos quoq;* supplices poscẽtes veniã *oramus vt seruis Dei patris tui*, seu intuitu Dei, & propter merita patris in te, *dimittas iniquitatẽ hãc. Quibus auditis* nihil minus cogitãs, quã vindicare se de illis, quos iã dudũ satis afflixerat, interimq; salutem impartitus benefecerat ex animo, *fleuit Ioseph*, apertè indicans eximiã in fratres pietatẽ. *Veneruntque ad eum fratres sui, & proni adorantes in terram*, omnibusque modis gratiam fratris implorantes *dixerunt, serui tui sumus*, atque nostra opera tanquam seruorum vtere, tantum iniuriæ obliuiscaris. *Quibus ille* ex animi pietate opus eorum in prouidentiã Dei conijciens *respondit: Nolite timere, nũ Dei possumus resistere voluntati?* Minimè profectò. Ego igitur, non malitiã vestrã contẽplor, sed voluntatẽ Dei, qui peccata hominũ, & quæcũque mala conuertit in gloriã suã, & bonũ fideliũ. † *Vos cogitastis de me malũ* occidere me volentes, & funditus perdere, *sed Deus vertit illud in bonũ*, & fecit, quod præter intentionẽ vestrã esset mediũ adhoc, *vt exaltaret me sicut in præsentiarũ cernitis, & saluos faceret multos populos* à famis periculo, quæ duo non obtigissent si in Ægyptum venditus, non fuissem. *Nolite timere*, neque enim tantum remitto offensam, sed insuper *ego* † *pascam vos, & paruulos*, hoc est cunctos domesticos *vestros. Consolatusque est eos tan*to

Marginalia: † Supra. 47. g. 29 — I. — B. — † Actor. 7. b. 16. — † Supra. 23. d. 16 — C. — D. — † Supra. 45. b. 9. — † Supra 49. c. 12

to vsus officio, vt eis omnem tristitiam è corde eximeret, *& blandè ac leniter est locutus*, iuxta desiderium, & voluntatem illorum: *& habitauit in Ægypto cum omni domo patris sui*, ita vt nullus ex eis regressus fuerit in terram Chanaã. 2 *Vixitque centum decem annis, & vidit Ephraim filios vsque ad tertiam generationem.* † *Filij quoque Machir filij Manasse nati sunt* tanto tempore ante mortem Ioseph, vt potuerint mulceri, & sopiri, *in genibus Ioseph*, proaui sui: sicut senes solent facere pueris filiorum ac nepotum suorum. *Quibus* omnibus, quę superius dicta sunt † *transactis locutus est fratribus suis*, filijs Iacob, qui omnes adhuc erant superstites eisque: consolans, & fidem in promissa Dei inculcans, vt non diffiderent veritati Dei, imò lõganimiter præstolarẽtur salutis aduentum, ait: *Post mortem meam Deus visitabit vos*, cum posteros vestros à tribulatione, quam patientur ope præsentissima eripiet, *& ascendere vos faciet de terra ista* in mirabilibus magnis *ad terram, quã iurauit Abraham, Isaac, & Iacob* Cumque *adiurasset eos* de eo, quod fieri oportebat, circa eius sepulturam, *atque dixisset: Deus visitabit vos*, ac reducet in terram vestram, non igitur mox, vt obiero deferetis corpus meum in terram Chanaan, prout ego detuli corpus patris mei, sed quando hinc exibitis, † *asportate ossa mea 3 vobiscum de loco isto*, his inquam dictis *mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis: & conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto*, vt Ægyptij videntes eius tumulum diutius retinerent memoriam beneficiorum eius, ac proinde suauius tractarent filios Israel inibi commorantes.

II. † Num. 32. g. 39

† Heb. 11. d. 12.

III. † Exod. 13. d. 19. Ios. 24. g. 32.

ANNOTATIONES IN CAP. VLT.

I. *Imperans, & exequens pro eodẽ reputantur.*

DIXITQVE ei Pharao.] Etiam si Pharao hæc dixerit aulicis, verũ est ea dixisse Ioseph, eo quod aulici missi fuerant ab ipso Ioseph, & illius personã repræsentabant, vnde quãuis Luc. cap. 7. referatur Centurionẽ misisse amicos ad Christũ, qui dicerent, nõ sum dignus, vt sub tectum meum intres: nihilominus Matth. 8. hoc ipsum Centurioni attribuitur. Et Matth. 20. dicitur matrẽ filiorũ Zebedæi petijsse à Christo potiora loca filijs: cũ tamen Mar. 10. dicatur filios ipsos ea loca expostulasse: quia scilicet mater inducta fuit à filijs ad id petendũ: sicut & amici à Centurione.

II. *Spatium humanæ vitæ plus in priori bus ætatib', quã in posterioribus mincubatur.*

VIxitque centũ decẽ annis.] Notandũ multo pauciores fuisse dies vitæ Ioseph, quam maiorũ suorũ, & vt ab Abrahã incipiamus, is vixit centũ, & septuaginta quinque annos Genes. 25. Isaac vero aliquot amplius patre suo: nẽpe centũ, & octoginta peregit Gen. 35. Iacob autẽ multo pauciores, quã Isaac, quippe, qui cẽtũ, & quadraginta septẽ tantũ modo annis hanc vitã produxit Gen. 47. Ioseph deniq; multo breuiori tẽpore inter mortales degit, scilicet centũ, & decẽ annis. Hinc forsitan, quis colligere velit, spatiũ humanę vitæ in dies etiã atq; etiã decrescere, atq; decurtari, sed nõ ita se habet: occurrit enim sic cogitanti rex Dauid de viuentiũ tẽpore suo breuitate, ita loquutus Psal. 89. Dies annorũ nostrorũ, in ipsis septuaginta anni. Si autẽ in potentatibus octoginta, & amplius eorũ labor, & dolor. Nã cũ etiã nunc humanum genus eadẽ vitæ longitudine, qua tẽpore Dauid potiatur; viuitur enim hac tẽpestate passim vsque ad octogesimũ annũ, & eo amplius cõstat minimè indies humanæ vitæ periodum diminui. Alioquin in duobus mille annis à Dauid tempore vsque ad annum à natali Domini millesimum sexcentesimum transcursis secundum illã antiquorum rationem humanam ætatem minuẽdo vix quispiã diebus ad quinquagesimũ, vel certẽ sexagesimum vitæ suæ annum perueniret.

III. *Patriarchæ multis de causis appetierunt, sepeliri in terra Chanaã.*

ASportate ossa mea.] Multas licet causas inuenire propter quas Ioseph, & Iacob, imò etiã, vt Iosephus inquit, & reliqui patriarchæ tã topere cupiuerint sepeliri in terra Chanaan. Primo quidẽ, vt corpora sua essent in ea terra, quã posteros suos sciebãt possessuros, & longissimo tẽpore habitaturos, in qua sola omniũ terrarũ orbis Deus ver', quẽ ipsi coluerãt, publica, & sincera religione coleretur. Deinde vt eorũ sepulchra omnibus posteris essent fidei, & pietatis, quã ipsi erga Deũ habuerant, & professi fuerãt, charissima monumenta, & ad easdẽ virtutes maiorũ suorũ amplectendas, & profitendas acerrima incitamenta. Adhæc, vt essent diuinarũ promissionũ, quas Deus ipsis, & posteritati eorum dederat testimonia. Aspicientes enim horũ patriarcharũ sepulchra in terra Chanaã, quã possidebãt Iudæi liquido cernebant, quam abũde, & cumulatè promissa Dei patriarchis data de possessione terre Chanaan tradenda eorum posteris in ipsis essent completa. Nec illud, non flagrantissimam eius rei cupiditatẽ in animis eorum excitabat, quod prophetico spiritu diuinitus impleti nouerant in ea terra Messiam nasciturũ. Accedebat, & ille stimulus, si verum est, quod refert Tostatus, illos celebres patriarchas non latuisse resurgente Christo Domino post triduum suę mortis ad vitam immortalem, vna quoque multos de sanctis viris inibi sepultis, cũ eo resurrecturos, quod ita factum esse narrat Matth. capit. 27. de quorum numero se futuros esse sperabant. Quid plura, ad hãc terram Deus Abreham euocauerat post habito natali solo, omnique cognatione sua derelicta. Hanc terram ex omnibus mundi terris delegerat, quam daret possidendam populo suo, quem vt filium primogenitum diligebat. Hanc denique postea

magnis sæpè laudibus commendauerat, appellans terram egregiam, spaciosam, excelsam, fluentem lac & mel, quam Dominus Deus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius: vt in sequentibus libris fiet manifestum.

Cur Ioseph non mādauit fratribus suis, vt statim post mortem suā corpus suū transferrēt in terrā Chanaan.

Cur autem Ioseph noluerit statim post mortem corpus suum transferri in terram Chanaan, sed differri eius translationem vsque ad id temporis quo Hebræi ex AEgypto discederent, tres causas adferre licet: primam vt ea ratione vehementius firmaret spem fidemque promissionum Dei, qui promiserat tribus illis Patriarchis daturum se posteris eorum possessionem terræ Chanaan, & idcirco Ioseph noluit ante reditum Hebræorum in terram Chanaan eo transferri ossa sua. Alteram, quia si fratres Ioseph tentassent corpus eius ex AEgypto transportare in terram Chanaan, valdè offendissent AEgyptios, quin etiam id fieri fortasse illi non essent passi, volentes apud se habere monumentum Ioseph, quem propter singularem eius sapientiam mirificè coluerant, & cuius memoriam, propter eximia eius in AEgyptios beneficia atque merita, magno honore & pietate cōseruabant: Tertiam, quia præuidebat Ioseph, id magis fore ex vsu, & vtilitate fratrum suorum, quibus sperabat AEgyptios, beneficiorum quę ab ipso acceperant memores, dum in eorum animis vigeret ipsius memoria forè beneuolos ac beneficos. Fidem porro, quam fratres Ioseph iureiurando firmatam ei dederunt, posteri eorum, cum Hebræus populus ex AEgypto, duce Mose, egressus est, planè liberarūt, vt scriptum est Exod. 13. Tulit, inquit Scriptura, Moses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israel dicens: Efferte ossa mea hinc vobiscum. Nam licet fratres Ioseph, qui adstricti fuerant iureiurando, iam pridem excessissent, quippe cum à morte Ioseph vsque ad egressum Hebræorum ex AEgypto, centum quadraginta quatuor anni præterijssent, attamen quia fratres Ioseph id promiserant ei, non suo tantum nomine; sed totius etiam posteritatis suæ, iccirco eorum posteri, eodem illo iureiurando obligabantur, & id æquè atque illi obseruare debebant.

An ossa vndecim Patriarcharum sint asportata in terrā Chanaan & in Sichem sepulta.

Illud quoque in quæstionem vocari posset, an vt Ioseph ossa, sic etiam cæterorum vndecim Patriarcharum extulerint in terram Chanaan Hebræi, cum AEgypto profecti sunt. Ac ipsa quidem Scriptura de solius Iosephi ossibus asportatis ex AEgypto, & sepultis in Sichem mentionem facit: de cæterorum autem Patriarcharum ossibus, vel asportatis, vel sepultis, nullum in veteri Testamento verbum fit. Et vero diuina Scriptura peculiarem causam reddit cur ossa Ioseph sint asportata. Quia, inquit, filij Israel de hoc ab eo adiurati, id ei promiserant, quasi nisi iureiurando illi essent adstricti, non fuissent id facturi. Cum igitur ta[...] causa, non fuerit asportandi ossa aliorum Patriarcharum, probabile videtur ea non fuisse asportata. Verumtamen contraria sententia omnino probanda est. Etenim B. Stephanus Actorum. 7. testificatur, Patriarchas sepultos esse in Sichem, idēque confirmat B. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium, & de Optimo genere interpretandi ad Pammachium. Ergo credibile est, sui quamque tribum Patriarchæ ossa asportasse in terram Chanaan, & sepelijsse in Sichem, vbi erant condita Iosephi ossa, vt omnium duodecim fratrum & Hebræi populi Patriarcharum vnus locus ossa teneret. Quod autem dixere quidam, ante egressum Hebræorum ex AEgypto, aliorum Patriarcharum ossa fuisse deportata in terram Chanaan, minimè fit credibile. Cur enim sepelirent in Sichem, ac non potius in Hebron, vbi primorum trium Patriarcharum ossa fuerunt sepulta. Non me fugit, Iosephum lib. 2. Antiquitatum tradere vndecim Patriarcharū ossa fuisse condita in Hebron. Verū super ea re accuratè disputat Benedictus Pererius in 2. Tomo Comment. in Genesim super cap. 23. ad marginalem num. 49. & 56.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS

INTERTEXTA IN LIBRVM EXODI VOCATVM HEBRAICE, VEELLE SEMOTH.

AVTORE EODEM M. F. PETRO VINCENTIO de Marzilla Congregationis Diui Benedicti.

ARGVMENTVM IN CAP. I.

¶ Mortuo Ioseph ac reliquis filijs Iacob in Ægypto eorum posteri mirum in modum creuerunt, adeo vt nouus Pharao timore perculsus impedire tentaret eorum multiplicationem: idque vt assequeretur importabilia onera Israelitis imposuit, ac obstetricibus, vt masculos eorum occiderent imperauit: cui tamen decreto, quia ipsarum industria obstitit, vt ijdem infantes in flumē submergerētur statuit.

PARAPHRASIS IN CAPVT I.

A. HÆC *sunt nomina filiorū Israel, qui*
descendentes de terra Chanaan
ingressi sunt in Ægyptum cū Iacob
patre eorum tēpore Mephris re
gis *Ægypti. Singuli* autem *cum domibus suis*,
nempe filijs, & nepotibus, & cuncta simul
† Genes. progenie *introierant*, scilicet, † *Ruben, Si-*
46. a. 8. *meō, Leui, Iudas, Issachar, Zabulō, & Bēiamin,*
Dan, & Nephtali, Gad, & Aser. Erant igi-
tur omnes animæ eorū, qui egressi sunt de fœmo
re Iacob, vna cum ipso Iacob, *septuaginta*,
prout supra libro Genesis memoratur. *Io-*
seph autem in Ægypto erat ante aduentum pa
tris. *Quo mortuo, & vniuersis fratribus eius om*
nique cognatione illa, quæ de terra Chanaan
† Act. 7. exierat, † *filij Israel creuerunt* ad implente
c. 17. Domino, quod Abrahæ promiserat dicens
† Genes. † multiplicabo semen tuum, sicut stellas
22. d. 17 cœli, & velut arenam, quæ est in littore ma
ris, *& quasi germinantes* pisciūque more sca
turientes *multiplicati sunt*, diuturno nam-
que tēpore viuētes omnes generationi vaca
bant, & pluribus vxoribus vtebantur, *ac ro*
borati nimis diuitijs, & potestate *impleuerūt*
terram, in qua habitabant præ maxima eo-
I. rū multitudine. 1 *Surrexit interea rex nouus*
super Ægyptum nomine Amenophis, *qui ig*
norabat Ioseph obliuionique tradiderat quā
tæ vtilitatis causa ille extitisset tam coro-
næ regiæ, cuius tributa mirum in modum
adauxerat, quam etiā vniuersis Ægyptijs,
quos ab imminēti periculo mortis tēpore
famis eripuerat; *& ait ad populum suum*, gen
tem videlicet Ægyptiorum, *Ecce populus fi*
liorum Israel multus in numero, *& fortior*, in B.
robore, & diuitijs *nobis est*: aut saltē maior,
& ditior iudicatur à nobis, qui de eius bo-
nis inuidia ardemus. *Venite sapienter, &* calli
da quadam astutia circum veniamus, & *op-*
primamus eū, ne fortè multiplicetur: nā oppres
sus laboribus minus vocare amplexibus,
& generationi valebit: *& si ingruerit con-*
tra nos bellum aliquod à quibus vis hostibus
illatum, ne fortè populus Israel *addatur ini-*
micis nostris illorum partes agens, *expugna-*
tisque nobis egrediatur de terra. Quem egres-
sum valdè timebant Ægyptij, quia filij
Israel magnum censum reddebant regi an-
nuatim, & multipliciter Ægyptijs vtiles
erāt. *Præposuit itaque eis magistros operum*, vi
delicet Ægyptios quosdam, qui eos valde
odio habebant, *vt affligerent eos oneribus*, seu

laboribus corporalibus, quibus non tã pro priã vtilitatẽ, quã filiorũ Israel debilitatẽ rex intẽdebat. *Ædificaueruntq́;* in regione Gessen, vbi Israelitæ morabãtur, *vrbes tabernaculorũ Pharaoni*, ad seruandũ ea, quæ pro munimine patriæ recõdenda essent, vt sunt arces, & præsidia, quæ ab Hebræis etiã tabernacula nuncupãtur, videlicet. *Phithom,*
II. *& Ramesses.* 2 Quarũ hæc posterior postmodum in insigne emporium, & nobilissimam omnium vrbem, regũque municipiũ ac sedẽ excreuit, nomenque sortita est Thebaida, vel Thebæ. *Quantoq́; opprimebant eos Ægyptij*, Hebræosque minuere conabãtur: hi ẽ contra *tanto magis multiplicabãtur, & crescebant*, tẽperantia enim, & labor corporalis aptiores reddebat ad generandum, *Oderantq́; filios Israel Ægyptij* exosos eos habentes tanquã abominabiles, *& affligebãt illudentes eis* verbis asperis, & contumeliosis, & inuidẽtes, cõtristabãtur enim de quocumq́; bono, quod accidebat Hebræis, & per consequẽns conabantur illud ab eis auferre, *atq́; ad amaritudinẽ perducebant* reddentes amarã, & mærore plenã *vitã eorũ operibus duris luti, & lateris*, quæ dura erant, tum propter huiusmodi operũ vilitatẽ, tũ etiã propter eorũdẽ molestiã, & grauitatẽ; *omniq́; famulatu quo in terræ operibus premebantur.* Hebræis enim tanquã seruis emptitijs Ægyptij vtebantur, cogentes eos seruire, non solũ in his, quæ ad ædificiũ, sed etiã in
C. ijs, quæ ad campum spectabant. *Dixit autẽ rex Ægypti*, videns populũ Israel propter grauitatẽ operũ, nõ diminui, sed magis multiplicari, *obstetricibus Hebræorũ*, quibusdã videlicet mulieribus Ægyptijs, quas Rex designauit, vt ipsæ, & non aliæ Hebræas obstetricare auderent. Quod facilè duæ tãtum mulieres præstare poterãt, quoniã populus Israel nequaquã dispersus erat, per omnem terrã Ægypti, sed in terra Gessen coloni erant. Dixit ergo Pharao mulieribus istis,

quarũ vna vocabatur, Sephora, altera Phua præcipiens eis, existimans se hoc modo sapiẽter (prout superius dixerat) opprimere populũ Israel. *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tẽpus aduenerit, si masculus fuerit interficite eũ*, fingentes esse abortum, *si fœmina, reseruate.* 1 Multiplicatio enim fœminarũ rebellionẽ contra regẽ facere nõ poterat. *Timuerunt autẽ obstetrices Deũ*, cuius voluntas D.
ipsis constare potuit, per ipsum lumen naturæ, vel per hoc, quòd à mulieribus Hebræis edoctæ fuerunt, *& non fecerunt iuxta præceptũ regis Ægypti, sed conseruabant mares,* scientes quoniã oportet obedire Deo magis, quam hominibus. *Quibus ad se accersitis rex ait. Quidnam est hoc, quod facere voluistis, vt pueros seruaretis? Quæ* mẽdacio, pro se vtẽtes ne Pharao noceret illis, *responderunt. Nõ sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiã*, 3 vigorem, & III.
viuacitatẽ, neque ope nostra indigent, vnde cũ maximè viuidę sint absque obstetricibus, *& prius quam veniamus ad eas pariunt.* Quod mendacium, non ad laudem, sed ad veniam pertinuit. *Bene ergo fecit Deus obstetricibus*, nõ propter mendaciũ, quo Pharaoni illuserũt, sed propter opus misericordię, quo paruulos viuificarunt: *& creuit populus* in multiplicatione filiorum, *confortatusque est nimis*, tum abundantia diuitiarum, tum etiam robore ac fortitudine corporis: *& quia timuerant obstetrices Deum* reseruando IIII.
mares, *ædificauit eis domos* 4 familias earum multiplicans, & filiorum multitudine adaugẽs. † *Præcepit ergo Pharao omni populo suo dicens. Quidquid* in populo Israel *masculini sexus natum fuerit in flumen proijcite:* nec enim præcipio iugulare, ne horror huius præcepti ab executione eius Ægyptios retardet: *quidquid fœminini reseruate*, vidẽs quippe rex Ægypti obstetrices nequaquã voluisse occultè occidere masculos Hebręorũ, hoc ipsum vniuerso populo pręcepit facere manifestè

† 22. q. 2. c. quæ libet.

ANNOTATIONES IN CAPVT I.

I. *Oppressor Israelitarum cur dicatur rex nouus.*

SVRREXIT interea rex nouus.] Is Rex dicitur nouus, non solum, quia nouiter regnare cœperit, sed etiam vt auctor est Iosephus, lib. 2. Antiquit. quia ex alijs familijs, quam superiores reges ortus erat: qui cum nepotes fuissent, & posteri eius regis, qui Ioseph eductum ex carcere tãtopere amauerat, & honorauerat, fuerant, ob eius memoriam erga Hebræos beneuoli, & benefici. Is autem Rex, quod ex diuersa esset familia, non est secutus priorum Regum exempla. Vel dicitur Rex nouus ratione ingenij, consuetudinis, morum, & gubernationis. Nouitas autem gubernationis, in eo erat, quod cum superiores Reges humaniter, ac liberaliter tractassent Hebræos, hic primus inhumaniter, asperè, crudeliterque tractare cœpit. In quo execranda fuit eius ingratitudo: nam vt taceam, eum moneri debuisse maximo illo beneficio, quo Ioseph vniuersam AEgyptiorum gentem affecerat, liberans eam supremo famis exitio, quo haud dubiè perijsset, nisi diuina Ioseph sapientia tanto malo esset prouisum, atque subuen-

Digitized by Google

subuentum, vt omittam multa alia, & ingentia bona, quæ percepit AEgyptus ex optima Ioseph, per octoginta annos gubernatione, illud certè beneficium Ioseph, quod perpetuo sentiebant Reges AEgypti, à tanto scelere Regem illum reuocare debuit: Ioseph enim maiorem in modum redditus vniuersos Regis amplificauerat, cum in tempore famis legem tulit, quæ deinceps seruata est, vt omnium terræ prouentuum quinta pars tributi nomine Regi solueretur, vt scriptum est in libro Genesis cap. 47.

II. *Ramesses nomē est territorij, & etiam vrbis.*

ET Ramesses.] Ramesses nomen est territorij, & etiam vrbis, prout apud Hispanos, Valentia est nomen regni, ac ciuitatis. Significat quidem Ramesses territorium Genes. 47. vbi dicitur in Ramesse habitasse Iacob, & eius filios ex præcepto Pharaonis. In eaque regione sita fuit vrbs Ramesses, cuius hic fit mentio, & inferius cap. 12. & Nume. 33. Hæc, vt docet Abulē. Numer. 33. q. 2. postea vocata est Thebaida, vel Thebę à Busyridę Rege, iuxta Herodorū, vel ab Amenopho, iuxta Eusebium, ministerio Hebræorum condita, quæ in tantum postea excreuit, vt referente ipso Herodoto, ambitu fuerit centum quadraginta stadiorum, centum portis, alijsque publicis priuatisque ædificijs insignis, totaque pensilis, adeo, vt reges, vel maximos exercitus solerēt educere, nullo oppidanorum id sentiente, estque AEthiopiæ contermina. De qua videndus est Plinius lib. 5. cap. 9. In hanc vrbem, vbi saltem tūc temporis aderat Pharao conuenere Israelitæ ex circumquaque regione Gessen, vt permittente Pharaone parati adessent, ad exeūdum de AEgypto. Ibidem celebrauerunt primum pascha, vt colligitur ex ca. 33. Numerorum, & fecerunt primam mansionem, vt auctor est D. Hieron. in Epistola ad Fabiolā. In hac præterea vrbe existimo Moysen, & Aaronem adijsse Pharaonem, ex eoque loco plagas immisisse in AEgyptum. Cui tamen sententiæ repugnant nonnulli Hebræorum, existimantes Moysen miracula fuisse operatum in vrbe Taneos AEgypti metropoli: sed tamē debili innituntur fundamento, putant enim id asseri in illo Psal. 77. Sicut posuit in AEgypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos: sed proculdubio ibi, per campum Taneos tota terra AEgypti synecdochicè veniat intelligenda, quę vocatur campus ob Nili irrigationem, ac fertilitatem. Vtitur ergo Psalmista repetitione, prout sæpius in illo Psalmo simili loquendi modo vtitur, ad exaggerationē, vt ibidē Deo dāte ostēdemus.

III. *Scientia pro operatione, & exercitio.*

OBstetricandi habent sciētiam.] Iuxta Hebræum habetur, quia viuaces ipsæ, vel secundum alios viuaciores, aut robustiores, vnde quod vulgata dicit scientiam, debet intelligi de scientia, quæ coniuncta est operi, & includit cōpletam facultatem operandi. In quo sensu vocat Pharao fratres Ioseph viros industrios supra Genes. 47. nā ibi per viros industrios intellexit fortes, & robustos: vt constat ex textu Hebraico, qui sic habet, anse hasl, idest, viros fortitudinis, vel robustos.

IIII. *Ædificare idest familiā filijs augere.*

AEdificauit eis domos.] AEdificare domū, vt docet D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Genesim cap. 16. Hebraismus est significans familiā alicuius filijs augere sumpta metaphora à cōstructione domus, sicut enim domus multis ex lapidibus conflatur, ita familia constat ex multis hominibus, qui huius ædificij, quasi lapides quidem sunt, primo lapidi, idest, principio ipsius familiæ, quasi fundamento impositi, & superædificati. Et hinc est, quod sicut Benah Hebræis est ædificare, ita Ben filiū designat, quasi patris ædificium. Et tam in Hebraica, quam in alijs linguis familia solet vocari domus: vt Isaiæ. 7. Audite ergo domus Dauid, idest, familia, & genus Dauid: vnde de illo, qui non vult suscitare semē fratri suo, dicitur Deuteronomij vigesimoquinto, sic fiet homini, qui nō ædificat domū fratris sui. Et in eodē sensu dicitur Ruth quarto. Faciat Dominus hanc mulierē, quæ ingreditur domū tuam sicut Rachel, & Liā, quæ ædificauerunt domū Israel. Pronomē autē eis quāuis communiter à sacris doctoribus referatur obstrecibus, quorum sententiam nos Paraphrasi secuti sumus, quia tamen in canone Hebræo ambiguum est, potest etiam Israelitis ipsis referri, ita vt, & illi ob pietatem obstetricum, copiam habuerint filiorum.

ARGVMENTVM IN CAP. II.

¶ Moyses aquis expositus, & inde extractus, atque à matre sua nutritus, à filia Pharaonis, in filium adoptatur, quia tamen Ægyptium occidit, compulsus est in Madian fugere, ibique vxorem duxit ac filios duos procreauit. Atque interim in Ægypto Israelitici acerbissime torquentur, & anxie ad Deum clamantes misericorditer ab eo exaudiuntur.

PARAPHRASIS IN CAP. II.

A. 1. EGRESSVS est 1 non per loci mutationem, sed per noui, & mirabilis facti aggressionem *post hæc*, quæ rex Ægypti præceperat de masculis Hebræorum occidendis, *vir* nomine Amram, filius Caath, *de domo*, & tribu *Leui*, † *& accepit* carnaliter cognoscens vxorē *stirpis suæ*, scili- † Inf. 6. c. 20.

 cet

cet patruelem suam, de qua ante edictum regis alios filios procreauerat. *Quæ concepit* † *& peperit* occultè *filiũ, & vidẽs eum elegãtem abscondit tribus mensibus. Cumque iam celare non posset*, facilius enim est, per breue tempus infantem celare, quam multo tempore, *sumpsit fiscellam scirpeam* de iunco, qui scirpus vocatur, confectam, *& liniuit eam bitumine ac pice*, ne per ingressum aquæ submergeretur in flumine: *posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis*, vbi carices, & papyri, quæ sunt herbæ factæ ad modum ensis, germinantur, vnde locus iste, & carectũ, & papyrio vocari potest. Ibi posuit mater infantem, ne vis aquæ extra illũ locum eũ duceret *stãte procul sorore eius*, scilicet infantis, quæ vocabatur Maria, *& considerante euentum rei*, si posset aliqua fortè via fratrem à morte liberare. † *Ecce autem descendebat* de domo regia, quæ ripã fluminis super eminebat, *filia Pharaonis* nomine Thermuthis, *vt lauaretur in flumine: & puellæ eius*, quæ illam comitabantur, *gradiebantur per crepidinem aluei*, idest per ripam fluminis, quæ etiam crepido vocatur, quia aquæ exerescentes, & tumescentes, & quasi concrepantes eam occupant. *Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione*, seu carecto, *misit vnam è famulabus suis, & allatam* fiscellam, *aperiens, cernensque in ea paruulum vagientem*, & circumcisum, *miserta eius ait. De infantibus Hebræorum est hic.* Haud ignorans patris edictum de ipsis submergendis. *Cui soror pueri* ab ancillis filiæ Pharaonis vocata, *Vis inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire posit infantulum? Respondit, vade.* Decreuit enim sub custodia sua paruulum seruare, disponente Deo dignum malitiæ Pharaonis supplicium: æquum quippe erat, vt qui genitrices prohibebat parturire, filiæ suæ prouisione periret. *Perrexit puella, & vocauit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis; Accipe, ait puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam.* Nesciebat enim eam esse matrem pueri. *Suscepit mulier*, ac vera mater, *& nutriuit puerum adultumque*, & edoctum ex quo nam genere originem duceret, *tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij*, & erudire fecit eum in scientijs, in quibus filij nobilium erudiri solebant, scilicet in omni sapientia Ægyptiorum. *Vocauitque nomen eius Moyses*, cum antea in circuncisione Ioachin † vocaretur, *dicens, Quia de aqua tuli eum*, in lingua enim Ægyptiaca Moys aquam significat, es vero saluatum. *In diebus illis postquam creuerat Moyses*, essetque ætatis † quadraginta annorum *egressus est* † rem mirabilem inchoans, *ad fratres suos*, hoc est ad filios Israel, quos sciebat esse fratres suos ex relatione matris, & nutricis, *viditq;* per compassionem *afflictionem eorum*, quam ab Ægyptijs patiebantur, *& virum Ægyptium* vnum de præpositis constitutis à rege super filios Israel, *percutientem*, interficereque volentem *quendam de Hebræis fratribus suis.* † *Cumque* discrete ac solertè *circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset*, vim fratri illatam vi repulit, cum moderamine inculpatæ tutelæ ac *percussum Ægyptium*, & interfectum *abscondit sabulo*, seu arena ac terra sabulosa. Quod fecit existimans cæteros Israelitas intelligere, quoniam Deus, per manum ipsius daturus esset salutem illis. At illi, non intellexerunt. *Et egressus die altero* ad defensionem fratrum *conspexit duos Hebræos rixantes*, qui creduntur fuisse Dathan, & Abiron. *Dixitque ei, qui faciebat iniuriam*, volens eum mansuete corrigere. *Quare percutis proximum tuum? Qui* reddens pro bono malum *respondit. Quis constituit te principem, & iudicem super nos? Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses* indignationem regis, quam ex notorietate rei gestæ sequuturam præsciebat, *& ait. Quomodo palam factum est verbum istud*, seu opus, quod ego operatus sum. *Audiuitque Pharao sermonem hunc*, quem Hebræus protulit, quopiam de populo ad eum deferente, *& quærebat occidere Moysem*, propter interfectionem Ægyptij. *Qui fugiens de conspectu eius moratus est in terra Madian, & sedit* fatigatus ex itinere requiem suscipiens *iuxta puteum*, qui erat extra vrbem. *Erant autem Sacerdoti* cuidam idolorum *Madian* 2 (quæ est regio Æthiopiæ orientalis) *septem filiæ, quæ* minantes greges patris sui *venerant ad hauriendam aquam:* 3 alendis enim gregibus etiam filij nobilium intendebant. *Et impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui*, non tamen poterant: nam *superuenere pastores* aliorum gregum, *& eiecerunt eas* facientes recedere à canalibus greges earum. *Surrexitque Moyses, & defensis puellis*, hausit plus aquæ, & repletis iterum canalibus *adaquauit oues earum. Quæ cum reuertissent ad Raguel patrem suum*, qui & Iethro, & Cynæus, & Hobab vocabatur, *dixit*

Margin notes:

† *Hebr. 11.d.23.*

B.

† *Act. 7 c. 21: Hebr. 11.d. 23.*

† *Iuxta Clementẽ Alexandrinum.*

† *Act. 7 c. 23.*

† *Heb. 11.c. 24.*

† 23. q. 3. c. *non inferẽda: & de pœnit. dist. 2 c. vt cognouerunt §. opponitur.*

C.

II.

III.

dixit ad eas: Cur velociùs venistis solito? Boni enim patris familias est curare si sedula sit familia in agendis, morarum quoque causas inquirere, maximè filiarum, quas decet promptitudo, & in mandatis diligentia. Filiæ igitur Raguelis ad inquisitionem patris, *Responderunt, Vir Ægyptius liberauit nos de manu pastorum, insuper & hausit aquam nobiscum, potumque*
D. *dedit ouibus. At ille, Vbi est, inquit? Quare dimisistis hominem?* Et quia non decet veram animi gratitudinem, differre retributionẽ, *vocate eum, vt comedat panem,* residuumque ciborum apparatum, & integrum prandiũ.
IIII. *Iurauit ergo Moyses* 4 vocatus à filiabus Raguelis, à patreque beneuole exceptus, *quod habitaret cum eo*, nec discederet citra
† *Infr. 18. a. 2. 3. 1. Paral. 23. b. 5.* illius consensum: † *Accepitque Sephoram filiam eius vxorem.* Tanta fuit enim sacerdos ille ad pernoscenda ingenia hominum, moresque comprehendendos prudentia præditus, vt vnica re gesta, quam Moyses aduersus pastorum vim magno animo fecerat, adolescentis virtutem conspexerit, quod nõ propriè lucro, aut laude cõmotos, pro iustitia pugnauerit, sed iustum ipsum per se ac natura sua honestum iudicans, pastores, qui nihil in se ipsum peccarunt, castigauit, eorumque iniuriam repulit. Quapropter virtutem Moysi admiratus præstantiorem ipsam aliorum diuitijs existimans filiam ei tradit vxorem. *Quæ peperit ei filiũ* non statim post initum coniugium, sed multo post, *quem vocauit Gersam,* cuius nominis interpretationem explicuit *dicens, Aduena fui in terra aliena:* Ger enim hebraice idem est, quod aduena vel peregrinus. *Alterum verò peperit* 5 *quem vocauit* V.
Eliezer: idest Dei mei adiutoriũ, *dicens. Deus enim patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis.* Quo enim antiqui patres amplius ad gratiarum actionem & obedientiam Deo præstandam excitarentur, beneficiorum Dei memoriam perennem sibi nominibus filiorum instituere consueuerunt, vt quandocumque liberos aspicerent, vel vocarent, diuinorum beneficiorum recordatione permouerentur ex nomine. *Post multum verò temporis mortuus est rex Ægypti*, qui persequebatur Moysem, *& ingemiscentes filij Israel* in cordibus suis, *propter opera* etiam ore *vociferati sunt. Ascenditque clamor eorum ad Deum* emissus ex intimo cordis affectu, *ab operibus,* & laboribus, quibus erant intenti, nam dum laborabant ad Dominum clamabant. *Et audiuit gemitum eorum* habens se admodum eius, qui à clamoribus alicuius excitatur ad illum auxiliandum. *Ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac & Iacob:* Nam statuit præbere filijs Israel auxilia, quæ antea promiserat se daturum, habens se ad modũ eius, qui tunc exequitur aliquam rem à se promissam cum illius recordatur. *Et respexit Dominus* oculis eximiæ misericordiæ, *filios Israel, & cognouit eos,* habens se erga eos ad similitudinem rectissimi iudicis, qui cognitis meritis causæ eius qui iniuste patitur in carcere, statim præcipit illum extrahere, & liberum abire.

ANNOTATIONES IN CAPVT II.

I. *Egressus pro incho atione operis.* EGRESSVS EST.] Quando de aliquo dicitur in sacris literis fuisse egressum, & non subditur locus, vnde fuit egressus, significatur secundum phrasim Hebraicam nõn aliqua loci mutatio, sed alterius cuiusq; operis inchoatio: vt patet hic, & inferius hoc eodem capite, quando dicitur, postquã creuerat Moyses egressus est ad fratres suos: hoc est, cœpit prouidere illis, & de rebus eorum curare. Et infra cap. 12. Et egressi filij Israel fecerunt, hoc est, executioni mandarunt iniunctũ sibi officium. Et Leuit. 24. Ecce autem egressus filius mulieris.

II. *Ietro fuit vere sacer dos.* SAcerdoti Madian.] Merito dubitari potest, san Raguel socer Moysi, cuius hic fit mentio, fuerit vere sacerdos. Nam septuaginta interpretes & vulgatus vocant sacerdotem hoc loco: itidem appellant Philo libro primo de vita Moysis, & Iosephus libro. 2. Antiqnita. At vero Chaldaica paraphasis vocat eum principem Madian, & apud Eusebium libro. 9. de Præparatio. Euangelica cap. vlti. vetus etiam scriptor Artapanus appellat eum regem Arabiæ. Hæc diuersitas appellationis ex ambiguitate vocis Hebrææ Cohem extitit. Ea quippe vox duplici significatione vsurpata reperitur in scriptura. Et frequentissime quidem significatur ea voce sacerdos propriè dictus: cuius significationis exempla plurima sunt in sacris literis, & passim obuia. Interdum quoque significat magistratum, & primarium virum. Cũius significationis luculentum habemus exemplum in 2. libro Regum cap. 8. cuius extrema verba sunt hæc: Filij Dauid erãt Cholauim, id est, principes. Septuaginta tam vocem græce interpretantes ibi vocarunt eos principes aulæ. Latinus Interpres ibi vertit sacerdotes, latissimè sumpto vocabulo sacerdotis pro primatibus, & maioribus populi: siquidẽ apud Iudæos

hi ex sola tribu Leui, & stirpe Aaron esse pote rant: filij autem Dauid erant de tribu Iuda, ex qua nullus est vnquam (vt disputat B. Paulus ad Hebræos 7.) sacerdotio functus. Latinus præterea Interpres in 1. libro Paralipomenon cap. 18. eandem vocem Hebræam expressius reddi dit sic vertens. Filij Dauid erant primi ad manum regis, id est, in ministerijs, & muneribus regalibus ipsi principatum tenebant, vel assistebant regi ad latus eius, siue lateri eius adhærentes. Posset igitur existimari similiter in hoc secundo capite Exodi Latinum Interpretem posuisse vocabulum sacerdotis pro principe, vt idē sit sacerdos Madian, quod princeps Madian. Verum quia septuaginta interpretes, qui semper vocaculo sacerdotis proprie vsi sunt, vocarunt in hoc loco sacerdotem Moysis socerum, & itidem appellarunt Philo & Iosephus, verosimilius fit eum fuisse sacerdotem proprie dictum. Nisi forte fuerit idem sacerdos atque princeps eius gentis, sicut in more fuit antiquitus apud illas gentes: nam & Melchisedech sacerdos erat, simulque rex Chananæorum, & apud Iudæos post captiuitatem Babylonicam idem fuere pōtifices atq; principes & reges in populo

III. *Filiæ nobilium intendebāt alēdis gregibus.*

QVæ venerat ad hauriēdam aquam.] Quod eo tempore etiam filiæ nobilium intenderent alendis gregibus, non solum ex hoc loco constat, sed etiam ex Genes. capi. 29. vbi habetur, quod Rachel pascebat gregem patris sui. Nec hoc mirum erat, quandoquidem Rebecca, quamuis puella esset decora nimis, virgoque pulcherrima, ac nobilissimi generis, nihilominus hydriam habens in scapula sua ad hauriendam aquam ex fonte extra oppidum pergebat, vt dicitur Genes. 24.

IIII. *Iurare pro firmiter statuere, & decernere.*

IVrauit ergo Moyses.] Quamquā maior pars recētiorum, & quidem eruditorum virorum cum Chaldaica editione, quæ habet hoc in loco, Et voluit Moyses habitare cum eo, conueniant & de verbo ad verbum reddant. Et consensit, seu acquieuit, aut cœpit Moyses vel placuit Moysi, habitare cum viro illo, tamen Hebraicum verbum Iaal vltra prædicta omnia, etiam iurare significat. Vnde bene consonat Hebraicæ veritati, quod iuramento obstinxerit se Moyses Iethro sacerdoti, vt nō discederet citra hospitis cōsensum. Quamuis etiā ex hoc ipso, quod animo suo firmiter decreuerit habitare cū eo possit dici iuxta phrasim hebraicam, quod id iurauerit: quo loquendi modo vsus est propheta Psalmo centesimo decimo octauo. Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

V. *Verba aliūde trās lata.*

ALterū vero peperit] Verba ista, in quibus fit mentio de secundo filio Moysis, non habentur in canone Hebraico, neque in paraphrasi Chaldaica; conuenienter tamē illa Græci & Latini huc transposuerunt sumentes ea ex capite decimo octauo huius libri, vt vtriusque filij Moysis natiuitas & nomen simul exprimeretur. Qui certè non fuerunt geniti à Moyse statim post initum coniugium cum Sephora: licet narratio scripturæ videatur id significare: sed generatio eorum multo postquam Moyses venerat in terram Madian facta est, & paulo ante regressum Moysis in AEgyptum illi fuere nati. Etenim, vt traditur Actuum septimo, quadraginta annorum erat Moyses, cum propter cædem AEgyptij fugit in terram Madian: & ibi quadraginta annis moratus est, quoad iussu Dei redijt in AEgyptum: quo tempore fuisse istos filios admodum paruulos, duplex est argumentum. Inferius enim capite quarto dicitur Moysen istos filios (quod pedibus videlicet iter facere non possent) imposuisse asino: & quod alter illorum non esset circumcisus, occidere Moysen voluit Angelus Dei: recens igitur natus fuerat. Nullo enim modo putandū m est Moysen circumcisionem eius per quadraginta annos distulisse: quippe Deus præceperat seuerissime infantem circuncidi octauo Die, Genes. 17.

ARGVMENTVM IN CAPVT III.

¶ Dum Moyses pasceret oues in monte Horeb, apparuit ei Dominus in rubo, qui ardebat, & nō cōburebatur, & præcepit illi, vt tēderet in Ægyptū, & eius nomine loqueretur ad filios Israel, & ad Pharaonem oppressorem, ad cuius legationis munus commodius exequendum, manifestat illi nomen proprium Dei, & prædicit, quid nam ex ea legatione euenturum esset.

PARAPHRASIS IN CAPVT III.

MOYSES *autem* iam vxoratus, *pascebat oues Ietro soceri sui sacerdotis Madian*: propter maximā enim eius industriam, & fidem cōmiserat ei Iethro greges suos, quos solis filiabus antea confidebat. Cumque esset octoginta annorum † expletis que annis quadraginta, ex quo fuerat aduena in terra Madian. † *Act. 7. d. 30.*

Madian, vbi erat locus optimi pastus, *venit ad montem Dei Horeb*, qui mons Dei vocatur, tum per anticipationẽ, quia in eo Deus daturus erat legem, tum propter mysteriũ diuinæ apparitionis, quæ tunc temporis subsecuta est, vel etiam quia mons ingens erat, & eius magnitudo hac loquẽdi formula conuenienter exprimitur, † Act. 7. c. 20. † *Apparuitque ei Dominus* 1 assumendo angelum quendã,
I. tanquam instrumentum separatum adse manifestandum & etiam ad formandas voces loco omnium concurrentium in nobis ad formandum sermonem: apparuitque *in flamma ignis* veri, non apparentis tantum *de medio rubi*, 2 ubi erat angelus, perquem Dominus
II. locuturus erat Moysi, *& videbat Moyses quod rubus arderet & non combureretur.* Non tamen sciebat Deum talem se exhibere in eiusmodi apparitione, qualis futurus erat in populo Israel liberando ipsum de Ægypto, in quo futurus erat tamquam ignea flãma lucens multitudine prodigiorũ, & ardens in eorum cordibus ad exeundum de Aegypto, ita vt nullus remaneret, & etiam nihil eorum consumens, quia cum infantibus, mulieribus, pecoribus, & vniuersis facultatibus; imo & cum integra corporis sanitate educturus erat eos de Aegypto. *Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem* † De pænit. dis. 1, c. sunt qui † *hanc magnam, quare non comburatur rubus* igne succensus: viso enim effectu naturaliter appetit homo videre causam.
B. *Cernens autem Dominus*, qui interius angelo præsidens loquendi efficaciam tribuebat, *quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait, Moyses Moyses*, bis illum vocans, quò in eo maiorem excitaret attentionem. *Qui respondit, Adsum*, non solũ corpore, sed & mente animique promptitudine. *At ille, Ne appropies, inquit, huc* animo curioso & irreuerenti, quasi loco cuipiã vulgari, & prophano, sed *solue calceamentum de*
III. *pedibus tuis* 3 in signum reuerentiæ & honoris, qui præsenti loco debetur: *locus enim in quo stas terra sancta est*, & segregata à communi vsu in mirabilem diuinæ maiestatis, & bonitatis manifestationem. Diuina quippe electione dicatus est mons iste ad apparitiones diuinas. *Et ait.* † Matt. 22. c. 32. Mar. 12. cap. 26. Luc. 20. f. 37. † *Ego sum Deus patris tui*, cui iure hæreditario teneris cultum exhibere imitando patres tuos. Sum inquam *Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, quẽ adorauit Abraham Isaac & Iacob etiã modo, nec enim sum Deus mortuorũ, sed viuorum. † 32. q. 4 ca. recurrat. † *Abscõdit Moyses faciem suam* inclinandose in signum diuini honoris & reuerentiæ: *Non enim audebat aspicere contra Deum* sciens summo iudici timorem reuerẽtialem ab hominibus deberi. *Cui ait Dominus*, committere illi volens populi liberationem ab Aegyptiaca seruitute. *Vidi afflictionem populi mei* Israel, quam patitur *in Ægypto, & clamorem eius audiui*, quem frequenter emittit *propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, & sciens* per misericordiam & cõpasionem *dolorem eius descendi*, nõ quòd locum mutauerim, sed quia effectum, quẽ antea non operabar in terra, modo exequar, videlicet *vt liberẽ eũ*, populũ *de manibus Ægyptiorũ, & educam de terra illa* Gessen, in qua C.
cõclusi tenẽtur *in terram bonam & spatiosam, in terram, quæ* bona quidẽ est, quia quasi *fluit lacte & melle* 4 præ vbertate & suauitate IIII.
fructuum, & etiam spatiosa, quia saltim respectu illius terræ Gessen, quam incolũt Hebræi multo amplior & magis capax est terra, quam dabo eis: nam extendit se *ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi*, ac etiam Gergesæi: quæ loca ob earundem amplitudinẽ, & extensionem habitationi tot ac tantarum gẽtium sufficiunt. *Clamor ergo filiorũ Israel*, tam ille, quo Aegyptij opprimunt Israelitas, quàm ille quo filij Israel ingemiscunt, *venit ad me*, sed modo valde diuerso: Clamor enim Aegyptiorum, quo iniquitas sine timore & verecundia significatur, venit, vt iram incitet. Clamor verò Israelitarum vt misericordiam prouocet, à gentibus quippe vehementer affliguntur, & captiui abducuntur, *vidique afflictionem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur*, nec tamẽ per memet ipsum solum ab eiusmodi calamitate eos liberare volo quamuis id summa facilitate possim. *Sed veni* eximia quadam promptitudine mentis & voluntatis, *& mittam te ad Pharaonem, vt* quasi princeps & dux *educas populũ meũ*, scilicet *filios Israel de Aegypto. Dixitq; Moyses ad Deũ. Quis sum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Aegypto?* sum enim valde insufficiens ad ista efficiendum, quæ tu Domine præcipis: *Qui dixit ei. Ego*, qui sum potens & sufficiẽs, *ero tecum* auxilium præbendo & dirigẽdo. *Et hoc habebis signum, quod miserim te* tam ad educendum populum meum de Aegypto, quàm etiam ad eundem introducendum in terram promissam. *Cum eduxeris populum meum de Aegypto*, ecce prædico tibi, quod tum *immolabis*, seu immolare facies, *Deo*

super

super montem istum: quæ immolatio futura erit tibi & vniuerso populo signum rememoratiuum eductionis populi de Aegypto, à te iã tunc factæ virtute diuina, & quod non malis artibus aggressus fueris opus eductionis filiorum Israel de Aegypto & præterea futura erit signum prognosticum toti populo, quod introducet eum Dominus in terram promissionis. *Ait Moyses ad Deum* desiderans scire nomen Dei, & tamen non audens in persona propria de eo interrogare ex reuerentia & humilitate, *Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos, si dixerint mihi: Quod est nomen eius? Quid dicã eis? Dixit Deus ad Moysen. EGO sum* secundum essentiam & naturam meam,
V. *qui sum*, & hoc est, ipsum esse incircumscriptum, & illimitatum, quia nullatenus receptum. Et subdens ait. *Sic dices filijs Israel. Qui est* &
VI. per essentiam & naturam suam, ita vt reliqua omnia per ipsum existant, *misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen. Hæc dices filijs Israel*, si quæsierint secundo de nomine mittentis te. *Dominus* scilicet Iehoua, vel qui est, & reliqua facit esse, *Deus patrũ*
E. *vestrorum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, (de quo hi tres probatissime testes testimoniũ perhibuerũt) *misit me ad vos*, vt liberem vos de manu Pharaonis. *Hoc nomen* Iehoua, vel qui est, *mihi est in æternum*, quia semper fui, sum, & ero. *Et hoc* ipsum nomen, quatenus designat me fontẽ essendi, est *memoriale meum in generatione & generationem*: nam per esse, quod dabo creaturis, recordabuntur mei in æternum, ac euidenter agnoscent me in rerum natura existere. *Vade & congrega seniores*, qui sunt iudices, & curam gerunt populi *Israel, & dices ad eos. Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens: Visitans visitaui vos, & vidi* oculis misericordibus *omnia, quæ acciderunt vobis in Aegypto, & dixi*, seu statui constanti decreto, *vt educam vos de afflictione*
F. *Aegypti in terram Chananæi, & Hethæi, Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi*, qui sunt præcipui habitatores terræ Chanaan, *ad terram fluentẽ lacte & melle*, quæ ita vbertima est, ac si lac flueret, & ita suauis ac si mel ipsum germinaret. *Et audiẽt vocẽ tuã seniores populi*, memores promissionis factæ Abrahæ, qua dictum illi fuit; † Quarta generatione reuertentur huc. *Ingredierisque* †Gen.15 d.16.
tu & seniores Israel ad regem Aegypti, (maioris enim authoritatis erit ire cum antiquioribus populi quam si solus proficiscaris, est siquidem senum præsentia veneranda) *& dices ad eum. Dominus Deus Hebræorum vocauit nos* tam interius, quã exterius, & præcepit nobis, quæ facere debebamus. *Ibimus viam* non vnius diei aut duorum tantum, ne, si proximi vobis simus, & videatis, quantum vestræ religioni nostra opponatur, nobis irascamini. Neque etiam dicimus nos debere proficisci viam sex vel octo dierum aut plurium, ne timeatis nos quærere fugã. Sed ibimus viam *trium dierum in solitudinẽ*, VII.
vt immolemus Domino Deo nostro. Nõ enim integrum negotium intentum proponere debes Pharaoni, sed minimam eius partem & principium tantum, viam scilicet trium dierum. *Sed ego scio, quod* quamuis hæc petitio adeò iusta & rationabilis sit, nihilominus *non dimittet vos rex Aegypti, vt eatis nisi per manum validam*, & fortem, qua ipsum G
cum populo suo grauiter affligam, in tãtũ, quod inuitus maiora concedet, scilicet totalem exitum. *Extendam enim manum meam*, qua virtus & potestas diuina designatur, *& percutiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ* Ægyptios flagellando *facturus sum in medio eorum*; ita vt omnes videant, nec valeant excusari. *Post hæc dimittet vos* rex Ægypti, & non solum dimittet, sed etiam ad exitum de terra compellet. *Dabo que gratiam populo huic coram Aegyptijs*. Corda enim hominum in manu Dei sunt, qui quocunque voluerit vertet ea; † *& cum egrediemini non exibitis vacui, sed* in compensationem & satisfactionem laboris, quo seruistis AEgyptijs, & iniuriæ, quam pertulistis in occisione filiorum *postulabit mulier* †Inf. 11 a. 2. & 12. c. 35
sub prætextu, quòd velit mutuo accipere, *à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea, & aurea ac vestes. Ponetisque eas*, quando ex AEgypto egrediemini *super filios & filias vestras*, rebus huiusmodi eos onerantes. *Et spoliabitis AEgyptum* iniustum operarum vestrarum & bonorum possessorem.

ANNOTATIONES IN CAPVT III.

I. *Qui cum Moyse loquebatur Angelus erat.*

APPARVITQVE Ei Dominus in flãma ignis.] Iuxta Hebræũ habetur, & fuit visus angelus Dei ipsi fuisse etiam Angelum eum, qui Moysi apparuit in rubo aperte testatur D. Stephanus Act. 7. Quæ tamẽ non discrepant ab eo: quod in præsenti dicitur, iuxta sentiæ

tentiæ veritatem, qui enim apparuisse Moysi describitur, & Angelus erat, & Deus erat: nam qui exterius quasi vocis organũ & instrumentum loquẽdo seruiebat, Angelus erat: qui vero interius Angelo præsidens loquendi efficaciam tribuebat, Deus erat: vnde eum loquens ab interiore regatur, & per obsequium Angelus, & per inspirationẽ Dominus erat, qui in hac apparitione & in alijs similibus memoratur. Quod si quæras, quis nam fuerit Angelus qui in apparitione ista ministerium Deo exhibuit, Respondeo verisimile admodum fieri eum fuisse Archãgelũ Michaelem, qui & in rubo apparuit Moysi, & postea in mõte Sina, idemque apparuit Iosue, cum introducturus erat Hebræum populũ in terram promissionis, Iosu. 5. Ad id opinandum hac ducor ratione: nam apparitiones illę factę Moysi, & Iosue non priuatim ad illas tantũ personas pertinebant, sed ad publicam curam, & gubernationem, salutemque Hebræi populi, cui summo cum imperio præsidebat ille. Consentaneum igitur fuit eas apparitiones fieri per eum Angelum, qui præsidebat Hebræo populo, præcipuam eius curam à Deo sibi demandatam gerens, talem autem fuisse constat Michaelem, vt quem scriptura prædicat custodem, & defensorem, & protectorem Hebræi populi. Nimirum is vocatur princeps Hebræi populi Danie. cap. 10. Et capite duodecimo dicitur esse magnus princeps, & stare pro auxilio populi Hebræi: vbi illud, stare, secundum phrasim Hebraicam significat pugnare, vel propugnare pro populo Hebræo. Et in libro Iosue cap. 5. ipsemet vocat se principem exercitus Domini.

Qui apparuit Moysi & Iosue fuit Archãgelus Michael.

II. Cur magis in rubo locutus est Dñs ad Moysen.

DE Medio rubi.] Ratio literalis, & historica, ob quam apparitio ista potius facta est in rubo, quam in alia arbore, vel frutice exprimitur à Philone libro primo de vita Moysis. Figurabat enim rubus conditionem Hebræorum, in qua tunc erant: si quidem rubus est frutex inualidus, ac gestu vilis, tactu horridus, & se tangentes vulnerans: sic erat populus Hebræus, ob seruitutem enim quam AEgyptijs exhibebat, videbatur inualidus, atque ærumnosus, vilisque, & abiectus: is tamẽ denique grauissimas inflixit plagas AEgyptijs eũ vexantibus.

III. Nuditas pedũ symbolum est humilitatis ac deuotionis.

SOlue calceamentum de pedibus tuis.] Quoniam ad Deum curam omnium, & specialiter rerum spiritualium habentem spectat præscribere ea, quæ sunt reuerentiæ, & præfigere ceremonias, quibus ipse vult à creaturis coli ac reuereri, ideo hic & Iosue ca. 5. pręcipit Dominus locũ sanctum non calcandum opertis sed nudis pedibus, in signum reuerentiæ & honoris, qui eiusmodi loco debetur. Idque satis rationabiliter. Nam nudis pedibus progredi, quantum ex se est, prouocat deuotionem, & excitat quandam animi humilitatem. Ob quam causam Dauid, cum fugeret Absalonem, nudis pedibus incedebat, vt dicitur libro secundo Regum cap. 15. ob hãc etiam causam sacerdotes nudis pedibus ministrabant in tabernaculo testimonij: eos enim taliter ministrasse colligitur ex eo, quod infra cap. 30. præcipitur illis, vt quotienscũq; ingressuri essent tabernaculum, pedes lauarent, ne forte morerentur. Quorsum enim hæc tã cõtinua pedum lotio, nisi quia nudis pedibus incedere in tabernaculo tenebantur.

IIII. Fluere lacte & melle quid.

FLuit lacte & melle.] Phrasis est Hebraica, qua vbertas & suauitas terræ laudatur per metaphoram: lac enim symbolum est abundantiæ, mel etiam dulcedinem, & suauitatem denotat. Quo locutionis genere passim vtuntur sacræ literæ. De vbertate autem, ac suauitate fructuum terræ huius capite primo. Vide Brocardum in libro de terra sancta parte secunda.

V. Futura pro præsentib' ac præteritis solent vsurpari.

EGo sum qui sum.] Hebraicè ita legitur locus iste: Ehieserchie, Ero qui ero, & ita etiã habet paraphrasis Chaldaica. Cæterum quoniã futura pro præsentibus ac pręteritis solent vsurpari in Hebræa lingua, & alijs quam plurimis, dicimus Latinum interpretẽ rectè vertisse, sum qui sum, sicut & septuaginta fecerunt. Quod vero futura pro præsentibus Hebraice vsurpentur, duobus tantum ad præsens ostendam exemplis. Primum ex Genesi capite 37. vbi latine dicitur de Ioseph, inuenisse eum errantem, quendam virum, qui eum hoc modo interrogauit. Matebakkes: Quod si latine reddas dices. Quid quæris? Quid vestigabis? Patet tamen de præsenti fieri interrogationem. Secundum est Iob capite primo, vbi nostra editione habetur, vnde venis? Hebraice est Meain tabo, quæ si Latine reddenda sunt, dicendũ esset, vnde venies? Quo nihil esset absurdius, etiã apud Hebræos nisi futurum ipsum præsentis temporis sensum faceret. Per esse distinguitur primo Deus à creatura. Recte igitur hoc loco vertit interpres Ego sum qui sum, hoc est sum ipsum esse. Quibus verbis Deus assignauit primã rationẽ fundamẽtalem, per quã distinguitur à creaturis. Sicut enim in vnaquaque re primum, quod occurrit considerandum est ipsum esse, ita prima ratio distinctionis Dei à creaturis est, quod eius natura & essentia sit ipsum esse. In qua fundantur reliqua omnia quæ de Deo dici possunt.

VI. Qui est & Iehoua nomẽ tetragrãmatõ idẽ sunt.

QVi est misit me ad vos.] In Hebræo sicut quando dixit, sum qui sum scribitur Ehie idest Ero per vocem futuri substantiui deriuatam à verbo Haia hoc est Fuit: ita pariter in præsenti textus Hebraicus vtitur eadem voce futuri substantiui. Quare quidam etiã hic verterunt Ero, quasi dicat: Deus cuius nomen est Ero, misit me ad vos. Et Chaldaica habet qui ero: Alius vertit sum, Qui misit me ad vos. Cæterũ multo melius interpres Latinus attẽdẽs ad sensum orationis vertit, Qui est, quam ero, vel sum. Instruit enim hic Deus Moysen de dicendis ad populũ, quæ aptius sub tertia quã sub prima persona illi referenda erãt. Vnde & Lxx. hic habẽt, qui est. Dicit ergo qui est vel qui erit semper, nusquã, & nunquã defuturus misit me ad vos. Sciẽdum autem cum Eugubino in recognitione pentateuchi, & in tractatu huius loci Exodi, quod nomen tetragrammaton, quod proprium nomẽ Dei esse existimatur, & quod apud Hebræos ob illius reuerentiam non licet passim proferre, non est alia vox, nec aliud nomẽ quã

id de-

id de quo disseritur hic, idest, Qui est, est enim vox futuri temporis verbi substantiui: nam prima vox eius verbi est Haia, hoc est fuit, cui in futuro tertię personæ additur Iod, fitque Iehie, idest erit, atque ipsum est nomen tetragrammaton duntaxat protracta Iod vt fiat vau, ex cuius literæ protractione consequenter mutantur puncta, & profertur Iehoua. Et forte olim loco eius, quod nunc est vau, erat Iod, facilisque est à Iod ad vau transitus propter maximam affinitatem harum literarum: vnde ex hoc Exodi loco putamus natum nomen tetragrammatō, nomen scilicet quo se ipsa diuinitas appellauit ab essendo: quamquam eo in libro Genesis vsus sit Moyses. Cui rei fidem facit, quod vbi mox in sequentibus subsequitur, Dominus Deus patrum vestrorum Deus Abraham, & Deus Isaac &c. hebraice in ipso exordio ponitur Iehoua, hoc est nomen tetragrammaton, idest, qui est Deus patrum vestrorum. Deinde subdit, hoc nomen est mihi in æternum. Neq; de alio nomine intelligit, quam eo quod exposuerat Moysi, scilicet Qui est, vt in paraphrasi exposuimus. Nomen ergo tetragrammaton tempus futurum est verbi substantiui sub ea forma, quam explicuimus, atque idem est, vbi dixit, ero qui ero, & ipsum nomen quadriliterū, nam si ipsum interpretari voluerimus dicemus: Qui est vel erit sine relatiuo, quod fit secundum idioma Hebræorum: in quo relatiua sæpe dimittuntur. Hæc dicimus non ignorantes diuū Hieronymū tanquā duo diuersa nomina ponere nomē tetragrammaton, & nomē qui est. Sed siquis prudentissime considerauerit inueniet hæc vera esse, consentiēte etiā Theodoreto apud Græcos qui Syriacæ & Hebraicæ linguæ erat peritissimus.

Ibimus viam trium dierum.] Hanc viam postea expleuerunt filij Israel, quando transacto mari Rubro ingressi sunt in desertū Sur, ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, vt dicitur infra capitulo quinto decimo. Præcipitur Moysi, vt proposita via trium dierum dissimulet reliquum itineris: viri enim prudentis est ea reticere quæ impedimento esse possunt rei intētæ: fuisset autem non modicum impedimentū ad hoc, quod Israelitis permitteretur egredi de Aegypto dicere Moysem se & populum velle per plures dies abesse, ob timorem, qui exinde Aegyptij concipere potuissent fugæ Israelitarum, quam mirum in modum odio habebant Aegyptij. VII. *Viā triū dierū prudenter petijt Moyses.*

ARGVMENTVM IN CAPVT IIII.

¶ Moyses tribus signis à Deo acceptis in Ægyptum cum vxore & liberis proficiscitur, quem Dominus in itinere terret, vt formidinem quam ipse Moyses de Pharaone habebat timore maioris pœnæ expelleret. Post quæ frater suus Aaron illi occurrit, & ambo ad populum loquuntur, ac signis editis fides eorum legationi adhibetur.

PARAPHRASIS IN CAPVT IIII.

A. RESPONDENS *Moyses ait.* Quamuis seniores Israel audiant vocem meam prout tu Domine prius retulisti, minores tamen populi *non credent mihi* dicenti, quòd tu apparueris, & ad me loquutus fueris, ac me miseris ad educendum filios Israel de Aegypto: *nec audient vocem meam*, nec consentient mihi, nisi viderint aliqua signa: Iudæi enim signa petunt. *sed dicent, Non apparuit tibi Dominus.* Quod quidem asserebat Moyses sciens ingenium Israelitarum, & quod duræ ceruicæ ac increduli essent. *Dixit ergo ad eum* Dominus. *Quid est quod tenes in manu tua?* Interrogauit autem non quasi ignorans, sed ad maiorem considerationem & attentionem rei, quæ facturus erat excitandam in Moyse. Qui respōdit: *Virga. Dixit*q; *Dominus, Proÿce eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses*, ex inopinato terrore serpentis. † *Dixitque Dominus. Extende manum tuam & apprehende caudam eius.* Ipse statim sine cunctatione exequens, quod Deus præcipiebat, *Extendit, & tenuit, versa*q; *est in virgā.* Hæc autem signa non edidit Deus ad suscitandam fidem in Moyse iam fideli, sed vt doceret, quibus medijs persuadere deberet populo & Pharaoni se missum esse à Deo. *Vt credant inquit* † *De consec. dis. 5. c. re vera. & de heres. ca. ex iniuncto.*

quit quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum videlicet *Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob*: ac vt perfidi spectatores omni careant excusatione & Iustitia condemnationis clarior elucescat. *Dixitque Dominus rursum* apertius indicans
B. diuinam Moysi tribuendam esse virtutem ad facienda signa & prodigia. *Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum*, ac extraxisset, *protulit leprosam* lepra quadam valde candida *instar niuis*, admodum lepræ vetustissimæ. Tunc præterea Dominus *Retrahe ait manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ*: insinuans quod sicut lepra manus Moysi à solo Deo curatur, idque facile est Deo, modo velit, vt facillimum est de sinu manum quemquam exponere: sic solus Deus populum suum quantumuis depressum & afflictum liberaret, & educeret, etiam si sæuiret, & reniteretur tyrannus. *Si non crediderint inquit tibi, neq; audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quod si* tam increduli fuerint, vt *nec duobus quidem signis crediderint, neq; audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam* siccam *& quidquid* aquæ *hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem*, in signum venturæ Aegyptijs internecionis, quæ non absque sanguinis effusione tum in primogenitorum occisione, etiam in exercitus submersione futura erit. *Ait Moyses, Obsecro Domine*, ne mittas me legatum ad Pharaonem, & ad Hebræos: Ad conficiendam enim tantam rem, quam iubes maxime omnium necessaria est eloquen-
I. C. tia: ego autem *non sum eloquens*, sed rudis, & inconditi, inelegantisque sermonis: id que non solum *ab heri, & nudiustertius*, hoc est superioribus annis, quibus ego egi pastorem ouium, & magis balatum pecorum, quam studium eloquentiæ obseruaui. *Et ex quo locutus es ad seruum tuum impeditioris & tardioris linguæ sum.* Quamuis enim fieri potuisset, vt qui antea eloquens non fuisset repente fieret, ex quo tecum loqui inciperet, tantum tamen abest, vt id mihi contigisse existimem, vt potius ab eo tempore, quo mecum collocutus es, videar me factum esse multo grauioris, impeditioris, & tardioris linguæ, ac sermonis, quam antea eram. *Dixit Dominus ad eum* eius trepidationem vt rectam & ex humili corde emanantem amplectens. *Quis fecit os hominis*? seu illum facultate loquendi donauit? nisi ego, qui omnia feci? *aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem, & cæcum? Nonne ego?* Qui taliter sum fons essendi, quod etiam sim causa non essendi: vsumque sensuum pro vt libet & concedo & aufero. Mihi ergo fidere debes, qui scio qualis sis, non tuas apud te vires metiri. *Perge igitur*, † *& ego ero in ore tuo* verba ipsa externa subministrando, *doceboque te quid loquaris*, mentem & cognitionem illuminando. Quibus verbis insinuauit Moysi, non tantum instructionem oris, sed ipsam etiam cordis cogitationem ad Dei voluntatem, & gratiam pertinere: nec enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est. *At ille* nempe Moyses ex zelo quodam humili quamuis non secundum scientiam adhuc se excusans, & digniorem se, mitti desiderans. *Obsecro inquit Domine*, non mittas me, sed *mitte, quem missurus es*, & quem
II. ab exordio mundi promisisti Christum omnium Saluatorem. Super qua re nihil ei respondit Deus, eo quod talis petitio intempestiua esset, ac nimis præcox: missurus enim erat Deus Messiam, verum non eo tempore, sed multa post secula, quando decebat magis & expediebat. *Iratus Dominus* non secundum affectum sed secundum effectum *in Moysen*, cumque de aliqua culpa arguens, & corripiens, eo quod post tot excusationes suppletas, cognitaque sufficienter diuina voluntate adhuc, licet humiliter renitebatur, *ait, Aaron frater tuus Leuites scio, quod eloquens sit* ex gratia sermonis, quam contuli ei, dona quippe gratuita diuido singulis pro vt volo. *Ecce ipse egredietur in occursum tuum* accitus à me per internam mentis illius inspirationem ad hoc, vt sit collega tuus: *videns que te lætabitur corde*, ob maximam alacritatem & promptitudinem, quam habet ad exequendum mandatum meum.
D. Cumque illi sociatus fueris, *loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius*, omne negocium ad populum alloquendum illi committens, *& ego ero in ore tuo*, vt ad eum loquaris, *& in ore illius*, vt ad populum & ad Pharaonem sermonem habere valeat: † *& ostendam vobis quid agere debeatis* rebus consulens etiam desperatis-

† Mar. 10.d.10

† Inf. 7. a.2.

ratissimis & difficillimis. *Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum*, officioque oratoris tui fungetur, & erit tibi interpres. *Tu autem eris ei* magister eum dirigens & instruens *in his, quæ ad Deum pertinent*: ita vt tu futurus sis medius inter Dominum & Aaron, Aaron verò medius erit inter te & populum. *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua*
III. *facturus es signa*, ; non solum coram populo, sed etiam coram Pharaone. *Abijt Moyses* obsequens tandem vocationi diuinæ, & accinxit se itineri, *& reuersus est ad Iethro socerum suum*, nolens ex Madian discedere nisi socero prius salutato, exemplum modestiæ cunctis præbens. *Dixitque ei: Vadam, & reuertar ad fratres meos in Aegyptum, vt videam, si adhuc viuant.* Non dixit, vt educam eos de Aegypto iuxta Dei mei mandatum, sed celauit legationem suam, ne forte inuidia commotus Iethro eum detineret, ac præcepti adimpletionem impediret: vel etiam, quia non suam sed Dei gloriam quærebat, quam Iethro satis opportuno tempore visurus erat, sine præcurrente relatione ipsius Moysi. *Cui ait Iethro. Vade in pace.* Benigneque dimisit eum patienter tolerans iacturam proprij pecoris & familiæ, quæ obuentura erat propter absentiam Moysi, amicitiæ officijs sedulò incubentis. *Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian* solito modo alloquendi prophetas, interna scilicet reuelatione. *Vade & re-*
E. *uertere in Aegyptum*: quod secure & absque vllo timore perficere poteris. *Mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam*, vt eam tollerent volentes te occidere. *Tulit ergo Moyses vxorem suam & filios suos*: quia vxor legitima nunquam est derelinquenda nec proles negligenda, nisi certa & specialis vocatio Dei aliud iusserit: *& imposuit eos*
IIII. *super asinum* 4 vnum atque alterum, hoc est super plures asinos: *reuersusque est in Aegyptum, portans virgam Dei in manu sua.* Quæ virga Dei appellatur, quia per eam Deus facturus erat miracula, & manifestaturus gloriam & potentiam suam. *Dixitque ei Dominus reuertenti in Aegyptum. Vide vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua*, præbens tibi facultatem ea operandi, *facias coram Pharaone.* Quod præceptum iterum imponere tibi oportet, vt illud tenacius memoria teneas, nilque prætermittas de his, quæ tibi à Domino iussa sunt ad eius gloriam & magnificentiam manifestandam in Pharaone. *Ego indurabo cor eius* subtrahendo flagella, & alia auxilia, quæ si adessent, Pharaonis animus emolliretur: *& non dimittet populum*, quandiu flagellare cessauero, & auxilia subtraxero, benè tamen dicet, se velle dimittere populum, quando plagas multiplicauero. *Dicesque ad eum* tandem postquam alia plurima ei comminatus fueris. *Hæc dicit Dominus, Filius meus primogenitus Israel* est: filius quidem adoptione, primogenitus autem inter populos, quia nullum populum adoptaui specialiter ante adoptionem populi Israel. *Dixi tibi: Dimitte filium meum, vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum. Ecce ego* tandem post multas alias plagas quas contempsisti, *interficiam filium tuum primogenitum* vt pœnas debitas pro iniusta retentione primogeniti mei luas amissione primoge-
niti tui. *Cumque esset in itinere* Moyses F.
tendēs in Aegyptum, maneretq; *in diuersorio*, ad quod diuerterat pro refectione, vel quiete nocturna, *occurrit ei Dominus*, per ministerium angeli apparentis sensibiliter tam Moysi quam vxori eius in figura hominis armati districto gladio *& volebat occidere eum*: motu enim & actione & verbis præseferebat se velle Moysem interficere, eo quod alterum è filijs suis, quo tempore oportebat, non circuncidisset, contra fœdus Dei percussum cum Abraham, & posteris eius. Quod proculdubio culpabilius videbatur, & vituperabilius in Moyse: is enim mox futurus legislator, & imperator Hebræorum, legem de circumcisione denuo illis sancire debebat. *Tulit illico Sephora* vxor Moysi *acutissimam petram*, & cognoscens præsentia periculi, salutare esse posteris Abrahæ eorum infantes circuncidi, *circuncidit præputium filij sui*, nequid mali pateretur maritus: *tetigitque pedes eius*, prosternens se ad pedes Angeli inuadentis Moysem, vt etiam humili prostratione placaret eum; *& ait*, ad Angelum. Ne irascaris obsecro domine contra maritum meum, sed sufficiat tibi, quod *Sponsus sanguinum tu mihi es*, ç dum cau-
sa existis, quare in posterum sponsus meus V.
mihi sit sanguineus, ita vt non abhorreat à funden

fundendo sanguine filiorum meorum, eo quòd ipse iubeas eos circuncidi. *Et dimisit*
VI. *eum* 6 Angelus, cessauitque persequi Moysen; *postquā* Sephora vxor eius *dixerat, spōsus sanguinum*. Quæ verba dixerat Sephora, non quod vir eius ex iussu Dei, & inspiratione diuina AEgyptium cum Hebræo rixantem interfecisset; sed *ob circuncisio-*
G. *nem*: Quæ cum effusione sanguinis fit. *Dixitque Dominus ad Aaron* interna mentis alloqutione. *Vade in occursum Moysi in de-*
IV *sertum*, ad munus, ad quod ego elegi te. *Qui perrexit obuiam ei in montem Dei*, idest, versus montem Sinai; *& osculatus est eum* in signum lætitiæ, quam prædixerat Dominus habiturum Aaron in occursum fratris. *Narrauitque Moyses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum; & signa, quæ mandauerat*. Quamuis enim Dominus reuelauerit se se Aaron, non tamen indicauit ipsi negotium liberationis, sed remisit eum ad Moysen, vt ex eo disceret, quid esset agendum. *Veneruntque simul, & congregauerunt cūctos seniores filiorum Israel*: quia omnis populus ob maximam multitudinem congregari non potuit. *Locutusque est Aaron* quasi interpres, & minister Moysi *omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen* exercens munus, ad quod elegerat eum Deus, videlicet vt esset os Moysis *& fecit signa coram populo*; illa nempe tria, quorum mentio facta est in principio huius capituli. *Et credidit populus*, prout prædixerat Dominus Moysi, credituros scilicet Israelitas saltem verbo signi posterioris. *Audieruntque*, & assensum intus corde præbuerunt, *quòd visitasset Dominus filios Israel* prouidendo de redēptore ipsorū, *& quod respexisset afflictionem illorum* volēs eos à captiuitate eripere. *Et proni adorauerunt* incuruantes se, & gratias agentes Deo.

ANNOTATIONES IN CAP. IIII.

I. *Quinque defectus linguæ habuit Moyses.* NON *sum eloquens.*] Ex lectionum huius loci varietate conijcere licet quinque fuisse Moysis circa linguam, & sermonem vitia, siue defectus, quibus naturaliter laborabat. Primo enim erat (vt vulgo dicitur homo) paucorū verborum; id autem est dicendi ieiunus, & inops; hoc enim indicat lectio Hebraica, & Chaldaica, quæ pro eo quod nos legimus, Non sum eloquens, habet, Non vir verborum, vel sermonū ego sum. Secundo erat rudi & incondito, ineleganti que sermone; quod significat Latina lectio, secundùm quam Moyses dixit; Non sum eloquens. Tertio erat tardus ad loquendum, nō promptè verba proferens: quod significarunt Latinus & Græcus interpretes dicentes paulò inferius fuisse eum tardum linguæ: & textus Hebraicus dicit, cum grauiore: & paraphrasis Chaldaica vocat eum hominem profundæ linguæ. Quarto erat gracili admodum exilique voce: quod expressè habet Græca translatio editionis Romanæ. Ac tandem non rectè pronuntiabat, nec bene proferebat aliquas literas, seu voces; quod vulgata editio ostendit dicens inferius eum fuisse impeditioris linguæ. Propter quos defectus linguæ, ac sermonis Moyses postea, vt traditur infra capite sexto vocauit se incircuncisum labijs. Cur autem Deus, qui Moyse vsurus erat ad tantæ legationis functionem, voluit eum voce gracili, impedita lingua, & rudi sermone præditum esse, respōdet Theodoretus diuino id esse factum consilio, vt prodigia, & miracula, quæ Moyses erat facturus, & admiranda Hebræorum liberatio non Moysis eloquentiæ, sed Dei solius præsentiæ tribueretur. Quā etiam de causa Christus Dominus Apostolos futuros Ecclesiæ fundatores, doctoresque hominum elegit piscatores, vt mundus intelligeret, quod stultum est Dei, sapientius esse cunctis hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius esse omnibus hominibus. Adijcē quòd si Moyses, ad omnia sibi ipsi sufficiens, & idoneus fuisset, nec alienæ indiguisset opis, periculum fuisset, ne philautia captus per animi elationem incideret in superbiam. Ad eius itaque mentem in modestia, & humilitate custodiendam vtile fuit, vt indisertus & impeditus lingua esset, atque alienæ indigeret præsidio eloquentiæ.

Defectus quosdam permittit Deus in suis electis.

II. *Moyses petyt à Deo aduentum Messiæ.* MITTE *quem missurus es.*] In his verbis allusisse videtur Moyses ad verum & vniuersalem omnium Redemptorem, ignorans quòd ipsum præcedere deberet typicus & figuratiuus redemptor. Nam ipsum perfectum liberatorem fidelium à sanctis expectatum Moyses tum diuino lumine illustratus, tum ex Dei promissis Abrahæ, & Iacob datis venturum præno uerat; nec tamen se in ipsius figuram præcessurum sciebat. Vnde auebat illum statim perfecta redemptione occurrere, si Domino placuisset. Ita docent complures veterum doctorum: sed præcipuè Iustinus Martyr, & Tertullianus, & Cyprianus, & Eusebius in his, quæ scripserunt aduersus Iudæos: Et Basilius super cap. 6. Isaiæ circa illa verba. Ecce ego, mitte me; & etiam Rupertus noster lib. 1. in Exodum capite decimo octauo. Sed contra hoc videtur esse, quòd Moyses quando interfecit AEgyptium, existimabat, quòd intelligerent Israelitæ se constitutum esse á Deo illorum saluatorem, vt dictū est sup. cap. 2. & habetur Acto. cap. 7. Quid ergo tan-

go tantopere renuebat Moyses officium istud liberandi populũ Israel, & cur ad illud Messiã postulabat. Respondeo quòd forte Moyses etiã sibi huiusmodi reuelatione adhuc ignorabat, an Deus infallibili decreto ac voluntate absoluta decreuisset, vt ipse educeret filios Israel de AEgypto nec ne: & ob hanc causam mira sua humilitate commotus, vt munus tam arduum Deus ab illo auferat, precatur, exemplum præbens alijs, quàm anxiè onus prælatiæ recusare debeant.

III. *Virga instrumentum miraculorũ*

IN QVA facturus es signa.] Poterat quidẽ Deus conferre Moysi, vt sine virga faceret miracula; sed maluit quòd mediante virga illa operaretur ad hoc, vt sensibiliter cognoscerent homines, ipsum Moysem facere miracula vidẽdo q. eleuata seu applicata virga per manũ Moysi, sequebãtur statim miracula. Naturale si quidẽ est homini per sensus duci in notitiã intelligibilium, quã prouidentiæ suauitatem obseruauit Deus in institutione sacramentorum tam antiquæ legis, quàm nouæ.

IIII. *Singularis numerus pro plurali.*

SVPER Asinum.] Hebræo more multitudinem asinorum vocat asinũ: quo genere locutionis passim vtitur scriptura, vt auctor est D. Augustinus super Psal. 78. & patet Psal. 77. Misit in eos cynomyiam, & comedit eos, & ranã; & disperdidit eos, & cætera. Cùm certẽ nec vna musca canina, nec vna rana, nec vna sola locusta immissa fuerit. Imò etiàm in lingua Latina disertissimi eloquentiæ auctores eodẽ loquendi modo vsi sunt, vt apud Maronem. Vterumque armato milite complent, pro armatis militibus.

V. *Sponsus sanguinũ quis dicatur.*

SPONSVS sanguinum tu mihi es.] Quòd verba ista non ad Moysen nec ad filium eius tunc temporis circuncisum referri debeant, sed ad Angelum, cui Sephora huiusmodi verba protulit ad placandum eũ, colligitur, tũ ex editione Chaldaica, quę difficiliũ locorũ est semper diligẽs enodatrix; tũ ex editione septuaginta interpretũ. Iuxta quorũ sententiã videtur prædicta verba nullatenus posse cõmodius interpretari, quã intelligẽdo illa causaliter, prout in paraphrasi fecimus: Moris enim est scripturæ sacræ nomen effectus imponere causæ, vt in Psal. 26. Dominus illuminatio mea, & salus mea, hoc est Dominus illuminationis & salutis meæ causa existit, & Ioannis 1. Vita erat lux hominum, idest, causa lucis hominum.

VI. *Angelus non Sephora dimisit Moysen.*

ET dimisit eum.] Nempe Angelus Moysen; ita vt verbũ, dimisit, necessariò ad Angelum referatur. Nã pro dimisit habetur in Hebræo Vaireph futurum masculinum à Rapha, quod propter vau fit præteritum masculini generis: & nullo modo ad Sephoram, vt existimat Lyranus, accommodari potest. Vnde septuaginta sic transtulerunt, Et abijt ab eo Angelus. Et itidem locum hunc exposuit Diuus Augustinus quæstione vndecima in Exodum. Nec valet replica Correctorij contra Burgensem defendentis Nicolaum de Lyra in eo quod dicit potuisse vtrumque stare, & quod Sephora dimiserit Moysen, & quod Moyses remiserit Sephoram. Moyses quippe sentiens iram vxoris, & voluntatem dimittendi eum, non reliquit eam solam vagari cum filijs suis reuertendo in terram Madian: sed assignauit familiam reducentem; & sic remisit eã, ne pateretur eius iurgia, & vt esset in negotio commisso expeditior. Hæc enim omnia absque ratione dicuntur, & contra germanum literæ sensum, & oppositũ Hebraicæ veritati; quæ vt vidimus vtitur verbo respiciente genus masculinum.

ARGVMENTVM IN CAP. V.

¶ Moyses & Aaron apud Pharaonem Dei legatione funguntur, quam impius Rex perfidè cõtemnens grauius premit Israelitas ad Dominum vociferantes, à quibus Moyses & Aaron incusantur, quòd eorum causa Pharao magis exosos haberet filios Israel.

PARAPHRASIS IN CAPVT V.

A. POST *hæc ingressi sunt Moyses & Aaron*, vel quòd is subrogatus est quoad legationem loco seniorum, quos ordinauerat Dominus prius, vt ingrederentur vna cum Moyse ad Regem AEgypti; vel etiam cum Moyse & Aaron ingressi sunt seniores Israel, quamuis hic illorum non fiat mentio; *& dixerunt Pharaoni*, cui proprium & peculiare nomen erat Cenchres. *Hæc dicit Dominus*, qui, eò quòd illi interest specialis cura populi Israel, & ab eo colitur, vt Deus Iudex, propterea dicitur, & est *Deus Israel, Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi* oblationes & hostias offerens *in deserto*, scilicet extra AEgyptum. *At ille* superbia elatus *respondit. Quis est Dominus, vt audiam* parendo & obsequendo *vocẽ eius, & dimittã Israel? Nescio Dominũ, & Israel non dimittã.* Erat quippe Pharao atheus, putans nec à Deo regi, nec ab eo factũ esse, vel quia cum plurimos Deos ritu AEgyptiorum coleret, non putauit vnum aliquẽ certum

certum Deum sibi admodum esse reuerendum, aut timendum, vel tandem dixit se nescire Dominum, non quòd significaret se absolutè, ac simpliciter nescire Deũ, sed quòd nesciret, quis esset Deus Hebræorum, qui sibi tanta authoritate imperaret, vt Hebræos dimitteret. *Dixerũtq;* vlterius Moyses & Aaron: *Deus Hebræorum* (cui ab antiquo, priusquam Israel gigneretur, ab Abraham Hebræorum primo & parente, cultus est exhibitus) *vocauit nos* factus nobis obuiam, præcepitque, *vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne fortè accidat nobis,* in pœnam omissionis, *pestis aut gladius.* Ideo autem tam breue temporis spatium nobis præfixit Deus, ne suspicemini nos de fuga tractare, nec ad illud denegandum possitis aliquod excusationis genus prætendere. *Ait ad eos rex AEgypti. Quare Moyses & Aaron solicitatis* seu vacare facitis, & auertitis *populum ab operibus suis?* Sinite igitur falsas apparitiones & confictas persuasiones, quibus populum ab operibus auocatis, & tam vos, quàm comites, vestri *ite ad onera vestra*, terreni videlicet laboris. *Dixitque Pharao* illis, quibus incumbebat cura operis Hebræorum. *Multus est populus terræ, videtis quòd turba succreuerit,*
I. *quantò magis* indies succrescet, ac multiplicabitur, *si dederitis eis requiem ab operibus?* Existimabat enim Pharao ob quietem corporalem fœcundiores reddituros Israelitas. *Præcepit ergo in die*
B. *illo præfectis operum & exactoribus populi*, quorum vtrique erant AEgyptij à Pharaone constituti, & eis subdebantur præpositi illi filiorum Israel ex genere Hebræorum, qui inferiùs referuntur flagellati. His ergo præcepit Pharao dicens. *Nequaquam vltra dabitis paleas populo*, quarum admistio, quo tenacius fiat opus, necessaria est *ad conficiendos lateres, sicut prius* præbebatis illas: *sed ipsi vadant & colligant stipulas, & mensuram laterum, quàm prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quicquam*, vt non solum luto, sed paleis stipulisque colligendis afflicti Iudæi contabescant, & sileant. *Vacant enim, & otio* resoluuntur mediocribus tantum oneribus intendentes: *idcirco vociferantur dicentes: Eamus & sacrificemus Deo nostro*, sub prætextu religionis pigritiam appetentes. *Opprimantur operibus, & expleant ea, vt non acquiescãt verbis mendacibus*, qualia sunt verba Moysis & Aaron. *Igitur egressi præfecti operum & exactores ad populum dixerunt. Sic dicit Pharao. Non do vobis paleas*, à nec daturus sum vobis II.
illas, quæ de regia domo seu publicis impẽsis dari consueuerant. *Ite, & colligite, sicubi inuenire poteritis, nec* tamen siue inueniatis paleas, siue non, *minuetur quicquam de opere vestro*: sed exigetur à vobis decretus quotidie numerus laterum sine clementia. *Dispersusque est populus per omnem terram AEgypti ad colligendas paleas*: Ita vt iam tunc primum inciperent res Israelitarũ in peiori statu esse, quàm vnquam in AEgypto fuerint. *Præfecti quoque operum*, & exa- C.
ctores *instabant, dicentes. Complete opus vestrum quotidie, vt prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ*: tunc ergo maximè populus Dei affligebatur, cum propinqua erat illi salus ac liberatio. *Flagellatique sunt* præpositi Hebræi, *qui præerant operibus filiorũ Israel*, quando integrum numerum laterũ pensum diurnum non offerebant, *ab exactoribus Pharaonis*, & præfectis regijs, qui AEgyptij erant, *dicentibus, Quare non impletis mensuram laterũ sicut prius, nec heri, nec hodie?* Contra rationem quippe & omnẽ humanitatem de industria exigebant opus factu non possibile, vt occasio haberetur eos durissimè affligẽdi. *Veneruntque præpositi filiorum Israel* sperantes clementiam impetrandam à rege: solent enim reges præfectis esse clementiores. *Et vociferati sunt ad Pharaonem* cum clamore magno & miserabili, vt regem flecterent ad pietatem *dicentes. Cur ita agis contra seruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur. En famuli tui flagellis cædimur, & iniuste agitur contra populum tuum.* Proponunt pœnam illatam, proponunt & culpam nullam, eò quòd impossibile exigatur; vt hinc iniustitia manifesta appareret; Nec tamen propter hoc remissionem aliquam inuenerunt apud Pharaonem. *Qui ait. Vacatis otio*, quamdiu nimios labores, & importabilia onera recusatis: *& idcirco dicitis; eamus & sacrificemus Domino. Ite ergo & operamini: paleæ nõ dabũtur vobis, & reddetis cõsuetũ numerum laterum.* Iubentur itaq; id ipsum subire onus sine indulgentia, quod causati vt grauissimum fuerant. *Videbantque se præpositi filiorum Israel in malo*

 conie-

coniectos, ac deprehenderunt se ipsos in grauissimis angustijs constitutos, *eo quòd diceretur eis: Non minuetur quicquam* operis *de lateribus per singulos dies.* Vbi enim clementiam impetrandam sperabant, ibi acerbius mandatum inuenerunt. *Occurreruntque Moysi & Aaron, qui stabant ex aduerso*, hoc est in occursum & è regione eorum: Moyses enim & Aaron certo in loco expectabant regressum præpositorum filiorum Israel à rege, vt intelligerent, quidnam cum eis esset actum. His ergo occurrerunt ipsi præpositi *egredientibus à Pharaone, & dixerunt ad eos: Videat Dominus, &* cognita causa *iudicet* de vobis vindictam sumens. *Quoniam foetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius.* Sicut enim odor foetidus odio haberi solet, ita vitam nostram exosam & abominabilem reddidistis Pharaoni: *& præbuistis ei gla-*
III. *dium,* 3 *vt occideret nos.* Nam fuistis causa, vt Pharao multiplicaret opera & labores nostros vsque ad interitum. *Reuersusque est Moyses ad Dominum* mente orando, *&* supplicando, vtpote à quo missus fuerat, admirans *ait. Domine cur afflixisti populum istum?* ex occasione enim tuæ legationis, & petitionis ad Pharaonem, maior Hebræorum excitata est afflictio, etiam si præter consilium, & voluntatem tuam illa euenerit. *Quare misisti me?* Non ne vt erueres populum tuum ex afflictione AEgyptiaca, & vt liberares eos? Sed ecce non præstas, imò in dies magis magisque exasperatur in nos tyrãnus: *ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum,* quem antea non multum affligebat, *& non liberasti eos.* 4 Hoc autẽ dicebat Moyses, IIII.
quia nõ prędixerat ei Deus multiplices causas, ob quas afflictionẽ populi augeri oportebat, quò propius Israelitæ aberant à liberatione è seruitute AEgyptiaca.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

I. *Interfectio infantium parũ durabit.*

MVLTIPLICATVS est populus terræ.] Hinc apparet abrogatum fuisse edictum de exponendis infantibus, quod alius rex AEgypti prædecessor huius Pharaonis promulgauerat tempore natiuitatis Moysi, alioquin non tantum succreuisset populus Israel, nec redijsset Pharao ad primum remedium opprimendi populum oneribus, quo eius prædecessor visus fuerat.

II. *Præsens pro futuro.*

NON do vobis paleas.] Hebraismus est, pro non dabo vobis posthac paleas: nam in lingua hebraica solet poni præsens pro futuro, vt hic & Luc. cap. 1. Quoniam virum non cognosco, idest, non cognoscam. Quæ phrasis inferius exponitur, quando repetens eandem sententiam Pharao inquit: Paleæ non dabuntur vobis.

III. *Gladius pro omni eo quod torquet.*

PRAEBVISTIS ei gladium.] Causam multiplicationis laborum vocant Israelitæ gladium; quia quidquid pungit, & percutit, & torquet, & cruciat, secundùm phrasim Hebraicam gladius appellatur: vt autor est Diuus Hieronymus super Isaiam capite 66. & probat tum ex loco isto, tum etiam ex illo Amos cap. vlt. In gladio morientur omnes peccatores: vbi per gladium intelligit propheta omnia genera pœnarum, quibus vulnerabuntur, siue interficientur, qui Dei non fecerint voluntatem.

IIII. *Causæ afflictionis Israelitarum in AEgypto.*

ET non liberasti eos.] Causæ ob quas passus est Deus, vt Hebræi, quo propius aberant ab egressu ex AEgypto, & à liberatione ex seruitute AEgyptiaca, eo magis affligerentur ab AEgyptijs, multiplices sunt. Primum, vt Deus iustiorem haberet causam castigandi AEgyptios ob tantam eorum inhumanitatem & crudelitatem. Tum quo maiorem, ac illustriorem haberet occasionem declarandi potentiam suam tot & tantis in AEgypto edendis prodigijs. Deinde quo maiori odio & detestatione AEgyptiorum conuersationem, moresque, ac superstitiones prosequerentur Hebræi. Ad hæc quò ardentius cuperent egredi ex AEgypto, & venire in terram promissionis; nec vnquam cupido eos incesseret regrediendi in terrã AEgypti; vbi tantis perfuncti malis fuerant. Nam si tot & tantis calamitatibus in AEgypto afflicti, & contriti, nihilominus tamen postea sæpius in AEgyptum regredi voluerunt, vt videre licet in hoc ipso libro inferius cap. 14. & in libro Numero. cap. 11. 14. & 21. quid eos facturos esse putamus, si antea in AEgypto cõmodè, iucundè, prospereque vixissent?

ARGVMENTVM IN CAP. VI.

¶ Consolatur Dominus Israelitas spe terræ Chanaan, quæ iam iam eis tradi oportebat: vt pote quòd iam aduenisset tempus, in quo Deus

Digitized by Google

Deus statuerat promißionem patribus antiquis factam opere complere: & quia id peragere decreuerat Deus per Moysen & Aarō tanquam per excellentissima suæ potentiæ instrumenta, vt eorum honorificum genus agnoscatur, recensentur Simeonis, Ruben, & Leui Genealogiæ vsque ad Moysen & Aaron ac huius filios.

PARAPHRASIS IN CAPVT VI.

A. D*IXITQVE Dominus ad Moysen. Nūc* cito & absque vlla dilatione *videbis, quæ facturus sum Pharaoni. Per manum enim fortem* (non ipsius Pharaonis sed Dei) *dimittet eos* dum coactus magna vi, plagis magnis, & ingentibus, non solum dimissurus est Hebræos, sed *& in manu robusta*, qua occidam primogenitos, compulsus *eijciet illos de terra sua*: ita vt tandem festinatò cogat abscedere, quos nullo pacto voluerat dimittere precantes. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens. Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipo-*
I. *tente*, 1 me eorum mentibus omnipotentem exhibens, & declarans mihi abunde esse diuitiarum, vt illos diuites redderem, in eo quòd terram Chanaan, & alia quam plurima bona illis sum pollicitus.
II. Tamen *& nomen meum Adonai* 2 seu Iehoua, quod significat eum, qui est, & aliquid esse facit, *non indicaui eis*, prout tibi indicabo: cui in nomine Iehoua cognitus ero. Videbis enim me id facere quod nomen istud meum sonat, nempe facientem esse, hoc est, quod pollicitus sum præstantem: patres enim antiqui promittentem me illis terram Chananæorum audierunt; & in ea promissione omnipotentem crediderunt; sed opere promissa complentem non viderunt, quemadmodum tu & tui temporis homines visuri sunt. *Pepigique fœdus cum eis*, cuius fœderis vna quædam pars fuit, *vt darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ*. Nunc igitur promissi debitorem me iure teneri consentio. *Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo AEgyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei*, gerens me ad modum eius, qui illius rei dicitur recordari, quam incipit opere complere: nec enim me oblitum esse ostendi, quando te misi seruum meum, & Aaron & posui in vobis verba signorum meorum. *Ideo dic filijs Israel. Ego Dominus, qui* loquor in veritate & veracitate, quæ conuenit mihi summo Deo, *educam vos de ergastulo AEgyptiorum*, qui est locus, vbi captiui laborare, & operari coguntur: *& eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso*, & quasi extento ad percutiendum aduersarios, *& iudicijs magnis*, quibus ad supplicia grauissima con-
demnabo AEgyptios. *Et assumam vos mihi in populum*, non solum ratione spe- B.
cialis curæ, quam de vobis geram, sed etiam, quia ego ero vobis præmium & merces; *& ero vester Deus*: vos enim coletis me vt iudicem & gubernatorem vestrum. *Et scietis* ipso rei euentu & experientia, *quòd ego sum Dominus Deus vester, qui* occisis primogenitis & submerso Pharaone in mari Rubro, *eduxerim vos de ergastulo AEgyptiorum*: vbi filij Israel in luto & latere operari compellebantur, *& induxerim in terram, su-*
per quam leuaui manum meam 3 ac per III.
memetipsum † iurando promisi, *vt da-* † Genes. 21.c.16.
rem eam Abraham, Isaac, & Iacob, seu eorum filijs & posteritati: *daboque illam vobis possidendam ego Dominus*: nisi per vos stet, ac indigni eiusmodi habitatione reddamini peccatis vestris. *Narrauit ergo Moyses omnia*, quæ præceperat illi Deus, vt diceret *filijs Israel, qui non acquieuerunt ei* consolanti & exhortanti illos ad sperandum in Domino Deo suo: eorum tamen rebellio & perfidia fuit aliqua excusatione digna, *propter angustiam spiritus & opus durissimum*:

Adeò enim oneribus affligebantur, vt præ pusillanimitate vix possent spiritum trahere. *Locutusque est Dominus ad Moysen* semper & fortiter perseuerātē in legatione sua *dicens. Ingredere, & loquere ad Pharaonē regem AEgypti, vt dimittat filios Israel de terra sua.* Tanta enim est Dei clementia, vt antequam immittat plagas, semel atque iterum, imo pluries impios præmoneat, vt malum instans effugere studeant. *Respondit Moyses coram Domino*, hoc est, ipsi Domino, *Ecce filij Israel*, qui sunt de populo tuo & propinqui mei, *non audiunt me* nec acquiescūt mihi, *& quomodo audiet Pharao*, qui semper nobis aduersatur, *præsertim cū incircuncisus sim labijs*, idest, cum habeat labia parum expedita ad orationis prolationem? Cæterum quanto se minus idoneum putat Moyses, tanto fit Domino promouente & volente aptior. Humilibus enim gratiam largitur, & super humiles requiescit spiritus, & super trementes ad verbum [illegible] ei. Vnde confirmans legationem

C.

eius, iterum mittit illum ad Pharaonē. *Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron & dedit mandatum* eis, qualiter se gerere deberent in ordine *ad filios Israel*: vt scilicet consolarentur, & confortarent eos, *& ad Pharaonem regem AEgypti*; vt comminarentur ei pœnas, & plagas grauissimas infligendas, si nollet audire eos. Quo peracto futurum erat Moysi & Aarō, *vt educerent filios Israel de terra AEgypti*. Vt autem sciatur, quinam fuerint Moyses & Aaron, per quos ingens hoc negotium redemptionis Israeliticæ gentis Deus erat operaturus, oportet recensere familias filiorum Israel, quousque eas sigillatim enumerando peruentum sit ad primogenitores Moysi & Aaron. † *Isti sunt* igitur ex vniuersis filijs Israel *principes domorum per familias suas. Filij Ruben primogeniti Israelis, Enoch, & Phallu, Esrō, & Charmi. Hæ cognationes Ruben.* † *Filij Simeon, Iamuel, & Iamin, & Ahod, & Iachin, & Soar, & Saul filius Chananitidis. Hæ progenies Simeon; Et hæc nomina filiorum Leui per cognationes suas, Gerson, & Caath, & Merari.* Et has quidem iam alibi scriptura recensuerat: sed restat modo inuestigare familias horum trium filiorum Leui; nam ex vna illarum nati sunt Moyses & Aaron. *Anni autem vitæ Leui* tertij filij Iacob *fuerunt centum triginta septem*; nescitur tamen quonàm illorum genuerit vnumquenque filiorum suorum, quorum primogenitus fuit Gerson. † *Filij Gerson, Lobni, & Semei per cognationes suas*, hoc est vna cum cognationibus seu generationibus suis. *Filij Caath Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel. Anni quoque vitæ Caath centum triginta tres. Filij Merari, Moli, & Musi. Hæ cognationes Leui per familias suas*, hoc est, Hi sunt filij geniti à Leui, vna cum illis, quos & ipsi genuerant. *Accepit autem Amram vxorem Iochabeth patruelem suam.* 4

† Gene. 46. b. 9. Num. 26 a. 5. 1. Par. 5. a. 1.

† 1. Par. 4. d. 24.

† 1. Par. 6. a. 1. & 23. a. b. Num. 3. c. 17. & 26. g. 57 1. Par. 6. a. 2. & 23. b. 12.

IIII.

Quæ patruelis erat ex parte matris, amita vero ex parte patris. Erat enim soror patris Amram, & etiam filia cuiusdam sororis matris ipsius Amram: *quæ peperit ei Aaron, & Moysen & Mariam.*

D.

Fueruntque anni vitæ Amram centum triginta septem. Filij quoque Isaar secundi filij Caath fuerunt *Chore, & Nepheg & Cethri. Filij quoque Oziel, Misahel, & Elisaphan, & Sethri. Accepit autem Aaron vxorem Elisabeth filiam Aminadab sororem Naasson* de tribu Iuda: nondum enim præceptum erat, vt quisque de tribu sua vxorem acciperet, nec confusio sortium, postea euitanda, imminebat, quominus Aaroni nuberet Elisabeth, *quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar*: quorum vltimi duo successerunt primis in sacerdotio. *Filij quoque Chore Aser, & Helchana, & Abiasaph. Hæ sunt cognationes Choritarum.* Et fit earum specialis mentio † propter Schisma Choritarum contra Aaron & Moysen, & inde subsequutam vltionem, quæ postea referri debet. *At verò Eleazar filius Aaron*, & eius successor in summo Sacerdotio, *accepit vxorem de filiabus Phutiel, quæ peperit ei Phinees*: cuius non erat omittenda genealogia, cum in sequentibus fiat maximè honorifica commemoratio illius. *Hi sunt principes familiarum leuiticarum per cognationes suas.* Debuit autem specialis mentio fieri istorum, quia sacerdotium, & administratio diuinorum cultuum soli tribui Leui commendandum erit; & etiam vt magis distincta notitia habeatur Moysis & Aaron, qui eduxerunt filios Israel de AEgypto. *Iste est Aaron*, iuxta natiuitatis ordinem prior nominatus, *& Moyses, quibus præcepit Dominus, vt educerēt filios Israel de terra AEgypti per turmas suas.* Quod quidem cum tanta animi magnitudine perficere aggrediūtur, vt au-

† Num. 16. b. 12

Digitized by Google

vt audeant legatione fungi ad immanissimum regem. *Hi sunt, qui loquuntur, ad Pharaonem regem AEgypti.* Idque vt assequantur rem tam regi quàm toti AEgypto maximè inuisam, & exosam scilicet, *vt educant filios Israel de AEgypto.* Cuius negotij grauitas tanta est, vt digna maximè sit illam ad omnipotentis Dei gloriam iterum atque iterum referre. *Iste est Moyses* primus à Domino vocatus, & dux populi constitutus, *& Aaron* frater eius, qui hæc omnia præstiterunt, *in die qua*, seu in tempore quo *locutus est Dominus ad Moysen in terra AEgypti* super eductione populi Israel de terra illa. *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens. Ego Dominus* sum omnipotens, qui præcipio tibi quid agere oporteat; vnde non est cur de vlla re timore aliquo concuti debeas. *Loquere ad Pharaonem regem AEgypti omnia quæ ego loquor tibi.* Dabo enim tibi os & sapientiam, cui non poterit resistere Pharao. *Et ait Moyses coram Domino* hoc ipsum, quod superius iam semel fuerat enarratum, debet tamen iterum repeti, quo commodius diuinum responsum inseri valeat: dixit ergo ad Dominum. *En incircuncisus labijs sum,* rudis in loquendo, & ineptus, *quomodo audiet me Pharao* auribus cordis? nec enim illum persuadere potero, vt tibi obtemperet, & populum dimittat.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

I. *Omnipotens est vnũ ex proprijs Dei nominibus*

IN Deo omnipotente.] Hebraismus est: quasi dicens, vt Deus omnipotens: vnde septuaginta sic vertunt, Deus existens eorum. Iuxta quem modum loquendi dicitur in Psalmo 68. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, idest tanquam multum misericors. Animaduertendum est tamen quod pro in Deo omnipotẽte Hebraice legitur, Beel Saddai, nempè duo Dei nomina, quæ si latine velis transferre diceres in Deo Deo. Verum doctus interpres vt repetitionem vitet alterum transfert Deum, alterum per nominis eiusdẽ significationem & virtutem designat, scilicet omnipotentem. Quod autem Deus reuelatus fuerit antiquis patribus sub nomine omnipotentis patet. Nam Genes. 17. Dixit ad Abraham. Ego sum Dominus Deus omnipotens, ambula coram me & esto perfectus: sic & Isaac bene dicens Iacob ait Genes. 28. Deus autem omnipotens benedicat tibi. Abraham quoque Genes. 14. dixit Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli & terræ: & loquens Deus ad Iacob Genes. 35. inquit, Ego Deus omnipotens. Deus igitur non manifestauit se antiquis patribus ita clarè & distinctè, ac copiose, sicut manifestauit se Moysi. Antiquis enim patribus notum se fecit tanquam potentem dare terram promissionis, & alia quam plurima bona: Moysi vero tanquam volentem se actu illa præstare, & opere exhibentem. Vnde ex isto loco Exodi colligit D. Gregorius homil. 16. super Ezechiel. cognitionem Dei ab initio mundi per gradus procedendo noua sumpsisse incrementa: maiorem enim fuisse in Moyse, quàm in Abraham, Isaac, ac Iacob ex hoc ipso loco Exodi elicitur: maiorem porro fuisse in Dauide, quam in Moyse habetur in Psal. 118. vbi ipse Dauid ait: Super omnes docentes me intellexi. Et iterum: super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. Multo denique maiorem fuisse in Apostolis, quàm in prioribus patribus veritas ipsa dixit Lucæ 10. Multi reges & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & audire quæ vos auditis; sed non viderunt. Plus ergo quàm priores de diuina scientia nouerunt posteriores.

II. *De excellẽtia nominis Tetragramatõ Iehoua.*

ET nomen meum Adonai nõ indicaui eis.] Sic habet & Chaldaica. In Hebræo autem legitur Vsmi Iehoua lo nodaetti lahem. Et nomen Iehoua non indicaui eis, vel, At in nomine meo Iehoua non fui notus, vel non sum cognitus illis. Non est autem, vt vides, nomen Adonai in Hebræo, sed Interpres Hebræorum morem secutus est: qui nomen illud diuinum Tetragrammaton non sua voce ob illius reuerentiam, sed aliena pronuntiant, scilicet Adonai. Ideo etiam septuaginta per aliud nomen ipsum expresserunt scilicet Kyrios; idest, Dominus. Dicitur autem nomen hoc Dei Iehoua sacrum & ineffabile, non quòd vox ipsa exprimi non possit, cum certis constet literis & vocalibus, & à Pharaone homine iniquissimo expressa fuerit: sed vel quòd Dei natura maximè per ipsum nomẽ significata, à nulla creatura exprimi possit, cùm sit infinita: vel etiam quia, vt inquit D. Dionys. in lib. de diuinis nominibus capitulo septimo, solenne est theologis passione reciproca in Deo, quæ sunt priuationis, asserere. Atque ita inuisibilem aiunt sanctæ literæ clarissimam lucem, præsentemque omnibus, & quod inuenitur ex omnibus, cognosciturque incõprehensibilem, atque inuestigabilem dicunt; sic ergo nomẽ Iehoua significans, qui est, dicitur ineffabile, quia multis modis dici & explicari potest; quatenus ex rebus creatis & ex earum gubernatione & prouidentia facile cognoscitur, quod Deus sit. De huius nominis significatione dictum est supra cap. 3. annotat. 5.

III. *Leuare manum pro iurare.*

LEVAVI manum meam.] Sæpe in sacris literis per leuare manũ significatur id ipsum quod est iurare, vt ex hoc loco & ex alijs confirmauimus supra Gene. cap. 13. annotatione vltima. Difficultas tamen est, an in sacris literis constet de tempore, quo patribus antiquis fuit præstitum iuramentum de danda illis terra Chanaan in possessionem. Et respondetur affirmatiuè: nam Genesis cap. 22. dicitur Deum

per semetipsum iurasse Abrahæ in præmiũ obedientiæ, qua paratus fuit immolare filium suum Isaac, quòd semen eius possideret ciuitates inimicorum suorum: quæ verba prout diximus in illorum paraphrasi intelligenda veniunt de ingressu filiorum Israel in terram Chanaan.

IIII. *Iochabeth fuit amita & patruelis Amram.* IOCHABETH patruelem suam.] Quòd ista Iochabeth fuerit consobrina Amram mariti sui apertè docet scriptura hic, nec ad veritatem istam infringendum licitum est viro catholico recurrere ad alias trãslationes, nec etiã ad literam hebraicam prout recurrunt Burgen. sup. Exod. cap. 2. additio. 1. & Caietanus hîc; cùm veritas editionis vulgatæ omnino sit irrefragabilis; præsertim quòd dictio Dodatho, quæ habetur in Hebræo, loco vocis Latinæ patruelem, non solùm amitam, sed etiam patruelem fœminam solet significare; descendit enim à dictione dod, quæ interdum significat patruum, interdum patruelem indifferenter siue masculum siue fœminam. Præterea etiam certũ est, quidquid dicat Lyranus, eãdem Iochabeth fuisse filiam Leui, & sororem carnalem Caath patris Amram, cum Num. cap. 26. sic legatur: Caath genuit Amram, qui habuit vxorem Iochabeth filiam Leui, quæ nata est ei in AEgypto. Quamuis enim interdum in sacris literis neptis vel proneptis dicatur filiæ aui vel proaui (vt de Elisabeth matris Ioannis Baptistæ dicitur Luc. 1. Quòd erat de filiabus Aaron, quam tamen Aaron non genuit) cæterum de Iochabeth non solum dicitur, quòd erat filia Leui, sed etiam quòd nata est ei in AEgypto: quibus verbis adeò perspicuè ostenditur eam esse filiam proximam Leui, vt nullis alijs id clarius ostendi potuisset. Vnde vt vtraque veritas firma consistat, nempe quòd Iochabeth fuerit patruelis Amram, & etiam eius amita, dicendum est, quòd Leui (vltra primam vxorem, quam habuit) & Caath filius eius vxores duxerunt duas sorores, ex quarum vna Leui post plures annos quibus demoratus fuerat in AEgypto genuit filiam Iochabeth, ex altera verò sorore Caath genuit filium Amram; quo factum fuit, vt Iochabeth fuerit viro suo Amram non solum patruelis, sed etiam amita: neque enim tunc temporis data erat lex quæ postea Leuitici cap. 20. prohibuit contrahere matrimonium huiusmodi consanguineos: & sic omnia consonant.

ARGVMENTVM IN CAP. VII.

¶ Edit signa Moyses coram Pharaone in testimonium suæ legationis conuertens virgam in colubrum, ac iterum ex colubro virgam efficiens: & prima plaga ferit Ægyptios, omni aqua in sanguinem conuersa. Cæterum conspiciens Pharao incantatores suos alia signa prædictis similia efficere potuisse, induratus recusat dimittere populum Israel.

PARAPHRASIS IN CAPVT VII.

A. DIXITQVE *Dominus ad Moysen*, postquam ipse excusauerat se ab officio legationis prosequendæ, tùm quòd Pharao non esset eum auditurus, tũ quòd ipse esset incircuncisus labijs, respondens quod primum. *Ecce constitui te Deum Pharaonis* per participationem quandam diuinæ potẽtiæ, per quã Pharao te quasi Deũ quendam formidabit: adeò enim potentia mea plenus eris vt cõtra Pharaonem & omne robur immundorum spirituum, qui Pharaoni & AEgyptijs fauent, præualere queas. Quod & ipsi Pharaonis magi palàm confitebuntur dicentes virtutem, quæ in te est, digitum Dei esse: ne etiam causeris te incircuncisum esse labijs, nam *& Aaron frater tuus erit propheta tuus*: sicut ego enim ostendo prophetis meis quæ facturus sum, & illi deinde manifestant & denũciant popopulo, Ita similiter † *tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonẽ vt dimittat filios Israel de terra sua.* † Sup. 4. d. 15. Cæterum nõ statim acquiescet vobis Pharao: *Sed ego indurabo cor eius* sustinẽs malitiã suã & sinẽs illũ operari iuxta prauitatẽ cordis sui, quo durior & minus flexibilis fiet. Vnde eueniet, vt *& multiplicabo signa* non solum illa, quibus alia aliquatenus similia efficient magi Pharaonis, sed *& ostenta mea in terra AEgypti*, ita miraculosa & prodigiosa, vt nec ab ipsis magis valeant imitari: *& non audiet vos*, nec acquiescet Pharao quamuis

Digitized by Google

quamuis hæc omnia videat. *Immittamque*
I. *manum meam super Ægyptum* 1 percutiẽs
& affligens eum plagis magnis, *& educam*
exercitum & populum meum filios Israel de
terra AEgypti per iudicia maxima, quibus
vindictam publicam & insignem in mani-
feste impios exercebo, & iustitiæ diuinæ
exempla mundo edam. *Et scient AEgyptij,*
ac experimento comprobabunt tempore
vltimæ plagæ, *quia ego sum Dominus,* quẽ
antea Pharao asserebat se nescire, *qui exten*
derim manum meam super AEgyptum ip-
sum conterendo, *& eduxerim filios Israel*
de medio eorum, quantum vis ipsi AEgyp-
tij recalcitrauerint, & furia acti fuerint. *Fe-*
cit itaq; Moyses & Aaron sicut præceperat
Dominus, ei pariter obsequentes, & diligen
ter, ac fortiter pro fratrum salute discrimi-
II. ni se committentes. *Ita egerunt,* 2 prout
sibi fuerat imperatum nihil prorsus omit-
tendo. *Erat autem Moyses octoginta anno-*
rum: nam quadraginta annos expleuerat in
domo filiæ Pharaonis, & alios quadragin-
ta in terra Madian: *& Aaron octoginta triũ,*
quando locuti sunt ad Pharaonem. Siue ex-
tremus harum ętatum annus fuerit comple
tus, vel tantum inchoatus. *Dixitque Do-*
minus ad Moysen, & Aaron: Cum dixerit
vobis Pharao, Ostendite signa, neque enim
quo vsque fueritis rogati, & quasi necessi-
tate rei coacti signa facere debetis: tunc igi
tur tu, o Moyses *dices ad Aaron. Tolle vir-*
gam tuam, quam suam dico, quia ad manda
tum tuum manugestabit, & ea portentis e-
dendis vtetur, *& proijce eam coram Pharao*
ne, ac vertetur in colubrum: nec tu tolles
virgam, sed Aaron ad iussionem tuam, vt
eam authoritatem, & eximiam potentiam
in conspectu Pharaonis ostendas, qua non
tu solus, sed & alij mãdante te signa & por
tenta efficere valeant. Quo fiet vt Pharao,
quantumlibet seuerissimus, & atrocissi-
mus, nequaquam audeat in vos manum
mittere, nec quidpiam mali vobis inferre.
B. *Ingressi itaque Moyses & Aaron ad Pharao*
† 26.5. *nem fecerunt sicut præceperat Dominus.*†
c. nec mi *Tulitque Aaron virgam,* & ad præceptum
rum. Moysis proiecit eam, *coram Pharaone &*
seruis eius, quæ versa est in colubrum: idq;
miraculose & supra totius naturæ ordinẽ
per virtutem diuinam, cui subest omnis
creatura, & cuius solius est naturæ ordinẽ
inuertere ad gloriam suam, qui condidit,
& ordinauit vniuersa. *Vocauit autẽ Pharao*
sapientes (quo nomine appellabant tunc
AEgyptij, quos nos philosophos nomina-
mus) *& maleficos,* id est, incantatores, qui
forte ijdem erant cum sapientibus voca-
bantur autem isti incantatores Iannes &
Mambres. *Et fecerunt etiam ipsi per incan*
tationes AEgyptiacas & arcana quædam si 2. Timo.
militer: proieceruntque singuli virgas suas, 3. b. 8.
quæ versæ sunt in dracones 3 veros & nõ III.
apparentes tantum. Nec tamen id miracu-
lose, seu præter ordinem naturæ effecerũt
magi: sed opera dæmonum applicantium
actiua passiuis ad modum, quo agricolæ se
minando terrã & inserendo arbores faciũt,
vt producantur hi, vel illi fructus. Cæterũ
quãuis ex vtrisque virgis dracones prodie
re, non tamen dracones isti fuerũt æqua-
lis virtutis & potentiæ, *sed deuorauit vir-*
ga Aaron, id est serpens factus ex virga
Aaron *virgas eorum,* 4 iam in dracones cõ IIII.
uersas. Nam serpens, qui ex virga Aaron
factus est, maiorem vim & potentiam ostẽ
dens, diuinamque virtutem sui fuisse cau-
sam indicans cæteros alios consumpsit. *In*
duratumque est cor Pharaonis, propterea
quod incantatores Pharaonis simile signũ
fecerunt ei, quod à Moyse, & Aaron factũ
est, *& non audiuit eos, sicut præceperat Do-*
minus: quamuis signum Moysi præcelluе-
rit signo magorum, non solum in deuora-
tione serpentium, sed etiam in eo, quod
serpens factus à Moyse nouo miraculo in
pristinum esse virgæ redijt. *Dixit autem*
Dominus ad Moysen, postquam præceden
ti signo sufficientissime fuerat admonitus
Pharao, & inuitatus ad dimittendum po-
pulum. *Ingrauatum est cor Pharaonis,* hoc
est durum, & ad veritatis impressionem, &
fidei in Deum inemollibile: res autem durę
solent esse graues: *non vult dimittere po-*
pulum, nec acquiescere mandatis Dei, do-
nec virtutem eius sentiat suo damno. *Vade*
ad eum mane, & quia forte non dabitur ti-
bi locus accedendi ad eum in domo sua,
ecce egredietur ad aquas causa spatiandi,
& stabis in occursum eius super ripam flumi
nis Nili, qui AEgyptum præterlabitur:
& virgam, quæ conuersa est in draconem,
tolles in manu tua, in diuinæ potestatis & C.
authoritatis indicium, *dicesque ad eum. Do-*
minus Deus Hebræorum misit me ad te di-
cens: Dimitte populum meum, vt sacrifices
mihi in deserto, & vsque ad præsens audire
noluisti. Primum itaquẽ impropera culpã
deinde pœnam dignam interminare con-
temnenti, & alio signo puniendum denũtia

Digitized by Google

subiungens. *Hæc igitur dicit Dominus*, cui resistere nemo potest. *In hoc scies*, seu scire poteris, quamuis antea dicebas te nescire, *quod sim Dominus: Ecce percutiam* imperio meo, *virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis*. Nam frater meus Aaron ad imperiũ meum percutiet eam, *& vertetur in sanguinẽ. Pisces quoque, qui sunt in fluuio, morientur, & computrescent aquæ*, in quibus AEgyptij enecauerunt paruulos Hebræorum: vt pœna correspondeat culpæ: *& affligentur AEgyptij bibentes aquam fluminis*, cum viderint se non posse bibere aquã riui, ex quo soliti sunt haurire aquam. *Dixit quoque Dominus ad Moysen. Dic ad Aarõ*, postquam prædicta interminaueris Pharaoni. *Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas AEgypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni terra AEgypti, tam in ligneis vasis, quam in saxeis*, & per consequens etiam in puteis, & in fontibus & cisternis, quæ modo existunt, ita vt nulla sit aquarum potabilium congregatio, in qua cruor non reperiatur.
D. *Feceruntque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus*, nam in primis facti obuiam Pharaoni super ripam fluminis, & proposita legatione sua, præcepit Moyses Aaroni, quòd facere oporteret. Qui tollens, † *& eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in sanguinem*, 5 sicque immissa est AEgyptijs prima plaga ex decem, quibus feriẽdi erãt. *Et pisces qui erant in flumine mortui sunt, computruitque fluuius, & non poterant AEgyptij bibere aquã fluminis & fuit sanguis in tota terra AEgypti*: nam dum
V.

† *Inf. 17 b. 5. Psa. 77. c. 49 De cons. dis. 2. c. re vera. vers. currebant.*

partem aquę Nili virga Aaron tetigit, omnes aquas Ægypti, in sanguinẽ diuina operante virtute subito conuertit. Quo peracto miraculo magos vocat Pharao, vt illud vtcunque posset diminueret. † *Feceruntq; similiter malefici AEgyptiorum incantationibus suis*. Iussit enim Pharao adducere illis aquã vel ex regione, vbi filij Israel habitabant, quæ non fuit huiusmodi plaga percussa, vel ex proximo mari, nam sola aqua potabilis fuerat corrupta; vel fortè ministerio Dæmonum fuit ipsis magis exportata aqua ab aliquo loco extra AEgyptum, & eam in sanguinem verterunt, eo modo & ordine, quo virgas in dracones commutauerunt: *& induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos, sicut præceperat Dominus. Auertitque se* à conspectu Moysi & Aaron, & à ripa fluminis, in qua erat, *& ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice*: nec enim adiecit animum ad huiusmodi factum, nec corde suo expendit tam insigne miraculum. *Foderunt autem omnes AEgyptij*, (non tamen Israelitæ, nam hi nõ fuerunt ex hac plaga afflicti) *per circuitum fluminis aquam, vt biberent; non enim poterãt bibere de aqua fluminis*; & Deus cuius vniuersæ viæ sunt, iustitia & misericordia, voluit misericorditer reseruare aquas, quæ erant in puteis in potentia, vt non verterentur in sanguinem, sed remanerent AEgyptijs ad bibendum. Quæ Dei patientia fuit occasio indurationi Pharaonis: *Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium*, vsque in diem, quo reuersus est in naturam aquæ potabilis. Ideo enim foderunt AEgyptij aquam, vt biberent, quia per aliquot dies durauit plaga ista.

† *Sap. 17 b. 7.*

ANNOTATIONES IN CAPVT VII.

I. *Immittere, seu extẽdere manũ est plagis affi cere.*

IMMITTAMQVE manum meam super AEgyptum.] Immittere manum super aliquem idem significat, quod extendere manum. Vnde hanc eandem sententiam repetens statim scriptura inquit. Qui extenderim manum meam super AEgyptum. Significat autem plagis & verberibus aliquem afficere, & quod hispanice dicitur cargarle la mano, pro quo vide testimonia, quæ in huius locutionis confirmationem adduximus supra in Genes. cap. 21. annot. 3.

II. *Repetitio est signũ maxime asseuerationis.*

ITa egerunt.] Quod oratores compluribus verbis selectissimis, & eloquentissima oratione vix obtinent, nempe vt rem illam de qua loquũtur vehementi asseueratione confirment, hoc lingua Hebraica, & præcipue scriptura Sacra, repetitionibus quibusdam efficit: vt hic, & infra capit. 9. Dominus dedit tonitrua & grandinem super terram, pluitque Dominus grandinem super terram AEgypti: & Iob ca. 3. Timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar accidit. Videatur Diuus Hieronymus, super hoc idem caput Iob, & Augustinus super Psal. 74. prope initium.

III. *mutationes magicæ non fũt nisi cũ tẽporis mora*

QVæ versæ sunt in dracones.] Quia versio hæc virgarum in dracones, quam fecerunt incantatores Pharaonis, qui iuxta Apostolũ 2. Ad Timot. 3. Vocabãtur Iannes & Mambres fuit vera & naturalis, vt docent Theodore, q. 18. D. Aug. li. 8. de Tri. c. 7. & 8

& in

& in lib. 83. quæstionum. q. 79. D. Thom. 1. p. q. 114. ar. 4. & super Matth. ca. 14. & alij quam plurimi, hinc est quod illa non potuit fieri absque aliqua temporis mora, quia ex actione causarum naturalium profluxit, quæ non nisi in tẽpore agunt & patiuntur. Ob idque credendum est intercessisse, etiam multum temporis spatiũ à vocatione magorum, vsque ad proiectionem virgarum coram Pharaone; in quo tempore operabantur dæmones disponendo virgas per naturalia agentia; & sic mutando, vt postea proiectæ, quasi subito conuerterentur in dracones, permittente Deo in pœnam, & deceptionẽ eorum, qui magicis artibus occupantur.

IIII. *Mutatis reb⁹ permanet pristinũ nomen.* DEuorauit virga Aaron virgas eorum.] Vtrosque serpentes nomine eius rei, quæ antea erant vocat, ad insinuandum, quod sicut vtrique ante conuersionem erat virgæ, ita post conuersionem vtrique veri fuerint serpentes. Quod autem in Scriptura Sacra mutatis rebus adhuc pristinum nomen permaneat, docet D. Hieron. super Matth. ca. 26. Et id ipsum plurimis adhibitis exemplis, & sanctorum auctoritatibus cõfirmat Marti. li. 9. hypotypo. reg. 11.

V. *Plagæ Ægypti fuerunt tantum decem.* VErsa est in sanguinem. Licet nõnulli arbitrẽtur plures fuisse plagas AEgyptijs illatas, quam decẽ illæ, quæ in hoc libro recẽsentur. Etenim in Psa. 77. inter plagas AEgypti numerantur tres non commemoratæ in libro Exodi. Prima quidem declaratur illis verbis: Dedit æruginì fructus eorum. Secunda illis: Occidit moros eorum in pruina. Tertia illis. Et dedit possessiones eorum igni. Moyses enim in præsenti libro inter plagas AEgypti, nec æruginis, nec pruinæ, nec ignis meminit. Verũ mihi probabilius fit decem tantum fuisse plagas, sicut habet communis Doctorum sententia. Quarũ prima fuit aquarum cõuersio in sanguinem. Secunda productio ranarũ. Tertia sciniphũ. Quarta muscarũ. Quinta pestis & interitus animaliũ. Sexta, vesicæ turgentes, & vlcera, tam in hominibus, quam in animalibus. Septima, tonitrua, grando, & fulmina. Octaua, locustæ. Nona triduanæ tenebræ. Decima cædes primogenitorum. Vnde tres illæ memoratæ in Psalm. 77. non fuerunt diuersæ ab illis, sed ad illas reducũtur. Nam illic pro ærugine vocabulum Hebreũ Hasil significat bruchum speciem locustæ: & ita vertunt ex Hebræo, D. Hieron. & Aquila teste Euthymio super eo Psalmo. Et ipsemet Latinus interpres postea in Psalm. 104. itidem transtulit: sic enim habet. Dixit, & venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus. Quare plaga illa æruginis pertinet ad octauam plagã locustarum, quam narrat Moyses. Plaga vero pruinæ pertinet ad septimam plagam grandinis: pro pruina enim vox Hebræa Hanamal, vt notauit Genebrardus Benedictinus super eo loco, species est grandinis, & vehementioris, quasi lapis quidam gelatus, seu conglaciatus. Illa demum plaga ignis ad eandem septimam plagam pertinet: siquidem narrat Moyses simul cum grandine mistum cecidisse ignem, magnáque vim fulminũ, quorum incendio, & item grandinis ictu omnia, quæ in agris erant vastata, & consumpta sunt. Extra hunc porro numerum decem plagarum conseri debet maxima omnium plaga illa, submersionem dico AEgyptiorum in mari Rubro: hæc enim accidit iam emissis ex AEgypto Hebræis, illæ verò factæ sunt, vt ex AEgypto emitterentur.

ARGVMENTVM IN CAPVT *VIII.*

¶ Ob pertinaciam Pharaonis elementa ipsa contra Ægyptum insurgunt: nã aqua mittit ranas, terra sciniphes, & aer muscas: quibus totam Ægyptum dempta colonia Israelitarum mirum in modum diuexant.

PARAPHRASIS IN CAPVT *VIII.*

A. D*IXIT quoque Dominus ad Moysen* die sequẽti, qui fuit octauus à percussione fluuij. *Ingredere ad Pharaonem*, & eum iterum vocans ad resipiscentiã verbis & signis, quo magis sit inexcusabilis, & iustitia Dei illũ puniẽs clarior agnoscatur, *dices ad eũ, Hæc dicit Dominus: dimitte populũ meũ, vt sacrificet mihi: si nautẽ nolueris dimittere: ecce ego percutiã omnes terminos tuos ranis, & ebulliet fluuius ranas*, ad modũ scaturiẽtis; nam in maxima copia fluuius eas producet: *quæ ascendẽt, & ingredientur domum tuã, & cubiculũ lectuli tui, & super stratũ tuũ, & in domos seruorum tuorũ, & in populũ tuum, & in furnas tuos, & in reliquias ciborũ tuorũ, & ad te & ad populũ tuũ, & ad omnes seruos tuos intrabũt ranæ.* Ideo autẽ hanc ranarũ inundationẽ, sicut & fere omnes alias plagas, tã specialiter & distinctè exprimi volo, vt magis excitent ad pœnitentiam: mala enim & pœnæ, quò particularius proponuntur, eò maiorẽ ingerũt timorẽ audiẽtibus. *Dixit*

que

† 37. dis. c. legimus hic etiã

quę Dominus ad Moysen. Dic ad Aaron extende manum tuã, qua virgam tenes, super fluuios, ac super riuos, & paludes, & educ ranas super terrã Ægypti. † *Et extendit Aarõ manũ super aquas Ægypti:* eodẽ die post quã Moyses minatus fuerat Pharaoni. *& ascenderunt ranæ, operueruntq; terrã Ægypti. Fecerunt autẽ & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntq; ranas super terrã Ægypti.* Horum tamen imbecillitas statim manifestata est, quoniam nõ potuerunt ranarum multitudinẽ à Moyse, & Aaron excitatã tollere. Imo neq; eas, quæ à se ipsis excitatę erant. Vnde seruili timore correptus Pharao intercessionẽ non sincere postulat. *Vocauit autem Pharao Moysen, & Aarõ, & dixit eis: Orate Dominum vt auferat ranas à me, & à populo meo,* est enim nobis plaga illa secunda multo molestior, quã prima; *& dimittã populũ, vt sacrificet Domino.* Quia enim plaga hæc regi & populo infestior erat, imo etiã diuturnior, quã prima: ideo quãuis superbus, necessitate, tamẽ cõpulsus Moysi & Aarõ se se humiliare non erubuit, quod in priori plaga non fecerat. *Dixitque Moyses ad Pharaonem.* Vt nostra oratione, & non fortuito casu, intelligas recessisse ranas ab Ægypto, assume tibi eam gloriam, quã ego deberem habere, nẽpe eligendi, & designãdi tẽpus, quando debeant ranæ ab Ægypto auferri. *Constitui mihi, quãdo deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & a domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantum in flumine remaneant.* Hoc dixit Moyses ne incãtatores, & astrologi causarentur temporis momentum, quod illi ex suo horoscopo venabantur ad remouendum ranas, fuisse illud, quod Moyses elegisset: cui calumniæ sufficiẽter occurre-

C. batur, si Pharao tẽpus constituisset. *Qui respondit: Cras.* Nolens quod Moyses statim ranas abigeret, vt si fortè opera magorum, vel alia via ante orationẽ Moysi abijssent ranæ, appareret non à Domino remedium prouenisse. *At ille iuxta inquit verbũ tuũ faciã, vt scias, quoniã non est* alius Deus, *sicut Dominus Deus noster: & recedent ranæ a te, & a domo tua, & a seruis tuis, & a populo tuo, & tantũ in flumine remanebũt.* Quæ non fuit indiscreta, aut imprudẽs pollicitatio: cũ enim constitutus fuerit Moyses Deus Pharaonis, proculdubio nouit hãc ranarũ ablationem sibi pro libito concessã fuisse à Domino. *Egressiq; sunt Moyses & Aaron a Pharaone: & clamauit Moyses* feruore orationis internę: nõ enim externa voce, sed interna supplicatione magna animi eleuatione in Deũ, clamasse dicitur *ad Dominũ pro sponsione ranarum quã condixerat Pharaoni,* idest, pro ranis tollẽdis, quod se facturum pollicitus fuerat Pharaoni. *fecitque Dominus iuxta verbũ Moysi* exequens die nono plagarum, quod sibi fuerat postu-

latum. *Et mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris.* Idque absquè aliqua virgę, seu manuũ Moysi & Aarõ media operatione: sed Deus ipse solus abstulit hanc calamitatem, ostendens se quasi paratiorem esse ad benefaciendũ, quam ad puniendum. Vnde immissionẽ plagæ alteri cõmẽdat: ablationem vero illius per se ipsum facit. *Congregaueruntque eas in immensos ag-* I.

geres. Sed quia nec sepelierũt, nec combusserunt huiusmodi ranarum aceruos; putrescẽtibus ranis repleta est fœtore, *& computruit terra* ob maximã ranarũ interfectarũ multitudinẽ. *Videns autem Pharao, quod data esset requies,* ab angustia ranarũ vndique imminenti, *ingrauauit cor suũ, & non audiuit eos:* nec enim puduit Domino datã fidẽ & hominibus nõ seruare: nec voluit dimittere populũ, *sicut præceperat Dominus.* Quare tertia plaga dignus Pharao tãgi sciniphes toto aere vibrãtes, morsu quoque pestifero medijs æstibus infestantes Ægyptios cõpulsus est sustinere. *Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute puluerem terræ, & sint sciniphes in vniuersa terra Ægypti. Feceruntque ita* die decimo plagarũ. *Et extẽdit Aaron manũ virgam tenens, percussitque puluerem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus, & in iumẽtis.* Sũt autẽ sciniphes, muscæ minutissimæ, & molestissimę, vt pote, quæ non solum superficiẽ cutis lædunt pruritu noxio, verũ etiã interiora per aures, naresque penetrant, & in oculos irruentes nõ permittunt homines quiescere, voluit enim Deus etiã in minutissimis animalibus inuictã potentiã suã ostendere, prout fecit. *Omnis puluis terræ* hyperbolicè loquendo, *versus est in sciniphes per totam terram Ægypti*: æquum quippe fuit, vt Ægyptij percuterentur plaga ex terræ elemento producta, vt per quę peccauerãt per eadem punirentur: Israel enim in operibus terreis luti & lateris afflixerant. *Feceruntque,* hoc est, tentauerunt, & adhibuerunt

D.

buerunt omnes suas artes viresque magi-
cas, *similiter malefici incantationibus suis,*
vt educerent sciniphes , & non potuerunt
sed defecerunt in tertio signo plagarum:
nã Sathanas cuius operatione malefici prio
ra prodigia ediderunt, potens quidem est,
si à Domino permittatur. At si Dominus
potentiæ eius restiterit, nil est ipso impo-
tentius *Erantque sciniphes, tam in homini*
bus, quam in iumentis: Et dixerunt Iannes
& Mambres *malefici ad Pharaonem: Digi-*
II. *tus Dei est hic* : ingensque veri Dei potẽ
E. tia, & fortitudo . Quod certè asseruerunt
malefici ad consolationem pudoris sui. Ac
si dicerent: si quidem pugnaret contra nos
homo præualuissemus. Nunc verò qui pu
gnat non hominis sed Dei digitus est, & id
circo danda nobis est venia, quia vincimur.
Induratumque est cor Pharaonis, & non audi
uit eos, Moysen scilicet & Aaron, *sicut præ*
ceperat Dominus, sumpta fortè occasione
ad huiusmodi obdurationem, quod patien
tissimus Dominus dedisset ei, & AEgyp-
tijs requiem ab inuasione sciniphum. *Di-*
xit quoque Dominus ad Moysen, die vnde-
cimo plagarum volens sequenti die immit
tere quartũ supplicium Pharaoni, & Ægy
ptijs. *Consurge diluculo* (diuina quippe præ
cepta diligenter, ac sine dilatione agenda
sunt) *& sta corã Pharaone: egredietur enim*
ad aquas, vbi poteris eum alloqui, *& dices*
ad eum, Hæc dicit Dominus: Dimitte popu-
lum meum, vt sacrificet mihi. Quod si non di
miseris eum: Ecce ego immittam in te, & in
seruos tuos, & in populum tuum, & in domos
III. *tuas omne genus muscarum*, 3 variæ quip-
pe sunt muscarum species, quædam com
munes, aliæ virides & fœtentes, quædam
valde crassæ & sonantes, nonnullæ ex mor
tuis aquis generatæ, aliæ quæ iumenta ma
ximè inuadunt, & infestant, & item quæ-
dam morsu venenatæ, quales maximè erũt,
quas per hanc quartam plagam aduersus
F. AEgyptios immittam. *Et implebuntur* om
nes *domus AEgyptiorum muscis diuersi*
generis, & vniuersa terra, in qua fuerint.
Faciamque mirabilem , ac magna gloria
& admiratione dignam *in die illa Ter-*
ram Gessen, in qua populus meus est , vt
non sint ibi muscæ , & scias , quoniam
ego Dominus sum, non solum in hoc, vel
illo loco particulari, sed *in medio terræ,*
omnem illam præsentia mea gubernans,
& pro libito vniuersis eius partibus im-
perans, & prouidens : *ponamque diuisio-*
nem inter populum meum & populum
tuum: illum enim liberabo : super istum
autem durissimam plagam inducam . *Cras*
erit signum istud : quod prædico tibi, vt
agnoscas certitudinem verbi mei. *Fecit-*
que Dominus ita, idque non mediante
virga, nec signo aliquo sensibili, sed per
se ipsum fecit Deus, ad tollendum occa-
sionem suspicandi, quòd in virga esset
virtus faciẽdi mirabilia per magicas artes † †Sap.16
Et venit die duodecimo *musca grauissima,* b.9.
hoc est, in multitudine maxima, *in do-*
mos Pharaonis, & seruorum eius, & in om-
nem terram AEgypti, excepta terra Ges-
sen, quæ colonia erat Israelitarum.
Corruptaque est terra 4 *ab huiuscemodi*
muscis comedentibus, & destruentibus, IIII.
quæcumque erant in domibus, & in om-
ni terra AEgypti . *Vocauitque Pharao,*
Moysen, & Aaron, & magnitudine suppli
cij coactus, & à muscis penè victus, *ait*
eis: Ite & sacrificate Deo vestro in terra hac:
nolebat enim eos ire, quo dicebant : Sed
vt illic in AEgypto immolarent, consen-
tiebat. Quòd non erat iussioni Dei obe-
dire, sed Dei iussionem pro sua libidine
mutare. *Et ait Moyses : Non potest* licitè, G.
& prout decet, *ita fieri. Abominationes*
enim AEgyptiorum, 5 & idola, quæ ipsi V.
sacrilegè colunt, qualia sunt oues & arie-
tes, *immolabimus* , seu immolare aude-
bimus coram AEgyptijs *Domino Deo no-*
stro? Nequaquam profectò : exosum e-
nim est AEgyptijs occidi ea , quæ ipsi
tanquam Deos venerantur, quæ tamen
nos immolare debemus. *Quod si mactaueri-*
mus ea, quæ colunt AEgyptij coram eis,
lapidibus nos obruent . Necesse est ergo,
vt exeamus de AEgypto, si decens & de-
bitum Domino sacrificium volumus offer
re. *Viam trium dierum pergemus in soli-*
tudinem, & sacrificabimus Domino Deo no-
stro, † sicut præcepit nobis . Quibus audi-
tis consensum præbuit impius rex, fictè † Su.3.
tamen & ex necessitate. *Dixitque Pharao:* d,18.
Ego dimittam vos, vt sacrificetis Domino
Deo vestro in deserto, verum tamen longius
ne abeatis . Quapropter in gratiam tan-
ti beneficij , *rogate pro me*, vt recedant
muscæ à me, & à populo meo. *Et ait*
Moyses : Egressus à te orabo Dominum, &
recedet musca à Pharaone, & à seruis suis
& à populo eius cras . Mihi enim tan-
quam Dei ministro sufficit tua externa
confessio, & pœnitentia, cum non per-
tineat

Digitized by Google

tineat ad me de occultis cordium iudicare. *Verumtamen noli vltra fallere, vt non dimittas populum sacrificare Domino:* si enim aliud corde celaueris, quam ore confiteris me non Dominum Deum nostrum decipies; qui tanta potentia præditus est, vt etiam si nunc ad tuam confessionem & meam deprecationem auferat pœnam istam, tamen si non ex animo resipueris, immittere posit longe maiora, & grauiora supplicia. *Egressusque Moyses à Pharaone orauit Dominū, qui fecit iuxta verbū illius, & abstulit* die tertio decimo plagarū *muscas à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius. Non superfuit nec vna quidem. Et ingrauatum est cor Pharaonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum* temporalia quippe concessit Deus, quæ sola concupiuit, & postulauit Pharao: gratiam verò resipiscentiæ non est largitus, quia non fuit petita, nec enim voluit impius ad meliora conuerti.

ANNOTATIONES IN CAPVT VIII.

I. *Ranæ Ægypti, ferū: veræ ranæ.*

MORTVAE Sunt ranæ.] Ideo quidē mortuæ sunt ranæ, & non euanuerunt, idque domi & foris, nequis præstigium fuisse existimaret. Ideo etiam in aceruos frequentes coaceruatæ sunt, & cum tempore computruisse scribuntur, vt appareat veras extitisse ranas non ad illudendum hominibus confictas, sed verissimè factas, & perditas virtute Dei.

II. *Digitus Dei tripliciter exponitur.*

Digitus Dei est hic.] Tres sunt principales horum verborum expositiones. Prima est quæ in Paraphrasi exprimitur: videlicet per digitum Dei hoc loco significari potentiam, & virtutem Dei effectricem rerum mirabilium: sicut idem significatur sæpe in scriptura per brachium & manum. In quo etiā sensu sumitur digitus Dei Lucæ. 11. cum inquit Christus: si in digito Dei eijcio dæmonia, & idem significatur plurali numero vocabulo digitorum Psalm. 80. illis verbis: videbo cælos tuos opera digitorum tuorum. Ob id autem diuina potentia interdum exprimitur voce singulari: & interdum plurali: quia virtus Dei operatiua per se, & respectu Dei simplex, & vnica est: at verò in operibus Dei multiplex, ac multiformis relucet, multæque rationes perfectionum Dei resplendent in eius creaturis. Hanc priorem expositionem ideo in Paraphrasi selegimus, qua vt hic docet Lyranus, communis est apud Hebræos, & apud Catholicos. Secunda expositio est per digitum significari plagam: vt sit hic sensus: Agnoscimus plagam hanc esse à Deo, cui nos resistere nullo modo possumus. Et hunc sensum sequutus est Paraphrastes Chaldæus, ita vertens hunc locum: A facie Dei plaga hæc est. Solet enim Scriptura vocabulo manus Dei, quod idem, quod per digitum Dei significari diximus, intelligere percussionem, & plagam inflictam à Deo. Hinc est illud Iob. 19. Manus Dei tetigit me. Et Isa. atque alij Prophetæ indicare volentes Deum iratum, & minitabundum Hebræis, solent dicere Manum Dei extentam super ipsos. Bene autem conuenit digitus cum plagis AEgypti, quæ fuerunt decem, sicut decem sunt digiti. Tertiam expositionem, quæ nonnullis visa est aliquantulum mystica, tradunt D. Aug. super hunc locum, D. Hiero. super illud Matthæi. 12 Si autem ego in spiritu Dei & cætera, & multi alij Patres, qui digitum Dei hoc loco interpretantur Spiritum Sanctum, eo quod B. Lucas, c. 11. scribit Christum dixisse aduersus calūnias Pharisæorum miracula eius tribuentium Beelzebub principi dæmoniorum, se in digito Dei eijcere dæmonia. Attamen idem Christi dictum referens Matt. ca. 12 ait, dixisse eum se eijcere dæmonem in Spiritu Sancto. Vnde liquet, per digitum Dei significari Spiritum Sanctum. Est porro pulchra quædam analogia inter digitum & Spiritū Sanctū: nam sicut ex corpore procedit brachiū, & manus, & inde digiti: ita ex Patre, Filius, & ex vtroque Spiritus Sanctus. Et sicut multi sunt digiti vnius corporis: ita multa sunt dona vnius Spiritus Sancti: iuxta illud Pauli. 1. Cor. 12. Diuisiones gratiarū sunt, vnus autē & idē spiritus diuidēs singulis prout vult. Ne mireris meminisse Magos personæ Spiritus Sancti, etiā si ipsam ignorauerint: vt enim optime docet Rupertus noster li. 1. in Exo. ca. 35. Magos cū dixerunt. Digitus Dei est hic, nescientes quid dicerēt diuino instinctu significasse tertiā personā Trinitatis, sicut Cayphas nesciens quid diceret prophetauit de Christo.

III. *Muscarū genꝰ quale sit.*

OMne genus muscarum.]Hebraicè est Harob, quod Caiet. sequutus suos Hebraizantes putat significare misturā: non quidē misturā dumtaxat muscarū, sed misturam paruorū animalium agrestiū. Cui tamē obstat Latinus interpres vbicumq; vocans muscas: & LXX. Vbicūq; vertētes muscas: licet enim in Psa. 77. Vocet Cynomyiā, idest Caninā muscā; non ideo tamē alias muscarū species exclusērūt, sed præcipuè nominarunt caninā muscam, quod ea propter insignē audaciā, & violentiā, aut molestiā memorabilior esset.

IIII. *Corruptio terræ Ægypti.*

COrruptaq; est terra.] In Hebræo habetur dictio significans in genere destructionē, ruinā, & alia huiusmodi, quā destructionē ad speciē comestionis reduximus in paraphrasi quia Dauid in Psal. 78. sic exposuit dicendo. Misit in eos cynomyiā, & comedit eos, idest comedit fructus, qui erant in terra eorum.

V. *Abominatio idolis.*

ABominationes.] Abominationū nomine solēt idola in diuinis literis appellari, vt 4. Reg. 23. Melchon abominatio filiorū Amon. Et 2. Para. 34. Abstulit Iosias cūctas abominationes: Hoc est, omnia idola: & alibi sæpe. Iuxta quē sensum præsentē locū interpretādū apparet: idq; consonat sentētiæ eorum, qui asserunt

asserunt nomine abominationum, hoc in loco intelligi ea, quæ AEgyptij abominabantur occidi, siue ad esum, siue ad sacrificium, quod ea pro dijs colerent: cuiusmodi erant tauri, oues, capræ, & id genus alia. Quam etiam ob causam pastores ouiũ detestabãtur AEgyptij, vt scriptũ est, Gen. 46. Aduertat quoq; lector in lectione huius loci particulã illã enim, aut vacare, cũ non seruiat interrogationi: sed obstet potius: aut positam esse pro An, vel, Num.

ARGVMENTVM IN CAPVT IX.

¶ Tribus alijs plagis Ægyptus à Domino percutitur, peste pecorũ vlcerosis vesicis, & etiam tonitru, grandine, & fulgure horribili. Quæ tamen plagæ sibi inuicem succedebant: Quia cum Pharao peccatum suum agnosceret, & annueret liberationi populi, Moyses pro eo orabat, & ille liberatus indurabatur, & renuebat.

PARAPHRASIS IN CAPVT IX.

D*IXIT autem Dominus ad Moysen*, die quarto decimo plagarũ. *Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum. Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Quòd si adhuc renuis, & retines eos, ecce manus mea*, & potentia superexcedens ordinem cursumq; naturæ *erit super agros tues*, quintum quippe flagellum, seu plagã immittam super greges, qui sunt in campo tuo videlicet *& super equos, & asinos, & camelos, & boues & oues*. Quãuis enim AEgyptij abstinerẽt ab esu huiuscemodi animaliũ, nutriebant tamen illa propter seruitia, & lanam. Hæc autem manus seu flagellũ erit *pestis valde grauis*, quam supra omnia mortalitatis genera homines maximè expauescunt. *Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel, & possessiones AEgyptiorum*, diuidens pecora illorum à pecoribus istorum, ita *vt nihil omnino pereat ex his, quæ pertinet ad filios Israel*, multis gregibus AEgyptiorum pereuntibus pestilẽtia. *Constituitq; Dominus tempus*, quo hæc
B. contingere deberent, ne putaretur, id casu accidisse, *dicens, Cras, faciet Dominus verbum illud in terra*, idest, rem hanc in hac regione. *Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die*, videlicet die quinto decimo, ex quo prima plaga percusserat AEgyptũ. 1 *Mortuaque sunt omnia animantia AEgyp-*
I. *tiorum*, 1 quæ tũc temporis erant in agris tam subita corruptione & morte, vt nihil maneret reliqui in agris, quod seruari posset. Ob idq; Pharao nõ orauit Moysen pro remotione huius plagæ, sicut antea fecerat. *De animalibus verò filiorum Israel, nihil omnino perijt*. Et quia mirabilius erat, quod ex animalibus AEgyptiorũ & Hebræorum in eisdẽ cãpis pascentibus, quæ erant AEgiptiorũ morerentur, & quæ Hebræorũ seruarentur, quã quod terra Gessen à præcedẽtibus plagis esset immunis, nõ autẽ alia terra AEgypti: Ideo quãuis in superioribus plagis de eo, quod factũ est, Pharao nõ requisierit, in hac tamẽ vocati sunt nuncij. *Et misit Pharao ad videndũ, nec erat quisquam mortuũ de his, quæ possidebat Israel.* Nec tamẽ propterea Pharao verũ Deum agnouit: Imo factus est deterior, *ingrauatumquè est cor Pharaonis, & non dimisit populum*. Vnde factus dignus, vt grauius puniretur, sexta plaga vlcerũ cum inflatione cõmunis hominibus, & iumentis sibi infligẽda paratur. *Et dixit Dominus ad Moysen, & Aaron*, die sequẽti, qui fuit decimus sextus plagarũ: *Tollite plenas manus cineris de camino*. 2 seu plenas fauillæ fornacis, *&* II.
spargat illum Moyses in celũ coram Pharaone, sitq; puluis super omnem terrã AEgypti, ita vt fauilla, vel cinis in aerẽ sparsa nutu Dei vniuersam superficiẽ AEgypti in modũ pulueris obtegat. Vnde sequutura est pestis quædã tumẽs, & ardẽs, atq; in terrũ crescẽs virus. *Erũt enim in hominibus, & iumentis vlcera, & vesicæ turgentes in vniuersa terra AEgypti*. Moyses igitur & Aaron fecerunt, sicut præceperat Dominus: *tuleruntq; cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illũ Moyses in cælum*. Quãuis enim vterq; inciperet hoc miraculũ, dũ vterq; impleuit pugillum fuliginis, seu cineris, vel fauillæ, solus tamẽ Moyses sparsit non in terrã, sed in cælũ: tãquã Aarõ qui datus erat interpres Moysi ad populũ terram

terram percutere deberet, vel in terram, si-
ue in aquam manum extendere; prout ali-
quando fecit: Moyses verò qui erat in his,
quæ erant apud Deum, in cælum iubetur
fauillam spargere. *Factaque sunt vlcera ve*
sicarum turgentium in hominibus & iumen
tis; nec poterant malefici Iannes & Mam-
C. bres *stare coram Moyse propter vlcera, quæ*
in illis erant, & in omni terra Ægypti. Huc
usq; enim magi restiterunt Moysi coram
Pharaone, quamuis insipientia eorum sępe
sæpius manifestata fuerit omnibus. Primo
dum virgis suis non sine confusione exar-
mati sunt virga Aaron deuorãte virgas eo
rum. Secundo dũ non potuerunt sciniphes
educere. Tertio hic, quãdo vlcerosi nequi-
uerunt vlterius stare corã Moyse. Ob idq;
à conspectu illius nimio rubore præditi
abierunt. *Indurauitq; Dominus cor Pharao-*
nis, dimittens illũ operari, quęcũq; prius cõ
stituerat facere, nec retrahens eũ à priori
obduratione. *Et non audiuit eos, sicut locu-*
tus est Dominus ad Moysen: quapropter
septima subsequitur plaga, cuius tamen ex
nimia Dei bonitate præmittitur admoni-
tio. *Dixitq; Dominus ad Moysen*: Eo ipso
die, quo sextam plagam immiserat: *Mane*
consurge, & sta coram Pharaone, & dices ad
eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorũ: Di
mitte populũ meũ, vt sacrificet mihi, idest
colat, seruiat, & operetur iniunctum opus.
Quia in hac vice, nempe ex quo tecum tra
ctare cæpi de liberatione populi mei, vsq;
quo eam opere cõpleam, *mittã omnes pla*
gas meas, quas ego mittere decreui, quarũ
aliquas hucusq; expertus fuisti, & reliquas
in posterum sustinebis *super cor tuum*, vt
salté illud tristitia afficiam, *& super seruos*
tuos, & super populum tuum, vt scias, quod
non sit similis mei in omni terra, prout tan
dem experimento cognosces, quando vide
ris te, & tuos submergi in mari, & poten-
tiam meã ferre cogeris, quãtumuis resistas.
Nunc enim, ante quàm desistam à negotio
III. redẽptionis populi mei, *extendens manũ*
percutiam te, & populum tuum peste, 3 ex
tremaq; mortalitate: *peribisq; de terra*, cũ
D. exercitu tuo submersus in mari Rubro, la-
tusq; in profundũ. †*Idcirco autem posui te*
† Rom. 9. d. 17. qualẽ modo existis, videlicet incolumem,
& superstitẽ plagis meis, ac etiã regẽ potẽ
tem & diuitem, & desideria cordis proprij
IIII. de facili adimplentẽ, *vt ostendam in te for-*
titudinem meam, 4 cunctisq; pernotescat
tũ ineuitabilis Dei iustitia, scelerũ vindex,
nulla relinquẽs impunita peccata: tũ incõ-
parabilis Dei potentia omnẽ naturæ or-
dinẽ & cursum, atq; potestatẽ infinito ex
cedens interuallo, & in rebus à se creatis,
quocũq; libuerit & quomodocũq; libuerit
operãs. *Et narretur nomẽ meũ in omni ter*
ra, celebrisq; enuntietur gloria diuina, non
tantũ apud AEgyptios, sed etiã apud alias
quoq; gentes, in quibus hactenus veri Dei
memoria non est habita. *Adhuc retines po-*
pulum meum, & non vis dimittere eum? En
septima plaga tangã te, nã *pluam crãs hac*
ipsa hora grandinem multã nimis, cuius rei
tempus & horã statuo, vt diuinæ prouidẽ
tiæ certitudinẽ, virtutisq; magnitudinẽ cla
rius agnoscas. Erit autẽ grando talis *qualis*
non fuit in AEgypto à die, qua fundata est,
& ex quo posteri Noë ad eam terrã profe
cti eam coluerũt, & gentis AEgyptiacæ au
tores, & parentes fuere, *vsque in præsens tẽ*
pus. Quæ plaga inferet maximũ nocumẽ
tũ non solũ fructibus terræ, verũ etiã ho-
minibus, & iumẽtis. *Mitte ergo iam nunc,*
& congrega iumenta tua, & omnia, quæ ha
bes in agro: homines enim, & iumenta, &
vniuersa, quæ inuenta fuerint foris, nec con
gregata de agris, cecideritq; super ea grãdo
morientur. Hanc Dei cõminationẽ audie-
runt serui Pharaonis, nõ tamẽ omnes æqua
liter ei fidẽ adhibuerunt: nã quidã eorũ ti-
mentes Deũ, eius monitis acquieuerũt. Alij
verò verbũ Domini neglexerunt. *Qui ti-*
muit verbũ Domini de seruis Pharaonis, fe-
cit cõfugere seruos suos, & iumenta in do-
mos: qui autẽ neglexit sermonẽ Domini di-
misit seruos suos & iumenta in agris. Quo
rũ perfidia condignũ suppliciũ sortita est
in morte seruorũ suorũ, & iumentorũ: nã
vocati sunt Moyses & Aarõ. *Et dixit Do-*
minus ad Moysen: Extende manũ tuã in cæ- E.
lũ, seu in aërẽ, vbi grandines generãtur; *vt*
fiat grando in vniuersa terra AEgypti su-
per homines, & super iumenta, & super om
nem herbã agri in terra AEgypti. †*Extẽdit* Sap. 16.
q; die decimo octauo plagarũ *Moyses vir-* c. 16. c.
gã in cælũ, & Dominus dedit tonitrua, & 16. & 1
grãdinẽ, seu pruinã, † in qua occidit moros d. 19.
AEgyptiorũ, *ac discurrentia fulgura super* † Ps. 77
terrã: deditq; possessiones eorũ igni, nõ vt c. 47.
cumq;, sed cũ maximo excessu, ac vehemẽ
tia. *Pluitq; Dominus grãdinem super terrã*
AEgypti. Quãuis enim ibi ob defectũ frigi
ditatis, perquam raro, & perexigue, & in
paucis AEgypti partibus generetur pluuia
ac per cõsequẽs multo min⁹ possit generari
grando:

grãdo: Deus tamen miraculose in vindictã peccati non solũ grandinẽ demisit, sed *& grando* † *& ignis*, seu ingẽtia fulgura *mista pariter ferebantur* ita vt quãuis grando permissa esset crebris, magnisq; ignibus, & fulminibus, nec tamẽ ignium ardore, grãdinis duritiees liquescebat, aut mollescebat, nec frigore grandinis, ardor ignis extinguebatur, aut mitigabatur. *Tantaque fuit magnitudinis* grando demissa, *quanta ante nũquã apparuit in vniuersa terra Aegypti, ex quo gens illa cõdita est*, ac habuit esse populus Aegyptiorũ, scilicet à tẽpore, quo terra Aegypti cępit habitari.

† 1. q. 4. ca. ecclesia. §. itẽ peccato.

B. *Et percussit grando in omni terra Aegypti cuncta, quæ fuerunt in agris*, nõ solũ sensibilia, videlicet *ab homine vsq; ad iumentum*, sed & insensibilia, *cũctãq; herbã agri percussit grãdo, & omne lignũ regionis confregit* nã grãdo omnia, quæ in agris molliora, & teneriora erant, perdidit, fulmina, quæ dura & resistentia erant, dissiparũt. *Tantũ in terra Gessen, vbi erant filij Israel, grando non cecidit*: vt manifeste declararetur eũ Deum, quẽ Hebræorũ patriarchæ coluerunt, quẽ Moyses prædicabat, & qui Israelitas ex AEgypto per Moysen vocabat, solũ Deũ verum esse. *Misitq; Pharao, & vocauit Moysen & Aaron dicens ad eos*, ac magis ore quã corde hanc fictã confessionem faciens: *Peccaui etiã nunc. Dominus iustus, ego & populus meus impij. Orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei*, scilicet magna & vehementia tonitrua, *& grãdo, vt dimittam vos: & nequaquam hic vltra maneatis. Ait Moyses: Cum egressus fuero de vrbe* (nec enim decet in aula impia diutius commorari) *extendam palmas meas ad Dominum*, qua palmarũ extẽsione mens ipsa amplius in Deũ erigitur, ac promouetur, *& cessabunt tonitrua, & grãdo nõ erit, vt scias, quia Domini est terra*, cui incũbit cura, & prouidentia circa hęc terrena: vnde ei & nõ naturę, vel casui ablatã grãdinẽ acceptã ferre debes. *Noui autẽ, quod & tu, & serui tui necdũ timeatis Dominũ Deũ*, quãuis pænarũ illius terror vehementer vos inuaserit, hoc enim seruorum est, illud filiorum. Quibus verbis prædixit indurationem Pharaonis, & seruorum eius. G. *Linum ergo, & hordeum læsum est* per plagam istam, *eo quod hordeum esset virens*, & primitiuum, & iam in statu erat nõ herbæ, sed forte plus quam calami, *& linum iã folliculos germinaret*. Qui folliculi sunt circa fructum. Vnde quia tam hordeum quam linum erant iam in statu calami, proinde fuerunt læsa: grando enim frangendo calamos impediuit vegetationem: *triticum autem & far*, quod etiam genus est frumenti, *non sunt læsa, quia serotina erant*, & nondum assurrexerant in calamum. Quapropter quod natum de his erat, quia grandine percussum cedebat, & non resistebat, læsum non fuit. *Egressusque Moyses à Pharaone ex vrbe* die decimo nono plagarum *tetendit manus suas ad Dominum*, in typum feruentis orationis, *& cessauerunt tonitrua, & grando, nec vltra stillauit pluuia super terram. Videns autẽ Pharao, quod cessasset pluuia, & grãdo, & tonitrua, auxit peccatum* adijciens peccatum peccato: *& ingrauatum est cor eius, & seruorum illius, & induratũ nimis* ob diuturnã carentiam diuinæ gratiæ & roris spiritualis. *Nec dimisit filios Israel, sicut præceperat Dominus per manum Moysi*, seu, per verbũ quod protulerat Moyses. V.

ANNOTATIONES IN CAPVT IX.

I. *Vniuersalis locutio diuersimode exponitur.*

OMNIA Animantia Aegyptiorum.] Non hoc dicitur propterea quod vniuersa animalia Aegyptiorum mortua fuerint in particulari; cum multa inferius in septima plaga & in decima referantur occidenda, sed vel quia ex omni genere animalium quamplurima fuerunt mortua, vel quia animalia mortua omnia erant Aegyptiorum: vel etiam est hyperbolica locutio: qua vti solet interdum scriptura: vel tandem potest dici quod in paraphasi tamquam verosimilius amplexati sumus, nempe quæ erant tunc temporis in agro vniuersa interijsse, non autem quæ erant domi. Idque insinuat Dominus superius dicens, Manus mea erit super agros tuos.

II. *Cinis de camino quid dicatur.*

PLenas manus cineris de camino.] Quoties in hac plaga repetitur cinis de camino oportet per huiusmodi cinerem intelligere albam illam fauillam, nondum plane versam in cinerem, qua semimortui carbones teguntur, seu etiam significatur materia illa quam vis flammæ fornacis eleuat, quasi sufflans: quæ materia cadit extra fornacem, cum non amplius attingitur ab impetu eleuantis flãmæ, & videtur materia non tam grauis vt cinis, nec tam leuis vt ascendens fumus, sed media. Hoc igitur est, quod insinuare videtur litera hebraica præsentis loci, quæ sic habet kechu lachem melochaph nechem piach chibsan. Idest Tollite, seu accipite vobis plenas volas, seu manus, vel pugillos vestros fauilæ, seu sufflationis fornacis. Respondet autem materia huius plagæ culpæ Aegyptiorum: quippe qui Hebræos afflixerant circa fornaces ardentes eos mirũ in modũ opprimendos, pro materia pręstãda ad vrbes cõstruendas in ser-

Digitized by Google

uitio coquendorum laterum: quem laborem fuisse grauissimum Hebræis, manifestum facit indicium, quod volens Deus atrocitatem seruitutis Hebræorum Aegyptiacæ declarare, eam appellet fornacem ferream, vt pote Deute ron. 4. Eduxit eos Dominus de fornace ferrea Aegypti.

III. *Pestis pro insigni clade.* POpulum tuum peste.] Per pestem non intelligit hic scriptura morbum contagiosum pestilentiæ, sed cladē emissam à Deo Pharaoni & exercitui eius, quādo persequētes filios Israel submersi sunt in mari Rubro. Et quia lingua Latina caret vocabulo pro prioresspondente dictioni Hebraicæ, quæ hanc cladem significat, interpres posuit pestem ob insignē mortalitatē, quæ in eo casu accidit AEgyptijs.

IIII. *Sex causæ ob quas Deus misit tot plagas in Aegyptios.* VT ostendam in te fortitudinē meam.] Præter finem plagarum Aegypti quem in paraphrasi huius loci proposuimus, alias quoque sex causas satis idoneas, atque probabiles reddere possumus, ob quas Deus, tot ac tales plagas in Aegyptios miserit. Quarū prima est, vt Deus iustissime vlcisceretur grauissimas iniurias, & ingentia damna, quibus Aegyptij per tot annos affecerant, & afflictauerant Hebræos. Secunda causa, vt his e plagis percussi, & contriti Aegyptij, vel inuiti cogerentur liberos dimittere Hebræos, & illi excusso seruitutis iugo relictaque Aegypto alacres irent in terram Promissionis. Tertia causa, vt his prodigijs excitati, doctique Hebræi perspicue cognoscerent, quāta ipsos beneuolentia, & gratia complecteretur Deus, & quam singularem ipsorum curam gereret, eaque re in posterum Dei, ac Moysis dictis, iussisque creduli, atque obedientes essent, & ad legem paulo post ipsis dandam promptissimis animis & religiosis mentibus præpararentur. Quarta causa vt eorū prodigiorū fama longè, lateque sparsa vicinas gentes, quas Hebræi transituri, & ad quarum regiones obtinendas ituri erāt Dei Hebræorum, atq; ipsius Hebrææ gentis pauore, terroreque compleret, vt repugnare illis nequaquam auderent: atque ne gens Hebræa tam potentis Dei sui protecta, & munita, firmataque præsidio vllas hostiū vires formidaret. Huc spectat, quod exploratoribus à Iosue missis dixit Raab Iosue 2. Audiuimus quod siccauerit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Aegypto: & hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester ipse est in cælo sursum, & in terra deorsum. Ad eandem sententiam pertinet id, quod Philisthinorum sacerdotes, & diuini dixerunt Philisthæis de arca Domini. 1. Reg. 6. Quare grauatis corda vestra, sicut aggrauauit Aegyptus & Pharao cor suum? Nonne postquā percussus est tunc dimisit eos, & abierunt? Similia horū legimus in libro Iudith cap. 5. Achior ducē Ammonicarum dixisse Holoferni. Quinta causa fuit, vt futuris seculis gens Hebræa tot, tantorumque prodigiorum, quæ in AEgypto pro liberatione ipsius, atque in vltionem, exitiumque AEgyptiorum à Deo facta fuerant iugi recordatione constanter, ac religiose permaneret in Dei cultu, & obsequio; nec vllis rebus aduersis tanti Dei præsidio, quod maiores ipsorum toties admirabiliter experti fuerant, confisa, ō cideret animo, atque deficeret; sed eius auxiliū implorans omnium malorum depulsionem vsque ad Messiæ aduentum speraret fidenti animo. Sexta causa fuit, vt manifestum foret omnibus, quanta fuerit malitia AEgyptiorum, quanta in Deum contumacia, quam pertinaciter in peccatis obfirmatus, atque obduratus animus: quippe qui tantis visis prodigijs, tantisque percussi plagis non sunt vel ad scelerum suorum pænitentiam, vel ad Dei metum, & obedientiam emolliti, flexique. Quo apparet conuertendis ad Deum peccatoribus, nisi prius diuino spiritu afflatis, & commotis nulla quotquot, & quantacumque fuerint, sufficere miracula: quin etiam eos illis ipsis miraculis, quibus fieri meliores debebant, peiores ac sceleratiores plerumque fieri.

PEr manum Moysi]. Quia sicut manus percutiendo mouet eum, cui applicatur, ita verbum dum profertur mouet eum, ad quem dirigitur, ea ratione secundum phrasim Hebraicam solet frequenter manus significare verbum, seu locutionem, & etiam præceptum: vt hic, & in secundo lib. reg. capit. 14. vbi dicitur. Nunquid manus, id est, sermo vel preceptum Ioab tecum est in omnibus istis? V. *Manus pro præcepto*

ARGVMENTVM IN CAPVT X.

¶ Induratus Pharao à Deo octaua & nona plaga percutitur: nam ingens locusta in Aegyptum mittitur, à qua tamen populus liberatur orante Moyse pro Pharaone, eo quod ipse veniam postulauerat. Cæterum quia postmodum idem Pharao renisus est, ac Dei iussionem contempsit, tenebræ fiunt palpabiles in tota terra Aegypti, exceptis habitationibus Israelitarum, in eis enim lux erat.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAPVT X.

A. ET DIXIT *Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem,* & annuntia illi octauam plagam, quæ erit locustarum: *ego enim indurauí* nolens rore diuinæ gratiæ emollire *cor eius, & seruorum illius, vt* in ostensionem diuinæ iustitiæ illum puniens *faciam signa mea hæc in eo,* & etiam vt manifestando potentiam & fortitudinem meam habeas, vnde tu, qui geris personam populi mei, *narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum,* hoc est audientibus filijs, & nepotibus tuis, *quoties contriuerim Aegyptios,*
I. *& signa mea fecerim in eis* gerens me in ordine ad AEgyptios ad similitudinem illudentis: Quasi iocoso enim cõtemptu Pharaonis feci signa hæc in AEgypto; & tamen sufficientia sunt, vt *& sciatis,* seu cõfirmemini in cognitione & fide, quã habetis de me; *quia ego Dominus* sum ipse fons essendi. *Introierunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonem,* vt quẽ attolli per elationem conspiciunt, per spiritus auctoritatem premant, *& dixerunt ei,* die vigesimo plagarum, *Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum. Vsquequo non vis subijci mihi?* Contemptor enim Dei per superbiam peccas, vnde proficiscitur maxima tua inobedientia. Desine ergo ab hac proprij sensus præsumptione, & *dimitte populum meum, vt sacrificet,* ac seruiat, cultúque offerat *mibi:* †
† Sapi. 16.b.19. *Sin autem resistis, & non vis dimittere eum: Ec*
II. *ce ego inducam cras locustam* ærugineum, &
B. bruchũ, non vnam aut alteram, sed maximã earum multitudinem, *in fines tuos, quæ operiet superficiem terræ* secundum magnam ipsius superficiei partem. Quo dicendi genere exprimere intendo ingentem locustarum multitudinem, quæ superuentura est, & non erit ociosa, sed consumet terram AEgypti: *ne quidquam eius* terræ productũ, seu ab ipsa terra natum, vt herba & fructus, *appareat, sed comedatur* ab ipsa locusta, *quod residuum fuit grandini,* seu grandinem priorem euasit. *Corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris* deuorando tam arborum fructus, quàm segetes in agro. *Et implebunt domos tuas, & seruorum tuorum, & omnium Aegyptiorum,* molestiaque afficiẽt, non solum terræ nascentia, verum etiam homines ipsos. Idque ob tantam sui multitudinem, *quantam non viderunt patres tui, & aui, ex quo orti sunt super terram, vsque in præsentem diem.* His dictis veluti iracũdus Moyses toties irritatus perfidia, & mendacijs regis abijt e conspectu aulæ. *Auertitque se, & egressus est à Pharaone.* Nec tamen sine manifesto Dei miraculo incolumis euadere potuit Moyses, qui toties cõminatus est, & afflixit regem tã cruẽtum, & furẽtem, & populum tã crudelem. *Dixerunt autem serui Pharaonis ad eum* audentes illum admonere, quãuis insania percitum. *Vsquequo patiemur hoc scandalum*; seu offendiculum, vel III. ruinam, aut certe grauissimum casum, hoc est, tot afflictiones, quas homo iste nobis immittit, & quibus velut impingentes cadimus modo in iumentis, modo in vlceribus, & in alijs huiusmodi. *Dimitte homines, vt sacrificẽt Domino Deo suo. Nonne vides quod perierit Aegyptus,* ob id, quod eos non dimiseris? Tunc præcepit Pharao ad se reducere Moysen & Aaron. *Reuocaueruntque* C. *Moysen & Aaron ad Pharaonẽ. Qui dixit eis: Ite, & sacrificate Domino Deo vestro.* Cęterum *quinã sunt, qui ituri sunt?* Nec enim omnes abire debetis, sed tãtũ illi, qui necessarij sunt, vt cultus Deo debitus impẽdatur. *Ait Moyses, Cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cũ filijs, & filiabus, cũ ouibus, & armẽtis est enim solennitas Domini Dei nostri* & dies festiuus Domini, ad cuius celebrationem oportet omnes conuenire, eo quod Deus dat esse omnibus. *Et respondit Pharao* imprecãs illis malũ, & dicẽs: *Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittã vos, & paruulos vestros,* volo dicere, quod sicut ego nequaquã sum vos dimissurus cũ paruulis vestris: ita vtinã neq; Dominus vobis faueat. *Cui dubiũ est, quod pessimè cogitetis?* Nulli profecto cum in hoc ipso, quod vultis omnes etiam paruulos vobiscũ ducere, quisque clare videre possit, quod sub prætextu sacrificij recedere vultis à regno meo. *Non fiet ita, sed ite tantum viri, & sacrificate Domino: hoc enim & ipsi petistis.* Quod imposuit illis impudens rex, cum nihil tale petierint vnquam Moyses & Aaron. *Statimque eiecti sunt de conspectu Pharaonis* non solum verbis injuriosis, verum etiam factis dehonestati. *Dixit autem Dominus ad Moy-* D. *sen. Extende manum tuam super terram Aegypti ad* adducendum ingentem *locustam, vt ascendat super eam, & deuoret omnem herbam, quæ residua fuerit grandini:* videlicet triticum & far, quæ grando nõ læsit, vt nil omnino ex his omnibus relinquatur pro hominibus, & iumẽtis. *Et extendit*

Moyses virgam super terram Aegypti, & Dominus induxit ventum, partim orientalem, partim australem, à Zona torrida profectum, ac propterea imperfectis animalibus generandis aptissimum, & *urentem toto die illa & nocte, & mane facto* die videlicet vigesimo primo, *ventus vrens leuauit locustas* æruginem, & bruchum de locis extra Aegyptum. *Quæ ascenderunt super vniuersam terram Aegypti, & sederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles,quales* in numero & multitudine *ante illud tempus non fuerunt* in terra Aegypti; *nec postea futura sunt*, pro vt prophetico spiritu mihi notum factum est, nec enim aliter scire poterant,quod tot locustæ simul non sunt amplius venturæ in terrā

E. Aegypti. *Operueruntq; vniuersam superficiem terræ vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quicquid pomorum*, seu cuiusnis generis fructuum *in arboribus fuit, quæ grando demiserat. Nihilque omnino virens relictum est in lignis, & in herbis terræ in cuncta Aegypto.* Nam quod multus hominum exercitus facere non potuisset istæ phalanges locustarum, duce imperio Dei strenua peregerunt militia. *Quam ob rem festinus Pharao vocauit Moysen & Aaron*, & verum asserens, non tamen ex corde, sed fictè se humilians, *dixit eis: Peccaui in Dominum Deum vestrum, & in vos; sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam,* quæ præ oculis imminet ob defectum cibi: locustarum quippe multitudo omnibus terræ fructibus viuentes homines destituit. Quapropter nisi auferatur à nobis plaga ista, omnes moriemur.

F. *Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, orauit Dominum.* Qui die vigesimo secundo plagarum *flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare Rubrum,* quod est orientale respectu Aegypti. *Non remansit nec vna quidem in cunctis finibus Aegypti.* Quo Dei beneficio male vtens Pharao peior effectus est, & dignus vt acrioribus suppliciis puniretur. *Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel.* Praua enim hominum corda patientia Dei male vtendo durescunt, & hac ratione indurari à Deo dicuntur. *Dixit autem Dominus ad Moysen,* volens infligere nonam plagam. *Extende manum tuam in cælum* in signum commissionis, & potestatis, quam habes in his, quæ ad Deum pertinent, *& sint tenebræ super terram Aegypti tam densæ, vt palpari queant.* Quod vel per hyperbolen dictum est, vel quia multorum & crassissimorum vaporum eleuatiò adeò aërem condensauit, vt is tactum admitteret,& fieret palpabilis, vel tandē quia homines palpare facerent seu palpitare. *Extenditq; Moyses*, die vigesimo tertio *manū in cælū* Neq; enim omnia signa virga debuit facere,sed quędā virga,alia manu,alia autē verbo solo, vt maior virtus,& potentia in eo reluceret: *& factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti tribus diebus,*erat quippe tanta caliginosi aëris densitas & constipatio, vt cæleste lumen recipi nequiret.† *Nemo vidit fratrem suum* his tribus diebus, etiam beneficio ignis,& luminum artificialium facum,& tædarum,seu lucernarum,caligo enim illa Aegyptiorum adeo erat densa,& crassa,vt auferret aspectum cuiuslibet lucis nullo penetrabilis lumine: nulliusque capax illuminationis. Ob idque contigit vnicuique Aegyptiorum,quod *nec mouit se de loco,in quo erat*, vel quia terrificis admodum visis pauefacti metuebant: si se mouerent:ne quam primum perirent: vel quia tam insolitas experti tenebras putabāt totum mūdi ordinem peruerti & dissolui:ob idque quocumque irent grauiora sibi euentura mala timebant:† *vbicumque autem habitabant filij Israel,lux erat,*tam in vicis publicis eorum,quam etiam in singulis domibus,in quibus habitabant,etsi illarū nō parua multitudo Aegyptiorum domibus inserta extiterit, etenim Israelitarum habitacula & Aegyptiorum alternatim ingerebantur, vt subiuncta signa domorum in plaga primogenitorum testabitur. *Vocauitque Pharao Moysen & Aaron* post triduum tenebrarum quādo lux reuersa est super terram *& dixit eis. Ite sacrificate Domino:*timeo enim de alia percussione maiori,nec tamen tam perfectus est timor iste, vt permittam vobis perducere cuncta,quæ possidetis:*oues tantum vestræ,& armenta remaneant. Paruuli vestri,* & omnis turba imbecillis,& imbellis & quæcumque inter sarcinas censentur, *eant vobiscum. Ait Moyses,Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro*: nec enim sufficit nobis ducere paruulos nostros, sed *& cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis* quidpiā nostrū,nec etiā *vngula? quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri,præsertim cum ignoremus, quid* non modo secundum substantiam,sed etiam secūdū quan-

Margin notes (right): † Sapi. 17. a. 2. — † Sap. 18. a. 1. — IIII. — G. — V.

quantitatem *debeat immolari, donec ad ipsum locum perueniamus*. Volentes enim Hebræi, & intendentes Aegyptum omnino deserere, quamuis non expediret id regi significare, nihil suarum rerum debebant in Aegypto relinquere. *Indurauit autem Dominus cor Pharaonis*, non quidem immittendo malitiam, sed non impartiendo gratiam, *& noluit dimittere eos. Dixitque Pharao ad Moysem* indignatus, quod nollet absque ouibus, & armentis discedere, *Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam. Quocunque die apparueris mihi, morieris*: comminatusque est mortem, quam ipse subiturus erat. *Respondit Moyses, Ita fiet, vt locutus es. Non videbo vltra faciē tuam*, nisi forte sententiam retractando, me prius accerseris. Accersiuit enim eum postea.

ANNOTATIONES IN CAPVT X.

I. *Plagæ Aegypti tot vocitur illusiones.*

QVOTIES Contriuerim Aegyptios.] Verbum Halal, quod in Hebræo ponitur pro contriuerim, non significat contritionem vt cumque, sed contritionem seu vastationem iocose & illusorie factam. Vnde septuaginta vertunt, quoties illuserim AEgyptios. Et verè signa omnia vsque ad mortem primogenitorum exclusiue relata addiuinam potentiam similitudinem habuerunt illusionis potius quàm rei gestæ serio à summo Deo potente maximas plagas infligere: tum quod leuia omnia effecit: tum quia modo lædens, & quasi statim læsionem tollens se gessit. Præterea contritio ista illusio AEgypti vocatur ad insinuendum, quod non ex impotentia immisit Deus has plagas paruas, & tot vicibus abstulit, sed ex sapientia volentis primo ignominiam illusionis exercere in AEgypto, & demum punire, more principum, qui nobilem aliquem aliquanto tempore illusoria afflictione afficiunt & demum occidunt.

II. *Eadē plaga fuit locustæ, æruginis & bruchi.*

INducā cras locustam.] Adiunxi in paraphrasi æruginem, & bruchum, quia Dauid memorans plagam istam in Psal. 77. & in Psal. 104 præter locustam meminit æruginis & bruchi: inquit enim in Psamo 77. Dedit ærugini fructus eorum & labores eorum locustæ. Et in Psalmo. 104. Dixit, & venit locusta, & bruchus, cuius non erat numerus. Quæ loca superius capit. 7. annot. vltima, ostendimus debere intelligi de plaga ista locustarum.

III. *Scandalum pro graui afflictione.*

PAtiemur hoc scandalum.] Scandalum siue offendiculum, quemadmodum & ruina capitur interdū, pro graui afflictione, & denotat magnam calamitatem, in quam quasi in laqueum ab insidiatore paratum quis incidit, & captus tenetur, nec valet effugere: vt hic, & Ezechielis capitu. 3. Sed & si conuersus iustus à iustitia sua fuerit, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo: hoc est, ipsum grauiter affligam: prout D. Hieronymus in commentario eiusdem loci interpretatur. Vnde versio Theodocionis in illo loco Ezechielis pro offendiculo tormentum, seu cruciatum ponit.

IIII. *Pharao quando vocauit Moysen.*

VOcauitque Pharao Moysen & Aaron.] Quod vocatio ista facta fuerit post transactas tenebras, vt habetur in paraphrasi, colligitur tum ex eo, quod durātibus tenebris nullus Aegyptiorum mouit se de loco, in quo erat, ac proinde nulla adfuisset facultas Pharaoni ad accersendum Moysen: tum etiam ex eo quod in litera non habetur petijsse Pharaonem auferri à se hāc plagam, sicut de superioribus legimus. Quod enim ait Caietanus vsu ignium artificialium quem libet Aegyptiorum ire potuisse quo cumque vellet, plane aduersatur aperto scripturæ testimonio, quæ sap. cap. 17. sic habet. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere. Ob idque scriptura ibidē inquit Aegyptios fuisse tunc tanquam catena quadam vinctos, & tanquam in carcere reclusos: nequaquam ergo valuerunt in triduo tenebrarum ad iussionē Pharaonis de vno ad alium locum transmeare.

V. *Paruuli pro omni familia, ac supellectili.*

PAruuli vestri eant vobiscum.] Paruuli nomine nōnunquā vtuntur Hebræi pro omni turba imbecilli, proliberis, seruis, & famulitio, planeque pro his quæ inter sarcinas censentur, pro vt interpretati sumus in paraphrasi: quod aperte colligitur ex Genes. c. 45. vbi precepit Pharao, vt fratres Ioseph tollerent plaustra ad subuectionem paruulorum suorum, & coniugum, idque iuxta præceptum Pharaonis factū fuisse, & nihilominus in capitulo sequenti dicitur Pharaonem misisse plaustra ad portādū senē & omnia quæ possederat in terra Chanaā. Vnde constat illo in priori loco nomine paruulorum comprehendi omnia supellectilia: & hac de causa Chaldaica translatio hoc in loco habet. Familia quoque vestra eat vobiscum. Septuaginta etiam pro paruulis ponunt supellex.

ARGVMENTVM IN CAPVT XI.

¶ Iterum iubet Dominus spoliare Aegyptios petendo ab eis res suas sub prætextu mutui, & prædicit Moyses Pharaoni mortem primogenitorum Aegypti, vt quando plaga ista se quoque percussum viderit, agnoscat supplicium istud à Domino sibi fuisse inflictum & non casu accidisse.

PARAPHRASIS IN CAPVT XI.

A. ET DIXIT *Dominus ad Moysen*, antequam recederet a conspectu Pharaonis. *Ad huc vna plaga tangam Pharaonem, & Aegyptum, & post hac* decem supplicia *dimittet vos*, *& exire compellet*: idque non cum eis limitationibus, quas hactenus exigebat, sed dimittet vos cum omnibus rebus, quas vobiscum ducere volueritis. † *Dices ergo omni plebi* 1 latenter & quasi de aure in aurem, *vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua* Aegyptijs cohabitoribus ipsorum Hebręorum, *vasa argentea & aurea*, & postulet non dono sed mutua. *Dabit autem Dominus gratiam* 2 *populo suo coram Aegyptijs*, vt velint quæcunque illis fuerint petita commodare. Nunc enim tempus est exequendi, quod olim tibi reuelaueram in terra Madian: † *Fuitq; Moyses vir magnus valde in terra Aegypti coram seruis Pharaonis & omni populo*, & tantæ authoritatis apud illos vt nequaquam ausus fuerit Pharao ferrum in illum distringere, timens ne si quicquam mali inferret Moysi & Israelitis concitaret inter Aegyptios seditionem, & exponeret se extremo periculo. Vnde non mirum quod percepta reuelatione de morte primogenitorũ ausus fuerit eam ipsi Pharaoni manifestare Antequam enim à conspectu Pharaonis discederet non vltra reuersurus comminatus est eum. *Et ait. Hæc dicit Dominus: Media* quadam *nocte egrediar* per exercitium nouæ operationis & vindictæ *in Aegyptum & morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui iure* primogenituræ iam tanquam princeps & regni successor *sedet in solio eius*, 3 videlicet Pharaonis, *vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam* illam circumagens in pistrino: morientur quoque *& omnia primogenita iumentorum*: æquum namque est, vt cuncta eorum primogenita depereant, quorum tanta est temeritas, vt primogenitũ meũ Israel ausi sint violenter retinere. *Eritque* ob hanc plagam *clamor magnus in vniuersa terra Aegypti, qualis nec ante fuit neque post ea futurus est.* Quid enim durius præter mortem accidere poterit? sed & morte durior erit futura charissimi & sępe vnici hæredis præmissio ad sepulchrum: pręsertim quod nemo alterum consolandi otium habebit, vel animum. *Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine vsque ad pecus*: tanta quippe quies futura est Hebræis, dum Aegyptij acerba orbitate clamabunt, vt canis custos non solum non mouebitur ad latrandum, sed neque gutture suo aliquatenus mussitabit: *vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus Aegyptios & Israel*, dum hos certe incolumes sinet, & illos tam acerbe puniet. *Descendent que omnes serui tui isti ad me & pro*ni procumbentes & incuruantes se in signum reuerentiæ *adorabunt me dicentes, egredere tu & omnis populus, qui subiectus est tibi, post hæc egrediemur* cum damno tuo o Rex, quod saluus admittere noluisti. Quibus dictis recessit. *Et exiuit à Pharaone iratus nimis*: non tam contra Pharaonem quam contra peccatum illius & duritiam: quia tactus tot pœnis non resipuit. *Dixit autem Dominus ad Moysen* consolans eum de ira quam conceperat contra duritiã Pharaonis. *Non audiet vos Pharao*, & id ego permisi, quia eius inobedientia futurum est medium, sine quo non consequeretur finis à me intentus, videlicet, *vt multa signa fiant in terra Aegypti.* In hac namque duo sibi inuicem subordinata tendit diuina prouidentia, videlicet in operationem multitudinis signorum, & in obdurationẽ Pharaonis. *Moyses autem & Aaron fecerunt omnia signa & ostenta quæ scripta sunt corã Pharaone: & indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.* Aliter tamen & aliter contigerunt ista. Nã Moyses & Aaron fuerunt autores signorũ efficiendo & operãdo illa: Deus autẽ indurauit Pharaonẽ permittẽdo ipsius inobedientiã, & nõ largiendo gratiã, qua emolliretur cor eius.

Margin notes: I. † *Supr. 3. g. 12. Infr. 12. e. 35.* — II. — † *Eccle. 45. a. 1.* — B. — III. — C. — D.

ANNOTATIONES IN CAPVT XI.

I. *Mod° loquẽdi ad plebem.*

DICES ERGO OMNI PLEBI.] in hebræo non solum habetur, quonam Moyses referre debebat ad populum, sed etiam insinuatur modus, quo illud erat propalandũ: scilicet clam & in auribus vniu s cuiusque: qui quidem modus sufficienter ex ipsa conditione rei, quæ tractari debebat colligitur, & idcirco ab Interprete non exprimitur.

DA

Gratia collata Hebræis erga Aegyptios in duobus consistebat.

II. DABIT Antem Dominus gratiam.] Gratia ista, qua factum est vt Hebræis pretiosissima quæque bona petentibus libenter ea, promptque, ac largiter tribuerent Aegyptij in duobus consistebat. Primum in qualitate quadam producta à Deo supernatura iter in Hebræis mirifice lucente in vultu, totoque corpore, & in verbis, & in motibus, factisque, eorumque gratia Hebræos faciebat amabiles, & iucundos, atque gratiosos Aegyptijs: ad eundem vtique modum, quo dedisse legimus Deum sanctæ illi fœminæ Iudith præter naturalem eius pulchritudinem, singularem, eximiumque decorem quendam, atque venustatem, vt habetur Iudith capit. 10. Præterea consistebat gratia illa in eo, quod Deus corda Aegyptiorum inflexit ad tenerum quendam amorem Hebræorum, eisque beneuolendum: est enim cor hominis in manu Dei, qui facile ipsum in quemcunque humani animi affectum siue amoris, siue odij, siue timoris, siue spei, siue gaudij, siue tristitiæ absque læsione libertatis, arbitrijq; inclinare potest. Amor itaque erga Hebræos, quem Deus excitauit, atque accendit in cordibus Aegyptiorum, non minimum conducebat, vt Hebræi viderentur Aegyptijs non solum commiseratione, verum amore, atque honore, quin etiam quibuslibet beneficijs, muneribusque dignissimi.

QVI Sedet in solio eius.] In Hebræo ponitur Iozeb participium præsentis temporis, & potest verti per quemcũq; casum numeri singularis, videlicet sedentis vel sedente ita vt sedere super solium suum, possit referri ad Pharaonem, & etiam ad eius primogenitum. Quæ eadem ambiguitas manet in editione vulgata, imo etiam & in septuaginta, qui sic legunt. A primogenito Pharaonis qui sedet in throno. Nos autem in paraphasi particulam istam ad primogenitum Pharaonis, non ad ipsum Pharaonem retulimus. Tum quod sic interpretatur Chaldaica, iuxta quam sic legitur. A primogenito Pharaonis, qui futurus est, vt sedeat super solium regni eius: tum etiam quia pronomen eius videtur importare distinctam personam ab ea de qua dicitur, quod sedet. Ita vt alter sit qui sedet, alter, cuius est solium, supra quod sedet. Certum est autem quod solium erat Pharaonis & per consequens qui sedet, dicetur esse eius primogenitus. III.

Sedere in solio refertur ad primogenitũ Pharaonis.

ARGVMENTVM IN CAPVT XII.

¶ Postquam filij Israel iuxta præceptũ Domini luna quarta decima primi mensis ad vesperam comederunt agnum paschalem, ac illius sanguine postes domorũ suarum per modum crucis linierunt, mox media nocte clades primogenitorum Aegypto infligitur, ob quam compulsi sunt Israelitæ Aegypto egredi, & spoliatis Aegyptijs in Socoth peruenerunt, vbi ritus edendi pascha fuit illis impositus.

PARAPHRASIS IN CAPVT XII.

A. DIXIT *Quoque Dominus ad Moysen & Aaron in terra Aegypti* eo met die vigesimo sexto plagarum, quo expulsus fuit Moyses à Pharaone, & quando iam inceperat currere mensis Martius, ante tamen decimam lunam illius: tunc inquam dictum est à Domino: *Mensis iste* lunaris, cuius plenilunium oppositionem habet ad solem in Ariete, vel est primum plenilunium post huiusmodi oppositionem, seu æquinoctium vernale, erit *vobis principium mensium*, à quo sumi debet initium anni sacri, quamuis annus vulgaris ab alio mense incipere debeat. Qui etiam mensis ab Hebræis dictus Nisan & à Græcis Xanticus, à Latinis quoque secundum maximam eius partem vocatus Martius, *primus erit in mensibus anni*, vtpote præcipuus & cæterorum mensium festiuum decus vobis habendus. *Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel*, & instruite illos docentes modum gratias rependendi pro beneficio redemptionis, quod accepturi sunt, & quibus cæremonijs profiteri debeãt fidẽ, & spem, & charitatem circa Dominum Deum suum, *& dicite eis. Decima die mẽsis huius,*

Digitized by Google

ius, quo terræ nascentia dum incipiunt primũ applaudere maxime creatorem vestrũ agnoscere, & collaudare inuitant, *tollat vnusquisq; agnũ per familias & domos suas*, vt præparet illum ad esum familiæ suæ. *Sin autem* tam exigua est alicubi familia, quod habitantium in ea *minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum*, non propterea minorem tollet agnum, sed *assumet vicinum suum*, non gentilem sed Israelitam, *qui iunctus est domui eius*, vel si vnus non sufficiat plures assumet ex vicinis suis *iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni*, vt hac via fraternus amor amplius valeat exerceri. *Erit autem agnus absque macula*, quæ sit ex defectu alicuius partis corporis ita vt sit integer & omnino sanus, *masculus, anniculus* maior quidem octo diebus, nequaquam tamen vnum ætatis annum transcendens. *Iuxta quem ritum tolletis & hœdum*, qui à vobis sumendus est quando agni copiam non habueritis. Deficiente enim agno debetis eadem luna decima primi mensis præparare hœdum, & si necesse fuerit, vicinum quoq; socium cœnæ asciscere. Qui hœdus sit, sicut & agnus, qui assu videbebat, videlicet absque macula masculus & anniculus, *& seruabitis eum vsque ad quartam diem mensis huius*: tot enim diebus agnus vel hœdus vobis seruandus est, ne perfunctoria sit beneficij redemptionis memoria, & vt quoties ille balatum emiserit, toties quasi tubæ sonitus exituras castrorum acies excitet. *Immolabitque* occidendo *eum vniuersa multitudo filiorum Israel*: non quod agnus vel hœdus occidendus vnus esse debeat secundum rem, cum per singulas domos singuli debeant sacrificari, sed quia in omnibus vnitas sacramenti, vnitas spiritus, mentis, & fidei, debet repræsentari, vnus dicitur immolandus *ad vesperam*, hoc est, per duas horas vel circiter ante solis occasum, vt habeatur tempus commodum ad excoriandum & ad assandum, ita vt statim post solis occasum possint comedere illum,

B. occasum possint comedere illum, † *Et su-*

† de cõs. dis. 2. c. quid sit sanguis.

mẽt de sanguine eius agni, vel hœdi immolati, *ac ponent super vtrũque postem, & in superliminaribus domorum in quibus comedent illum*, Ita vt ex sanguine, qui esse debet in limine (vt inferius dicetur) & extinctione sanguinea postium & superliminarium domorum perfecta crucis figura exprimatur. *Et edent carnes nocte illa assas agni, & azymos panes* in signum quod egressuri sunt de Aegypto maxime festinanter: festinantibus enim non vacat carnes coquere aqua, nec etiam fermentare panes, quos comedere debent *cum lactucis agrestibus*, in signũ amarissimæ seruitutis, quam passi sunt in Aegypto. *Nõ comedetis ex eo crudum quid*: ferinum siquidem est vesci cruda carne, *sed tantum assum igni*, quem non concisum in plures partes assare debetis integrum. *Caput cũ pedibus eius & intestinis vorabitis* assantes & comedentes quidquid in agno vel hœdo fuerit detracta pelle & euulso felle, & visceribus continentibus fæces eiectis: *nec remanebit quic-*
quam ex eo vsque mane, siquid residuũ fuerit i I.
igne comburetis, vt videntes non licere vobis quidpiam in diem crastinum reseruare, hac saltem ratione cogamini ad festi diei communionem, alios vicinos conuocare. *Sic autem comedetis illum, renes vestros* seu vestimẽta, quę habetis ad renes vestros, *accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus* ad modum hominum existentium in promptu itineris, *& comedetis festinanter*, vt qua hora vrgentibus Aegyptijs exire compellamini, nullam omnino in proficiscendo moram faciatis. *Est enim* sacrificium istud, & festiuitas *pha-*
se, idest, transitus Domini a: nam est signum II.
huius transitus, & nomen rei significatæ solet adaptari ipsi signo. Est autem solemnitas ista, quam vobis præcipio, signum transitus Domini, quia *& transibo per terram Aegypti nocte illa* gerens me ad similitudinem transeuntis occidendo hic & non illic *percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti ab homine vsque ad pecus*. Et non solum in primogenitorum morte ostendam potentiam meam, sed *& in cunctis dijs Aegypti*, seu idolis, & simulacris, quæ ab Aegyptijs coluntur, *faciam iudicia ego Dominus*, vel illas comminuens, vel alio quouis modo de illis pœnas legitimas sumens, *Erit autem sanguis vobis* eo vtentibus in ordine ad Angelum percutientem *in signum in ædibus, in quibus eritis*, *&* hac de causa contemplabor, *& videbo sanguinem*. Signum protestatiuum fidei & spei vestræ: *& transibo vos*, immunes relinquẽs domos vestras à percussione Angeli. *Nec erit in vobis plaga disperdens*, qualis erit in domibus Aegyptiorum, *quando percussero terram Aegypti* per immissionem Angeli mali vastatoris, *Habebitis autem hunc diem*, in quo hæc mirabilia perficiam, videlicet quintum decimum huius mensis *in*

monu-

Digitized by Google

monumentum, seu memoriale tanti beneficij accepti à Deo, *& celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris*, hoc est statu veteris legis durante, *culto sempiterno*, 3
III. ac ritu, non omittendo sponte vestra, sed quandiu ipse iussero singulis annis obseruãdo. *Septem diebus* incipiendis à vespera quarti decimi diei primi mẽsis *Azyma*, hoc est infermentatum panem *comedetis*, in signum quod liberauerim vos ex Ægypto mirabiliter. Quamuis enim Pharao tam durus fuerit, vt nullis supplicijs persuaderi potuerit, vt vos dimittat, ego tamen hominis pertinaciam tanta potentia confringam, vt non solum permittat vos abire, sed etiam tam festinanter abire cogat, vt vobis, non sufficiat tempus ad fermentandum panem, sed necesse habeatis, cum pasta Azyma discedere, in cuius rei memoriam paschale Azyma comedetis. *In die primo*, qui dicitur pascha, cæteri enim dicũtur dies Azymorum, *non erit fermentum in domibus vestris*, ne illius occasione aliquis in præuaricationem labatur. *Quicumque comederit fermentatum*, morte mulctabitur, & *peribit anima illa de Israel*: si tamen illud comederit *à primo die vsque ad diem septimum*. *Dies prima*, videlicet à vespera quartædecimæ diei primi mensis, vsque ad vesperam sequentis diei *erit sancta atque solennis, & dies septima*, videlicet à vespera vicesimæ, vsque ad vesperam vicesimæ primæ diei erit etiam vobis, *eadem festiuitate venerabilis*, *nihil operis* seruilis, quod ad animæ vtilitatem, non conducat, neque ad corporis necessitatem, sed ad carnis voluptatem *facietis in eis* duobus diebus primo, & septimo, *exceptis his, quæ ad vescendum pertinent*, tam vobis, quam omni animæ viuenti. Nam ad victum pertinentia, etiam si necessaria omnino non sint, facere poteritis, neq; tenebimini die festum præcedente illa præparare. *Et obseruabitis* ritum edendi *Azyma* absque vlla prorsus violatione. *In eadem enim ipsa die*, prima quã dixi vobis futuram esse sanctam, atque solennem *educam exercitum vestrum de terra Ægypti*, *&* in signum tam eximij beneficij *custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo*, non relinquẽdo, nisi ex dispẽsatione mea. † *Primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis Azyma, vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam*, scilicet septem diebus integris. Tot enim diebus commendari, & inculcari oportet memoriam tanti beneficij,

† *Leui. 23 ar. 5 Nu. 28. c. 16.*

vt toto anno obliuio non succedat. *Septem diebus* fermentum, quod etiam est quid *fermentum, non inuenietur in domibus vestris*, ne ex consuetudine inaduertẽter misceatis fermentum pani, seu fermentatum comedatis *Qui comederit fermentatum peribit anima*, hoc est corporalis vita *eius de cœtu Israel tã de aduenis*, qui de gentilitate ad Israelitas veniunt, & illis cohabitant, nec tamen fide consentientes. Hi enim, quãuis non admittantur ad esum agni, vt infra dicetur, à fermentis tamen abstinere tenentur, *quam de indigenis terræ*, in quorum numero computantur, quantum ad hanc festiuitatem, qui ex Paganismo ad Iudaismum sunt cõuersi, plures namque tenentur ad esum Azymorum, quã ad esum agni paschalis. *Omne fermentatum* siue illud sit panis, siue laganum, D.
vel aliud quidpiam fermento permixtum, *non comedetis*. *In cunctis habitaculis vestris edetis Azyma*: extra habitacula tamen vestra, & extra loca, vbi habitant Iudæi, vt si contingat constitutos vos esse in itinere, licitũ erit vobis fermentatum comedere. *Vocauit autem Moyses omnes senes filiorum Israel*, & postquã promulgauit eis legem, & ceremonias paschales, quas sibi, & Aarõ fratri suo Dominus reuelauerat, præcepit, *& dixit ad eos*. *Ite tollentes animal*, quod mandauit Dominus, scilicet agnum, vel hœdum, *per familias vestras & immolate phase*, idest, victimã, quę significare debet transitum, quo Dominus transiuit per Ægyptũ occidens primogenita Ægyptiorũ. † *Fasciculumq; hyssopi*, quę herba humilis est, nasciturque in petrosis locis, & deponit tumorẽ pulmonis, *tingite in sanguine*, *qui est*, vel esse debet in peluiseu cratere existẽte *in limine*, *& aspergite ex eo superliminare, & vtrumq; postem*, quo fiet vt ipsa motione manus vera crucis figura, sit à vobis exprimenda, dum primò à limine, vbi est sanguis, vsque ad superliminare manum eleuabitis, deinde à sinistra ad dextram, vel è conuerso tingendo postes transibitis. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque manè*, ne in plagam, vel manũ Angeli percutientis incidat ob inobediẽtiam. *Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios*, nõ tamen per se ipsum, sed per percussorem, scilicet Angelum malum, cui potestatem dabit percutiendi: *cumque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domus vestras, & lædere*. Vastator enim tam prauæ erit intentionis, vt etiã IIII.

† *Hebr. 12. c. 28.*

Digitized by Google

ad occidendum primogenitos Hebræorum paratus sit, si Deus permitteret. Idcirco ô Israel *custodi verbum istud* in corde tuo, sitque quasi statutum, ac *legitimum tibi, & filijs tuis vsque in æternum*, statu tuo, & seculo durante. *Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, vt pollicitus est, obseruabitis cæremonias istas*, & ritus paschales, quamuis ante huiusmodi ingressum in terram promissionis, dum in via fueritis, non teneamini hunc cultũ obseruare. *Et cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio*, vel quid sibi vult, hic cultus vester? *dicetis eis. Victima*, hæc instituta est insignum cuiusdam eximij beneficij nobis à Deo collati, nam sacrificium *transitus Domini est, quando transiuit*, seu transiliuit, vel pertransijt *super domos filiorum Israel in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* Quibus verbis vti debent seniores Israel ad natu minores, quoties pariter Phase comederint. Post auditos igitur hos Moysi sermones lætus factus, *incuruatusque populus adorauit* Dominum, illi gratias agens agnoscendo tantum Dei beneficium.

V. *Et egressi Israel* 5 à conspectu Moysi, postquam ritum Phase eis annũciauerat, *fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi, & Aaron*, præparantes sese tota fide, & diligentia ad paschale sacrificium, quod quarta decima die primi mensis

E. ad vesperam peregerunt. *Factum est autem in noctis medio*, mox vt Israelitæ pascha celebrarunt, *percussit Dominus*, non per se ipsum immediate, sed per Angelum ministrum, *omne primogenitum in terra Ægypti*, non solum eum primogenitum post quem, & alij, sed antequem alius genitus, non fuerat. Imò, & eum qui primo nato mortuo in iuribus primogeniti successerat, *à primogenito Pharaonis, qui* quasi princeps hæreditarius, & futurus regni successor, *in solio eius sedebat*, † *vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere.* Omnes enim etiam infimæ conditionis homines pariter conspirauerant in populum Israel, qui primogenitus Dei erat, vnde eorum primogenita percussit Dominus, *& omne primogenitum iumentorũ*, quæ amantissima erant Ægyptijs. *Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus in qua, non iaceret mortuus.* Nam diuina præscientia fuerat procurupm, vt in omnibus omnino domibus essent grimogeniti, in quibus percuterentur Ægypti. *Vocatisque Pharao*

† Sapie. 18. b. 5. & 11. b. 15.

Moyse, & Aaron nocte, quando iam appropinquante mane exire poterant Israelitæ de domibus, tunc Pharao, siue per se ipsum, siue per internuntios, *ait: Surgite & egredimini à populo meo, vos, & filij Israel.* Stultus enim in principio facere debuissem: *ite, immolate Domino, sicut dicitis: oues vestras, & armenta sumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi*, & orate pro me, ne & ego moriar, arma enim Dei inuincibilia sunt terror, & tremor, quibus Deus tyrannos prostrare consueuit. *Vrgebantque Ægyptij populum* Israel *de terra exire velociter, dicentes. Omnes moriemur*, nisi vos egrediamini de terrâ ista, & abeatis, quo Dominus præcepit. *Tulit igitur populus conspersam farinã*, idest, massam, vel pastam, ex aqua, & farina confectam, *antequam fermentaretur, & ligans in pallijs*, & vestimentis suis, *posuit super humeros suos*, vt saltem eiusmodi cibum haberent, pro viatico, ne in via deficerent. *Feceruntque filij Israel* retroactis diebus, † *sicut præceperat Moyses, & petierunt ab Ægyptijs vasa argentea, & aurea vestemque plurimam.* † *Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptijs, vt commodarent eis.* Cumque compellerent Ægyptij Hebræos, vt discederent, huicque negotio mirum in modum intenti essent, obliti sunt petere, & recuperare ea, quæ illis commodauerant, & sic recesserunt Israelitæ cum rebus, quas prætextu mutui acceperant, *& spoliauerunt Ægyptios* pro mercede operum luti, & lateris, quibus coacti seruierant illis. *Profectique sunt filij Israel* F.
prima die exitus de Ægypto, quæ fuit quintadecima primi mensis *de Ramesse*, 6 VI.
vrbe regia existente in confinibus Ægypti, quam ipsi Israelitæ construxerant: nuncque in eam ex omni circa regione Gessen acciti fuerant à Moyse, vt statim ac Pharao consensum præberet, exirent de Ægypto, & deuenerunt, *in Socoth*, vbi primo fixerunt tabernacula vocantes locum illum Socoth, idest Tabernacula. Numerus autem eorum, qui exierunt fuit, *sexcenta fere millia peditum virorum absque paruulis*, & mulieribus. Qui in tantum numerũ excrescere potuerunt, & volente Domino ac benedicente, & promissiones patrum complente. *Sed & vulgus promiscuum* eorum, qui relicto paganismo ad Iudaismum conuersi sunt, tam de peregrinis, quàm de Ægyptijs *innumerabile ascendit cum eis*, nam tantum erat, vt difficile numerpossent, & similiter

† Supra. 11. a. 1. † 3. 6. d. c. legimus. 9. f. d à cõtra.

Digitized by Google

militer oues, & armenta, & animantia diuerſi generis multa nimis ducta ſunt ab eis. *Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conſperſam*, & maſſam confectam *tulerant, & fecerunt ſubcinericios panes Azymos, nec enim poterant fermentari*, etiam ſi aliàs prohibiti non fuiſſent, comedere fermentatum, idque propter neceſsitatem velociter egrediendi, *cogentibus exire Ægyptijs, & nullam facere ſinentibus moram, nec pulmenti quidquam occurrerat præparare* ad viaticum deferendum. *Habitatio autem filiorum Iſrael, qua* ipſi, & patres eorum *māſerunt* ſaltim quoad
VII. maiorem partem temporis *in Ægypto*, 7
† Gal. 3. computanda à tempore, † quo Abraham cum eſſet ſeptuaginta quinque annorum primum deſcendit in Ægyptum, facta ſibi promiſsione, de eo quod ſemini eius dare-
† Gen. 12. tur terra Chanaan, † *fuit quadringentorum*
VIII. *triginta annorum*. 8 Quorum media pars ante ingreſſum Iacob in Ægyptum, altera media in Ægypto, ante egreſſum populi Iſrael conſumpta eſt. *Quibus expletis*, non in pluribus diebus diuiſi, & ſeiuncti exierunt Iſraelitæ, ſed ſimul vna, & *eadem die* ante ſolis ortum *egreſſus eſt omnis exercitus Domini de terra Ægypti*, ac ſi eſſent exercitus ordinatiſsimi, & ſumma diſcretione compoſiti. *Nox iſta eſt obſeruabilis Domino*, dignaque, vt magna cura obſeruaretur à Deo, & præ oculis haberetur, vt pote in qua tam magnum facinus erat Dominus operaturus, circa filios Iſrael; quale fuit illud, quod præſtitit, *quādo eduxit eos de terra Ægypti. Hanc obſeruare debent*, & cuſtodire in honorem Domini *omnes filij Iſrael in generationibus ſuis*, eorum ſeculo, & republica durante. *Dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron* exiſtentes extra Ægyptum in Socoth. *Hæc eſt religio*, ſeu cultus obſeruan-
G. dus in celebratione *Phaſe, omnis alienigena*, qui nullatenus pertinet ad populum Iſrael, *non comedet ex eo. Omnis autem ſeruus empticius*, ſi edere voluerit Phaſe *circuncidetur, & ſic comedet. Aduena*, qui de gentilitate ad filios Iſrael venit, vt manens incircumciſus, cum illis commoretur, quamuis in fide vnius veri Dei Iudæis conſentiat, *& mercenarius*, qui ex prædictis, etiam in domo Iudæi famulus extiterit, *non edent ex eo*, ob defectū ſignaculi circunciſionis. † *In vna domo* † Num. 9. b. 12.
comedetur, ſicut enim eſt integer aſſandus, ita etiam totus in vna domo comedendus, *nec efferetis de carnibus eius foras* in memoriam geſtorum prima nocte quando nullus exiuit domum ſuam. † *Nec os illius con* † Ioan. 19. g. 36
fringetis, neque enim nocte, qua exiſtis de Ægypto vacabat oſſa frangere, & medullam extrahere. *Omnis cœtus filiorum Iſrael*, non tamen, qui extra eiuſmodi cœtum in alijs terris vagatur, etiam ſi Iſraelita ſit, *faciet illud* ſacrificium, & comedet Phaſe. *Quod ſiquis peregrinorum*, qui de gentilitate ad vos peruenit *in veſtram volueris tranſire coloniam*, fidem, & religionem veſtram amplectendo, *& facere Phaſe Domini*, in domo ſua, cuius ipſe eſt pater familias, *circuncidetur prius omne maſculinum eius*, ſi autem ſit priuata perſona, ſatis erit, vt in ſe ſit circunciſa, *& tunc ritè celebrabit, eritque ſicut indigena terræ*: Fides enim, & cultus Dei eos indifferentes, & æqualis conditionis facit. *Siquis autem circunciſus non fuerit, non veſcetur ex eo*, ne commixtione circunciſorum, & incircunciſorum ſtatus Reipublicæ Iſraeliticæ diſsipetur, & ſemen Abrahæ confundatur. *Eadem lex* in Phaſe celebratione *erit indigenæ*, qui de ſemine Iſrael eſt,
& colono, 9 qui conuerſus de gentilibus ad IX.
colendum Deum *peregrinatur apud vos*, domicilium vobiſcum habens ac ſignaculum circunciſionis. Is enim quamuis de ſemine Iſrael, non ſit cœtui tamen filiorum Iſrael quantum ad eſum agni paſchalis deputandus eſt, cum fortior, & ſacroſanctior ſit cognatio ſpiritus, & fidei, quam carnis, & ſanguinis. *Feceruntque omnes filij Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi, & Aaron. Et eadē die*, qua hæc, & ea, quę mox ſequuntur, præcepta data ſunt, *eduxit Dominus filios Iſrael, per turmas ſuas* diſtinctas ſecundum diuerſos eorum ordines ſexus, & profeſsiones.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

I. *Reſiduū cōburendum quæ ſe erat.*

SI quid reſiduum fuerint.] Hoc non intelligitur de reliquijs, quæ veſci poterant: pro his enim vicinos tenebantur aſſumere Iudæos, quādo domus non habebat ad conſumendū agnum idoneam multitudinem, ſed debent intelligi prædicta verba de oſsibus, quæ conteri non licebat, de cruſtulis, & neruis ac reliquis, quæ edi non poſſunt, & hæc præcipiebantur comburi, vt nil remaneret illius, quod in Dei reuerentiam, & ad præſcriptum illius, non conſumeretur, inſtar hoſtię ſacroſanctæ cuius omnes partes ſunt Deo dicatæ.

Digitized by Google

I. *Pascha vnde dicatur.*

PHase, idest, transitus Domini.] Quod Hebraice dicitur Pesach, idest, Phase, apud Chaldæos vocatur Pischa, & inde ortum habuit nomen Pascha. Vt autem notat D. Hieron. super Matth. 16. vox ista, non sortitur etymologiam à verbo Græco Pasxo, quod significat patior, sed à verbo Hebraico Pasahh, quod significat transire, vnde dicitur Phase, idest, transitus, vt hoc in loco habetur. Tribuitur autem transitus iste Domino, non tanquam exequenti, sed tanquam imperanti: ad imperium enim diuinum Angelus exterminator, dum occideret omnes primogenitos AEgyptiorum, per singulas domos discurrens domos Iudæorum, quarum vncti erant postes sanguine agni, pertransibat, nec quicquam damni inferebat. Hinc est, nequaquam esse admittendum, quod D. Augustinus tract. 54. super Ioann. dicit, transitum significatum nomine Paschæ esse maris Rubri, quod sicco pede filij Israel pertrāsierūt, nam re vera pascha, non hunc transitum, sed illum priorem Angeli significat: idcirco agnus in celebritate Paschali immolabatur, repræsentans liberationem primogenitorum ex Israel, per sanguinem agni.

III. *Cultus sempiternus, qui dicatur.*

CVltu sempiterno.] Pro cultu ponitur in Hebreo ChukKath, quod significat cultum, ritum, statutum, legitimum, & preceptum. Vnde eadem dictio, per hæc omnia significata solet verti ab interprete. Quod oportet considerare, ne ex mutatione istorum nominum existimes, aliquid sensus variari. Dicitur præterea solennitatem Phase obseruandam esse cultu sempiterno, non quod nunquam cessare debuerit, cum in passione Christi ritus Phase, sicut & cætera legalia, omnino fuerint extincta, sed quia Republica Iudæorum durante, debuerit etiam solennitas ista permanere, vel quia, vt placet D. August. quæst. 43. super Exod. Id scriptura solet appellare æternum, quod absque taxatione certi, & determinati temporis præfigitur, ita vt nephas sit propria sponte mutare, quamuis postea ex ordinatione præcipientis mutari contingat.

IIII. *Percussor AEgyptiorū fuit Angelus malus.*

NOn sinet percussorem.] Quod percussor iste primogenitorum fuerit Angelus malus, esto certius sit alias plagas, maximè primā, & secundam, per Angelos bonos fuisse immissas, probat D. Hieronymus in commentarijs super Isai. cap. 24. ex illo Psalm. 77. Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & irā, & tribulationem, immissiones, per Angelos malos. Quod etiam videtur insinuare præsens littera, quia non sinere percussorem, vt occidat primogenitos Hebreorum, præsupponit ipsum percussorem habuisse intentionem, seu volūtatem occidendi Israelitas, etiam non præcipiente Deo, quod præsumi, non debet de Angelis beatis. Sed aliqui existimant se huic argumento satisfacere dicentes, quod in Hebræo, non dicitur, non sinet, sed non dabit. Cæterum isti, vel iniurij sunt editioni vulgatæ, vel nihil respondēt. Esto enim, quod dissonet editio vulgata à codice Hebraico, quem isti habēt, cui ne potius standum est? Dices proculdubio, si catholicus es, quod latinæ interpretationi, alioquin Ecclesia Romana, non habet scripturam autenticam. Sed nihilominus, vt his etiam satisfaciamus, certum est latinam interpretationem optimè respondere literæ Hebraicæ, verbum enim. Itten, quod ista habet, hoc in loco, cuius radix est Nathan permittet, vel sinet significat. Vnde septuaginta, & Chaldaica, per hæcmet verba interpretati sunt locum istum.

V. *Egressus pro inchoatione operis.*

ET egressi filij Israel.] Quamuis posset dici his verbis significari egressos fuisse filios Israel ad inquirendum agnos, vel hædos, quos præparare oportebat iuxta id, quod præceperat Moyses dicens: ite tollentes animal, & cætera. Nihilominus proprius dicitur, per huiusmodi egressum, non significari aliquam loci mutationem, sed inchoatam alicuius operis executionē iuxta phrasim Hebraicam, quam explicuimus supra cap. 2. huius libri annotatione. 1.

VI. *Ramesses fuit prima mansio Hebræorū.*

DE Ramesse.] Hæc fuit prima mansio ex quadraginta duabus, quæ computantur de AEgypto vsque ad Iordanem vt docet D. Hieronymus in Epistola ad Fabiolam. De situ autē, ac descriptione Ramesses, diximus superius capite. 1. annotatione. 2.

VII. *Peregrinatio Hebræorum cur potius ascribatur Ægypto*

IN AEgypto.] Plures occurrunt rationes, ob quas Scriptura solam AEgyptum nominat, cū tamen peregrinationis nullus pars transacta fuerit in terra Chanaan. Prima est, quia statim à prima promissione Abraham cæpit peregrinari in AEgyptum fame compulsus, vt habetur Gene. 12. à qua promissione computatur tēpus istius peregrinationis, vt statim dicam. Cum igitur peregrinationis initium fuerit, sicut & terminus eadem AEgyptus, meruit totus incolatus inter medius à terminis nuncupari. Deinde AEgyptus tenebras significat, & nomine tenebrarum solent Hebræi miserias, & afflictiones significare, vt notum est, vnde possumus hic locum istū exponere tot annis semen Abrahæ miserijs, ac mærore obruendū, quasi palpantes in tenebris, vel incertis sedibus vagetur, vel dura seruitute prematur. Sed potissima ratio est, quam in Paraphrasi insinuauimus, nempe id fecisse, quia maior pars huius incolatus fuit in AEgypto transacta, denominatione sumpta à potiori.

VIII. *Quadringentis triginta anni qualiter computandi.*

QVadringentorum triginta annorum.] Computatio horum annorum incipiēda est à tēpore, quo facta est Abrahę repromissio, quod semini eius daretur terra Chanaan, vt docet Apostolus in Epistola ad Galatas ca. 3. ex eo enim tēpore cępit peregrinari populus Dei vnā cum capite suo Abrahā in AEgypto. Nā vt dicitur Genes. 12. mox vt Abrā egressus de Harā venit in terrā Chanaan, accepit promissionē illius terrę, & statim prępualente fame regionis illius cōpulsus est in AEgyptū descēdere, vbi aliquādiu demoratus est. Vnde quando hic dicitur quāta fuerit habitatio filiorū Israel in AEgypto, per filios Israel debemus intelligere etiā parentes eorū: idē enim significatur in lingua Hebraica, per filios Israel, quod per genus Israel. In genere autē alicuius, non solū eius posteri, sed etiā paren-

tes,

Digitized by Google

tes, & progenitores cōputātur. Ex his ergo pertinentibus ad populū Israel, primus, qui mansit in AEgypto, fuit Abrahā, ex cuius aduentu in terrā illā vsque in diem exitus filiorū eius, per manū Moysi dicitur hic fluxisse quadringētos, & triginta annos. Quod sic manifestatur, nam à septuagesimo quinto anno vitę Abrahā, quo facta est illi repromissio, & ipse descendit in AEgyptū, vt dicitur Gene. 12. vsque ad centesimū ipsius Abrahæ, quo natus est Isaac Gen. 21. sunt viginti quinque anni, quibus si addātur sexaginta, quos habebat Isaac quādo genuit Iacob Genes. 25. & centum triginta, quos agebat Iacob, quando stetit corā Pharaone Gene. 47. resultāt ducenti quindecim anni. Pręterea ab ingressu Iacob in AEgyptū, vsque ad obitū Ioseph fluxerunt anni septuaginta. Nā quadraginta annorū erat Ioseph, quando Iacob adijt AEgyptum videlicet triginta, quos habebat Ioseph, quādo primo stetit corā Pharaone Genes. 41. & septē fertilitatis, & tres annos steriles, in quorū vltimo ingressus est Iacob in AEgyptū Genes. 45. Qui omnes quadraginta anni si subducantur ex annis centū decē, quos vixit Ioseph Genes. vlt. remanent prædicti anni septuaginta. His si adiungantur sexaginta quinque, qui ex sententia Philonis, & traditione Hebræorū, quos sequuntur Suidas verbo Moyses, & Eusebius in chronicis fluxerunt à morte Ioseph vsque ad natiuitatē Moysis, & octoginta, quos habebat Moyses, quando eduxit populū de AEgypto Exod. 7. resultāt anni ducēti quindecim. Qui vna cū alijs ducentis quindecim annis, qui præterierūt ante ingressum Iacob in AEgyptū, complēt numerū quadringentorū triginta annorū peregrinationis filiorum Israel, & patrum eorū in Ægypto.

IX. *Coloni multipliciter dicūtur.*

ET colono.] Colonus à colendo dicitur. Et quia colere multipliciter sumitur, colonus etiā potest accipi multis modis. Primo enim sumitur colere pro eo, quod est laborare in agris: & hoc modo vocantur coloni illi, qui agros colunt. In quo quidem sensu, non accipitur hic neque enim eo ipso, quod aliquis esset agricola, erat habilis ad celebrādum Phase, nisi aliâs esset circuncisus. Aliter igitur dicitur colonus à colēdo, quod est honorare, & sic dicūtur esse coloni illi, qui Deū amāt, vel colūt, & colonia vocatur ille cultus, vel ceremonialis obseruatio, quam Deo exhibent huiusmodi obseruatores. Et in hoc sensu accipitur colonus hic, & Leui. 18.

ARGVMENTVM IN CAP. XIII.

¶ Imponuntur populo Israelitico præcepta celebrandi solennitatē Azymorū, & offerendi Domino primogenita masculina in signum libertatis, quam acquisierunt, per occisionem primogenitorū Ægypti. Duxit autem Dominus, per viam deserti israelitas portantes secum ossa Ioseph, concessit que illis in ducem itineris Angelum quendam custodem, qui tam per diem, quam per noctem à quibusuis periculis protegebat.

PARAPHRASIS IN CAP. XIII.

A.

LOCVTVSQVE *est Dominus ad Moysen*, ac tulit legē de oblatione primogenitorū, *dicens:* † *Sanctifica mihi* i exhibē-
I. † Infr. d. 29. Nu. 8. ca. 16. Lucæ. 2. d. 23. Leui. 27 c. 26. De voto ca. magnæ.
do, & offerēdo adhoc, vt prætio, vel re aliqua redimi possit, vel in alios vsus trāsferri, *omne primogenitū* masculinū, nō eū cuius fœmina soror nata est, sed *quod aperit vuluā in filijs Israel tā de hominibus, quā de iumentis. Mea sunt enim omnia* primogenita Hebræorū, ac mihi speciali titulo obligata remanserunt, ex quo percussi omnia primogenita AEgyptiorū ab homine vsq; ad iumentū, Israelitarū primogenita seruās. *Et ait Moyses ad populū, Memētote diei huius, in qua egressi estis de AEgypto, &* pro, idest, *de domo seruitutis*, vbi serui fuistis, vt grati inueniamini ei, qui de grauissimo duroque seruitio vos exemit: mementote etiā, *quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto*, ita festinanter, vt nō licuerit immorari diutius ad parandū viaticū, neque etiā ad massam fermentādam, ob cuius rei memoriam exigitur à vobis, *vt non comedatis fermentatū panē* ritu quodā, & cultu maximè obseruando. *Hodie egredimini mense nouarū frugū*, nō maturescentiū, sed vel germinantiū, vel florescentiū, quod in mēse Martio, & principio Aprilis contingere solet. *Cūque introduxerit te Dominus in terrā Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Heuæi, & Iebusæi*, vbi etiā habitant Pherezæi, & Gergesæi, & generali vocabulo Chananæorū regio vocatur, † *quā iurauit patribus tuis*, existentibus Gen. 22.
in terra visionis, quando in prçmiū obediētiæ Abrahæ volētis immolare filium suum

Isaac,

Digitized by Google

Isaac, iurauit Dominus, *vt daret tibi terram* inimicorum tuorum *fluentem lacte*, hoc est bonorum abundantia, *& melle*, idest, suauitate fructuum. Tunc, inquam temporis, (nam vsque illud obligatio ad exequẽdum huiusmodi præceptum, non imminet) *celebrabis hunc morem sacrorum mense isto*, perficiens ritum ac paschales obseruantias in Dei honorem statutas. *Septem diebus vesceris Azymis, & in die septimo erit solẽnitas Domini*, specialis vltra solennitatem aliorum dierum, eo enim die fient populi cœtus, lectiones legis, & sacrificia. *Azyma comedetis septẽ diebus. Non apparebit apud te aliquid fermentatũ, nec in cunctis finibus tuis.* Quod iterum atque iterum repeto, vt magis hæreat cordi tuo hoc mandatum, ob gratitudinem pro beneficio. *Narrabisq; filio tuo*, filijsq; & nepotibus tuis *in die illo*, quo comedes Azyma, *dicens. Hoc est* signum rememoratiuum

B. illius insignis beneficij *quod fecit mihi Dominus: quando egressus sum de Ægypto* tam festinanter, vt nequaquam vacaret massam fermentare propter robustam manum Dei, & eximiam potentiam, quam exercuit in Ægyptios antea repugnantes, & contradicentes egressui nostro. Hac igitur de causa celebrabis Azyma, *& erit quasi signum in manu tua, & quasi monimentum ante oculos tuos, &* non secus ac siquis signum aliquod in manum, aut ante oculos ponat, quod eum perpetuò admoneat, ne velut tardioris memoriæ commissorum obliuiscatur, aut si excidat facilius reminiscatur, *vt lex Domini semper sit in ore tuo* collaudando eius beneficia, & supra modum extollendo. *In manu enim forti*, idest, magnis viribus, magna virtute, & fortitudine *eduxit te Dominus de Ægypto*. Ob hanc igitur causam *custodies huiuscemodi cultum* edendi Azyma, non quidem

II. iugiter, sed *statuto tempore a diebus in dies*, 2 idest quotannis seu de anno in annum. *Cumque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut iurauit tibi, & patribus tuis* absoluta promissione, quæ etiam iuramentum dici potest ob firmitatem, *& dederit tibi eam:* nec enim ante ingressum terræ promissionis adhuc obligaberis, † *Separabis omne* primogenitum, non patris, sed matris, videlicet, *quod aperit vuluam*, vt offeras illud *Domino, & quod primitiuum est in pecoribus tuis* similiter separabis Domino, & tandem *quod quid habueris masculini sexus*, primogenitum omnis vteri *consecrabis Domino* in recognitionem beneficiorum Dei, quæ contulit tibi Deus in terra Ægypti. *Primogenitum asini*, seu asinæ per Hebraismum *mutabis oue*: animalia enim sacrificijs apta subrogari debent loco animalium immundorum. *Quod si non redemeris, interficies* in memoriam extinctionis primogenitorum Ægyptiorum. *Omne autem primogenitũ hominis de filijs tuis*, non de alienigenis seu mercenarijs *pretio redimes*: nisi fortè sit de filijs Leui. Hi enim non erunt pretio redimendi, sed ministerio tabernaculi consecrandi. *Cumque interrogauerit te filius tuus cras*, idest futuro tempo- C. re, *dicens, Quid est hoc*, quod facis offerens primogenita? *Respondebis ei, In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti de domo seruitutis*, ac loco, in quo dura seruitute opprimebamur. *Nam cum induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito hominis vsque ad primogenitum iumentorum. Idcirco immolo Domino omne, quod aperit vuluã masculini sexus, & omnia primogenita filiorum meorũ redimo.* Quia æquum est vt hi, pro quorum liberatione illa primogenita corporaliter cæsa sunt, liberatori suo omne primogenitum conferant. *Erit igitur quasi signum in manu tua, & quasi appensum, quid ob recordationem inter oculos tuos*, quo vti solent, qui rei alicuius vehementer memores esse cupiunt, *eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto*, cuius beneficij memoriam sæpe sæpius inculco, quia multiplicium ac ingentium beneficiorum spiritualium symbolum est, & repræsentatio. *Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philistijm, quæ vicina est*, & propinqua terræ Ægypti, per cuius terræ viam solum distat Ægyptus à terra Chanaan itinere, quasi trium dierum, *reputans ne fortè*, vt humano more de rebus liberum arbitrium concernentibus loquar *pæniteret eũ*, quod egressus fuerit de Ægypto, *si vidisset aduersum se bella consurgere, &* nimio pauore, ac terrore percussus, consternatusque animo progredi vltra ad obtinendam terram promissionis nulla ratione vellet: quin potius videns viam Ægypti, nec longam, nec difficilem esse *reuerteretur in Ægyptum*. Non quod Philistæos Deus debellare non potuerit, sicut debellauit Pharaonem, & Ægyptios, sed quoniã Philistæos vtiliter reseruare decreuerat Israeli, vt per illos exerceretur, & quasi proximo flagello castigaretur, quotiens legem Dei sui relinqueret. Quod sæpe futurum

† Inf. 22 d. 29. & 34. c. 19. Ezec. 44. g. 30.

rum

rum erat, ideò bene prouidus Dominus noluit populum ducere per viam terræ Philiſthiijm, *ſed circūduxit, per viam* obliquam,
D. montoſam, & petroſam *deſerti, quæ eſt iuxta mare rubrum.* Cum ingenti enim difficultate promiſſa illis patria obtinenda erat, ne hoc Dei beneficium ab eis contemneretur.
III. *Et armati* 3 ad modum compoſiti exercitus, non quidem turmatim, quaſi inermes fugientes, ſed ordinati, quaſi quini, & quini, armiſque muniti, *aſcenderunt filij Iſrael de terra Ægypti*, futurum enim erat illis bella aduerſus hoſtes inire. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum, eo quod adiuraſſet filios Iſrael*
† *Geneſ. 50.d.15* *dicens.* † *Viſitabit vos Deus*, quod cum euenerit *efferte oſſa mea hinc vobiſcum.* Cuius rei fidem filij, vel nepotes ſeruarunt, ſicut, & ipſe Ioſeph patri ſuo fidem ſeruauerat, de transferendis in Chanaan oſsibus eius. *Profectique de Socoth caſtrametati ſunt in Etham, in extremis finibus ſolitudinis*, vbi incipit deſertum, quod appellatur Ebuthan.
† *Dominus autem*, quaſi loquens, & manifeſtans, quando ambulare deberent, & quando nō, & quo iter agendum, per Angelum, quem ad hoc munus miniſtrum elegerat, *præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*, 4 quæ quidē columna quoad ſubſtantiam, nubes erat, gerebat tamen aliquando ſpeciem ignis, quantum ad ſplendorem, & claritatem, *vt dux eſſet itineris vtroque tempore*, non ſolum viam oſtendens, ſed etiam eos à moleſtia protegens: nam interdiu populum refrigerabat ab æſtu ſolis, & nocte illuminabat. † *Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, corā populo*, quouſq; attigerunt terrā promiſsionis, quāuis improba ceruix rebelliū toties id demeruerit, dū à fide, & cultu bonitatis Dei ſæpeſæpius deſciuit. Cæterum maior eſt miſericordia Dei, quā malitia hominū.

† *Num. 14.c.21. 1. Cor. 10. a. 1. 13. q. 2. c. Hebrō.* IIII.

† *Nehe. 9.d.19.*

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

I. *Sanctificare pro ſegregare*

SANCTIFICA mihi.] Quamuis ſanctificare videatur ſimpliciter ſignificare aliquid efficere ſanctum, vel ſacrum, cæterum, quia quę ſancta ſunt, ſolent ſeiungi, & ſeparari ab alijs, hinc eſt, quod iuxta phraſim ſcripturæ interdum ſanctificare ſignificat ſegregare, vt Num. cap. 5. Sanctificaui mihi quidquid primum naſcitur in Iſrael, ideſt, ſegregaui mihi. Iuxta quē ſenſum videtur interpretandus locus iſte, ita vt, ſanctifica mihi omne primogenitum, idem ſit, quod ſegrega, vt mihi exhibeas primogenitum tuum. Et infra cap. 19. pone terminos, circa mōtem, & ſanctifica illum, ideſt ſegrega prohibendo, ne alij accedant ad illum. Et capit. 31. huius etiam libri ſic legitur: vt ſciatis, quia ego Dominus, qui ſanctifico vos, hoc eſt, qui ſpecialibus legibus à cœtu aliarum gentium diuido, & ſeiungo. Vnde inferius in hoc eodem capite repetens legiſlator hanc primogenitorum ſanctificationem, vtitur nomine ſeparationis inquiēs, Separabis omne, quod aperit vuluam Domino.

II. *A diebus in dies pro ab anno in annū.*

A Diebus in dies.] Phraſis eſt Hebraica idem pollens, quod ab anno in annum, vnde vbi nos habemus. 1. Reg. 1. Et aſcendebat vir ille de ciuitate ſua ſtatutis diebus, Hebraice legitur à diebus in dies: ideſt, ab anno in annum. Et 2. Reg. 14. vbi Latinus interpres ſenſum retinens ponit. Et quando tondebat capillum, ſemel autem in anno tondebatur, litera Hebraica habita ratione verborum legit, attondebat caput à fine dierum ad dies, ideſt, ab anno in annum. Quando enim abſolutè, & indefinite ponuntur dies plurali numero abſque determinatione, apud Hebræos accipientur pro anno, ſecus autem cum numerus dierum deſignatur, vt ſi dicatur tres dies aut quatuor, tunc enim nequaquam annus intelligitur, ſed tot dies quot ſignificantur.

III. *Armorū munitio ſignificatur in ordine caſtrorum.*

ET armati aſcenderunt.] Loco illius dictionis armati habetur in Hebraico Chamuſim, quod deſcendit à Chames, hoc eſt, quinque, vnde alioquin interpretantur locum iſtum, quini aſcenderunt filij Iſrael. Ratio huius diſcriminis eſt, quod litera Hebraica vtitur metaphora quadam, quam explicuit doctus interpres Latinus, quia enim armati exercitus, vt vere dicatur, quod armis ſunt muniti debent ordinatē procedere, in ordine enim præcipuum armorū genus ac robur exercitus conſiſtit, vnde terribilitas ſponſæ, & fortitudo comparatur aciei caſtrorum ordinatæ Cantic. 6. Ideo ad ſignificandum, quod filij Iſrael aſcendebant armis muniti, vt pote, quibus bella gerere oportebat dicit litera Hebraica, quod aſcendebant quini, & quini, ideſt ordinatè, & non turmatim. Cæterum, qui de varijs lectionibus huius loci plura videre cupit, conſulat D. Hieronym. in Epiſt. 125. ad Damaſum in reſponſione ad 2. eius quæſt.

IIII. *Columna nubis, & ignis vna eademq; fuit.*

IN columna ignis.] Hebræi, vt hic refert Lyranus, dicunt, quod duplex fuit columna, quæ ducatum prædebat populo Iſraelitico: vna per diem, quæ in veſpere recedebat peracto officio, & tunc columna ignis ſubintrabat illuminans per noctem. His tamen aduerſatur maior pars Catholicorum, præſertim Hugo de Sancto Victore, Abulenſis, & Caietanus, qui tenent omnino fuiſſe vnam atque eandem columnam, quæ interdiu apparens vt nubes, vocatur columna nubis, noctu vero lucens vt ignis, appellabatur columna ignis: falſum enim eſt fundamentum, cui Hebræi innituntur dicentes, vnam fuiſſe tantum die, alteram nocte: conſtat enim ex varijs Scripturæ locis columnam nubis et iam

nocte

Digitized by Google

nocte permansisse. Primò, nam capite sequenti habetur: Respiciens Dominus super castra AEgyptiorum, per columnam nubis, & ignis interfecit exercitum eorum, vbi non solum noctu permansisse columnam nubis, verum etiam eandem esse, cum columna ignis apertè demonstratur. Item Numer. cap. 9. expressis verbis asseritur nubem, quo nomine columna nubis significatur, non solum die, sed etiam nocte manere solitam supra Tabernaculum Domini. Cur autem in sacris literis vocetur columna, cur nubes, cur ignis operæ pretium est scire. Columna nominatur, quia erat similis columnæ quantum ad rectitudinem, & figuram, erat quippe secundum altitudinem versus cœlum admodum excelsa, & sublimiter porrecta, & quantum ad crassitiem angusta, basis enim eius tantum tegebat & obumbrabat Tabernaculum, vocatur etiam nubes, quia erat similis nubi, quantum ad colorem, erat enim candida, & lucida, & quantum ad qualitatem materiæ, talis enim videbatur esse materiæ, qualem habet nubes: quamuis tum in motu, secundùm locũ, tũ in consistentia plurimum differret à nube naturali. Appellatur tandem columna ista ignis, non quod fuerit verus, & naturalis ignis, oppositum enim asseritur Num. 9. vbi bis dicitur, quod fuit quasi species ignis, tanquam non esset verus ignis, sed ob ingentem copiam lucis, sibi diuinitus impressæ: corpora enim lucentia, vt solem, & sydera vocare ignes cœlestes, frequens est apud Ecclesiasticos, & profanos scriptores.

Columna nubis, & ignis cur ita vocētur.

ARGVMENTVM IN CAP. XIIII.

¶ Induratus Pharao insequitur Israelitas, qui de salute desperantes contra Moysen conqueruntur, à Deo tamen liberantur gradientes per medium maris siccis pedibus: insequentes autem eos Ægyptij submersi sunt in aquis maris Rubri, quæ arripientes illorum corpora proiecerunt versus illud litus, in quo Israelitæ erant, vt diuinæ omnipotentiæ signa euidentius constarent populo Dei, aliaque plurima bona ob eam causam illi obuenirent.

PARAPHRASIS IN CAP. XIIII.

A. L*OCVTVS est autem Dominus ad Moysen*, disposuitque iter ad mirabilem transitum maris Rubri, *dicens; Loquere filijs Israel, Reuersi*, non directa reuersione, sed ad modum cuiusdam approximationis eundo ad locum Ægypto propinquiorem *castrametentur è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum, & mare contra Beelsephon*. Ita vt mare Rubrum sit ex vna parte, & Magdalum ex opposito, quasi per longitudinem, & quasi per latitudinem Beelsephō hinc, & Phihahiroth inde, populus autem sit inter hæc iuxta mare. Vnde coram Beelsephon, *& in conspectu eius castra ponetis super mare*, in loco nempe Israelitis periculosissimo, quo magis Dei gloria innotescat. *Dicturusque est Pharao super*, idest, de *filijs Israel* pœnitentia ductus, quod eos dimiserit. *Coarctati sunt in terra*, & animo perplexi, vt nesciant quo se vertant, *conclusit eos desertum*, non quoad spacium loci, sed quoad commoditatem itineris, *Et indurabo cor eius* sinens illum operari iuxta prauitatem, & obstinationem suam, *ac persequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius*, gloriosior apparens in demersione Pharaonis, & exercitus eius, quam in reliquis mirabilibus, quæ feci in Ægypto, *scientque Ægyptij, quia ego*, qui vocaui vos, & duco, per desertum supremus *sum Dominus*, vt pote qui pugnando, pro vobis compello eos ad fugam. *Feceruntq; ita*, vt præceperat Dominus, tam Moyses manifestando præceptum Dei, quam populus illi obtemperādo, reuersique sunt ad regionem Phihahiroth. *Et nunciatũ est Regi Ægyptiorum*, ex quo filij Israel dimiserunt viam deserti, quam ad spatium trium dierum postulauerant, & iuerant ad mare Rubrum, *quod fugisset populus* ab Ægypto, & non ad sacrificandũ Deo tēderent, prout Pharao existimauerat. *Immutatumq; est cor Pha-* B.

Pharaonis & seruorum eius super populo; Dum prius exire compulerant filios Israel, postea autem vt reducerent eos ad Aegyptum conati sunt, *& dixerunt: Quid voluimus facere,* seu cur hoc fecimus, *vt dimitteremus Israel; ne seruiret nobis? Iunxit ergo* Pharao *currum, & omnem populum suum,* seu maximam eius partem *assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Aegypto curruum fuit, & duces totius exercitus.* Qui tertij siue terni appellabantur, quia erant à Rege tertij, atque sub secundo post Regem. Hos constituit Pharao tam super omnes currus, quàm super omnem exercitum. *Indurauitque Dominus cor Pharaonis Regis Aegypti* subtrahendo gratiam in pœnam præcedentium delictorum, *& persecutus est filios Israel. At illi* filij videlicet Israel *egressi erant in manu excelsa*, idest, cum magna potentia & magna audacia animoque alacri, vtpote innixi diuino auxilio. † *Cumque persequerentur Aegyptij vestigia* Israelitarum *præcedentium repererunt eos* constitutos *in castris super*, idest, iuxta *mare. Omnis equitatus & currus Pharaonis & vniuersus exercitus erant in Phiairoth contra Beelsephon*, non longè à loco in quo castra-

C. [illegible]ti erant filij Israel. *Cumque appropinquasset Pharao, leuantes filij Israel oculos viderunt Aegyptios post se, &* animo concidentes immemores diuini auxilij toties experti, *timuerunt valdè:* neque enim erant rebus bellicis assueti & à iuuentute tyrannide extiterunt oppressi, & sub metu Regis nutriti, quæ illis adeo omnem virilem animum ademerunt, vt quamuis tot millia essent non auderent hosti resistere. *Clamaueruntque ad Dominum*, non tam corde, quàm voce, *& dixerunt ad Moysen*, querula verba aduersus eum proferentes: *Forsitan non erant sepulchra in Aegypto, ideò tulisti nos, vt moreremur in solitudine: Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos de Aegy-*

I. *pto? Nonne iste est sermo* 1 rei euentu comprobatus, *quem loquebamur ad te in Aegypto dicentes: recede à nobis,* seu dimitte nos, *vt seruiamus Aegyptijs? Multo enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine.* Merebantur quidem Israelitæ grauissimas increpationes, & supplicia propter importunam ipsorum incredulitatem; sed in tanto rerum discrimine maior erat habenda ratio Moysi, quid sui sit officij, & quid gloria Dei exigat, quàm quid impij Israelitæ meriti fuerint. Quare Moyses quod solum in hoc periculo potuit, & debuit facere, concionatur populo & exhortatur eos grauissimè ad fidem & constantiam animi, promittens eis certissimè diuinum præsidium affuturum. *Et ait Moyses ad populum: Nolite timere. State & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodiè:* dum salutem & redemptionem ab hoc ingenti periculo vobis afferet: *Aegyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam,* sicut hodie persequentes, & inimicos, & tanto post vos agmine venientes, *vltra videbitis vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos* à bello immunes

quiescentes *tacebitis*. 2 Hæc dicens II.

Moyses instanti, & vehementissima oratione in corde suo à Deo petebat auxi- D.

lium, à quo exauditus est. *Dixitque Dominus ad Moysen: Quid,* seu pro qua

te *clamas ad me;* tàm enixè & ardenter me inuocando? Ecce adsum, suscepique orationem tuam. III.

Loquere filijs Israel, & iube illis, *vt proficiscantur, tu autem eleua virgam tuam,* in qua fiebant mirabilia in Aegypto, *& extende manum tuam super mare* propter populum cæremonijs & externis signis indigentem, *& diuide illud, vt gradiantur filij Israel in medio mari per siccum. Ego autem indurabo cor,* non tantum Pharaonis, sed etiam *Aegyptiorum, vt persequantur vos* insequentes vestigia vestra, etiã per medium maris: *& glorificabor* ostendens quanta sim gloria dignus apud homines in iustitia, & potentia, quam exercebo *in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus & in equitibus illius. Et scient Aegyptij* coacti euidentia signorum, *quia ego,* qui erui vos de Agypto, & non Pharao, nec alius *sum Dominus:* scient (inquam) istud *cum glorificatus fuero in Pharaone & in curribus atque in equitibus eius* seuerissimam vltionem de his accipiens. *Tollensque se Angelus Dei,* qui tanquam Domini minister & ductor populi *præcedebat castra Israel,* mouit se ex parte anteriori populi in partem posteriorem, & *abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis,* quæ ab ipso Angelo

P mouc-

†Iosf. 24 b. 6.

E. mouebatur, *priora dimittens post tergum stetit inter castra AEgyptiorum, & castra Israel*, Mediabatque columna nubis velut maceria inter vtrumque populum, *& erat nubes tenebrosa* ex ea parte, qua AEgyptios respiciebat, ex ea autem parte qua respiciebat Hebræos, erat lucida, *& illuminans noctem*; *ita vt* ratione horum diuersissimorum effectuum, alter exercitus alterum adoriri non posset; & *ad se inuicem toto noctis tẽpore accedere non valerent*. Sic enim Dñs se fideliũ protectorem exhibet à dextris & à sinistris. *Cumque extendisset Moyses manum*, qua virgam gestabat *super mare*, *abstulit illud Dominus*, non aquas consumendo, sed eas ad dexteram & ad sinistram in cumulum erigendo, ac in tanta latitudine ab inuicem separando, vt limite recto via porrigeretur, quę vniuersam multitudinem filiorum Israel proficiscentem turmatim caperet. Idque effecit Dominus *flante vento vehementi & vrente tota nocte*, tanquam per causam instrumentalem, qua vsus est Deus non solum ad separationem aquarum, sed etiam ad exiccandam aridam in medio aquarum existentem: hanc enim *& vertit in siccum*, ita vt fundus maris tam aptus itineri remaneret vt per eum, quasi per desertum ambulare

† Ps. 77. b.13. & 104. d. 36. Psal. 113. a.3 Hebr. 11 d.19. possent: *Diuisaque est* † *aqua* in duas partes, seu diuisiones: *Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris. Erat enim aqua quasi murus a dextra eorum & læua*, pijs quidem munimentum, impijs autem futura erat monumentum & decipula lethalis. *Persequentesque AEgyptij* ex abrupto Israelitas, quia abire eos sentiebant per aliam viam, quos tamen non videbant, nescientes se vel illos mare ingredi, *ingressi sunt post eos, &*, idest, scilicet *omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris* spiritu virginis, in reprobum sensum abducti.

F. *Iam que aduenerat vigilia matutina*, quæ vltima quatuor vigiliarum noctis erat,

† Sap. 18 b.15. † *& ecce respiciens Dominus super castra AEgyptiorum* aspectu vindictæ & indignationis, qui antea sinens

IIII. AEgyptios, vt persequerentur Israelitas, quasi dissimulauerat *per columnam ignis & nubis*, hoc est per Angelum ministrum, qui in columna erat, *interfecit exercitum eorum*, non quidem subitò & repentè, sed cum magna ipsorum confusione & pudore, nam primò *& subuertit rotas curruum* semouendo vnam rotam cuiuslibet currus ab axe, *ferebanturque in profundum*. Remotis enim rotis ab axibus curruum, consequens fuit, vt loco motus progressiui mouerentur deorsum secundùm grauitatem curruum & personarum. *Dixerunt ergo AEgyptij* scientes iam, sed infructuosè Dominum esse, qui ducebat Israel. *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Id autem dicebant, quia sensibilis quædam vis emanabat ab Angelo existente in columna nubis, contra AEgyptios, quæ rotas curruum confregit, & ipsos in terram prostrauit. *Et ait Dominus ad Moysen, Extende manum tuam super mare, vt* mediante virga tua *reuertantur aquæ ad AEgyptios super currus & equites eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum* recuperans fortitudinem ac robur naturæ propriæ. *Fugientibusque AEgyptijs, occurrerunt aquæ* ab illa parte, per quam ingressi erant, *& inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus*, eos nempe insanos homines, qui agnoscere noluerunt potentiam eius, & inaudita mirabilia ipsius. *Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis,* G. *qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis*. Iustissimus quippe iudex Pharaonem vna cum vniuerso exercitu in aquis interire voluit, propterea quod per aquam tot Hebræorum infantes ipse Pharao interfecisset. *Filij autem Israel*, etiam dum AEgyptij inciperent operiri aquis, adhuc *perrexerunt per medium sicci maris*, † *& aquæ eis erant, quasi pro muro à dextris & à sinistris*: quo clarius Dei prouidentia erga suos appareret. † 52. c. 5. c. quis ergo. *Liberauitque Dominus in die illa Israel de manu AEgyptiorum*. Et quamuis naturaliter homo suffocatus in aquis non natet vsque ad tertium diem, quo crepat fel, nihilominus corpora AEgyptiorum statim proiecta sunt ad ripam maris: Vnde Israelitæ eo die, quo mare transierunt, *viderunt AEgyptios mortuos super littus maris*: mare enim ex littore vnde ingressi erant fluens contra fugientes AEgyptios expulit, quos suffocabat, versus alterum littus in quo filij Israel erant,

vbi

Digitized by Google

vbi viderunt eos, *& manum magnam*, ineffabilemque virtutem, & potentiam, *quam exercuerat Dominus contra eos*. Voluit namque Deus cadauera AEgyptiorum in littus eiecta, vbi erant Hebræi, ab ipsis spectari: primò vt gauderent ob vindictam hostium, à quibus diu, multumque afflictati fuerant. Tum vt securi essent salutis, & libertatis adeptæ, & ab omni prorsus metu AEgyptiorum vacui. Ad hæc vt grato, & pio animo gratias Deo agerent, cuius & iustitiam in hostes suos, & benignitatem erga se perpetua memoria colerent, ac celebrarent. Ad extremum, vt spolijs hostium suorum, & opibus ditarentur, & armis munirentur instructioresque forent mox in Amalecitas pugnaturi. *Timuitque populus Dominum*, vt potentem ad puniendum inobedientes sibi; *& crediderunt Domino, & Moysi seruo eius* certam, & indubitatam fidem concipientes de eo, quod opera vniuersa tot mirabilium, quæ in AEgypto & vsque ad illam horam visa fuerant, non in scientia, aut arte aliqua secreta facta sint, sed per insignem Dei potentiam, & per Moysen, quatenus seruus Dei erat.

ANNOTATIONES IN CAP. XIIII.

I. *Etiam Hebræi restiterũt Moysi in AEgypto.*

NONNE iste est sermo.] Ex his verbis constat nonnullos Hebræorum restitisse Moysi in AEgypto nolentes populum educi de loco illo; quanuis id in superioribus scriptum non sit. De qua resistentia & inobedientia intelligi debent verba illa Ezechiel. 20. Et dixi, vt effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis in medio terræ AEgypti. Nam ratione talis repugnantiæ merebantur Hebræi occidi: quauis propter clementiæ magnitudinem id Deus non fecerit: vt ibidem subiungit propheta.

II. *Tacere pro ab opere cessare.*

ET vos tacebitis.] Tacere seu silere non semper significat abstinentiam à verbis, seu taciturnitatem, sed etiam interdum accipitur pro eo, quod est cessare ab aliquo opere, prout locum istum exposuimus in paraphrasi. Quæ interpretatio confirmari potest ex illo. 2. Regum. 19. Absalon, quem vnximus super nos, mortuus est in bello; vsquequò siletis & non reducitis Regem? Vbi silere proculdubio pro quiescere sumitur. Præterea Psalmo vigesimo septimo dicitur, Deus meus ne sileas à me, ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum; idest, si nihil facis in me, hoc est si non auxiliaris mihi similis ero morientibus.

III. *Clamor Moysi fuit ardens eius oratio.*

QVid clamas ad me?] Aliqui dicunt Moysen hoc in loco populi sustinere personam, quasi dicat Deus, quare populus cui præes vocibus querulosis & diffidentia plenis, clamat ad me? Et hoc dicunt, quia de populo legitur, quòd clamauerunt ad Dominum, non autem de Moyse; & clamor populi fuit dignus reprehensione, non oratio Moysis. Cæterum verior est & à sanctis patribus communi concordia receptus sensus in paraphrasi positus, Clamor enim in scripturis non solùm vocis, sed & cordis est, dicente Propheta Psalm. 118. Clamaui in toto corde, exaudi me Domine. Imo & oculorum iuxta illud Thren. 2. Neque taceat pupilla oculi tui. Clamauit igitur Moyses ardenti oratione Dominum deprecando; Verum quòd hic dicitur, Quid clamas ad me? non ita intelligendum, quasi diceret, vt quid clamas ad me? ac si diceret, vt quid clamas ad me? ac si displiceret Moysi oratio; Cum Deus etiam de his, quæ paratus est concedere orari velit à sanctis; sed intelligi debet, quasi inquirens de re, quam Moyses postulat, ac si diceret, quænam res est, qua postulas à me, vt eam perficiam? Idque non dubitando quærit, sed ad insinuandum separatum esse ad id præstandum, exauditamque Moysi esse orationem. Cui expositioni multum consonat Glossa interlinialis, quæ explicans qualis fuerit clamor iste Moysi; subiungit; Postulan te spiritu inenarrabili gemitu. De hoc enim clamore intelligitur illud Apostoli ad Galat. 4. Dedit Deus spiritum filij sui in cordibus nostris clamantem, Abba Pater. Post quæ verba addit statim idem Apostolus: Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Et etiam consonat huic clamori illud in Epistola ad Romanos capite octauo. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus.

IIII. *Respicere sumitur in bonam, & in malã partem.*

REspiciens Dominus super castra AEgyptiorum.] Locutio est scripturæ sacræ, vt respicere tunc dicatur Deus, cùm aliquod arduum & insigne facit, siue in bonam, siue in malam partem, idest, miserendo, vel puniendo: in vtroque sensu sumitur Psalm. 24. In primo quidem, quando dicitur, Respice in me & miserere mei: in secundo verò, quando post pauca subiungitur. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt. Quod etiam patet quantum ad vtramque partem in libro Iudith: nam in capite decimotertio, misericordiam implorans dixit Iudith: Respice in hac hora ad opera manuum mearum. Cæterum vindictam postulans dixerat in capite nono. Respice castra Assyriorum nunc, sicut

cut tunc castra AEgyptiorum videre dignatus es. In quibus verbis meminit insignis punitionis, quam hoc in loco exercuisse scribitur Deus contra AEgyptios. Vnde respicere videtur significere aliquid amplius quàm aspicere: vt insinuari videtur in illo Psalm. 83. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

ARGVMENTVM IN CAPVT XV.

¶ Gratias agunt Deo Israelitæ pro libertate adepta, & pro mira diuinæ potentiæ ostensione in Pharaonis & Ægyptiorum submersione, quo peracto tendit populus in desertum Sur, vbi ob defectum aquæ murmurat contra Moysen: hic autem edoctus à Deo dulces reddit aquas Marath, & admonito populo de obedientia, quam erga Deum tenebatur obseruare, perducit illum in Helim.

PARAPHRASIS IN CAPVT XV.

A. TVNC comparata de hostibus victoria, *cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc Domino*, quod ipse Moyses seruata hexametri versus mensura edidit, & canendum tradidit filijs Israel, vt Deo gratias agerent pro beneficijs susceptis & suscipiendis, seque inuicem ad laudandum Deum hortarentur, *& dixerunt: Cantemus Domino* cum honorificando corde, ore, & opere. *Gloriosè enim magnificatus est* magnum & fortem & strenuum se esse ostendens, cùm *equum & ascensorem* quemcunque de AEgypto nos persequentem *deiecit in mare*; vbi vniuersi sunt aquis suffocati: † *Fortitudo mea*, & robur sicut extitit Dominus, cuius solius virtute persequentium me hostium euasi manus, ita *& laus mea* tanquam ratio cantus, & materia à me decantanda erit semper ipse *Dominus: &* (vel quia) *factus est mihi in salutem* Saluator meus existens. *Iste* igitur est *Deus meus*, *& glorificabo eum* laudibus gloriam eius celebrando, ac honore, reuerentiaque debita ipsum prosequendo. Neque vero hic Deus meus recens est à me primum tanquam Deus electus, sed est *Deus patris mei* Abraham, *& exaltabo eum*. Altissimumque prædicabo, hymnis, & confessione quantum potero extollens. *Dominus quasi vir pugnator* se mihi exhibuit, debellans potentissimè AEgyptios, & factis ostendens, quod sit *omnipotens nomen eius*; cuius omnipotentiæ specimen dedit, dum *currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare*. *Electi principes eius*, atque vtriusque militiæ magistri, principibusque præfecti, quibus maximè confidebat Pharao, *submersi sunt*, & suffocati *in mari Rubro; abyssi* aquarum *operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis*, qui aquis iniectus subito suo pondere absque vlla ex parte lapidis resistentia subsidit in profundum. *Dextera tua*, & insignis potentia, quam ad modum bellantis fortissima manu dextera ostendisti, *Domine magnificata est*, & valdè magna declarata *in fortitudine* quam in Pharaonem exercuisti, dum eadem *dextera tua Domine percussit inimicum* potẽter illum confringens, *& in multitudine gloriæ tuæ* ac robore, quo ingentem gloriam manifestasti: *deposuisti aduersarios tuos* contra populum tuum venientes. *Misisti iram tuam*, & vltionem quasi flammam ignis, *quæ deuorauit eos sicut stipulam*; sicca enim stipula absque vlla difficultate subito à flamma vorante consumitur. *Et in spiritu* aërio, quem excitasti ad ostensionem indignationis & *furoris tui congregatæ sunt aquæ* maris & diuisæ in cumulos, vt fieret per eas populo tuo iter. B. *Stetit vnda fluens* relicta per imperium tuum naturali suæ fluxibilitatis conditione, &

† Sap. 20 d. 24. Isai. 12. a. 2. Ps. 117 c. 14.

congre-

Digitized by Google

congregatæ sunt & conglomeratæ hinc & inde aquarum *abyssi in medio mari*; vbi maximæ sunt aquarum profunditates, & ex consequenti maior inclinatio ipsarum ad fluendum. *Dixit inimicus* Pharao, existimans nos eius gladium minimè euadere potuisse: *Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur*, & satiabitur *anima mea* per consequutionem, & expletionem rei quam desidero: comprehensis autem eis, *euaginabo gladium meum*, & si necesse fuerit facili negotio *interficiet eos manus mea*. Verum tu Domine superbam illorum temeritatem, & præsumptionem mox stultam declarasti, nam *flauit spiritus tuus* aëris & venti à te excitatus; *& operuit eos mare* aquis rursum in vnum redeuntibus, ac subitò exercitus Pharaonis *submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus* maris Rubri. Quod cum animaduerto non possum non exclamare. *Quis similis tui in fortibus Domine*, siue in Dijs gentium, siue in reliquis hominibus? *Quis similis tui?* qui ita vt tu sit abundãs, & *magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?* Nemo sanè omnino est, qui vel sanctitatem tuam æquare possit vel potentiam, per quam & impijs terribilis, & iustis es laudabilis; res mirabiles operando. *Extendisti manum tuam* exercendo potentiam in vltionem hostium tuorum, *& deuorauit eos terra* aquis cooperta. *Dux fuisti in misericordia tua* dum absque vllis nostris meritis ob ineffabilem tuam pietatem ducem te præbuisti per Angelum & columnam *populo, quem* ex captiuitate AEgyptiaca *redemisti*, non pecunia, sed miraculis, & prodi-
I. gijs. *Et portasti eum*; hucusque instar matris baiulantis dilectum, tenerumque filium in vlnis suis; *in fortitudine tua*; quam multis signis ostendisti adducendo Israel *ad habitaculum sanctum tuum*, qualis est terra Chanaan, vbi in primis Patriarchis Abraham Isaac & Iacob habitasti, & in eorum semine te habitaturum promisisti. *Ascenderunt populi*, gentilium, & exurrexerunt præparantes se ad prælium contra nos, ex quo audierunt nos exiuisse ex AEgypto, versus patriam illorum: *& irati sunt* indignatione nimia, contra nos commoti: *dolores* ex vehementissimo metu concepti *obtinuerunt habitatores Philisthijm*.

Tunc quoque, quando audierunt mirabilia, quæ fecisti educendo nos de AEgypto, *conturbati sunt* partim ira, partim timore *principes Edom*, recordati fortè illorum verborum, quæ patri eorum Esau dixerat Isaac; Dominum tuum illum constitui, & fratri tuo seruies. *Robustos Moab obtinuit tremor*, & ex nimio timore membris quasi rigescentibus *obriguerunt omnes habitatores Chanaan* viribus omnibus suis ad repugnandum destituti. Quod sanè vt ipsis in posterum quoque obueniat, secundùm spem iam nobis datam, te Domine deprecamur, *Irruat super eos*: prout hucusque irruit, *formido & pauor in magnitudine brachij tui*, ostendendo nobis signis maximam potentiam tuam. *Fiant immo-* C.
biles ad resistendum nobis, *quasi lapis*, cui non conuenit quidpiam posse agere. Idque *donec pertranseat* ad terram promissam *populus tuus Domine, donec* (in quam) certè & infallibiliter *pertranseat populus tuus iste, quem* in tuum peculium ex omnibus gentibus *possedisti*. Si enim id feceris absque læsione pertransibunt filij Israel per medium hostium suorum. *Introduces eos* in terram sibi promissam, *& plantabis*, firmiter habitare faciens, altasque radices mittere, *in monte* seu loco illo montibus insignibus perspicuo *hereditatis tuæ*, quem velut hæreditatem tuam delegisti filioque tuo populo Israelitico, quasi iure hæreditario tradere decreuisti. Plantabisque eos tanquam in *firmissimo habitaculo tuo, quod* vt quasi habitationem tuam firmissimam eligeres; *operatus es Domine*. Per firmissimum autem habitaculum intelligo,
sanctuariũ tuum Dñe, ; *quod* tuo nomini & II.
cultui dicandum *firmauerunt manus tuæ*, ac sibi stabiliuit omnipotentia tua in terra Chanaan. Quæ dum considero meritò exclamare libet. *Dominus regnabit*, ac dominabitur non solum neque *in æternum*; seu consummationem seculi, sed *&*
vltra; sine fine. Regnaturum autem eum III.
sine fine; suaque potentia nos introducturum in promissam, expectatamque terram ex his satis constat, quæ iam pro nobis patrauit, facinoribus. *Ingressus est enim eques* ille insignis *Pharao cum curribus & equitibus eius*, quos multitudo equorum Pharaonis trahebat: Ingressi (inquam) sunt *in mare, & reduxit super*

Digitized by Google

eos Dominus aquas maris. Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius: ita vt per vnum & idem Israelitę saluati, AEgyptij vero perditi sint. Et quia moris erat vt etiam mulieres canerent epicedia tam voce, quàm instrumentis musicis, decuit fęminas quoque victoriam de Pharaone partam celebrare. *Sumpsit ergo Maria prophetissa* (magis quidem ex dono prophetiæ, quàm ex diuitijs commendanda) *soror Aaron*, & ex consequenti etiam Moysi, *tympanum in manu sua*, instrumentum videlicet cõstructum ex pelle extensa inter quatuor ligna; *egressæque sunt omnes mulieres* quarum ipsa ductrix & magistra erat, *post eam cum tympanis & choris* cantatricium compositis & ordinatis secundum earum multitudinem; *quibus* mulierum choris tanquam ex vna parte quod à Maria audiebant repetentibus, Maria sola tanquam ex altera parte *præcinebat dicens: Cantemus Dño, gloriosè enim magnificatus est, equum*
D. *& ascensorem deiecit in mare*; Ita vt Moyses aut solus, aut simul cum viris canticum prosequeretur: Maria verò & fęminæ responderent, seu repeterent prædictum cantici exordium. *Tulit autem Moyses* tãquam
IIII. dux populũ *Israel de mari rubro* 4 sic à Latinis vocato, quod montium, quibus cingitur, præcipuum ruborem, quem radiorum solis obiectu reciprocatum inde excipiũt, repræsentare videatur, atque insuper defluentem cum pluuia, montes eos abluente, colorem re quoque ipsa bibat, indeque rubescat, *& egressi sunt in desertum Sur* in
† Num. 33.b.8. ter Cades & Barad, vbi est pars quædam † deserti Etham. Desertum enim Etham vltra & citra mare Rubrum in longum latũque sese multum diffundit. *Ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam* prouidente Deo, vt fides tentaretur, & carnis infirmitas manifestaretur. *Et venerunt in* locum quendam illius solitudinis postea vocatum *Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quòd essent amaræ. Vnde & congruum loco nomen imposuit* tunc populus ipse Israel, vel Moyses *vocans illum Mara, idest, amaritudinem*, quod aquæ ibi existentes amaræ essent, non vtcumque, sed vehemẽtissimè & quasi ipsamet amaritudo. *Et murmurauit populus contra Moysen dicens. Quid bibemus?* Obliti sunt enim beneficentiæ diuinæ, quam per intercessionem Moysi palã fuerãt experti. *At ille clamauit ad Dominum* exemplum præbens cunctis, qui præsunt, vt proprijs non fidant viribus, nec desperent, sed omnibus in casibus recurrant ad Dominum. *Qui ostendit ei* non virgam ipsius Moysi ne existimarent Iudæi non nisi per eam virgam Moysen potuisse facere miracula; sed aliud quoddam *lignum,*
quod cum misisset in aquas † *in dulcedinem* † Iudith 5.c.15.
versæ sunt 5 non quidem naturaliter, sed & Eccl.
miraculosè. *Ibi constituit ei præcepta at*- 38.a.5.
que iudicia, 6 per hoc quod Deus aucto- V.
ritate sua approbauit, & confirmauit præ- VI.
cepta paterna, & solita iudicia, quæ populus Israel habebat per traditionem deriuata ab Abraham, Isaac, & Iacob, tum moralia, tum cæremonialia: *& ibi tentauit eum*, vt populo ipsi & posteris illorum experimento constaret, an parui vel magni penderent diuinã in præceptis atq; iudicijs auctoritatem, & an ferus ille & alioqui indomitus populus vellet, & legitimam formã Reipublicæ ferre, & ordinarijs legibus obedire. Ad quod locutus est Dominus populo Israel per Moysen *dicens. Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius; cunctum languorem, quem posui in AEgypto*, hoc est ærumnas, plagas, & vastationes, quibus AEgyptum percussi; *non inducam super te*. Aliàs autem si AEgyptiorum inobedientiam rebellando secutus fueris, eadem pęna qua illi punieris: *ego enim Dominus sanator tuus*, sum vel medicus tuus? vnde qui tanti medici præcepta seruauerit proculdubio nõ incurret ægritudinem ali-
quam † *Venerunt autem in Elim filij Israel*, † Num.
vbi opportunum satis locum ad manẽdum 33.b.9.
inuenerũt: nã *erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ: & castrametati sunt iuxta aquas*. Atq; ibi fecerũt secũdam mansionem post recessum ex mari Rubro, sextã autẽ in ordine ad egressũ ex Ægypto.

I. ## ANNOTATIONES IN CAP. XV.

Repetitio vitãda si cõmodè fieri possit.

ET portasti eum.] Ab hoc loco vsque ad illa verba, Irruat super eos, aliqui existimant Moysen loqui de futuris; vti autem verbis præteriti temporis prophetico more, quasi iam præterita forent ob certitudinem diuinæ prædestinationis. Conuenientius tamen dicitur, quod loquatur Moyses de rebus præteritis iuxta sensum in paraphrasi obseruatum: tum

Digitized by Google

tum quia aliâs necesse esset dicere, Moysen ab illis verbis, Irruat super eos, repetere quæ anteà in hoc ipso cantico dixerat, quod quando commodè fieri potest, vitandum est: tum etiã quia sufficienter verificátur vniuersa, quę hîc a[illegible]untur etiamsi intelligantur de his quę iam [illegible]eus præstiterat populo Israel: Nam ex quo tot signis & prodigijs eduxit Deus populum Israel de AEgypto dirigendo eum versus terram Chanaan, verum fuit, quòd portauit eum saltim per aliquod viæ spatium ad terram illam, & quòd immisit timorem Chananæis, & eorum amicis & vicinis.

II. *Terræ promissionis, seu Hierusalem triplex nomen.*

SAnctuariũ tuũ.] Tribus nominibus terra promissionis, seu ciuitas Hierusalẽ, vocatur in hoc loco. Primò dicitur Mõs hæreditatis Dei: tũ vocatur firmissimũ eius habitaculum, ac demum Sanctuarium eius. Electa namque fuit terra illa ad triplicem finem: nempe vt esset in habitationem, & possessionem populi Hebræi, qui erat tanquam filius & hæres Dei; & vt esset in habitaculum stabile ipsius Dei, non secundùm se ipsum, Deus enim in seipso solo habitat, sed secundùm similitudinem, prout scilicet Deus curabat, & fouebat, & protegebat locum illum, perinde vt princeps proprium habitaculum. Denique fuit ille locus præcipue in eum finem factus, vt ibi esset sanctuarium Dei; idest, præ cæteris dicatus administrando, exercendoque Dei cultui, & ita firmum esset, quasi Dei manibus paratum, & firmatum foret, vsque ad aduentum Christi.

III. *In æternum, & in seculum seculi differunt:*

IN æternum & vltra.] Dictionem vahed, quam hic vertit interpres Vltra, alibi vertere solet in seculum seculi; vt cum Psal. 9. similiter vt hic dicitur, Dominus regnabit in æternum & in seculum seculi, vbi eædem ponuntur dictiones, & dictio quidem Leholam, quæ hic vertitur in æternum, propriè significat in seculum, qua denotatur duratio præsentis seculi: pro eo autem quod vertitur in seculum seculi, dictio Hebraica vahed veram æternitatem significare docent Origenes & Iansenius in expositione huius Cantici. De qua tamen phrasi plura, & commodius dicemus inferius capite vigesimo primo, & trigesimo primo, huius libri.

IIII. *Mare Rubrum vnde dicatur.*

DE mari Rubro.] Mare istud (cuius frequens mentio fit in hoc libro, & in sequentibus) à Latinis Rubrum, ab Hebræis Suph, à Græcis Erythræum, secundùm varias nominum etymologias nuncupatur. Rubrum quippe appellatur ob rationes in paraphrasi assignatas, quas ex Vranio scriptore Punico excerpsimus. Eisque addi potest vocari etiam Rubrum istud mare, quòd per interualla, rubra ex littore arena conspiciatur; ijsque in locis Coralium quoque reperiatur. Primum horum homines per illa loca vagati referunt: posterius verò docet Plinius libro trigesimosecundo, capite secundo. Græci autem appellant Erythræum istud mare, non tam à colore, quàm à Rege Erythra Persei filio, qui in illis locis imperauit, eiusque memorabile sepulchrum inibi extabat. Nearchus enim, & Orthagoras veteres historiographi prodiderunt Tirinam insulam in eo pelago ad Austrum iacere, in qua Erithræ sepulchrum ostenditur, ingens sanè tumulus, & Syluestribus palmis constitutus; atque regem in ijs locis regnasse, & de se mari nomen reliquisse. Vocatur tandem ab Hebræis Suph, quod interpretatur scirpus, à copia papyrorum, vel caricum, vel iũcorum, quorum maximè ferax est. Hoc enim concordi sententia tradunt Hebræi, quibus consentit D. Hieronymus Numero. trigesimo tertio. Propterea verò Latinus interpres nulla habita ratione etymologiæ nominis Hebraici, seu Græci, vbicumque mare istud in scriptura nominatur, vocauit Rubrum, quod eo vocabulo istud mare, vel semper, vel plurimum ab omnibus Latinis scriptoribus appellatum, vsurpatumque fuerit; sicque Latina ipsius translatio, Latinis auribus apertior, & probabilior accideret, licet ab Hebræis aliter vocetur.

V. *Conuersio aquarũ in dulcedinem fuit miraculosa*

IN dulcedinem versæ sunt.] Aliqui existimant versionem istam ex proprietate naturali ligni in aquis proiecti accidisse, non autem miraculosè. Ad quod inducuntur primo, quia textus Hebraicus de verbo ad verbum explicatus, vbi nos legimus, qui ostendit ei lignum, sic habet, & docuit eum Dominus de ligno, hoc est, docuit eum vim & naturam ligni. Præterea quorsum Dominus Moysi certum aliquod lignum vel arborem ostendisset, nisi illud singularem ex natura sua virtutem inditam habuisset? Nam alioqui virga eius, quæ reliqua operabatur miracula, ad miraculi operationem suffecisset. Et tandem Ecclesiastici. 38. adducitur hoc factum in comprobationem eius quod Deus ex terra creauit pharmaca & remedia morborum curatiua. Nihilominus tamen contraria sententia, quam in paraphrasi secuti sumus, vero similior est: neque enim tanta copia aquæ quanta tot hominum ac iumentorum millibus necessaria erat, posset tam subitò, quantum scriptura insinuat, sed post plurium dierum spatium naturaliter dulcorari, cum natura ligni ex se sit infirma ad agendum, & natura aquæ sit vehemens ad resistendum. Pro qua sententia facit, quòd in historia scholastica ex traditione Hebræorum refertur lignum illud fuisse amarissimum: imò & mortiferum, vt maiori esset miraculo, & virtus diuina magis ostenderetur in eo, quod per tale lignum amaræ aquæ in dulcedinem versæ sunt. Et ad primum in oppositum respondetur, quòd dictio vaiorehu, quæ ponitur in Hebræo, non solum significat docere, sed etiam ostendere; Imo Chaldaica & septuaginta interpretantur illam, prout vertitur in editione vulgata: vtcumque tamen interpretetur, non debet applicari eius significatio ad naturam seu proprietatem ligni, sed ad lignum ipsum, vt sit sensus, quòd Deus ostendit vel docuit, quodnam lignum deberet mittere

Moyſes in aquas abſque eo, quòd doceret, quale fuerit lignum illud. Ad ſecundum, ex dictis in paraphraſi patet ſolutio. Ad tertium reſpondeo eccleſiaſticum eo in loco proferre iſtud exemplum, vt ex illo, quod miraculoſa virtute Deus per lignum præſtitit in deſerto, inſinuaret etiam omnia illa, quæ naturali virtute fiunt per creaturas, Deo eſſe tribuenda, qui auctor eſt creaturarum omnium: qui ſi per creaturas operari poteſt, quod ex natura non habent, multo magis per illas operari cenſendum eſt, quod ex natura habent, non niſi à Deo accepta.

VI. *Præcepta & iudicia differunt.* PRæcepta atque iudicia.] Sæpius ſcriptura ſacra coniungit præcepta & iudicia ad ſignificandum omnia, ad quæ lex obligabat, & homines illius ſtatus obſeruare tenebantur, vt hic & Leuit. 18. & 19. Ezech. 5. & 11. & alibi: cum autem legis mandata ad tria capita reduci ſoleant, nempe ad morabilia, ceremonialia & iudicialia iuxta illud Deuter. 6. Hæc ſunt præcepta & ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus veſter: dubitari merito poteſt, quidnam in prædictis locis nomine præceptorum, & quid nomine iudiciorum veniat intelligendum. Mihi certè videtur aſſerendum per præcepta intelligi, quæ ad mores pertinent, vt ex verbis Deuteronomij modo relatis conſtat: vocantur autē iſta abſolutē pręcepta, quia ex natura ſua habēt obligare, per iudicia verô intelligūtur ceremonialia & iudicialia, quia hæc non niſi ex vi diuini iudicij poſitiui habent inducere obligationem, & ſub præcepto cadere.

ARGVMENTVM IN CAPVT XVI.

¶ Veniunt Hebræi in deſertum Sin, vbi ob inopiam cibi murmurant contra Moyſen & Aaron, quibus tamen quamuis indignis benigniſsimus Deus confert coturnices & Man imponens eis præceptum, vt ſingulis diebus excepto ſabbato colligerent ſinguli ex Man quantum illis ſufficere crederent ad veſcendum eo die: feria autem ſexta duplicem tenebantur colligere portionem. Ad cuius cibi memoriam vnam illius menſuram poſuit Aaron in tabernaculo.

PARAPHRASIS IN CAPVT XVI.

A. *PRofectique ſunt de Helim, &* poſt quam ſeptima vice fixere tabernacula iuxta ſinum quempiam maris Rubri, qui eis occurrit, *venit omnis multitudo filiorum Iſrael* † *in deſertum Sin, quod eſt inter Helim & Sinai quinto decimo die menſis ſecundi poſt quam egreſſi ſunt de terra AEgypti.* Hucuſque autem comederūt de paſta quam de AEgypto ſecum attulerant, qua deficiente cæperunt eſurire. *Et murmurauit omnis congregatio filiorum Iſrael contra Moyſen & Aaron in ſolitudine.* vbi iterum prodijt ingratitudo populi in duces, & pronitas Iudæorum ad murmurandum contra prælatos, quam pronitatem non ſolum in Moyſem & Aaron, ſed & in Prophetas omnes, imo & contra Dominum prophetarum iugiter oſtenderunt Iudæi. *Dixeruntque filij Iſrael ad eos* pœnitentia ducti quod exiuiſſent ex AEgypto ad mandatum Dei. *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini*, ideſt, mortē noſtra naturali *in terra AEgypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, comedebamus panem in ſaturitate.* Non ſic modo quando nemo eſt, qui nobis quidpiam victus poſsit ſuppeditare. Quare ergo extraxiſtis nos de terra illa fertili & ſuperabundante omni ciborum genere? *Cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud?* Certe ob nullam aliam cauſam, niſi *vt occideretis omnē multitudinem fame?* Quo nihil potuit obijci fidelibus ſeruis Dei crudelius atque indignius. *Dixit autē Dñs ad Moyſen* non ſolum continendo iram, quam populus merebatur, ſed etiam effundendo eximiam miſericordiam. *Ecce ego pluam vobis panes de cælo*, ac inſtar pluuiæ dimittam vobis cibū. *Egrediatur populus & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies,* vt nullus tranſeat dies, in quo vnuſquiſque Dei circa ſe non ſentiat beneficium, atque ob id ſemper B.
quilibet habeat Dei memoriam, & etiam

† Sap. 11. a. 3.

vt

vt tentem eum & probem, experimentum capiens, quo vnicuique de populo manifestum fiat, *Vtrum ambulet in lege mea an non*. Nam ei, qui ob reseruationē cibi in diem sequentem viderit illum putrescere, manifesta erit eius infidelitas, sicut & constare poterit de sua obedientia & fide ei, qui ex cibo isto hauserit omnis saporis suauitatem. *Die autem sexto*, qui immediatè præcedit sabbatum, *parent* seu præparent, *quod inferant*, & reponant in domos suas, *& sit duplum, quàm colligere solebant per singulos dies*; vt inobedientes cum se deprehendi in crimine viderint ex putrefactione mannæ seruatæ in diē alterum, & non putrefactione eiusdem seruati in diem sabbati erubescant, & obedire discant vniuersis diuinis præceptis. *Dixeruntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israel* directè respondentes ad querulam vocem, qua eductionem de AEgypto intorserant in ipsum Moysen & Aaron, *Vespere scietis* experimento, nos minime fuisse auctores exitus vestri, sed *quòd Dominus eduxerit vos de terra AEgypti & manè videbitis gloriam Domini*, [illegible] in se ipsa, sed in effectu quem faciet Dominus, ad manifestandam gloriam & potentiam suam hominibus. *Audiuit enim* per simplicem cognitionem absque facti approbatione *murmur vestrum contra Dominum*, idest, contra se, quem & vestra querela offendistis. *Nos vero quid sumus* ad eductionem vestram de AEgypto? cum ad tot miracula in AEgypto facta ad transitum per mare Rubrum sicco vestigio cum submersione Pharaonis & exercitus eius, ad columnam nubis & ignis ducem itineris quasi nihil reputari debeamus. Quid ergo fecimus, *quia mussitastis* seu murmurastis *contra nos? Et ait Moyses. Dabit Dominus vobis vesperè carnes edere*, in quo scietis, quòd ipse eduxerit vos de AEgypto, *& manè panes in saturitate* pariter dabit: quo potentia & gloria Domini nota erit vobis. Idque hac occasione facit, *eo quod audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum* & propterea ista sua beneficentia vult vobis ipsis manifestum facere, quàm indignè & impijssimè questi fueritis contra eum, quòd eduxerit vos de AEgypto. Nec valetis excusari dicentes vos non murmurasse contra Deum, sed contra nos: *nos enim, quid sumus*, aut quā partem habemus in hac re, de qua questi estis? Vnde *nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, cuius nos legatione fungimur. *Dixit quoque Moyses ad Aaron. Dic vniuersæ congregationi filiorū Israel*, seu voca filios Israel, quasi nuntius seu præco dicens eis. *Accedite coram Domino*, & conuenite omnes in cœtum in loco castrorum vobis deputato à Domino. *Audiuit enim murmur vestrum*, ac notum illi factum est, cui proculdubio vult remediū adhibere. *Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel*, fortè reprehendens eos, & obiurgans de peccato murmurationis, vt pœnitentiam agerent de eo, tunc *respexerunt ad solitudinem*, versus quandam partem, quæ erat extra castra, *& ecce gloria Domini*, videlicet claritas quædam insolita repræsentatiua diuinæ præsentiæ, *apparuit in nube* ad terrendum & arguendum inquietos & ingratos. C.

Locutus est autem Dominus ad Moysen dicens. † *Audiui murmurationes filiorum Israel*, quatenus mihi notæ factæ sunt: quapropter, *Loquere ad eos. Vesperè comedetis carnes*, quas ego mittam vobis, *& manè saturabimini panibus, scietisq; quod ego sum Dominus Deus vester*, cuius auspicijs & opera de AEgypto exijstis. *Factū est ergo vespere*, inter occasum, scilicet, solis & solem tendentē ad occasum, *& ascendens coturnix* ex alio loco aduolās *cooperuit castra* in tāta multitudine vt facilè ad manū arripi potuerint, & parari ad gustū atq; edulia, & ollas carniū ex eis fieri. *Manè quoque ros*, quasi fumus & operimentū quoddā in modū roris sparsum *iacuit per circuitum castrorum*. *Cumque* vi sua quasi causa instrumētali Dei ros iste effectu suo *operuisset superficiem terræ*, † *apparuit in solitudine minutum & quasi pilo tusum*, scilicet, qualis est grossa farina attrita in pistillo *in similitudinē pruinæ super terram*: sicut enim pruina non sibi inuicē cohæret & tenuissima est, ita similiter se habebat materia illa, quæ ex rore in aëre existēte ad superficiē terræ descendebat. Cuius tāta erat copia, vt aceruí ex ea circa tētoria effecti fuerint. *Quod cum vidissent filij Israel dixerūt ad inuicē. Man hu?* seu Manhu interiecta litera Num Euphoniæ causa, *quod significat quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses. Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum*, ex quo tanquam ex conuenienti materia cōfici debet panis à vobis vescēdus. *Hic est sermo*, seu ritus vobis

† Eccles. 45.a.4.

D.

† Nu. 11. b.7. Ps. 77.c.24. Sap. 16. c.25. Io. 6.d.20. 1.Cor. 10. a.3.

E.

bis præscriptus, *quem præcepit Dominus*, vt seruetis circa manna. *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum* sibi illo die, videlicet vnam mensuram *Gomor per singula capita*. Gomor autem paruæ capacitatis est; viginti namque Gomor hordei facilè potest fœmina in pallio suo portare. *Iuxta numerum animarum vestrarum quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis*. Ita videlicet vt pro qualibet persona, quam pater familias habet in suo tabernaculo colligat men-

E. surram Gomor: *Feceruntque ita filij Israel*: nam exierunt ad colligendum manna, *& collegerunt alius plus, alius minus*, & nihilominus cibi ab vno quoque collecti ad vnam certam quantitatem æqualem diuinitus reducebantur: nam *mensi sunt ad mensuram Gomor*. Vnde quamuis exeuntes Iudæi extra castra ad colligendum manna, Vnus colligeret plus quam Gomor, alius verò minus quàm ad mensuram Gomor: delatis tamen cibis ad tabernacula, † *Nec qui plus collegerat habuit amplius, & nec qui minus parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt*, scilicet ad mensuram Gomor.

† 2. Cor. 10. b. 15. de cons. d. 2. c. vbi pars.

Dixitque Moyses ad eos. Nullus relinquat ex eo in mane, nec sollicitus sit de crastino, existimans sibi die altero defuturum necessarium alimentum. *Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane* transgredientes legem sibi impositam, *& scatere cæpit vermibus, atque computruit*, in signum pœnæ condignæ inobedientiæ, ac minimę fidei illorum † *& iratus est contra eos Moyses* reprehendens & corripiens eos acriter.

† De cons. d. 4. ca. necquenquam.

Colligebant autem mane singuli quantum sufficere poterat ad vescendum scilicet ad mensuram Gomor. *Cumque incaluisset sol liquefiebat*, non quod collectum inferebant in domos filij Israel, sed quod in humo vbi formatum erat remanebat. Grana enim illa in loco in quo ceciderant, obnoxia erant liquefactioni: segregata autem durescebant adeò, vt non essent amplius liquescentis naturæ; Imo sustinere poterant tum calorem ignis, tum molam & pilum. *In die autem sexta*, quæ erat parasceue sabbati, *collegerunt cibos duplices, idest, duo Gomor per singulos homines*. Idque præter ipsorum intentionem, existmantes enim se solitam mensuram colligere, inuenerunt postea illam duplicatam. *Venerunt autem omnes principes multitudinis & narrauerunt Moysi*, quod sibi contigerat, consuluerunt que illum quid facto opus esset. *Qui ait eis, Hoc est, quod locutus est Dominus. Requies* & cessatio ab vniuerso opere corporali, quam obseruare debetis in die *sabbati sanctificata* & dedicata seu cōsecrata *est Domino*: huiusmodi autem requies vobis futura est *cras*: crastina enim erit dies sabbati. *Quodcumque igitur operandum est, facite* hodie non expectantes diem crastinum, *& quæ coquenda sunt, coquite*. Et ex duplici annona, quam hodie collegistis comedite, quod vobis bene visum fuerit. *Quidquid autem reliquum fuerit reponite vsque in mane*: Sabatū enim est, in quo non licebit vobis operari nec coquere, sed vero Dei cultui vacare, audiendo verbum Domini, contemplando Dei opera, consolando verbis & exhortatione proximum, de beneficijs gratias agendo, & demum pro se & pro populo iugiter orando. *Feceruntque* [illegible] *vt præceperat Moyses*, reponentes quod sibi residuum erat vsque mane, *& non computruit neque vermis inuentus est in eo*, sicut faciebat reseruatum alijs diebus. *Dixitque Moyses* mane illius primi sabbati, in quo comperta fuit integritas seruati Man: *Comedite illud hodie*, non enim aliud nouum comedere poteritis, *quia sabbatum est Domini*, cuius cultui toto pectore vacandum est, relicta quantum fieri possit carnis cura ac proinde *non inuenietur hodie in agro* ne colligentes distrahamini. *Sex diebus colligite, in die autem septimo sabbatum est Domini: idcirco non inuenietur*. Nihilominus toties admonitus populus Israel in officio cōtineri nō potuit: nā prohibiti colligere māna in sabbato: quidā tamē illorū ipso die profecti sunt. *Venitque septima dies, & egressi de populo vt colligerent nō inuenerunt*, sed reatum inobedientiæ incurrerunt, & hoc solum fuit quod repererunt. *Dixit autem Dominus ad Moysen* increpans incredulos & inobedientes. *Vsquequo non vultis custodire mandata mea & legem meam*, quam tuli tum de obseruatione sabbati, tum etiam de non colligendo māna certis diebus? *Videte quod Dominus*, qui tot plagis afflixit inobedientes sibi AEgyptios, *dederit vobis sabbatum* instituens eius obseruantiam in po-

Digitized by Google

in populi beneficium vt recollectiores sitis ad legis diuinæ contemplationem, *&* *propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices* pro alimento duorum dierum, ne distrahamini in sabbato colligentes cibos.
III. *Maneat vnusquisque apud semetipsum* in recollectione mentali, 3 & *nullus egrediatur de loco suo die septimo* notabiliter, seu per longum itineris spatium, nempe vltra vnius milliarij distantiam. *Et sabbatizauit populus die septimo* seu requieuit; sabbatum enim vacationem sonat. *Appellauitque domus Israel nomen eius* alimenti, quòd Dominus illis præparauerat, *Man*, interrogationis enim nota versa est in nomẽ eius, de quo interrogabatur adiuncta tamẽ vna litera tanquam syllabica adiectione. *Quod erat quasi semen Coriandri* secundùm quantitatem & figuram, non tamen secundum colorem, erat enim *album*, *gustusque eius quasi simila*, seu placentæ ex flore farinæ confectæ, *cum melle*: habebat enim suauissimum saporem, quo dominus ostendebat dulcedinem suam in filios suos, vt vniuscuiusque voluntati, palatoque deseruiret. Intelligendum autẽ hoc de pijs, impijs enim leuissimus habebatur & insipidus. *Dixit autem Moyses* non statim postquam prædicta contigerunt, sed postquam perfectũ est tabernaculum cum arca Domini. *Iste est sermo quem præcepit Dominus*, *Imple Gomor*
G.
IIII. *ex eo* 4 videlicet manna, *&* *custodiatur in futuras retro generationes*, vt sit in monumentum & testimonium posteris vestris, ac nouerint *panem*, *quo alui vos in solitudine*, *quando eduxi eos de terra Aegypti*: & scientes gratias referant pro suscepto beneficio. *Dixitque Moyses ad Aaron* circa finem vitę vtriusque, & prope diem quo cessare debebat de pluitio mãnæ, paratoq; iam dudum tabernaculo fęderis & arca testamenti: *Sume vas vnum*, *&* *mitte ibi Mã*, *quantum potest capere Gomor*, *&* *repone* nõ intra arcam, sed *coram Domino* nempe corã arca seu propitiatorio, vbi Deus esse existimatur, idque *adseruandum in generationes vestras*, quod fieri oportet, *sicut præcepit Dominus* mihi seruo suo *Moysi*. *Posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum*; 5 in interiori videlicet illius parte, V.
quæ dicitur sancta sanctorum coram arca: vbi permansit vsque ad captiuitatem Babylonicam. † *Filij autem Israel comederunt* †Neh. 9 d. 13. Iudith. 5. c. 15.
Man, *quadraginta annis*, *donec venirent in terrã habitabilem*: non quòd continuò, vt venerunt ad terram habitabilem, destiterint vesci manna, sed quia non ante. *Hoc cibo aliti sunt*, *vsque quo tangerent fines terræ Chanaan*. Traiecto enim Iordane Man cessauit, † vbi panes terræ manducauerũt. †Iosu. 5 d. 12.
Quando autem ingressi sunt habitabilem terram, antequam Iordanem transirent, vel tantum Man vesci vel vtroque cibo potuerunt. Quia tamen sępius facta est mentio mensuræ Gomor, oportet aliqualiter explicare quantitatem illius. *Gomor autem decima pars est Ephi*. 6 Ephi verò mensura VI.
est trium modiorum.

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

I. *Ex manna fiebat panis.*
ISTE est panis.] Ea ratione manna vocatur panis quia erat materia proxima ex qua confici poterat panis: quemadmodum si dicatur de tritico, quod est panis, quia est materia ex qua fit panis: vt enim explicatur Numer. cap. 11. ex illis granis mola confractis conficiebatur panis tam assus quàm elixus; sicut etiam ex frumento fit panis vtroque modo coctus.

II. *Cuique præbet Deus necessaria.*
NEc qui plus collegerat habuit amplius.] Hoc miraculo testatus est Deus suam cuique sufficientem mensuram victus à Dño paratam esse, etiã ex laboribus suis minime consequi posse videatur. Etsi enim alij magnas opes possideat, alij paupertate laborẽt, tamen quod ad fructum panis quotidiani attinet, non minus consequitur pauper e suo pane, quàm diues è suo.

III. *Quatuor erãt propria sabbati celebritati.*
QVAE coquenda sunt coquite.] Ex quatuor, quæ festo sabbati erant singularia, duorum meminit Moyses in isto capite. Primum est non solum ab omni opere seruili vacandum tunc esse, iuxta Domini præceptum infra capite vigesimo, quod alijs festis commune erat, sed etiam (quod sabbato proprium fuit) abstinendum à cibis coquendis, & condiendis, vt hoc in loco præcipitur adeo vt nec ignem accendere liceret, vt constat infra capite trigesimoquinto, hæc enim pridie sabbati fiebant, idcirco hic dies dicebatur parasceues, quasi præparatorius, ad cuius vesperam incipiebat sabbati festum, quando iam omnia parata esse oportebat. Secundùm est non licuisse iter facere sabbato, vt in hoc ipso capite præcipitur. Ad quod alludens Dominus Matth. 24. dicebat Iudæis, orate ne fuga vestra fiat hyeme aut sabbato. Hoc verò præceptum non faciendi iter, teste Origene libro secundo de princip. cap. 4. Iudæi nõ nulli superstitiosè, & ridiculè obseruabant, cum tamen non ita strictè esset prohibitum, quin liceret breue quoddam spatium extra vrbes peragere: quod ex Act. 1. deducimus, vbi montem Oliueti à Hierusalem distare

Digitized by Google

ſtare habemus iter ſabbati, id eſt, quantum die ſabbati conficere licebat; hoc autem ſpatium vnius erat milliarij Italici. Hinc eſt vt conſtat ex Ioſue. 3. Arcam Domini anteceſsiſſe totum populum per duo millia cubitorum, quæ vnius milliarij ſpatium conficiunt. Quod factum Origenes dicit, refertque OEcumenius Act. 1. vt quando ſabbato quieſcendum eſſet, poſſent Iudæi ex ſuis tabernaculis orandi cauſa in tabernaculum Arcæ venire. Alia duo quæ propria etiam erant ſabbati, in alijs ſcripturæ locis referuntur. Tertium videlicet, quod eſt, vt iuge ſacrificium, quod in ſingulis diebus offerebatur, ſabbato duplum fieret; cuius rei meminit Moyſes Numero. vigeſimooctauo. Præceperat enim Deus in capite vigeſimonono huius libri, & Numero. vigeſimooctauo, ſingulis diebus duos agnos in holocauſtum offerri, vnum mane, alterum veſpere: ob idque iuge ſacrificium appellatum eſt. Iſtud igitur ſacrificium, vti diximus, ſabbato geminabatur. Quartum denique eſt, vt panes propoſitionis, quos perpetuò Deus ante arcam Domini ſuper menſam aſſeruari iubebat infra capite vigeſimoquinto, ſabbato mutarentur, recenteſque collocarentur; vt legimus Leuit. 24.

IIII. *Anticipatione vtitur ſcriptura.*

IMple Gomor ex eo.] Quæ ab his verbis referũtur à Moyſe vſque ad finẽ capitis, non contigerunt ſtatim poſt præcedentia, ſed poſt quadraginta ferè annos ab illis, conſtructo iam dudum tabernaculo, vbi reponi præcipitur manna. Nihilominus vt vniuerſa, quæ præcepta ſunt à Domino circa manna, ſimul habeantur in ſcriptura, more ſuo Moyſes narrat per anticipationem reſeruationem mannæ in tabernaculo Domini, quæ poſtea facta eſt.

IN tabernaculo reſeruandum.] De loco, vbi fuit appoſita vrna aurea habens manna, An ſcilicet in arca vel extra arcam extiterit, hoc ipſum aſſerendum eſt, quod inferius Numer. decimoſeptimo, dicemus de loco, vbi virga Aaron fuit reſeruata. V.

VI. *Gomor qualis menſura ſit.*

GOmor autẽ decima pars eſt Ephi.] Hinc conſtat menſuram Gomor paruæ fuiſſe quantitatis. Ephus, enim cuius decima pars eſt Gomor, tribus conſtat modijs, vt dicitur in capite ſecundo libri Ruth: Cum igitur in capite tertio, eiuſdem libri Ruth habeatur Ruth Moabitidem in pallio ſuo portaſſe ſex modios hordei, qui faciunt viginti menſuras Gomor, nequaquam credendum eſt menſuram eiuſmodi fuiſſe magnæ capacitatis. Quãtæ autem fuerit in particulari, neutiquam poteſt explicari ob menſurarum rationem mirum in modum immutatam. Probabile tamen eſt quod refert Ribera ſuper Oſeæ capite tertio num. 12. Modium eſſe quartam eius menſuræ partem quæ Hiſpanè dicitur Hanega. Quod ſi ita eſt ſequitur per regulam numerationis partium quod ex quadraginta partibus vnius fanecæ Hiſpanicæ tres illarum conſtituant Gomor.

ARGVMENTVM IN CAPVT XVII.

¶ Caſtrametati Iſraelitæ in Raphidim iurgantur contra Moyſen pro aquæ penuria quibus ob clamorem Moyſis ad Dominum, non ſolum educitur aqua de petra ad bibendum, ſed etiam conceditur victoria contra Amalechitas: imo & totale Amalechitarum excidium ſuo tempore peragendum. In cuius rei gratiam erigitur altare à Moyſe.

PARAPHRASIS IN CAPVT XVII.

A. IGitur profecta omnis multitudo filiorũ Iſrael de deſerto Sin per manſiones ſuas in quib' nihil memorabile geſtum eſt, *iuxta ſermonem Domini* ſeu præceptum datum populo per motum vel quietem columnæ nubis & ignis, *caſtrametati ſunt in Raphidim* propè montem Horeb, & intra eandem eremum Sin, *vbi non erat aqua ad bibendum populo.* † *Qui iurgatus contra Moyſen ait. Da nobis aquam, vt bibamus.* Quanto enim plura beneficia capiũt inertes, tanto magis murmurant ingrati, *Quibus reſpondit Moyſes. Quid iurgamini contra me?* cur non contenti peccato iurgij, adhuc quod peius eſt *tentatis Dominum* experiri volentes ipſius potentiam & clementiam, ſi potum quoque ſuppeditare poſsit in eremo ſicut panem & carnes: *Siti uit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Moyſen dicens. Cur* tam temerè & præſumptuoſè non præuidens mala, quæ continuo accidunt nobis in deſerto *feciſti nos exire de Ægypto,* non aliter quàm ſi animo gereres,

† *Nu. 20 a. 4.*

I.

vt occideres nos & liberos nostros ac iumenta siti? Si enim Deus eduxisset nos de AEgypto, & nobiscum præsto adesset, qui fieret vt tot obijceremur aduersis, cur toties siti affligeremur? Quare non credimus nec Deum nos ex AEgypto eduxisse nec præsto adesse, nisi manifestè sese nobis reuelet, & palam vel miraculo aliquo præsentiam suam declaret, & aquam nobis
B. dederit. *Clamauit autem Moyses ad Dominum* non simplici oratione, sed adhibito cordis clamore ex toto animo orauit *dicens: Quid faciam populo huic,* vt necessitati illius ac siti succurrere valeam? alio-
II. quin *adhuc paululum, & lapidabit me;* quapropter ad tua Domine tanquam ad solita recurro confugia. *Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populum* transiens per medium illius tanquam dux; neque enim timere debes quòd lapidabūt te, *& sume tecum de senioribus Israel,* sine quorum consensu & fauore nihil prælatus tentare debet, si modo velit cum fructu proficere, & perficere fœliciter cœpta: *& virgam qua* per manum Aaron cæpisti facere signa in
† Sup. 14 c. 20. Ps. 77. b. 15 1. Cor. 10 a. [illegible] AEgypto, & † *percussisti fluuium* Nili vertens eum in sanguinem *tolle in manu tua, & vade* versus montem Horeb ad solitudinem, quæ adiacet ipsi monti, ex quo vocatur etiam solitudo Horeb. † *En ego stabo* per columnam nubis mei repræsentatiuam *ibi coram te, supra petram Horeb,* ne
† De cõs. d. 2. c. re nera, & c. in calice. gratia tanti beneficij homini & non Deo transcribatur: *percutiesque petram & exibit ex ea aqua vt bibat populus;* nam fluet ex illa rupe vsque in Raphidim. *Fecit Moyses ita coram senioribus Israel,* non autem coram omni populo, sicut quando aliud simile miraculum fecit postea coram omni multitudine in Cades ad aquas contradictionis. *Et vocauit nomen illius Tentatio* seu iurgium; id enim significant nomina Hebraica, quæ Moyses ei loco imposuit vocans illum Massa & Meriba, *propter iurgium filiorum Israel* contra mitissimum Ducem suum Moysen, *& quia tentauerunt Dominum dicentes, Est ne Domi-*
C. *nus in nobis an non?* Cuius grauissimæ impietatis debuit semper memoria vigere in Israele, tum vt diuina bonitas magis reluceret in illo populo; tum etiam
† Iudith 4. d. 12. Sap. 21. a. 3. Deute. 25. d. 17. vt ipsi humiliores fierent. † *Venit autem Amalec* gens quædam in deserto ad meridiem Iudææ trans vrbem Petram euntibus Ailam habitans, & videns Israelitas ex itinere defatigatos, fame & labore confectos, ac bellandi insuetos inuasit quanta potuit crudelitate extremos agminis Israelitici; *& pugnabat contra Israel in Raphidim,* qui nondum quidquam tale expertus fuerat. *Dixitque Moyses ad Iosue* de tribu Ephraim, qui postea introduxit populum in terram promissionis. *Elige viros: & egressus pugna contra Amalec,* non statim, vt plus diei habeas ad vindicandū nos de eis: *cras ego stabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea,* vt deprecer pro te & pro populo: armis enim spiritualibus & corporalibus oportet hostes aggredi & populi incolumitati cōsulere. *Fecit Iosue vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalec* iniens pugnam statim à primo diluculo. *Moyses autem & Aaron & Hur* maritus Mariæ sororis Moysi *ascenderunt super verticem collis:* Multorum enim oratio feruentior fit
& exaudibilior. † *Cumque leuaret Moyses manus;* quarum eleuatio signum ex- † 36. di. c. fin.
ternum erat intentissimæ orationis, qua III.
magna animi contentione à Domino victoriam postulabat: tunc igitur quando sic Moyses orabat *vincebat Israel: sin autem paululum remisisset,* remissionem suæ orationis adumbrans, *superabat Amalec:* vt dum diuersa populis exhiberentur officia, orationis nobis potentia monstraretur. *Manus autem Moysi erant graues,* idest sua sponte demittebantur, quia caro per se debilis & infirma est, nisi adsit vigor spiritus: *sumentes igitur lapidem* Aaron & Hur *posuerunt subter eum, in quo sedit* neque enim sola manuum grauitas, sed & totius corporis pondus affligebat Moysen. *Aaron autem & Hur sustentabant*
manus eius ex vtraque parte. Et fa- D.
ctum est, vt permotus Moyses pietate, quam Aaron & Hur exercebant in ipsum, & propter requiem quam illi præstabant sustentando imbecillitatem manuum suarum incitaretur ipse Moyses ad feruentissimè orandum pro populo, ac perinde signa huius intensissimæ deprecationis, scilicet, *manus illius non lassarentur vsque ad occasum solis,* nempe quandiu bellum durauit. *Fugauitque Iosue Amalec & populum eius.* Quanto enim purior frequentiorque fuit pro eo celebrata oratio, tantò celerior fuit de inimico vindicta consecuta. Idque *in ore gladij*

Digitized by Google

IIII. *gladij*, 4 neminem reseruando, sed omnes potius morti destinando. *Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro*; vt res hæc moneat Israelitarum mentem ad diuinam opem debitis medijs perquirendam, intercedente videlicet assidua supplicatione, & cooperante quantum in se est populo; *& trade auribus Iosue* nempe quòd te leuante manus in oratione populus Dei vicerit. Nam hoc Iosue non vidit, qui contra hostem interim pugnabat; quia tam potens est modus iste præliandi, vt ipsius causa acrem vindictam exercere statuerim in Amalecitas: *delebo enim memoriam Amalec sub cælo*, & demoliar vniuersa eius, propterea quod restitit tibi in via. *Ædificauitque Moyses altare*, in quo obtulit sacrificium Deo pro gratiarum actione ob victoriam contra Amalec, *& vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea*. Nomen enim altari inditum fuit, Altare dicatum Domino exaltanti me populum suum, in eo quòd Amalec depressit. Cuius denominationis rationem explicuit, *dicens, Quia manus* & potestas immensa *solij Domini*, qui solus est verus Dominus, *& bellum Dei* indictum & præceptum Hebræis, vt illud exerceant, statim vt possint, *erit contra Amalec à generatione in generationem*, hoc est quandiu duret generatio ipsius Amalec. Vnde altare in memoriam tanti beneficij erectum, iure optimo potuit sortiri nomen ab exaltatione, qua Dominus exaltauit populum suum contra Amalec volentem eum deprimere.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

I. *Aqua Raphidim & Cadesdiuersa.*

DA NOBIS AQVAM.] Aduerte aquam hanc, de qua hic est sermo non esse illam cuius scriptura meminit Numer. 20. quæ contradictionis vocatur. In qua duces populi nempe Moyses & Aaron Domino peccauerunt. Quoniam hæc fuit in Raphidim vndecima mansione: illa verò in Cades mansione trigesima tertia in deserto Sin. Ista antequam populus perueniret ad montem Sinai: illa post perfectum tabernaculum, vt constat ex Numerorum capite citato.

II. *Adhuc, idest, post.*

ADHVC paululum.] Aduerbium adhuc, cum de tempore sermo est in sacris literis significat idem quod post, vt hic, & Ionæ capite tertio. Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur; idest, post quadraginta dies. Et Oseæ capite primo. Quoniam adhuc modicum & visitabo sanguinem Iezrael.

III. *Insurgere cōtra Israelitas cur permiserit Deus Amalecitis.*

ET pugnabat contra Israel.] Dubitari merito potest, cur Deus nolens Israelitas ducere per viam terræ Philisthijm, ne viderent aduersum se bella consurgere, exindeque in Ægyptum reuerterentur: vt dicitur supra capite decimo tertio permiserit hoc in loco, vt Amalec pugnaret contra Israel. Breuiter tamen respondetur longè diuersam fuisse vtrobique rationem: cum Amalec enim non pugnarunt Hebræi statim post exitum ex Ægypto, sed transactis iam quadraginta circiter diebus, vt ex præcedentibus & subsequentibus constat: at si Hebræi iuissent per viam Philisthijm, statim fuisset eis dimicandum cum Philisthæis, ad hæc, quo tempore dimicarunt cum Amalecitis, iam fuerant in diuini adiutorij fiducia, alijs victorijs ac miraculis in via confirmati: viderant enim cædem Ægyptiorum in mari Rubro, vnde didicerant non formidare hostes: viderant aquas amarissimas, coniectu, tactuque ligni, factas dulces, atque potabiles: acceperant cęlitus manna, & percussa petra, largissimus atque potabilis fons extiterat. Quid, quod etiamsi tunc in Ægyptū reuerti voluissent, haud quaquam potuissent: pertranseundum enim necessariò eis fuisset mare Rubrum, nec alia regrediendi dabatur via; ad transeundum verò mare nulla eis suppetebant nauigia. Postremo Philisthæi multò potentiores, & bellicosiores erant Amalecitis: oportebat autem Hebræos non primo objicere dimicationibus fortissimorum: sed prius eos paulatim condocefacere res arduas & laboriosas perferre, & leuioribus prælijs exerceri, quale fuit prælium Amalec: futurus enim miles primum exercet se in ludicris pugnis, & quasi simulacris præliorum, vt paratior ad militiam accedat: id quod dicemus designare Moysem, dum in Cantico Deuteronom. 32. ait Deum similiter fecisse cum populo Hebræo, atque solet facere aquila cum pullis suis. Vide ibi.

IIII. *Victoria Iosue tribuitur orationi Moysi.*

CVmque leuaret Moyses manus.] Sicut solent signa (auctore Diuo Augustino libro secundo ad Simplicianum quæst. 3.) rerum earum nominibus appellari, quarum sunt signa. Ita similiter eisdem signis solent imputari in sacris literis effectus, qui propriè non ipsis signis seu imaginibus, sed rebus significatis cōueniunt. Vnde eleuationi manuum Moysi imputatur hoc in loco victoria Israelitarū cōtra Amalec, nō quod ipsa eleuatio manuū externa extiterit causa eiusmodi victoriæ, sed quia

eleuatio

eleuatio mentis Moysi in Deum cuius signum erat motus exterior manuum, effecit, vt Iosue superaret Amalec. Non secus atque superius capite nono, huius libri cessatio tonitruorum & grandinis tribuitur extensioni manuum Moysi ad Dominum; id est, orationi & eleuationi mentis eius ad Deum.

V. *Percutere in ore gladij, id est, nemini parcere.*

IN ORE GLADII.] Percutere in ore gladij duo significare potest: alterum est, vt loquatur Scriptura iuxta morem bellicum, vbi omnis deletio dicitur esse facta per gladium, quomodocumque fiat, etiam si adsint alia genera armorum. Quod Hispanicè dicitur, Passar a cuchillo. Et hic sensus fundatur in eo, quòd acies gladij solet interdum vocari os. Alterum significatum est vt idem sit percutere in ore gladij quod omnes occidere, & nemini parcere; ac si percuterentur omnes quotquot gladius percutere vellet: quod Hispanicè dicitur, à pedir de boca. Sensum priorem amplectitur Oleaster in Hebraismis. Nobis tamen posterior magis arridet: cui consonat quod idem est occidere in ore gladij, quod interficere vsque ad internecionem: vt constat Numer. 21. capit. Si autem os significaret aciem gladij, vt vult Oleaster, licet vnus tantum cæsus esset dici posset perijsse in ore gladij: quod alienum est à phrasi scripturæ: quæ dumtaxat vtitur phrasi ista, seu modo loquendi quando talis occisio facta est, vt nemo ab intern[illegible]ne euaserit: vt optimis rationibus & [illegible]ctoritatibus in medium propositis probat Pater Franciscus Ribera in eruditissimis commentarijs super Oseam capite decimo numero trigesimo octauo.

ARGVMENTVM IN CAPVT XVIII.

¶ Iethro socer Moysi vxorem cum filijs illi reducit: & postquam holocausta & hostias pro gratiarum actione obtulit Deo, consilium præbuit Moysi super constituendis magistratibus, sibique ipsi causis præcipuis reseruandis: quod quidem consilium dux populi Dei quamuis sapientissimus nequaquam dedignatus est libenter acceptare, illudque opere complere.

PARAPHRASIS IN CAPVT XVIII.

A. C*VMQVE audisset Iethro sacerdos* & potens seu princeps terræ *Madian cognatus*, quia socer *Moysi*, *omnia, quæ* tot patratis miraculis *Deus fecerat Moysi & Israeli populo suo*, & mirabilia quę in gratiā Moysi & populi sui Israelis in AEgypto operatus fuerat, *& quod eduxisset Dominus Israel de AEgypto*, venit ad glorificandum Deum, & congratulandum genero suo, & toti populo Israelitarum de grauissima seruitute liberato, & *tulit Sephoram vxorem Moysi, quam remiserat* Moyses de AEgypto in Domum patris sui, quò ipse liberior & expeditior remaneret ad tractandum negotium egressus filiorum Israel de AEgypto. Tulit quoque Iethro vna cum vxore Moysi *& duos filios eius, quorum vnus vocabatur Gersam dicente*

† Nu. 21 c. 4.

patre quando natus est sibi: † *Aduena fui in terra aliena; alter verò Eliezer: Deus enim nit patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis.* Quorum filiorum natiuitas & ratio ob quam prædicta nomina fuerunt illis imposita iam supra descripta est in capitulo secundo huius libri. *Venit ergo Iethro* vocatus alio nomine Raguel, *cognatus Moysi & filij eius*, nempe Moysi, *& vxor eius ad Moysen in desertum*, quod est vicinum terræ Madian: ad illum locum, *vbi erat castrametatus iuxta montem Dei*, videlicet vel in Horeb, vel in Raphidim, quæ non multum distat à monte Dei Horeb, in quo apparuit Dominus Moysi quando pascebat oues soceri sui. *Et mandauit Moysi* cùm vicinus esset castris per nuntium, *dicens. Ego Iethro cognatus tuus venio ad te & vxor tua & duo filij tui cum ea.* Non enim de improuiso, ac subito prudēs hospes

pes voluit obruere virum arduis negotijs ex officio occupatum, sed ciuiliter ad uentum suum indicare prius fecit Moysi. *Qui egressus in occursum cognati sui, adorauit*, idest, incuruando se pro more gentis veneratus est socerum, *&* *osculatus est eum* in signum charitatis & amicitiæ excipiens alacriter gratum hospitem: *salutaueruntque se mutuo verbis pacificis*. Alter siquidem alterum

B. interrogat, si salua essent omnia & integra bene[illegible] mutuum precati sunt & peramice. *Cumque intrasset tabernaculum* seu tentorium, in quo habitabat Moyses, *narrauit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dñs Pharaoni & AEgyptijs propter Israel, vniuersumque laborem, qui accidisset eis in itinere, & quod liberauerat eos Dominus*, exemplum præbens seruis Dei qualiter etiam inter amicabilia colloquia de rebus sacrosanctis & non friuolis, sed ad honorem Dei spectantibus vti debeant, redimendo tempus. *Lætatusque est Iethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli eo quod eruisset eum de manu AEgyptiorum*. Et conuersus ad veri Dei cognitionem & cultum, qui antea Idolorum sacerdos extiterat, congratulansque omni populo Israelitico de beneficijs à Deo perceptis, *ait. Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu AEgyptiorum, & de manu Pharaonis* volentium vos seruitute perpetua retinere: & *qui eruit populum suum de manu AEgypti* venientis contra vos in curribus & equitibus: *Nunc cognoui*: in graui & dura manu, qua tractauit AEgyptios eos tam multipliciter opprimendo, tum in AEgypto, tum etiam in mari Rubro, *quia magnus Dominus super omnes Deos*: ita vt nemo, qui ab hominibus Deus cognominatur cũ Domino comparari valeat, siue in potentia siue in Iustitia: *eo quod* AEgyptij quos Dominus tam grauiter afflixit

† *Sup. 1. b. 4. & 10. c. 16. & 14. b. 8.* & mirificè puniuit † *superbe egerint contra illos* scilicet filios Israel. Cæteri enim dij, vel malis hominibus gaudent, vel eos prout oporteret punire non valent: Dominus autem dignè tractauit

C. superbissimos AEgyptios, qui Israelitas tam duriter oppresserant sine omni humanitate & charitate. *Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta & hostias Deo* ob beneficia exhibita Israeli, fungens officio sacerdotis, quod sibi permitti poterat in populo Israel ante vnctionem Aaron in sacerdotem, & antè constitutionem tabernaculi & arcæ Domini, quamuis non postea. † *Veneruntque Aaron*, non vt sacrificaret, sed vt conuiua, *& omnes seniores Israel*, vt participes fierent oblationum Iethro approbantes eius sacrificium, † *De penit. d. 1. c. venit.*

I. *vt comederent panem cum eo coram Deo*, nempe in honorem Dei de sacrificijs & hostijs à Iethro oblatis manducantes iuxta morem tam Iudæorum, quàm gentilium. *Altera autem die* immediatè sequenti postquam venit Iethro, *sedit Moyses* pro tribunali auditurus causas singulorum, *vt iudicaret populum* reddendo ius vnicuique, qui illud postularet de populo Israel, *qui assistebat Moysi* (*Num. 6.*) *à mane vsque ad vesperam*, absque eo quod Moyses aliquid emolumenti è ducatu suo perciperet. *Quod cum vidisset cognatus eius omnia, scilicet quæ agebat in populo*, idest in gratiam populi, volens leuare onus Moysi, *ait, Quid est quod facis in plebe* nimio labore illam vexando? *Cur solus sedes & omnis populus præstolatur* te expectans, vt illis ius reddas, *de mane vsque ad vesperam?* Noluit enim reprehendere generum suum causa nondum explorata, sed prius inquirit facti rationem, vt postea si necesse fuerit reprehendat. *Cui respondit Moyses, Venit ad me populus quærens sententiam Dei*, quam Deus iudex integerrimus per me seruum suum illis manifestat. *Cumque acciderit eis aliqua disceptatio veniunt ad me vt iudicem inter eos*, & lites componam, non iuxta meos affectus, sed secundùm dictamen spiritus diuini in corde meo, & vt hac ratione *ostendam præcepta Dei* quæ lumine rectæ rationis impressit intellectibus hominum benè affectis, *& leges eius*, quas per traditionem accepimus à patribus nostris. *At ille non*

II. *bonam inquit rem facis*, cum meliorem efficere queas, & debeas; Imo *stulto labore consumeris & tu & populus iste, qui tecum est*. Quo fiet vt nimia lassitudine succumbas tam tu, quàm populus. Nam *vltra vires tuas est negotium*, † *solus illud non poteris sustinere*. († *Deut. 1. b. 12.*) Sed quia parum est aliena errata etiam opportunè reprehendere nisi sanis

sanis quoque cõsilijs illis subueniatur, *audi verba mea atque consilia, & erit Deus tecum*, vtpote cui placent consilia suauis ordinis secundùm rectam rationem. D. † *Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent* exhibens te tanquam medius orator & interpres inter Deum & populum non solum *vt referas quæ* ex parte populi *dicuntur ad eum* nempe Dominum, de quibus consultare debes Deum, & inquirere quid nam ipse summus iudex decernat: sed etiam vt referas ea, quæ ex parte Dei dicũtur ad plebem, *ostendasque populo* quæ ei scire oportet non solum quantum ad *ceremonias & ritum colendi*, in quo consistit substantia statutorum & legum, quæ à Deo perscribuntur, sed & quantum ad modum *viamque per quam ingredi debeant*, docens eũ qualiter progredi & se gerere teneantur circa modum adimplendi legis statuta; *& opus quod facere debeant* exterius; vt omnino instruatur populus tam in operibus interioribus animæ, quàm in externis corporis. In his vero quæ ad ius dicendum populo spectant, assumere tibi oportet consortium aliorum. *Prouide autẽ de omni plebe viros*, non mulieres quoniam regimen mulierum pessimum est, *potentes* ingenio & prudentia, *& timentes Deum*: oportet enim ius dicentem alijs rationem habere superioris iudicis intuentis cor & singulas conditiones iudicantis, atque iudicij, vt sic iudicet alios tanquam certus, quod redditurus est rationem Deo de suis iudicijs & ratione iudicãdi, & quòd timeat puniri à Deo. Si enim solus timor humanus in animo regnet iudicis innumerabiles iniurias faciet. *In quibus sit veritas* seu iustitia, hoc est, constans quædam & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi, *& qui oderint auaritiam*, nec cupiant congregare opes, augere rem, ad fastum contendere & luxum, propter quæ desiderantur diuitiæ. Cupiditas enim si iudici oculos perstrinxerit rectum nihil geritur. *Et constitue ex eis tribunos & centuriones & quinquagenarios & decanos*; tales enim oportet esse principes populi, *qui iudicent populum omni tempore*, id est, sine intermissione aliqua culpabili, & absque dilatione litium & negotiorũ. *Quidquid autem maius fuerit* tum difficultate & obscuritate negotij, tum grauitate rei de qua agitur, *referant ad te* iudices inferiores; *& ipsi minora tantum modo iudicent, leuiusque sit tibi partito in alios onere*: communitatis quippe onera in plures dispertienda sunt vt leuius ferantur, & eorum munia commodius exequantur. *Si hoc feceris implebis imperium Dei* quantum ad munus ius dicendi populo, *& præcepta eius poteris sustentare*: siquidem quando solus vniuersis causis attendis toto die occuparis, & propterea minus tibi vacat; minusque idoneus redderis perceptioni diuinarum reuelationũ & præceptorũ: *& omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace* sublatis iurgijs & litibus. *Quibus auditis Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat*; non statim vt Iethro consilium dedit, sed post datam legem & constructam arcam testamenti. *Et electis viris strenuis* & habentibus illas omnes conditiones, quas retulerat Iethro *de cunctis Israel* absque acceptione personarum suæ tribus aut alicuius alterius *cõstituit eos principes populi tribunos & centuriones & quinquagenarios, & decanos*, vt omnia ordinata essent in populo Dei, & sine confusione. *Qui iudicabant plebem omni tempore. Quidquid autem grauius erat referebant ad eum faciliora tantummodo iudicantes*. Neque enim dedignatus est Moyses quamuis spiritu Dei plenus consilium inferioris, imò & gentilis hominis accipere, vt formam humilitatis populorum principibus daret, & discerent quòd etiam si ingenij acrimonia alios antecellant, sintque valde perfecti, peruenerintque ad summum ipsum virtutis fastigium, opus sibi esse consiliarijs & aliquibus, qui illos corrigant, & arguant cum præcipuè non omnia dona Deus vni conferat, sed vnicuique distribuat ea pro sua voluntate. *Dimisitque Moyses Iethro socerum seu cognatum suum qui reuersus abijt in terram suam*, haud multo post quam venerat ad Moysen. III.

Cap. fi. de re iudic. li. 6.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

I. *Corã Domino &* CORã Deo.] Quærit D. August. in quæstionib. super locũ istũ vbi nam viri isti panẽ comederint, quando nec tabernaculũ erat, nec arca testamẽti, quæ postea sunt instituta. Neq; enim ista per anticipationẽ fuisse dicta credẽdũ est, sicut oportet credere quę de conseruatione *in Dei honorẽ.*

Manna in fine capitis præcedentis iussa sunt: & quę de constitutione iudicum in hoc capite referuntur. Ad hanc difficultatẽ respondit Augustinus interpretans hũc locum iuxta sensum quem in paraphrasi amplexati sumus: vt idem sit coram Domino, quod in honorem Dei. Quẽ sensum vltra eum quem in proprijs locis apposuimus, retinere possunt similia verba Gene. 17 Ambula coram me, & esto perfectus, & Genes. 24. Dominus, in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum. Et Psa. 5. Dirige in cõspectu tuo viam meam, idest, ita vt in tui nominis honorem cedat.

II. *Non bonum pro minus bono, vel pro laborioso.* NOn bonam rem facis.] Quamuis id quod faciebat Moyses scilicet quod solus iudicaret populum, non esset malum, quia tamen erat minus bonum, quàm si alios iudices constituisset, ideò dicit Iethro non esse bonam rem, quam faciebat Moyses: Est enim mos scripturæ vt rem in suo genere non omnino perfectam appellet nomine sui contrarij. Vnde Matth. 7. quia discipuli & Apostoli licet essent boni, erãt imperfecti appellantur mali. Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filis vestris, &c. Similiter pręcepta veteris legis quia erãt imperfecta, licet essent bona, vocantur non bona Ezechielis. 20. Dedi eis præcepta non bona. Et fides imperfecta vocatur in scriptura incredulitas: vt Marci. 9. Credo Domine adiuua incredulitatem meam: & Marci. 16. Exprobrauit incredulitatem eorum. Vel etiã quod faciebat Moyses dici potuit non bonum, vel etiam malum, quia laboriosum, in sensu à nobis exposito Genes. 47. Annot. 2.

MOyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.] Constitutio principum populi & iudicum, quam fecit Moyses ex consilio Iethro refertur hic per anticipationem: non enim in Raphidim vbi Iethro adijt Moysen, elegit Moyses coniudices suos, sed in solitudine Sinai post datam lẽgẽ. Circa finem enim huius mansionis locutus est Dominus ad Israelitas in Horeb dicẽs: Sufficit vobis quòd in hoc mõte mansistis: reuertimini & venite ad mõtẽ Amorrhęorum, vt habetur in cap. 1. Deuter. Vbi post pauca subiungitur, quod illo in tempore tractauit Moyses cum filijs Israel de electione principũ & tribunorum & aliorum iudicum populi. III. *Anticipatione vtitur scriptura.*

ARGVMENTVM IN CAP. XIX.

¶ Profecti filij Israel de Raphidim peruenerũt in montem Sinai: vbi per plures dies permansuri fixerunt tentoria, mediante que Moyse eliguntur à Deo in peculiarem populum, quibus plurima beneficia promittit Deus se præstaturũ, si in eius fide & dilectione perseuerare voluerint, & eos sanctificari iubet in diem tertium; in quo Dñs per tonitrua & fulgura, densissimaq́; nubem & clangorẽ buccinæ quæ in cacumine montis apparebant, se præsentem esse ostendit.

PARAPHRASIS IN CAP. XIX.

A. I. MENSE *tertio egressionis Israel de terra AEgypti in die hac*, i. eadem computatione numerãda, scilicet tertia die, sicut & tertio mense, quę fuit quadragesima septima post exitũ de AEgypto: nam ab egressu de Agypto vsque ad diem hanc transierunt quindecim dies primi mensis & viginti nouem secundi & tres dies tertij mensis, qui omnes constituunt quadraginta septem dies. In hac igitur die filij Israel *venerunt in solitudinem Sinai. Nam* † *profecti de Raphidim & peruenientes vsque in desertum Sinai*, itinere vnius diei *castrametati sunt in eodem loco*: vbi duodecimam mansionẽ perfecerunt, & ibi pręcipua mysteria, quæ tã in hoc libro quã in sequentibus legis descripta sunt, contigerunt: *ibique Israel fixit tentoria*, velut multo tempore permansurus *è regione montis* Sinai, qui & Horeb dicitur, ad quẽ montẽ Dominus dudum prædixerat Moysi, ipsum cum vniuerso populo redempto peruenturum. † *Moyses autem* eo ipso die, quo in desertum Sinai peruenerunt, *ascendit ad Deum* id est ad locum in quo fuerat vocatus à Deo apparente in rubo, quando pascebat oues soceri sui. Illucusque enim fas erat illum ire, & non vltra prohibente olim Deo in rubo. *Vocauitque eum Dominus de monte*, sensibili quadam voce in aere formata, quæ quasi de altiori parte montis ad aures Moysi progredi videbatur, *& ait. Hæc dices domui Iacob*, & quia magni sunt momẽti quę præcipio tibi vt referas, iterum

† Num. 33. c. 15.

† Act. 7. c. 28.

iterum atq; iterū *annūciabis filijs Israel* 2.
Idq; facies ex nomine meo dicens: *Vos ipsi
vidistis quæ fecerim Aegyptijs*: Vnde argu
mentum capere potestis ad me tanquam
omnipotentem timendum: & prætereà vi
distis *quomodo portauerim vos*, & eduxe-
rim ex Aegypto cum tāta protectione &
securitate, vt ducti fueritis quasi *super alas
aquilarum*. Quemadmodū enim aquilæ as-
sumptos pullos quos super alas deferūt de
loco in locum protectos & illæsos à qui-
buslibet periculis aucupum, quia altius volāt
quam cæteræ aues, & supra omnem telorū
iactū; ita & ego ab omni periculo liberos
& omnino incolumes hucvsque perduxi.
Vidistis etiam, quod *& assumpserim mihi* vos
ipsos singulari quadam prouidētia & cura,
quam vestri habui. Vnde & ad me tanquā
benefactorem diligendū incitari debuisse
† Deute. tis. † *Si ergo audieritis vocem meam* auditu
29. a. 2. cordis, *& custodieritis pactū meū*, tū quod
pepigi cum Abraham præcipiens circūci-
sionem, tum etiā quod paciscar vobiscū le
gem tribuens, tria vobis conferam eximia
beneficia. Primo enim *eritis mihi in pecu-
liū de cūctis populis*, idest quasi res quædā
præ cūctis alijs eligibilis, & amabilis, mihi-
que summopere dilecta. Quod erit valdè
singulare beneficiū, quamuis enim omnia,
† Ps. 23 quæ in terra sunt, diligam: († *Mea est enim
a. 1. omnis terra*) vos tamē ampliori prosequar
† 1. Pet. amore. Vltra hæc quoq; † *& vos eritis mi
2. b. 9. hi in regnū* per hoc, quod ego ero vester
B. rex cui correlatiue eritis regnū non quale
cumq; sed *sacerdotale*, seu cōflatum ex sa-
cerdotibus; non quod omnes sitis sacerdo-
tes, sed quia vestri curam geram non secus
ac in Aegypto geritur cura sacerdotū, qui-
bus ex ærario publico prouidetur honora-
biliter. Vnde ex cōparatione eorum, quæ
nota sunt vobis perpendere poteritis, qua-
le erit diuinum regimen erga vos, quo vi-
delicet nō possit desiderari melius nec vo-
bis honorabilius & præstantius. Tertio tā
dem *& gens sancta*, ac mūda à peccatis per
diuinum gratiæ donum eritis etiam mihi.
Hæc sunt verba, quæ loqueris ad filios Israel,
vt omnibus palā fiat quæ bona habiturus
sit populus, si obediens fuerit diuinis man
datis. *Venit Moyses* de mōte ad locū castro
rum, *& cōuocatis maioribus natu populi ex
posuit omnes sermones, quos mādauerat Do-
minus*, vt ordinatim per senes iidem sermo
nes proponerentur populo. *Respōditq; om
nis populus simul* vnanimiter collaudans cō
uentionem patris familias à quo in opera
legis mittēdus erat. *Cūcta quæ locutus est Do
minus, faciemus*. Fragilis enim & incōstans
populus temeritate humana grandia, nihil
vel parum præstaturus. *Cumque retu-
lisset Moyses* die sequenti, qui fuit quadra-
gesimus octauus egressionis Israel de AE-
gypto, *verba populi ad Dominū* tanquam
mediator & sequester inter Deum & po-
pulum, *ait ei Dominus*, non respondens re-
lationi, sed promittens Moysi maiora seu
clariora testimonia dicens. *Iam nunc veniā
ad te* prout de facto venio per operatio-
nem noui effectus manifestatiui meæ præ-
sentiæ *in caligine nubis*, 3 idest in densa III.
nube; non enim manifestabo me ipsum so-
li tibi nec colloquar tecum te solo audien-
te, sicut hactenus factum est; sed reuelabo
me ipsum stupendo tumultu, *vt audiat me
populus loquentem ad te*, ac recitantem ti-
bi Decalogum: vt eam quoq; legem quam
post Decalogum daturus sum certissimè
agnoscat populus diuinam esse, *& credat
tibi in perpetuum*. Sicut enim hucvsq; pa-
raui tibi ex miraculis autoritatem, sic nūc
parabo tibi fidem in populo, vt sis illi con-
gruus legislator. *Nunciauit ergo Moyses
verba populi ad Dominum*; vt iam dictum
est: *Qui dixit ei. Vade ad populum & san-
ctifica illos hodie & cras*, hoc est sanctifi-
cari seu sanctos ac mundos fieri præci-
pies, idque per emundationem mentis &
corporis. *Lauentque vestimenta sua*, quæ
solent ablui. Etsi enim illota caro, seu
etiam vestimentum neminem per se co-
ram Deo prophanent, per corporales ta-
men res ad spirituales adducere oportet
homines. Ex his namque munditijs cor-
poralibus facilius intelligent mentem ani-
mumque expurgari debere; *& sint para-
ti in diem tertium* ad recipiendam legem
Decalogi. Decens quippè est, vt Deca-
logi promulgatio, quæ magna maiestate
facienda erit, cæremonijs quibusdam ac
externis ritibus rudi populo commende-
tur, quò diligentius vocem Dei obseruent.
In die enim tertia descendet Dominus ali-
quid noui quod non antea extiterat opera-
turus *coram omni plebe super mōtem Sinai*,
vbi gloria eius ac potestas manifestabitur.
Constituesque terminos populo per circuitum C.
pro reuerentia diuinę præsentię ne quis ac-
cedat ad locum, in quo præsens est Deus;
quēadmodū vallantur loca regū, in quibus
resident publicè: *& dices ad eos. Cauete ne*

Digitized by Google

Heb. 12. c. 18. *ascendatis in mõtem*, in eam videlicet partem, quæ vobis prohibita est, † *nec tangatis fines illius* prætergredientes terminos vobis præfixos. *Omnis qui tetigerit montẽ* cõtra prohibitionẽ sibi factam, *morte morietur* ob defectum reuerentiæ debitæ diuinæ præsentiæ. *Manus* autem alicuius etiam occidentis illum *non tanget eum*, *sed* quasi quid pollutũ & immundũ abijcietur & *lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, siue iumentũ fuerit siue homo non viuet.* In morte enim iumenti cõtristari meretur dominus, qui illud custodire neglexit, & in quo negligentia eius est, in eodem æqua iudicij mensura feriri debet. *Cum cœperit clãgere buccina* quæ diuinitus ac supernaturaliter insonabit, *tunc ascendant in mõtem*, hoc est, versus montem dimittẽdo castra, & accedendo vsq; ad terminos cõstitutos per circuitum. Quamdiu enim buccina nõ sonauerit, populus esse debet in castris. *Descenditque Moyses de monte ad populum* eodem die quadragesimo octauo egressionis Israel de AEgypto, *& sanctificauit eũ* monens populum ad mũditiam tum animi tum corporis. *Cumque lauissent vestimenta sua* ac reliqua omnia, quæ lauare oportebat iuxta præceptum Domini, *ait ad eos, Estote parati in diem tertium* non solum abstinendo vos à rebus illicitis, sed *& ne appropinquetis vxoribus vestris*: expedit enim ad commodius vacandũ Deo ab actu matrimonij aliàs licito ad tempus abstinere, cũ certum sit carnales voluptates spiritum distrahere. *Iamq; aduenerat tertius dies* qui erat quinquagesimus ab egressu filiorũ Israel de AEgypto, *& mane inclaruerat, & ecce* apparuerũt quatuor signa super mõtẽ Sinai, quorũ duo ad sensum auditus, tonitrua videlicet & sonus similis sono tubę corneæ, duo verò ad sensum visus coruscationes scilicet & densa nubes spectabãt. Itaq; *cœperũt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clãgorque buccinæ vehementius perstrepebat*, quæ quidem non in ipso monte sed supra cacumen montis in aëre erant, ministerioque Angelorum fiebant: *& timuit populus qui erat in castris* paratus enim & spectãs descensum Domini super montem audiendo & videndo talia super montem fieri, non ab re tremuit, & expauit. *Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorũ*, vt veluti sponsam illum populum Deo copularet, *steterunt ad radices montis* in planitie, ad quam immediatè descendebatur ex mõte, vbi erat terminus à Moyse illis cõstitutus. † *Totus autem mons Sinai fumabat eo quod descendisset Dominus super eum in igne* corporali, palpabili, & sensibili, quo factum est, vt *& ascenderet fumus ex eo quasi de fornace* ad similitudinẽ fumi fornacis partim inflãmati & partim nõ inflãmati, & propterea tã fumãs quàm ardens apparebat mons, vt hac ratione Dominus rudi populo metum incuteret, & ad obseruantiam legis tunc temporis promulgandæ amplius excitaret, *Eratque omnis mõs terribilis* ob insignia miracula, quę in eo fiebãt, *& sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur*, numquam lãguescens, sed semper intensius crescens: vt inde etiam constaret sonitũ illum esse miraculosum. Nec tamen propter isthæc terribilia impeditus fuit Moyses quominus Domino colloqui posset. Imò verò nõ in raptu, nec abstractus à sensibus, nec territus sed intrepide ac sensibili voce *Moyses loquebatur* Dominũ cõfidenter interrogando *& Dominus respondebat ei* clara voce & exaudibili ab omnibus. *Descenditq; Dominus* per effectum loquendi ad Moysen & ad populum *super montẽ Sinai in ipso montis vertice* scilicet in nube supra mõtis verticem in aëre eleuata, *& vocauit Moysen* nõ audentem ascendere in mõtem ob reuerentiam diuinę præsentiæ, & præcepit, vt ascẽderet *in cacumen eius. Quo cũ ascẽdisset dixit ad eũ. Descẽde & contestare populũ*, & ex nomine meo illis præcipe, vt caueant *ne fortè velit transcendere terminos ad vidẽdum Dominũ* existimãtes quòd Deus in sua natura visibilis corporaliter aut membris suis vt homo localiter distinctus aut circũscriptus sit, *& pereat ex eis plurima multitudo* ob huiusmodi ineptã curiositatem & inobedientiã. *Sacerdotes quoq;* quales hoc tẽpore sunt primogeniti duodecim tribuũ, *qui accedunt ad Dominũ* per exercitiũ officij sacerdotalis & sacrificiorũ oblationem, *sanctificentur* ac immunes se exhibeãt à trãsgressione terminorũ neq; existiment, quòd liceat ipsis autoritate sacerdotij præscriptos terminos cõtra Dei mãdatũ transire, *ne percutiat eos* Dñs morte corporali quibusuis transgressoribus terminorũ infligenda. *Dixitq; Moyses ad Dominum* cupiẽs morari cum eo, atque auidè diuinæ inhęrens allocutioni. Nõ oportet Domine solicitum esse de tali euentu, propter quẽ me des-

† Deut. 4. b. 11.

me descendere præcipis quoniam, *non poterit vulgus* impuni libertate *ascendere in montem Sinai*. Vnde sibi omnes diligēter
IIII. cauebūt: *tu enim testificatus es, & iussisti* 4
mihi seruo tuo *dicens: Pone terminos circa montem*, quos nemini licebit trāsgredi sub mortis pœna, *& sanctifica illum* segregando illam montis partem, quam terminaueris ab accessu quorumcunque, vtpote tuæ præsentię dicatā quā à quibusvis contingi fas nō est. *Cui ait Dominus* in sententia persistens, nec admittens mutilam minusve satisfacientē responsionem Moysi. *Vade descende*, ac postquam simul cū populo audieris legem promulgari ex ore Dei, vt & ipse subditus legi diuinæ ex hoc cōproberis, & manifesteris omnibus iterū ad me redibis: *ascendesq́ tu & Aaron tecum*, vt vobiscum loquar ea, quæ non poterit populus à me audire. *Sacerdotes autem*, qui primores sunt & seniores in tribubus & familijs, *& populus ne transeant terminos, nec ascendāt ad Dominum, ne forte interficiat illos* nihil de tali pœna cogitantes. *Descenditque Moyses ad populum & omnia narrauit eis*, quæ illis Dominus præceperat.

ANNOTATIONES IN CAPVT XIX.

I. *Lex quinquagesimo die fuit data.*

IN die hac.] Occasione horum verborū Abulensis quæst. 19. præsentis capituli docet legem non fuisse datam à Deo die quinquagesimo ab egressu de AEgypto. Existimat enim per diem hanc intelligi diem primū tertij mensis: ac proinde Iudæos accessisse ad solitudinem Sinai die quadragesimo quinto postquā egressi sunt de AEgypto. Sūptis enim ex primo mense quindecim diebus, & ex secūdo viginti nouē cū primo tertij quadraginta quinque fiūt. Cui numero tres tantū dies addi debent vsq; ad dationem legis iuxta illud quod inferius dicitur Moysi: In die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super mōtem Sinai. Vnde ex sententia Abulensis die quadragesimo octauo data fuit lex. Cæterum quia nemini dubiū esse debet die quinquagesimo datam fuisse legem prout D. Hieronym. mutata sententia quā habuit Oseæ cap. 3. docuit in Epist. 127. ad Fabiolam Mansione 12. & August. quæst. 70. super Exodum, & lib. 2. de Trinit. cap. 15. & multi alij tam ex nostris quàm ex Hebræis dicendū est est Israelitas accessisse ad solitudinem Sinai die quadragesimo septimo post egresū de AEgypto scilicet die tertia mēsis tertij: idq; significare scripturā dum dicit: Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti in die hac & cætera. Quia Hebræi interdum hunc pro eodem vsurpāt vt Psa. 141. In via hac qua ambulabam abscōderunt superbi laqueum mihi. Nec enim vllam viā ostenderit, sed perinde est, ac si diceret: In via eadē qua ambulabā. Et Iob 19. Vbi vos habemus: Quē maximè diligebā auersatus est me; Hebraicē habetur: Hic quem maximè diligebā: hoc est: Ille ipse quem diligebam. Nehem 8. Et venerat mensis septimus, & cætera. Deinde cap. 9. ait: In die autem vicesimo quarto mēsis huius: Id est: mensis eiusdem septimi. Leuit: 23. Quintadecima die huius, idest, mēsis eiusdem. Vera ergo interpretatio est, Mense tertio in die hac. Idest, in die eadem. Tertia videlicet die, sicut tertius erat mensis: prout id Paraphrasi interpretati sumus.

II. *Iudæi cur dicantur filij Israel, & domus Iacob.*

FIlij Israel.] Non immerito quæret aliquis, cur Iudæi dicantur domus Israel, & filij Israel, potius quā domus Abrahæ & Isaac, ac eorū filij. Et putarem hoc ideò fieri quod neque Abrahā nec Isaac habuerint tot proles, quæ merito domū constituerent. Cum tam Abraham quàm Isaac vnicam dūtaxat habuerint prolem ex his quæ reputari debebāt in semē. Iacob verò duodecim habuit filios, qui omnes ad sanctū semen & populū Dei pertinebāt. Vocat autem Hebraismus domū posteritatem & prolē præsertim copiosam. Vocantur quoque Iudæi filij Israel; quoniam diuisus erat populus per tribus, quarum capita fuerunt filij Israel.

III. *Caligo nubis designat Dei præsentiam*

IN caligine nubis.] Fortasse ideò per nubis caliginem Dei præsentia designatur, vt intelligamus nullā mentis aciem esse tā acutā, & perspicacem, quæ illū possit intueri: nulla enim humana cogitatione potest eius natura cōprehendi. Ideò ait diuinus Psaltes: Inclinauit cœlos, & descendit; & caligo sub pedibus eius. Et paulo post. Et posuit tenebras latibulū suū. Quia ergo per nubē & caliginem Dei pręsentia significatur, idcircò cū nebula impleret tēplū dixit Salomon: Dn̄s dixit, vt habitaret in nebula: Vt in 3. Reg. c. 8. & 2. Paral. 6. literæ diuinæ memoriæ prodiderunt. In Euangelio etiam scriptum legimus in Christi transfiguratione & ascensione nubem apparuisse.

IIII. *Testificari propter præcipere.*

TEstificatus es & iussisti.] In Hebręo nō habetur, & iussisti, sed illud addidit interpres ad explicandā vim, & significationē illius verbi testificatus es, ostendēs testificari idē esse q̄ præcipere, seu admonere, saltē hic, & supra vbi dicitur, Cōtestare populū. Imò & alibi sæpe: vt Deutero. 32. Ponite corda vestra in omnia verba hæc, quæ ego testificor vobis hodie, vt mandetis ea filijs vestris custodire. Et 4. Reg. 17. Testificatus est Dn̄s in Israel & in Iuda per manū omniū prophetarū & videntiū dicens. Reuertimini à vijs vestris pessimis, & custodite præcepta mea. Et hinc est, quòd testimonia passim pro præceptis ponuntur, quia illis Deus testatum reliquit, quid vellet, aut quia cum attestatione quadam præcipere solet; crebro enim repetit in lege: Ego Dominus. Et in hac significatione sumitur testimonium in Psal. 98. Custodiebāt testimonia eius, & præceptum quod dedit illis, & Psal. 118. Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer, seruaui mandata tua, & testimonia tua.

ARGVMENTVM IN CAP. XX.

¶ *Die quinquagesimo ab egressu filiorum Israel de Ægypto promulgat illis Dominus per Angelum decem præcepta legis: idque in tãta maiestate, vt territus populus refugiat audire Deum loquẽtem, nisi per Moysen mediatorem, per quem præcipit Deus ad maiorem idolatriæ execrationem, altare de terra seu de non sectis lapidibus fieri, ad quod non sit per gradus ascendendum.*

PARAPHRASIS IN CAP. XX.

A. LOCVTVSQVE *est Dñs cũctos sermones hos* ex illa nube, quæ in aëre supra cacumen montis erat. Nã silentibus tonitruis, ac fulgoribus, & sono tubæ corneæ formauit per Angelũ vocem quandam similẽ voci humanę proportionatam, tam propinquis quàm distantibus auditoribus, & dixit ad omnẽ cœtum filiorũ Israel. *Ego sum Dominus Deus tuus*, cui tãquam Deo vero cultus latriæ à te exhibetur, & *qui eduxi te de terra Ægypti*; hoc est *de domo seruitutis* seu seruorũ, vbi seruiebas. Neq; enim aliter maiestatem meã agnoscere poteris, quã ex operibus meis, & beneficijs quæ in te contuli. Ego igitur ipse qui adeò in te beneficus fui præcipio tibi primum, *Non habebis Deos alienos* æstimans res aliquas creatas tanquam Deos, *coram me* quasi velis vna mecũ & me præsente eos revereri, & colere. Ac proinde sicut prohibeo tibi prototypa, ita etiã & multò amplius prohibeo fieri similitudines. † *Nõ facies tibi sculptile*, tanquã tibi proponendum vt Deũ cui seruias: *neq; omnẽ similitudinem* cuiuscũq; rei *quæ est in cælo desuper, & † quæ in terra deorsum nec eorũ quæ sunt in aquis sub terra.* Nec tamẽ prohibeo sculptilia, & verũ similitudines in alios vtiles vsus fieri, sed dũtaxat interdico, vt isthæc tanquã Deos tibi exhibeas. *Nõ adorabis ea, neq; coles* cultu & adoratione soli Deo debita, scilicet latria. Quod quidẽ præceptũ ac etiã reliqua, quæ subsequũtur, tibi maximopere obseruare oportet. *Ego sum* quippe *Dñs Deus tuus fortis*, qui possum iniuriã mihi illatã vlcisci, & *zelotes*, nõ quod in me sit aliquis inuidiæ motus, cũ omnis tristitia, & quæcumq; animi passio lõgè sit à me, sed quoniã quemadmodũ maritus non vult vxorẽ suã cõmunem esse alteri & propterea occidit illam, ita ego nolo colentes esse cõmunes mihi & alteri Deo: quòd si communes fiant, vltionem de illis accipio: Sum enim *visitãs* & puniẽs *iniquitate patrum* I. infligendo flagella & pœnas tẽporales nõ solùm in ipsos peccãtes, seu in eorum seruos, & ancillas, sed etiam in res mirum in modũ ab ipsis dilectas, videlicet *in filios in tertiã & quartam generatione*, II. seu in filios multarum generationum, *eorũ qui oderunt me*, vt hi qui me legislatorẽ & peccata cohibentẽ exosum habent, nõ solùm de pœnis sibi inflictis doleãt, sed etiã de flagellis collatis filijs & nepotibus suis, vsq; in plures generationes. E contra verò sum *& faciens misericordiã* non in vnã vel alteram generationẽ, nec tam parcè & cum ea limitatione quã seruo in punitione peccatorum, sed *in millia* infinities benigniorem me exhibens *his qui diligũt me, & custodiunt præcepta mea*, B. quàm sim seuerus in hostes & impios. Præcipio quoq; tibi secundo. † *Non assumes nomen Dñi Dei tui* iurãdo vel testificando *in vanum* seu in nihilum, scilicet pro eo quod non est, quale est quod falsum quis existimat, vel id de quo homo dubitat, an sit verũ. *Nec enim habebit insontem Dominus* seu pro insonte & innocente, imò iudicabit impium & sceleratum, non solum eum, qui sacrosanctũm Dei nomen in testem falsitatis adduxerit, sed etiam *eum qui assumpserit* etiam verum dicendo *nomen Domini Dei sui*, quale est quodcunque nomen quo Deus ipse honoratur & reueretur, siue sit proprium ipsius siue nomen cuiuscũque sancti vel cœli vel terræ: si inquam in testem assumpserit *frustra* & absque necessitate, quod minus peccatum est quàm iurare cum mendacio & falsitate. † *Memento* tertio *vt diem sabbati sanctifices*; neque enim satis est per adimpletionem primi & secundi præcepti decalogi impedimenti reli-

† Deut. 5. a. 6. Psal. 80. c. 11. & 96. b. 7. Leui. 26 a. 1. Deuter. 4. c. 15. Iosu. 24. d. 14 † 1. 7. 4. c. homini.

† Deut. 5. b. 12. Leui. 19 c. 12. Matt. 5. c. 27. 22. q. 4. c. necesse est.

† Ezech. 20. b. 12 Deut. 5. b. 13. inf. 31. b. 14

Digitized by Google

religionis veræ remouere; sed etiam oportet in vera religione fundari ad quod imponitur tibi tertium præceptum de sabbati sanctificatione. *Sex diebus operaberis* illa quæ eisdem sex diebus commodè exequi possunt, *& facies omnia opera tua*, nō reseruando aliquod eorum in Sabbatum, secus vero de operibus, quæ tua non sunt, sed pertinent ad cultum Dei, vt excoriare agnos & præparare victimas in sacrificium, & circumcidere infantes. Hæc enim etiam in Sabbato exequi poteris. *Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est*, & in eo quiescēdū est ab operibus corporis, vt liberius vaces operib⁹ spiritus, nēpe meditationi legis, & diuinorū beneficiorū recordationi. *Nō facies omne opus in eo tu, & filius tuus & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, iumētū tuū, & aduena qui est intra portas tuas.*

Gene. 2. a. 2. De ferijs. c. 2. — Ratio autem requiei sabbati ea est, † *Sex enim diebus fecit Dñs cælū & terrā, & mare & omnia quæ in eis sunt, & requieuit* per cōpletionem operis creationis, *in die septimo. Idcircò* in memoriā absolutionis & perfectionis tāti beneficij inter alia legis cęremonialia *benedixit Dñs diei Sabbati*; dum statuit diem istum in lege multis, & egregijs exercitijs condecorare; *& sanctificauit eum* decernens etiam, vt in lege à prophano vsu esset seiunctus, & Deo dicatus.

C. Et quia in ordine quoque ad proximū oportet te debitam iustitiæ & pietatis legē obseruare, ideò quarto loco præcipio tibi.

IIII. † Deut. 5. b. 16. Mat. 15. a. 4. Ephe. 6. a. 2. 86. d. c. cæterum. — † *Honora patrem tuum & matrē tuā* beneficijs afficiendo, non solum eos qui te genuerunt, verum etiam cunctos proximos tuos; hos enim omnes quasi parētes diligere, honore pręuenire, ac obsequijs prosequi pietatis lege teneris: *vt sis longæuus* ac dies vitæ tuæ prolongentur *super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, tam in hac vita mortali, si plures annos in ea transigere expediens sit animæ tuæ, quàm etiā super illam terram viuentiū, quam Deus cōferet in vita futura electis & amicis suis. Cæterum quia non sufficit facere bonum sed etiam requiritur, vt quisque studeat declinare à malo, hac de causa præcipio tibi quinto.

† Matt. 5. c. 16. 6. d. c. nō est peccatum. §. his itaque. V. — † *Non occides* hominem quempiam, nec alterum nec te. Neque tamen occidere dicitur, qui ministerium debet iubenti; sicut adminiculus gladius est vtenti. Et ideò nequaquam contra hoc præceptum facies, si Deo autore bella gesseris, aut personam gerēs publicæ potestatis secūdùm eius leges ac iustissimæ rationis imperium sceleratos morte punieris. Sexto. *Non mœchaberis* seu non committes adulterium, nec quidpiam aliud sacro matrimonio cōtrarium, qualis est quęlibet carnalis libido extra statum matrimonialem. Septimo. † *Non furtum facies* subtrahendo vel retinendo rem alienam inuito Domino. Octauo. *Non loqueris contra proximū tuū falsum testimonium*, neque vllo modo famam eius seu honorem iniustè denigrare audeas, sed eam quasi famā tuam illęsam seruare contende. Quia vero circa materiam fornicationis & furti non solum peccat homo opere sed etiam concupiscentia, præcipio tibi nono. † *Non cōcupisces* animo vsurpandi illicitè *domū proximi tui, nec desiderabis vxorem eius*: desiderium enim mulieris, quæ tua non est decimo ac vltimo præcepto decalogi tibi omnino interdicitur. Tanta enim charitate proximo tuo adhærere debes, vt nequaquā liceat aliquid eius iniustè appetere; *non seruum, non ancillam, non bouem, nō asinum, nec omnia quæ illius sunt*. Hæc igitur verba locutus est Dominus de nube ad vniuersum populū Israel.

† 23. q. 5. c. 1. & c. si non licet. §. item in sanctis. c. quis enim. §. si ergo. 32. q. 4. c. meretrices & q. 6. cap. non mœchaberis 13. q. 7. c. 51. de rebus. † Rom. 7. b. 7. & 13. c. 9.

Cunctus autem populus videbat secundùm quod videre generalem sensuū operationē significat, *voces & lampades* ignis de medio fumi prodeuntes, *& sonitum buccinæ, montemque fumantem*, & alia quam plurima quæ in illa mirabili apparitione ministerio Angelorum ad terrorem populi exhibita sunt. Ea enim, quæ sonitum & strepitum faciebant, non solum sermonem Dei præcesserunt, sed etiam subsecuta sunt; cū loquēte Domino siluissēt. *Et perterriti, ac pauore concussi filij* Israel retrocesserunt à loco in quo erant, & *steterunt procul dicentes Moysi* per ora primorum populi. *Loquere tu nobis*, & doce quæ facere debeamus, *& audiemus* obediētes præceptis tuis. *Non loquatur nobis Dñs* quandoquidē in tāta maiestate loquuturus est, *ne fortè moriamur* pręe pauore & tremore qui nobis ex magnifica Dei allocutione prouenit: *& ait Moyses ad populum, Nolite timere* mortem temporalem, quam formidatis euenturā vobis ex allocutione diuina: *vt enim probaret vos*, & notum faceret vobis ipsis qualiter vos exhiberetis in præsentia eius, an scilicet cum debita reuerentia & animi promptitudine ad obediendum, an secus: idcircò cum tanta maiestate *venit Deus*; *& vt terror illius*, per quem

declinat omnis à malo, *esset in vobis, & nõ peccaretis.* Non autem venit vt eo spectro interficeret vos. † *Stetitque populus de* † Hebr. 12. c. 18. Deut. 18 c. 16. *longè* remotior à monte expectãdo respõsionem diuinam per Moysen eorum legatum. *Moyses autem accessit ad caliginem,* hoc est, ad nubem caliginosam, quæ caligine continuabatur cum cacumine mõtis, *in qua erat Deus*; & exinde remisit Deus Moysen ad populum approbando petitionẽ populi, & concedendo vt reuerterentur filij Israel in tabernacula sua, ipse vero Moyses maneret cum Deo auditurus alia præcepta.

D. *Dixit prætereà Dominus ad Moysen* subiungens nonnulla alia præcepta tã moralia quàm cæremonialia, & iudicialia. *Hæc dices filijs Israel* quasi mediator existens inter me & populum in futurarum legum latione. *Vos vidistis* non interioris mentis obtutu, sed etiam manifesta sensuũ perceptione, *quod de cœlo locutus sim vobis,* idest, de nube, quæ erat in aëre, qui phrasi Hebraica etiam dicitur cœlum. *Non facietis Deos argenteos,* vt eos vna mecum colatis, *nec Deos aureos facietis vobis,* qualia sunt simulacra gentium. Quod primum præceptum ideò repeto: tum quia pronitatem vestram ad idolatriam agnosco, tum quòd hoc solo seruato facile reliqua succedent. † *Altare de terra facietis mihi* seu † Infra. 27. b. 8. & 38. a. 7. lateritium non ex marmoribus & metallis perpulchre ornatum, quale fit à Gentilibus credẽtibus in ea pulchritudine aliquid numinis latere. *Et offeretis super eo holocausta & pacifica vestra oues vestras & boues:* VI. idque non vbicunque locorum pro vestro libito, sed dumtaxat *in omni loco, in quo* ex institutione mea *memoria fuerit nominis mei*; eo scilicet loci, quem ego elegero, & quem pro inuocatione nominis mei celebrare faciã. Ibi quippe *veniam ad te* per occultam mentis inspirationem, *& benedicam tibi* multitudine bonorũ tam spiritualium quàm corporalium te afficiẽs. † *Quod si altare lapideum feceris mihi non ædificabis illud de sectis lapidibus,* cæsisque, expolitis, & quadratis, sed de lapidibus rudibus ac natiuis, ita vt nihil omnino sit in Ara in quo populus hæreat, & idolatriam redoleat. † Deut. 27. a. 5. Ios. 8. f. 31. *Si enim leuaueris cultrum* tuum seu quoduis ferreum instrumentum *super eo polluetur* lapis, & tanquam pollutũ, & prophanum iudicabo. *Non ascendes per gradus ad altare meum,* ne propter multitudinem illorum, vel ob longam eorundem graduum inter se se distantiã ex nimia crurum distentione *reueletur turpitudo tua,* ac deficientibus fœmoralibus, quæ hactenus non sunt vsu introducta, pudenda tua ab existentibus conspiciantur.

ANNOTATIONES IN CAPVT XX.

I. *Qualiter Deus puniat iniquitatẽ patris in filio, & qualiter non.*

VISITANS iniquitatem patrum in filios.] Locus iste contrariari videtur illis verbis Ezech. cap. 18. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Ob quam causam nonnulli, vt docet D. Hieronymus super eadem verba Ezechielis, existimarunt locum istum Exodi intelligendum esse in sensu parabolico & ænigmatico, eiusque sententiam ad animam humanam referri debere: ita vt pater dicatur primus motus sensuum incentiuus vitiorum: filius verò cum cogitatio peccatum conceperit; nepos si quod quis cogitauerit, atque conceperit, opere perpetrauerit: pronepos autem, hoc est, quarta generatio, quando quis non solũm fecerit, quod malum est & scelestum, sed etiã in suis sceleribus gloriatur, iuxta illud quod scriptum est: Impius, cum in profundum malorum venerit, contemnit. Et hac ratione dicunt isti Deum visitare iniquitatem patrum in filijs. Cæterum verba huius loci non esse parabolica constat, vel ex eo solo quòd tunc Dominus legem ferebat, cum illa dixit, & transgredienti legem pœnam comminabatur, per quam illis ad legis obseruantiam perurgeret. In legibus autem ferendis nullus debet esse parabolis locus, sed nudæ & apertæ debent esse leges, vt possint ab omnibus intelligi. Tam aperta quoque sunt in sacris literis testimonia, quæ filios pro peccatis parentũ fuisse a Deo punitos asserunt, vt nulla possint tergiuersatione celari. Paruuli namque infantes, qui erant in Sodomis Gene. 19. simul cum suis parentibus sunt igne combusti: non tamen pro suis peccatis, quæ nulla adhuc fecerant, sed pro peccatis parentum hoc illis euenisse constat. Filium etiam Dauid, qui illi ex adulterio natus est, fuisse pro peccato patris morte interemptum, verba, quæ illi Nathan Propheta dixit. 2. Reg. 12. apertissimè conuincunt. Filij & filiæ Achan, qui furatus est de anathemate ciuitatis Iericho contra præceptum Domini, simul cum ipso Achan eorum patre ex mandato Iosue interfecti sunt, Ios. 6. Filij Giezi pueri Elisei Prophetæ percussi sunt lepra propter peccatũ patris 4. Reg. 5. Ex quibus testimonijs apertissime conuincitur verum esse sensum, quem superficie tenus verba ista retinẽt, sine eo quòd ad metaphoras confugiamus, filiosque puniri interdum a Deo in tertiam & quartam generationem

tionem ob parentum delicta. Neque id quidem vlla ratione discrepat a sententia Ezechielis. Quamuis enim filij in bonis corporis puniantur pro parentibus, vt hic dicitur: non tamen in bonis animæ & spiritualibus; quod in Ezechiele prohibetur. Cuius diuersitatis ratio duplex est Prima quia filij sunt res patrũ, quoad corpora, quæ genuerũt, nõ autẽ quoad animas, quas Deus creauit, cùm anima non sit ex traduce, nec a patre generetur, sed a Deo creetur, & infundatur. Secunda ratio est, quia mala corporalia his, qui ea patiuntur, possunt esse solùm medicinalia; vnde possunt eis infligi per modum duntaxat medicinæ; mala autem spiritualia non possunt non esse pœnæ his, qui ea patiũtur: ac proinde pater iure optimo potest præsertim a Deo, puniri in corpore filij: tum quia bona corporalia filij pertinent quodammodo ad patrem: tum quia eorum bonorum amissio, quamuis patri sit pœna, filio tamen est duntaxat medicina. Secus autem est in bonis spiritualibus pertinentibus ad ordinem gratiæ & gloriæ: quia in horum participatione filius nõ subordinatur patri, & eorum amissio nõ posset nõ esse filio innocenti pœnalis. Quas duas rationes latè prosequuuntur scholastici Doctores cum Diuo Thoma. 1.2. quęst. 87. articu. vlt. quos cõnsule.

II. *Per ternariũ & quaternarium maximè denotatur multitudo.*

IN tertiam & quartam generationem.] Ternarius numerus maximè familiaris est Hebręis: & quo frequentissimè vti solent, cum multitudinem significare volunt. Propterea Chrysostomus, cum exponeret illud, In farinæ satis tribus homil. 47. in Matthęũ; tria inquit sata pro multis hic posuit: consueuit enim hoc numero pro multitudine vti scriptura. Hinc est quòd cum vltra ternarium aliquid additur, excessus maximus & maxima amplificatio intelligitur. Quare cũ Amos cap. 1. post tria peccata quartum additur, significatur excreuisse peccata vltra consuetum & ordinarium numerum, & vltra communem peccantium modum, plurimaque esse. Iuxta hunc igitur modum in hoc loco per tertiam & quartam generationẽ significatur in multis generationibus peccata parentum venire punienda. Quę loquendi forma communis est sacrę Scripturę etiam cum alijs linguis: nam ea vtitur Virgilius cum dixit. O terque quaterque beati; idest, multoties beati. Et 1. AEneid. loquens de muliere prę impatientia magni doloris crebro pectus tundẽti inquit; Terque quaterque manu pectus percussa decorum. Specialiter autem hoc in loco vtitur Scriptura hac loquendi formula ob rationes in paraphrasi expressas.

III. *Praeceptum sanctificatiõis sabbati partim est morale, partim caeremoniale.*

DIem Sabbati sanctifices.] Pręceptum istud partim est morale hoc est secundum rectã rationem naturalem debitum: partim verò ceremoniale, hoc est, debitum quia statutum, & quia lege positum. Morale quidem quantũ ad hoc quod homo deputet aliquod tempus vitę suę ad vacandum diuinis. Inest enim homini naturalis inclinatio adhoc, quòd cuilibet rei necessariç deputet aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & alijs huiusmodi. Vnde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen rectę rationis tenetur homo pręscribere hoc vel illud tempus. Et sic habere aliquod tempus ordinatum ad vacandum diuinis cadit sub præcepto morali. Sed inquantum in præcepto de sanctificatione Sabbati determinatur speciale tempus, scilicet Sabbatum, sic est præceptum cœremoniale: de quo tria oportet obseruare. Primum est diem septimum, qui Sabbatum, id est, requies dicitur, multis de causis à Iudæis obseruari & sanctificari Deum voluisse quarum aliquot à sacris Doctoribus annotatas adiungo. Vna est Athanas. orat. in illud; Omnia tradita sunt mihi a Patre meo, vt Iudæi memores essent creationis, quia sex diebus creauit Deus vniuersa, & septimo vacauit, & per hanc frequentem memoriam in veri Dei fide, & cognitione conseruarentur, & perseuerarent; hæc causa deducitur ex Exod. 20. Memento, inquit, vt diem sabbati sanctifices, sex diebus operaberis, & facies opera tua, septimo autem die sabbatũ Domini Dei tui est: sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt; idcircò benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificauit eum. *Quare Sabbatũ tam celebre fuerit apud Iudaeos.*

Secunda causa est Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 51. & Ambros. Epist. 72. ad Irenæ. vt esset figura æternæ quietis; hæc enim est perfectum Sabbatum, ab omni labore liberum: exponuntque hi Doctores omnia illa, a quibus in Sabbato hoc abstinendum erat, ea significare, figuramque eorum esse, quæ in æterna gloria sunt: sequitur autem requies illa huius seculi labores, sicut Sabbatum reliquos dies, quibus operatus est Deus. Tertia est August. lib. 4. super Genes. ad literam cap. 10. vt esset figura quietis illius, quæ aliquãdo futura erat. Christi in sepulchro: nam integro die Sabbati Christi corpus fuit in sepulchro, primus & tertius integri non fuerunt, sed per sinecdochen quandam computantur. Quarta est Gregor. Nissen. lib. contra Iudęos cap. de Sabbato, quia illi Iudęi erant valdè negotiationibus dediti temporalibus, & lucris, in quibus fiunt innumeræ fraudes; voluit igitur Deus diem eligere, in quo ab omnibus his vacarent, & minorem peccandi occasionem haberent, Deoque & ipsius legi liberius attenderent, & hunc elegit, in quo ipse vacasse dicitur. Quinta causa desumitur ex Deuterono. 5. vt illius tam insignis beneficij, quo populus ab AEgyptiaca liberatus est seruitute, memor semper esset: dicitur enim ibi; Memento quod seruieris in AEgypto, & eduxit te Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento; idcirco præcepit tibi, vt obseruares diem sabbati. Hæc, & alia ex scripturis, & doctoribus sacris deducuntur, quæ ad præsens institutũ sufficiunt, ex quibus constat præceptum Sabbati, ex parte morale, ex parte ceremoniale esse, qua ratione enim, vt Deo vacarent, vt memores tantorum beneficiorum essent, institutum erat ad mores pertinebat: qua ratione verò dies se-

Digitized by Google

prima potiùs, quàm secunda, aut tertia, aut alia instituta est, hoc potius ad figuram & ceremoniam quandam pertinebat.

Quatuor de causis cessauit Sabbatũ Iudæorũ.

Secundum in hoc loco aduertẽdum est: Sabbatum illud Iudæorum quantum ad ceremoniale, & diei septimæ obseruantiam Christo adueniente per Euangelium cessasse, & translatum esse in diem octauũ, qui Dominicus dies dicitur, in quo Christus Dominus & redemptor noster resurrexit; quam cessationem multò ante Prophetæ prædixerant, & inter alia testimonia illud Isa. 1. Neomeniam, & sabbatum, & alias festiuitates non feram, quo in loco Hieronym. sabbati, & veteris illius legis cessationem prædictam annotat. de qua re sunt etiam alia multa testimonia. Huius autem cessationis multas causas doctores sacri afferunt. Prima est Athanasij oratio, in illud: Omnia tradita sunt mihi à Patre meo; in cuius declarationem sciendum est duo insignia, & maxima opera Deum erga humanum genus exhibuisse, creationis nẽpe, & recreationis; Creationis, quia creauit vniuersa, & homini subiecit cuncta sensibilia: Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Recreationis, quia hominem per peccatum depressum, & in summam miseriam, & æternam mortis seruitutem redactum reparauit, liberauit, & saluum fecit per redemptionis gratiam; & quem suo verbo creauit, eodem verbo carne sumpta recreauit. Ex quo fit, vt duæ sint velut humani generis ætates; vna creationis, quæ, à mundi incepit principio, & velut terminata est Christo, altera incepit in Christo domino, duratura vsque ad seculi consummationem, ad illam ætatem celebratio illius beneficij pertinebat; at Euangelium celebrat recreationem, in quo initium accepit: propterea diem sanctificat Dominicum abiecto sabbato; non quod pereat memoria illius beneficij, sed quod significet iam illam ætatem completam, & nouam multo perfectiorem aduenisse. Hæc est ratio, & causa ab Athanasio allata, & confirmat doctrinam illo Psal. 21. Annũciabitur Domino generatio ventura; annuntiabunt cæli iustitiam eius populo, quem fecit Dominus. Illi ergo creatorem in sabbato, at nos redemptorem iam in die Dominica profitemur. Addit secundo loco Athanasius subtilem considerationem, nempe in obseruantia eiusdem Sabbati significatam esse cessationem ipsius; iubebat enim ab opere cessare, insinuans eam habituram finem, & aliam obseruantiam venturam; & propterea Euangelium non retinuit sabbati obseruantiam, quia Euangelium non cessabit: non enim sicuti legi successit Euangelium, ita Euangelio succedet alia lex, aut aliud Euangelium, vt doctè annotauit Cyrill. libr. 10. in Ioan. capit. 15. sed status iste mutabitur in æternum statum gloriæ. Hæc igitur est alia causa, & secunda ordine ex eodem Athanasio, cur sublatum cessauerit, & ab Euangelio non sit continuatum; quia scilicet in eo cessatio eiusdem legis, & ipsiusmet sabbati significatur aduentu noui Euangelij, quod in Euãgelio locum non habet. Tertia causa est, quia cùm illud sabbatum esset figura mortis Christi, & quietis in sepulchro, adueniente veritate cessare debuit, sicut & circumcisio, & alia, ob eã dem causam non continuatur cum die Dominica eius obseruantia: quia sabbatum seruare, est Christum nondum mortuum profiteri, dominicam autem diem sanctificare, est eius resurrectionem venerari: hæc verò duo repugnant. Hæc causa est Gregor. libr. 11. Epist. 3. vbi cõtra quosdam inuehitur, qui cum die dominica, sabbatum seruabant, dicitque eos Antichristum imitari, qui simulans se mori, & resurgere, dominicum diem faciet seruari, &, vt Iudæos attrahat, simul sabbatum retinebit. Quarta causa est, quia illud sabbatum erat etiam in memoriam ab AEgyptiaca seruitute liberationis, qui fuit illi populo particularis, & totius humanæ redemptionis figura: cum igitur iam non sit illius populi distinctio, sed vna ecclesia in qua non est distinctio Iudæi, & Græci; non est cur particulare illius populi beneficium celebretur: Hoc enim est profiteri adhuc non esse vnam Ecclesiam, in qua Gentium, & Iudæorum non sit distinctio: item non esse lapidem angularem vtraque faciente vnum, & maceriem diuisionis dissoluentem. Dies igitur Dominicus celebratur, in quo facta est vniuersalis gentium, & Iudæorum liberatio, cuius illa AEgyptiaca erat figura, & in qua celebratur recreatio, quæ secum habet memoriam creationis coniunctam. His de causis sabbatum cessauit in Euangelio, omissis alijs multis, quæ dici adhuc in hac parte possent.

Quæ opera in sabbato erãt prohibita.

Tertium hoc loco aduertendum est, per præceptum obseruantiæ Sabbati, vt apparet hic, & inf. c. 31. & Deuteron. 5. non omnia opera exteriora fuisse prohibita, sed seruilia, qualia sunt artium mechanicarum, & negotiationes, vt dicit Irenæ. lib. 4. ca. 19. & quæ ad ministerium, & seruitutem pertinent, per seruos, & ancillas fieri solita, quæ omnia seruilia dicuntur; non tamen omnia exteriora hæc opera in Sabbato cessasse manifestè patet. Quatuor enim genera operum non cessabant, nec prohibita erant: primo quidem opera diuina virtute facta in Sabbato fiebant: quod probat Epiphan. hæres. 66. in catalogo dogmatum Manichæi ex Iosue 6. Præcepit ibi Dominus, vt septem diebus muros Hierico circumambularent, & septimo muri corruerunt. Apertum est sabbatum vnum esse dierum, in quo circum muros ambularunt, nec tamen obseruantiam sabbati sunt trãsgressi. Præterea 4. Reg. 4. Eliseus mortuum suscitauit ipsum tangendo, ipsi septies incumbendo, nec legem est transgressus in tactu mortis. Et Tertullian, lib. 4. contra Marc. id in Sabbato factum dicit, nec violauit Sabbatũ, quia opus erat diuina virtute factum. Secundo loco non erant prohibita opera exteriora, quæ in cultum, & religionem Dei fiebãt, quod Epiphan. probat Exo. 25. & 27. cãde labrũ enim septẽ habebat lucernas, & singulis diebus in tẽplo accendebãtur, oportebat ergo in sabbato accendi, nec tamen soluebatur: & re

vera

vera extra templum, nec lucernam licebat accendere in sabbato. Ministri etiam alia opera in templo faciebant, quibus nõ violabatur sabbatum, quia in cultum Dei erant, quod Matth. 12. dicit Dominus: Nõ legistis quia sacerdotes sabbatum violant, & sine crimine sunt? occidebant enim animalia ad sacrificium, & alia ministeria exercebant. Tertiò loco opera, quæ ad sanitatẽ corporis necessaria sunt, non erant prohibita, qualia quæ medicinæ sunt, & quæ ad vitam necessaria, vt Tertull. lib. 4. contra Marci. & Irenæus lib. 4. cap. 19. docent, non solũ quæ ad ipsos homines, sed etiam quæ ad iumenta eorum pertinebant, quod Dominus Luc. 6. quando manum aridam sanauit, ostendit dicens: Si licet Sabbatis benefacere, an malè? & Luc. 13. Vnusquisq; vestrum sabbato non soluit bouem suum, & asinum à præsepio, & ducit adaquare? per hoc excusauit Dominus discipulos vellentes spicas ad manducandum in sabbatis, quia nũ habebãt, quo vescerẽtur, quod cõfirmauit exemplo Dauid, qui panes propositionis in necessitate manducauit, quibus vesci solis licebat sacerdotibus. Cum enim ista præcepta fuerint diuina quidem, sed positiua, non erant seruanda contra præcepta naturalia, qua de causa 1. Machab. 2. decreuerunt Iudæi contra inuasores etiam in sabbato bellare in sui defensionem, quam rationẽ Tertul. lib. 4. cont. Marcio. & Iren. lib. 4. ca. 20. annotarunt. Quarto loco, quæ ad animam pertinebant; vt dicit Tertull. loco citato, etiamsi corporalia erant, non prohibebantur in sabbato; qualis erat circũcisio, quæ etiam fiebat in sabbato, vt habetur Ioan. 7. & ad hoc etiam referuntur sacrificia, & victimæ pro populo; nam animalia ducebantur ad templum, & portabantur necessaria ad oblationes, & victimas. Liquet ergo illam sabbati obseruantiam, non remouisse omnia opera exteriora, & corporalia, etiamsi aliquod ministerium habere viderentur.

IIII. *Honor patris omnem proximi beneficentiam cõprehẽdit*

HOnora patrem tuum & matrem tuã.] Hoc præceptum à primis inter homines, quibus tenemur benefacere (patre videlicet & matre) nomen ac initium habet: dico autem initiũ quia Paulus Apostol. 1. ad Timotheum. 4. insinuat, extendi hoc præceptum ad personas omnes, ad quas se extẽdit pietatis virtus. Interpretatur enim promissionem hîc scriptam, factam esse pietati, & non dumtaxat pietati honorandi patrem & matrem: & ob hanc causam primũ pietatis actum, qui est honorare patrem & matrem, extendimus in paraphrasi ad vniuersam pietatem debitã patri & matri, & reliquis proximis nostris. Maximè quòd cum in his decem præceptis Decalogi intelligatur cõprehẽsa vniuersa iustitia moralis, vt cõstat ex illo Mat. 19. si vis ad vitam ingredi serua mãdata: Et hęc iustitia in ordine ad proximum non solum exigat declinare à malo, sed etiam benefacere, vt habetur Psal. 14. & 36. hinc est quod sicut in sequentibus præceptis cõtinetur hoc quod est malum non facere, ita in hoc quarto præcepto vniuersa beneficentia comprehenditur; taliter quòd in forma illud proponendi, pars rei, quæ iubetur, accipitur pro tota re: prout in præceptis etiam negatiuis Decalogi pars rei prohibitę ponitur pro omni eo, quod tali præcepto prohibetur.

V. *Præceptorũ negatiuorũ sensus.*

NOn occides.] Non oportuit in sacro textu subiungere hominem, quia dictio Hebraica interpretata, occides, appropriata est occisioni hominis; ita quòd nõ est communis occisioni hominis, & occisioni aliorum animalium. Perinde enim dictum est. Non occides, ac si dictum fuisset, Non homicides, data fingendi licentia. Et quoniam tria sunt bonorum genera in quibus inordinatè lædi potest homo & à se ipso & ab alio, videlicet bona corporis, bona fortunæ, & bona famæ seu honoris: idcircò harum omnium rerum inordinata nocumenta hoc pręcepto & tribus sequentibus prohibita intelligũtur. Prioris enim generis bonorum læsio prohibetur præcepto isto & sequenti: læsio verò diuitiarum, ac aliorum fortunæ bonorũ interdicitur septimo præcepto; sicut & dãnum in fama & honore prohibitũ est octauo mandato. Vnde in forma verborũ quibus hæc quatuor præcepta proponuntur, partem pro toto positam esse intelligere oportet, prout circa præceptum de honorandis parentibus aduertebamus. In eo enim quod dicitur non occides, etiam non verberandũ nec mutilandũ præcipitur. Et per non mœchaberis, omnis illicitus cõcubitus atq; illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi. Et qui prohibuit furtum, non rapinam permisit, sed furti nomine omnẽ illicitã vsurpationem rei alienæ comprehendit. Et tãdem sub falso testimonio omnẽ detractionem, susurrationem, & calumniam interdixit.

VI. *Concordia Moysi cũ verbis Ieremiæ.*

ET offeretis super eo holocausta.] Hîc occurrit quæstio ex Ieremiæ cap. 7. quoniã ibi Deus dicit: Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustomatũ & victimarũ. Qua itaq; ratione stant hęc duo simul: hîc enim manifeste diuinus est sermo de holocaustis & victimis? Respõdetur quod loquitur Ieremias de sermone & præcepto Dñi quasi ore proprio, & immediatè habito ad populũ, & propterea dicit cũ patribus vestris. Decem enim dũtaxat pręcepta dedit Deus colloquẽdo cũ populo per se ipsum immediatè, quorũ violationẽ improperat propheta eo in loco Iudęis. Ea verò quæ de altari & sacrificijs præcipiũtur mandauit Deus postea populo per Moysen.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXI.

¶ Imponuntur populo Israel præcepta aliqua iudicialia ad directionem & conseruationem illius Reipublicæ maxime conueniẽtia,

quibus

quibus docentur qualiter se gerere debeant quoad emptitios seruos & ancillas, homicidia, parricidia, parentum maledicta, percutiētes seruū, aut prægnantē, rixas, & talionis pœnas, atq́; bouē cornupetā.

PARAPHRASIS IN CAP. XXI.

A. HAEC *sunt iudicia*, seu præcepta iudicialia ad lites filiorum Israel dirimendas, ac causas seculares discutiendas instituta, *quæ propones eis*, vt secundū ea & iudices iudicia exerceant, & reliqui de populo inter se se pacificè conuersentur. † *Si emeris seruū Hebræum*, eū videlicet qui paupertate constrictus tradidit se tibi, vel eū qui à vero Domino iusta seruitute detentus postea est tibi vēditus, *sex annis* 1 connumerādis à tēpore quo primo factus est seruus, *seruiet tibi*. Ne autē in perpetuum serui existant, *in septimo* seruitij anno, quāuis nō sit annus generalis remissionis, *egredietur liber gratis*, his quæ sua erāt nullatenus in deterius mutatis. *Cū quali veste* 2 seu alia quauis vtilitate temporali *intrauerit* ad seruiendū tibi, *cū tali exeat*, vel cū alia æque bona vel meliori. *Si habens vxorem* quāuis alienigenam, *& vxor egredietur simul*. *Sin autē* nō erat vxoratus quādo cœpit seruire & *Dñs dederit illi vxorē*, 3 quæ aliàs erat eiusdem domini serua nō redimenda tēpore quo vir venit manumittēdus, *& pepererit filios & filias*, in eo casu *mulier & liberi eius erunt Dñi sui* cum partus debeat sequi ventrem: *ipse vero exibit*, nō vxorem dimittendo sed ad libertatem transiendo, *cū vestitu suo* & bonis quæ ad ipsum pertinēt: absq; q̄ vxor & liberi maneant liberi. *Quòd si dixerit seruus* in septimo anno remissionis nolens beneficio legis vti, vt liber exeat, *Diligo Dominū meum* cuius societatem libertati præfero, diligo etiam *& vxorē ac liberos* quorū seruilē conditionem vna cum illis subire volo: vnde *non egrediar liber*, sed cedo iuri meo. Si hoc inquam seruus dixerit *offerat eū dominus dijs*, qui sunt iudices & gubernatores ciuitatis: vt eis constet nō coactè sed libenti animo Hebræū illū in seruitute permanere, *& applicabitur* seruus à domino suo *ad ostium & postes* domus propriæ quo seruus plures habeat inspectatores & testes plenæ voluntatis suæ: *perforabitq́;* idē dominus *aurem eius subula*, applicando aurem ipsi ianuæ domus, & vtrāq; simul perforando; in signum diuturnæ retentionis eiusdem, *& erit ei seruus in seculū*, 4 quod longum tempus ambit videlicet vsque ad annum quinquagesimum Iobilei, quo tempore vna cum vxore & filijs liber discedet. *Si quis* necessitate cōpulsus *vendiderit filiam suam in famulā* & concubinam, scilicet, vt sit in domo alicuius hominis diuitis vxor, quantum ad thorū, non autem quantum ad gubernationē domus, specialis debet esse circa eam consideratio & *non egredietur sicut ancillæ* non cognitæ à dominis suis, & prout illæ, quæ solum sunt ancillæ *exire consueuerunt*, quæ peracto sexēnio gratis, & absque illa mercede dimitti debent; sed *si displicuerit oculis domini sui*, nolueritque habere in vxorem seu concubinam, ille *cui tradita fuerat* per comixtionem carnalē, *dimittet eam* liberam statim, etiam ante sexēnium; *populo autē alieno* seu extraneæ familiæ *vendēdi non habebit potestatem*, *si spreuerit eā* concūbendo nec vxorem faciendo. *Sin autem filio suo desponderit eam*, tradendo eam illi in vxorem, *iuxta morem filiarum faciet illi*, & tradet illam tanquam filiam, dotem scilicet apponens ei. *Quod si alteram ei acceperit*, nihilominus istam non eijciet, sed saltim habebit eam tanquam concubinam, & *prouidebit puellæ nuptias*, hoc est, thori cōuersationem, *& vestimenta & pretium pudicitiæ non negabit*, quæ etiam concubinis negare non licet. *Si tria ista non fecerit* dominus eius neque aliquod illorum; nam neque eam ipse concubitu suo humiliauit, nec filio suo coniunxit, neque aliam filius suus post huius desponsationē duxit, *egredietur* anno septimo remissionis *gratis absque pecunia*, qualiter serui Hebræi egredi permittuntur. † *Qui percusserit hominem* occidendo illum non à casu, sed ex præuisa intentione, ac *volens occidere morte moriatur* absque vlla refugij spe. *Qui autem* taliter occidit, quòd *non est insidiatus*, nec vllo modo præmeditatus mortem illius, *sed* † *Deus illum tradidit in manus eius* 5 exponens eum periculo mortis fortuitæ & casualis *constituam tibi locum*, in *quem fugere debeat*, & tutus in eo sit à pœna mortis. † *Si quis per industriam occiderit proxi-*

Marginalia: † *Deute.* 15. 12. *Iere.* 34. c. 14. — I. — II. — III. — B. — IIII. — † *Leuit.* 24. c. 17. *Deut.* 19. a. 2. — C. — † 15. q. 1. c. nec his — V. — † *De homicid.* c. 1.

Digitized by Google

proximum suum expectando cõmoditatem ad percutiendum eũ, *& per insidias* etiam si ad altare meum cõfugerit, vt saluus fiat, *ab altari meo auelles eũ, vt moriatur*, illi enim omnis spes refugij adimẽda est. *Qui percusserit patrem suũ aut matrem*, etiam si nõ occidat, *morte moriatur* propter atrocitatẽ criminis. Sicut enim parentum honor vitam meretur diuturnam, sic inuerecunda percussio immatura morte & contemptibili puniri debet. *Qui furatus fuerit hominẽ, &* nec iusta emptione, nec iure belli, nec vllius criminis reatu seruum factum, sed planè liberum, atq; inuitũ *vendiderit eum*, si eiusmodi plagiarius fuerit *cõuictus noxæ*, & immanissimæ crudelitatis, qualis est iniusta ablatione, seu etiã venditione imaginis Dei

† De furt. c. 1. & proximi sui velle ditari, † *morte moriatur*: nam omnis immanitas & crudelitas in

† Leuit. 20. b. 9. Prouerb. 20. c. 20. Mat. 15. 4. proximum durissimè est vẽdicanda. † *Qui maledixerit patri suo vel matri*, malũ contumeliosè imprecando *morte moriatur*: nisi imperfectio actus excuset; puta si non deliberatè aut leue verbum maledicentiæ dixerit. *Si rixati fuerint viri* ex ira in inuicem pugnantes, † *& percusserit alter proximum suum lapide vel pugno*, quæ percussiones plerumq; ex repẽtino animi motu fieri solent, *& ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lectulo. Si* in tantũ cõualuerit percussus vt posteà *surrexerit & ambulauerit foris super baculũ suũ, innocẽs erit* nec cẽsebitur homicida, *qui percusserit: ita tamen vt operas eius* quas ipse percussus fecisset, si sanus fuisset, seu lucrum, quod ex eis acquisiisset, *& impẽsas in medicos restituat*: ęquũ enim est vt tam lucrum cessans tẽpore imbecillitatis percussi, quàm damnum emergens ex pretio medici & medicinarum soluere teneatur percussor. *Qui percusserit seruum suũ vel ancillam virga, &* dum illos dominus verberabat *mortui fuerint in manibus eius*, cùm tunc certum sit læsionẽ illam mortis illatã esse à domino, dominus

† De in-iur. ca. 1.

D.

† 23. q. 3. ca. sex differentiæ, & q. 4. ca. hac autẽ. §. ex his. ipse † *criminis reus erit*, & homicidij pœnam subibit. *Sin autem vno die, vel duobus superuixerit*, quia incertum esset, an ex percussione mortui fuissent; tunc eorũ dominus *non subiacebit pœnæ*, nec exigetur vltio de eo, neq; etiam quantũ ad restitutionem operarum & impensarum, quam si percussisset hominem liberum præstare tenebatur: *quia pecunia illius est*, & quidquid seruus habet, & etiam ipsa persona serui est quędam possessio domini. *Si rixati fuerint viri & percusserit quis mulierem prægnantem* ferentem auxiliũ viro suo rixanti, *& abortiuum quidem fecerit* effundendo ante exactum tempus id, quod conceperat, *sed ipsa* tam mater quam res recenter nata *vixerit*, seu mortua non fuerit, vel quia fœtus non fuerat animatus, vel si animatus fuerat viuit etiam post aborsum vna cum matre, tũc percutiens eiusmodi fœminam prægnantem, non morietur, sed *subiacebit dãno* præcisè pro abortio, *quantũ maritus mulieris expetierit*, non pro libito suo, sed secundùm quod iudices, *& arbitri iudicauerint*, qui perpensis rationibus hinc & inde allegatis taxabunt pretium soluendum.

E. *Sin autem mors eius* siue fœtus effusi ante tẽpus, cũ iam erat animatus siue ipsius matris *fuerit subsecuta* subibit percussor pœnam talionis, quę cõsistit in hoc, vt qualem quisq; intulit iniuriam tale suppliciũ pendat: vnde

VI. *reddet animam pro anima* 6 seu vitam corporalẽ pro vita corporali, † *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore*: 7 si persona cui damnum est illatũ non sit qualificata: si enim secus fuerit, maiori pœna plectẽdus est percussor.

† Matt. 5. f. 33. Leui. 24. d. 20. Deutero. 19. d. 20

VII. A qua tamẽ talionis lege excipitur, *Si percusserit quispiam oculum serui sui aut ancillæ, &* ex cõsequenti *luscos eos fecerit*: nam iste nõ subiacebit pœnæ talionis, sed *dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit. Dentem quoq; si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.* Qua libertate lege & saluti serui consulitur, & domini peccatum rationabili pœna punitur. *Si bos cornu percusserit virũ aut mulierẽ & mortui fuerint lapidibus obruetur*: ad iustitiam enim pertinet, vt animal hominibus noxium perimatur, & quòd de tauro positum est à parte totum intelligendum venit, quidquid de pecoribus vsui humano subditum infestũ est hominibus. *Et non comedentur carnes eius* in detestationem & horrorem facti: *dominusquoq; bouis innocẽs erit*, nec veniet iure damnandus vel accusandus ad restitu-

F. tionẽ dãni illati. *Quod si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius*, seu à quocunque tẽpore pręterito, idq; scientes admonuerunt testibus adhibitis, *& contestati sunt dominũ eius*, vt recludat eũ, ne proximis damno sit, si tamen dominus bouis negligens fuerit, *nec recluserit eum, occideritque virũ aut mulierem, & bos lapidibus obruetur*;

Digitized by Google

peritur) significat annum quinquagesimum, quem Iudæi vocant Iobileum: cum autem habet literam vau significat æternitatem propriè sumptam. Idcircò illud in seculum interpretati sumus in paraphrasi, vsque ad annum quinquagesimum. Vt enim ostenditur Leuit. 25. quælibet seruitutis dura cõditio iubilei soluebatur aduentu. Plura de significatione huius vocis Holam dicam inferius cap. 31.

V. *Deũ tradere in manus occisoris quid sit.* Deus illum tradidit in manus eius.] Quamuis nemo alium possit occidere, nisi Deus tradat occidendum in manus occisoris; nihilominus specialiter dicitur Deus hoc facere in occisione hominis casuali: quia tũc solus Deus est, qui initio suo iudicio parauit, & antecedẽter disposuit, vt iste homo occideretur ab alio nihil de ea re occisore præcogitante. Cæterum in homicidio voluntario non solum Deus præparauit occisionem, sed etiam ipse occisor; & non solum tradidit Deus occidendum in manus occisoris, sed etiam ipse occisor adduxit eũ in manus suas: aliter tamen & aliter: Deus enim non nisi iustè, homo autem pœna dignus, non quia illum occidit, quem Deus nollet occidi, sed quia per iniquitatem: non enim ministerium Deo iubenti præbuit, sed suæ malignæ cupiditati seruiuit.

VI. *Anima pro vita corporali.* Animam p anima.] Hic anima iuxta cõsuetudinẽ Hebræã stat pro vita corporali nec irrationabiliter, quia vita corporalis cõsistit in officio illius rei, quã dicimus animã nõ quocumque sed animandi corpus; & propterea idem est tollere animam, quatenus est anima, hoc est, quatenus animat corpus, & tollere vitam corporalem. Ob quã causam animal quodcumque vita corporali vita præditum vocari solet anima: vt Leuit. 24. Qui percusserit animal reddet vicarium; idest animam pro anima.

VII. *Pœna cõtrapassi quando habeat locum.* Liuorem pro liuore.] Constituit lex iustum, quod appellatur cõtrapassum vel talionis, dũtaxat in nocumentis personalibus personarum nõ qualificatarũ; omnia siquidem hic numerata nocumẽta sunt personalia. Secus autem iustum statuit in nocumentis rerum, vt patet in seq. cap. nã ad minus duplũ reddendũ statuit. Et similiter in nocumẽtis illatis personę qualificatæ lõgè maior pœna statuta est: vt patet in percussione patris aut matris; non enim repercutiendus, sed occidendus statuitur. Et simile est iudicium de percussore principis.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXII.

¶ Prosequitur Dominus præcepta iudicialia, quæ filij Israel obseruare tenentur. Vnde præscribit pœnas furti, damnique illati, ac depositi, seu commodati negligenter custoditi, & præterea stupratoris, malefici, coëuntis cum iumento, & idololatræ supplicium, qualiter quoque puniri debeant nocentes aduenæ, viduæ, & pupillo. Ac tandem lex statuitur directiua mutuorum, vsurarum, pignorum, decimarum, & primogenitorum, quæ simul prohibet esum carnis à bestijs prægustatæ.

PARAPHRASIS IN CAP. XXII.

A. 1. *Si quis furatus fuerit* † *bouem aut ouem*, vel alia quæcumque animalia domestica maiora vel minora, *& occiderit vel vendiderit*, ità vt tollat à se facultatem restituendi idẽ, ad quod realiter tenebatur, & à domino subtrahat facultatem inueniendi animal suum, *quinque boues pro vno boue restituet*, ac maiori supplicio quàm in alijs furtis puniatur: eò quod interim dominus bouis labore eius in agri cultura fuerit destitutus: *&* † *quatuor oues pro vna oue restituet*, plus scilicet, quàm si aurum & argentum surripuisset: maior enim est facilitas auferendi ouem, quam aurum, eò quod non ita commodè ouis custodiri potest à domino suo, sicut aurum. Vnde maioris pœnę appositione furtum hoc reprimi debet. † *Si effringens fur domum siue suffodiens fuerit inuentus* nocturno tempore, *& accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis*, quia nocte perforans præsefert, seipsum inuasorẽ violentum, & quantũ ex opere eius est excitat, & prouocat dominum seu custodem ad oc-

† 2. Regum. 12. a. 6.

† De homic. c. 3.

ad occurrendum violentiæ, quę nescitur in nocte quò tẽdat. *Quod si orto sole hoc fecerit*, quando discerni poterat, quòd fur ad furandum non occidendũ venisset, & quando testes adessent vicini, à quibus dñs domus potius auxilium implorare debuisset, ne domus eius suffoderetur, quàm furem interficere: tunc igitur temporis percussor latronis *homicidium perpetrauit, & ipse morietur*: dum tamen fur non habuisset arma inuasiua, quia eo casu per furaus non tam iudicaretur fur, quàm inuasor ad percutiendum. *Si non habuerit* qui rem alienã cõtrectauit, *quod pro furto reddat ipse* iuxta legis pręscriptum, *venundabitur* & pretium dabit ei cui fieri debebat restitutio. *Si inuentum fuerit apud eum quod furatus est viuens*, & apud ipsum manens, neque enim occisum est neque venditum, *siue bos siue asinus, siue ouis* quia tunc præsumptio haberi debet, quòd cogitat restituere, ex quo viuum seruauit: tãtum *duplum restituet* bouem scilicet quem abstulit, & alium, seu pecudem quã furatus est & aliam. † *Si læserit quispiam agrum vel vineam*, & idẽ de horto, oliueto, & similibus, seu etiam *& dimiserit iumentum suum vt depascatur aliena*, siue immittendo ipsum animal ad depascendum, siue non prohibendo ingressum illius in agrũ proximi, cum prohibere potuisset, *quidquid optimum habuerit in agro suo vel in vinea*, is, qui causa fuit læsionis proximi secundùm arbitrium prudẽtium, *pro damni æstimatione restituet*. Reddendũ est enim proximo quidquid vestra vel vestrorum opera minus habet. Idque nõ simpliciter sed de melioribus & optimis resarciri debet. † *Si egressus ignis inuenerit spinas*, per quas paulatim serpat præter ipsius accendentis intentionem modo incuria & negligentia aliqua interuenerit, *& comprehenderit aceruos frugum* iam demessorum, qui ex manipulis fieri solent, *siue stantes segetes in agris*, quæ vel non sunt demessæ, vel demessæ quidẽ sunt sed adhuc in agro dispersæ iacent; *reddet damnũ, qui ignem succenderit*, ne proximo negligentia vestra incommodum afferatis. *Si quis cõmendauerit amico pecuniam aut vas*, seu supellectilem *in custodiam* ac depositum, *& ab eo, qui susceperat furto ablata fuerint*, vel dicatur ea fuisse furto sublata; tunc fiat inquisitio de fure, & *si inuenitur fur duplũ reddet*, si vero is qui ea sustulit non reperitur, sed, *latet fur si dominus domus*, qui depositum ad seruandum susceperat, *applicabitur ad deos*, & sistet ante iudices populi sententiam auditurus; *& iurabit quòd non extenderit* vllo vnquam tempore *manũ in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem, tã in boue quâm in asino & oue ac vestimento*. Si verò ex opposito aliquis dixerit quod ipse depositari' negligẽs fuerit in custodiẽdis rebus apud se depositis: *& quidquid dãnum inferre potest* muneri & officio custodis ei apposuerit, *ad deos vtriusque causa perueniet*, videlicet istius cõtradictoris, & ipsius depositarij, vt de cõtrouersia vtriusque iudices populi sententiam proferant, & litem absoluãt. *Et si illi iudicauerint* dominum domus iudicio cõdemnationis declarantes illum non seruasse fideliter rem sibi creditam *duplum restituet proximo suo*, & amico qui eam illi custodiendam tradiderat. *Si quis cõmendauerit proximo suo asinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad custodiam*, quemadmodum pastori cõmittuntur greges custodiendi, *& mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus*, ac in prædam delatum, *nullusq; hoc viderit*, nã si fuerint testes, eorum testimonio stãdum est; *iusiurandum erit* adhibendum *in medio* eorum actoris scilicet & rei, & præstabit illud custos seu pastor rei deperditæ affirmans, *quòd non extẽderit manum ad rẽ proximi sui* illam damnificãdo, per fraudem, neq; per negligentiam suã: † *suscipietq; Dominus iuramentũ*, & asseuerationi custodis iuramento confirmatæ adstare tenebitur. Vnde *& ille*, qui in custodiam animal proximi sui susceperit, *reddere nõ cogetur* quia non poterat pręcauere morti vel debilitationi pecorum: cum huiusmodi dãna cõtingere soleãt ex causis naturalibus, neq; etiã occurrere potuerit direptioni hostiũ. *Quod si furto* latenter & custode nesciẽte, *ablatũ fuerit restituet dãnum domino*: nã ex negligentia pastoris prouenit quod latro oues surripiat, & pastor nesciat, quandoquidem pro custodia mercedem habet. *Si comestũ à bestia* pecus fuerit renunciet domino, & in facti testimoniũ *deferat ad eum quod occisum est*, vel aliquam illius partem quæ testari possit alteram partem fuisse dilaniatam, *& non restituet* quidpiam pro re à bestia dilacerata. *Qui à proximo suo quidquid horum*, asinũ videlicet, ouem, bouẽ, seu quodlibet iumentum *mutuum postulauerit*, illudque gratis commodatum acceperit, *& debilitatum aut mortuum fuerit domino*

non

Marginalia: † De iniur. c. 14 — B — † De iniur. c. 5. — † Genes. 31. f. 39 — C.

non præsente, is qui mutuum acceperat, *reddere compelletur*, pretium, seu valorem illius: quia in fauorem solius vtentis concessum est, & ipsi soli incumbebat cura animalis absente domino. *Quòd si in præsentiarũ dominus fuerit, non restituet*: tum quia præsens dominus testis est, innocentiæ vtentis animali, tum quia ipse dominus poterat, & debebat inhibere periculum casus, aut mortis; si periculum tale erat quod poterat ei obuiam iri. Vnde vtens illo animali non tenetur restituere, *maximè si conductum venerat* in possessionem vtentis illo, & *pro mercede operis sui*, dando pecuniam, pro vsu ipsius animalis. Eo enim casu, siue præsens siue absens fuerit Dominus non tenebitur conductor ad soluendum animal, absque sua culpa confractum, aut mortuum: quia non in fauorẽ vtentis, sed pro mercede sua dedit illud conductor. † *Si seduxerit*, 2
† Deut. 22.d.29 de adul. c.1.36. q.2.cap. tria.
quis virginem, necdum desponsatam, verbis vel signis, vel alio quouis modo inducendo eam in consensum carnalis copulæ, *dormieritque cum ea*, ac furatus fuerit eius virginitatem, *dotabit eam, & habebit eam*
II. *vxorem*: & quia consensus parentum ad cõiugium filiarum suo modo necessarius est *si pater virginis dare noluerit* filiam suam in vxorem ei, qui illam stuprauit, iste *reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt*, vltra quinquaginta siclos, qui in lege † præcipiuntur dari
† Deut. 22.d.29
patri puellæ. † *Maleficos nõ patieris viuere*
† 23.q.5.c.reos sangui.
3 eos videlicet, qui præstigijs magicæ artis, ac diabolicis figmentis causas agunt, & ab vno Deo, qui verus est autor bonorum
III. omnium auertere satagunt, quod detestabile crimẽ frequentius in fœminis, quam in viris reperiri solet. *Qui coierit cum iumẽto*, tam naturæ, quàm autori naturæ contumeliam faciens *morte moriatur*, abq; vlla dispẽsatione & misericordia. † *Qui immolat*, siue
† Leuit. 19.a.4.
alium quemcunque cultum soli Deo debitum exhibet *dijs occidetur, præter quã Domino soli*: cuius pœnæ impositio ad iudicialia præcepta pertinet. *Aduenam non cõtristabis, neque affliges eum*, faciendo ei ali
D. quam iniuriam: *aduena enim & ipsi fuistis in terra AEgypti*: vnde discere potuistis commiserescere oppressis, & afflictis, ne proximo, quòd vobis fieri noluistis, faciatis. † *Viduæ & pupillo non nocebitis*. Id-
† Zac.7. c.10.
que specialiter vobis præcipitur, tum quia iniuriæ istis illatæ magis opponuntur misericordiæ, tum quia idem nocumentum huiusmodi personis inflictum est eis grauius, quia non habent releuantem. *Si læseritis eos vociferabuntur ad me*, non tantum sono vocis, quantum affectu & intentione cordis: *Ego audiam clamorem eorum* me ipsum illis vindicem exhibendo, *& indignabitur furor meus*, hoc est, irascar valde acrẽ vindictam sumens: *percutiamq; vos gladio* occidente viros, *& erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli*, mensura contra mensuram par pari referendo. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo*, scilicet alicui homini de populo Israel præsertim *pauperi*, & præsertim conciui tuo, *qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor*, qui importune solicitat, stimulat, atque exigit quod sibi debetur: *nec vsuris opprimes*, quidpiam ab eo præter sortem expostulans, quòd natura sua illicitum & iniquum est. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentũ*, citra quod proximus non habet aliud, quo se nocte cooperiat, *ante solis occasum*, 4 seu quàm primum acceperis, *red*- IIII.
des ei: ipsum enim est solũ quo operitur indumentum carnis eius, nec habet aliud, in quo dormiat; & impium est eam rem pignoris loco à paupere auferre, quę sibi adeò necessaria est, vt sine ea commode viuere non possit. *Si clamauerit ad me exaudiam eum*, vindicans duritiem, ac crudelitatem hominum, qui miserias miserorum augent, *quia misericors sum* erga eos, qui miserias patiuntur. *Dijs non detrahes*, quibus ad vniuersorum iudicis imitationem iudicia inferiora credita sunt, † *& principi populi tui*, † Ac.23 a.5 debaret. c.cũ ex iniũcto.
quoniam loco Dei sedet, & eius potestas à Domino est, *non maledices* auferendo quã tum in te est bonum illius, siue contumelia, siue detractione, vel denique aliqua mali imprecationẽ. † *Decimas tuas & primitias tuas* scilicet partes, illas frugũ, & aliarũ
† 13.q.1 c.Eccl.s. his ita. de deci. c.tua.2.
rerum tuarum, quas tam in sustentationem ministrorum diuini cultus, quàm in recognitionem beneficiorum Dei præcipietur tibi, vt offeras: quæ quidem per anticipationem decimæ & primitiæ vocantur, *non tardabis reddere*, 5 sed statim vt tempus, quo V.
dari debent aduenerit, offeres eas. † *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi: de bobus quoque & ouibus similiter facies*. Ego quippe in terra AEgypti seruaui primogenita tua primogenitis AEgyptiorum interfectis. *Septẽ diebus sit cũ matre sua* primogenitus boũ & ouiũ, & cõmode, vt coalescat apud matrẽ suã, *die octaua reddes illum*
† Leuit. 22.b.8. Eze.44. g.30.su. 13.a.1.in 33.b.10

mihi ante hūc enim diē talia animalia sunt quasi abortiua nōdū plenè cōsistētia propter teneritudinem: nihil autem est Deo offerendum, nisi integrum & immaculatum & perfectum. *Viri sancti eritis mihi*, nec enim satis est primitias & primogenita, obtulisse, nisi & detis operam, vt mihi ex fidei sanctimonia & puritate corde placeatis. *Carnem quæ à bestijs fuerit pregustata*, & in agro derelicta, *non comedetis, sed proijcietis canibus*, cum tantopere vos alienos à furto esse velim, vt neque etiam inquinari vos permittam comedendo animal quasi furto à fera occisum.

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

I. *Lex furti habet quinque membra*

SI quis Furatus fuerit.] Iuxta textū Hebraicum ista lex de furto vna duntaxat est distincta in quinque partes: quarum prima tractat de fure consūmato, qui furatus est, & vēdidit. Secunda de fure inuento nocte in furando; tertia de eodem inuento die; quarta de fure carente, vnde reddat; & quinta de fure apud quē inuenitur res furto ablata. In quibus quinque membris diuersæ pro furto statuuntur pœnæ ob diuersas circumstantias, quæ in contrectatione rei alienæ augent, vel diminuūt culpam, seu etiam faciem, vel difficilem reddunt rapinam.

II. *Fœmina quando incurrebat pœnā stupri*

SI seduxerit.] Hoc in loco solum loquitur lex de stupratore deflorante virginem nulla iniecta violentia, & de pœna, qua is mulctari debebat. De pœna autem stuprantis virginem, inferendo vim agitur Deuter. 22. virgines autem consentientes stupro in tribus tantum casibus puniebantur. Primus si eiusmodi fœmina esset ancilla: tūc enim verberabatur vt dicitur Leuit. 19. Secundus si erat filia sacerdotis: quia tunc exurebatur, Leuit. 21. Tertius si taceos consentiebat, matrimonio tanquam si esset virgo. Et tunc lapidabatur: vt habetur Deut. 22.

III. *Maleficia vt in plurimū exercentur à fœminis.*

MAleficos non patieris viuere.] In Hebræo habetur. Maleficam non viuificabis, & est sermo de muliere, quam vocamus incantatricem, seu bruxam, pœna mortis mulctanda. Quanquam autem litera Hebraica, exprimat fœminam pythonissam, tamē etiam de viris similia tentanti intelligitur: quia verò hoc ipsum rarius vsu venit, ideo iuxta phrasim Hebraicam negligitur. Cuius phrasis sensum, quā uis non verba, doctus interpres apposuit. Et fortè adiecta est lex ista stupro virginis, ad insinuādum frequentem vsum artis maleficarum, circa venerea promouenda, exerceri. Ad literam tamen præceptum hoc inseritur hic, pro quanto lædit diuinum cultum incantatio, & est quasi furtum animarum à Deo ad dæmones, quemadmodum & indirecte coitus cum bruto est furtū coitus debiti humano generi.

IIII. *Ante solis occasum, id est, statim.*

ANte solis occasum.] Hebraismus est, quē repetit Moyses Deuter. 24. & significat idem, quòd quāprimum, vel statim: quo etiam vsus est Paulus ad Ephes. 4 Sol non occidat super iracundiam vestram. Quasi dicat; Iram deponite ante solis occasum, hoc est, quā primum illam deponere potueritis.

V. *Tardare quis dicatur.*

NOn tardabis offerre.] Idest reddes suo tempore. Tardare enim dicitur non qui cito nōn reddit, sed qui tempore quo reddere tenebatur non reddit. In quo sensu loquitur Habacuc cap. secundo de Aduentu Christi dicens: Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit; hoc est, non differetur vltra tempus suum, & vltra tempus à diuina prouidentia præstitutum. Et 2. Pet. 3. dicitur. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: quia scilicet nondum venit tempus, in quod promisit. Et Tob. 9. Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies, & si tardauero vna die plus, (idest, vltra condictum, seu præstitutum tempus itineri meo) contristabitur anima eius.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXIII.

¶ *Propositis quibusdam præceptis, tam iudicialibus, quam moralibus de non adhærendo falsitati, de non iudicando inique, de non seminando septimo anno, nec operando septima die, tres præcipua festiuitates indicuntur populo, nempe Azymorum, hebdomadarum, & tabernaculorum, in quibus viri Israelitæ tenentur apparere coram Domino. Eisque si prædicta fecerint terræ promissionis aßecutio eiectis paulatim prioribus habitatoribus, & alia quam plurima bona promittuntur.*

PARA-

PARAPHRASIS IN CAP. XXIII.

A.

NON *suscipies*, nec admittes nimia credulitate *Vocem mendacij*, seu rumorem falsum, qui sine vllo certo autore contra famam proximi dispergi solet, † *nec iunges manum tuam*, quasi paciscendo, seu consentiendo, *vt pro impio* volens ei auxiliari *dicas falsum testimonium* contra illum, quem impius insequitur. *Non sequeris turbam ad faciendum malum* existimans melius esse errare cum multis, quàm benè sentire cum paucis. *Nec in iudicio*, & si reipublicæ personam geras fungens officio iudicis & magistratus, *plurimorum acquiesces sententiæ* adhærendo maiori parti populi, *vt à vero deuies*, sed cõtentiẽdo minori, & saniori parti verum iudicium proferes. † *Pauperis quoque* (si paupertas non pertinet ad causam: de qua agitur) *non misereberis in iudicio*: quamuis enim bona sit misericordia, sed non debet esse contra iustum iudicium. † *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti*, non quòd res inimici tui sint spernere eas debes, sed *reduc ad eum*; adeò enim diligo misericordiam quamuis dixerim non esse præferendam iudicio, vt velim eam erga inimicos tuos exerceri. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere*, vel aliud quoduis incommodum pati, *non pertransibis*, desinens auxiliari, *sed sublenabis cum eo*, & auxilium feres, vt hac ratione odientis animus tibi concilietur. *Non declinabis* deflectendo à recto tramite, & contrarius existens *in iudicium pauperis* fauendo diuiti contra iustam litem, & causam, quam pauper habet. *Mendacium fugies*, quodcumquè illud sit, quia omne mendacium iniquitas est. *Insontem*, qui malum non fecit, *& iustum*, qui bona operatus est, *non occides* I etiam iudicialiter: extra iudicium enim, neque etiam iniquus & immundus occidendus est: *quia auersor ac detestor impium*, ac propterea non sinam impium illum iudicem, vel magistratum inultum, qui innocentem morti adiudicauerit. † *Nec accipias munera*, nec à manu, nec ab ore, *quæ etiam excæcant prudentes*, 2 non sinendo illos causas, sed dona ipsa considerare, *& subuertunt verba iustorum*, dum eos prius pro veritate, & iustitia loquentes repente mutatos contraria, & sentientes & loquentes efficiunt. *Peregrino molestus non eris*: quod iterum repeto, vt agnoscatis, quanta mihi sit cura peregrini & aduenæ, vt à nemine contristentur, & multo minus à vobis, *Scitis enim aduenarum animas* summa esse affectas tristitia, & expertes consolationum, *quia & ipsi* † *peregrini fuistis in terra Ægypti*. Nemo autẽ tam apertè peregrini, & aduenæ calamitatem agnoscit, ac ei miseretur, quàm qui peregrinationis angustiam, & mœrorem perpessus est. *Sex annis seminabis terram tuã, & congregabis fruges eius. Anno autem septimo*, in memoriam beneficij creationis, *dimittes eam*, & deseres, ac si illam sperneres, *& requiescere facies*, nihil operis erga eam exercendo, *vt comedant pauperes populi tui*, quorum erunt herbæ sponte nascentes in agris quiescentibus, ita vt possint eas vendere, & ex earum pretio sustentari: *& quidquid reliquum fuerit, edent bestiæ agri*, quæ illis frugibus vesci possunt, quales sunt apri & cerui. *Ita facies in vinea & in oliueto tuo*: septimus quippe annus Sabbatum terræ est, in quo oportet eam ab exercitijs agricolandi requiescere. Ne autem existimes, quòd anno septimo sufficiat tibi requies terræ & non tenearis illo anno ad quietem, septimo quoque die idcirco, iterum præcipio tibi, *Sex diebus operaberis, septimo die cessabis*, non solum vt signa benignitatis, & humanitatis edas præbendo locum, *vt requiescat bos & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ & aduena*, sed etiam ad sedulo vacandum rebus diuinis, quales sunt studium legis Dei, & charitatis perfectæ, quibus delectatur Deus, & à vobis colitur. *Omnia quæ dixi vobis custodite*, tam quæ specialiter ad obseruationem sabbati pertinent, quàm quæ quomodolibet cultum veri Dei respiciunt. *Et per nomen externorum Deorum*, scilicet idolorum *non iurabitis*: quicumque enim iurat, veneratur, vel diligit eum, per quem iurat. Vnde non solum non iurabitis, per huiusmodi nomen, imo *neque audietur ex ore vestro*; ita vt nullatenus recordemini, neque mentionem faciatis deorum alienorum. *Tribus vicibus* præter septimum quemque diem *per singulos annos mihi festa celebrabitis*. In primis enim *solemnitatem azymorum custodies*, quæ coniuncta est solemnitati Paschæ, ac propterea pro vna & eadem vtraque solemnitas reputatur. *Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi*

Marginalia (left): † 2. q. 7. c. accusa- 2. — † 23. q. 4. c. ne a misso. — † Deut. 22. a. 2. — B. — I. — † Dan. 13. f. 53. — II.

Marginalia (right): † Deut. 16. d. 19 Eccli. 20 d. 32. Gen. 42. a. 5. — C.

tempore mensis nouorum, quando scilicet cœpit aperiri tellus, & edere nouos partus & tu *egressus es de Ægypto:* primo enim mense quintadecima die mensis præcepi tibi celebrare festiuitatem istam. In hac autem & sequentibus solennitatibus munera mihi offeres. † *Non apparebis in conspectu meo vacuus*, & absque muneribus mihi offerendis: tum vt gratos vos erga Deum his oblationibus ostendatis: tum etiam, aut ex eis alantur Sacerdotes, & Leuitæ, qui non accipient partem terræ in diuisione terræ Chanaan, prout aliæ tribus acceptura sunt; tum præterea vt sit vnde ad cultũ & ministeria ecclesiastica sumptus suppeditentur. Vltra quam azymorum solemnitatem custodies, *& solemnitatem messis primitiuorum operis tui, quæcunque seminaueris in agro.* Quæ celebranda est post septem hebdomadas à festo Paschæ, quinquagesimo, scilicet die in memoriam legis datæ in monte Sinai: tali enim die post egressum ex Ægypto, data est lex. Vocatur autem festum hoc, solemnitas messis primitiuorum, quòd in ea offeres Deo primitiuos panes, quos ex frugibus terræ à te cultæ confeceris. *Solemnitatem quoque* collectionis, seu congregationis fructuum celebrabis *in exitu anni quando*, inquam desinit & finitur annus non simpliciter, sed quantum ad fructificationem terræ, & postquam, *congregaueris omnes fruges tuas de agro*, videlicet quintadecima die mensis septimi quòd festum à Iudæis celebrandum dicetur scenopegiæ, seu tabernaculorum, debet enim esse rememoratiuum beneficij diuinæ protectionis, quam confert populo suo, non solum donando illis fructus terræ, quibus alantur, sed etiam deducendo eos per desertum (vbi in tabernaculis oportet habitare,) ad terram deliciosam & pinguem. *Ter in anno* scilicet in solemnitate azymorum, & in solẽnitate hebdomadarum, & in solẽnitate tabernaculorum *apparebit omne masculinum tuum* à vigesimo vsque ad quinquagesimum ætatis suæ annũ quales tantum numerari solent per legem, *coram Domino Deo tuo*, accedendo (si legitimum non adfuerit impedimentum) ad eum locum, quem elegerit Dominus, tum ad illi gratias exhibendas, tum ad audiendum Domini voluntatem, quam postea doceant reliquam familiam fœminarum, prolium, & seniorum. *Non immolabis super fermento*, 3 vel in fermento, sed solum cum azymis *sanguinem victimæ meæ:* quòd enim causat suauitatem carnalem & etiam symbolum est corruptionis, nequaquam in sacrificijs reperiri decet. *Nec remanebit adeps solemnitatis meæ, vsque mane* diei sequentis: quamuis enim carnes quarumdam victimarum seruari possint in diem alterum, adeps tamen, quæ Deo tanquam præstantior pecorum pars offertur, semper debet incendi eodem die, & consumi, per modum holocausti. † *Primitias frugum terræ tuæ*, etiam in anno septimo, quando terra non est colenda, scilicet primitias earum rerum, quæ sponte nascuntur, *deferes in domum Domini Dei tui*, vt semper ruminare non cesses beneficia Dei cum gratitudine. *Non coques hœdum*, seu agnum, vel vitulum *in lacte matris suæ*; ne videaris imitari ritum idololatrarum lixantium superstitiose hœdum in lacte materno. *Ecce ego mittam Angelum meum*, 4 cælestem & custodem populi Israel, *qui præcedat te* ostendendo per columnam ignis, & nubis iter, quo pergere debeas, *& custodiat in via* protegendo te ab aduersarijs, *& introducat in locum, quem præparaui*, & pollicitus sum dare vobis. *Obserua eum* summopere attendens, ne coram eo aliquid iniquum facias, *& audi vocem eius* præcipientis tibi, quid te oporteat agere, *nec contemnendum putes*, quasi contumax, & rebellis ei existens, *quia non dimittet* te impunitum & absque vltione, *cum peccaueris*, & iniquitatem aliquam feceris. *Et est nomen meum in illo*; quidquid enim loquitur, nomine meo loquitur, & etiã vocatur Michael, idest fortitudo Dei. *Quòd si audieris vocem eius & feceris omnia, quæ* per ipsum Angelum ego *loquor, inimicus ero inimicis tuis*, per internum odium & detestationem, *& affligam affligentes te* per externam operis executionem. † *Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Ethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Euæum, & Iebusæum*, & silentio prætereo Gergezæum, quia cum aliquo prædictorũ cõmunionem habet, *quos ego conteram*, vobisque terram eorum tradam possidẽdam. *Non adorabis Deos eorum; nec coles eos* signa honoris eis exhibendo, puta incuruãdo te, seu genuflectendo, vel alio quouis modo illos reuerẽdo. *Non facies opera eorũ*, quibus idola coli consueuerũt à gentilibus, *sed destrues eos & confringes statuas eorum*, imò & aras

Marginalia (left): † Deut. 16. d. 16. de conse. dis. 1. ca. omnis christianus. — D. — B. — III.

Marginalia (right): † Deut. 14. c. 12. inf. 34. c. 16. Deut. 7. b. 11 — IIII. — † Ib. 33. a. 2. Ios. 24. c. 11 Deut. 7. c. 22.

& aras, delubra, luces, & omnia quæ ad idolorum reuerẽtiam quoquomodo pertinẽt. *Seruietisquè Domino Deo vestro, vt* bene sit vobis quantum ad quatuor, quæ maximè desiderabilia esse solent. Nam in primis *benedicam panibus tuis, & aquis* multiplicando vniuersa ea, quæ ad cibum & potum spectãt. Præterea *& auferam infirmitatem de medio tui*, ita vt maxima corporis sanitate fruari. Tertio *Non erit infœcunda,* † *nec sterilis in terra tua*, sed prolis abundantia vnicuiq; erit, quod nunc temporis quando Messiam expectatis non est modica benedictio. Tandē quarto *numerum dierum tuorum implebo*, quòd significat senectutē laudabilem te consequuturum, & prolongandam esse in annos plurimos vitam tuã. *Terrorem meum mittam in præcursum tuum*; antequam enim ad habitatores terræ promissionis veniatis rumore tantum & fama vestri terrebo & attonitos eos faciam, *& occidam omnem populum* 9 *ad quem ingredieris*, taliter dissoluendo corda eorum, ac si non remaneat in eis spiritus, *cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam*, cogãque illos, vt sibi fuga consulant. Idq; efficiam non bestijs sæuis, aut verbo duro illos exterminando, sed *emittens crabrones prius*, exercitus scilicet vesparum, & aliorũ similium animalium, *qui fugabunt Heuæum & Chananæum, & Hethæum*, ac etiam reliquos habitatores *antequam introeas*, illos paulatim exterminando, & præbendo eis locum pænitentiæ. *Non eijciam eos à facie tua anno vno*, seu breuissimo tempore, *ne terra*, quæ adeò lata est, vt nequeat à vobis

F.

† Deu. 7 c. 14.

V.

(quamuis estis sexcenta millia virorũ, paruulis exceptis, ac mulieribus) tota inhabitari, *in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ*: ob solitudinem enim multiplicarentur in tuam perniciem feræ & animalia syluestria. *Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis & possideas terrã*. Vnde quamuis non statim delere queas omnes Chananæos, non propterea animũ despondeas, quia hoc non fiet ob fortitudinem Chananæorum, sed propter clementiam Dei erga vos. *Ponam autem terminos tuos* in regione, quam tibi pollicitus sum dare, *à mari rubro* ex parte orientis, *vsque ad mare Palæstinorum*, quòd est mare mediterraneum à parte occidentis, *& à deserto* diuidente terram istam à terra Ægypti, & se tenet ab austro, siue meridie, *vsque ad fluuium* 6 magnum Euphratem, qui aquilonaris est respectu terrę promissionis. *Tradam in manibus vestris habitatores terræ & eijciam eos de conspectu vestro*, si obicem minimè posueritis diuinis beneficijs præuaricando mandata Dei. † *Non inibis cum eis* gentibus, quas ego deleturus sum *fœdus nec cum dijs eorum* permittendo in terra, quæ à vobis fuerit possessa cultum idolorum. *Non habitent in terra tua*, nec etiam tempore illo medio, quo cæperis possidere partē terræ, & perrexeris ad possidendũ reliquam partē, *ne fortè peccare te faciãt in me si seruieris dijs eorum*: id enim valdè faciliter eueniet, si isti alienigenæ habitēt intra fines tuos: *quòd tibi certe erit in scandalum*, & cedet in maximam ruinam & interitum.

VI.

† Deu. 7 a. 2. Inf. 34. b. 15

ANNOTATIONES IN CAPVT XXIII.

I. *Insons quis dicatur.*

INSONTEM & iustum non occides.] Quia iudex, cui hæc præcipiuntur, non est Deus, sed homo, in foro eius ille est insons, & iustus, qui non est confessus, aut sufficienti probatione conuictus, quamuis secundum rem fuerit iniquus & iniustus: & è conuerso ille est in foro eius iniustus, seu immundus, qui est confessus, aut conuictus, etiamsi secundum rei veritatem esset innocens. Et hæc proculdubio sunt regulariter vera, alioquin iudex, qui non interfuisset crimini, nunquam esset in conscientia sua securus.

II. *Prudentes qui.*

ETiam excæcant prudentes.] Pro prudentes habetur iuxta Hebræum oculatos seu apertos, hoc est ad similitudinē videntium apertis oculis: per quos designantur, qui oculis mentis valde intuentur veritatem rei; quasi dicat, quòd tanta est munerum vis, vt non solum parum, aut mediocriter videntes ea quæ sunt iuris, sed etiam perfectè videntes, quæ ad iudicis munus spectant, excæcent intus: mutando enim affectum efficiunt, vt appareat, & si non speculatiuè saltem practicè fouenda, vel excusanda, vel toleranda, pars à qua suscepit munera, etiam repugnante veritate iuris: qualis enim vnusquisque est secundum affectum, tale (hoc est) correspondens, seu consonum illi affectui, videtur ei prosequendum.

III. *Super & in & pro cum.*

SVper fermento.] Hoc in loco præpositio, super, stat pro in, vel pro cum, prout alibi etiam vsurpari solet. Vt Isai. 61. & Lucæ. 4. Spiritus Domini super me; id est, in me, vel mecum. Quam phrasim explicuit Interpres Latinus in repetitione quadam qua vsus est idem Isai. cap. 60. inquiens. Super te Ierusalem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.

Digitized by Google

IIII. *Angelus præcursor populi fuit Michael*

EGo mittam Angelum meum.] Aliqui interpretãtur verba ista de Moyse, alij verò de Iosue, sed quia neuter eorum proprie dictus est angelus, neque etiam alicui illorum possunt commode adaptari vniuersa, quæ hic exprimuntur: Iosue enim non custodiuit populum in via; nec Moyses introduxit eum in terram promissionis: idcirco locus iste conuenientius intelligitur de Angelo custode populi Israel, qui vt habetur, Dan. cap. 10. fuit Michael Archangelus, & de eo cum maxima proprietate explicantur, quæ hic referuntur: vt patet in paraphrasi. Pro quo vide, quæ diximus de Angelo, qui locutus est de rubo ad Moysen, supra cap. 3. annot. 1.

V. *Occidere pro stupefacere.*

ET occidam omnem populum.] Verbum Haman, quòd ponitur in Hebræo pro occidam proprie significat frangere, vel stupefacere, seu attonitum reddere; & per similitudinem quandam significat etiam occidere: qui enim taliter animo perturbantur, vt non solum viribus, sed & quasi ipso spiritu vitali destituantur, interdum solent vocari mortui. Quia ergo futurum erat Chananæis, vt ea vehementissimo terrore illis immisso obstupefacti animo frangerentur; Ideo postquam Dominus dixerat, terrorem meum mittam in præcursum tuum, subdidit; & occidam omnem populum, hoc est, dissoluam corda eorum, vt explicatur in paraphrasi. Quod autem occisio hic non debeat sumi proprie, sed metaphoricè, patet ex effectu, qui ex huiusmodi occisione subsequi debebat, de quo statim dicitur. Cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam: fugere enim non conuenit verè mortuis, sed his, qui confracto sunt animo.

VI. *Fluuius absolute stat pro Euphrate.*

VSque ad fluuium.] Quòd per fluuium debeat intelligi Euphrates, vt in paraphrasi explicatur, constat ex alijs locis scripturæ: in quibus istimet termini terræ Hebræis promissæ etiam describuntur. Vt Genes. cap. 15. Semini tuo dabo terram hanc à fluuio AEgypti vsque ad fluuium magnũ Euphratem. Et Deuteronom. cap. 11. A deserto & à Libano, & à flumine magno Euphrate, vsque ad mare occidentale erunt termini vestri. Quæ etiam verba habentur Iosue, ca. 1. Plerumque autem in scriptura per flumen, vel fluuium absolutè intelligitur Euphrates. Vt Isai. 7. Radet Dominus in nouacula cõducta in his, qui transflumẽ sunt. Et cap. 11. & cap. 27. Percutiet Dominus ab alueo fluminis, vsque ad torrentem AEgypti: & leuabit manum suam super flumen. Similiter capituli. 1. Esd. c. 4. 5. 6. vbi dicitur trãsflumẽ.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXIIII.

¶ Post descensum de monte narrauit Moyses plebi omnia verba Domini, eaque literis mandauit, & altari ædificato per aspersionem sanguinis, fœdus inter Deum & populum iniuit. Quo peracto ascendit in montem cum senioribus, à quibus visus est Dominus in figura quadam & specie visibili; & his descendentibus de monte, iterum ascendit Moyses cum Iosue: cæterum separatus ab eo, præcipitur ingredi densam nubem, vbi stetit cum Deo quadraginta diebus & totidem noctibus.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIIII.

A. M*OYSI quoque*, tanquam ei cui specialiter ista, quę subduntur, facere oportebat, *dixit* Angelus, qui cum eo loquebatur. *Ascende ad Dominum* iterum postquam promulgaueris leges, quas toti populo obseruandas proposui. Et non ascendes solus, sed *tu & Aaron*, ac duo filij Aaron *Nadab, & Abiu, & septuaginta senes ex Israel*, quos tu nosti; quòd verè senes populi sint & magistri: *& adorabitis procul* in aliqua parte inferiori montis. *Solusquè Moyses ascendet ad Dominum* loquentem in vertice montis Sinai: *& illi* videlicet Aaron, & filij eius cum senibus *non appropinquabunt* ad summitatem montis: manebunt tamen in ipso monte. *Nec populus ascendet cum eo*, scilicet tecum, imo neque cum septuaginta senibus, sed manebit in proprijs limitibus extra mõtẽ constitutis, vt ex diuerso situ locorũ diuersos esse gradus personarũ in populo suo Dominus ostẽdat. *Venit ergo Moyses* descẽdẽdo ad populum, *& narrauit plebi omnia verba*

Digitized by Google

verba Domini, quibus aliquid faciendum præcipiebat; atque iudicia hoc est cõminationes & pœnas trãsgressoribus impositas Respondítque omnis populus ad Moysen, una voce, nam vnum & idem omnes respõderũt. Omnia verba Domini, quæ locutus est & leges, quas nunc proposuisti nobis de
I. mandato Domini faciemus: Aliud tamẽ postea fecerunt, quàm nunc promiserunt. Scripsit autem Moyses volumen fœderis, in quo exarauit vniuersos sermones Domini, tam eos, qui pertinebant ad decem præcepta decalogi, quàm eos, qui continebant alia quæcumque mandata à populo obseruanda, nam vtrique sermones pertinebant ad fœdus, quod aspersione sanguinis confirmandum erat. Post hæc indixit Moyses publicum festum, in quo omnes conuenirent. Et mane consurgens ædificauit altare, in planitie, quæ erat ad radicem montis. Quod fuit secundũ altare ædificatũ à Moyse. Primũ enim ædificauerat in Raphidim fugatis Amalecitis, vt dictum est in superioribus. Et duodecim titulos etiam ædificauit erigendo duodecim lapides grandes, seu columnas in circuitu altaris, qui repræsentabant vniuersam plebem distinctam, per duodecim tribus Israel, vnicuique enim tribui correspondebat vnus titulus. Misitque iuuenes de filijs Israel, primogenitos
B. populi (hi enim ante Leuiticæ tribus electionem sacerdotio fungebantur) & obtulerunt holocausta, quæ in Dei reuerentiam, secundum omnes partes incendebantur. Immolaueruntque victimas pacificas Domino vitulos, quorum quosdam in holocausta alios verò in gratiarum actionẽ, & gratulationem, pro acceptis beneficijs obtulerũt. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis vitulorum, qui oblati fuerant in sacrificium, & misit in crateras, quæ erant scyphi magni vtrinque ansas habentes: partem autem residuam, nempe alteram sanguinis medietatem fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, quòd ipse conscripserat legit audiente populo, promulgando iterũ leges, quæ quidem antea, de altitudine montis Sinai, promulgatæ fuerant antequam scriberetur liber. Qui dixerunt, Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Tertio enim ad maiorem cõfirmationem professi sunt legem, quã iam antea semel atq; iterũ se obseruaturos promiserant eidem Moysi. Ille verò sumptum sanguinem, qui missus fuerat in crateras, respersit in populum vtens aspersorio cõfecto ex Hyssopo & lana coccinea, vt alibi dicitur: & ait. † Hic est san- † Heb. 9 1.20.
guis testimonium præbens, & quasi
testis assistens, fœderis, quòd pepigit Domi- II.
nus vobiscum super cunctis sermonibus his. Humano siquidem more omnibus tũc no-
to firmitatẽ pacto adhibuit. Ascenderunt- C.
que Moyses, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, iuxta præceptum Domini, quòd datum fuerat Moysi: & accedentes prope medium montis steterunt ibi, & viderunt Deum Israel, non in se ipso qualiter videtur à beatis, sed in specie aliqua vel forma, qua & illi placuit, & illos decuit ac profuit, ferreque humana fragilitas potuit. Nec solum diuinã eius præsentiam sunt experti, sed etiam aliquid amplius, quasi pauimentum diuinitatis eius innotuit. Sub pedibus, namque eius figuræ in qua Deus se illis repræsentabat viderunt quasi opus lapidis sapphirini, ac si statũ in quo subsistebat, esset compactum ex lateribus saphirinis, & quasi cœlum, cum serenum est, præ puritate, munditia, siue claritate, qua pauimentum illud præditum erat. Nec super eos, qui procul recesserant à castris ascendendo in montem, scilicet super Moysen, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuagin-
ta seniores, qui erant principes, & selecti III.
de filijs Israel misit manum suam; Dominus illos percutiendo: nam visio illa nihil læsionis eis attulit, sed se illis videndum sic præbuit, vt etiam gaudium ex visione non parum caperent. Videruntque Deum, & in signum maximæ lætitiæ, quã affecti fuerunt reuersi in tabernacula sua, cum magna iucunditate comederunt ac biberunt inuitando alios. Dixit autem Dominus, per internam mentis inspirationem, ad Moysen existentem in castris. Ascende ad me in montem, vt sequestratus ab alijs omnibus te familiarius applices Deo: & esto ibi non vna hora, vel vno die, sed multo tempore, daboque tibi tabulas lapideas & legem, ac mandata, quæ scripsi, vt doceas eos qui pertinent ad populum Israel, quæ ab illis obseruari omnino oportet. Surrexerunt Moyses, & Iosue, qui fuerat dux
in prælio contra Amalecitas, minister eius, D.
ac domesticus Moysi seruitor. Ascendensque Moyses in montem Dei, antequam exiret à castris, senioribus ait. Expectate hic in statu, in quo estis neque ab institutis acceptis recedatis, donec reuer-

Digitized by Google

tamur ad vos, ego & Iosue dux belli. *Habetis Aaron & Hur vobiscum*, qui erunt præsides & iudices vestri; *si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos*: ipsi enim vobis ius fideliter dicent. Sic disposuit prudentissimus gubernator de agendis, interim, quòd ipse futurus erat in monte, ne mora ipsius improuisa populo videretur. *Cumque ascendisset Moyses*, quandam partem montis vna cum Iosue, *operuit nubes montem*, ita vt Moyses, & Iosue vlterius progredi non auderent: *& habitauit gloria Domini* manifestata per nubem illam magnificam *super Sinai*; in quo monte Deus dedit specimẽ gloriæ & maiestatis suæ *tegens illum nube* illa præclarissima, *sex diebus*, quibus mansit Moyses cum Iosue extra partem montis nube coopertam. *Septimo autem die vocauit eum Dominus de medio caliginis*, voce quadã sensibili quasi formata in intimis nubis, & indesissima illius parte. *Erat autẽ species gloriæ Domini*, & forma, sub qua videbatur, *quasi ignis ardens*: & hoc tantum *super verticem montis*: nam in reliqua parte montis apparebat in forma nubis circumstantis ipsum montem, & in ea similitudine ignis ardentis exhibebat se Dominus *in conspectu filiorum Israel*, à quibus existẽtibus in castris videbatur. †*Ingressusque Moyses medium nebulæ*, relicto Iosue, cui iussit, vt expectaret eum, *ascendit in montem* ad eũ locum in quo Dominus se præsentem exhibebat: *& fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, sine cibo & potu corporeo, solo Dei verbo sustẽtatus, vt tot ieiunijs intẽtus legẽ Dei mereretur accipere. *† De renun. ca. nisi.*

ANNOTATIONES IN CAPVT XXIIII.

I. *Hebræorũ, ac Gẽtiliũ dissimilis obediẽtia*

QVAE Locutus est faciemus.] Propter hæc verba credit D. Augu. in quæstionibus super hunc locum Christum Dominum, Matt. 21. c. comparasse Iudæos illi filio, qui patri iubenti, vt iret ad operandum in vinea sua dixit: Eo domine, & non ibit. Quæ enim in præsenti Israelitæ promiserunt postea impiè contempserunt. E contra verò gẽtes, quæ Dominum penitus respuerunt, postea per vnius obedientiam iustificatæ, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam instar alterius filij, qui patri in vineam mittenti respondit: Ire nolo. Postea autem pœnitentia motus abijt ad operandum in vinea.

II. *Sanguis fœderis, quis dicatur.*

HIC est sanguis fœderis.] Moris esse solet etiam nunc temporis apud plerosque homines, vt cum arctissimum inter se se fœdus confirmare volunt communione sanguinis effusi ex aliquo animali, misti vino, id faciant, vt ex cõmunione in vno eodemque sanguine vnus atque idem omnium eorũ animus comprobetur, habeaturque firmus, atque stabilis. Iuxta hunc igitur morem (qui frequentior forte apud antiquos erat) assumptus est sanguis victimæ diuinæ quasi sanguis Dei, qui est princeps in hoc pacto, & æquis portionibus diuisus in duas partes, & altera aspersum est altare vice Dei, & altera aspersus est populus, vt ex communione vnius atque eiusdem sanguinis diuini firmaretur solemniter pactum, inter Deum & populum. Et quia solennitas ista in firmandis pactis nota tunc erat communiter populo, ideò demõstratiuè dixit Moyses: Hic est sanguis fœderis, &c.

III. *Mittere manum multa significat*

MIsit manum suam.] Hebraismus iste diuersas habet significationes in scriptura. Quamuis enim, vt in plurimum mittere, vel extendere manum significat, rem aliquam apprehendere, vt sup. cap. 22. Iurabit, quòd non extenderit manum in rem proximi sui, & Thren. 1. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius. Interdum nihilominus significat percutere, eo quod percussio soleat extensa manu fieri: & hunc sensum retinet locutio ista in præsenti: & Esther. 8. Domum Aman cõcessi Esther, & ipsum iussi affigi cruci: quia ausus est manum mittere in Iudæos: & Iob. 1. Alioquin mitte manum tuam, & cætera. Sicut etiam interdum significat aggredi quidpiam facere: vt 2. Regum. 1. Quare nõ timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Domini? & Prou. vlt. Manum suã misit ad fortia.

ARGVMENTVM IN CAPVT *XXV.*

I *Dona voluntaria exigit Deus à populo, pro confectione tabernaculi, & rerum ad ipsum pertinentium, ex quibus præcipit fieri arcam auream ad reponendum in ea legis tabulas, habentem propitiatorium à duobus Cherubinis sustentatum: & etiam iubet Dominus*

fieri

Digitized by Google

fieri mensam auream cum sacris vasis, & candelabrum aureum habens septem lucernas, quarum rerum modi & formæ exactè à Domino exprimuntur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXV.

A. LOCVTVSQVE *est Dominus ad Moysen* per internam mētis inspiratione, *dicens: Loquere filijs Israel*, & præcipe eis, *vt tollāt mihi*, & separēt ad cultum diuinum promouēdum partes aliquas non determinatas, sed quasi *primitias* quas quisque conferre voluerit quarundam rerum, quæ necessariæ sunt ad hoc, vt ex eis cortinæ, tecta, funes, & reliqua vasa diuini cultus conficiātur † *Ab omni homine qui offeret vltroneus*, & ex intimo cordis affectu *accipietis eas*: ministri quippe Ecclesiæ nō nisi à talibus accipere debent oblationes huiusmodi. *Hæc sunt autem, quæ accipere debetis*: quantum ad metalla quidem *aurum & argentum & æs*: quantum ad lanas verò seu pannos, *hyacinthum*, qui coloris est cærulei, *& purpuram*, quæ colore constat rubeo siue rutilo vel subruffo, *coccumque bis tinctum* hoc est sericum pannum cocco bis tinctum etiam rubei coloris, qui vulgo carmesinus nuncupatur, & lucidior est quàm purpura: *& byssum* linum tenuissimum & candidissimum; *pilos caprarum*, ex quibus vestes confectæ in vsu futuræ sunt, *& pelles arietum rubricatas* & in sanguineum colorem tendentes, *pellesque Ianthinas*, animalium videlicet quorundam plures habētium maculas ad modum violarum quæ diuersis constant coloribus, *& ligna setim*, quæ sunt magnæ arbores ad cedrorum genus pertinentes. Accipietis præterea *oleum ad luminaria concinnanda* pro lucernis in candelabro die noctuque lucentibus: *aromata in vnguentum*, pro oleo vnctionis *& thymiamata boni odoris* ad componendum vnguentum odoriferum, seu oleum vnctionis, quo tam tabernaculum ipsum, quàm vasa eius cum sacerdotibus vngantur: *lapides onychinos*, cornetinos, scilicet, seu prassinos *& gemmas ad ornandum* duplex genus vestimentorum sacerdotalium, scilicet, *Ephod*, seu superhumerale, quod erit vestis quædam humeris vtrinque superposita ac constare debet duabus partibus æqualibus quarum vna tergum, altera pectus ad vmbilicum vsque tegat, in qua duo lapides onychini inseri debent habentes sculpta duodecim nomina filiorū Israel, *ac rationale* seu pectorale, quod summus sacerdos in pectore suo portabit, & cui inseri etiam debent duodecim gemmæ pretiosæ, continentes nomina duodecim Patriarcharum. *Facientque mihi sanctuarium*, seu templum mobile, vbi sacra peragantur & Israelitarum mētes amplius ad me colendum excitentur; *& habitabo in medio eorum*; non quòd eo in loco includar, qui omnia impleo, sed quia ibi tam verbo meo, quàm sacrificijs & signorum ostensionibus specialius, quàm alibi manifestabor. Facientque illud mihi † *iuxta omnem similitudinem* & integram repræsentationem tibi reuelandam figuræ, magnitudinis, ac materiæ non solū *tabernaculi, quod ostendā tibi* visione imaginaria, sed *& omnium vasorum*, quæ fieri debent ad ornatum sanctuarij, & *in cultum eius*: ne si tuo sensu & arbitrio ista confingerentur, populus forsan existimaret minus illa esse Domino accepta & placita. *Sicque facietis illud. Arcam* (quæ erit præcipua sanctuarij pars) *de lignis setim compingite*: 1 sunt enim imputribilia: *cuius longitudo habeat duos & semis cubitos, 2 latitudo cubitum & dimidium, altitudo cubitum similiter ac semissem.* Quorum cubitorum vnusquisque continere debet sex palmos, sicut & palmus continet spatium quatuor digitorum trāsuersorum: *& deaurabis eam auro mundissimo intus & foris*: alia enim pretiosiori materia commodius non poterit obduci arca ad repræsentandum Dei gloriam & maiestatem. *Faciesque supra*, in superiori parte arcæ, limbum, seu *coronam auream per circuitum*, quo permultum arcæ ornatus superaddetur. Facies *& quatuor circulos aureos* opere fusorio, *quos pones per quatuor arcæ angulos* in superioribus partibus angulorum, quæ sunt iuxta operculū thecæ: † *duo circuli sint in latere vno, & duo in altero*: latera autem voco partes extremas secundùm longitudinem. Vnde in angulis ex ea parte qua terminant latitudinem

Marginal notes: † *Inf.* 35. 4. 5. — † *Hebr.* 9. a. 2. — I. — II. — † 36. *dis. c. qui ecclesiasticis.*

nem thecæ affigere debes circulos istos. ita quòd theca vehatur secundùm latitudinem repræsentando eius dignitatem & nō portetur secundùm longitudinem, tanquā
B. arca oneraria. *Facies quoque vectes de lignis setim & operies eos auro, inducesque*, seu immittes *per circulos, qui sunt in arcæ lateribus, vt* arca à quatuor sacerdotibus *portetur in eis, qui* quidem vectes *semper erunt in circulis, neque vnquam extrahentur ab eis*: quāuis vectes aliarū rerū tabernaculi esse debeant in circulis solùm pro tempore deportationis. *Ponesque in arca testificationem quam dabo tibi*, hoc est tabulas præceptorum Decalogi testificantes fœdus initū inter me & populum istum. *Facies & pro-*
III. *pitiatorium*, 3 seu oraculum, quod sublimius sit quàm arca, *de auro mundissimo*: vt ex eo loco verbis & alijs signis me propitium populo ostendā; ac ibi oracula edā, & responsa reddam: *duos cubitos & dimidium tenebit longitudo eius & cubitum ac semissem latitudo*: tātum scilicet longitudinis & latitudinis, quantum habere debet arca, vt eam tegere valeat propitiatorium, tanquam operimentum eius vel papilio. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles* imaginem perferentes cœlestium Cherubinorum *facies ex vtraque parte* summitatum ipsius *oraculi*, vt sustentent manibus suis propitiatorium ipsum, vel oraculum. *Cherub vnus sit in latere vno* summitatis propitiatorij, *& alter in altero*: ita vt vnus Cherub distet ab alio per spatium longitudinis arcæ & propitiatorij. *Vtrūq; latus propitiatorij alis* illis quibus depingi solēt imagines Angelorum ad repræsentandum miram eorum velocitatem, quam habent tam in intelligendo quàm in progrediendo de vno loco in alium Cherubini *tegant expandentes alas & operientes oraculum*: ita vt extremitates alarum attingant ad medium longitudinis propitiatorij: *respiciantque se mutuò* non ex obliquo nec torquendo collū, sed directè *versis vultibus in propitiatoriū*, quod mediū tenere debet inter duos Cherubinos secundùm lineam rectam & *quo operienda est arca*: ita vt quamuis arca tantæ sit excellentiæ, vtpote *in qua pones testimonium* testificans vobis voluntatem meam, *quod dabo tibi*, nihilominus submittēda est propitiatorio quasi scabellum suppedaneum sedenti super propitiatorium sustentatum à Cherubinis & alæ Cherubinorum habebunt se quasi brachiola sedis.

Inde præcipiam & loquar ad te quasi existens in sede maiestatis meæ *supra propitiatorium*, scilicet *ac de medio duorum Cherubim, qui erunt* quasi flexis genibus & inclinatis corporibus *super arcam testimonij*: inde (inquam) loquar *cuncta quæ mādabo per te filijs Israel*, & quæ in republica Israelitica obseruāda erūt. *Facies & mensam de lignis setim* imputribilibus *habentem duos cubitos longitudinis & in latitudine cubitum* iuxta eam magnitudinem, seu mensuram cubiti, quæ in descriptione arcæ proposita est, *& in altitudine* pedum habere debet mensa *cubitum ac semissem*: pedes enim non debent esse separati à mensa, sed de eius integritate tanquam partes ipsius mensæ, ita quòd vnà moueatur mensa simul cum pedibus quatuor: *& inaurabis eā auro purißimo* vestiendo eam laminis aureis super & subtus, imò & pedes eius. *Faciesque illi labium aureum per circuitum* non super mensam, sed applicatum mensæ, ita quod augeat longitudinem & latitudinem eius: superaddes quoque, *& ipsi labio coronam interrasilem*, quæ sculpturas habeat aliquas, spatia vero intermedia plana quasi rasa claudentem totum labium mensæ, ne aliquid de mensa possit elabi, & *altam quatuor digitis*, 4 quantum scilicet lata est manus. Cuius quidem coronæ seu clausuræ grossitudo fabrili arte cœlāda est; nam *& super illam* constituere debes pro decoro quodam ornatu *alteram coronam aureolam*: & hæc dicta sint quantum ad superiorem mensæ dispositionem: quantum ad inferiorem vero *quatuor quoque circulos aureos præparabis* opere fusorio conficiendos, *& pones eos in quatuor angulis eiusdem mensæ*, non quidem affigendo eos corpori mensæ, sed pedibus, ita vt singuli circuli *per singulos pedes* ipsius mensæ distribuantur. *Subter coronam erunt circuli aurei*, nempe versus partem superiorem pedum, immediatè sub corona interrasili claudente mensam; *vt mittantur vectes per eos, & possit mensa portari*, dum de loco ad locum transmigrare oportebit. *Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, & circundabis* ac operies eos *auro* vt deseruiant *ad subuehendam mensam*. Propterea pro cultu, qui exhiberi debet Deo super mensam istam *parabis & acetabula, ac phialas, thuribula & scyathos*, quatuor vasorū genera quædam certè maiora, quædam vero minora, *in quibus offerenda sunt libamina* panis

C. (right margin, top)
IIII. (right margin, beside "quatuor digitis")

Digitized by Google

nis & thuris lucidissimi, quæ in mensa ista
dedicare Deo oportebit: præparabis autem
illa *ex auro purissimo* ad maiorē diuinæ ma-
iestatis reuerentiam. *Et pones super mensam*
panes propositionis duodecim, iuxta nume-
rū filiorū Israel, quos ea ratione voco panes
propositionis, quia propositi esse debent
ad spectandum *in conspectu meo semper* &
etiam in conspectu hominū, ita vt nunquā
deficiant à mensa panesilli. *Facies & cande-*
labrum non quidem opere fusorio, sed fac
illud *ductile*, ita vt vi mallei educatur *de au-*
ro mundissimo: facies quoq; *hastile eius* seu
stipitem candelabri, qui procedat directè
in altum, habeatque inferius tres pedes, *&*
calamos egredientes de hastili: *scyphos* etiā
in modum calicis factos, *& spherulas* quasi
nodos quosdā rotundos, *ac lilia* seu flores
ex ipso crasso stipite omnia isthæc *procede-*
ntia: neque enim fieri debēt ex diuersis par-
tibus in vnum coagmentatis. *Sex calami*
egredientur de lateribus ipsius hastilis prin
cipalis, *tres ex vno latere & tres ex altero*
tendētes sursum oblique quousque pertin
gant ad altitudinem hastilis. *Tres scyphi* se-
cundùm debitam proportionem à se inui-
cem distantes constituentur *quasi in nucis*
V. amygdalinæ *modum* 5 *per calamos singu-*
los, spherulaque simul & lilia erunt pro or
natu vniuscuiusque scyphi, *& tres similiter*
scyphi instar nucis in calamo altero spheru-
laque simul & liliū: ita vt singuli calami tā
vnius lateris, quàm alteriu habeant tres
scyphos & totidem spherulas ac lilia quasi
nuces & poma exornantia ipsos calamos
cādelabri. *hoc erit opus sex calamorū, qui pro*
ducendi sunt de hastili. In ipso autem cande
labro, seu hastili (quod candelabrum voco,
quia esse debet præcipua pars candelabri)
erūt quatuor scyphi; quorum quilibet d. bet
se habere *in nucis modum* & quasi pomu-
lū ipsius hastilis, *spherulaque* adhiberi de-
bent *per singulos* scyphos *& lilia* ad orna-
tum & decorem scyphorum: *spherula* au-
tem ita disponentur, quòd vna illarum cū
suo scypho & lilio erit in suprema parte ha
stilis correspondens spherulis exit: entibus
in summitatibus calamorū. Aliæ vero tres
spherulæ cū suis scyphis & lilijs erunt *sub*
duobus seu binis *calamis per tria loca*, tali-
ter quòd ex qualibet spherula earum egre-
diantur duo calami, alter hinc & alter inde:
qui simul sex fiunt procedentes de hastili vno
de diuersis tamen spherulis: *& spherulæ igi*
tur & calami ex ipso candelabro seu ex ca-
delabri materia *erunt vniuersa*, non fusoria
sed *ductilia de auro purissimo*: ita vt percus-
sione mallei omnes partes candelabri hàc
& illàc protrahantur. *Facies & lucernas*
septem 6 diffondentes lumen non circum- VI.
quaque, sed ad vnam certam partem, *& po-*
nes eas super candelabrum vnam in sum-
mitate hastilis & sex in summitatibus ca-
lamorum, *vt luceant ex aduerso* mensæ ha-
bentes rostra versus illam plagam, in qua
esse debet mensa propositionis: hanc enim
ex æquo respicere debent omnes septem
lucernæ. Pones igitur mensam proposi-
tionis in latere tabernaculi aquilonari; &
ex opposito latere pones candelabrum
habens faciem versam ad mensam. *Emun-*
ctoria quoque seu forcipes, quibus emungi
debent lychni, *& vbi ea, quæ emuncta sunt,*
extinguantur, ne fætor vel macula sit in
sanctuario, *fiant de auro purissimo*: om-
nia quippe huiusmodi instrumenta esse de-
bent lucida & magnifica. *Omne pondus*
candelabri cum vniuersis vasis suis habe-
bit certam & determinatam mensuram vi-
delicet *talentum auri purissimi*: 7 quoad VII.
reliqua vero, putā quantitatem hastilis se-
cundùm longitudinem ac formā lucerna-
rum & capacitatem earum, & pedem cande
labri (qui pulcherrimus esse debet) nō opor
tet quidpiam scribere. † *Inspice & fac se-* † *Hebr. 8 b.*
cundùm exemplar, quod tibi in monte mon- *5. Act.*
stratum est; ne humanum inuentum opus *7. f. 44.*
istud cogitetur, & præsum; tum fine Deo. *Inf. 26. f. 30.*

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

[I. *D. Thomas optimus Mosaycæ legis interpres.*

ARCAM compingite.] Rationes litera-
les eorum omnium, quæ in hoc capite &
in duobus sequentibus præcipiuntur fieri perti-
nentia ad tabernaculum, require apud D. Tho.
1. 2. q. 101. art. 4. in solut. 4. & 6. argu. vbi
adeò pulchrè eas adducit, vt Paulus Burgensis
antequam ad fidem conuerteretur dixisse fera-
tur, Thomam Aquinatem præstantiùs quàm ip-
sum legem Moysi intellexisse & calluisse.

II. HABEAT duos & semis cubitos.] Pro
mensura cubitorum, quorum hîc & in se-
quentibus sæpè fit mentio, videantur quæ
adnotauimus in Genes. cap. 6. annot. 5.

III. *Propitiatoriū vnde dicatur.*

FACIES & propitiatorium.] Hebraicè est
dictio chapporeth, & erat tegmen siue ope
rimentū aut velamen & cœlūm quale rebus pre
tiosis superponere solemus: ita tabula ista super
ponebatur arcæ. Chapporeth autē deducitur à
verbo

verbo Chaphar, quod aliquando significat remouere iram siue placare, aliquãdo verò condonare iniquitatem & peccatũ. Solebat enim Dominus apparere Israelitis super operimentũ illud, & illinc eos alloqui, & ostendere voluntatẽ suã (vt paulo post dicit,) & vtrũ iratus esset an placatus illis; quod maximæ clementiæ & propitiationis erat. Vnde optimè vertit interpres propitiatorium, quasi dicat, locus, in quo Dominus placatus alloquebatur populum. Quandoq; etiam pro eo vertit oraculum, propterea quòd illinc Dominus oracula sua edebat; idest, Moysi loquebatur; docebatque eum, quid populum Israeliticum facere vellet.

IIII. *Duplex palmi mẽsura.* ALTAM quatuor digitis.] Sicut apud latinos duplex est palmi mẽsura: vna minor, quæ quatuor transuersales continet digitos; & alia maior, quæ duodecim habet transuersales digitos, hoc est, integram manus distensionem: sic apud Hebræos tophach est mẽsura quatuor digitorum, & cereth est maxima extẽsio, quam quis cum digitis facere potest, & illa mensura continet ter palmum minorem. Quia igitur hic & infra cap. 37. ponitur tophach optimè interpres explicuit per mensuram quatuor digitorum.

V. *Scyphi candelabri quales fuerint.* TRES scyphi quasi in nucis modum.] Subiunxi in paraphrasi quasi in nucis amygdalinæ modum, quia dictio gebiba, quæ habetur in Hebræo significat scyphum aliquanto oblongum in modum calicis factũ. Vnde in hodiernum vsque diem in fornice Titi in vrbe Roma apparet sculptum candelabrũ quod erat in Ierusalem tempore Titi, vt ductum est sub triumpho, & apparent ibi calices amygdalati, hoc est, nõ habentes superficiẽ planã sed tãquã amygdala. Est autem rationi consonum candelabrum illud posterius fuisse valde simile huic priori, quòd hic præcipitur fieri, & durauit vsq; ad tempora Nabuchodonosor regis Babylonis.

LVcernas septẽ.] Quod lucernæ istæ non habuerint formam lãpadis, quæ æquè lumen diffundit circũ quaque, sed potius fuerint quasi habẽtes rostra in vna parte, in qua ardebãt, colligit & probat pulchrè Caietanus ex eo q. statim hoc in loco subiũgitur, vt luceãt ex aduerso; neq; enim præciperentur lumẽ facere versus vnã certã plagã, si æquè versus omnẽ partẽ lucere potuissẽt. Sed quidquid sit de sensu horũ verborũ, proculdubio hoc ipsum aperte colligitur ex principio capituli octaui Numerorũ, vbi vide. Vnde & lucernæ sculptæ in candelabro de quo diximꝰ in annotatione præcedẽte, rostratæ sunt, diffundẽtes lumẽ versus vnã tãtum partẽ. VI. *Lucernæ candelabri versus vnã tantum partẽ lucebant.*

TAlentum auri.] Duplex erat talẽtum apud Hebræos; vulgare scilicet & sacrũ. Vulgare talentum continebat sexaginta libras; sacrum verò (quo in templo vtebantur Israelitæ) duplum erat ad vulgare seu prophanum. Ita docet Aloisius Lypomanus hic. VII. *Talentũ duplex.*

ARGVMENTVM IN CAP. XXVI.

¶ Præcipit Dominus fieri tabernaculũ ex decem cortinis hyacinthinis varijs coloribus ac figuris contextis, habens tectum cilicinum cum duplici alio operimento: ita vt totum istud opus sustẽtetur tabulis ac vectibus deauratis, basibusque argenteis: ac facta diuisione domorum per velum docet Dominus, vbinam consistere debeant arca cum propitiatorio, mensa, & candelabrum; qualeque tẽtorium habere debeat tabernaculi introitus.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXVI.

A. TABERNACVLVM *vero* seu templum mobile, in quo ea, quæ prædicta sunt, poni debent, *ita facies: Decem cortinas*, quæ constituere debent substantiam & corpus ipsiꝰ tabernaculi, *de bysso retorta &* assumẽdo fila lini candidissimi, & retorquendo ea, & contexendo simul cum *hyacintho, ac purpura coccoque bistincto*, 1 hoc
I.
est cum filis cæruleis ac rubris & etiam carmesinis *variatas*, 2 ac depictas cortinas illas formis Cherubinorum, *opere plumario* seu diuersorum colorum & figurarum *facies*: ita vt contextis ex varijs filis ipsis cortinis inserantur eis opere variegato picturæ quædam, seu figuræ Cherubinorum. *Longitudo cortinæ vnius habebit viginti octo cubitos*, seu, quod idem est centum sexaginta octo palmos: *latitudo quatuor* II.

tuor cubitorum erit, hoc est viginti quatuor palmorum habita ratione mensuræ designatæ in constructione arcæ. *Vnius mensura fient vniuersa tentoria*, seu cortinæ, quas tentoria voco, quia ad modum tentorij tendendæ erunt, vt tabernaculum conficiant. *Quinque cortinæ sibi iungentur mutuo*, consuendo eas ad inuicem, *& aliæ quinque* ab illis segregatæ *nexu simili cohærebunt*. Deinde hæc duo vela magna ex quinis cortinis confecta connectes simul hoc modo. *Ansulas* seu fenestellas *hyacinthinas* contextas ex filis hyacinthinis *in lateribus ac summitatibus facies* vniuscuiusque duarum magnarum *cortinarum*, *vt possint inuicem copulari*, eo modo quo vti solent homines in extremitate diploidis in pectore, cum hac tamen disparitate, quòd extremitatem diploidis vna est masculina, altera fœminina: extremitates autem duarum cortinarum, quæ coniungendæ sunt, ambæ fœmineæ esse debent, & tanquam sorores. *Quinquagenas ansulas* maxima illa *cortina*, quæ debet conflari ex duabus velis magnis, *habebit in vtraque parte* duarum extremitatum se inuicem tangentium *ita insertas*, *vt ansa contra ansam veniat*: vna scilicet è regione alterius: idque vt *& altera alteri possit aptari*, & circulis quibusdam coniungi.

B. *Facies & quinquaginta circulos*; seu vncinos *aureos*, *quibus cortinarum vela* duo ex quinis cortinis composita *iungenda sunt*, vinciendo quinquagenas ansulas, seu concisiones quæ esse debent in singulis duabus velis,

III. *vt vnum tabernaculum fiat* 3 ex decem illis cortinis modo prædicto concinnatis. *Facies & saga cilicina* seu cortinas symballoti de pilis caprarum *vndecim ad operiendum tectum*, hoc est faciem omnem externam *tabernaculi*, ne puluere inficiatur. *Longitudo sagi vnius habebit triginta cubitos*, *& latitudo quatuor*. *Æqua erit mensura sagorum omnium* inter se se, simul tamen sumpta omnia vndecim saga excedent priorem cortinam, tam secundùm longitudinem quàm secundùm latitudinem. *E quibus* vndecim sagis *quinque iunges seorsum*, consuendo vnum alteri, *& sex sibi mutuo copulabis*: ad hoc, vt quando de loco in locum moueri debeamini, nec singula saga seorsum dissoluantur, nec omnia simul iuncta inuoluantur, sed quinque pro vna parte & sex pro altera: *ita vt sextum sagum*, in quo excedet longitudo veli sagorum longitudini veli cortinarum *in fronte tecti*, hoc est in superiori parte ingressus in tabernaculum *duplices*, reflectendo partem quandam sagi illius in seipsam, vt operimentum istud maiorem habeat facultatem obstandi contrarijs in extremitate anteriori tabernaculi. *Facies & quinquaginta ansas in ora sagi vnius*, *vt coniungi cum altero queat*, *& quinquaginta ansas in ora sagi alterius*, *vt cum altero copuletur*. Quæ quidem ansæ similes esse debent ansulis seu laqueolis, quæ in prioribus cortinis facere, præcepi. *Facies & quinquaginta fibulas* ac torques *æneas*, *quibus iungantur ansæ vt vnum ex omnibus* sagis cilicinis *operimentum* tabernaculi *fiat*. C. *Quod autem* eius operimenti *superfuerit*, vltra longitudinem tabernaculi & altitudinem partis posterioris *in sagis*, *quæ parantur tecto*, *id est* tantum quantum *vnum sagum* secundùm latitudinem *quod amplius est*, & superexcedit cortinam sagorum cortinam hyacinthinam conficientem tabernaculum, non existimes id absque ratione fuisse superadditum in sagis, imo *ex medietate eius* quantitatis, videlicet ex duobus cubitis residuis sagi vltimi *operies posteriora tabernaculi*, demittendo eiusmodi medietatem vltra id, quo pertingit ora posterior cortinæ tabernaculi; sicut & alia medietas prioris sagi futura etiam est maximæ vtilitatis, nempe vt duplicetur in parte anteriori tabernaculi, vt dictum est. Ad hoc enim vndecimum additum est sagum, habens quatuor cubitos latitudinis, vt duo ante & duo post superfluant cubiti. *Et cubitus ex vna parte* lateris tabernaculi *pendebit* vltra cortinas ipsius tabernaculi, *& alter* cubitus sagorum similiter pendebit *ex altera* parte lateris eiusdem tabernaculi. *Qui* duplex cubitus excedit, & *plus est in* vnius cuiusque *sagorum longitudine* quàm sit longitudo priorum cortinarum, vnaquæque enim illarum habere debet viginti & octo cubitos longitudinis: saga vero triginta cubitos. Ita vt duplex cubitus superadditus sit, *vtrumque latus tabernaculi protegens*: nam summitates sagorum ex parte vtriusque lateris ad terram vsque pertingent; vndè commodè poterunt protegere extremitates cortinarum hyacinthinarum; cum hæ vno cubito à terra debeant

Digitized by Google

beant altiores existere ex parte cuiusque
lateris tabernaculi. *Facies & operimentum
aliud tecto de pellibus arietum rubricatis,*
quo tabernaculum ipsum ab iniuria cœli
& imbrium commodius defendi valeat: ob
quam etiam causam facies quoque *& super
hoc rursum aliud operimentum de ianthinis
pellibus*, quæ maculis respersæ sunt ad mo-
dum violarum diuersorum colorum. *Facies
&* pro ligneo corpore tabernaculi plures
tabulas stantes & erectas, quæ in recto po-
sitæ deseruiant ad sustentandum cortinas
tabernaculi, de lignis setim arboris natu-
ræ imputribilis eximij candoris ac leuita-
tis, & non multum ab albaspina nisi mag-
nitudine tantum distantis: *quæ singulæ* ta-
bulæ *denos cubitos in longitudine*, quan-
ta esse debet mensura altitudinis taberna-
culi, *habeant; & in latitudine singulos ac
semissem* hoc est nouem palmas manus: sex
enim palmæ transuersæ vnum constituunt
D. cubitum. *In lateribus* præterea existenti-
bus in extremitate inferiori cuiuslibet *ta-
IIII. bulæ duæ incastraturæ fient*, 4 quæ sint ve-
luti duo cardines seu denticuli per serratu-
ram relicti; *quibus tabula alteri tabulæ con-
nectatur*, ita vt prædictæ incastraturæ ba-
sibus immissæ tabulas erectas contineant,
nec sinant illas hùc atque illùc moueri, sed
faciant, vt vnaquæque tabula suis collate-
ralibus copuletur *: atque in hunc modum
cunctæ tabulæ parabuntur*: nempe infigen-
do eas in basibus suis. *Quarũ tabularũ vi-
ginti erunt in latere meridiano, quod ver-
git ad austrum*; taliter quòd fiat paries de-
cem cubitorum altitudinis, & triginta cu-
bitorum longitudinis ex viginti tabulis
compactis & erectis. *Quibus* viginti tabu-
V. lis *quadraginta bases argenteas fundes*, 5
*vt binæ bases singulis tabulis per duos an-
gulos* seu incastraturas, quæ erunt circa an-
gulos extremitatis infimæ tabularum, *sub-
ijciantur*, & recipiant intra se incastratu-
ras ipsas seu denticulos. *In latere quoque
secundo tabernaculi quod vergit ad Aqui-
lonem viginti tabulæ erunt quadraginta
habentes bases argenteas*: ita vt vnaquæ-
que tabula ex parte eius inferiori binis ba-
E. sibus sit infixa. *Binæ bases singulis tabulis
supponentur* ita, vt nõ excedãt ambæ simul
bases spatium latitudinis cuiuscusque ta-
bulæ, ne fiãt impedimento contiguitati
ipsarum tabularum. *Ad occidentalem vero
VI. plagam* 6 vbi dorsum esse debet *taberna-
culi, facies sex tabulas*, iuxta mensuram re-
liquarum habentes scilicet decem cubitos
longitudinis, & cubitum ac semissem lati-
tudinis: *& rursum alias duas* tabulas fa-
cies eiusdem longitudinis cum prioribus,
non tamen eiusdem latitudinis, sed cubi-
tum medium habebunt singulæ tabulæ,
*quæ in angulis erigantur post tergum ta-
bernaculi*. Cum enim sex priores tabulæ
nequeant implere nisi nouem latitudinis
cubitos, dimidius cubitus ex vtraque par-
te vacuus apparebit. Ideo tabula vno cu-
bito lata per medium secanda est, & in-
de factæ duæ tabulæ vtrinque partibus il-
lis appositæ claudent, & implebunt duos
illos semicubitos vacuos, & parietem oc-
cidentalem compaginabunt, & coniun-
gent alijs duobus parietibus collaterali-
bus. *Eruntque simul coniunctæ* vniuersæ
tabulæ tabernaculi *à deorsum vsque sursum*,
à parte quidem inferiori propter bases for-
titer in terra fixas, & ordinatè positas,
quæ tabulas ipsis infixas maximè coniun-
gent: à parte vero superiori *& vna om-
nes compago retinebit* 7 propter vnci- VII.
nos summitatibus tabularum applicandos,
quorum quilibet iunget duas tabulas si-
mul intrans summitatem vtriusque tabu-
læ. *Duabus quoque tabulis, quæ in angulis
ponendæ sunt*, quarum seorsum mentio
fit ob disparitatem latitudinis illarum à la-
titudine aliarum *similis iunctura seruabi-
tur*, tam in basibus inferioribus, quàm in
vncinis superioribus: *& erunt simul ta-
bulæ octo*, quæ collocari debent in plaga
occidentali: *bases earum argenteæ sedecim,
duabus basibus per vnam tabulam suppu-
tatis*, seu vnicuique tabulæ suppositis.
Facies & vectes de lignis setim quinque,
qui ultra bases & vncinos deseruiant etiam
*ad continendas tabulas in vno latere ta-
bernaculi, & quinque alios in altero* late-
re tabernaculi, *& eiusdem numeri ad occi-
dentalem plagam*: ita vt omnes vectes sint
quindecim, *qui mittentur*, & transient ab
extremo ad extremum totius parietis, in
quo vnusquisque fuerit *per medias tabu-
las à summo vsque ad summum*, nempè di-
stribuendo eos secundùm longitudinem
cuiusque tabulæ, ita vt vnus vectis tran-
seat per medium tabularum à basibus æque
distans & tecto, quinque videlicet cubi-
tis, alter supernè prope tectum; tertius ve-
ctis transeat propè bases: reliqui duo po-
nuntur intermedij; sintque omnes ab in-
uicem ordine distantes duobus cubitis &
dimi-

Digitized by Google

dimidio, vel aliter pro commoditate. *Ipsis quoque tabulas deaurabis*, vestiens eas intus & foris laminis aureis, *& fundes in eis annulos aureos* affigendos ipsis tabulis: debent enim esse tanquam domus vectiũ, *per quos vectes tabulata contineant*, ne à ventis moueantur, neque alia causa tabernaculum conturbetur, sed tabulata fixa retineantur à vectibus, *quos operies laminis aureis*. Pretiosissimum enim & admirabile esse debet in oculis omnium hoc tabernaculum, quo mysterium præsentiæ Dei summi declaratur. *Et eriges tabernaculum* ac facies sustentari super hanc structuram tabularum tanquam super parie-

† Sup. cap. 25. d. 40. tes *iuxta exemplar*, † *quod tibi in monte monstratum est*; in quo exemplari multa præter explicitè dicta, repræsentata sunt tibi. Interquæ computandus venit

† Inf. cap. 36. d. 33. † vectis ille, qui à prima tabularum summitate versus orientem, vsque ad alterius lateris summitatem per decem cubitos latitudinis tabernaculi protensus esse debet capite vtroque firmiter tabulis imponendus: vt per hoc & tabernaculi plaga, quæ ingressui deseruire debet, non minus fixa quàm cætera, vento licèt impellente persistat. *Facies & velum de hyacintho* cærulei coloris *& purpura coccoque bis tincto, & bysso retorta opere plumario, & pulchra varietate contextum*: ita vt tam in materia, quàm in artis forma simile sit cortinis tabernaculi superius descriptis: *quod appendes* transuersaliter de latere in latus tabernaculi, *ante quatuor columnas de lignis setim quæ ipsæ quidem* laminis aureis *deaurata erunt*, ac taliter dispositæ, quòd duæ columnæ extremæ erunt ferè contiguæ parietibus, altera aquilonari, & altera meridiano; aliæ autem duæ mediæ erunt æquè distantes, ita vt tres aditus inter quatuor columnas pateant, *& habebunt capita aurea* ad maiorem columnarum pulchritudinem & firmitatem; *sed bases argenteas* fixas in terra, in quorũ foramina pedes columnarum intraount, vt

G. solidè & erectæ consistere possint. *Inseretur autem velum per circulos*, seu vncinos sitos inter columnas & capitella earum: *intra quod* velum, vbi tertia pars tabernaculi

VIII. debet contineri, *pones arcam testimonij* 8 hoc enim velum diuidere debet tabernaculum in duas domos quarum prior, quæ orientalis erit, viginti cubitos longitudinis habebit, posterior vero & occidentalis decem cubitos complectetur: *quo & sanctuarium & sanctuarij sanctuaria diuidentur*: nã prior illa domus, quæ extra velum erit, quamuis sancta sit, non tamen tantum quantum secunda: vnde sanctuarium vocabitur. Illa verò quæ erit intra velum, ob eximiam excellentiam & dignitatem, ac maiorem diuinæ præsentiæ repræsentationem sancta sanctorum, vel sanctuarij sanctuaria nomẽ obtinebit. *Pones & propitiatorium*, quod dixi tibi existere debere *super arcam testimonij in sancto sanctorum*, nempe intra velum; *mensamque* auream panum propositionis collocabis *extra velum, & contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano. Mensa enim stabit in parte aquilonis.* Homini itaque ingredienti tabernaculum arca cum propitiatorio (post velum tamẽ) è regione occurret, vtpotè in occidente; mensa autem propositionis extra velum à dextris, candelabrum verò à sinistris, nam ingressus esse debet ab oriente. *Facies & tentorium*, seu cortinam loco parietis orientalis, quod sit quasi ostium *in introitu tabernaculi*: fiet autem *de hyacintho & purpura, coccoque bis tincto & bysso retorta opere plumarij* nullatenus dissimile, quantum ad materiam & formam & quantitatem velo prædicto, quo diuidi oportet sanctum à sancto sanctorum, duobus dumtaxat exceptis: alterum quòd illud pendere debet in quatuor columnis, istud autem in quinque: alterum verò, quod bases columnarũ illius veli erunt argẽteæ, istius autem æneæ: quæ quidem bases quodammodo spectant ad complementum, seu ornatum ipsarum cortinarum: ordine igitur prædicto facies columnam constituendam in introitu tabernaculi. *Et quinque columnas deaurabis lignorum setim*; ponesque eas in introitu tabernaculi, duas quidem iuxta duos parietes collaterales, reliquas vero tres æqualiter à se & ab alijs duabus distantes: *ante quas ducetur tentorium* ad operiendum ingressum tabernaculi: *quarum erunt capita aurea* similia capitellis columnarum internarum: *& bases æneæ*. Simulque ex vncinis operimentum istud pendebit, & cedit tantùm ingredientibus, nec amouebitur nisi dum loco soluendum erit Domino iubente. Tunc enim omnia prædicta à sacerdotibus resolui debent, & in fasciculos consarcinari à leuitis baiulanda.

ANNO-

ANNOTATIONES IN CAP. XXVI.

I. *Byssus, Hyacinthus, Purpura, & coccus quæ dicantur.*

COCCOQVE bistincto.] Harum quatuor rerum videlicet bysſi, hyacinthi, purpuræ atque cocci ſæpe meminit ſcriptura cum de ornatu tabernaculi, templi, ac ſummi ſacerdotis agit. Byſſus vocabulum apud Græcos, & Latinos ab Hebræis mutuatum, tenuiſsimi & candidiſsimi lini genus eſt, in Aſia circa Eliden Achaiæ; in Europa in Inſulis Olandiæ naſcens: quod veteribus erat in delicijs: Luc. 16. Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo. Hyacinthus eſt lana coloris violacei atque cœleſtis; quam lanam pretioſam fuiſſe apud veteres docet Homerus Odyſſ. 4. vbi inducit famulam afferentem Helenæ colum violaceam lanam habentem. Purpura vocatur lana rubei coloris ſubobſcuri, quam olim veteres ſummo in pretio habebant, & regibus tribuebant; tingebâtque illam ſucco piſcis ex conchyliorum genere, qui purpura dicitur; de quo Plinius lib. 9. cap. 36. Ibidem de colore purpuræ ait: Nigrantis roſæ colore ſublucens. Coccus bis tinctus dicitur ſericum, quod tingebatur ſanguine vermiculi admodum rubri, qui naſcitur in coccis, id eſt, in granis arbuſculæ, quam cuſculum dicunt, vt docet Plinius lib. 16. cap. 8. vnde nobis coſcoja dicta eſt, & granum ipſum vocatur grana. De quo vermiculo legimus Iſai. 1. Et ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus velut lana alba erunt. Vt autem ſericum ſeu lana plenius hoc colore pretioſiſsimo imbueretur, bis tingi ſolebat, ſemel antequam in fila deduceretur, & iterum poſtquam deducta erat: & dicebatur tunc vermis ſecundus: vel coccus bis tinctus. Cuius pretioſitatem inſinuat Dauid. 2. Reg. 1. inquiens: Filiæ Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delicijs.

II. *Varietas in cortina hyacinthina erat textura Cherubinorum.*

VARIATAS.] Varietas iſta expetita in cortina hyacinthina tabernaculi, & in velo diuidente Sancta ſanctorum à ſanctuario, cõſiſtebat in eo quod quædam figuræ Cherubinorũ erant appoſitæ ſeu intertextæ cortinis, prout in paraphraſi oſtẽdi. Ad quod aſſerendum moueor, tũ quòd vbi hîc & ca. 36. nos habemus, variatas opere plumario facies, in Hebraico legitur, Cherubin facies in eis opere artificioſe, ſeu phrygionicorũ etiã quia credibile eſt Salomonẽ conatum fuiſſe, vt tẽplum non eſſet diſſimile tabernaculo, maximè in re tanti momenti, quãta erat apud Hebræos depictio imaginum & ſimilitudinum: legitur autem 3. Reg. 6. quòd Salomon omnes parietes templi per circuitum ſculpſit varijs cælaturis & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas & picturas varias.

III. *Qualiter vnum tabernaculum fuerit conſtructum ex decẽ cortinis.*

VT vnum tabernaculum fiat.] Qualiter ex illa ingenti cortina ex decem alijs cortinis concinnata conſtructum fuerit tabernaculum facile oſtendi poteſt. Nam cortina illa habebat quadraginta cubitos in longitudine, qui reſultabant ex latitudine quadricubita decem cortinarũ partialiũ: dicies enim quattuor ſunt quadraginta: & in latitudine habebat menſuram viginti & octo cubitorum, quæ erat longitudo vniuſcuiuſq; cortinæ partialis. Tabernaculum verò habere debebat longitudinis cubitos triginta, latitudinis decẽ, altitudinis æquè decem, vt aperte colligitur ex mẽſura tabularũ, quibus conſtare debebat tabernaculũ, quarũ in hoc eodẽ capitulo mentio fit: tectum præterea futurũ erat æquale per totũ, quo modo in AEgypto & Palæſtina moris eſt domos ædificãdi. Hinc eſt quòd triginta cubiti lõgitudinis cortinæ ſufficiebãt cõſtituere tectũ tabernaculi, & reſidui decẽ cubiti cortinæ pẽdebãt retro verſus partem occidentalẽ operientes verſus occaſum totã altitudinẽ tabernaculi, quæ erat etiã decẽ cubitorũ. Et ſecundùm latitudinẽ ſuã pẽdebat cortina ad faciendũ latera tabernaculi nouem cubitis, ex vtraque parte, ita quod non pertingebat vſque ad terrã ſpatio vnius cubiti hinc & inde: nã decem cubitis, qui erant in latitudine tecti, decem & octo, qui pendebant verſus latera complebãt viginti & octo cubitos latitudinis cortinæ. Hæc igitur erat diſpoſitio tabernaculi carentis parte anteriori: nihil enim iſtarũ cortinarũ in illa parte pendebat, ſed quædã alia cortina, de qua fit mentio in fine huius capituli. Hæc autẽ ingens cortina, quæ tabernaculum conficiebat, dicitur proprio quaſi nomine hîc & alibi frequẽter idiomate Hebraico Miſcã, id eſt, habitaculum, quo nomine etiam totum tabernaculũ ſanctuariũ & ſanctum ſanctorum pariter nuncupabatur.

IIII. *Incaſtratura tabularum tabernaculi quales erãt.*

IN lateribus duæ incaſtraturæ fient.] Circa huiuſmodi incaſtraturas, quas Ioſephus cardines vocat, aduertendũ eſt, quòd quia baſes erant ſub incaſtraturis, ita quod ſingulis incaſtraturis ſubmiſſæ erant ſingulæ baſes (vt clarè dicitur in litera) ideo incaſtraturæ iſtæ erant in imo tabulæ & non vna in parte inferiori, & altera in ſuperiori, vt aliqui exiſtimant. Et quia baſis vnius tabulæ non impediebat coniunctionẽ immediatam vnius tabulæ cum alia, conſequẽs eſt, quòd baſes cuiuſcunque tabulæ non erãt in extremitatibus tabulæ hinc & inde; impediſsẽt enim contiguitatẽ tabularũ; ſed erant citra extrema latitudinis cuiuſlibet tabulæ: ita quod hinc & inde vltra baſes erat aliquid tabulæ vacuũ. Et hinc percipitur, quòd incaſtraturæ duæ in imo tabulæ quæ in baſes duas introibant, nõ erant in extremitatibus tabulæ hinc & inde reddentes figurã Crucis, vt nonnulli opinati ſunt: ſed citra extrema latitudinis hinc & inde. Imo rationabile videtur, vt ſi exẽpli gratia latitudo tabulæ fuiſſet quinque palmorum, duo extremi palmi & medius eſſent nudi, ſecundus autem & quartus conſtituerent duas incaſtraturas cõprehenſas à duabus baſibus: nam ſic optimè ſuſtinerent abſq; detrimẽto roboris partiũ infimarũ ex inciſionibus incaſtraturarũ. Et quia æqualis figuræ erant omnes iſtæ incaſtraturæ, ideo in textu Hebraico dicitur, quod haberent ſe quaſi mulier ad ſororẽ ſuam; quod genus locutionis phraſi Hebraica denotat omnimodam ſimilitudinem.

QVA-

Digitized by Google

V. *Bases tabularum quales.* QVadraginta bases argenteas fundes.] Quãuis scripturæ, non dicat cuius figura fuerint bases istæ, quæ erant duo fundamẽta cuiusque tabulæ, an scilicet fuerint acutę inferius, ad hoc vt figerentur in terram, an fuerint inferius planæ, vt etiã super marmoreũ stratũ locari potuissent, tabulãque tanquã pedes sustinere, quia tamen fundamenti vices tenebant, rationabile videtur, quod fuerint quadratæ in parte superiori, quo firmius vna alteri cõiungi potuerint, & acutæ inferius, & oblõgæ, vt figi possent intra terrã. In parte etiã superiori, quælibet habebat vnum foramen quadratum, vbi intrabant incastraturæ tabularum.

VI. *Iudæi orantes coram tabernaculo cur respiciebãt ad occidẽtem.* AD occidentalem, vero plagam.] Ex situ, qui hic præfigitur tabernaculo, iuxta quẽ ostiũ debebat habere versus orientẽ, dorsum vero, & pars illa, quæ habitura erat arcam debebat esse versus occidentẽ, constat Hebræos dũ orabant corã sanctuario, habuisse facies conuersas ad occidentẽ, & à parte posteriori habuisse oriẽtem. Cuius rei ratio literalis esse potest, quia respectu viæ, qua gradiebãtur in deserto, terra promissionis, quæ adiacet mari Mediterraneo, erat eis occidẽtalis, vt constat inferius cap. 36. quãdo dicitur: cõtra occidentẽ vero, idest, ad eam partẽ tabernaculi, quæ mare respicit, & cætera, vnde in oratione exhibebãt se, quasi spectãtes, & desiderantes terrã illã, dũ vultus ad eã conuertebant. Et quia omnia in figura contingebant illis, vt ait Apostolus 1. Corint. 10. potest etiã assignari ratio alia, etiã literalis, eo quod in oriente significabatur Christus, iuxta illud Zachar. 3. Adducam seruum meum orientẽ. Et cap. 6. Ecce vir oriens nomẽ eius, vnde vt in ipsa corporis positione orãtes profiterentur Christũ, quasi post ipsos venturũ, dorsum vertebant ad orientẽ. Et tamen Ecclesia Catholica vsum habet erigere altaria versus orientẽ, & in orationibus cõmunibus vultus ad orientẽ conuertere, vt hac etiã ratione profiteatur Christũ iam venisse, nosque præcessisse. Hoc mysteriũ duorum populorũ figuratẽ fuit designatum in illis duobus hominibus, qui portauerunt botrum vuæ de terra promissionis Nume. 13. quorum vnus præibat habens botrum retro, alter sequebatur versa facie in illũ. Et etiã in turba concomitãte Christũ in die palmarũ, quorũ quidã præibant, alij sequebantur Christum ad modũ dictũ.

VII. *Qualis fuerit cõpago tabularum tabernaculi.* VNa omnes compago retinebit.] Per cõpaginẽ istã, quæ coniungere debebat omnes tabulas in parte superiori, intelligimus in Paraphrasi vncinos quosdã cõplectentes binas, ac binas tabulas: quã interpretationẽ insinuat textus Hebraicus, qui ad literã sic habet. Simulq; coniunctæ erunt in capite suo in vncino, seu annulo vno. Sic habet & Chaldaica. Alij reddũt. Et pari modo erunt cõiunctæ in capite ad circulũ, siue vncinũ vnũ. Quod autẽ vncini isti binas, ac binas tabulas cõprehendere deberent, denotat aliorũ trãslatio, quæ hoc modo legit locum istũ: sic gemini erunt, subaudi asseres, in capite suo ad annulũ vnũ. Quãuis enim interpretationes istæ, non sint de fide, vt pote valde insufficientes, & nullatenus cõparandæ, cũ editione vulgata: cæterũ nõ minimã probabilitatẽ cõferunt explicationi in Paraphrasi positę. Iuxta quam dicendum est, quod capita tabularum erãt concauata secũdum spissitudinem vncinorum, ita quod vncini, non excedebant capita tabularum, sed implebant illam concauitatem.

VIII. *Velũ diuisit tabernaculum in duas partes inæquales.* INtra quod pones arcam testimonij.] Quãuis nihil dicat scriptura de loco columnarũ, & veli penes longitudinẽ tabernaculi, an diuiderent tabernaculum in partes ęquales, an in partes inęquales secundũ longitudinẽ, & propterea ambigua sit diuisio, quoad longitudinẽ, ex eo tamẽ, quod Salomõ tertiã partẽ tẽpli cõstituit Sãctũ sanctorũ, vt dicitur 3. Reg. ca. 6. credimus quod diuisio ista tabernaculi fuerit secundum partes inęquales, ita quod tertia pars tabernaculi secundum longitudinem erat intra velum faciens ambitum perfectẽ quadratum, & duę partes erant extra velum.

ARGVMENTVM IN CAP. XXVII.

¶ *Præscribit Deus Moysi formam conficiendi altare æneum holocaustorum ac situm illius, & iubet fieri atrium tabernaculi habens centum cubitos longitudinis, & quinquaginta latitudinis, vt quę cingatur tentorijs byssinis, ac columnis æneis, & argẽto vestitis, & tandem docet, quale debeat esse oleum lucernarum existentium in candelabro aureo intra tabernaculum.*

PARAPHRASIS IN CAP. XXVII.

A. FACIES, *& altare* holocaustorum extra tabernaculum ante eius ostium sub dio constituendum in quibusdam tigillis † *de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, idest quadrũ, & tres* † *Infra 38. a. 6.*

& tres cubitos in altitudine, admodum quadratæ a cæ fundo, & operculo carentis, cornua autem,
I. 1 ad modum quorundam radiorum seu liliorum in parte superiori altaris, per quatuor angulos, non adiectitia seu aliunde assuta, sed ex ipso erunt, atque ex eiusdem altaris materia prodibunt, & operies illud ære tam altare, quam illius cornua. Faciesq; in vsus eius lebetes, seu ollas æneas ad suscipiendos cineres, & forcipes, ad altaris ignem emendandum, atq; fuscinulas dentes recuruos habentes ad extrahẽdas carnes sacrificiorum, & ignium receptacula, quibus pro multitudine sacrificiorum necessarium erit ignem de vno loco in alium deferre. Omnia vasa ex ære fabricabis: nihil enim ex ferro admitti debet. Craticulamque in modum retis æneam, facies ambientem forinsecus circum circa altare, per cuius craticulæ quatuor angulos superiores seu in extremitatibus ipsorum angulorum, erunt quatuor annuli ænei, quia enim conuenire debent in materia, cum craticula in ipsa quoque constituere illos oportet: quos pones subter arulam altaris, infra locum videlicet, in quo accendendus est ignis in altari. Ignis quippe in superiori parte altaris accendi debet, nam vsque in eam partem cõ cauum altaris terra debet esse repletum, annulos autem quatuor circa medium altaris, per cubitum, & dimidium ab humo eleuatos constitues. Eritque craticula protensa, & eleuata ab imis, vsq; ad altaris medium, habens cubitum, & semissem altitudinis, iuxta
B. medietatem altitudinis altaris. † Facies, & vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis, & induces, per circulos, seu annulos æneos, quos dixi debere cõstitui in summitatibus superioribus craticulæ, eruntque vectes isti, ex vtroq; latere altaris ad portandum, illud de loco ad locum, quando castra mouenda fuerint cum tabernaculo. Non solidum, sed inane, & cauum intrinsecus facies illud, vt pote lateribus seu lapidibus impolitis, vel terra replendum, sicut tibi in monte monstratum est, vbi huius altaris exemplar, & rerum, quæ ad ipsum pertinent conspexisti. Facies, & atrium, seu plateam magnam sub dio continẽtem in medio eius omnem ambitum, tabernaculi in cuius australi plaga contra, seu versus meridiem erunt tentoria, & paramenta de bysso retorta, quæ parietem australem atrij constituant. Centum cubitos vnum latus atrij tenebit in longitudine, & co-
II. lumnas viginti 2 æneas, ac vestitas laminis argenteis, cum basibus totidem æneis, quæ quidem columnæ capita, cũ cælaturis suis habebunt argentea. & quinque cubitorum spatio, vna distabit à proxima. Similiter & in latere aquilonis per longum erunt tentoria, & paramenta habentia simul longitudines centum cubitorum, columnæ, vero æneæ vestitæ laminis argenteis viginti, & bases æneæ eiusdem numeri, & capita earum, cum cælaturis suis argentea. Et vnum quodque istorum laterum atrij distabit à latere tabernaculi, sibi correspondente viginti cubitis. C. In latitudine vero atrij, quod respicit ad occidentem retro tabernaculum, erunt tentoria, per quinquaginta cubitos, & columnæ decem basesque totidem, quæ claudent omnino partem illam, non relinquẽdo ostium aliquod ad atrium. In ea quoque atrij latitudine, quæ respicit ad orientem, vbi ingressus, seu ostium atrij existere oportet, quinquaginta cubiti erunt, mensurantes distantiam lateris australis atrij à latere Aquilonari, in quibus quinquaginta cubitis, quindecim cubitorum tentoria, quæ similia omnino debent esse alijs atrij tentorijs lateri vno deputabuntur columnæque tres, & bases totidem, & hæc constituent latus vnum portæ atrij. Et in latere altero ostij, vel introitus in atrium erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & bases totidem similia superioribus. In introitu vero atrij, qui erit eregione introitus tabernaculi, fiet tentorium cubitorum viginti contextum ex filis diuersorum colorum, & lanarum, videlicet, ex hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & bysso retorta opere plumarij, simile omnino cortinæ hyacinthinæ tabernaculi. Et quia viginti cubitorum spatium occupare debet tentorium istud columnas habebit quatuor, cum basibus totidem, quinque cubitis à se inuicem distantes, quæ ingressui atrij deseruiunt. D. Omnes columnæ atrij, per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, quamuis ipsæ æneæ esse debeant capitibus argenteis, & basibus æneis. Quæ quidẽ laminæ argenteæ, nõ debẽt apponi, per modũ cuiusdã pomelli, sed in superiori parte, per modũ capitellorũ ad colũnarũ decorẽ. In longitudine occupabit atriũ, hoc est tentoriũ prædictarũ cortinarum, cubitos centũ, in latitudine quinquaginta, altitudo quinq; cubitorum erit. Fietque de bysso retorta, vt fila sint magis fortia, & habebit bases æneas, sub columnis, à quibus pendere debet. Cuncta vasa tabernaculi in omnes vsus, & ceremonias, non solum maiora, sed & minora, imo tam paxillos eius, qui claui sunt ad affigẽdas corti-

† 36.d. c. qui Ecclesiastices. §. ecce.

Digitized by Google

cortinas, ne à vento agitatæ dimoueantur, *quàm atrij*, quoque minimos clauos *ex ære facies*, qui diutius durent donec, scilicet tabernaculo templum Salomonicum succedat Hierosolymis. † *Præcipe filijs Israel*, 3 ac imperij necessitate constringe, *vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum*, vt pote, non molis tritum, sed in mortario *piloque contusum*, ne sint in illo fœces, *vt ardeat lucerna*, omnis quæ est in candelabro aureo *semper in tabernaculo testimonij*, tã die, quam nocte *extra velum, quod oppansum est testimonio*, nempe coram arca, in qua poni debet lex testimonium præbens voluntatis diuinæ. *Et collocabunt eam lucernam* accendentes illam ad vesperum *Aaron, & filij eius*, sacerdotis namque, non leuitæ est officium, hoc 4 *vt vsq; mane luceat coram Domino*, mane quoque iterum concinnabit eam, vt ardeat, vsque ad vesperum. *Perpetuus erit cultus* iste accendendi lucernas, & nullatenus, pro arbitrio relinquendus, *per successiones eorum à filijs Israel*, quibus mirum in modum interest obseruare.

† 21. d. §. 1. in prin. 75. d. c. 1. in versicu. Moysi.

III.

IIII.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVII.

I. *Cornua pro radijs erectis.*

CORNVA autem.] Non intelligas cornua huiusmodi fuisse ad similitudinem cornuum bouis, vel hirci, sed Hebraico more cornua vocãtur radij quidam elegantes erecti, directi sursum, cum ornamento aliquo pomelli, vel lilij. Iuxta quam phrasim scribitur de Moyse, quod erat cornutus, non quia cornua propriè haberet, sed quia apparuit radios splendoris effundens de facie.

II. *In vno latere vna tantum erat colũna angularis.*

ET columnas viginti.] Dubitari solet an in hoc numero viginti columnarum cõputari debeant columnæ angulares atrij: quoniam si in hoc numero computantur, cum columna distet à columna quinque tantum cubitis, vt dicitur in Paraphrasi, & apertè colligitur ex textu inter primam, & vltimam columnam, non erunt centum cubiti, sed dumtaxat nonaginta quinque, vt patet, quod est contra scripturam. Si autem in numero viginti columnarum, non contineantur columnæ angulares, sequitur, quod in longitudine atrij non erunt tantum viginti, sed viginti duæ columnæ. Adhoc dicitur, quod in summa viginti columnarum, quæ tribuitur longitudini, siue australi, siue aquilonari, non comprehenditur, nisi vna dumtaxat columna angularis, nam altera continetur in numero columnarum, quæ designantur in latitudine atrij, siue Orientali, siue Occidentali. Quo fit, vt quamuis in illo pariete, qui erat versus meridiem, collocentur viginti, & vna columnæ, nihilominus, non debuerint numerari, nisi viginti, quia residuæ pertinent, vel ad decem, quæ erant in parte Occidentali, vel ad decem, quæ erant versus Orientem. Et hoc ipsum, quod diximus de latere meridionali, obseruandum est, pro numero columnarum, quæ assignantur reliquis lateribus, huius atrij quadrangularis: sic enim integer seruatur numerus columnarum in scriptura designatus, & etiam distantia quinque cubitorum vnius columnæ ab alia, & tãdem saluatur numerus cubitorum, qui pro vno quoq; latere atrij in litera præfigitur.

III. *Israelitæ tenebantur præbere oleũ sanctuario.*

PRæcipe filijs Israel.] Aliqui existimant verbum præcipere hic & Leui. 24. vbi hæc eadem sententia repetitur, non accipi propriè, & in rigore pro eo, quod est imperij necessitate, quempiam constringere, sed metaphoricè pro eo, quod est admonere, vel denuntiare, iuxta illud, quod diximus de verbo mandare Gen. 45. annot. 2. Ratio istorum est, quia oleum lucernarum Exo. 25. & 35. computatur inter primitias offerendas à populo vltroneè, & voluntariè, ergo eius oblatio, non cadit sub necessitate præcepti. Nihilominus conuenientius dicitur, hoc in loco, & Leuit. 24. præcipere propriè accipi, inducereque vim, & necessitatem obediendi, & offerendi oleum pro Sanctuario: cum enim Sanctuarium, non haberet redditus aliquos determinatos, oportebat, quasi de eleemosynis totaliter sibi in necessarijs prouideri, vel imponi populo, vt prouideret. Neq; obstat isthæc vltroneè offerri interdum ab Israelitis, quia præceptum de præbendo oleum, & alia huiusmodi, non erat impositum singulis de populo, neque aliquibus determinatè, sed ipsi communitati, vnde si aliqui de plebe offerebant voluntariè, & prono animo oleum sufficiens ad concinnandas lucernas candelabri, non tenebatur vniuersitas Israelitarum plus olei ad eiusmodi ministerium præbere. Cæterum si illa prior oblatio deficiebat, tenebatur vniuersitas populi ex mandato Dei prouidere de oleo via, & modo sibi melius viso.

IIII. *Lucernæ sanctuarij iugiter ardebant.*

VSque mane luceat.] Hæc verba, & similia, quæ habentur Leuit. 24. quæstionem ingerunt, an candelabrum arderet nocte dumtaxat, an etiam die. Hic enim videtur insinuari, quod per diem, non esset aliqua lucerna incensa. Nihilominus tamen oppositum apparet probabilius, tum propter verba, quæ parum antea præcesserunt, videlicet, vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij, tum etiam, quia candelabrum illud non accẽdebatur, propter officiũ aliquod in tabernaculo exercendum nocturno tẽpore, vt patet, sed ad honorem sacri loci, & ad Dei reuerentiam, par ergo est rationi, vt luceret die ac nocte. Neque obstant verba huius loci, videlicet. Et collocabunt eam Aaron, & filij eius, vt vsque mane luceat coram Domino: his enim verbis, non significatur tempus lucendi, sed significantur tẽpora cõponendi lucernas, quæ erant duo dumtaxat, scilicet vespera, & mane, vt habetur inferius capit. 30. vnde quamuis,

Digitized by Google

hic non exprimatur, nisi vnica dispositio, nempe à vespere vsque mane, in ea nihilominus, subintelligitur alia, quæ erat à mane vsque ad vesperum.

ARGVMENTVM IN CAP. XXVIII.

¶ Describuntur ornamenta pontificalia, quæ sunt septem, videlicet superhumerale ex humeris dependens ante, & retro vsque vltra angulum, & rationale in pectore gestandum, cum duodecim gemmis insculptis nominibus duodecim filiorum Israel, & tunica talaris hyacinthina alia, item tunica byssina è cuius fimbria pẽdere debent malogranata hyacinthina, & tintinnabula aurea tiara caput pontificis tegens, & habens laminam auream, cum ea inscriptione Sanctum Domino, & balteus ac tandem fœminalia, pro sacerdotibus quoque inferioribus quatuor ornamenta instituuntur, nempe tunica byssina, balteus, & tiara, etiam byssina, & fœminalia: hæc enim communia esse debent sacerdotibus & Pontifici.

PARAPHRASIS IN CAP. XXVIII.

A. APPLICA *quoque* faciens accedere, siue appropinquare *ad te Aaron fratrem tuum, cum filijs suis*, & segrega illos *de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi, Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.* Prius tamen oportet ornamenta, in quibus ministrare debent illisque præparare. *Faciesque vestem sanctam*, 1 seu vestes sanctas *Aaron fratri tuo*, vt sint illi *in gloriam, & decorem*, nam ex vestimentis, quæ illi parabuntur, & maior gloria atque æstimatio accrescet, sibi apud homines, & etiam pulchrior, & ornatior apparebit. *Et loqueris*, præceptum imponendo, *cunctis sapientibus corde*, seu peritis artificibus, *quos repleui spiritu prudentiæ* conuenientis, & opportunæ adhoc, *vt faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus*, & segregatus à cœtu reliquorum, & in excellentiori ordine constitutus *ministret mihi*, agendo sacerdotium coram me. *Hæc autem erunt vestimenta, quæ facient* hi, quibus tu præceperis. † *Rationale*, seu pectorale, *& superhumerale*, quod alio nomine Ephod vocatur, *tunicam* talarem hyacinthinam, à qua aurea quædam tintinnabula, ac mala punica dependere debent, *& lineam strictam* byssinam, & talarem, quæ prior alijs vestiri debet. *cidarim*, vel tiaram, seu lineum pileolum ad modum dimidiatæ sphæræ, *& balteum*, qui zona est vtramque tunicam simul, & superhumerale arctius ad corpus aptans. *Facient* artifices periti ista *vestimenta sancta fratri tuo Aaron, & filijs eius, vt sacerdotio fungantur mihi*: absque huiusmodi enim ornamentis, nequaquam licebit munus sacerdotale exercere. *Accipientque* omnia, quæ ingenioso opere, & polymito adaptari debent, videlicet *aurum, & hyacinthum, & purpuram coccumque bis tinctum*, seu carmesinum, *& byssum.* Non quod quodlibet ornamentum, construi debeat ex omnibus his, sed quia nullum ornamentum erit, quod non ex istorum aliquo, vel aliquibus, vel etiam omnibus conficiendum sit. *Facient autem superhumerale* 2 vestem, scilicet ex humeris pendentem ante, & retro vsque ad cingulum habentem manicas miro artificio *de auro, & hyacintho & purpura coccoque bis tincto, & bysso retorta*, hoc est de istarum rerum filis contexendum *opere polymito*, & varios colores causante. *Duas oras*, tam oram partis anterioris, quam oram partis posterioris correspondentem, videlicet oras superhumeralis dextras, & oras

I.

B. II.

† 40. d. c. 1. 36. d. c. qui Ecclesiasticis. §. ecce.

Digitized by Google

oras sinistras *iunctas habebit in vtroque latere summitatum*, quæ esse debent à dextris, & à sinistris ipsius superhumeralis, *vt in vnum redeant*, & coniunctæ existant ambæ summitates. Quæ orarum coniunctio, vel vncinis, vel balteo, ipso quo cingi debet superhumerale efficietur. *Ipsa quoque textura*, superhumeralis, *& cuncta operis varietas*, seu ornatus omnis desuper appositus quantum ad suam materiam, *erit ex auro, & hyacintho & purpura coccoque bis tincto, & bysso retorta*, scilicet ex filis harum quinque specierum pulchra varietate distinctis, & intermixtis. *Sumesque duos lapides onychinos*, hoc est cornerinos, *& sculpes in eis nomina* duodecim *filiorum Israel*, non quidem omnia in vnoquoque lapide, sed *sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero iuxta ordinem natiuitatis eorum*, incipiendo, scilicet ab antiquioribus, & procedendo, vsque ad minores. *Opere sculptoris, & cælatura gemmarij*, qua vti solet gemmarum sculptor in aperiendis sigillis *sculpes eos duos lapides nominibus filiorum Israel inclusos auro*, quasi in propria domo *atque circundatos*, non secus ac pretiosi lapides includi solent ac circundari auro in annulis, *& pones in vtroque latere superhumeralis*, alterum quidem lapidem super humerum dextrum, & alterum super sinistrũ, vt sint eo loci *memoriale filijs Israel*, quo recordari valeant vitæ patrum suorum, quam imitari conentur, & vt videntes in veste præsulis sui scripta patrum nomina curent sedulo ne ab illorum fide desciscentes

C. ad errorum contagia declinent. *Portabitque Aaron nomina eorum*, quando fungetur sacerdotio *coram Domino super vtrumque humerum ob recordationem* populi, pro quo rogaturus est Dominum: conspectis enim nominibus patriarcharum, amplius duodecim tribuum, quæ de his natæ sunt in orationibus, & sacrificijs memor erit. *Facies & vncinos ex auro* ad configendũ lapides illos Onychinos in superhumerali nelabantur ab humeris pontificis *& duas catenulas ex auro purissimo* sustentãtes duos lapides Onychinos, ac *sibi inuicem cohærẽtes*, ita vt vnaquæque illarum habeat vnam extremitatem coniunctã alteri extremitati eiusdem catenæ, vt fortius sustentet suum lapidem, *quas inseres vncinis*, qui figi debent in superiore parte superhumeralis, circa scapulas. *Rationale quoque iudicij*, quod ita vocatur, quia in eo concedetur virtus, & potestas summo sacerdoti ad administrandum rationabile, & verum iudicium inter filios Israel, *facies opere polymito*, seu variegato, vel multifario, *iuxta texturam superhumeralis*, & etiam quantũ ad materiam erit, *ex auro, hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & bysso retorta*: nempe ex eiusdem filis aureis cæruleis rubris carmesinis ac lineis candidissimis, ex quibus dixi fieri debere superhumerale. *Quadrangulum erit*, hoc est quatuor laterum æqualis quãtitatis, *& duplex*: nisi enim esset ex duabus telis facilè rumperetur gẽmarum pondere *mensuram palmi habebit tam in longitudine, quam in latitudine. Ponesq́ in eo quatuor ordines lapidum*, ita vt in singulis versiculis terni lapides collocentur. *In primo versu erit lapis sardius*, ignis habẽs speciem, *& topazius*, omnem colorem participans, vnde, & nomen sortitur topadion, enim idẽ est, quod omnium colorũ, & *& smaragdus*, qui viridissimus est lapis. *In secundo carbunculus*, nocte lucens, & circa se omnia illustrãs, *sapphirus* sereno cœlo similis, *& iaspis*, qui obtusi viroris est & maculis respersus: *In tertio ligurius* coloris hyacinthini, *achates*, nigri coloris, & candidos habens in superficie ramos, *& amethystus* purpurei, & violacei coloris: *in quarto chrysolitus*, totus in colore aureus, *Onychinus* humanæ vnguis colorem habens, & ideo sic dictus, *& beryllus*, qui aquatici est coloris, & sculpi non potest. *Inclusi auro erunt per ordines suos*, eodemmodo, quo lapides figuntur in annulis. *Habebuntque nomina filiorum Israel*, sculpta in lapillis, per modũ sigilli. *Duodecim nominibus cælabuntur singuli lapides nominibus singulorum, per duodecim tribus*. Ita vt in pectorali habeantur nomina duodecim tribuum Israel. *Facies in rationali catenas*, duas, & ambas duplicabis, ita vt singulæ habeant suas extremitates, *sibi inuicem cohærentes* faciesque eas, *ex auro purissimo, & duos annulos aureos, quos pones in vtraq́ rationalis summitate*, quæ se tenet à parte superiori, *catenasq́; aureas iunges annulis, qui sunt in marginibus eius*, hoc est in summitatibus ipsius rationalis, *& ipsarum catenarum extrema*, opposita partibus illis catenarum, quæ in angulis intrare debent, *duobus copulabis vncinis in vtroque latere superhumeralis*, *quod* vtrumque latus *rationale respicit*, nam vna summitas pectoralis debet esse sub latere dextro, & altera sub latere sinistro superhumeralis, & hoc modo respicient summitates superiores pectoralis latera superhumeralis, quæ erunt super humeros Ponti- D.

ficis.

ficis. *Facies, & duos annulos aureos, quos pones in* alijs duabus inferioribus *summitatibus rationalis; &* non pones eos foris seu in parte exteriori, & facie rationalis, sed *in oris quæ è regione sunt superhumeralis*, nempe in oris, quæ sunt in dorso pectoralis, *& posteriora eius aspiciunt*, nam sunt versus partem posteriorem rationalis, & non versus partem anteriorem. Facies propterea, *necnon, & alios duos annulos aureos, qui ponẽdi sunt in vtroq; latere*, laciniæ anterioris, *superhumeralis deorsum*, in labio illo firmiore, & magis solido, *quod respicit contra faciem iuncturæ inferioris*, scilicet in labio, quod tendit versus oras illas inferiores, de quibus dixi anteriores debere coniungi posterioribus in superhumerali. Debent autem poni huiusmodi annuli in ea parte Ephod, *vt aptari possit* rationale, *cum superhumerali, & stringatur rationale annulis suis, cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, vt maneat* constãter, & firmiter illa *iunctura fabrefacta*, & compositio rationalis, cum superhumerali artificiose atque ingeniose compacta, *& à se inuicem rationale, & superhumerale nequeant*, faciliter *separari. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel* insculpta *in rationali iudicij* † *super pectus* ac super cor *suũ, quãdo ingredietur sanctuarium*, vt sint illi *memoriale coram Domino in æternum* recordeturque, pro quibus iugiter orare debeat. *Pones autem in rationali iudicij* gemmas supra relatas, quarum splendor, & claritas designet *Doctrinam, &* illuminationem, quam diuinitus habiturus est sacerdos ad prædicendum futura, earum quoque perfectio, & integritas denotet infallibilẽ *Veritatem*, 3 *quæ erunt in pectore Aaron, quando* exercendo officium sacerdotale *ingredietur coram Domino: & gestabit*, simul cum hoc vestiméto vim, & facultatem ad exercendum *iudicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper*, quotiescunque enim portans secum rationale consuluerit Dominum super re aliqua difficili cõcedet illi Deus doctrinam, & veritatem, qua rectum iudicium proferre valeat. *Facies, & tunicam* talarem, cuius non minima pars tegatur, & adiaceat ornamento *superhumeralis totam hyacinthinam* ex serico cœrulei coloris, *in cuius medio supra* humeros *erit capitium* seu os, vel foramen, quo indui possit erit, *& ora per gyrũ eius* capitij seu foraminis erit *textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus*, in quibus maiorem soliditatem, & robur solent adhibere textores, & cæteri artifices periti *ne facilè rumpatur* ora illa vestis inter vestiendum, & exuendum tunicam à sacerdote. *Deorsum vero ad pedes*, siue in fimbrijs inferioribus *eiusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica*, quæ gerant figuram huius fructus *facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto mixtis in medio tintinnabulis* aureis ordinatè, & alternatiuè dispositis: *ita vt tintinnabulũ sit aureum, &* post illum statim sequatur *malum punicum* sericũ: † *rursumq; tintinnabulũ aliud aureum, & malum punicũ*, post illud erit sericum. † *Et vestietur ea* tunica hyacinthina *Aaron in officio ministerij, vt audiatur sonitus* excitatiuus, cuiusdam singularis attẽtionis, *quando ingreditur, & egreditur sanctuarium in conspectu Domini*, nempe, vbi specialiter se præsentem Deus exhibebit, *& non moriatur*, ac subito percutiatur tanquã transgressor præcepti, prout morietur, si absque huiusmodi veste ad sanctuarium accesserit. *Facies, & laminam de auro purissimo* pertinẽtem etiã ad vestes sacerdotales, & cæteris forte sacratiorẽ, *in qua sculpes opere cælatoris* hic duo nomina, videlicet *Sanctum Domino* 4 supple conuenit. Idque ad significandum eximiam Dei sanctitatem, vt pote, qui sanctus est, non solum in se ipso, in quo sanctitas puré, & essentialiter inuenitur, sed & in cũctis operibus eius: omnia enim illa sanctitatem redolent: & etiam in suis ministris, nam eos sanctos esse iubet, imò & in omnibus quæ referuntur ad ipsum, tam internis mentis, & animi motibus, quam externis oblationibus, & sacrificijs, & cæteris, quoniam in his, non nisi sanctitatem diligit. *Ligabisq; eam* laminã *vitta hyacinthina, & erit* constricta *super tiaram imminens fronti pontificis*, vt totam pontificis pulchritudinem Dei sanctitas coronet, & protegat. *Portabitque Aaron*, & veniam impetrando auferet *iniquitates* omnes, & peccata, pro quorum remissione oblatum, & pro sanctificatione offerentium datum fuerit quidpiam *eorum, quæ obtulerunt, & sanctificauerunt filij Israel in cunctis muneribus, & donarijs suis*. Ita vt sicut rationale iudicij est institutũ, pro cõsecutione doctrinæ, & veritatis necessariæ ad iudicandum res difficiles: pari modo lamina ista sacrata ordinatur ad sanctificandũ filios Israel, per intercessionem sacerdotis. *Erit autẽ lamina semper in fronte eius*, quãdo orauerit in sanctuario, pro filijs Israel, *vt placatus sit eis Dominus*, & sanctificet eos. *Stringesque*, seu facies instrictam tunicam,

E.

† 36.d. c. qui Ecclesiastici.§.ecce.

III.

F.

† 43.d. c. sit rector.§.sacerdos.

† Eccle. 45.b.20

IIII.

Digitized by Google

tunicam, quandam talarem cum manicis, etiam cōstrictis quæ fieri debet ex *bysso: et tiaram byssinam facies*, qua pontifex caput tegat, *& balteum*, quo cingere debet tunicā byssinam, & vestem superhumeralem. Qui quidem baltheus fieri debet, *opere plumarij*, siue polymitarij diuersorū colorum, & figurarū. Et hæc quantū ad vestes, & ornatū summi sacerdotis dicta sufficiant. *Porro*

V. *filijs Aaron*, 5 qui futuri sunt sacerdotes interiores *tunicas lineas*, ac byssinas *parabis, & balteos ac tiaras*, quæ etiā linea sint *in gloriam, & decorem* sacerdotij eorum, quo honorabiliores, & gloriosiores alijs appareāt. *Vestiesq; his omnibus* seruata supradicta ornamentorum distinctione *Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo, & cunctorum consecrabis manus*, oleo vnctionis, de quo postea dicetur tibi qualiter confici debeat, *sanctificabisque illos*, & segregabis à profanis aliorum exercitijs, & occupationibus, *vt sacerdotio fungantur mihi* ministrando in tabernaculo meo. *Facies & fæminalia linea* ex bysso, *vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad fæmora*, quorum par superior sub vmbilico vehementer adstringetur, *& vtentur eis Aaron, & filij eius quando ingredientur tabernaculum testimonij, vel quando appropinquant ad altare*, cuiuslibet ministerij causa, *vt ministrent in sanctuario*, seu in sanctitate, hoc est cum summa sanctitate, & honestate, *ne iniquitatis rei moriantur*, si absque huiusmodi ornamentis præsumant sacerdotium exercere. *Legitimum sempiternum*, & statutum nequaquam prohibito mutandum *erit Aaron, & semini eius post eum*, hoc quod datum est illis, circa vestes, in quibus ministrare debent.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVIII.

FACIESQVE vestem sanctam Aaron.] Pro ratione literali vestimentorum, quibus indui debebant sacerdotes legis veteris, videatur D. Tho. 1. 2. quæst. 102. artic. 5. in solu. decimi argumenti. Et vltra omnes Franciscus Ribera lib. 3. de Templo, & de his quæ ad Templum pertinent.

II. *Ephod duplex cōmune, & particulare.*

FAcient autem superhumerale.] Hoc ornamenti genus ab Hebræis vocabatur Ephod, & erat in duplici differentia. Alterum generale, alterum vero particulare. Ephod generale erat simplex quoddam vestimentum lineum, & toto candore purissimum, & vocabatur Ephod lineum: quo in faciendis sacris, non solum sacerdotes, & leuitæ, verum etiam, qui de alijs tribubus erant, vtebantur. De sacerdotibus scribitur. 1. Reg. 22. Trucidauit in die illa octoginta quinque viros portantes Ephod lineum. De Samuele, qui erat Ephratæus, habes 1. Reg. 2. Samuel administrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod lineo. De Dauide autem, qui erat de tribu Iuda scribitur 2. Reg. 6. Dauid saltabat totis viribus ante Dominū, & accinctus erat Ephod lineo. Ephod vero particulare erat, quod contextum ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & bysso retorta, soli Summo sacerdoti in sacris faciendis gestare licebat. Et huius Ephod textura in hoc loco describitur, quam etiam describit Iosephus lib. 3. Antiquitat. cap. 8. vbi ait vestem istam habuisse manicas. Iosepho autem, quasi testi oculato adhærendum esse hac in re docet D. Hieronymus Epist. 127. ad Fabiolam. Aliud Ephod huic simile fecit Gedeon, vt illud in sua ciuitate præter Dei tabernaculum constitueret, vt dicitur Iudicum cap. 8. quod opus fuit ipsi Gedeoni, & domui eius in ruinam: nam ob hanc causam creditur interijsse tota illa filiorum numerositas, quam habuit.

III. *Vrim & Tūmim, seu Doctrina & veritas quid sint*

DOctrinam, & veritatem.] Hebraica vocabula sunt Vrim, & Tummim. Circa quem locum maxima est sententiarum varietas, quæ tum à Iudæis, tum à Catholicis circunferuntur ad explicandum, qualiter posita fuerint doctrina, & veritas, seu Vrim, & Tummim in pectorali Summi sacerdotis: quarum omnium illa nobis magis arridet, quæ docet, per doctrinam, & veritatem, non debere intelligi, aliquid materiale superadditum gemmis in rationali, scilicet aliquos characteres, vel aliquod nomen repræsentans, vel significans doctrinam, & veritatem; sed dumtaxat significationem quandam ad placitum doctrinæ, & veritatis in iudicijs, quam conferret Deus Pontifici vtenti illo rationali, quæ significatio superaddita fuit ipsis gemmis pectoralis, ex institutione diuina mediante Moyse. Si enim doctrina, & veritas posita in rationali essent aliquid præter gemmas, illud non siluisset Moyses infra cap. 38. vbi commemorat in particulari, quæ ipse posuit in pectorali ex mandato Dei, & tamen nihil meminit de doctrina, & veritate, quamuis recenset diligentissime alia longe minora, & abiectiora. Et certè si Vrim, & Tummim in pectorali collocanda, essent aliqua nomina literis exaranda, non dixisset Dominus Moysi, vt poneret in rationali doctrinam, & veritatem; sed nomina doctrinæ, & veritatis, quemadmodum non iussit, quod poneret in rationali filios Israel, sed nomina filiorum Israel. Quod autem in pectorali illo venerando posita fuerint doctrina, & veritas modo à nobis exposito, potest verisimiliter persuaderi sequenti ratione.

Quia in lege veteri summus sacerdos habuit infallibilem authoritatem decernendi res difficiles subortas inter filios Israel, vt constat ex illo Deuter. cap. 17. Si difficile, & ambiguum apud te iudiciu esse perspexeris inter sanguinē, & sanguinē, causam, & causam, leprā, & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. Et paulum infra: Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille. Hanc autem authoritatem iudicandi infallibili veritate res difficiles, verisimile est habuisse sacerdotem illum mediante vsu Pectoralis, aliâs quorsum pontifices Iudæorum toties vsi fuissent ornatu Ephod, cui infixum erat Rationale ad sciscitandum oracula Dei in rebus dubijs, pro vt eos fecisse constat in pluribus locis scripturæ. In primis enim Num. cap. 27. vbi loquens de Iosue habet nostra editio, Pro hoc siquid agendum erit Eleazar sacerdos consulet Dominum, in Hebræo habetur: Stabit ante Eleazarum sacerdotem, qui sciscitetur oraculum pro eo, per iudicium vrim. Hoc est indutus ornamento illo, in quo est vrim. Et primo Reg. cap. 23. Cum Dauid rescisset, quod præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica Ephod: cui scilicet adhęrebat rationale. Et per Abiathar indutum rationali consuluit Dominum, circa ea, quæ in eo capite continentur. Et primo Reg. cap. 30. Dauid præcepit Abiathar etiam, vt applicaret Ephod ad eum. Et Abiathar applicuit Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum, videlicet per sacerdotem Abiathar indutum Ephod cum rationali. Et in eodem libro cap. 28. vbi de Saule dicitur consuluit Dominum, & non respondit ei, nec per somnia, nec per Sacerdotes, nec per Prophetas, dicitur in Hebræo: Nec per somnia, nec per vrim, nec per Prophetam. Ecce qualiter doctrinam, & veritatem positam fuisse in rationali iudicij nil aliud est, quam Deum splendore, & integritate illorum lapidum continentium nomina filiorum Israel, voluisse significare se affuturum cum pontifice vtente illo ornamento, & manifestaturum doctrinam, & veritatem ad exercendum iudicium inter filios Israel. Qualiter autem Deus doctrinam, & veritatem in rebus dubijs reuelauerit pontificibus, siue per Angelum, siue per splendorem gemmarum, siue per occultam Spiritus sancti reuelationem, siue per aliud quoddam organum, quia nil certi de hac re, vel in Scriptura sacra, vel in scripturis interpretum, quod nos quidem sciamus, extat, nec nobis libet diuinare. Lege quæ super ea re disputat Abulensis in 28. cap. libri 1. Regum, & in 21. & 30. cap. eiusdem libri. Hoc nobis cū communi Sanctorum certum est Deum, per sacerdotem ornatu rationalis indutum in lege veteri præmonstrasse futura, & prædocuisse, quæ agenda erant.

IIII.
Concreta nomina interdū ponūtur pro abstractis.

Sanctum Domino.] Sicuti solet scriptura vti nominibus abstractis loco suorum concretorum, vt 1. Corinth. 1. Qui factus est nobis sapientia Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, idest docens nos, iustificans nos, sanctificans, & redimens. Vnde, & merito intulit, vt quemadmodum scriptum est. Qui gloriatur in Domino glorietur, idest cum non habeamus ex nobis sapientiam, nec iustitiam, sed à Deo, per Christum, non possumus, vllo modo gloriari in nobis, sed in Christo. Ita è conuerso vsurpat interdum nomina concreta pro abstractis. Quod hoc in loco fecisse videtur interpres, dū dicit, sculptum fuisse in lamina pontificis Sanctum Domino, idem enim est, ac si dixisset sanctitas Domino: insinuabatur enim illis verbis Deo conuenire immensam sanctitatem secundum omnem plenitudinem, cuius perfectionis participationem, etiam alijs paratus est communicare, vnde cum sanctitate adiungebatur nomen præstantissimum Iehoua, ob fontem essendi, quem in Deo significat.

V.
Ornamētis inferiorū sacerdotum etiā vtebatur Pontifex

Porro filijs Aaron.] Quamuis hæc tria ornamenta, quæ subsequuntur, videantur pro solis inferioribus sacerdotibus assignari, nihilominus tacite, & quasi à fortiori colligitur eis potuisse interdum vti etiam Pontificem, idque constare videtur ex cap. 16. Leuitici, vbi expiaturus pontifex tabernaculum præter fœminalia, quæ subintelliguntur, etiam in pontificalibus, tria tantum induit ornamenta, videlicet tunicam lineam, cingulum lineum, & mitram lineam: quæ proculdubio erant ornamenta inferiorum sacerdotum: nam expiationis opere per acto præcipitur, vt depositis lineis ornamentis, induat se vestibus pontificalibus, in quibus postea holocaustum præcipitur offerre, & tam pro se, quam pro alijs orare.

ARGVMENTVM IN CAP. XXIX.

¶ Ritus consecrandi Pontificem, & Sacerdotes describitur, qui vltra vnctionem, quæ fieri debet sacro oleo, per septem dies, etiam exigit oblationem vituli pro peccatis, & arietis in holocaustum, & alterius arietis in hostiam pacificam, & etiam aliarum, rerum quæ

oblatio

oblatio fieri debet per eosdem septem dies continuos, sicut & quotidie debet iuge sacrificium immolari duorum agnorum, alterum vespere, alterum mane adhibitis simila, oleo & vino in holocaustū Domino.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIX.

A. SED ET *Hoc facies* quod proculdubio necessariū est *vt mihi in sacerdotio consecrentur* tam Aaron, quam filij eius. *Tolle vitulum de armēto*, cuius oblatione expiari debet peccatum quod Aaron commisit vel cōmissurus est in adoratione vituli, *&* † *arietes duos immaculatos*, hoc est sine læsione aliqua vel diminutione corporali *panesque azymos, & crustulam*, seu placentam similiter *absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita*, quæ non de qualibet farina licet efficere *de simila triticea* excusso totaliter furfure, *cuncta facies & posita in canistro offeres, vitulum autem & duos arietes* vt parata existant ad vsum vt opus fuerit *& Aaron ac filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij* extra ipsum tabernaculum. *Cumque laueris patrem cum filijs suis aqua*, manus videlicet ac pedes eorum, quo lauacro purificari debent *indues Aaron vestimentis suis* non quidem profanis quibus iam ab antea, sicut & fœminalibus indutus debet existere, sed super illos indues pontificalibus *idest linea & tunica & superhumerali & rationali, quod* vna cum superhumerali, cui adherere debet rationale *constringes balteo* illo pretioso de quo simul & de alijs ornamentis iam dixi tibi qualiter se debeant habere. *Et pones tiaram in capite eius & laminam sanctam super tiaram, &* postquam sic fuerit vestitus & ornatus *oleum vnctionis*, quod postea dicam tibi quomodo conficiendum sit, *fundes super caput eius* ita vt descendat non solum vsque ab barbam, sed etiam vsque ad oram superiorem vestimentorum ipsius *atque hoc ritu consecrabitur* ad designandum quod à Pontifice diffunditur potestas consecrandi alios, non secus ac oleum istud deriuatur à capite vsque ad inferiora. *Filios quoque illius applicabis* ad ostium tabernaculi *& indues tunicis lineis cingesque balteo Aaron scilicet & liberos eius & impones eis mitras, eruntque sacerdotes mihi religione perpetua*, ita vt quamdiu duret sacerdotium vestrum nulli alteri præterquam Aaron & filijs eius licitum erit eo fungi. *Postquam initiaueris manus eorum*, cunctorum enim sacerdotum manus debent cōsecrari, quo valeant religiosius attrectare sacra, quæ à vulgo etiam leuitarum contingi non poterunt, arca scilicet, cādelabrum, mēsa, altare incensi & quędam alia tunc † *applicabis & vitulum* quem dixi paratum esse debere *coram tabernaculo testimonij. Imponentque Aaron & filij eius manus super caput illius* in signum quod consentiunt oblationi, quę de eo fieri debet *& mactabis eum in conspectu Domini*, hoc est *iuxta ostium tabernaculi testimonij*, vbi Deus se specialiter præsentē exhibebit. *Sumptūque de sanguine vituli pones super cornua altaris* holocaustorū *digito tuo*, de quibus iā cornibus dixi tibi, agens de forma qua construi debet altare holocaustorum qualiter effici debeant in superioribus angulis ipsius altaris, *reliquum autem sanguinem fundes iuxta basim eius* per rimulā quę debet esse in circuitu altaris in parte superiori illius. *Sumes &* † *adipem totū qui operit intestina & reticulum iecoris* quod est panniculus cui appenditur epar & habet aliquid pinguedinis *ac duos renes & adipem qui super eos est &* id omne vtpote optimum & delicatissimum ipsius vituli *offeres incensum super altare* ita vt nihil illius remaneat quod non incendatur. *Carnes verò vituli & corium & fimum combures foris extra castra*, eo quod hostia hæc & sacrificium *pro peccato sit* sacerdotum ad finem reconciliandi eos cū Deo, vnde nihil huius sacrificij debet venire in vsum sacerdotum: quod enim in eorum vtilitatem deueniret non reputaretur oblatum pro peccatis suis. *Vnum quoque arietem sumes, super cuius caput* quasi coadiuuantes, & consentientes oblationi illius, *ponent Aaron & filij eius manus, quem cum mactaueris tolles de sanguine eius & fundes circa altare* in signum quod sanguis ille repręsentans vitam illius animalis offertur Deo, *ipsum autem arietem secabis in frusta* in memoriam illius arietis quem Abraham diuisit per medium quando pepigit fœdus cum Deo pro se &

Marginalia (left): † Leui. 9.a.2. — B.
Marginalia (right): † Leui. 3.a.3. — I. — † Leui. 3.a.3. — II. — C.

† Genes. 15.d.18. se & pro populo suo † cuius fœderis maxime debent esse memores sacerdotes. *Lotaque intestina eius ac pedes* nihil enim debet esse immundum in sacrificijs *pones super concisas carnes & super caput illius* componendo pariter omnia super struem lignorũ in altari holocausti incendenda. *Et offeres totum arietem in incensum* ac omnino combustum *super altare* in holocaustum protestando, quod sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendit, ita etiam totus homo & omnia quæ illius sunt Dei dominio subduntur & ei offerri debent: quam protestationem maximè tenentur facere sacerdotes in consecratione. *Oblatio est Domino* holocaustũ istud adeò illi accepta & grata ob deuotionem offerentium ac si esset *odor suauissimus victimæ Domini* metaphorice loquendo. *Tolles quoque arietem alterum* repræsentatiuum alterius arietis, quem pro Isaac obtulit Abraham vt tanti Patriarchæ virtutum amplius rememorentur sacerdotes ex oblatione huius arietis *super cuius caput Aaron & filij eius ponent manus* quasi auxilium & consensum præbentes immolationi illius. *Quem cum immolaueris* decollando illum *sumes de sanguine eius, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorũ eius* vt sciant se esse obedientes legi Dei in oblatione sacrificiorum *& super pollices*
III. *manus eorum ac pedis dextri* 3. etiam pones sanguinem ad significandum quod debent esse soliciti & prompti in executione officij sacerdotalis *fundesque sanguinem super altare per circuitum* quasi offerens id in quo est vita ei qui est principium essendi. *Cumque tuleris de sanguine: qui* haustus de hoc secundo ariete appositus *est super altare, & de oleo*
IIII. *vnctionis* 4. facta mistione quadam liquida *asperges Aaron & vestes eius, filios & vestimenta eorum* renouando fædus, quod pepigi
† Supr. 24.b.8. cum populo Israel † quãdo sanguinem vitulorum respersisti in populum: cuius fœderis specialius debent esse memores sacerdotes, *Consecratisque ipsis & vestibus* vt cõsumetur & perficiatur sacrificium *tolles adipem de ariete & caudam & aruinam* seu pinguedinem *quæ operit vitalia* seu intestina *ac reticulum iecoris & duos renes atque adipem qui super eos est* loco pretiosioris partis arietis *armumque dextrum* etiam tolles ad incendendum *eo quod sit aries consecrationis*, nam in alijs hostijs pacificis armus non debet incendi, sed applicari sacerdotibus, quod qualiter populo debeas insinuare statim ostendam præterea *tortamque panis vnius crustulam conspersam oleo laganum* quoque tollere debes *de canistro* illo in quo præcepi vt poneres panes, crustulam & laganum *azymorum, quod positum est in conspectu Domini* per oblationem factam Deo de rebus in eo canistro contentis. *Ponesque omnia super manus Aaron & filiorum eius* applicando illos ad vsum sacerdotij per contactum rerum sacrificandarum *& sanctificabis eos* habentes isthæc omnia idest sanctificabis ea quæ habent in manibus *eleuans* seu eleuare faciens illa & commouere huc atque illuc permodum crucis videlicet antrorsum & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum *coram Domino*; significans eiusmodi agitatione Deum esse quatuor terræ plagarum & per consequens totius mundi Dominum, cui eiusmodi hostia offertur & cuius cultui ministraturi sunt sacerdotes tunc consecrati: *Suscipiesque vniuersa de manibus eorum & incendes super altare in holocaustum* & quasi *odorem suauissimum in conspectu Domini quia oblatio eius est* procedens ex fide & spe & obedientia quam erga eum habent offerentes. *Sumes quoque pectusculum de* hoc eodem *ariete quo initiatus* & ordinatus *est Aaron sanctificabisque illud* eodem ritu & ceremonia qua sanctificasti alias partes arietis videlicet *eleuatum coram Domino* commouẽdo eum ab oriente in occidentem deinde a septentrione in meridiem, *& cedet in partem tuam* qui modo geris officium sacerdotis: vt autem doceas quidnam in posterum cedere debeat in vsus sacerdotum ex hostijs pacificis quæ intuitu alicuius beneficij offeruntur a populo segregabis verbis manifestatiuis meæ voluntatis. *Sanctificabisque & pectusculum consecratũ & armum dextrum quẽ de ariete separasti*, de ariete, in quã illo secundo *quo initiatus est Aaron & filij eius: cedentque* in posterum hæ portiones sic segregatę, & sanctificatę *in partẽ Aarõ & filiorũ eius iure perpetuo* obseruãdo, & nullatenus pro libito immutando *à filijs Israel, quia* pectusculum & armum sic segregata *primitiua sunt & initia* hoc est pręcipua *de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino*, vt ex eis edi liceat proinde in vsus sacerdotum qui vices Dei gerunt cedere debent. *Vestem autem sanctam qua vtetur Aaron habebunt filij eius post eum*: nec enim nouum pontificale debet fieri pro pontificibus, sed eadem vestis, qua vsus est Aaron applicabitur successoribus eius *vt vngantur in ea & conse-*

V.

E.

consecrentur manus eorum in diebus initiationis ipsorũ. *Septem diebus* quibus celebranda est cõsecratio summi sacerdotis *vtetur illa qui pontifex pro eo fuerit cõstitutus de filijs eius & qui*, vna cum alijs sacerdotibus *ingredietur tabernaculũ testimonij*, *vt*, tamquam princeps & dux aliorum sacerdotum *ministret in sanctuario*, vasa solis sacerdotibus licitum erit tangere. *Arietem autem consecrationis*, quem dixi esse offerendum hostiam pacificam à sacerdotibus in die consecrationis eorum *tolles & separata illa portione quę debet incendi super altare & pectusculo tibi delato coques carnes eius*, non quidem in altari holocaustorum, sed *in loco sancto* 6 nempe intra atrium & ante fores tabernaculi *quibus vescetur Aaron & filij eius*, non tanquam sacerdotes sed tamquam offerentes sacrificium. † *Panes quoque, qui sunt in canistro*, exceptis his qui incendi debuerant *in vestibulo tabernaculi testimonij*, quod atrium ambit *comedent*, *vt sit placabile sacrificium*, ipsi Deo ob fidem & deuotionẽ ac obediẽtiam sacerdotum omnia iuxta eius præscriptum complentium, *& sanctificentur offerentium manus* per effectum susceptæ consecrationis. *Alienigena*, qui non fuerit de familia Aaron, *non vescetur ex eis* panibus & ex consequenti neque carnibus, *quia sancti sunt*, & segregati vsui ipsorum offerentium nẽpe Aaron & filiorum eius. *Quod si remanserit* quidpiam reliquiarum *de carnibus consecratis siue de panibus vsq; mane combures reliquias igni: Non comedentur, quia sanctificata sunt*, ac propterea non debent in diem crastinum reseruari vt fieri solet de cibis profanis: discretio enim debet esse inter sancta & nõ sancta. *Omnia, quæ præcepi tibi facies super Aaron & filijs eius* omnia quippe sunt de necessitate sacramenti consecrationis ipsorum. *Septem diebus consecrabis manus eorum* repetens singulis septem diebus ritus & ceremonias, quas præcepi fieri in consecrationibus, *& vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum*, peccatum Aaron & filiorum eius: & ex consequenti etiam per singulos septẽ dies offeres duos arietes cõmemoratos, vt quo sacerdotum consecratio diutius durat, & maior & illustrior fiat sacerdotij autoritas. *Mundabisque altare* holocaustorum antequam prædicta facias & consecrabis illud *cum immolaueris* vel immolare volueris *expiationis hostiam* pro Aaron & filijs eius, *& vnges illud in sanctificationẽ* vt in maiori reuerentia ab omnibus habeatur. *Septẽ diebus expiabis altare & sanctificabis*, diuino cultui illud deputando *& erit sanctũ sanctorum* idest sanctissimum comparatione earum rerum, quæ extra tabernaculum constitui debent non secus ac locus continens arcam cum propitiatorio, est sancta sanctorum respectu eorum quæ sunt in tabernaculo. *Omnis qui tetigerit illud* altare exercendo ministeriũ aliquod eorum quibus altare est dedicatum *sanctificabitur* 7 ac mundus fiet. *Hoc est* autem officium & ministerium *quod facies in altari*, holocaustorum vt iuge sit in eo sacrificium. † *Agnos anniculos duos per singulos dies iugiter* offeres videlicet *vnum agnũ mane, & alterũ vespere*, & præterea offeres *decimam partem*, nempe Gomor quod est decima pars Ephi, *simulæ conspersæ* in eius pastatione *oleo tuso* cum pilo quia purius est quam si teratur in molis *quod*, oleum in simila fusum *habeat mensuram quartam partem Hin*, quæ est mensura Hebræis nota. Præterea offeres, *& vinum ad libandum eiusdem mensuræ*, seu in eadem mensura qua & oleum nempe quartam partem Hin, *in agno vno* hoc est simul cum vno quoque agno. Agnus igitur cremari debet super altare adhibitis ei tribus istis rebus simila oleo & vino, & in his quatuor vniuersi terræ fructus Deo iugiter sacrificentur. *Alterum vero agnum offeres ad vesperam iuxta ritum matutinæ oblationis*, adhibens easdem res ac easdem rerum mensuras, *& iuxta ea quæ diximus* offerentur omnia, vt sit eorum oblatio propter fidem offerentium *in odorem suauitatis* ita scilicet grata Deo ac odor suauissimus solet esse gratus hominibus. *Sacrificium*, illud duorum agnorum igne cõficiendum, *est Domino oblatione perpetua in generationes vestras*, debet enim quotidie offerri, *ad ostium tabernaculi testimonij corã Domino*, in altari holocaustorum quod in atrio è regione tabernaculi fœderis esse debet, *vbi constituam*, pactum meum & conueniam vobiscum *vt loquar ad te*, & præbeam tibi responsa. *Ibique præcipiam filijs Israel*, imponendo eis præcepta sacrificiorum & holocaustorum qua in eo altari adimpleri debẽt *& sanctificabitur altare*, ita vt omnibus constet illud esse sanctum & dignum reuerentia, *in gloria mea*, quæ in illo altari manifestabitur, quando super illud faciam ignem de cælo descendere. *Sanctificabo & tabernaculum testimonij cum altari*, concurrens diuinitus actione mea sanctificatiua, qua similiter sanctificabo, *& Aaron cum filijs*

Marginalia: VI. — † Leui. 8. f. 31. & 24, b. 9. — F. — VII. — † Num. 28. a. 3. — G.

filijs eius, vt sacerdotio fungatur mihi. Neque enim existimare debetis solas ceremonias actionum humanarum concurrere ad istarũ rerum cõsecrationem & sanctificationem: sed ego sum, qui principaliter sanctifico illas. *Et habitabo in medio filiorum Israel,* speciali existentiæ seu præsentiæ modo nempe sicut cognitum in cognocẽtibus & amatum in amantibus *eroque eis Deus* per effectum singularis prouidẽtiæ exhibitionem, *& scient*, notitia experimentali, *quia ego Dominus Deus eorum* sum omnibus huius populi necessitatibus prospiciens, vt pote *qui eduxi eos de terra Aegypti, vt manerem inter illos*, per fidem & charitatem *ego Dominus Deus ipsorum*: tueri namque & consolari ac præsentem me fidelibus exhibere nunquam desinam.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXIX.

I. *Rimulã habuit altare insta raluti, pro sanguine victimarũ.*

FVNDES iuxta basim eius.] Iuxta Hebræum habetur ad fundamentum altaris. Cęterum quia sanguis aliarum victimarum præcipitur effundi super altare, & etiam per circuitũ altaris: vt patet Leuit. 1. &. 3. Vt isthæc omnia facilius intelligantur, asserendum est cum Oleastro Leuit. 3. inter altare terreum supra quod ardebant ligna & altare æneũ, quod illud circunstabat fuisse rimulam quandam per circuitum pertingentem vsque ad basim altaris & ibidem sanguinem fundi, atque exinde defluebat vsque ad fundamentum altaris. Absurdum quippe fuisset extra ipsum altare & in circuitu illius sanguinem proijcere, nam & turpis, fœdus, fœtidusque maneret locus ille, in quo mortuus esset sanguis, & etiam impedimento fuisset sacerdotibus ministrantibus. Posita autem prædicta rimula, nihil indecens prouenirect: maxime quod iugis ignis altaris faciliter hac ratione auferre posset omne periculum fœtoris, & putredinis: cõsumeret enim sanguinem in ea piscinula proiectum.

II. *Insẽsatio victimarũ fiebat paulatim.*

OFferes incensum super altare.] Hoc modo loquendi sæpe vtitur scriptura agens de hoc sacrificio pro peccato sacerdotis, & etiam de holocaustis. Circa quem oportet animaduertere, quod dictio hebraica, quam latinus interpres transtulit incensum, non quamcumque cõbustionem, seu incendium significat, sed incendium, quod fit ad modum thurificationis: hoc est, non ita vt res comburatur flãma consumente in momento, sed ad instar thuris, vt paulatim resoluatur in fumum. Præcepit ergo Dominus ignem ita temperandum, vt carnes holocausti, & similiter adipes & renes & cætera non inflãmentur & statim incinerentur, sed sic consumantur vt paulatim resoluantur in fumales euaporationes. Cuius rei ratio literalis erat, vt offerens sacrificium diutius vacaret diuino cultui. Figuralis vero ad significandam diuturnam Christi Domini oblationem, & passionem.

III. *In tribus vngebantur sacerdotes.*

A Pedis dextri.] Constat ex hoc loco sacerdotes in tribus partibus vnctos, scilicet in fibra auris dextræ in pollicibus dextræ manus & pedis: per quæ ad literam significabatur sacerdotem debere habere aurem sanctam ad audienda diuina responsa, & manum ad operanda diuina, & pedem ad exequenda opera Dei: & vt vnico verbo dicatur, voluit Dominus ad hoc ministros inungi, vt scirent se ad hoc principaliter inunctos, vt videlicet audirẽt mandata Dei, & opere complerent, quæ audierant. Et facta est vnctio potius in aure, pollice, & pede dextris, quia dextram aurem magis ad audiendũ accõmodamus, quẽadmodum manũ dextram ad operandum, & pedem dextrum ad ambulandum.

IIII. *Vnctio prima pontificis, in quo præstabat alijs.*

DE oleo vnctionis.] Bis debebat vngi pontifex oleo vnctionis. Primo quidẽ solus, absque consortio aliorũ sacerdotũ, de qua vnctione dictũ est superius: Et oleũ vnctionis fundes super caput eius. Secundo vngebatur vnctione cõmuni sibi & sacerdotibus inferioribus: de qua hic loquitur scriptura. Prior illa vnctio in plurimis præstabat huic secundæ. Primo quia illa fiebat oleo vnctionis puro, non mixto sanguine. In hac vero secunda miscebatur sanguis arietis immolati, quo rarefiebat oleum vnctionis. Præterea in prima vnctione oleum in magna abundantia fundebatur, ita vt e capite descenderet ad oram vestimentorum, vt dicitur in Psal. 132. Cæterum in secunda dumtaxat applicabatur oleum guttatim, nam fiebat per aspersionem, vt hic dicitur. Ex qua doctrina colliges proprietatẽ, qua vtitur scriptura loquens de vnctione sacerdotum legalium. Quia Leuit. cap. 4. agens de pontifice inquit. Si sacerdos qui vnctus est, peccauerit: Quia pontifex per excellentiam habet vnctionem. Et Leuit. 10. loquens Moyses cũm Aaron & filijs eius ait: Oleum quippe sanctæ vnctionis est super vos: vtens verbis communibus ad applicationem vnguenti, quæ facta est per effusionem vel per aspersionem. At vero Leui. 21 vbi meminit scriptura specialiter de dignitate pontificis sic habet: Pontifex id est sacerdos maximus, super cuius caput fusum est vnctionis oleum: insinuans vnctionem quandam super abundantem, penes quam pontifex distinguitur à minoribus sacerdotibus.

V. *Tenupha significat agitationem ... ne per ... Crucis.*

ELeuans coram Domino.] Pro eleuãs (quod semel atque iterum repetitur in hoc capite) habetur in Hebræo Tenupha. Descendit autem dictio Tenupha à verbo Niph, quod significat eleuare; & mouere, & hinc inde agitare. Vnde verterunt hic nonnulli. Et agitabis ea agitatione coram Domino. Dicũt enim quod sublatam hostiam agitabant, seu mouebant primum ab oriente in occidentem, deinde à septentrione in

ne in meridiem. Qua agitatione Deum totius esse terræ Dominum significabant. Dicunt etiã Doctores Hebræorum, quod in sacrificijs duplex erat eleuatio. Prior sursum ac deorsum, & dicitur Teruma. Altera antrorsum & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum, & dicebatur Tenupha. In qua secunda eleuatione manifeste ostenditur hostias legis veteris etiam signo salutiferæ crucis sanctificari debuisse.

VI. *Locus atrij extra altare etiam erat sanctus.*

IN loco sancto.] Quod hic dicitur in loco sancto, non solum ad differentiam loci profani, sed etiam ad significandum non esse coquendas carnes illas in altari holocaustorum positum intelligimus. Insinuat enim hæc litera in altari tantum modo holocausta, & ea quæ per modum holocausti cremabantur sacrificari deberi, reliqua autem in loco quidẽ sancto, & igne ex altari sumpto, sed non in altari sacrificabãtur. Quod certe sic fuisse cõfirmat reuerentia altari debita: nam si victimæ pacificorum in altari coctæ fuissent, cum ab offerentibus coquerentur, licitum fuisset cuilibet offerẽti ministrare in altari: quod absurdum valde est. Præterea esset profecto impossible ingentem victimarum multitudinẽ, qua lis frequenter adesset super altare posse coqui. Et confirmatur hoc ipsum ex 3. Reg. 8. Vbi narratur quod in dedicatione templi sanctificauit Salomon medium atrij ante templum pro holocaustis: quia altare æreum, quod erat coram Domino non erat capax iugis sacrificij, & holocaustorum & adipum ex pacificis.

VII. SAnctificabitur.] Triplicem sensum, quem habere possunt verba ista require inferius, Leuiti. 6. annot. 3.

ARGVMENTVM IN CAP. XXX.

Post præscriptam formam altaris incensi & situm, vbi collocari debet ac tempus incendẽdi thymiama in eo a sacerdotibus, docet Dominus quid n inã connumeratione populi soluere quisque teneatur ac præcipit Moysi, vt faciat labrum æneum cum basi sua, ponendum inter tabernaculum & altare: & instruit eum de aromatibus & alijs rebus, ex quibus fieri debet oleum vnctionis & thymiama in altari incensi adolendum.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXX.

A. FACIES Quoque altare aliud distinctum ab altari holocaustorũ *ad adolẽdũ thymiama,* quod est mixtura quædam aromatica: faciesque illud, *de lignis Setim,* albæ spinæ similibus ac imputribilibus *habens cubitum longitudinis & alterum latitudinis, idest quadrangulum & duos cubitos in latitudine.* Est autem cubitus mensura continens sex palmos manus proceri hominis transuersas scilicet secundum spatium, quod mediat inter pollicem & auricularem digitum *cornua ex ipso* altari ligneo per modum quorundam radiorum ad ornatum & decorem *procedent, vestiesque illud* laminis aureis confectis ex *auro purissimo tam craticulam*

I. *eius* i ligneam quæ tectum constituet altaris, *quam parietes per circuitum & cornua* omnia quippe ex auro debent esse vestita. *Faciesque ei coronam aureolam per gyrum* quasi circulum circunstantem vel limbum cingentem ipsum altare *& duos annulos aureos* etiam facies quos pones, *sub corona per singula latera vt mittantur in eos vectes & altare portetur* portabilis namque esse debet hæc aurea ara, sicut & arca fœderis & mẽsa. *Ipsos quoque vectes facies de lignis setim & inaurabis* laminis aureis. *Ponesque altare contra velum* 2 nempe in loco, qui dicitur sanctum II.
aparte anteriori veli hyacinthini, *quod ante arcam pendet testimonij.* Et quia velum istud extenditur per totam latitudinem tabernaculi scias te debere collocare hoc altare non in lateribus tabernaculi, sicut candelabrum & mensam, sed in medio nempe *coram propitiatorio quo tegitur testimonium,* diuinæ voluntatis inclusum in arca, ac proinde altare erit medium inter candelabrum & mensam: *vbi loquar tibi* ostendendo aliquibus signis quod specialiter complacet mihi cultus ibi exhibitus *& adolebit incensum super eo Aaron suaue fragrans* nõ quod Deus

Deus delectetur suauitate corporali aromatum, sed propter fidem & deuotionem offerentium. *Mane quando* Aaron & alius quiuis sacerdos *componet lucernas* candelabri & præparet illas prout præparare tenetur *incendet illud* thymiama: *& quãdo collocabit eas ad vesperũ* ponendo lucernas in cãdelabro *vret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras* durante scilicet republica vestra. *Non offeretis super eo* altari aureo *thymiama compositionis alterius* quam illius de qua locuturus sum *nec oblationem & victimam nec libabitis libamina*: tantummodo enim debet deseruire altare istud odoramento sacrosancto quotidie imponendo:
B. *Et deprecabitur Aaron* extẽdens manus suas *super cornua eius* altaris idque quanuis pluries efficere posset principaliter & maiori cũ solemnitate id præstabit *semel per annũ in sanguine* sacrificij, *quod oblatum est*, seu offerri debet *pro peccato*. Tam sacerdotũ, quã totius plebis, semel enim in anno debet ingredi summus sacerdos cum sanguine vituli, atque hirci in sanctuarium ad expiandum illud, & orandum sua, ac populi ignorantia, pro, vt postea præcipiam tibi; *& placabis* Dominum offerens illi preces *super eo* altari *in generationibus vestris* ac durante republica vestra. *Sanctumsanctorum erit Domino* altare istud scilicet excellẽtissimę sancti tatis comparatione alterius altaris quod deseruit holocaustis.
III. *Locutusque est Dominus a. ad Moysen dicens* †. *Quando tuleris* ex visio-
† *Num. 1. a. 2.* ne mea *summam filiorum Israel iuxta numerũ* eorum ingratiarum actionem quod tam mirabiliter eos multiplicauerim, *dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino*, protestantes se vitam suam à Domino obtinere & ab eo esse redimendam, *& non erit plaga in eis cum fuerint recensiti*, alioquin grauissimam de eis vindictam sumam. *Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen*, veniens in numerum recensitorum *dimidium sicli iuxta mensuram templi*. Vbi seruari debet iustissima sicli mensura ne auarorum hominum & callidorum dolus eiusmodi pondus valeat adulterare. † *Siclus*
IIII. † *Leui. 27. c. 25 Num. 3. g. 27. & Ezech. 45. d. 13* *vigintiobolos habet* 4 hoc est duos argenteos qui argentei interdum drachmæ vocari solent. *Media pars sicli offeretur Domino*, nec tamen omnes eam soluere tenentur, sed qui perfectæ sunt ætatis & sexus. *Qui habetur in numero a viginti annis & supra dabit pretium* præfinitum medij sicli. *Diues nõ addet ad medium sicli & pauper nihil minuet* vt ex pecunia collata numeri ratio haberi possit. *Susceptamq; pecuniam, quæ collata est a filijs Israel trades in vsus*, & sumptus necessarios *tabernaculi testimonij, vt, sit* quasi memoriale, & *monimentum eorum coram Domino &* sicut humani principes cum recordantur obsequiorum quæ sibi sunt præstita illa remunerant: ita Dominus intuens in tabernaculo suo pecuniam à filijs Israel collatam quasi illius memor *propitietur animabus eorum* & disperdat eos pro vt disperdet si pecunia hęc illi non offeratur. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, C.
adhuc existentem in mõte Sinai *dicens*: *Facies & labrum æneum* seu concham aliquantulum eleuatam *cum basi sua*, quæ continere valeat aquam a labio dimissam, *ad lauandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonij & altare* holocaustorum sub dio. *Et missa aqua*, postea extrahetur seu fluet per pistulam quæ claudi possit, & aperiri & sic, *lauabunt in ea* aqua in basi recepta, *Aaron & filij eius manus suas ac pedes*, quos nudos exinde gestabunt, *quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij* cuiusuis ministerij causa, *& quando accessuri sunt ad altare* holocaustorum *vt offerant in eo*, sacrificium seu quamlibet ignitam oblationem quæ erit quasi suauissimum *thymiama Domino*. Quæ quidem lotio manuum ac pedum procedere debet *ne forte moriantur* sacerdotes aliter ministrantes: ad publicam enim honestatem spectat, vt qui res sacras attrectare intendit non solum interius sed etiam exterius mundetur. *Legitimum sempiternum*, ac statutum nullatenus prohibito violandũ *erit & ipsi* Aaron, *& semini eius per successiones*, quod non accedant ad ministeria sacerdotalia absque præuia lotione manuum & pedum. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens*, *Sume tibi* ad faciendum oleum sanctum vnctionis *aromata primæ myrrhæ & electæ* idest liquidissimæ & purissimæ *quingentos siclos & cynnamomi medium, idest ducentos quinquaginta siclos calami* aromatici & odoriferi *similiter ducentos quinquaginta*: *casiæ autem* quæ & fistula nuncupatur, *quingentos siclos in pondere sanctuarij*, vbi est verum sicli pondus iuxta quod reliqua sunt dimetienda. Et præterea sumes *olei de oliuetis mensuram, hin*, quæ est mensura liquidorum AEgyptiaca duodecim logim continens, log vero capit quantum sex ouorum testis contineri potest. *Faciesque vnctionis*

ctionis oleum sanctum ex omnibus prædictis aromatibus oleo solutis, *vnguentum compositum opere vnguentarij* seu apothecarij *& vnges ex eo tabernaculum testimonij & arcam testamenti*, vt in maiori reuerentia habeantur *mensamque cum vasis suis candelabrum & vtensilia eius altaria thymiamatis & holocausti & vniuersam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet*, non quod isthæc omnia iungere debeas sed stigmatibus quibusdam olei sancti singula signabis. *Sanctificabisque omnia*, diuino tantum cultui illa deputando, *& erunt sancta sanctorum* & tanquam sanctissima nequaquam ad vsus prophanos transferenda, *qui tetigerit ea* digne & reuerenter eis vtens *sanctificabitur* purior ac sanctior euadet. *Aaron & filios eius vnges* diuersimode tamen nam Aaron vngi debet in capite & manibus, filij autem eius in manibus tantum *Sanctificabisque eos* segregando illos a prophano conuictu aliorum & applicando ad Dei cultum, *vt sacerdotio fungantur mihi* digne & pro vt decet. *Filijs quoque Israel dices Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi* ac meo tantum cultui dicatum *in generationes vestras*, seu quandiu respublica vestra durauerit. *Caro hominis non vngetur ex eo*, quam cum vngetis sacerdotes *& præter iuxta compositionem eius non facietis aliud*, quod sit illi simile, *quia sanctificatum est & sanctũ erit vobis* nec profanabitis vtendo ad alios vsus quam ad meos. *Homo quicũq; tale composuerit & dederit ex eo alieno* scilicet nõ sacerdoti *exterminabitur de populo suo* morte mulctatus, *Dixitque Dominus ad Moysen Sume tibi aromata, stactē* quę est flos Myrrhę *& onycha*, seu vngulam aromaticam, *galbanum boni odoris*, qui ferulæ succus est *& thus lucidissimum æqualis ponderis erunt omnia. Faciesque* ex illis quatuor aromatibus simul iunctis *thymiama compositum opere vnguentarij mixtum diligenter & purum & sanctificatione dignissimum.* Quæ enim in Dei obsequium digne veniunt applicanda debent esse præcipua & perfectissima *Cumque in tenuissimum puluerem vniuersa cõtuderis* redegerisque thymiama in tenues particulas *pones ex eo coram tabernaculo testimonij* vbi est arca testamenti *in quo loco apparebo tibi* per specialē præsentiæ meæ manifestationem quam in altari thymiamatis exhibeam. *Sanctum sanctorum erit vobis thymiama* non secus ac oleum vnctionis dixi debere esse. *Talem compositionem* thymiamatis *non facietis in vsus vestros quia sanctum est Domino* thymiama istud ac proinde solis sacris vsibus accõmodandum. *Homo quicumque fecerit simile vt odore illius perfruatur* quasi sacrilegus & diuino cultui iniurius *peribit de populis suis* per amissionem vitæ corporalis.

D.

ANNOTATIONES IN CAP. XXX.

I. *Craticula altaris thymiamatis quæ erat.*

TAM Craticulam eius.] Pro craticula eius habetur in Hebræo Gaggo, quod tectum eius, seu solarium eius, seu superficiem eius reddi potest. Vnde si litera Hebraica, quæ modo circum fertur admittenda est, vt suus quoque honor ac dignitas editioni nostræ latinæ seruetur, dicendum est, quod tectum altaris seu locus superior, vbi focus erat, cui superimponebatur Thymiama, constabat ex lignis sethim admodum craticulæ compactis: Idque factum creditur ad hoc, vt altare incensi leuius redderetur, ac facilius de vno loco in alium portari posset. Supra quam craticulam laminis aureis coopertam ponebant sacerdotes mane & vespere ignem sumptis carbonibus de ara holocausti extra tabernaculum existente & imposito Thymiamate odorifero,

II.

POneique altare contra velum.] Quamuis hoc in loco non satis explicet scriptura situm altaris thymiamatis: an scilicet apposuerit illud Moyses intra velum in Sancta sanctorum, an extra velũ in anteriori parte tabernaculi, nihilominus id constare poterit ex vltimo capite huius libri. Vbi nos annot. prima rem istam late disserimus ostendentes ex cõtextu illius capitis altare hoc extitisse extra velũ:

III. *Non continue loquebatur Dñs ad Moysen*

LOcutusque est Dominus.] In hoc capite & in sequenti pluries repetuntur verba ista absque vlla Moysi interlocutione, idque ad insinuandum, quod ea quæ hic referuntur præcepisse Deum Moysi, non sunt illi reuelata continue seu vno die, sed diuersis diebus cum aliqua temporis interpositione: omnia tamen fuerunt illi proposita intra illos quadraginta dies, quibus moratus est cum Domino in monte Sinai.

IIII. *Siclus idē quod statera vel didrachmũ*

SIclus viginti obolos habet.] Siclus, cuius frequens mentio fit in sacris literis maxime autem in hoc capitulo idem erat quod stater vel statera, vt docet D. Hierony Math. 17. in fine, & in cõmentarijs super Ezechiel. cap. 4. & cap. 45. Vnde Ierem. 32. vbi nos legimus appendique ei septem stateres, in Hebræo habetur, septem siclos. Loquor autem de argenteo siclo, erat enim & æreus siclus & aureus, eiusdē quidē illi ponderis, sed iuxta diuersam materiæ cõditionē erant maioris vel minoris pretij. Vnde sicut stater tam sacer, quam vulgaris eiusdem erat rationis & valoris, ita etiam siclus

tam

Siclus sanctuarij idem siclo communi.

tam sanctuarij, quam communis. Quamuis enim interdum exigatur specialiter siclus sanctuarij, id fit, quia in sanctuario seruabatur legitima huius monetæ mensura, ne à falsarijs adulteraretur. Nã procul dubio sicut hic dicitur de siclo sanctuarij, quod habet viginti obolos, id ipsum apertissime asseritur Ezechi. cap. 45. de siclis communibus: de comunibus enim mensuris loquitur ibi Dominus, quas diuites per iniquitatem augere & minuere solebant. Constituunt autem viginti oboli dimidiam vnciam argenti, vel duas drachmas, seu argenteos Hebraicos vel quatuor drachmas Atticas. Quo fit, vt septuaginta loquentes de suis drachmis, siclum vocant didrachmum, hic, & Leuit vltimo: & Num. 3. & alibi pluries. Iosephus vero lib. 3. antiq. ca. 9. volens numismata Hebraica ad Græca redigere, vt Græci intelligerẽt dixit siclum numi genus esse apud Hebræos quales sunt tetradrachmi Atteinam quattuor drachmæ Atticæ correspõdent duabus drachmis seu argenteis Hebraicis.

ARGVMENTVM IN CAP. *XXXI.*

Eligit Deus Beseleel ex tribu Juda, & Ooliab ex tribu Dan, eisque contulit omnem plenitudinem scientiæ, tam infusæ, quã acquisitæ necessariã ad hoc, vt essent idonei operatores, imo & præfecti & magistri artificũ, qui facere debẽt tabernaculũ & reliqua ad cultũ diuinũ spectãtia: quibus tamẽ sicut & alijs interdicitur operari in sabbato ob reuerentiam beneficij creationis. Quo peracto dat Dominus Moysi tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei.

PARAPHRASIS IN CAPVT *XXXI.*

L*OCVTVSQVE Est Dñs ad Moysen dicens. Ecce vocaui ex nomine*, ac prę alijs nominatim delegi, *Beseleel filium Huri filij Hur* 1 mariti Mariæ sororis

A. 1. tuæ *de tribu Iuda &* vt singularem ingenij industriam habeat *impleui eum spiritu Dei* conferens ei omnem plenitudinem scientiæ infusæ quæ necessaria est ad ministeriũ ad quod asciui illum & propterea, *sapientia, intelligentia & scientia* acquisitis exornaui eum vt potens sit *in omni opere ad excogitandum quidquid fabre*, & artificiose, *fieri potest ex auro & argento & ære, marmore, & gemmis & diuersitate lignorum* & vt recte iuxta sententiam Dei cuncta quæ mandaui tibi facere valeat. *Dedique ei socium Ooliab filiũ Achisamech de tribu Dan* atque proinde pari spiritu atque scientia istum atque ipsum compleui vt quasi magistri præfecti superintẽdant alijs artificibus. *Et in corde omnis* seu

B. cuiuslibet artificis *eruditi posui sapientiam* superadditam vltra eam quam alias habuissent ad mensuram muneris ad quod delegi eos, *vt faciant cuncta quæ præcepi tibi* & idonei ministri existant præfectorum Beseleel & Ooliab ac vna cũ illis conficiant *tabernaculum fœderis & arcam testamenti & propitiatorium quod super eam est* seu esse debet *& cuncta vasa tabernaculi mensamque & vasa eius candelabrum purissimum cum vasis suis & altaria thymiamatis & holocausti & omnia vasa eorum labrum cum basi sua † vestes sanctas* quæ aptari debent *in ministerio Aaron sacerdoti & filijs eius vt fungantur officio suo in sacris* & tandem vt conficere valeãt *oleũ vnctionis & thymiama aromatum in sanctuario* vel pro cultu sanctuarij compingendũ. *Omnia quæ præcepi tibi facient* Beseleel & Ooliab & reliqui artifices populi. *Et locutus est Dñs ad Moysen dicẽs; Loquere filijs Israel, &* ne forte existiment opus tabernaculi die sabbati fieri posse, & vt agnoscãt pœnam, qua mulctandi sunt, si sabbatum violauerint, *dices ad eos. † Videte vt sabbatum meum custodiatis*, nil operis pro eo die vobis iam ante prohibiti exercendo: cultuique meo præ alijs hebdomadæ diebus specialius vacate; *quia signũ est*, habitudinis & correspõdentiæ quæ est *inter me & vos in generationibus vestris*: præcepi enim vobis quã diu vixeritis sabbatum obseruare *vt sciatis* quia

† Deser. vnctio. c. vnt in si.

C.

† Supr. 20. ... Ezech. 20. ...

quia ego Dominus qui eximium creationis beneficium vobis contuli etiam specialium
II. præceptorum impositione *sanctifico vos* 2 & segrego ab alijs nationibus, vt sitis mihi populus peculiaris cultuique meo specialiter addicti. *Custodite Sabbatum meũ*, præter aliarum gentiũ consuetudinẽ, qui diem istũ non obseruant: *sanctum est enim vobis* ac proinde expers esse debet à prophanis operibus *qui polluerit illud* ipsum prophanando vel violando *morte morietur* absque vlla remissione *Qui fecerit in eo opus* aliquod seruile, quia in eo consistit Sabbati pollutio *peribit anima illius de medio populi sui.* Nec enim priuandus venit solum vita corporali sed etiam dignus est morte æterna, si pœnitentiam non egerit. *Sex diebus facietis opus in die septimo Sabbatum est* & proinde dicanda est quasi *requies*
D. *sancta Domino. Omnis qui fecerit opus in hac die morietur. Custodiant filij Israel Sabbatum* etiam si alias solemnitates vsque ad ingressum terræ promissionis obseruare non teneantur *& celebrent illud in generationibus suis*, quæ erunt sub veteri testamento. *Pactum est sempiternum* 3 nequaquam prohibito mutandum *inter me* III.
& filios Israel, signumque perpetuum est Sabbati institutio & obseruatio: † *Sex* † Gene. 1.d.31.
enim diebus fecit Dominus cœlum & terrã & in septimo ab omni opere cessauit, cuius beneficij gratitudinem sabbatum vobis commendat & exigit. *Deditque Dominus Moysi* per ministerium Angelorum *completis huiuscemodi sermonibus* quos habuit cum seruo suo Moyse *in monte Sinai* † *duas tabulas testimonij*, quibus te- † Deut. 9.b.10.
stabatur Israelitis suam voluntatem quidquid eos in posterum facere vellet, deditque eas *lapideas* ad significandum stabilitatem legis suæ nullatenus erat leges illas aboliturus quas exhibebat *scriptas digito Dei* & quasi manu propria metaphorice loquendo subscriptas.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXXI.

I. *Beseleel opifex tabernaculi, quisnam fuerit.*

BESELEEL filium Huri.] Quæstio est hic inter doctores quisnam fuerit iste Beseleel adeò anceps & dubia, vt Hugo de Sancto Victore dicat, eam sibi esse insolubilem: ex vna enim parte videtur, quòd iste Beseleel fuerit pronepos Calebi: nam 1. Paral. 2. dicitur, quòd Caleb filius Esron genuit Hur, & Hur Genuit Huri, & Huri Genuit Beseleel. Ex altera autem parte obstat, quòd Caleb quando post fabricatum tabernaculum missus est à Moyse ad explorandam terram promissionis tantum erat quadraginta annorum; vt dicitur Iosu. 14. vnde fieri nequit, vt eius pronepos iam antea fuisset constitutus magister operis tabernaculi, cum tunc temporis nec pronepotem habere potuisset. In hac re videtur dicendum Beseleel fuisse nepotem Hur mariti Mariæ sororis Moysi: cui vtpote iam grandæuo vna cum Aaron commisit Moyses gubernationem populi Israel supra cap. 24. Exodi: Hur autem fuit filius illius Caleb cuius fit mentio 1. Paralip. 2. qui tamen Caleb nequaquam potuit esse idem cum eo, qui missus est explorare terram promissionis, Primo quia iste fuit filius Esron, explorator verò fuit filius Iephone. Secundo quia postquam 1. Paralip. 2. connumerantur sigillatim vxores & filij vnius istorum, postea primo Paralip. 4. connumerantur generationes alterius, absque vlla inter eos conuenientia. Tertio quia Caleb filius Esron fuit frater aui Naason, scilicet Aram. Naason autem quando de exploratore dicitur, quòd erat quadraginta annorum iam erat princeps tribus Iuda constitutus à Moyse, tanquam robustior & forte senior ac prudentior in tribu sua: cuius electio refertur Num. cap. 1. Non igitur est credibile fratrem aui sui fuisse illum exploratorem tam iuuenem. Restat ergo dicendum Caleb proauum Beseleel & Caleb filium Iephone, quamuis in nomine & tribu conuenerint, fuisse tamen distinctas personas, imò & diuersis temporibus floruisse. Vltra quos etiam fuit alius Caleb filius Hur patruus Beseleel: cuius similiter fit mentio 1. Paralip. 2. circa finẽ.

SANCTIFICO vos.] Quod Sanctificare frequenter vsurpetur in scriptura pro separare, & seiungi ostendimus superius cap. 13. annota. 1. vbi vide. II.

III. *Sempiternum quot modis dicatur.*

PACTVM est sempiternum.] Dictio Hebræa pro qua noster interpres vertit sempiternum significat temporis continuitatem vsque ad terminum præscriptum rei, de qua agitur. Vnde si attribuatur Deo, qui nullum habet præscriptum terminum, quoniam ipse est sua vita & suum esse, & semper fuit, est, & erit, significat veram æternitatem. Sed si attribuatur temporis spatio, significat totum ætatis interuallum vsque ad rei, de qua agitur præscriptum finem, siue res illa sit status aliquis generis humani; siue vita specialis cuiusuis hominis. De Deo ait Ieremias cap. 10. Ipse est Deus viuens & rex sempiternus. Et Dani. cap. 4. Potestas eius potestas sempiterna. Et D. Paulus ad Rom. 1. Sempiterna quoque eius virtus. De spatio præfinito alicui reipublicæ, vel hominum statui intelligitur quod de obseruatione Sabbati in præsenti dicitur: Custodient filij Israel Sabbatum & celebrent illud in generationibus suis pactum est sempiternum inter me & filios Israel. Et de festo Paschali habetur superius cap. 12. Habebitis hanc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino

no in generationibus vestris cultu sempiterno. Similiter illud Numer. 28. Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis, agnos anniculos immaculatos, duos cotidie in holocaustũ sempiternum. Hoc est vsque ad Messiam quousque status rei publicæ Iudæorum, qui erat secundus hominũ status, durare oportebat. In tres namque status Iudæi mundum diuidebant: primus à principio mundi vsque ad legem Moysi, secundus à lege ad Christum, tertius fuit à Christo vsque ad finem seculi. Et quoniam sacrificia & cæremoniæ & iudicia, quæ Deus illis constituit, duratura erant toto illo secundo statu vsque ad Messiam, ideo æterna vocabantur significari verò æternum & sempiternum vitæ humanæ spatium indicant verba illa Achis Regis Get. 1. Reg. 26. Erit mihi Dauid seruus sempiternus: hoc est quandiu vixero, vel quandiu ipse Dauid vixerit. Et quia vitæ humanæ curriculum solet spatio septuaginta annorum absolui iuxta illud Psalm. 85. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: ideo Ieremias cap. 25. vaticinans de captiuitate Iudæorum in Chaldæa, vbi fuerunt septuaginta annis detenti, inducit Deũ ita loquentẽ: Interficiã eos, & ponã eos in stuporẽ & in sibilũ, & in solitudines sempiternas. Sempiternas eas vocat quæ annos septuaginta durarunt.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXII.

¶ Vitulum aureum adorant Israelitæ, quorum peccatum cum per diuinam reuelationem notum fieret Moysi ipse orat pro eis obijciens promissiones antiquis patribus factas. Placatoq; Domino descendit Moyses de monte qui post conspectum vitulum confringit tabulas & obiurgato Aarone iubet interficere idolatras aliquos per manus filiorum Leui & hac satisfactione exacta iterum redit in mõtem, vbi petijt à Domino peccatum populi dimitti aut deleri se de libro vitæ, in quo erat scriptus.

PARAPHRASIS IN CAP. XXXII.

A. V*IDENS autem populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses* & existimans illum interijsse vel ei aliquid accidisse quod redire nõ posset maior illius numerus cœpit effrænatè rebellari & *congregatus aduersus*, vel ante *Aaron dixit:* † *Surge* seu accinge te ad rem quam postulamus & *fac nobis Deos* ad similitudinem bouis apis & vaccæ Isidis Deorum Ægypti *qui nos præcedant* quasi duces & gubernatores exercitus & populi *Moysi enim huic viro qui nos eduxit de terra Ægypti ignoramus quid acciderit* ei, Dominum autem nil pendimus, nec vllam eius rationem habemus sed illos tantum Deos existimamus quos videre ac contrectare possumus. *Dixitque ad eos Aaron* non ausus resistere ob timorem mortis difficilia tamen præcipiens vt illos ab illa intentione reuocaret *tollite inaures, aureas* non vndequaque; sed *de vxorum filiorumque & filiarum vestrarum auribus & afferte ad me*, quærebat enim Aaron per dissensionem domesticam quæ ob huiusmodi oblationem in domo qualibet oriretur reluctantibus mulieribus & pueris cautè diuertere populi furorẽ quod tamen non obtinuit; nam amore idolorum pretiosa libenter obiecerunt. *Fecitque populus quæ iusserat deferens inaures ad Aarõ* non quidem vniuersus populus sed maior eorum pars fuit quæ ad Aron attulit inaures. † *Quas cum ille accepisset* irrationabili metu perculsus *formauit opere fusorio* per manus artificum fundendo inaures, *& fecit ex eis vitulum conflatilem*, seu fusilẽ qualẽ Israelitæ expostulabãt. Qui vt factum viderunt, statim diuinis vocibus eum acclamare cœperunt, *dixeruntque* alter ad alterum: *Hi sunt dij tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quamuis enim esset vnus quia tamen in eo bos Apis & vacca Isidis repræsentabantur plurali illum numero nominarunt. *Quod cum vidisset Aaron* nolens primatum populi perdere & vulgi

† Act. 7. c. 40. I.

† Psal. 105. d. 29. II.

vulgi fauorem appetens antequam quisquã eum rogaret vt vitulo honorem deferret *ædificauit altare coram eo & summo* studio ad accelerandum sacrificium *præconis voce clamauit dicens, Cras solemnitas Domini est*, nec enim citius poterat festum indici.
B. *Surgentesque mane* ob maximam promptitudinem, quam habebant sacrificandi idolo *obtulerunt holocausta & hostias pacificas* mactando bestias more idolatrarum comburentes partem super aram, & quædam ad esum seruantes, † 1. Cor. 10. b. 7. *& † sedit populus manducare & bibere* escas & libamina vitulo dicata *& surrexerunt ludere*, saltando, vociferando, & cantando in honorem, & reuerentiam idoli. *Locutus est autẽ Dominus ad Moysen* iam volentem descendere de monte cũ tabulis *dicens*: † Deut. 9. b. 12. † *Vade, descende, peccauit populus tuus*, quem tanto amore prosequeris, *& quem eduxisti de terra Ægypti*
III. obliti enim tam insignium beneficiorum *recesserunt cito de via, quam ostendisti eis* deserentes legem Dei & viam vitæ: *feceruntque sibi vitulum conflatilem & adorauerunt*, & vltra hoc bona Dei sui idolo obtulerunt, *atque immolantes ei hostias dixerunt*: † 3. Reg. 12. g. 28 † *Isti sunt dij tui Israel qui te eduxerunt de Terra Ægypti* professionem quippe laudis & honoris dæmonibus referendo beneficium libertatis tam magnifice susceptum abnegauerunt & hostibus Dei transcripserunt. Quo audito Moyses ingemuit ratione diuinæ iniuriæ & mali in populo. *Rursumque ait Dominus ad Moysen* quasi excitando illum ad hoc vt legationẽ pro populo suo susciperet dicens: † Inf. 33. a. 3. † *Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit*, & omnino incorrigibilis
C. † *Dimitte me*, tantũ enim apud me vales, vt quidquid pro populo † 45. distin. c. disciplina exorauerit obtinere posis: quapropter modo noli pro eis intercedere, sed sine *vt irascatur furor meus contra eos & deleã eos* in vltionem tãti facinoris. *Faciamque te in gentem magnam* principem te constituens populi multo maioris. *Moyses autem* agnoscẽs ex modo loquendi quo hæc dicta sunt illi velle Deum vt ipse attentiùs precaretur pro populo medijsq; precibus suis noxam dimittere *orabat Dominum Deum suũ dicens*: † Deut. 9. c. 13. Ps. 105. b. 23. Num. 14. c. 23. † *Cur Domine irascitur furor tuus* acrem vltionem parans *contra populum tuũ* non meum, neque enim comparatione iuris quod circa eum habes vlla ratione populus Israel dicendus est meus *quem eduxisti de terra Ægypti* idque non meo consilio vel robore sed *in fortitudine magna & in manu robusta*; ob quã Ægyptus nouit potẽtiã tuam. *Ne quæso* detur occasio tam ingẽtis blasphemiæ vt *dicant Ægyptij, Callide eduxit eos vt interficeret in montibus & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham Isaac & Israel seruorum tuorum quibus iurasti* firmiter promittens *per temetipsum* quia maiorem non habebas *dicens*: † *Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli & vniuersum terram hanc, de qua locutus sum; dabo semini vestro, & possidebitis eam semper*. † Gene. 12. a. 7. & 15. b. 7. & 48 c. 16. Ne igitur irritas facias promissiones tuas; maximè quòd † in semine isto dixisti benedicendas esse omnes gentes. † Gene. 22. d. 18. & 26. a. 4. *Placatusque est Dominus* nõ per sui mutationem, sed propter mutationem populi, cuius partes tanquam mediator & aduocator egit Moyses: vnde & obtinere
D. potuit à Deo, *ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum*: ne scilicet statim eos abijceret, & cœptum beneficium redemptionis rescinderet. *Et reuersus est Moyses de monte* Sinai versus castra filiorum Israel, *portans duas tabulas testimonij in vna atque altera manu sua scriptas ex vtraque parte* & habentes similes literas ante & retro: vt Dei mandata in eis contenta tam ab his, qui stabant ex vna parte versus eas, quàm ab illis, qui situ opposito ipsas respiciebant, legerentur, *& factas opere Dei* absque vlla Moysi cooperatione: *scriptura quoque*, quæ exprimit & declarat volũtatem *Dei, erat sculpta in tabulis*, Nam id, quod Deus vult nos facere in ordine ad ipsum, continebatur in vna tabula, in altera verò quod debemus facere in ordine ad proximum. *Audiens autem Iosue* qui expectauerat Moysen quadraginta diebus in parte illa montis in qua substiterat *tumultum populi vociferantis* clamabat enim populus lætabatur & iucũdabatur diẽ festum agens idolo more gẽtilium *dixit ad Moysen. Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respõdit Non est clamor adhortantium ad pugnam* hoc est fortium præualentiũ in pugna *neq; vociferatio compellentium ad fugam* seu imbecillium qui superantur; ac proinde nullatenus sunt voces bellantium *sed vocẽ cantantium* chorosq; ducentiũ *ego audio. Cumque appropinquasset ad castra vidit vitulũ & choros, iratusque valde* absurdum existimans legem Dei populo ebrio legemq; infringenti afferre, *proiecit de vtraque manu ta-*

nu tabulas & in conspectu populi *confregit eas* † *ad radicem montis* vt eiusmodi fractione corda Israelitarũ confunderet & cõmoueret videntiũ propter sua peccata se fuisse priuatos quasi indignos lege Dei è cœlo allata & in lapide saphyrino digito Dei scripta in tabulis illis cœlestibus. *Arripiensque vitulum quẽ fecerant combussit* in signũ impotentiæ ipsius idoli *& contriuit* molendo vitulũ *vsque ad puluerẽ quẽ sparsit in aquã* torrentis, quæ de monte descendebat *& dedit ex eo potũ filijs Israel* vt discerent contemnere quod in secessum proijci viderent. *Dixitq; ad Aaron*, sciens ipsum fuisse causam idolatriæ populi: *Quid tibi fecit hic populus vt induceres super eũ peccatũ maximum* idolatriæ, qui animam tuam prodere magis debuisses & elegisse mortem citius quã tantum admisisse sacrilegiũ, nedũ iussisse? *Cui ille respondit* volens molli sermone iram frangere: *Ne indignetur dominus meus* mihi seruo suo: *tu enim nosti populum istũ quod pronus sit ad malum. Dixerũt mihi, Fac nobis deos qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de Terra Ægypti nescimus quid acciderit.* Quod ergo non potui prohibere dolens & quasi coactus ab his pessimis exactoribus passus sum. *Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurũ? Tulerunt & dederunt mihi & proieci illud in ignem egressusq; est hic vitulus* eo modo quo artificialia exeunt ex materia & arte. Ideo precor vt ignoscas peccatum quod clarè & aperte confessus sum. *Videns ergo Moyses populum quod esset nudatus*, non tam aureis iocalibus quam fortitudine & viribus quas antea habebat in gratia Dei persistens *spoliauerat enim eum Aarõ* per hoc quod causa fuit consentiendo peccato eorũ vt Deus populũ illum desereret & gratuito illis cõcesso robore priuaret *propter ignominiam sordis* seu propter sordidum & ignominiosum idolũ quod illic excuderat *& inter hostes* & exteras gentes circum adiacentes *nudum constituerat* hoc est inermẽ & effœminatum quo facile ab inimicis debellari potuisset. Vt igitur Moyses populum in Dei gratiam restitueret pristinamque in hostes fortitudinem recuperare valeret decreuit pro peccato cõmisso aliqualem satisfactionem exigere: nã hac ratione iram Domini auertere certissimè iudicabat: *& stans in porta castrorum* vbi ad iudicia publica locus erat designatus *ait, Siquis est domini iungatur mihi* acquiescatq; consilijs meis qui zelum Dei habuerit. *Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui* vel quia idolatriæ populi non acquieuerunt vel si consenserunt iam fuere pœnitẽtia ducti. *Quibus ait* Moyses, *Hæc dicit Dominus Deus Israel.* † *Ponat* vnusquisque *vir gladium super fæmur suum* tenens eum ad latus & presto ad percutiendum. *Ite & redite de porta vsque ad portas* non ingredientes tentoria, sed *per medium castrorum* & per vniuersas vias publicas *& occidat vnusquisque* quoslibet sibi occurrẽtes etiam *fratrem & amicum & proximum suum* nulla habita ratione fraternitatis, societatis, aut vicinitatis sub quibus omnium necessitudinum vincula comprehenduntur nec curare debetis an aliqui eorum, qui vobis occurret innocẽs sit, De⁹ enim ipse qui mandat sic fieri cuncta recte disponet. *Feceruntque filij Leui iuxta sermonẽ Moysi* præferentes religionem necessitudini & pietatem propinquitati: *cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum* quãuis enim multo plures essent qui peccarũt, voluit tamen Deus vt vindicta cum magna misericordia permisceretur. *Et ait Moyses* filijs Leui à cæde populi reuersis. *Cõsecrastis manus vestras* 4 *hodie Domino* ac tatũ abest vt homicidæ ob impios interfectos habeamini vt etiã cõsecrationẽ acquisieritis *vnusquisque in filio & in fratre suo* nã propter actũ istũ vos & filij vestri, imo tota tribus Leui eritis Deo dicati & vltra hoc meruistis *vt detur vobis benedictio* Decimarũ primitiarũ oblationũ & aliorũ huiusmodi. *Facto autem altero die* à percussione idololatrarũ, *locutus est Moyses ad populum*, vtque eũ ad condignã pœnitentiã amplius prouocaret & maiorẽ cordis contritionẽ persuaderet, ait, *Peccastis peccatum maximũ*, vtpote maius quam sint reliqua omnia peccata, quæ contingũt in peruersitate morũ *Ascẽdã ad Dominum* oraturus pro vobis in mõte Sinai, *Si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro* vt illud vobis remittat: nã maxima peccati enormitas difficilem reddit veniam. *Reuersusque ad Dominum* Moyses stetit in monte quadraginta diebus & quadraginta noctibus & orationi instantius quàm solebat incũbẽs *ait: Obsecro, peccauit populus iste peccatũ maximũ* nẽpe infidelitatis & idololatriæ *feceruntq; sibi Deos aureos* in vno enim vitulo quẽ cõfinxerũt plures deos amplexi sunt. † *Aut dimitte eis hãc noxã* nõ solũ quãtũ ad culpã, sed & quãtũ ad pœnã tanto peccato debitã *aut si nõ facis*

facis

† 76. distinct. c. ieiuniũ quarti.

E.

F.

† 45. disti. c. disciplina. 23. q. 4. c. Guilisarius et c. quod crudele.

IIII.

† 23. q. 4. c. quod crudele.

feris, sed vis in illos animaduertere, exigendo ab eis condignam satisfactionem & pœnam, vlciscere in me peccatum eorum & in aliqualem illius recompensam *dele me de libro tuo quem scripsisti* non quidẽ
V. quod excidere patiar à gratia & charitate tua; sed quia visione clara maiestatis tuæ, ad quam prædestinati sunt asciti, qua ratione bonum meum est talis visio, libenter priuari consentiam, pro eo quod populus iste dono tuæ gratiæ fruatur & nomen tuum à cunctis sanctificetur nec quo quomodo ab impijs irrideatur & blasphemetur existimantibus quod cum pollicitationes populo tuo, quem elegeras factas, implere non posses, illum destituens. *Cui respondit Dominus: Qui peccauerit mihi* excidens à gratia, quam antea habebat *delebo eum de libro meo* & de iure ad gloriam, in quo scriptus erat secundum præsentem iustitiam, quando in gratia existebat. *Tu autem* qui non peccasti, sed in me & in proximum eximia ardes charitate non deleberis de libro meo, imò *vade & duc populum istum, quò locutus sum tibi* quoniam si retuneo in pœnitentibus peccatum, tamen nolo vt tu quod est tui officij deseras. † *Angelus meus præcedet te* in columna ignis & nubis pro vt hucusque fecit, *ego autem* interim differam supplicium & expectabo resipiscentiam: cæterum *in die vltionis* qui pro impœnitentibus erit dies mortis illorum, pro pœnitentibus vero erit dies mortis Christi *visitabo & hoc peccatum eorum* condigne illud vna cum alijs peccatis puniens. *Percussit ergo Dominus populum* supradicta interfectione quam Leuitæ exercuerunt *pro reatu vituli quem fecerat Aaron*, non tamen fuit percussus Aaron, quia Moyses impetrauit illi vitam deprecatus pro eo Dominum.

† *De pœnit. dist. 4. c. peccatum quod §. hinc etiam.*

ANNOTATIONES IN CAPVT XXXII.

I. *Idolum cõflatum ab Israelitis cuius fuerit simulacrum.*

FAC nobis Deos.] Hebræi assueti superstitionibus AEgyptiorum ea simulacra exposcebant, quæ in AEgypto viderant maximè venerari & coli. Hæc autem erant autore Herodoto lib. 2. Bos Apis vocati alio nomine Serapis, & Vacca Isidis dictę à Græcis Io: & quia am ho ista numina vitulo repræsentabátur, vitulũ expetebant, in quo plures Deos adorare intẽdebant, & post quã factum est plurali locutione nominarunt dicentes: Hi sunt dij tui Israel, nempe bos Apis, & vacca Isidis. Et hinc est quòd vituli aurei (quos ad huius vituli imitationem fabricabit Ieroboham) interdum vocantur vituli: vt 3. Reg. 12. in trãslatione Latina; interdum vitulæ vt ibidem vocant illos septuaginta: quia scilicet bouis & vaccæ, seu vituli & vitulæ erãt simulacra. Et hac eadem ratione apud Oseam cap. 10. vocantur vaccæ ibi: Vaccas Bethauen coluerũt.

II. *Vitulus Israelitarũ non fuit integer.*

VItulum conflatilem.] Vitulũ istũ non fuisse integrum, sed vituli tantummodo caput docẽt grauissimi patres: nempe D. Hieronym. Ose. 7. in principio & cap. 11. in illud. Et ego nutritius Ephraim: & Hamos 5. illud. Nũquid hostias, &c. Et ibidem Ruffinus, & Rupertus: & D. Beda. Acto. 5. & D. Ambros. lib. 2. de pœnitentia cap. 8. & D. August. in illud Psal. 73. Dedisti eũ escã populis Ethiopũ. Et Lactãtius lib. 4. cap. 10. Cuius rei (si ita est) ea potest assignari ratio, quòd Hebræi intendẽtes in vno simulacro res diuersorum sexuũ adorare, quales erãt Bos Apis, & vacca Isidis, non integrum simulacrum, quod sexum indicaret, sed partẽ illius, eamque præcipuam, in qua sexus nõ distingueretur, configere debuerunt: & ob hanc causam vituli tantum caput conflauerunt.

III. *Tuus loquente Deo sonat in malam partem.*

PEccauit populus tuus.] Quãdo vtitur Deus hoc pronomine tuus, in malã partem accipi solet; sicut meus in bonam. Hoc significare voluit D. Hierony. Daniel. ca. 9. cum ait: Quãdo aliqui boni sunt, vocãtur à Domino mei, quãdo mali tui, vel non mei. Quia ergo in præsenti populus Israel deseruerat Dominum, adorando vitulum. Idcirco loquẽs Deus ad Moysen inquit, Descẽde, peccauit populus tuus. Qua etiã phrasi vsus est Ezechiel cap. 3. Vade ingredere ad trãsmigrationem ad filios populi tui. Et cap. 13. Pone faciem tuam contra filias populi tui.

IIII. *Imperatiuũ pro preterito indicatiui.*

COnsecrastis manus vestras.] Solet idioma Hebraicũ temporũ differẽtijs abuti: prout supra cap. 5. annot. 2. iam semel aduertebamus: quod hoc etiã loco accidisse proculdubio constat: nã dum scriptura refert verba, quæ protulit Moyses filijs Leui, postquã reuersi sunt à cæde idololatrarũ, vtitur in eis imperatiuo (quod importat futuritionẽ quandam) pro præterito: sic enim habetur in Hebræo: Cõsecrate, manus vestras, pro consecrastis. Idque perdoctus interpres considerans in translatione sensum sententiæ retinuit & phrasim Hebræis propriam sapienter explicuit.

V. *In quo sensu Moyses petierit deleri de libro vitæ.*

DEle me de libro tuo.] Miris ac varijs modis interpretari solet locus iste; prout videre est apud Sixtũ Senẽ. lib. 4. Biblioth. litera V. vbi refert duodecim expositiones horũ verborum Moysis. Nobis tamẽ magis arridet, quã insinuat Chrysost. in lib. de Cõpũctione cordis, & lib. 3. de Prouidentia Dei, & homil. 16. ad Rom. vt Moyses hoc in loco pro gloria Dei, quã magis quã seipsum diligebat, ab ipsa Dei fruitione & ineffabili beatitudine, si opus esset excidere, nõ tãtũ petierit, sed quod auctius est, etiã optauerit: ad Dei namq; gloriã & diuini nominis sanctificationẽ spectabat, vt populus ille in Deũ autorẽ suum per charitatem cõuerteretur, & incre †

Digitized by Google

dulis occasio auferetur existimandi Deũ nequiuisse Israelitis tradere terrã promissam: ac proinde non introduxisse eos in illius terræ possessionem. Neque in hac re discessit Moyses à recto charitatis ordine. Quamuis enim secundùm charitatem ordinatam homo se plusquam proximum diligere teneatur in communicatione bonorum spiritualium, qualia sunt, quæ spectãt ad ordinem gratiæ & gloriæ, vt docet D. Tho. 2.2.q.26.art.4. nunquam tamen proprium bonum etiam quod in beatitudine consistit, Dei gloriæ præferre debet; imo potius è contrario se gerat aportet. Vnde in oratione Dominica, vbi non solum quid petere, & exoptare, sed etiã quo ordine vnũ quodque bonum debeat desiderari, continetur, prius sanctificatio nominis diuini, quam adeptio beatitudinis proponitur vt iuxta exemplum Moysis, plûs diuini nominis exaltationem, quàm propriam fælicitatem appetamus.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXIII.

¶ Comminatur Deus populo Israel non se affuturum illis per signorum & miraculorum exhibitionem propter duritiam cordis eorum. Cæterum pœnitentia populi & Moysi intercessione placatus est: qui in tabernaculo fœderis coram omni populo Moysi loquebatur & ei promisit dare gloriam suam sempiternam, & adhuc ante illius fruitionem promittit manifestare sibi filium suum incarnatum & transfiguratum.

PARAPHRASIS IN CAP. XXXIII.

A. LOCVTVSQVE *est Dominus ad Moysen* existentem adhuc in monte Sinai tempore secundæ quadragenæ, *dicens: Vade, ascende de loco isto* inferiori ad editiorem terræ plagam, *tu & populus tuus, quem*, prout illi asserunt, non ego sed tu *eduxisti de terra AEgypti*, & perduc eos *in terram, quam iuraui* firma & stabili promissione *dare Abraham Isaac & Iacob dicens* vnicuique illorum: † *Semini tuo dabo eam &* tu Moyses ex nomine meo dices ad populum istum: *Mittam præcursorem tui Angelum &* per ministerium illius *eyciam Chananeum & Amorrhaeum, & Ethaeum, & Pharezaeum, & Eueum, & Iebusaeum*: atque Gergesæũ sociũ alicuius prædictorũ habitatores terræ promissionis *& intres in terram* quasi *fluentẽ lacte & melle* præ maxima eius hubertate & fructuũ suauitate. *Non enim* nisi pœnitẽtiam egeris, *ascendam tecum* me præsentem exhibens ea insignium miraculorum operatione, qualiter hucusque me tecum esse ostendebant, † *quia populus duræ ceruicis es*, nec emolliri soles tot beneficijs; non igitur ea in posterum exhibebo *ne forte* si pro libertate arbitrij beneficia mea contempseris *disperdam te in via* propter maiorem tuam ingratitudinem. *Audiens populus sermonem hunc pessimum* hoc est rigidissimum, atque mæstissimum, quem Moyses ex parte Dei retulerat, *luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo*: vt in abdicatione quoque exterioris ornatus pœnitentiam demonstraret. *Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere filijs Israel* & comminare illis, vt si saltem formidine pœnæ à malo retrahi velint: *Populus duræ ceruicis es*, & incorrigibilis, qua propter si talis perseueraueris, *semel ascendam in medio tui* per exercitium crudelis vindictæ, quam in te exequar, *& delebo te de superficie terræ. Iam nunc depone* omnino; quem cæpisti aliquantulum deponere, *ornatum tuum*, 1 illum scilicet, quo in honorem vituli, AEgyptiorum more, te exornas, *vt sciam quid faciam tibi*, habeamque me ad modum eius, qui ex manifesta rerum mutatione agnoscit se debere mutare cõsiliũ, quod antea cõceperat; ita

† Gene. 12.b.7. Sup. 23.c 10. Iosu. 24.c.11. Deut. 7. d.21.

† Sup. 32.b.9. Deut. 9. c.13.

I.

ita & ego si tu deposueris prauam vitam tuam, & ad me ex toto corde conuersus fueris, aliter quoque tecum agam quam peccata tua hucusque exigebant. *Deposuerunt ergo filij Israel ornatum suum*, quo Ægyptios imitabantur, *à monte Horeb* neque eo amplius vsi sunt.

B. *Moyses quoque tollens tabernaculum* quoddam, quo assuefaceret Israelitas, ad hoc vt reuerentiam exhiberent alteri tabernaculo postea conficiendo, *tetendit extra castra procul* ad insinuandum non omnibus modis se illis Deũ præsentẽ exhibere velle, quo vsque amplius pœnitentiam agerent de peccato ab eis commisso: præsentia enim Dei manifestanda erat in eo tabernaculo. *Vocauitque* Moyses *nomen eius tabernaculum fœderis*, vtpotè in quo Deus ostensurus erat an reconciliatus esset Israelitis, nec ne. *Et omnis populus* seu quicumque de populo, *qui habebat aliquam quæstionem*, de qua instrui & doceri desiderabat *egrediebatur ad tabernaculũ fœderis extra castra* & per Moysen consulebat Dominum. *Cumque egrederetur Moyses* ex castris, vbi cum alijs de populo habitabat *ad tabernaculum* pro consulendo Domino, & dandis responsis populo *surgebat vniuersa plebs* in reuerentiam Dei & eius locum tenentis Moysi *& stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi*; nec antea audebant assidere *donec ingrederetur tentorium. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis descendebat columna nubis*, in qua Dominus visibili spectro se præsentem exhibebat; *& stabat ad ostium loquebaturque* Dominus ex columna *cum Moyse cernentibus vniuersis*, quòd *columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi*, & vt gratitudinem suã quoquo modo possent, declararent, *adorabant per fores tabernaculorum suorum* Dominum in signo visibili apparentem. † *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem* a seu per seipsum absque aliquo internuncio, & *sicus solet loqui homo ad amicum suum*, manifestans intima cordis sui arcana: nec tamen essentiæ diuinæ substantiam Moyses videbat.

[Margin: †8.q.1.c Moyses. De pœniten. dis. 2.§ opponitur.]

C. II. *Cũque ille reuerteretur in castra* post collocutionem cum Deo *minister eius Iosue filius Nun* non ætate, sed innocentia *puer non recedebat de tabernaculo*, sed propter reuerentiam sacri loci in eo vacabat interim diuinæ contemplationi. *Dixit autem Moyses* dũ quadã vice existeret in tabernaculo fœderis *ad Dominũ: Præcipis vt educam populum istum* ex hoc loco in terrã promissam, *& non indicas mihi* eum, quẽ mittẽ in modũ videre exopto Christũ Dominũ, *quẽ missurus es mecum*, vt suppleat defectus meos in directione gẽtis huius, & imperfectiones meas adimpleat; *præsertim* quòd eũ mihi ostendere debetes, *cũ dixeris: Noui te ex nomine*, dũ præ alijs ad speciale quãdã amicitiã te elegi: *& inuenisti gratiã corã me*, vt faciã quæ à me petieris. *Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo*, pro vt tu Domine asseruisti, *ostende mihi faciẽ tuã* & essentiam clarè & apertè *vt sciam te* & agnoscã nõ in ænigmate, seu in signo aliquo, corporali sed euidenter intuẽdo substantiam tuam: *& inueniam gratiam ante oculos tuos* in rem hanc, quam expostũlo. *Respice* præterea Domine quasi *populum tuũ gentẽ hanc*, vt tui ipsius rationẽ habẽs, eam ducas & gubernes singulari illa prouidentia & miraculorũ ostensione, qua antẽ peccatũ gubernabas. *Dixitque Dominus: Facies mea* suo tẽpore nẽpe post hanc vitam & post statum huius legis *præcedet te*, ita vt eam valeas intueri *& requiem dabo tibi* per æternæ beatitudinis adeptionẽ. *Et ait Moyses*: sed Domine quidnã facere disponis circa ducatum huius populi in terram promissionis? *Si non tu ipse præcedas* ostendendo mirabilẽ potentiã tuã, prout hucusque fecisti *ne educas nos de loco isto*; malumus enim hîc mori, quàm præsentia & auxilio tuo destituti vlterius progredi. *In quo enim scire poterimus ego & populus tuus inuenisse nos gratiã in conspectu tuo* ad assequẽdam terram promissionis, quã sine dono tuæ gratiæ nullatenus obtinere valemus, *nisi ambulaueris nobiscũ* efficiendo signa mirabilia, quæ ante peccatum vituli ostendebas: ex ea enim signorũ exhibitione eueniet, *vt glorificemur ab omnibus populis qui habitãt super terrã* quasi qui adepti fuerimus gloriam & palmã, ad quã adduxisti nos de Ægypto quod proculdubio magis in tuã gloriam & sanctitatis formã quã in nostrã vtilitatẽ cedet? *Dixit autẽ Dominus ad Moysen: Et verbũ istud, quod locutus es, faciã*, & nequaquã

D. executioni mandabo sententiam denegatiuam specialis auxilij, quã prius cõminatus fuerã. *Inuenisti enim gratiam corã me* gratusque mihi existis, non vtcũque; sed *& te ipsum noui ex nomine* quasi ministrum, quo frequẽter vtor, quẽ per nomẽ sæpiꝰ vocare oportet. *Qui ait: Ostẽde mihi gloriam tuã* & requiẽ sempiternã quã dixisti mihi postea

præstaturum *Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi* non modo, sed in beatitudine & tūc prospicies qualiter *& vocabo* per æternam prædestinationē plures de populo tuo *in nomine Domini*, & in immensa eius pietate *coram te*, qui tūc videbis in essentia mea, quidnam filijs Israel facere disposui, qualiter quoque † *& miserebor* beneficium vocationis & iustificationis exhibendo non pro meritis, sed gratis *cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit:* priores namque effectus prædestinationis non ex debito iustitiæ, sed iuxta beneplacitum meum hominibus conferā. *Rursumque ait* Dominus ad Moysen. *Non poteris videre faciem meā* clara & aperta visione in hac vita mortali degens. *Non enim videbit me homo & viuet*, nam bonū hoc tam eximiū non datur purè militantibus, sed his dumtaxat, qui victoriæ palmam iam sunt consecuti. *Et iterum* loquēs Dominus ad Moysen, † *Ecce inquit est locus* 3 dictus mons Thabor, *apud me & in* æternitate mea præfinitus: vbi ego ipse, quem tantopere desideras videre, coram te atque alijs testibus præordinatis, singulari quadam & miraculosa apparitione manifestabor. Ibi namque *stabis supra petram*, seu rupē quandā illius mōtis. *Cumque transibit gloria mea*, & steterit in monte illo Filius meus primogenitus, & splēdor meus factus homo *ponam te*, vt videas me in illo non plenè & clarè, sed quasi *in foramine petræ*, quod enim per foramen videtur non plenè cognoscitur. Tunc igitur in primis videbis corpus à me assūptū absq; gloria claritatis, nam *& protegam dextera mea* me ipsum, ita vt gloria animæ nō redundet in corpus, *donec transeam*, quousque scilicet existens in illo monte Thabor coram te & discipulis meis faciam transire claritatem animæ in ipsum corpus. *Tollamque manum meam* idest virtutem illam, qua detinebam gloriā animæ ne transiret in corpus, *& videbis posteriora mea*, quæ sunt effectus specialissimi omnipotentiæ meæ in corpore transfigurato; *faciem autem meam* seu diuinitatis essentiam *videre non poteris*, quousque in humanitate assumenda mortem oppetam, ianuasque regni cœlestis hominibus adaperiam.

† *Rom. 9. c. 15.*

† *24. q. 1. c. quia ex sola.*

III.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXXIII.

I. *Ornatus deponendus ab Israelitis qualis fuerit.*

DEPONE ornatum tuum.] Circa ornatum istum, quem præcipit Deus Hebræis deponere duo insinuantur in scriptura, ex quibus debet colligi quidnam per huiusmodi ornatum veniat intelligendum. Primum est ornatū istud aliquid esse præter cultū ordinarium, quo filij Israel ex more indui solebant: de hoc enim iam prædictum fuerat nullū eo fuisse indutū. Vnde quod post depositionem huius cultus præcipitur deponi, aliquid debet esse præter huiusmodi cultum. Nec valet dicere, verba ista non præcipere nouam vestium depositionem, sed approbare præmissam depositionē, cum significatio illorum manifestè contineat nouū præceptum. Secundo insinuat scriptura ornatum istum ita fuisse depositum ab Hebræis à monte Horeb ad cuius radices modo morabantur, vt in posterum nō fuerint eo vsi. Id enim aperte significat quod statim subsequitur. Deposuerunt ergo filij Israel ornatum suum à monte Horeb. His ita constitutis non incongruè diximus in paraphrasi per hunc ornatum significari cultum quēdā, quo Hebræi, ad idololatrandum auidissimi, se exornauerūt, imitātes in ea re ritus AEgyptiorum idololatrantium: quem ornatum facile conficere potuerunt ex vestibus, quas ab AEgyptijs obtinuerunt.

II. *Loqui facie ad faciem quid dicatur.*

FACIE ad faciem.] Aduerte discrimen inter loqui facie ad faciem, & videre faciem. Is enim cum quo Deus loquebatur facie ad faciem, mox in sequentibus petit à Deo, vt ostendat sibi faciem suam. Per loqui ergo facie ad faciem solùm significatur Deum loqui ad Moysen per seipsum, & quasi in propria persona, & non per mediatorem aliquem, vel internuntiū: quamuis eiusmodi locutionem per ministerium angelicū formauerit. In quo sensu Deuter. cap. 5. dicitur; Facie ad faciem loquutum fuisse Deū ad populum in monte Sinai: quia scilicet tulit legem præceptorum Decalogi per seipsum dicens. Ego Dominus; non per legatum aliquem, qui diceret: Hæc dicit Dominus: prout in traditione reliquorum præceptorum fecit vtens mediatore Moyse.

III. *Transfiguratio Christi prædicitur Moysi.*

ECCE inquit est locus.] Quando quidem de loco isto, de petra, de manus Dei superpositione, & de visione posteriorum eius, nil postea visibili opere subsecutum legimus, satis res ipsa indicat, vt autor est Diuus Augustinus quæst. 154. super Exodum non describi hoc in loco aliquid, quod tunc temporis, quando scilicet hæc dicta sunt Moysi, contingere deberet; sed quod postea euenturum Moysi in spiritu prophetico reuelatum est. Quidnam autem hoc extiterit verosimilius nobis videtur dicendum fuisse mysterium admirabilis transfigurationis Domini nostri Iesu Christi in monte Thabor; sequētes in hac re sententiam D. Irenæi lib. 4. aduersus hæres. cap. 37. vbi Docet promissionem hic factam Moysi, fuisse sibi adimpletam in die transfigurationis Domini: & id ipsum tenet Tertullian. lib. 4. contra Marcio. cap. 22. & lib. contra Praxeam cap. 14.

Digitized by Google

ARGVMENTVM IN CAP. XXXIIII.

¶ *Præcisis à Moyse duabus tabulis lapideis instar priorum iterum ascendit in montem Sinai, solus, ibique mansit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus audiens Dominum prohibentem, quamlibet societatem idololatrarum, & iterum præcipientem selemnitatem azymorum, oblationes primogenitorum, necnon sabbati & aliarum festiuitatum sanctificationem, post quæ tanquã instrumentum Dei conscripsit præcepta Decalogi, in tabulis; quas secum tulit de monte faciem habens coruscantem.*

PARAPHRASIS IN CAP. *XXXIIII.*

A. † *Deut. 10. a. 1.* AC *deinceps* Dominus ad Moysen, † *Præcide ait tibi*, ego enim illis non indigeo, *duas tabulas lapideas instar priorum*, quas te præcidere volo, vt agnoscant filij Israel me ob tuas preces iterato illis legem tribuere. *Et scribam* te ministro *super eas tabulas* omnia *verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti*, vt posteriores istæ non in minori reuerentia, quàm priores habeantur. *Esto paratus manè*, quando quidem sufficit hodiernus dies ad dolãdas tabulas, *vt ascendas statim in montem Sinai*: peracturus, ibidem tertiam dierum, ac noctium quadragenam: *stabisque mecum super verticem montis* instantissimæ contemplationi vacãdo. *Nullus ascendat tecum*, nec etiam Iosue qui in priori datione legis ascenderat, *nec videatur quispiam per totum montem: boues quoquè & oues non pascantur è contra*, vt ex animalium quoque discessu excitentur eorum domini ad reuerendum datorem legis, qui in signo visibili est illic appariturus. *Excidit ergo* statim Moyses, *duas tabulas lapideas, quales antea fuerant, & de nocte consurgens*, ea scilicet hora, qua matutinus posset iter perficere, *ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus portans, secum tabulas*, vt legem decem præceptorum à Domino susciperet. *Cumque descendisset Dominus per nubem*, in signo quodam visibili ex materia nubis compacto, *stetit Moyses cum eo inuocans nomen Domini* orationiquè intendens. *Quo transeunte coram eo*, hoc est transiens Dominus in signo illo visibili, coram Moyse explicuit epitheta sua, & acsi vna persona Trinitatis alteri, vel ipsi Trinitati loqueretur *ait: Dominator Domine Deus*, omniũ fortissime *misericors*, per humanæ miseriæ compassionem, *& clemens* per offensionẽ gratuitam condonationem, *patiens*, per conuersionis peccantium longanimem expectationem, *& multæ miserationis*, per effectuum tuæ pietatis distributionem, *ac verax* per iustitiæ dilectionem, † *qui custodis misericordiam in millia* infinities beniniorem te ostendens, quam ostenderis puniens, *qui aufers iniquitatem*, originalem ex traduce comparatam, *& scelera*, ex malignitate, vel contemptu cõmissa, *atq; peccata*, per ignorantiam infirmitatem, vel passionem facta, *nullusq;* exijt qui in te deliquerunt, *apud te per se*, & ex propria virtute, *innocens est*, & impunitus euadit, sed iustitiam cum pietate summo rationis iudicio temperas. † *Qui reddis iniquitatem patrũ*, infligẽs tẽporalia flagella, nõ solũ ipsis peccãtibus verũ etiã ipsorũ *filijs, ac nepotibus in tertiã & quartã progeniem*, vt peccantes non solum de pœnis sibi inflictis doleant; sed etiam de flagellis collatis filijs & nepotibus suis, vsque in plures generationes. Hæc audiens Moyses contremuit ad vocẽ Domini, *festinusquè Moyses incuruatus est pronus in terram*, summum honorem exhibendo Deo transeunti, *& adorans ait: Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine*, iterum atque iterum, & sine intermissione *obsecro, vt gradiaris nobiscum*, in signis mirabilibus, qualia hucusque operatus es: quod quidem ob gratiam tuam, qua me prose-

Margin notes: I. (misericors) II. (verax) † *Ps. 142. a. 2.* (custodis) † *Ier. 32. c. 18. Leut. 5. a. 9. de pœn. d. 4. cap. quid est.* (Qui reddis)

queris postulo, *populus enim duræ ceruicis est*, indignusque tanto beneficio, *& auferas* etiam obsecro *iniquitates nostras, atque peccata*, nō dico scelere: nam quamuis peccauerimus ex proposito, & ex infirmitate; existimo tamen, quòd non peccauimus ex contemptu tui; *nosque possideas* precor qua si propriam tuam hæreditatem & speciale peculiũ. *Respondit Dominus: Ego* † *inibo pactum*, 3 sempiternum Noui Testamenti, *videntibus cunctis*; tam Iudæis, quam gentibus, *signa faciam*: qualia nunquam alius fecit, & *quæ nunquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus*: nam Reges per stellã vocabo, mortuos suscitabo, dæmones eijciã à mortuis, die tertia resurgam, in cælumq; quando mihi placuerit conscendam, & exinde Spiritum Sanctum diffundam, idolaque cuncta subuertam: *vt cernat populus iste in cuius es medio*, saltem miraculorum euidentia conuictus *opus Domini terribile* Diuinæ incarnationis, *quod facturus sum*: tunc igitur perficiam cuncta, quæ postulas pro populo isto, nisi ipse obicem ponat. Interim tamen præcipe illi ex nomine meo & dices: *Obserua cuncta quæ hodie*, seu tempore isto *mando tibi*, quæ iterum repeto, quo arctius memoriæ hæreant. *Ego ipse eijciam ante faciem tuam*, & prosternã *Amorrhæũ, & Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoquẽ, & Eueum, & Iebusæũ*, qui *habitant* terrã vobis promissam. *Caue ne vnquam, cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam*: facile quippe erit ipsorum fascino inficiari & scandalo præcipitari: *sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide*; vt nulla monimenta idololatriæ remaneãt ne postea repullulascat. *Noli adorare Deum alienum*, immundis, ac prophanis dæmonibus cultum impendens. *Dominus Zelotes nomen eius Deus est æmulator*, in quantum non patitur ab homine alium aliquem pro verò Deo adorari. † *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint*, metaphorice loquendo, *cum dijs suis* adhærentes illis cum quadam coniunctione & delectatione mentis, *& adorauerint simulacra eorum* per externæ reuerentiæ exhibitionem, *vocet te quispiam, vt comedas de immolatis*, cõtra legis prohibitionem. † *Nec vxorẽ de filiabus eorũ accipies filijs tuis*, nisi prius idololatria perpetuo abiecta, ad legis cultum se transferant; *ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ*, adhærendo mentaliter dijs suis, *fornicari faciant & filios tuos in Deos suos*, inducendo eos ad idololatriam, quæ est quædam spiritualis fornicatio. *Deos conflatiles non facies tibi*, 4 nec aliud genus simulacrorum, seu factitiorum deorum. *Solemnitatem azymorum custodies*, quæ prima est trium præcipuarum solemnitatum, quas præcepi tibi obseruare. *Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi*; vt illis vescaris *in tempore mensis nouorum* partuũ terræ; nam iuxta ingressum solis in ariete, quando de nouo incipit terra germinare, celebrari debet solemnitas azymorum: *mense enim verni temporis egressus es de AEgypto*, cum tanta festinatione, vt non vacaret panem fermentare. † *Omne quòd aperit vuluam generis masculini meum erit*: omne videlicet primogenitum, *de cunctis animantibus, tam de bobus, quam de ouibus meum erit*, si respectu matris fuerit primogenitum masculinum. *Primogenitum asini*, quòd aperit vuluam matris; cuius caro tanquam immunda respuitur, *redimes oue: sin autem*, oue non redemeris, imo, *nec pretium pro eo dederis* ad redimendum pecunia, *occidetur* in signum occisionis primogenitorum, quam exercui in AEgypto. *Primogenitum filiorum tuorum redimes*, nisi sit de tribu Leui: is enim non erit pretio redimendus, sed ministratio tabernaculi consecrandus: *nec apparebis in conspectu meo vacuus*, & absque muneribus mihi offerendis. *Sex diebus operaberis, die septimo cessabis*, etiam ab operibus valde necessarijs propter victum, atque vitam, qualia sunt *arare & metere*, & multo melius ab alijs operibus. † *Solemnitatem hebdomadarum*, quæ secunda est præcipuarum, quas teneris obseruare, *facies tibi in primitijs frugũ messis tuæ triticeæ*, nempe post septẽ hebdomadas comunerandas à festo azymorũ. Celebrabis preterea, *& solemnitatem collectæ* & tabernaculorum, *quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*, in gratiarũ actionem, pro fructibus nouis tunc collectis. *Tribus temporibus anni*, 5 quibus celebrari debent prædictæ tres festiuitates, *apparebit omne masculinum tuum*, quòd numerari solet in lege, nempe à vigesimo vsque ad quinquagesimum ætatis annum, *in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel*, accedendo ad eum locum, quem Dominus elegerit ad se præsentem exhibendum & specialiter manifestandum filijs Israel

Marginalia: † Deu. 5. a. 2. Ier. 32. d. 2. c. — III. — † Deu. 7. a. 2. — † 3. reg. 11. a. 2. — IIII. — C. — † Su. 13. a. 2. b. 17 & 32. d. 19. — † Su. 23. b. 15. Deut. 16. b. 16. Eccl. 35. a. 6. — V.

Cum

Cum enim tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, securus quisq; accedere poterit ad locũ mihi destinatũ, nec de terra sua solicitus esse oportet: quia *nullus insidiabitur terræ tuæ*, nec quidpiam de ea concupiscet, *ascendente te & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno*. Immittā enim tantum terrorem in gentes finitimas, vt vobis ad facienda sacra proficiscentibus, non aliter trepident, quàm si armati bellum cõtra ipsos moueretis.† *Non immolabis super fermento*, *6* vel cum fermẽto, sed solum cum azymis, *sanguinem hostiæ meæ*: nam fermentum symbolum est corruptionis peccati, quæ longe debet esse à sacrificijs: *nec residebit*, seu remanebit vsquè *manè de victimis solemnitatis Phase*, sed totum agnum in nocte Paschæ comedetis, quod sępius vobis inculco, vt nunquam tanti beneficij, redemptionis videlicet ex AEgypto vos capiat obliuio. *Primitias frugum terræ tuæ*, quas terra à te culta reddiderit, *offeres in domo Domini Dei tui*, in gratiarum actionem pro beneficijs, quę Dei prouidentia, & cõcursu terra profert. *Non coques hædum in lacte matris suæ*, ne videatis imitari ritum idololatrarum lixantium superstitiose hœdum in lacte materno. *Dixitquè Dominus ad Moysen: Scribe tibi*, & esto instrumentum meum ad exarandum in tabulis istis lapideis *verba hæc, quibus & tecum*, quasi legis subiecto, *& cum Israel* † *pepigi fœdus*, vt legem istam recipientes, meam in posterum perficiatis voluntatem. *Fuit ergo ibi*, nempe in monte Sinai, *cum Domino* Moyses, *quadraginta dies, & quadraginta noctes*, in continua mentis eleuatione perseuerans, Deo illum conseruante, *panem non comedit, & aquam non bibit*, nec quidquam aliud cibi, vel potus assumpsit, *& scripsit in tabulis* † *verba fœderis decem*, per virtutem miraculose acceptam à Domino ad formandum literas in lapidibus. *Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas* lapideas *testimonij*, quæ testimonium perhibebant diuinæ voluntatis, *& ignorabat, quòd cornuta esset facies sua*, ob quosdam radios miri splendoris prodeuntes ex facie in modum cornuum, seu radiorum solarium, qui causati fuerant *ex consortio sermonis Domini*, quo voluit Deus Moysi, & Decalogi authoritatem commendare. *Videntes autem Aaron & filij Israel cornutam*, radijs gloriosis *Moysi faciem*, ob tam nouum & insolitum miraculum, *timuerũt propè accedere*, imo retrocesserunt: obcæcati à claritate vultus Moysi, *vocatiquè ab eo reuersi sunt, tam Aaron, quàm principes Synagogæ, & postquam locutus est ad eos* Moyses, *venerunt ad eum etiam omnes filij Israel*: nam & hi similiter abierant territi splendore, qui apparebat in facie Moysi, *quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in monte Sinai. Impletisque sermonibus* his prioribus, quos dixit ad eos, *posuit velamen super faciem suam*, ne radij splendoris impedirent intuitus hominum versus ipsum. † *Quod ingressus* in tabernaculum fœderis vt loqueretur *ad Dominum, & loquens cum eo auferebat*, iudicans indignum loqui cum rege facie cooperta, *donec exiret, & tunc* exiens de tabernaculo, quòd erat extra castra, *loquebatur ad filios Israel omnia, quæ sibi fuerant imperata. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam*; radiantemque, seu splendentem, *sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos*, nolens torquere Israelitas maximo metu quo afficiebantur aspicientes coruscationem vultus eius.

[Margin: † *Su. 23 c. 18. 19* — VI. — D. — † *Su. 24 d. 18.* — † *Deu. 9 b. 6. c. 18 Deut. 4. b. 13.* — † *2. Cor. 3. c. 13.*]

ANNOTATIONES IN CAP. XXXIIII.

I. *Deus nõ Moyses expressit diuina epitheta.*

DOMINATOR Domine Deus.] Quod hæc verba non Moyses protulerit, sed vel Angelus in persona Dei, vel ipse Dominus, prout in paraphrasi exposuimus, aperte conuincitur tum, quia in alijs translationibus non reperitur ambiguitas, quam habet hoc in loco editio Latina: nam si de verbo ad verbum vertatur litera Hebraica; sic debet legi. Et transiuit Dominus ante faciem eius, & clamauit Domine Dominus Fortis. Et apud septuaginta sic habetur: Et transiuit Dominus ante faciem eius, & vocauit Dominus Dominus Deus. Et Chaldaica si inquit. Et transire fecit Dominus maiestatem tuam super faciem eius, & inuocauit Domine Domine Deus. Tũ præcipue, quia Nume. cap. 14. admonens Moyses Deum suorum epithetorum, vt iram eius mitiger, sic ait: Magnificetur fortitudo Domini, sicut iurasti dicens: Dominus patiens & multæ misericordiæ auferens iniquitatem, & scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Vbi manifeste allegat istam reuelationem referens verba, quæ tunc Deus pro-

protulerat. In eisque exprimuntur tredecim epitheta, siue pronomina Dei, vel, vt alij vocant, proprietates, quibus affectus Dei erga homines, significatur: pro quorum symbolo, & charactere terdecies inuitantur creaturæ ad laudandum Deum, tam in Psal. 148. quam in Psa. 150. vt adnotauit ibidem noster clarissimus Genebrardus Benedictinus.

II. *Hebraismus, quo patietia designetur.*

PAtiens.] Apud septuaginta habetur longanimis: in textu verò Hebraico legitur Ezech. appam, id est, longus, seu latus naribus. Qui enim angusti e naribus sunt, fumos ex corde ascẽdentes citius concipiunt, & tardius efflant, ob meatuum angustias. Inde Hispanico idiomate inflari eorum nares dicimus, qui irascuntur. Præterea in ira sanguis circa cor efferuescit, & cor ipsum supra modum calet; quo autem latiora sunt narium foramina, eo plus frigidi aeris immittitur ad cordis refrigerationẽ & homines placidiores, minusque ad irascendum apti sunt. Quare cum Dominus patientiã demonstrat, & iram repellit à se (vt hominum more loquamur) dicitur longus, vel latus naribus; hoc est, tardus ad nares cõmouendas, ad longum conniuens, nec celeriter prorumpens ad pœnas, peccata dissimulans, vt detur spatiũ pœnitentiæ. Qua phrasi vtitur scriptura aliquoties, vbi in nostra translatione est, patiens: vt Numer. 14. Dominus patiens, & multæ misericordiæ. Iocl. 2. Quia benignus & misericors est patiens & multæ misericordiæ. Et Nahum. 1. Dominus patiens & magnus fortitudine.

III. *Pactum diuinæ incarnationis promittitur*

EGo inibo pactum.] Hæc verba, & quæ in eadem sententia subsequuntur nullatenus possunt intelligi secundum sensum literalem, nisi de mysterio Diuinæ incarnationis: in quo pepigit Deus aliud fœdus ab eo, quod inierat cum populo Israel ante dationem legis: & tunc dumtaxat prætitit signa, quæ hic promittit, quæcumque enim signa facta fuerunt in populo Israel ante Incarnationem Christi à tempore, quo hæc verba locutus est Dominus ad Moysen, nequaquam adæquabant signis factis in Exitu de AEgypto. Vnde de nullis illorum verificari potest, quòd nunquam fuerint visa super terram: cum alia similia, imo, & multo maiora fuerint visa in AEgypto. Verificatur tamen in signis factis per opus Incarnationis, & redemptionis, vt patet.

IIII. *Pars interdum sumitur, pro toto.*

DEos conflatiles non facies.] Non quia conflatiles tantummodo nominauit fieri sculptiles ductiles fictilesque permisit, vel vllum genus simulacrorum, sed à parte per totum significauit, vt docet Diuus Augu. in locutione. 129. super Exodũ, qua phrasi loquendi pluries vtitur scriptura, vt auctor est, Diuus Gregor. lib. 3. Moral. cap. 10. vt videre est iterum in hoc eodem capitulo quando parũ infra inquit de Moyse existente in monte Sinai, panem non comedit, & aquam non bibit pro nihil cibi, seu potus gustauit, & huc tendit communis loquendi modus in scriptura, quo hominem appellatione animæ intelligere solet.

V. *Tribus temporibus tenebantur Iudæi ascendere in templum.*

TRibus temporibus anni.] Inter festiuitates diuino præcepto institutas tres erant, in quibus omnes masculini sexus ex qualibet parte terræ promissionis in templum, quod erat Hierosolymis, ad adorandum, & sacrificandum ascendere tenebantur: nempe tempore Paschatis, Pentecostes, & scenopegiæ vt legitur supra cap. 23. & in præsenti. Cum enim extra templum sacrificium offerre non liceret, ne populus dispersus multo tempore sacrificio priuatus ad idola (in quæ pronus erat) conuerteretur: præcipit illi Deus ter in anno in templum conuenire, vbi erat sacrificium, & legis explicatio, & summum sacerdotium. Sic namque sub vera religione, & Dei cultu, legisque obseruantia facilius continebatur. Quamuis autem multi excusarentur propter infirmitatem, paupertatem, viæ longitudinem, aliasue rationabiles causas, prout ratio naturalis dictat, ab hoc triplici aduentu; tamen semel saltem in anno omnes, qui poterant, ascendebant vndique; idque in Paschate, quod erat omnium festorum celeberrimum & sanctissimum, vti colligitur ex Acto. 2. Tunc enim Phase celebrabatur in memoriam liberationis de AEgyptiaca seruitute. Elegit autem Deus cætera duo festa, in quibus etiam voluit omnes ascendere in templum: tum quia erant celeberrima; tum quia primitiæ, & collectæ offerebãtur, quæ in vsus & sumptus templi erant necessaria. Etenim vt legitur Leui. 23. & Deu. 16. ter in anno primitiæ offerebantur Deo. Primo spicarum & segetũ, die secunda Azymorũ. Secũdo panũ ex nouis granis, in die Pẽtecostes. Tertio frugum mẽse Septembri. Collectio autẽ pecuniarum fiebat octauo die scenopegiæ.

VI.

SVper fermento.] Circa hanc phrasim in qua dictio, super, ponitur pro in, videantur quæ diximus supra cap. 23. Annot. 3. quod capitulum etiam consulendum est pro alijs quæ ibi, & hic habentur.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXV.

¶ Post promulgationem diuini præcepti de obseruantia Sabbati primitiæ, & donaria exiguntur à populo, vt ex eis tabernaculum & vasa illius & reliqua ad Dei cultum spectantia fieri valerent. Quæ donaria populus mente promptissima offert. Vnde Moyses duo-

duobus viris quos Dominus elegerat ad conficiendum tabernaculum nempe Beseleel, & Ooliab artificibus peritissimis imponit vniuersum opus, quod fieri oportebat.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXV.

A. IGITVR *congregata omni turba filiorum Israel*, post exactam vindictam contra incredulos, & reconciliatum Domino populum, Moyses *dixit ad eos: Hæc sunt, quæ iussit Dominus fieri*, quantum ad obseruantiam Sabbati, in qua principale ceremoniarum legis mandatum consistit pertinens ad fidei fomentum, & religionis. *Sex diebus facietis opus; septimus dies erit vobis sanctus:* ac proinde non nisi operibus sanctis in eo vacare debetis, nempe meditationi legis, & diuinorum beneficiorum recordationi: est enim dies iste *Sabbatum, & requies Domini:* in quo Dominus cessauit ab opere creationis postquam creata omnia condiderat, *qui fecerit opus in eo*, in pœnam transgressionis tanti præcepti ex sententia iudicum *occidetur. Non succendetis ignem* ad coquendum, etiam necessaria alimenta *in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbati*, quamuis coquere alimenta in alijs festiuis diebus liceat. *Et ait Moyses ad omnem cateruam filiorũ Israel: Iste est sermo quẽ præcepit Dominus dicẽs. Separate apud vos*, partes aliquas præcipuas, nõ determinatas, sed quasi *pri-*
I. *mitias Domino*, vt offerendas & consecrã-
das. †*Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Dño*, ita vt nullus cõpellatur ad illã-
† Sup. 25.a.2. rũ oblationẽ. Hæc vero sunt, quę offerre debet populus *aurũ & argentũ & hyacinthũ & purpuram coccumque bistinctum*, hoc est coccinum sericum *& byssum* ex lino tenuissimo confectum *pilos caprarum* ad cortinas symballoti conficiendas, *pellesque arietum rubricatas, & iantinas ligna Setim* imputribilia generis cedrorum, *& oleum ad luminaria cõcinnãda & vt cõficiatur vnguentum* sanctum consecrationis, *& thymiama suauissimum lapides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis, & rationalis* nam in his dumtaxat vestimentis sacerdotalibus debent poni lapides pretiosi. *Quisquis vestrum sapiens est* artifex sciens fabre operari ex auro argento & ære & alijs prædictis rebus quas dixi esse offerendas à populo, *veniat & faciat quod Dominus imperauit: Tabernaculum scilicet* ex decem cortinis hyacinthinis conficiendum, *& tectum eius* ex vndecim sagis cilicinis, quæ tegere debent externam faciem tabernaculi *atque operimentum*, vtrumque tam de pellibus rubricatis, quam de pellibus hyacinthinis, *annulos & tabulata cum vectibus*, ex quibus constare debet ligneũ corpus tabernaculi *paxillos & bases* argenteas ad affigendum tabulata tabernaculi, *arcam & vectes* de lignis setim opertam laminis aureis *propitiatorium* de auro purissimo, *& velum, quòd ante illud oppãditur* conficiendum ex auro & hyacintho cocco & bysso opere polymito, *mensam* auream collocandam à parte aquilonari & tabernaculi, *cum vectibus & vasis & propositionis panibus*, in ea mensa constituendis *candelabrum* aureum, quòd poni debet à parte australi tabernaculi, *ad luminaria sustentanda vasa illius & lucernas;* quæ etiam debent esse de auro purissimo, *& oleum ad nutrimẽta ignium altare Thymiamatis*, ponendum inter mensam & candelabrum ante arcam & velum *& vectes*, ad illud portandum, *& oleum vnctionis & thymiama ex aromatibus tentorium ad ostium tabernaculi*, dependens ex capitibus aureis quinque columnarum existentium in parte orientali tabernaculi *altare holocausti*, quod poni debet extra tabernaculum, *& craticulam eius æneam* circundantem ipsum altare *cum vectibus & vasis suis* quæ etiam debent esse ænea *labrum & basim eius* ad lauandum manus & pedes sacerdotũ, *cortinas atrij* byssinas, *cum columnis & basibus* æneis, & capitibus argenteis *tentorium*, seu cortinam byssinam *in foribus vestibuli paxillos tabernaculi & atrij cum funiculis suis* ad affigẽdas cortinas ne facile à vento dimoueantur *vestimenta*, seu pannos *quorum vsus est in ministerio sanctuarij*, ad inuoluendum ea, quæ deferenda sunt de vno loco in alium quando transferri debuerit tabernaculum *vestes Aaron Pontificis, ac filiorum eius, vt sacer-* B.

d...

do:·o fungantur mihi. Hæc igitur funt, quę artifices populi facere debent ex rebus & donarijs à vobis voluntarie offerendis.
C. *Egressaque omnis multitudo filiorum Israel, de conspectu Moysi*, ac per relationem primorum cuiusque tribus facti singuli certiores, de eo quod iusserat Moyses, *obtulerũt mente promptissima, atque deuota*, partes aliquas suarum facultatũ, quasi *primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi testimonij*, executioni mandantes id, quod Dominus imperauerat. *Quidquid ad cultum* Dei in tabernaculo, *& ad vestes sanctas* pontificis, & sacerdotum, *necessarium erat viri cum mulieribus præbuerunt*: videlicet *armillas*, idest torques, *& inaures*, quæ ornamenta sunt aurium: *annulos* digitorum *& dextralia*, quæ partem brachij iuxta manum exornant *omne vas aureum in donaria Domini separatum est*, à communi vsu, & Domini cultui applicatum. *Si quis habebat hyacinthum & purpuram coccumq; bis tinctum byssum & pillos caprarũ pelles arietũ rubricatas & ianthinas* varijs maculis respersas, *argenti ærisquè metalla*, non sibi reseruabat, sed omnes libentissime, ea *obtulerunt Domino lignaque setim in varios vsus, sed & mulieres doctæ*, industriam habentes ad artificiose & ingeniose nendum ex his, *quæ neuerant dederunt* plurium rerum filos ad texendas cortinas *hyacinthum purpuram, & vermiculum*, hoc est coccum, seu carmesinum, ac *byssum & pillos caprarum*, jam netos ad conficienda symballota, *sponte propria cuncta tribuentes. Principes vero* ex his quibus spoliauerant AEgyptum *obtulerunt lapides onychinos & gemmas ad* vestimenta pontificalia, videlicet *superhumerale, & rationale, aromataquè, & oleum, ad luminaria concinnanda, & ad præparandum vnguentum* consecrationis, & sanctificationis, *ac thymiama odoris suauissimi componendum*, quod in sancta sanctorum adolere debebant. *Omnes viri & mulieres* D.
mente deuota obtulerunt donaria, quæ necessaria erant, *vt fierent opera, quæ iusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filij Israel voluntaria Domino dedicauerunt*, absque vlla tristitia, vel necessitate,
Dixitque Moyses ad filios Israel: Ecce † II.
vocauit Dominus ex nomine, ac præ alijs †Su. 31
nominatim delegit, *Beseleel filium Huri* a. 1.
filij Hur, leuiri mei *de tribu Iuda*, vt faciat omnia opera tabernaculi, *impleuitque eum spiritu Dei* infundens ei cognitionem ad hoc ministerium necessarium, & insuper *sapientia, & intelligentia & scientia*, acquisita exornauit eum, *& omni doctrina ad excogitandum & faciendum opus in auro, & argento, & ære, sculpendisque lapidibus & opere carpentario, quidquid fabre*, & artificiose, *adinueniri potest*, siue in metallis supradictis, siue in lapidibus, siue in lignis, *dedit in corde eius*, seu posuit diuinitus *Ooliab quoque filium Achisamec de tribu Dan*, constituit Dominus socium Beseleel, & *ambos erudiuit sapientia*, tam infusa, quam acquisita, *vt faciant opera abietarij*, qui non solum in abietibus, sed in alijs quibuscumque lignis operari scit & *polymitarij*, qui per texturam varias figuras operatur, *ac plumarij*, qui easdem varietates acu efficere solet, idque ex quibuscumque telis nempe *de hyacintho ac purpura coccoquè bis tincto, & bysso. &* etiam infudit illis industriam, vt *texant omnia*, quæ ab alijs sunt inuenta, *ac noua quoquè reperiant* per facultatem inuentiuam, sibi diuinitus collatam.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXV.

I. *Oblationes vltraneæ, cur primitiæ vocentur.*

PRIMITIAS Domino.] Hic & parum infra, quando dicitur, Obtulit mente promptissima atque deuota primitias Domino, & superius, capit. vigesimoquinto ibi. Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primitias, non significatur nomine primitiarum id, quod verè & proprie primitiæ sunt: quia primitiæ in lege non erant oblationes vltroneæ, sed ex necessitate præcepti impositi supra capit. vigesimotertio, soluendæ erant: oblationes autem, de quibus hic fit sermo, voluntarie Domino dedicabantur. Appellantur igitur primitiæ oblationes istæ, quæ ad opus tabernaculi exiguntur à populo, vel quia non sub certa, & determinata quantitate imponuntur, sicut decimæ: sed dumtaxat, vt quisque quantum voluerit offerat: vt fiebat in primitijs frugum terræ. Vel quia potiora, & excellentiora esse oportebat, quæ ad constructionem tabernaculi offerebat populus: prioritas enim, quæ nomine primitiarum significatur, interdum importat antecessionem temporis, interdum verò antecessionem dignitatis. Et in hoc poste-

posteriore sensu cunctæ res oblatæ in sanctuario vocantur primitiæ: vt patet Leuiti. vigesimosecundo. De his quæ sanctificata sunt, & de primitijs non vescetur. Et Numer. decimo octauo. Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Vbi res selectissimæ a populo oblatæ, primitiæ vocantur, vt patet ex contextu litteræ.

BESELEEL filium Huri.] Quisnam fuerit iste Beseleel, scire poteris ex his, quæ diximus supra capitulo trigesimo primo, annotat. prima. In quo capite similia verba his, quæ in hoc loco describuntur plenius exposita reperies. II.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXVI.

¶ Incipientibus Beseleel, & Ooliab executioni mandare opus tabernaculi, sibi iniunctum adhuc populus non cessabat à muneribus offerendis, idquè tam ardenter, vt etiam plus quam necessarium erat libenti animo offerret donec præcepit Moyses, vt cuncti à donarijs offerendis abstinerent, quo peracto fabricatur tabernaculum iuxta omnes partes suas cortinas saga opertoria tabulata vestes velum, & tentorium.

PARAPHRASIS IN CAP. XXXVI.

A.

I. FECIT ergo † *Beseleel, & Ooliab* quorum vnusquisque erat constitutus, quasi præpositus operis tabernaculi, & architectus, *& omnis vir sapiens,* qui ascitus est vt esset auxiliarius, & minister prædictorum, *quibus dedit Dominus sapientiam, & intellectum* practicum, *vt scirent fabre operari,* & se haberent priores quidem duo quasi præfecti, alij vero quasi idonei ministri. Hi igitur fecerunt, *quæ in vsus sanctuarij necessaria sunt, & quæ præcepit Dominus* seruo suo Moysi existenti in monte Horeb. † *Cumque vocasset eos Moyses,* nempe Beseleel, & Ooliab, vocasset quoque, *& omnem eruditum virum cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus tradidit eis vniuersa donaria filiorum Israel* diuidens singulis collectam pro suo opere materiam, vt non quisque quod vellet, sed quod iuberetur, perficeret, iuxta donatam sibi à Deo gratiam laborandum. *Qui cum instarent operi quotidie,* & iniuncta perficere conarentur, quolibet *mane vota populus offerebat,* quasi certatim spontaneis oblationibus diuino huic operi insistentes, *vnde artifices,* cum vltra sapientiam, quam habebant etiam sanctitate pollerent *venire compulsi* à propria conscientia ne plus quam necessarium erat ad opus auferentes iniusti, & infideles existerent, *Dixerunt Moysi, Plus offert populus, quam necessarium est. Iussit ergo Moyses præconis voce cantari. Nec vir, nec mulier quicquam offerat vltra in opere sanctuarij,* fidelissimus namque Moyses noluit gratis populum exhauriri facultatibus suis. *Sicque cessatum est à muneribus offerendis, eo quod oblata sufficerent, & superabundarent. Feceruntquè omnes corde sapientes,* & qui magis ingeniosi erant inter omnes constitutos, *ad explendum opus tabernaculi cortinas decem,* quæ futuræ erant præcipua pars ipsius tabernaculi, *de bysso retorta & hyacintho, & purpura coccoquè bis tincto,* assumptis filis harum quatuor rerum, & contextis, *opere vario,* quo figurari solent formæ, quædam alatæ cherubinorum, *& arte polymita,* quæ efficere docet eiusmodi opus vocatum à quibusdam Phrygionicum, *quarum cortinarum, vna habebat in longitudine viginti octo cubitos,* sex palmis manus idest sex spatijs quatuor digitorum transuersorum, pro vno quoque cubito computatis, *& in latitudine quatuor* cubitos efficientes viginti quatuor palmos prædictos, *vna mensura erat omnium cortinarum,* tam in longitudine, quam in latitudine. *Coniunxitquè cortinas quinq; alteram alteri, & alias quinque sibi inuicem copulauit,* conficiens duas telas magnas B.

† Su. 26 a. 1.

† 1. Par. 21. d. 29

magnas ex quinis cortinis. *Fecit & ansas*, seu fenestellas quinquaginta *hyacinthinas in ora cortinæ vnius* magnæ illarum duarum *ex vtroque latere*, scilicet, tam in latere vnius istarum duarum, cortinarum, magnarum, quam in latere, *& in ora cortinæ alterius similiter, vt contra se inuicem venirent ansæ & mutuo iungerentur*, & ex duabus cortinis; sic coniunctis fieret vna maxima cortina habens quadraginta cubitos longitudinis & viginti & octo latitudinis, *vnde & quinquaginta fudit* Beseleel vncinos, vel *circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas fieret vnum tabernaculum*, longitudinis triginta cubitorum, & altitudinis decem cubitorum & totidem latitudinis sicut in superioribus præceperat Dominus fieri. *Fecit & saga vndecim de pillis caprarum*, nempe de symballoto, *ad operiendum tectum tabernaculi*, secundum partem superiorem & externam, *vnum sagum in longitudine habebat cubitos triginta & in latitudine cubitos quatuor*, & totidem cubitos habebat vnumquodque aliorum sagorum, nam *vnius mensura erant omnia saga, quorum quinque iunxit seorsum & sex alia separatim*, ita vt fierent duæ telæ magnæ inæquales ex vndecim sagis. *Fecitquè ansas quinquaginta in ora sagi vnius, & quinquaginta in ora sagi alterius, vt sibi inuicem iungerentur*, quando reponi deberent saga ista supra tabernaculum, ad quod fecit quoque, *& fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum* istud cilicinum, seu symballoticum, *vt vnum pallium ex omnibus sagis*
C. *fieret*, quo operiretur tabernaculum. *Fecit & opertorium tabernaculi*, aliud vltra saga cilicina *de pelibus arietum rubricatis aliudque desuper velamentum de pellibus ianthinis*, quibus operimentis tabernaculum ab incursibus ventorum, & pluuię commodius defendi possit. *Fecit & tabulas tabernaculi de lignis setim stantes*, ad sustentandas cortinas tabernaculi. *Decem cubitorum erat longitudo tabulæ vnius, & vnum ac semis cubitum latitudo retinebat*, & hæc quoque erat mensura omnium tabularum. *Bina incastraturæ*, ad modum duorum cardinum; seu denticulorum *erant per singulas tabulas, vt* incastraturis istis basibus suis immissis nequirent tabulæ huc atque illuc moueri, sed *altera alteri iungerentur; sic fecit in omnibus*

tabulis tabernaculi. E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra austrum cum quadraginta basibus argenteis conficientes parietem meridionalem tabernaculi decem cubitorum altitudinis, & triginta cubitorum longitudinis. *Duæ bases sub vna tabula ponebantur ex vtraquè parte angulorum*, ita vt vnaquęque basis medietatem extremitatis tabulæ occuparet, & sic duæ bases totam extremitatem tabulæ sustentabant, *vbi incastraturæ laterum in angulis*, hoc est existentes in angulis laterum, seu prope angulos laterum qui sunt in extremitate tabulæ, *terminantur*. Incastraturæ igitur infixæ basibus, intra ipsas bases terminabantur, *ad plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad Aquilonem fecit viginti tabulas*, efficientes parietẽ eiusdem mensuræ cum pariete meridionali, *cum quadraginta basibus argenteis*, videlicet *duas bases per singulas tabulas contra occidentem vero, idest ad eam partem tabernaculi, quæ mare* mediterraneum, seu terram promissionis *respicit, fecit sex tabulas* iuxta mensuram reliquarum, *& duas alias* eiusdem longitudinis, & non eiusdem latitudinis, quas posuit *per singulos angulos tabernaculi retro* ad implendum ex parte occidentali totam latitudinem tabernaculi, quæ erat decem cubitorum: implebatur autem per istas octo tabulas, *quæ iunctæ erant a deorsum, vsque sursum, &* pro parte superiori, sicut & reliquæ tabulæ tabernaculi, *in vnam compaginem pariter ferebantur*; nam superiores extremitates tabularum vncinis fortissimis compaginabantur. *Ita fecit* & disposuit tabulas plagæ occidentalis *ex vtraque parte* extremitatis ipsarum *per angulos*, qui fieri debebant ex coniunctione huius parietis occidentalis cum meridionali & septentrionali: *vt octo essent simul tabulæ, & haberent bases argenteas sedecim, binas, scilicet bases sub singulis tabulis*, D.
prout præceperat Dominus Moysi. *Fecit & vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi, & quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: & extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare*, vt quasi quinque zonæ vectes istæ cingerent prædicta tria tabulata tabernaculi, & firmiora redderent. *Fecit quoque vectem alium*

alium (de quo hucusque non est facta mentio ad hoc vt collocaretur in latere orientali tabernaculi, *qui per medias tabulas* transeundo totam spissitudinem ipsarum tabularum, *ab angulo*, superiori terminante parietem meridionalem versus orientem *vsque ad angulum*, superiorem terminantem tabulata septentrionalia versus oriẽtẽ *perueniret*, quo tabulata etiam pro parte orientali firmiora persisterent. *Ipsa autem tabulata deaurauit*, laminis aureis, *fusis basibus earum* tabularum, ex quibus tabulata componebantur, *argenteis*. *Et circulos eorum* tabulatorum ad maiorem ipsorum firmitatem, *fecit aureos*, *per quos vectes induci possent*, *quos*, quidem vectes, *& ipsos laminis aureis operuit*, pretiosius enim metallum tam magnifico operi deseruire oportebat: *Fecit & velum de hyacintho & purpura vermiculo*, hoc est cocco bistincto seu carmesino, *ac bysso retorta*, ex filis (inquam) harum quatuor rerum, *opere polymitario, varium atque distinctum*, eiusdem omnino formæ cum cortinis hyacinthinis tabernaculi: *& quatuor columnas de lignis setim*, vt ex eis penderet velum istud diuidens sanctuarium à sancta sanctorum, *quas cum capitibus deaurauit*, sed non eodem modo: nam capita quidem fecit aureas columnas vero laminis aureis cooperuit, *fusis basibus earum argenteis*, pro columnarum sustentatione. *Fecit & tentoriũ in introitu tabernaculi ex hyacintho purpura vermiculo byssoque retorta opere plumarij*, simile per omnia velo altaris hyacinthino, *& columnas quinque cum capitibus suis*, vt ex eis tentorium istud penderet in introitu tabernaculi vbi etiam posuit columnas, *quas operuit auro basesque earum fudit æneas*, nam has solas bases tabernaculi ex ære fieri mandauit Deus, cum non solum internarum columnarum sed etiam singularum tabularum bases argenteas fieri iusserit, ad maiorem tabernaculi firmitatem & decorem.

ANNOTATIONES IN CAP. *XXXVI.*

PRo annotationibus huius capituli, & pleniori intelligentia verborum quæ in eo referam videantur tam paraphrasis, quam annotationes capitis vigesimi sexti huius libri: vbi præcipiens Dominus Moysi, vt faceret tabernaculum, eadem vel similia verba protulit his, quibus Moyses in præsenti capitulo docet opus ipsum tabernaculi fuisse executioni mãdatũ. Exposita vero ex ponere ociosi est non studiosi. Quòd si quæras, quã ob causam vnũ tantum tabernaculum, cui vnicum solũ templum successit, Deus disposuerit esse in lege veteri, cum diuina lex præcipue debeat homines inducere ad diuinum cultum, ad cuius augmentum pertinet fieri multa tabernacula & multa templa, prout contingit in noua lege: Ad hoc dico quod ratio vnitatis tabernaculi & templi fuit ad exclusionem idololatriæ, quia gentiles diuersis dijs diuersa tẽpla condebant, & ideo vt firmaretur in animis Israelitarum fides vnitatis diuinæ voluit Deus, vt in vno loco tantum sibi sacrificium offerretur: & etiam vt per hoc ostenderet quod cultus ille antiquus non propter se erat ei acceptus, sicut cultus nouæ legis: atque adeo ille non erat multiplicandus, benè tamen iste, vt docet D. Tho. 1.2. q. 102. ar. 4.

Vnum tãtum debuit fieri tabernaculum.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXVII.

¶ Formatur arca de lignis setim vestita laminis aureis intus & foris vna cum annulis & vectibus suis & præterea propitiatorium ex auro puro, mensa de lignis setim etiam auro cooperta cum vasis ad vsus mensæ necessarijs, Candelabrum aureum cum septem lucernis desuper positis, altare Thymiamatis quadratum ac de lignis setim opertis auro compactum ipsumque Thymiama coram Domino incendendum: quæ omnia Beseleel iuxta præceptum Domini ingeniose peregit.

PARAPHRASIS IN CAPVT. XXXVII.

A. FECIT *Autem Beseleel*, *&* ea quæ consistere debebant in tabernaculo videlicet, *arcam de lignis setim*, in qua reponendæ erant tabulæ legis *habentem duos semis cubitos in longitudine & cubitum ac semissem in latitudine. Altitudo quoque vnius cubiti fuit & dimidij*, iuxta mensuram cubiti vulgaris habentis sex palmas manus seu viginti quatuor digitos, *vestiuitque eã auro purissimo intus ac foris*, ad maiorem diuinæ gloriæ & maiestatis repræsentationem. *Et fecit illi coronam auream per gyrum*, pro excellenti arcæ ornamento, *conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos eius*, vt per ipsos arca portaretur, *duos annulos in latere vno, & duos in altero*, posuit: ita vt inter annulos vnius lateris, & alterius mediaret latitudo arcæ. *Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestiuit auro*, tum ad maiorem pulchritudinem tum ad maiorem firmitatem, *& quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam*, à sacerdotibus quoties demigrandum esset. *Fecit & propitiatorium idest oraculum de auro mundissimo*, quasi opertorium seu velamen ipsius arcæ, *duorum cubitorum & dimidij in longitudine & cubiti ac semis in latitudine*, ad mensuram longitudinis & latitudinis thecæ. *Duos etiam cherubim ex auro ductili, quos posuit ex vtraque parte propitiatorij*, flectentes genua super arcam & sustentantes manibus suis ipsum propitiatorium. *Cherub vnum in summitate vnius partis*, tam arcæ

B. quam propitiatorij, *& Cherub alterum in summitate partis alterius*, constituit, ita vt inter vnum Cherub & alterum mediaret tota longitudo propitiatorij. *Duos cherubim in singulis summitatibus propitiatorij* posuit, *extendentes alas*, versus partem anteriorem ipsorum, *& tegentes propitiatorium*, non secundum eius partem superiorem, sed secundum latera propitiatorij, *seque mutuo & illud respicientes*, erant: nam propitiatorium medium existebat inter ipsos cherubim: vnde simul se ipsos & propitiatorium quasi respiciebant. *Fecit & mensam de lignis setim*, vt super eam ponerentur panes propositionis in tabernaculo: cuius mensura erat, *in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine vnius cubiti, quæ habebat in altitudine*, pedum sustentantium ipsam mensam, *cubitum ac semissem: circumdeditque eam auro mundissimo*, operiendo tabulam & pedes laminis aureis, *& fecit illi labium aureum per gyrum*, ad maius mensæ robur, *ipsique labio*, applicuit *coronam auream interrasilem* quæ sculpturas habebat aliquas, spatia vero inter media plana, & erat altitudinis, *quatuor digitorum*, ad impediendum ne aliquid de mensa elaberetur, *& super eandem alteram coronam auream* posuit ad maiorem mensæ ornatum. *Fudit & quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensæ contra coronam*, seu versus coronam: nam posuit eos in parte pedum, quæ erat immediate subter coronam interrasilem: *misitque in eos vectes, vt possit mensa portari*, quando migrare deberet populus de vno loco in alium. *Ipsos quoque vectes fecit de lignis setim & circumdedit eos auro. Et fecit* præterea *vasa ad diuersos vsus mensæ ac*

C. *tabula phialas & cyathos & thuribula ex auro puro in quibus offerenda sunt libamina*, tam panis quam thuris: hæc namque erant sacrificia, quæ in ea mensa offerri debebant. *Fecit & candelabrum ductile*, hoc est vi mallei eductum, *de auro mundissimo. De cuius vecte*, seu hastili vel stipite, *calami sex scyphi*, viginti duo, *sphærulæque* totidem, *ac lilia* eiusdem numeri, *procedebant*: *sex* calami erant *in vtroque latere: tres calami ex parte vna, & tres ex altera*, secundum debitam proportionem à se inuicem distantes erant. *Tres scyphi in nucis amygdalinæ modum per calamos singulos* fuerunt dispositi, *sphærulæque simul, & lilia* exornabant ipsos scyphos: *& tres scyphi instar nucis in calamo altero sphærulæque simul & lilia*; ita vt tam calami vnius partis, quam alterius eisdem scyphis sphærulis ac lilijs constarent. *Aequum erat opus sex calamorum qui procedebant de stipite candelabri*, in eandem altitudinem omnes sex calami simul cum ipso stipite erigebantur, & summa æqualitate terminabantur in parte superiori. *In ipso autem vecte*, seu stipite candelabri, *erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos*, scyphos erant distributæ taliter, quod vnus scyphus cum suo lilio & sphærula erat in suprema parte stipitis prope locũ, vbi ponenda erat lucerna: alij vero tres scyphi, *simul & lilia: & sphærulæ* posita sunt

sub

Digitized by Google

sub duobus, seu binis, *calamis per loca tria*, nam ex vnoquoque scypho exornato cum suo lilio & spherula egrediuntur duo calami alter hinc & alter inde, propter *quæ simul sex fiunt calami procedentes de vecte vno*, non quod de ijsdem locis stipitis, *& spherula igitur & calami*, & per consequens scyphi & lilia, *ex ipso*, trunco candelabri non vero aliũde affixa *erant*, *vniuersa ductilia ex auro puri*
D. *ßimo. Fecit & lucernas septem*, ponendas in summitatibus stipitis & calamorũ candelabri, *cum emunctorijs suis & vasa, vbi ea, quæ emuncta sunt extinguantur*, ne fœtor lychnorum minuat reuerentiam & maiestatem loci sacri ob cuius etiam excellentiam omnia isthæc instrumenta facta sunt, *de auro mundissimo. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis*, scilicet centum & viginti libras auri. *Fecit & altare Thymiamatis*, ponendum coram arca testimonij, *de lignis setim per quadrum singulos habens cubitos & in altitudine duos se cuius angulis procedebant*, quidam radij quasi *cornua* ad ornatum & decorem ipsius altaris. *Vestiuitque illud auro purissimo cum craticula*, lignea existente in superiori parte altaris, *ac parietibus & cornibus*: omnia nãq; laminis aureis cooperuit. *Fecitque ei coronam aureolam per gyrum*, quasi limbum, cingens ipsum altare, *& duas annulos aureos sub corona per singula latera vt mittãtur in eos vectes & possit altare portari*, quoties migrandum indicauerit Dominus.† *Ipsos autem vectes fecit de lignis setim & operuit laminis aureis & cõposuit oleum ad sanctificationis vnguentum*, quo liniri debebant tum sacerdotes, tum etiam tabernaculum & omnia vasa eius, *& thymiama de aromatibus mundissimis opere pigmentarij*, seu apothecarij, ad adolendum in altare incensi mane & vespere à sacerdote.

† 3 c. dis. 5. ecce in primo.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXVII.

AMpliorem huius capituli intelligentiã, & quæ circa sensum illius adnotanda sese offerunt, require superius in capitibus vigesimo quinto & trigesimo: vbi eadem, quæ hic circa arcam propitiatorium, mensam, candelabrũ, & altare thymiamatis refert Moyses fuisse opere completa, in locis allegatis præcipiuntur fieri: seruata vtrobique identitate non solum sententiarum, verum etiam verborum ad maiorẽ commendationem solicitæ obedientiæ.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXVIII.

¶ *Formantur ea, quæ consistere debebãt extra tabernaculũ videlicet altare holocausti de lignis setim opertis laminis æneis, & etiam vasa ad ministerium eiusmodi altaris necessaria labrum etiam æneũ cum basi sua & atrium cum cortinis & columnis a Domino designatis. Ad qua opera contulit populus viginti nouem talenta & septingẽtos & triginta siclos auri & præterea dedit plurimum argenti & æris.*

PARAPHRASIS IN CAPVT. XXXVIII.

A. † 2. Para. 1. b. 5

FECIT Præterea Beseleel, † *& altare holocausti de lignis setim*, ponendum extra tabernaculum in atrio, mensura autem eius erat *quinque cubitorum per quadrum & trium in altitudine cuius* radij quidam quasi *cornua de angulis procedebãt* ad maiorẽ altaris pulchritudinẽ & ornatũ *operuitq; illud laminis æneis, Et in vsus eius* nẽpe ad parandũ ignem & cremandum seu coquendũ carnes sacrificiorũ, *parauit ex ære vasa diuersa lebetes, forcipes, fuscinulas, vncinos, & ignium receptacula*, & siquæ alia ministerio altaris erant necessaria. *Craticulamque eius*, que circum cingere debebat faciem externam altaris *in modum retis fecit æneam &* fecit illã non taliter quod pertingeret vsq; ad arulã seu locum, in quo accẽdendus erat

ignis qui locus quia altare repleri debebat terra erat supremus altari, sed fecit. *Subter eā in altari medio aralam*, nempe subteratulam fecit eam craticulam in altaris medio ita vt nō pertingeret, nisi vsque ad medium altaris ambiendo totum illius circuitum, *fusis quatuor æneis annulis per totidem retiaculi summitates*, ipsos autem annulos cōuenienti ratione posuit in medio altitudinis altaris, vbi erant summitates craticulæ: quia deseruire debebat eiusmodi annuli, *ad immittendos vectes ad portandum*: quos quidē vectes, *& ipsos fecit de lignis setim, & operuit laminis æneis,* † *induxitq; in circulos qui in lateribus altaris eminebant*, affixæ summitatibus craticulæ. *Ipsum autē altare*, quod Beseleel fecit, *non erat solidum sed cauum ex tabulis & intus vacuum* vt lateribus seu lapidibus impositis vel terra repleri posset quoties in eo sacrificādum esset. *Fecit & labrum æneū cū basi sua* de ære præ alijs nitido & polito nempe *de speculis æneis mulierum* quæ erant magis piæ & deuotæ in populo quales postea post facto tabernaculo iudicabātur mulieres illæ, *quæ excubabant in ostio, seu atrio tabernaculi* : deuotæ enim mulieres soli Deo placere studentes & vanitatē seculi à se repellētes specula sua quæ tunc tēporis erant ænea prout modo fieri solēt ex chalybe in ministeriū Domini obtulerunt. † *Fecit & atrium* circū cingēs tabernaculum, *in cuius australi plaga erant tentoria de bysso retorta cubitorum centū* secundum longitudinem & cubitorū quinque secundum altitudinem. *Columnæ æneæ viginti cum basibus suis*, etiam æneis. *Capita columnarū & tota operis cælatura argentea*, ex quibus omnibus paries meridionalis atrij componebatur. *Æque ad septemtrionalē plagam tentoria, columnæ, basesque & capita columnarum eiusdem mensuræ & operis, ac metalli erāt*, cuius existebant tentoria columnæ, basesque, & capita columnarum plagæ meridionalis. *In ea vero plaga, quæ ad occidentē respicit* & est in dorso tabernaculi, *fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta*, quæ erat mensura latitudinis atrij: item *columnæ decem cū basibus suis æneæ, & capita columnarum & tota operis cælatura argentea*, quibus efficiebatur paries occidentalis atrij. *Porro cōtra orientem, quinquaginta cubitorum parauit tentoria*, partim byssina, partim hyacinthina: *è quibus quindecim cubitos columnarū trium cum basibus suis vnum tenebat latus, & in parte altera* (*quia inter vtraque introitū tabernaculi fecit*) *quindecim æque cubitorū erāt tentoria columnæ* *que tres & bases totidē* & tentoria horū duorū laterū erant byssina sicut & tētoria aliorū parietum atrij interque remansit spatiū viginti cubitorum ingressu atrij seruiturū. *Cuncta atrij tentoria*, hucusque cōmemorata *byssus retorta texuerat. Bases colūnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis suis argentea: sed & ipsas colūnas atrij vestiuit argento*, affigendo illis laminas quasdam argenteas, *& in introitu eius* loco portarū, *opere plumario* seu phrygionico, *fecit tentorium ex hyacintho purpura vermiculo ac bysso retorta*, simile tentorio quod erat in ostio tabernaculi. *quod habebat viginti cubitos in longitudine*, nam viginti cubitorū erat spatium dimissum ad ingrediendū in parte orientali atrij, *altitudo vero quinque cubitorū erat iuxta mensurā quā cuncta atrij tētoria habebant*, vnde duplo altius erat in tabernaculū quā tentoria atrij. *Colūnæ autē in ingressu fuere quatuor cū basibus æneis capitaque earū & cælaturæ argenteæ*, pro vt factū fuit in alijs colūnis atrij, *paxillos quoq;*, ad affigendū cortinas & tētoria, *tabernaculi & atrij per gyrū fecit æneos*, pro maiori fortitudine & decore. *Hæc sunt instrumenta*, seu munera oblata a filijs Israel vt essent instrumenta, vel quoquomodo deseruirent ad opus, *tabernaculi testimonij quæ* munera registrata, & *enumerata sunt iuxta præceptū Moysi in cærimonijs*, hoc est medianti-bus ministerijs & diligentia, *leuitarū per manū*, & industriā præsidentis illorum, videlicet, *Ithamar filij Aaron sacerdotis: quæ*, omnia à filijs Israel oblata *Beseleel filius Huri filij Hur de tribu Iuda Domino per Moysen iubēte cōpleuerat*, tribēs omnibus istis rebus formā & cōplementū artificiale quod in ordine ad ministeriū tabernaculi poterāt habere, *iuncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan: qui & ipse artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius*, per texturas diuersas efficiens figuras, *atque plumarius*, hoc est, easdem acu vel pluma conficiē dignatus, *ex hyacintho, purpura, vermiculo, & bysso*. Hęc igitur est supputatio auri & argenti & æris quod in ministerium tabernaculi consumpta sunt. *Omne aurum, quod expensum est in opere sanctuarij, & quod oblatum est in donarijs, viginti nouem talentorum fuit*, quorum vnum quodque talentum tria millia siclorum cōtinebat, *& septingentorum triginta siclorum* auri pondus adfuit præter prædicta talenta *ad mensurā sanctuarij*: vbi modo conseruatur vera & legitima

Marginalia: I. — † Supr. 27. b. 8. — B. — † 36. dis. §. ecce in fine. — C. — D.

gitima huius ponderis mensura, iuxta quã si cius appẽdit viginti obolos, & obolus tãtũ quãtũ sedecim grana hordeacea. *Oblatũ est antẽ* prædictũ aurũ vltroneè ac voluntarie, *ab his, qui transierunt ad numerũ à viginti annis & supra* recensitis à Moyse ante inceptum opus tabernaculi, post cædem idololatrarum, videlicet *de sexcentis tribus millibus & quingentis quinquaginta armatorum*, seu ad bella aptorum, qui reperti sunt in vniuerso populo Israel. *Fuerunt præterea* collata ab istis, qui transierunt ad numerum in medijs siclis argẽti, quos soluere tenebantur ratione suæ numerationis, *centum talenta argenti* & mille septingenti & septuaginta quinque sicli. Nam cum vnusquisq; qui transire debebat ad nomen teneretur soluere dimidium siclum argenti, & tres mille sicli faciãt vnum talentum, consequens est, sexcentos tres mille & quingentos quinquaginta viros obtulisse centum talenta & mille septingentos & septuaginta quinque siclos argenti, *è quibus conflatæ sunt* non aginta sex *bases sanctuarij, &* bases quoque quattuorcolumnarum *antroitus, vbi velum pendet*, velũ inquam diuidens sancta sanctorũ à sanctuario. *Centũ bases factæ sunt de talentis centũ, singulis talentis per bases singulas supputatis. De mille autem septingentis & septuaginta quinque* siclis, etiã cũ plurimis argenti talentis, quę voluntarie & prompto animo obtulerunt filij Israel *fecit capita columnarum* sexaginta quæ erant in atrio, *quas & ipsas vestiuit argento* a affixis laminis aureis, *æris quoq; oblata sunt talẽta septuaginta duo millia & quadringenti supra siclis*, in victoria namque parta ex Amalecitis plurimum æris adquirere potuerunt filij Israel, vnde tot talenta offerre valerent ad opus tabernaculi, *ex quibus talẽtis æris fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonij* sustentãtes quinq; columnas, quę ibi adstant, *& altare æneum cũ craticula sua, omniaque vasa, quæ ad vsum eius*, altaris & sacrificiorum ibi offerendorum *pertinẽt & bases atrij tam in circuitu quàm in ingressu eius, & paxilli tabernaculi, atque atrij per gyrũ*. Hec inquam fusa sunt ex illo ære. Et pręterea nõ opere fusorio sed vi mallei, factæ sunt ex eodem ære laminæ æneæ: ex quibus construxit Beseleel columnas atrij. II.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXVIII.

Circa opera altaris holocausti, & atrij, quæ hic dicuntur facta, videatur caput vigesimum septimum huius libri, & ibi annotata. Et pro labio æneo, de quo etiam im præsenti fit mentio, videatur cap. trigesimum vbi præcipitur fieri.

I. *Mulieres deuotæ dicuntur excubare in ostio tabernaculi.*

IN Ostio tabernaculi.] Hebraismus est nec enim tunc temporis erat tabernaculum, in cuius ostio excubare possent mulieres: nam tabernaculum fœderis quod Moyses tetẽdit extra castra Exod. cap. 33. non erat dedicatum ad cultũ diuinũ, sed ad hoc vt in eo Dñs cũ Moyse loqueretur. Quia ergo constructo tabernaculo fœminæ piæ & deuotę vigilias agebant è regione ostij tabernaculi scilicet prope ingressum atrij, de quibus scriptũ est primo reg. 2. Filij Heli dormiebant cũ mulieribus, quæ obseruabãt ad ostiũ tabernaculi. Et de Anna prophetissa dicitur Luc. 2. Non discedebat de tẽplo ieiunijs & obsecrationibus seruiẽs nocte ac die. Ideo ad significandũ, quod mulieres deuotæ dederut specula sua, ex quibus factũ est labrum, dixit per locutionẽ hebraicã. Illud fuisse cõfectũ ex speculis mulierũ, quæ excubabant in ostio tabernaculi.

II. *Colũnæ atrij an fuerint vestitæ argento.*

ET ipsas vestiuit argento.] Nicolaus de Lyra & alij plusquã par est adhærentes literæ Hebraicæ, plane negant columnas atrij fuisse vestitas argento, imo & capitella dicũt non fuisse argentea, sed duntaxat linita vel operta argento: vncinos tamẽ columnarũ, e quibus pẽdebant tentoria atrij, dicũt fuisse argenteos. Et hac ratione existimat se posse euadere difficultatẽ, quę ex præsenti loco nasci videbatur, videlicet qualiter ex tã parua quãtitate argẽti, quanta est põdus mille septingentorũ & septuaginta quinq; siclorũ argenti, potuit fieri totũ opus argenteũ atrij. Cæterũ sententia istorũ nullatenus est sustinẽda, vt pote aperte contraria nõ solũ præsenti capitulo asserenti ex argẽto fuisse facta capita columnarũ & ipsas colũnas fuisse vestitas argento, sed & verbis capitis vigesimi septimi, vbi dicitur: Omnes colũnæ atrij per circuitũ vestitæ erũt argenteis laminis, capitibus argẽteis. Nec inconuenit quod pro toto isto opere nõ designẽtur in præsenti nisi mille septingenti & septuaginta quinq; sicli argenti: hic enim nõ commemoratur nisi argẽtum oblatũ ob numerationẽ populi, cuius fere tota quãtitas fuit consumpta in basibus tabernaculi, remanentibus his dũtaxat siclis ex quibus vna cum argento vltronee, & non ob numerationem populi oblato: de quo iam in superioribus nempe in cap. 35. facta erat mentio fieri potuerunt magnifica opera argenti in atrio.

ARGVMENTVM N CAP. XXXIX.

¶ Cõfecit Beseleel ornamẽta põtificalia, videlicet superhumerale, cui superposuit rationale, tunicã hyacinthinã, in cuius extremitate posuit

malogranata hyacinthina, & tintinnabula aurea, construxit etiam tunicam strictam, byssinam, & balteum hyacinthinum, quo reliqua vestimenta præcingi deberent, Cydarim quoque, seu mitram pōtificalem cui leganda erat lamina aurea: Quibus omnibus vna cū ornamentis reliquorum sacerdotum peractis Moyses benedictionem largitus est populo.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXIX.

A. DE HYACINTHO VEro & purpura vermiculo, seu carmesino ac bysso fecit Beseleel, † vestes quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in sanctis nempe in sancta sanctorum vel in sanctuario, sicut præcepit Dominus Moysi. Fecit igitur superhumerale de auro hyacintho & purpura coccoque bistincto & bysso retorta opere polymitario, quo variæ figuræ & diuersi colores texendo efficiuntur. Inciditque bracteas, seu laminas quasdam tenuissimas, aureas & extenuauit in fila, vt hac ratione fila auri possent torqueri, & contexi cum priorum colorum subtegmine, videlicet cum hyacintho, & purpura & alijs, duasque oras tam anteriores quam posteriores superhumeralis fecit, sibi inuicem copulatas in vtroque latere summitatum: ita vt oræ partis anterioris superhumeralis copularentur oris partis posterioris sibi correspondentibus & balteum ex eisdem coloribus, ex quibus erat superhumerale construxit. sicut præceperat Dominus Moysi, vt eo ipsum super humerale & reliqua pontificis ornamenta cingerentur.

† Supr. 28. a. 6.

B. Parauit & duos lapides onychinos, seu cornerinos, astrictos, & inclusos auro, & sculptos arte gemmaria nominibus filiorum Israel: ita vt vnus lapis haberet insculpta nomina sex filiorum Iacob, & alius haberet nomina aliorum sex. Posuitque eos in lateribus superhumeralis, erga humeros pontificis, vt essent lapides illi in monimentum & memoriale, quo recordaretur pontifex, filiorum Israel, tam patriarcharum quorum fidem imitari specialiter teneretur, quam descendentium ab illis, pro quibus ingressurus in sancta orare deberet, sicut præceperat Dominus Moysi existenti in monte Horeb. Fecit & rationale, seu pectorale, opere polymito iuxta opus superhumeralis ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, fecitque illud quadrangulum, æquilaterum & duplex, ex duabus telis constans ad maiorem illius fortitudinem, ac mensura palmi, tam secundum longitudinem quam secundū latitudinem. Et posuit in eo gemmarum ordines quattuor. In primo versu seu ordine lapidum, erat sardius, topazius, smaragdus. In secundo carbunculus, saphyrus, & iaspis: In tertio ligurius, achates, & amethystus. In quarto chrysolitus, onychynus, & berillus circundati & inclusi auro per ordines suos, ad eum modum, quo similes lapides solent includi in annulis. Ipsique lapides duodecim sculpti erant nominibus duodecim tribuū Israel singuli, videlicet lapides distributi erant & distincti, per nomina singulorum patriarcharum. C. Fecerunt præterea Beseleel & reliqui artifices, in rationali & catenulas duas, habentes suas extremitates, sibi inuicem cohærentes de auro purissimo & duos vncinos totidemque annulos aureos. Porro annulos posuerunt in vtroque latere, quod erat in superiori parte rationalis è quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt vncinis, qui in superhumeralis angulis, prope situm lapidum onychinorum scilicet versus humeros pontificis eminebant, Hæc, nempe super humerale & rationale, & ante respectu superhumeralis, & retro respectu rationalis, ita conueniebant sibi, ac taliter dorsum rationalis adhærebat faciei superhumeralis, vt superhumerale & rationale mutuo necterentur, præsertim quod vtraque ornamenta erant stricta ad balteum, seu ad locum superhumeralis quem cingit balteus, & annulis existentibus in inferioribus oris rationalis & superhumeralis fortius copulata, quos iūgebat vitta hyacinthina, ne laxa ornamenta ista huc atq; illuc fluerēt & à se inuicem mouerentur, sicut præce- D.

præcepit Dominus Moysi. Feceruntque etiam tunicam, quæ proxima est vestimento, *superhumeralis totam hyacinthinam* cærulei coloris, *& capitiū* seu foramen, per quod intret caput sacerdotis, quando illam induit, existens *in superiori parte contra medium: oramque per gyrum capitij textilem* quasi limbum à textoribus confectum, ne facile ora illa rumpatur: *deorsum autem ad pedes* huius tunicæ apposuerunt *mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo ac bysso retorta: & tintinnabula de auro purissimo, quæ* tintinnabula aurea, *posuerūt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum, tintinnabulum autem aureū & malū punicum*, alternatiuè & vicissim se habebant, *quibus ornatus incedebat pontifex quando ministerio fungebatur sicut præceperat Dominus Moysi. Fecerunt & tunicas byssinas*, non acu consutas sed *opere textili Aaron & filijs eius*, qui futuri erant sacerdotes, *& mitras cum coronulis suis ex bysso*, penes quas distinguebatur mitra pontificis à mitris inferiorum sacerdotum. Fecerunt etiam *fæminalia quoque linea byssina, cingulum vero* pontificale fecerunt *de bysso retorta, hyacintho purpura ac vermiculo bis tincto arte plumaria*: quæ acu vel texendo varia docet depingere: *sicut præceperat Dñs Moysi, Fecerunt & laminā sacræ venerationis de auro purissimo, scripserūtq; in ea opere gēmario*, seu sculptoris hæc duo verba, *Sanctū Dñi*. Quibus significabatur sanctitatē Deo proprie conuenire, vt pote sibi essentialiter propriam & innatā: *& strinxerunt eam* laminam auream *cum mitra vitta hyacinthina sicut præceperat Dominus Moysi. Perfectum est igitur omne opus tabernaculi*, & quod idem est *tecti testimonij*. vbi Deus præbere intendebat testimoniū suæ voluntatis per oracula ibi edenda. *Feceruntque filij Israel cuncta quæ præceperat Dominus Moysi. Et obtulerunt* operas suas & quidquid offerre poterant in ordine ad *tabernaculū & tectum & vniuersam supellectilē* ipsius tabernaculi: obtulerunt nāq; *annulos, tabulas, vectes, columnas, ac bases, opertoriū de pellibus arietū rubricatis, & aliud operimentū de ianthinis pellibus, velū, arcā, vectes, propitiatorium, mensam, cū vasis suis, & propositionis panibus, candelabrum, lucernas, & vtensilia earum cum oleo, altare aureum, & vnguentum, & thymiama ex aromatibus, & tentorium in introitu tabernaculi, altare æneum, retiaculum, vectes, & vasa eius omnia, labrum cum basi sua, tentoria atrij, & columnas cum basibus suis: tentorium in introitu atrij, funiculosque illius, & paxillos. Nihil ex vasis defuit*, sed Israelitæ quamuis alias valde rebelles & duræ ceruicis cuncta perfecerunt *quæ in ministerium tabernaculi, & in tectum fœderis iussa sunt fieri: Vestes quoq; quibus sacerdotes vtuntur in sanctuario, Aaron scilicet & filij eius obtulerunt filij Israel* non solū materiā dantes prędictarū rerū, sed etiā earū facturas & artificia, *sicut præceperat Dñs. Quæ postquā Moyses cuncta vidit completa benedixit eis* laudās eos, ac bonorum abundantiam illis affectans.

E.

F.

G.

ANNOTATIONES IN CAP. *XXXIX.*

De vestimentis tam pontificis, quam sacerdotum inferiorum satis superque dictū est in capite vigesimo octauo huius libri: vbi Dominus præcipit Moysi qualiter illa fieri deberent. Vnde quando hoc loco infert Moyses eiusmodi vestimenta fuisse cōfecta, nihil annotatione dignum superaddendum restat, nisi dūtaxat lectorē in prædictum cap. 28. remittere. Quod si queras ob quā causam Moyses à cap. 30. tam sigillatim explicuit vniuersa, quæ à Beseleel Oliab, cæterisq; artificibus fuerūt effecta, vsus repetitione earum rerum, quæ in præcedentibus dixerat Deum iussisse fieri. Ad quod breuiter dico ad Moysen fecisse ad maiorē reuerentiam rerum sacrarum, vt populus audiens distincte & in particulari res illas, quibus Deus colebatur, non solum fuisse diuinitus institutas, sed etiam miraculose constructas & compositas, maiori eas reuerentia prosequeretur.

ARGVMENTVM IN CAP. *XL.*

¶ Ad præceptum Domini erigitur tabernaculum in principio sequentis anni ex quo filij Israel egreßi sunt de Aegypto, parāturque tentoria atrij & altare holocausti, ac labrum æneū: quæ postquā perfecta sunt adeo Domino placuerūt, vt gloria eius tabernaculū operiret nube desuper existēte & maiestate Domini coruscāte, ita vt ex

eo loco nubes in posterũ demonstraret, quando populus migrare, & quando quiescere deberet.

PARAPHRASIS IN CAPVT. XL.

A. LOCVTVSQVE *Est Dominus ad Moysen*, post tabernaculi ac vasorum eius constructionem *dicens. Mense primo*, anni sequentis, qui secundus erit ex quo ex Aegypto egressi fuistis, *die prima mensis eriges tabernaculum testimonij*, in medio castrorum filiorum Israel, *& pones in eo arcam* cũ propitiatorio, *dimittesque ante illã velũm* diuidens sancta sanctorum à sanctuario, *& illata mensa*, in parte tabernaculi, quæ erit extra velum, *pones super eam quæ rite præcepta sunt*, nempe panes propositionis, & thus, & vasa conuenientia. *Candelabrum stabit cum lucernis suis*, è regione mensæ, *& altare aureum, in quo adolebitur incensum*, erit in eadem tabernaculi portione in qua esse debet candelabrum *coram arca testimonij*, ita vt inter arcam & altare mediet velum. *Tentoriũ in introitu tabernaculi* testimonij *pones*, pendens ante quinque columnas, *& ante illud*, constitues, *altare holocausti, labrum inter altare & tabernaculum*, quod labrum eo loco positum *implebis aqua. Circundabisque atrium tentorij & ingressum eius*, sicut præceptum est tibi, *& assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis* tam intra, quàm extra tabernaculum existentibus, *vt sanctificetur altare holocausti, & omnia vasa eius labrum cum basi sua omnia vnctionis oleo consecrabis, vt* singula eorum in suo genere *sint sancta sanctorum*, hoc est sanctissima, vt pote diuino cultui applicata, & hominum sanctificatiua. *Applicabisque Aaron & filios eius ad fores*, seu introitum, *tabernaculi testimonij, & lotos aqua* in signum munditiæ spiritualis qua oportet eos vigere, *indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi: & vnctio eorum*, quam illis præstare debes, *in sacerdotium sempiternum proficiet*, nullatenus ab illis auferendum durante republica vestra. *Fecitque Moyses omnia quæ præceperat Dominus. Igitur mense primo anni secundi* subsecuti ad illum annũ, cuius quinta decima die primi mensis egressi sunt filij Israel ex Aegypto, in *prima die mensis collocatum est tabernaculum*, scilicet tentorium preciosum hyacinthinum. † *Erexitque Moyses illud & posuit tabulas*, deauratas quadraginta & octo; *ac bases & vectes, statuitque columnas* tã eas, quæ intra tabernaculum quàm quæ in introitu tabernaculi esse debebãt: *& expandit tectum* ex sagis cilicinis confectum *super tabernaculum imposito desuper operimento* duplici, altero de pellibus arietum rubricatis, & altero de pellibus ianthinis, *sicut Dominus imperauerat. Posuit & testimonium* seu tabulas lapideas legis *in arca subditis infra vectibus & oraculum desuper*, sustentatum à cherubinis. *Cumque intulisset arcam in tabernaculum* testimonij *appendit ante eam velum* hyacinthinum diuidens sanctuarium à sancta sanctorum, *vt expleret Domini iussionem: posuit & mensam in tabernaculo testimonij ad plagam septentrionalem extra velum ordinatis corãm propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moysi. Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonij* extra velum *è regione mensæ in parte australi locatis per ordinem lucernis iuxta præceptum Domini.* C. *Posuit & altare aureum sub tecto testimonij*, in parte illa, quæ candelabrum & mensa retinet, *contra velum*, seu è regione veli, quod pendet ante arcam, ita vt altare medium locum teneret inter mensam & candelabrum, *& adoleuit super eo incensum aromatum sicut iusserat Dominus Moysi. Posuit & tentorium*, ante quinque columnas *in introitu tabernaculi testimonij, & altare holocausti in vestibulo*, hoc est coram ostio tabernaculi *testimonij offerens in eo holocaustum & sacrificia, vt Dominus imperauerat. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonij & altare implens illud aqua, lauerunt que in eo* assumendo aquam, quæ de ipso fluebat, *Moyses & Aaron ac filij eius manus suas ac pedes, cum ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare sicut præceperat Dominus Moysi. Erexit & atrium per gyrum tabernaculi & altaris ducto in introitu eius tentorio* taliter distante ab altari holocaustorum, vt non posset lædi ab igne altaris. *Postquã omnia perfecta sunt* ecce diuinę pręsentię signũ & promissio illi populo facta iam executioni mandata, nã

I.

B.

D.

† Num. 7. 4. 7.

† *operuit*

† Num. 9. c. 15. 3. Reg. 8. b 10. 11. † *operuit nubes*, illa quæ à transitu maris rubri dirigebat castra, per desertum, ac protexit *tabernaculum testimonij*, exterius illud tegens, *& gloria Domini*, 2 nempe splendida quædam lux intus *impleuit illud* vniuersum tabernaculum. *Nec poterat Moyses* pro illa vice *ingredi tectum fœderis*, magnæ quidem temeritatis fuisset attentare ingressum loci tam manifestè occupati à diuina præsentia, *nube operiente omnia*, *& maiestate Domini coruscante*, inuisibili illo eximiæ lucis signo, maximè, *quia cuncta nubes operuerat*. Cæterum postea iam ingrediebatur Moyses tabernaculum, quoties oportebat, nam cessauit splendor ille cœlestis claritatis, & perseuerauit diuina præsentia in vno dumtaxat signo, videlicet in nube supra tabernaculum, per quam Deus exhibuit se pijssimum populi ducem, vsq; quo ingrederentur terram promissionis. *Si quando nubes tabernaculum deserebat*, tendens in alium locum ab angelo mota, tunc temporis, *proficiscebantur filij Israel per turmas suas*. *Si* tamen nubes non eleuabatur, sed fixa manens *pendebat desuper* tabernaculum testimonij, atque in aëre consistebat, *manebant in eodem loco*. *Nubes quippe Domini incubabat, per diem tabernaculo, & ignis in nocte*: nam Deus exhibebat se præsentem tabernaculo die quidem in forma nubis, nocte autem in forma ignis, *videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas*, seu in omnibus profectionibus suis, quousque venerunt ad terram promissionis.

ANNOTATIONES IN CAP. VLTI.

EXACTVS huius capitis intellectus pendet omnino ex dictis in capitibus superioribus, vbi ea, quæ hic præcipiuntur erigi, & debito ordine collocari, referuntur, qualiter fieri deberet, imo, & qualiter peracta extiterint. Vnde videnda sunt, quæ circa superiora capita annotauimus, ne sæpius eadem repetere cogamur.

I. *An altare incensi extiterit intra Sācta sanctorum.* SVB TECTO testimonij.] De situ in quo altare thymiamatis fuerit collocatū, an videlicet infra, vel extra velum diuidens Sanctuarium à Sancta sanctorum, non modica controuersia est. Magni enim auctores censent intra Sancta sanctorum extitisse, vt Origenes Homil 9. in Leuit. Augustin. quæst. vltima, super Exodum, & quidam, quos sine nomine refert Theophylatus in cap. 9. ad Hebræ. & alij. Quorum sententia probatur primò, nam Exod. 30. dicitur de hoc altari. Et deprecabitur Aaron, super cornua eius semel, per annum in sanguine, sed locus, in quem non licebat pontifici ingredi, nisi semel in anno, erat dumtaxat Sancta sanctorum, vt patet Leuit. 16. & ad Hebræ. 9. ergo in illo loco erat altare aureum, aliàs pluries potuisset Aaron accedere ad illud in sanguine sacrificiorum. *Pars affirmatiua pluribus rationibus ostenditur.* Secundo, nam 3. Reg. 6. dicitur de Salomone. Sed & altare oraculi texit auro, sed non apparet ratio cur altare istud magis dicatur altare oraculi, quam mensa, vel candelabrum dicantur mensa oraculi, vel candelabrum oraculi, nisi quia illud erat in oraculo, ista autem non, ergo dicendum est altare aureū, fuisse intra velum. Tertiò, quia ad reuerentiam prioris partis tabernaculi, quæ erat extra velū, apponebantur super panes propositionis odoramenta thuris lucidissimi, vt præcipitur Leuiti. 24. ergo in parte interiori, quæ longe sanctior erat, sua quoque odoramenta apponi debuerunt, hæc autem, non nisi thymiamata, quæ in ara aurea incendebātur esse poterant, ergo eiusmodi ara esse debuit intra velum. Postremo accedit, quod Apostolus Paulus affirmat Hebræ. 9. in Sancta Sanctorum, fuisse thuribulum aureum, per quod Abulens. quæstio. 16. in cap. 6. lib. 3. Reg. & in cap. 25. Exod. quæst. 6. probat omnino esse intelligendum altare thymiamatis, quod erat aureum.

Pars negatiua verior est. His tamen, non obstantibus opposita sententia, vero similiter reputatur à nobis, quam tuetur, & defendit sanctissimus noster Beda venerabilis in lib. de Templo cap. 12. S. Thom. 1. 2. quæst. 102. art 4. ad 6. Petrus Comestor in historia libri Exodi cap. 67. Lyranus, Caietanus, & Lypomanus, super Exod. 30 plurimisque rationibus eam confirmat Abulens. Exod. 30. q. 6. & 3. Reg 6. quæst. 16. Quæ proculdubio ex vno atque altero huius capitis loco, non obscurè colligitur. Dicitur enim statim à principio: candelabrum stabit, cum lucernis suis, & altare aureum, in quo adoletur incensum, coram arca testimonij, vbi apertè insinuat candelabrum, & altare in eadem tabernaculi diuisione esse collocanda. Deinde etiam, circa medium capitis enarratis his, quæ intra velum sunt constituta, transiens Moyses ad ea, quæ extra velum fuerunt posita, primò meminit mensæ, postea candelabri, & tandem altaris, vnde, vel altare erat extra velum, vel inuerso ordine procecit Moyses. Præterea, ad Sancta Sanctorum, non nisi semel in anno licebat ingredi, vt dicitur Hebræ. 9. sed ad altare thymiamatis bis in die, manè videlicet, & vespere, oportebat accedere ad incendendum illud, vt præcipitur. Exod. 30. ergo non erat intra Sancta sanctorum, sed extra. Adhoc aliqui dicunt, non quemcunque ingressum intra velum prohibitum fuisse, sed cum sanguine, de hoc enim loquitur Paulus in loco allegato inquiens. In secundo autem, semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem affert, pro sua, & populi ignorantia. Quasi diceret Apostolus potuisse pontificem, quoties vellet ingredi

Digitized by Google

Sancta sanctorum absque sanguine. Cæterum, quidquid sit de hoc certè ad altare thymiamatis, non semel in anno, sed pluries oportebat accedere, etiam cum sanguine, videlicet quoties expiandum erat peccatum pontificis facientis errare populum, & in oblatione vituli pro peccato multitudinis, de quibus sacrificijs fit mentio Leuit. 4. Tandem hanc eandem sententiam apertissimis verbis definit Iosephus lib. 3. Antiquita. capti. 7. vbi loquens de exteriori parte tabernaculi inquit. Inter candelabrum, & mensam, vt dixi, sita erat arula suffumigatoria, & ipsa è ligno imputribili. Et de templo loquens. 8. Antiquit. cap. 1. cum dixisset de mensa, & de candelabro subijcit. Medium autem inter vtrũque locum obtinebat altare illud aureum. Hæc omnia continebat anterior illa templi pars quadraginta cubitos longa, & velo disparata ab adyto. Et aliquanto post, Candelabrum autem, & mensam, & altare aureum, statuerunt in templo ante adytum eisdem locis, in quibus in tabernaculo prius sita fuerunt. Superest nunc ad obiecta respondere.

Soluuntur obiectiones oppositæ

Ad primum dicendum, quod Exod. 30 non prohibetur multoties accedere ad altare incensi etiam, cum sanguine, cum id licitè fieri posse apertè constet Leuit. 4. sed solum præscribitur, vt semel in anno solemniter, & principaliter illuc accedat pontifex, quod solebat fieri in die expiationis, vt habetur Leuit. 16. Ad secundum dico altare incensi vocari altare oraculi, non quod esset in oraculo, sed quia admotum esset oraculo, vt ita distingueretur ab altari holocaustorum, quod erat remotum ab oraculo. Dicitur etiam altare oraculi, quoniam factum fuit, vt specialius, quam reliqua vasa tabernaculi externi deseruiret oraculo, idest, vt quoniam in oraculum, vbi maximè erat præsentia Dei, ingredi non licebat, nisi summo sacerdoti. Idcirco, in illo altari, quod erat prope velum, odores quotidie incendebantur ab inferioribus sacerdotibus, absque eo quod oraculum ingrederentur. Et per hoc patet solutio ad tertiam obiectionem. Ad vltimam, vt respondeamus, negandum nobis est D. Paulum asseruisse thuribulum aureum fuisse in Sancta sanctorum: solum enim dicit tabernaculum illud, quod dicitur Sancta sanctorum, habuisse thuribulum aureum, & arcam. Habere autem dicitur, non quod in eo fuerit, sed quia ad eius ministerium illud altare deputatum est: iuxta id quod diximus soluentes secundam obiectionem. Itaque aliter oraculum habet altare thymiamatis, aliter arcam: habet enim arcam, tanquam in se existentem, altare vero tanquam, sibi adiunctum, & ad se specialiter pertinens. Multis nam que modis dicitur habere, vt docet Aristoteles in calce Categoriarum. Ita herus famulum habet, & templum habet ministros, & Rex satellites, & cætera. Et rectè vtramque acceptionem coniungere possumus: vt si dicamus: templum multam pecuniam habet multa altaria, ac multos ministros. Sed quæret aliquis, ob quam causam D. Paulus de singulis alijs rebus tabernaculi expressit in quo loco erant, & id non præstitit de altari aureo. Respondeo, quod hoc non pertinebat ad suum institutum, cui satis erat scire quidnam illarum rerum, quas eo loco memorat, ad vnamquamque tabernaculi partem pertinebat, siue in ea esset, siue alibi.

II. Gloria vocatur, quaquis clarus ostenditur.

ET gloria Domini.] Gloria in vnaquaque re dicitur, quod eam magnificat, & claram ac venerabilem reddit. Sicut bonitas, & misericordia in Deo. Ita Paulus Roman. 3. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Splendor etiam seu effectus, quilibet miraculosus indicans potentiam, bonitatem, vel maiestatem Dei dicitur gloria eadem ratione: vt 3. Reg. 8. Et non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam, impleuerat enim gloria Domini domum Domini. Et Leuit. 9. Apparuitque gloria Domini omni multitudini, & ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum. Hinc diuitię in homine vocantur gloria, vt Matth. 6. Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Similiter in arbore magnitudo, & pulchritudo dicitur gloria: nam eam claram, & insig[n]em reddunt, vnde, quia splendor ille mirabilis refulgens in columna nubis ductrice populi, indicabat immensam Dei bonitatem, & misericordiam, quam exhibiturus erat Dominus filijs Israel in tabernaculo illo manu facto, idcirco vocatur gloria Domini, vt pote index illius ineffabilis gloria, qua Deus in seipso æternaliter est beatus.

PARA-

PARAPHRASIS INTERTEXTA EDITIONI VVLGATAE IN LIBRVM LEVITICVM VOCATVM HEBRAICE, VAICRA.

AVTORE EODEM P. F. PETRO VINCENTIO de Marzilla Benedictinorum Hispaniæ, Magistro Generali.

ARGVMENTVM IN CAP. I.

¶ Tres holocaustorum species, & quid in vnaquaque earum offerri oporteat, præscribit Dominus Moysi, ritumque & modum designat, quo in earum oblationibus se gerere debēt tam offerens, quam sacerdos. Prima species est armentorum, qua animalia grandia in holocaustum offeruntur. Secunda est pecorum, qua immolantur animalia minora. Tertia vero est auium, seu volatilium, qua solum turtur, & pullus collumbæ ad holocaustum admittuntur.

PARAPHRASIS IN CAP. I.

A. V*OCAVIT autem Moysen* manentem adhuc vna, cum filijs
Israel in monte Sinai, vbi
erant castrametati, *& locutus*
I. *est ei Dominus*, 1 non iam de
cœlo, vel de nube, aut de rubo ardenti,
prout hucusque fecerat, sed *de tabernaculo*
testimonij, vbi asseruabantur tabulæ, quæ
pacti inter Deum, & Israel testimonium
II. præbebant, *dicens*, 2 per vocem angeli
in aëre verba formantis. *Loquere filijs Israel,*
& vt sciant qualiter se gerere debeant in o-
blationibus sacrificiorum, *dices ad eos, Homo,*
qui priuate in Dei reuerentiam, & quasi sa-
crificium quoddam singulare *obtuleris ex*
vobis, seu offerre voluerit *hostiam Domino*
de pecoribus, *idest de bobus*, *& ouibus*, in eo
III. casu *offerens victimas*, 3 non indiscrete,
† Exod. & vtcumque eas offerat, sed † *si holo-*
29.c.10. *caustum* 4 *fuerit eius oblatio*, ita vt totum
IIII. incendi velit in honorem Dei, recognos-
cens omnia bona sua Dei dominio esse sub
iecta, *ac de armento*, seu congregatione
boum, eiusmodi sacrificium peragere vo-
luerit, non assumet fœminam, quæ im-
perfectum animal est, sed *masculum imma-*
culatum, nempe non claudum, nec cæ-
cum, neq; aliter defectuosum *offeret*, appli-
cando eum, & constituendo *ad ostium*, seu
è regione ostij *tabernaculi testimonij*, vt ex
situ loci ostendat, se non ob alium finem
sacrificium offerre, nisi *ad placandum sibi*
Dominum, & eum propitium habendum.
Ponetque manum super caput hostiæ 5 in sig- V.
num voluntarij consensus, quem illius
immolationi præstat, *& acceptabilis erit* B.
Deo, & beneplacita, *atque in expiationem*
peccati, seu immunditiæ *eius proficiens*: hi-
larem namque datorem diligit Deus, &
voluntariè vult sibi sacrificari. *Immolabit-*
que vitulum, per manus sacerdotum, qui-
bus interest illum occidere *coram Domino*,
hoc est é regione tabernaculi, in loco atrij
occidendis victimis dedicato, *& offerent*
filij Aaron, qui, & ipsi quoque esse de-
bent *sacerdotes*, *sanguinem eius* vituli Deo,
quasi

quasi auctori vitæ, quæ potissimum est in
sanguine, *fundentes* in rimula quadam exis-
tonte inter altare terreum, & latera eius
ænea, *per altaris circuitum*, *quod est* intra
atrium, *ante ostium tabernaculi*, & è regione
illius. *Detractaque pelle hostiæ* ab eisdem
sacerdotibus, quorum debet esse pellis,
artus in frusta concident: nihil enim deco-
ris, & honesti apparatus, qui adhiberi so-
let in escis ab hominibus edendis, debet
omitti in victimis Deo consecrandis: qua
propter, *& subijcient in altari ignem* appo-
nentes illum sub *strue lignorum ante compo-
sita*, *& membra*, *quæ sunt cæsa desuper ordi-
nantes*, *caput videlicet*, quod principalius
membrum est in superiori parte collocan-
tes, deinde, *& cuncta quæ adhærent iecori*,
nempe adipes, & tandem inferius reliqua
frusta carnis *intestinis*, quæ sordes conti-
nere solent, *& pedibus*, qui lutum calcant
lotis aqua, non secus ac si in mensa cuius-
uis potentissimi principis edi debuissent,
adolebitque ea sacerdos apponendo ignem,
& nutriendo quousque cuncta incendan-
C. tur, *super altare in holocaustum*, *&* sacrifi-
cium, ita gratum, & acceptum Deo ex fi-
de, & dispositione offerentium, ac si ex-
hibuisset *suauem odorem Domino*, reddendo
eum placatum, quemadmodum bonus
odor pacatos, & gratos reddere solet ho-
mines. *Quod si de pecoribus oblatio est*, qua
quis vult Deo offerre aliquod de animali-
bus minoribus, *de ouibus siue de capris ho-
locaustum*, tunc etiam, non licet, quod-
cumque eiusmodi pecus assumere, sed *maf-
culum absque macula offeret*: hoc enim pre-
tiosius est in isto genere animalium ad
edendum hominibus: id autem, quod hu-
mano vsui aptius inuenitur offerri debet
in sacrificium, *immolabitque* offerens, seu
occidi faciet à sacerdotibus, non super al-
tare holocausti, sed *ad latus altaris* dextrum
verso vultu ad sanctuarium: hoc autem la-
tus est, *quod respicit ad Aquilonem*, vbi ma-
ctari debent hostiæ offerendæ in sacrifi-
cium *coram Domino*, seu in conspectu ta-
bernaculi, in quo Deus se præsentem ex-
hibet. *Sanguinem vero illius*, quasi quidpiam
speciali iure Deo autori vitæ consecran-
dum, & dedicandum *fundent super altare fi-
lij Aaron* in rimula, quæ est in superiori
B: parte illius; *per circuitum*, *diuidentque mem-
bra*, *caput*, *& omnia*, *quæ adhærent iecori*,
& ponent super ligna, *quibus subijciendus est
ignis*. *Intestina vero*, *& pedes lauabunt aqua*.

Et oblata omnia, cuncta, scilicet pecoris
frusta *adolebit sacerdos super altare in holocaust
tum*, *& odorem suauissimum Domino*, prout
in præcedenti sacrificio fieri debere dixi-
mus. *Si autem de auibus holocausti oblatio
fuerit Domino*, quam quis vult illi offerre,
eo quod ob paupertatem, non valet ma-
iora animalia præbere, *de turturibus aut
pullis columbæ offeret eam* hostiam, seu VI.
oblationem *sacerdos ad altare*: eo quod
aues istæ, propter altitudinem volatus
congruunt perfectioni holocaustorum, &
suis proprietatibus corporis castitatem,
ac mentis simplicitatem insinuant: *& re-
torto ad collum capite*, ita vt quasi dor- VII.
sum suum auis respicere videatur, *ac rup-
to vulneris loco*, qui rumpi solet, quando
huiusmodi aues decollantur, vel exan-
gues redduntur *decurrere*, & stillare *faciet
sanguinem super crepidinem*, quæ erit ad ba-
sim *altaris*, ita vt fluat sanguis, per rimu-
lam, quæ est super altare: *vesiculam vero
gutturis*, seu ingluuiem, in qua auis con-
gregat cibum, *& plumas*, quæ vtraque ab
hominibus edentibus has aues despici,
& conculcari solent, *proijciet* sacerdos sa-
crificij minister, *prope altare ad orientalem
plagam* oppositam tabernaculo testimonij,
in loco, *in quo cineres effundi solent*, nihil
enim despicabile, & abiectum offerri de-
bet in sacrificium. *Confringetque ascellas
eius* auis, seu alarum radices, quæ volandi
officium possident; prout frangi solent
ab his, qui studiose præparant, quamli-
bet istarum auium ad cibum, *& non secabit*
in frusta, *neque ferro diuidet eam* omnino,
quamuis scindere debeat ad fœces extra-
hendum, & eam lauandum, *& adolebit su-
per altare lignis igne supposito*. Hæc omnia
si rite perficiantur acceptabile redditur sa-
crificium Deo. *Holocaustum* quippe atque
superexcellens victima est, *& oblatio* ita
grata, & accepta, ac si esset *suauissimi odo-
ris Domino*: nō quod Dominus odores nari
bus, fætoresque discernat, sed quia sicut nos
bonis odoribus delectamur, fætoribus au-
tē offendimur: ita apud Deū boni odoris di
citur holocaustū hoc, quod filiū suū Redēp
torē nostrū redolet, & voluntati ac disposi
tioni ipsius Dei habetur acceptū, & cōfor-
me: quale proculdubio est holocaustū, quod
tantū de tribus speciebus animaliū, scilicet
bouis, ouis, & capræ, seu de duabus specie-
bus auiū, videlicet turturis, & columbæ sub
præscriptis ceremonijs Domino offertur.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES IN CAPVT I.

I. *Intra quinquaginta dies contigere, quæ in toto hoc libro referuntur.*

LOCVTVS est ei Dominus.] Cum omnia, quæ in hoc libro referuntur audiuisse Moysen à Domino constet fuisse sibi dicta in monte Sinai, vt patet in finalibus verbis huius libri: & præterea ex eo quod hic dicitur Dominũ locutũ Moysi fuisse de tabernaculo testimonij, insinuetur omnia, quæ subsequũtur de eodẽ tabernaculo Dominũ protulisse, sequitur aperte omnia, quæ in hoc libro cõtinentur, imò, & quæ habẽtur per decẽ capita priora libri Numerorum cõtigisse intra quadraginta nouẽ, vel quinquaginta dies, tot enim diebus dumtaxat permanserunt filij Israel in monte Sinai postquam erectum est tabernaculum. Nam tabernaculum fuit erectum prima die primi mensis anni secundi ab exitu de AEgypto, vt patet Exod. vlt. recesserunt autem Israelitæ de monte Sinai in eodem anno secundo, mense secundo in vigesima die mensis, vt habetur Numer. 10. Constat ergo in quadraginta nouem, vel quinquaginta dierum spatio facta fuisse omnia, quæ habentur in hoc libro, & in principio Numerorum vsque ad caput decimum, vbi agitur de recessu Israelitarum de monte Sinai.

II. *Lex data fuit Moysi ministerio externæ vocis angelicæ.*

DIcens.] Locutio ista, non fuit facta immediatè à Deo, sed per Angelos, vt dicitur ad Galat. 3. lex data est, per Angelos in manu mediatoris, & Actor. 7. inquit Stephanus: accepistis legem in dispositione angelorum. Quod autem facta fuerit, per vocem externam in aëre formatam probatur à maiori. Si enim lex noua, quæ simpliciter, & absolutè perfecta est, fuit tradita, per verba externa, scilicet per prædicationem Christi Domini: certè lex vetus, quæ ad perfectum non adducebat, non erat danda ab Angelis altiori locutionis genere, quam sit verbum vocale, nempe per verbum internum, vel aliquid huiusmodi data est, igitur per voces corporeas in aëre formatas, ministerio Angelico.

III. *Oblatio sacrificij duplex, mediata, & immediata.*

OFferens victimas.] Duplex est offerens victimam sacrificij. Alter qui immediatè offert illam Deo, alter vero, qui mediatè. Ad sacerdotem pertinet immediatè offerre: quod faciebat sacerdos in lege veteri immolandò, & cremando hostiam ante altare. Offerens autem mediatè erat laicus: vel quicumque tradebat victimam sacerdoti in Sanctuario ad immolandum. Et de hoc loquitur scriptura in præsenti. Et vtrique istorum tribuitur actio offerenti inferius cap. 22. ibi: Quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, vt offeratur, per vos, vbi primò fit mentio de oblatione laicorum, deinde de oblatione sacerdotum. Et etiam in Canone Missæ dicitur vnde, & memores Domini, nos serui tui, & plebs tua sancta & cætera offerimus præclare maiestati tuæ. In quibus verbis aperte actio offerendi sacrificium tribuitur sacerdoti, & populari bus.

IIII. *Holocaustum primum locum obtinuit inter omnia sacrificia veteris legis.*

SI holocaustum fuerit.] Edocturus Dominus Moysen veterum sacrificiorum cæremonias, exorditur à ritu obseruando in holocaustorum oblationibus, quia inter omnia sacrificia veteris legis, primum locum obtinebat holocaustum. Hoc namque sacrificium offerebatur Deo specialiter ad reuerentiam maiestatis ipsius, & amorem bonitatis eius; & conueniebat perfectionis statui in impletione consiliorum, & ideo totum comburebatur: vt sicut totum animal resolutum in vaporem, sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subiecta, & ei esse offerenda. Et hoc est, quod denotat ipsa vox holocausti, siue à Græcis, siue ab Hebræis eius etymologia desumatur. Apud Græcos enim Olocauston, idem est, quod totum incensum, quoniam totum Domino incendebatur, & nulla illius pars sacerdoti, vel offerenti cedebat, quod non erat in alijs sacrificijs. Apud Hebræos autem holocaustum dicitur Holah, idest, ascendens quod scilicet totum in fumum ad Deum ascenderet: aut prout alijs placet, quod holocaustum ascenderet, & superaret omnia alia sacrificia, quatenus secundùm se totũ immediatè Deo consecratur.

V. *Immolantes quare ponebat manus super caput victimæ suæ.*

POnetque manus super caput hostiæ.] Varias rationes afferunt tam Hebræi, quam nostri, quare immolans manus poneret, super victimæ suæ caput, quod fieri præcipitur, non solum hic, sed etiam Exod. 29. Leuitic. 3. & alibi sæpe. Et quidam hoc ideò fieri asserunt, vt per illud offerens protestaretur à se victimæ suæ dominium abdicare in sensu, quo serui libertate donati manumitti dicuntur. l. Manumissiones. D. de Iusti. & Iur. Alij arbitrantur offerentem hac ceremonia vti, vt ostenderet se ipsum, simul offerre cum hostia sua: manu enim sese coniungebat ei secundum istos, vt in ea, & cum ea se se Domino Deo suo immolaret. Etsi pro peccato esset sacrificium, hac ceremonia protestabatur se dignum, qui pro peccato suo iugularetur: Dei autem misericordia pietate, & voluntate iugulationem suam in pecudis oblatæ iugulationem commutari. Et si holocaustum esset sacrificium, hoc contactu ostendebat se totum impendendum pro Dei obsequio. Abulensis super hunc locum credit, quod offerens manus victimæ imponeret, quasi iram Dei deprecans eamque, non in suum, sed in victimæ illius caput immitti petens. Quod ex Leuit. 16. colligit, ubi scriptum est: postquam emundauerit sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viuentem, & posita vtraque manu super caput eius confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius emittet illum, per hominem paratum in desertum. Mihi vero videtur, cum Glossa ordinaria, & Radulpho, super hunc locum, impositione manuum, super pecus significari consensum, & voluntatis promptitudinem, quam offerens præbe-

bat

bat ad immolationem, & mactationem hostiæ, quasi iuuando ad occisionem illius: eo quod auxilium fiat apponendo manum: vnde Danie. 13. dicitur, quod senes illi maligni posuerunt manus suas, super caput Susannę, quasi eo signo indicantes se auxilium, & consensum prę stare neci, quę ipsi Susanæ, imminebat ob adulterium, de quo fuerat infamata. Et ob hanc eandem rationem existimo sacerdotes circunstantes apponere manus, super caput presbyteri nouiter initiati, videlicet, quasi approbantes communicationem gratiæ Spiritus sancti, quæ sibi facta est. Huc etiam tendit illa manuum appositio, quam Deus fieri præcepit super caput blasphemi lapidandi, vt habetur inferius cap. 24.

VI. *De turturibus, & pullis columbæ offerẽdis.* De turturibus, & pullis columbæ] Vocatur turtur Hebraice tor, à tur quod est, meditari seu cogitare, quod turtur meditari, & cogitare videatur, & existimo mansisse, apud latinos Hebraicum nomen, dum autem istam vocant turturem, sed multo magis apud Hispanos, nam sicut Hebraice vocatur tor, ita Hispanice tortola. Et quia in turturibus meliores sunt maiores, quam pulli, è conuerso autem in columbis, ideò mandantur offerri turtures, & pulli columbarum, quia omne quod est optimum, Deo est attribuendum.

VII. *Specialis modus occisionis animalium debuit præfigi in sacrificijs.* Retorto ad collum capite.] Specialis modus occidendi animalia immolanda determinatur in lege ad excludendum alios modos, quibus idololatræ animalia idolis immolabant, vel etiam, vt Rabbi Moyses dicit, lex elegit genus occisionis, quo animalia minus affligebantur, qualis est occisio, quæ fit per effusionem sanguinis, existente minima corporis læsione. Qua ratione etiam excludebatur, & immisericordia offerentium, & deterioratio animalium occisorum, ac tandem mors Christi, quæ ex defectu sanguinis causata fuit clarius repræsentabatur: penes quæ tria, causa seu ratio ceremoniarum legis veteris attendenda est.

ARGVMENTVM IN CAP. II.

¶ Oblationes sacrificiorum, quæ vna cum carnibus in quo libet genere sacrificij ex terra nascentibus offerri præcipiuntur, super altare holocaustorum, multipliciter celebrari contingit: quia vel in farina, & tunc ex simila oleo conspersa, cum thure erit oblatio, vel coctum erit sacrificium, & tunc massa simila oleo conspersa in clibano, aut in sartagine, aut in craticula coquetur, & postea adolebitur, vel tandem in spicis virentibus erit oblatio, & tamen quomodocunque fiat sacrificium, sal habere debet, sicut & melle, ac fermento carere.

PARAPHRASIS IN CAP. II.

A. I. ANIMA 1 seu homo quilibet, *cum obtulerit oblationem*, quæ ex terræ nascentibus offerri debet vna cum
II. victima *sacrificij* 2 *Domino*, tam in holocaustis, quam in hostijs pa-
III. cificis, vel pro peccato, *simila erit* 3 *eius oblatio*, non hordeum, aut fursur: quia enim selectissima, & maximè necessaria ex his, quæ ad victum humanum pertinent, Deo dicanda sunt, non nisi flos farinæ triticeæ offerri permittitur: *fundetque super eam oleum* loco condimentorum omnium, quæ vna cum pane homines edere solent, *& ponet thus*, quod gerat vicem medicamentorum, vt profiteatur se omnes res à Deo possidere, *ac deferet*, in vase quodam mundo *ad filios Aaron sacerdotes*, hi quippe futuri sunt mediatores inter Deum, & populum. *Quorum vnus*, manum lotam in vas mittens *tollet pugillum plenum similæ, & olei*, seu similæ oleo mixtæ, *ac totum thus*, cum enim thus esse debeat in parte superiori vasis primum omnium accipietur pugno, *& ponet* eam partem oblationis, quam pugno comprehendet, vt incendatur, & sit quasi *memoriale super altare*, & quasi signum rememoratiuum, quod quicquid habet offerens, illud accepit à Deo, cui tamquam vero Domino tributum reddit, sic-

que

que cedet oblatio *in odorem suauissimum Domino*, sicut de holocaustis diximus. † *Quod autem* in vase remanserit, ac *reliquum fuerit de sacrificio* isto, quod sacrificium voco, quia oblatio terræ nascentium complet, & integrat carnium sacrificia, quod igitur remanserit similæ, & olei *erit Aaron & filiorũ eius*, & in eorum vsus cedet, non quasi quid profanum, sed quasi *Sanctum sanctorum*, hoc est sanctissimum, & ex quo nulla immundo edere licebit, vt pote acceptum *de oblationibus Domini*, atque in cibos ministrorum eius separatum. *Cum autem obtuleris*, seu offerre volueris munus istud, vel *sacrificium*, non in farina, prout erat illud, de quo modo locutus sum, sed *coctum in clibano* offeres illud *de simila*, conficiendo ex flore farinæ placentas quasdam, *panes scilicet* latos, & tenues, quos efficiunt fæminæ ex massa *absq; fermento conspersos oleo*. Poteris quoque in sacrificium offerre, *& lagana azyma oleo lita*, ex eadem simila conficienda. *Si oblatio tua fuerit de sartagine*, confici etiam debet ex flore farinæ, scilicet ex massa *similæ conspersæ oleo, & absque fermento*, & præterea mittendo pastam in sartaginem cocleari quodam *diuides eam minutatim* in parua frusta, *& fundes super eam*, nempe super eiusmodi frusta altera vice *oleum*, cibi enim in sartagine ex pasta confecti, si laute ad esum præparentur, bis debent oleum recipere. *Sin autem de craticula fuerit sacrificium æque* pariter, sicut diximus de oblatione cocta in sartagine, *simila oleo conspergetur*. Hæc enim oblatio conficienda ex simila cocta oleo conspersa, non habet necesse in clibano, aut in aqua, vel in sartagine coqui, sed satis erit, si eam in craticula torreas, *quam offerens Domino trades manibus sacerdotis*: is enim, est proprius, & verus sacrificiorum minister. *Qui cum obtulerit eam tollet* partem quandam, quasi *memoriale de sacrificio*, in signum, quod totum est Deo consecratum, *& adolebit super altare in odorem suauitatis Domini*, prout diximus debere fieri de pugillo desumendo à sacerdote ex simila non cocta. *Quidquid autem reliquum est*, *erit Aaron*, *& filiorum eius Sanctum sanctorum*, seu quasi quid valde sanctificatum, & acceptum *de oblationibus Domini*, neque enim minus oblationis coctæ, quam crudæ (de qua hoc ipsum superius iussum est) particeps debet esse sacerdos. *Omnis oblatio*, *quæ offertur Domino*, vna cum victimis sacrificiorum, & cuius aliqua pars debeat poni super altare, *absque fermento fiet*: tum in memoriam beneficij liberationis ex Ægypto, tum ob corruptionem, quam fermentum causat, cum modicum illius totam, cui immiscetur, massam corrumpat: & non solum fermentatum arceri debet à sacrificijs, sed *nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino*, fermentum quidem ob rationes iam dictas, mel autem, ne vlla ratione idolatris consentire videamini, quibus moris est, mel in suis offerri sacrificijs, & etiam, quia combustum fætorem potius, quàm odorem emittit: & omne inhonestũ, atque impurum in sacrificijs extirpandum est. *Primitias tantum eorum* in recognitionẽ, quod Deus vo[illegible]a contulerit, *offeretis ac munera* ex eis dare poteritis sacerdotibus, *super altare vero non imponentur*, quasi sacrificium offerendum Deo, *in odorem suauitatis*, neque enim talis oblatio grata erit Domino. *Quidquid obtuleris sacrificij* † *sale cõdies*, in signum discretionis sapientiæ, & incorruptionis morum, ac etiam mortificationis carnis, quibus maximé pollere debent offerentes sacrificia, *nec auferes sal* adumbrans incorruptibilitatem, & firmitatem *fœderis Dei tui de sacrificio tuo*. *In omni* potius sacrificio, & *oblatione tua offeres sal*, quo magis prædicta memoriæ tuæ hæreant. *Si autem obtuleris*, vel offerre volueris in sacrificium *munus primitiarum frugum tuarum Domino*, quod quidem offerre oportet, *de spicis adhuc virentibus*: illud tali ritu, ac cæremonia sacrificabis: *torrebis igni*, *& confringens in morem farris* spicas, vt adustæ, & confractæ deponant palearum integumenta, & immunditiam pristinam, *& sic offeres primitias tuas Domino*, quæ primitiæ vocantur, quia ad fructus primitiuos pertinent, *fundens supra oleum, & thus imponens* in signum, quod fructus illi primitiui Deo consecrantur, & dicantur: quæ duo repræsentari oportet in hoc sacrificio, *quia oblatio Domini est, de qua adolebit sacerdos* incendendo super altare holocaustorum, *in memoriam muneris* oblati Deo, seu in signũ, quod totũ hoc munus ipsi Deo offertur, *partem* quandam spicarum adustarum habentium se ad modum *farris fracti*, *& adolebit* etiam partem *olei ac totum thus*. Residuum autem huius oblationis erit Aaron, & filiorum eius, prout de oblationibus similæ ordinatum est.

ANNO

Marginalia: † Eccle. 17. d. 34 — B. — C. — D. — † Mar. 9. g. 48. De conse cra. d. 4. c. Sal. — V.

ANNOTATIONES IN CAPVT II.

I. *Cur in sacrificijs specialis mentio fiat animæ.*

ANIMA.] Quamuis per partem totum, idest, per animam rectè intelligatur homo, notanter tamen Dominus agens de sacrificijs aliquando, vt hic, & infra capit. 4. maluit animam ponere, quam hominem. Quod proculdubio facit ad designandum in veris sacrificijs, non tam corpoream conditionem offerentis, quam animæ virtutem, & puritatem pensandam esse: quoniam sacrificij dominus, non schema, vel habitum corporalem, sed animæ respicit intentionem. Præsertim autem fit mentio animæ, & non corporis offerentis in hoc loco, vbi agitur de oblatione illa, in qua vltra similam, apponi etiam debuit & vinum, vt dicitur Numer. 15. quia non secus ac anima præponderat ipsi corpori, ita oblatio panis & vini, præponderat oblationi reliquarum rerum ad sacrificia pertinentium: tum ob memoriale sacrificij Eucharistiæ, tum quia in oblatione panis, & vini expresfius præfigurabatur participatio, & effectus sacrificij Christi, vt loquens de sacrificio Melchisedech docet D. Thom. 3. part. quæst. 23. art. 6. ad 1. & quæst. 73. artic. 6. cum D. August. relato in cap. Quia passus de consecratio. distinct. 1. Quo fit vt quamuis aliæ hostiæ sacrificiorum proprijs gaudeant nominibus, vt holocaustum, pro peccato, pacificorum oblatio, tamen similæ, & vini absolutè, & simpliciter solet vocari sacrificium: vt quando in hoc capite dicitur. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio erit Aaron: & infra cap. 6. Hæc est lex sacrificij, & libamentorum, & capit. 7. Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul, & sacrificium, idest, libamenta: ac Numer. 15. 28. & 29. & alibi pluries. Quæ locutio proculdubio insinuat magnam huius oblationis excellentiam, nomen enim speciei, non tribuimus, nisi indiuiduis perfectioribus, vt nomen hominis, non tribuimus puero, sed ei tantum, qui perfectam ætatem attigit.

Oblatio similæ, præponderat alijs oblationibus ex parte rei oblatæ.

II. *Oblatio similæ erat specialæ genus sacrificij, sed complementum aliorum.*

OBlationem sacrificij.] Oblationem, de qua in præsenti capite agitur, vocat Moyses oblationem sacrificij, quia complebat, & integrabat quodlibet carnium sacrificium, vnde quamuis ei competeret vera ratio sacrificij, nam erat actio, qua res aliqua offerebatur Deo solemni ritu, & ceremonia, cum aliqua immutatione, & consumptione ipsius rei, quæ offerebatur, tamen quia hoc non fiebat absque adiuncta holocausti, vel hostiæ pacificæ, vel hostiæ pro peccato oblatione, non augebat numerum sacrificiorum, sed ad illius sacrificij genus pertinebat, cui annectebatur, siue illud esset holocaustum, siue hostia pacificorum, siue pro peccato.

III. SImila erit.] De rationibus tam literalibus, quam mysticis, propter quas terræ nascentia, non simplici modo, sed diuersimodè debuerunt offerri in sacrificijs, nempe eorum farina, panis coctus, ac spicæ virentes: & etiam quare præter animalia solum debuerunt offerri in sacrificijs panis, vinum, oleum, thus, & sal, & tandem ob quam causam mel, & fermentum nequibant sacrificari, quarum rationum examinatio ad præsens capitulum spectat præter ea, quæ in Paraphrasi diximus videatur D. Thom. 1. 2. quæst. 102. artic. 3. in solutionibus ad tria vltima argumenta.

IIII. *Oblatio apposita super altare habuit rationē sacrificij.*

SVper altare.] Ex hoc loco in quo præcipitur partem oblationis apponi super altare, sacrificiorum ibi incendendam, apertè colligitur, in isto capite, non agi de oblationibus generaliter, & vtcumque sumptis, sed de ea dumtaxat oblatione, quæ habebat veram rationem sacrificij. Cum enim sacrificium iuxta communem Theologorum sententiam, nihil aliud sit quam actio, qua res aliqua offertur Deo solemni ritu, & ceremonia, cum aliqua immutatione, & consumptione ipsius rei, quæ offertur, apertè liquet oblationem, de qua hic agitur, cuius vna pars incendi præcipitur à sacerdotibus habere veram, & propriam rationem sacrificij, pertinereque ad secundum sacrificiorum genus. Triplex namque fuit genus sacrificiorum in lege veteri, vt docet D. Thomas in 1. 2. quæst. 102. artic. 3. in solutione ad 8. argument. Primum erat, quod totum comburebatur super altare. Aliud cuius vna pars comburebatur super altare, & residuum cedebat in vsum sacerdotum, vel alibi cremabatur. Tertium tandem sacrificij genus erat, cuius vna pars incendebatur in altari sacrificiorum, alia cedebat in vsum sacerdotum, & residuum conuertebatur in vsum offerentium. Ad quæ tria genera reducuntur omnia sacrificia de quibus agit Moyses in hoc libro: quidquid dicant Oleaster, & alij moderni super hunc locum.

V. *Sal fœderis seu pactum salis erat symbolū firmitatis pactorum.*

SAl fœderis Dei tui.] Sicut in præsenti sal ponendum in sacrificijs vocatur sal fœderis Domini, ita Numer. 18. & 2. Paral. 13. fœdus initum inter Deum, & populum Israel vocatur pactum salis: cuius vtriusque locutionis vna, & eadem ratio reddi potest, videlicet, quia fortè in omni fœdere interueniebat sal, cum victimis, quæ Deo offerebantur, quod & ethnicos in suis sacris, & pactis obseruasse legimus, apud quos nulla sine mola salsa sacra fiebant. Ratio autem quare in pactis firmandis sal interueniebat, fuit, vt illo adumbrarent pacti incorruptibilitatem, & firmitatem. Nam quemadmodum sal carnes, & multa alia seruat à putrefactione: ita ostendebant pactum cui illud miscebatur fore alienum ab omni corruptione, & violatione. Aut quia continuè erat in mensa à principio vsque ad finem ostendebatur eius appositione, pacti perpetuitas, ac illius inter paciscentes iugis memoria. Dicitur ergo pacta salis pacta firma, & nunquā obliuioni tradēda. Atq; adeo immisceri præcipitur sal in sacrificijs ad significandā animi firmitatē, & constantiam erga Deū, qua offerri debēt.

ARGV-

ARGVMENTVM IN CAPVT III.

¶ Ritus ac cæremoniæ hostiæ pacificæ præscribuntur, quæ de tribus tantum animalium speciebus offerri poterat, videlicet de bobus tam masculis, quàm fœminis, & de ouibus & etiam de capris: hoc tamē obseruato quod adipes & præcordia vnacū sanguine in Dei cultum separarentur, ac in eius altari à sacerdotibus adolerentur: ita vt nullatenus in vsus humanos cederent.

PARAPHRASIS IN CAPVT III.

A. I. QVOD *si hostia pacificorum* 1 seu pro habenda pace, & tranquillitate domus, vel familiæ, *fuerit eius oblatio*, quam quis offerre intendit in actionem gratiarum pro beneficio suscepto, vel ad impetrandum aliquod de nouo, & *de bobus voluerit offerre*, cum equidem de alijs etiam animalibus, si vellet, posset assumere; vt statim dicam: eo igitur casu, quia sacrificium istud non est tantæ perfectionis sicut holocaustū, non tenebitur offerens semper masculum præbere, sed *marem siue fœminam*, dum tamen isthæc sint *immaculata*, suis scilicet membris integra atque perfecta, *offeret coram Domino* præsentando illa ante ingressum tabernaculi. *Ponetque manū super caput victimæ suæ*, illius occisionē, & sacrificium mox peragendū approbando: *quæ immolabitur* à sacerdotibus iugulādo victimā *in introitu tabernaculi testimonij*, nēpe in spatio quod est inter altare holocaustorū & tabernaculū, è regione tamē ipsius tabernaculi; *fundentque filij Aaron sacerdotes sanguinem* in rimula, quæ est super altare, *per altaris circuitum*: sanguis enim, in quo principaliter cōsistit vita animalis, ipsi Deo offerri debet, loco vitæ afferentis sacrificiū. *Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino*, nō quidē totū pecus, vt in ho-
† Exod. 29.b.19. locausto, sed † *adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus, duos renes cum adipe, quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis*, quæ in animalibus nutrimenti abundantiam maximè demonstrant; ac proinde eorum oblatio clarius ostēdit omnē bonorū sufficientiā à Deo nobis prouenire *adolebuntque sacerdotes*, incendendo *ea super altare in holocaustum* 2, scilicet ad modū holocausti, vt II. quemadmodum holocaustum in honorem Dei igne consumitur: ita prædicta omnia incendantur *lignis igne supposito in oblationem* B. tam gratam & acceptam Deo, ac si exhiberētur aromata *suauissimi odoris Domino*: residuum autem hostiæ inter sacerdotes & offerentē diuidetur, à mūdis dumtaxat comedendum, vt pote de oblatione Domini acceptū. Quod in omni hostia pacifica obseruandum erit. *Si vero* eo quod bovē offerre non valet homo, *de ouibus fuerit eius oblatio & pacificorū hostia*, quā pro pace, & integritate rerū suarū offerre satagit, *siue masculū obtulerit, siue fœminā* (nam hoc eius arbitrio & electioni dimittitur) *immaculata erunt*, & sana atq; perfecta: læsa enim, & abiecta à sacrificijs arcenda sunt. *Si agnū*, vel aliud quodcumq; pecus ex ouibus quispiā *obtulerit corā Domino* tali ritu ac cæremonia oblationem suā perficiet: III. *ponet manū suā super caput victimæ suæ* quasi adiuuans, & auxiliū præbēs ad sacrificiū, quod paratur fieri de ea, *quæ immolabitur* à sacerdotibus victimā occidentibus, *in vestibulo tabernaculi testimonij*; quod est atriū ipsius tabernaculi. *Fundentq; filij Aarō* fungētes officio sacerdotū *sanguinē eius* in rimula existēte super altare *per circuitū altaris*: ne vlla ratione sanguis in vsus hominū peruenire queat: *& offerent de pacificorū hostia sacrificiū Domino* assumendo partē quandā hostiæ, videlicet IIII. *adipē & caudā totā* 4 *cū renibus & pinguedinē quæ operit ventrē atque vniuersa vitalia, & vtrūque renunculū cū adipe, qui est iuxta ilia, reticulūque iecoris cū renunculis*, ea tandem quæ crassiora, & pinguiora sunt in pecude, C. ac proinde immensæ Dei beneficentiæ, & abundantiæ beneficiorum eius symbola cō-

Digitized by Google

modius esse possunt: *& adolebit ea sacerdos* apponendo illa *super altare* holocaustorũ, vt sint *in pabulũ ignis, & oblationis Domini*: ipse nãque ignis eiusmodi præcordia cõburens est etiã oblatio Domini, *Si capra fuerit eius oblatio*, quæ apta quoque est ad hostiam pacificam, *& obtulerit*, seu offerre voluerit quis *eã Domino, ponet manũ suã super caput eius* sicut de boue, & agno pacificorum statutum est: *immolabitq; eã* sacerdos & occidet *in introitu tabernaculi testimonij*, seu in spacio atrij, quod est inter altare & tabernaculum. D. *Et fundet filij Aarõ sanguinẽ eius per altaris circuitũ* in rimula, quæ mediare debet inter altare terreum, & latera eius ænea; *tollentq; ex ea in pastũ ignis dominici*, id est ad comburendum in honorẽ Dei, *adipẽ, qui operit ventre & qui tegit vniuersa vitalia, duos renunculos, cũ reticulo, quod est super eos iuxta ilia, & aruinã iecoris cũ renũculis*: quæ enim pinguiora sunt manifestius abundantiam diuinæ bonitatis repræsentant: *adolebitq; ea super altare sacerdos* lignis igne supposito, vt sint *in alimoniã ignis, &* ad complementum huius sacrificij ita grati, & accepti Deo, atque grata solent esse hominibus aromata *suauissimi odoris. Omnis adeps*, s. qui de hostia bouis, ouis, & capræ sequestrari, & super altare incendi præcipitur, *Domini erit*: eique adoleri debet in altari *iure perpetuo*, quandiu regnum Israel subsistere habet *in generationibus*, seu futuris ætatibus, *& cunctis habitaculis vestris*, id est in singularum generationũ vrbibus, & oppidis: *nec sanguinẽ nec adipẽ* victimarum vobis prohibitum *omnino comedetis*, ne idolatris consentire videamini, qui istæc in suis sacrificijs speciali superstitione comedere solent. V.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

I. *Hostia pacificorũ vnde dicta.*

SI hostia pacificorum.] vocatur hoc sacrificium hostia pacificorum secundum quod in sacris literis plerumque sumitur pax pro integritate & incolumitate: nam hoc sacrificium offerebatur pro salute & prosperitate offerentium: vt scilicet nihil illis deesset, nihil mali accideret, & ex debito beneficij vel accipiendi, vel accepti. Vnde verbum Salam quo hic vtitur textus Hebraicus pro pacificorum, interdum interpretatur editio vulgata per hoc quod est pacem habere: vt hic, & Iob. 9. Quis restitit ei, & pacem habuit. Interdum vero per hoc quod est sanitatem, & omnẽ tranquillitatem habere: vt Genes. 29. Sanus ne est inquit, valet inquiunt. Vbi Hebraice legitur Hasalom lo. Nunquid pax ei? Et dixerunt: Salon, Pax. Ex quo sequitur, quòd qui pro hostia pacificorum verterunt sacrificium integritatum, nihil mirabile protulerunt quamuis ipsi se melius vertisse effutiant. Rectius autem quam isti vertit vulgatus interpres vocãs victimam istam, hostiam salutarem. 1. Machab. 3.

II. *Hostia pacifica & p pro peccato ordinatur in finẽ holocausti.*

IN holocaustum.] Aliquando in sacris literis hostia pacifica, & pro peccato dicuntur offerri in holocaustum vt patet de hostia pacificorum hic: & de hostia pro peccato Nume. cap. 28. Ibi. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum. Ratio autem quare nomen primi generis sacrificiorum applicatur reliquis duobus, duplex est. Prima ob similitudinem, quam habent omnia sacrificia in eo, quod significat nomen holocausti: sicut enim in holocausto proprie sumpto crematur totum animal: ita in alijs sacrificijs aliqua certa pars animalium incenditur. Secunda ratio est quia quamuis tria genera sacrificiorum distinguantur penes fines particulares, cæterum remote & tanquam in finem vltimum hostia pro peccato & pacificorum ordinatur etiam in finem holocausti, qui est professio diuinæ excellentiæ. Quia igitur posteriora sacrificia quasi informantur fine holocausti, non mirum quod eius nomen participent: prout in ordine gratiæ actus virtutum infusarum dici solent actus charitatis, eo quod charitate informantur.

III. *Agnus interdũ ponitur pro alijs etiã victimis.*

SI agnum obtulerit.] Ea ratione Scriptura meminit hoc in loco solius agni, quamuis non solum de eo, sed etiam de arietibus & ouibus magnis potuerit offerri hostia pacifica, vt ex verbis præcedentibus colligitur, dum dicitur: Si vero de ouibus fuerit eius oblatio: quia hostia pacifica ouium frequentius offerebatur de agno fortè propter maiorem repræsentationem ingentis illius beneficij liberationis de AEgypto, cuius comparatione videbantur reliqua beneficia, quæ per hanc hostiam poscebantur faciliter posse consequi. Et idcirco quod hic dicitur de ritu oblationis & immolationis agni intelligendum est etiam de alijs ad speciem agni pertinentibus.

IIII. *Ratio cõmunior legaliũ, ceremoniarum fuit recessus a superstitionibus gẽtiliũ.*

CAVDAM totam.] Quamuis certum sit vniuersa præcepta legis etiam in particulari suas rationabiles causas non solum figurales sed etiam literales habuisse, vt pote media ordinata & proportionata ad suum debitum finem, qui erat cultus Dei secundum exigentiã illius temporis, & conditionem populi Israelitici: difficile tamen est omnium ceremoniarum in particulari causas proprias literales designare: nisi fortè dicamus eas cærimonias sic & non aliter fuisse introductas, vt Hebræus abstraheretur

retur ab hac vel illa superstitione, qua idolatræ vtebantur in similibus ritibus colēdi deos suos. Vnde si quis inquirat ob quam causam præcipiat lex adolere caudam agni vel ouis, non autem caudam vituli vel capræ, non incongrue dicemus, id factum fuisse ad arcendum Israelitas à superstitione gentilium, qua vel cauda arietis, vt pote delicatiori cæteris partibus huius animalis in suis sacrificijs vescebantur, vel ea ad maleficia vtebantur: quod non faciebant circa caudas vitulorum, seu caprarum. Et hoc memoriæ commenda ad dissoluendum alias similes quæstiones, quæ sæpe sæpius suboriri possent circa cæremonias & obseruantias legis ne pluries eadem inculcare cogamur.

V. *Non omnis adeps prohibit° fuit Iudæis.* OMNIS adeps]. L[illegible] iste, in quo æque & æqualiter videntur prohibita adeps & sanguis, interpretandus venit per id, quod asseritur inferius cap. 7. vbi recapitulans Moyses pacificorum legem inquit: Adipem ouis & bouis & capræ non comedetis. Adipē cadaueris morticini, & eius animalis, quod à bestia captum est habebitis in varios vsus. Siquis adipem qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo. Sāguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibū tam de ouibus, quā de pecoribus. Ex quibus verbis apertè constat prohibitionem esus adipis non esse vniuersalem, prout est prohibitio sanguinis; sed tantum se extendere ad eum adipem ouis, & bouis, & capræ, qui Domino immolari solebat. Non enim omnis adeps fas erat Domino offerri, sed qui erat super renes, super ilia & cætera: vt sæpius dicitur in hoc libro. Vnde prohibitio adipis non intelligitur de adipe, qui est inter partes carnis, quamuis stulti Iudæi moderni etiam ab eo abstineāt; neq; etiā intelligitur esse Deo offerendū adipē morticinorū; cū is in vsus cedere humanos permittantur. Est tamē vniuersalis prohibitio sanguinis ob causas postea in ca. 17. assignandas, & à nobis ibidem ponderandas.

ARGVMENTVM IN CAPVT IIII.

Pro expiatione speciali quarundam peccatorum quatuor sacrificia instituūtur. Primum est pro peccato pontificis inducentis multitudinem ad peccandum: in quo vitulus offertur, eiusque sanguis in sanctuarium infertur, & adeps in altare incenditur: carnes vero extra castra cremantur: Secundum sacrificiū est pro peccatis totius synagogæ, in quo vitulus quoq; prædictis obseruatis ritibus immolatur Tertiū est pro peccatis principis, & fit de hirco. Quartū vero pro singulis de populo; & in eo capra, vel ouis sola offertur.

PARAPHRASIS IN CAPVT IIII.

A. LOCVTVSQVE *est Dominus* etiā de tabernaculo testimonij *ad Moysen dicens. Loquere filijs Israel,* & dic eis, qualiter in particulari expiari debeāt à peccatis, quæ cōmiserint, tā sacerdos, quā multitudo synagogæ, seu etiā princeps, vel quilibet alius homo. *Anima* igitur seu animalis creatu-
I. ra, *quæ peccauerit per ignorantiā* 1 (omnis namq; peccans est ignorās) *& de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit, vt non fierent, quippiam fecerit,* vel etiā omiserit facere aliquid eorū, quę facere tenebatur, ver-
† De voto c. magna. bi gratia † *si sacerdos* summus, seu pōtifex, *qui vnctus est* 2 per excellētiā, super illius namq; solius caput effusum est oleū vnctionis purū, iste inquā si *peccauerit, delinquere*
II. *faciens populum*, ita vt ex doctrina ipsius summi sacerdotis totus populus erret aliquid faciendo contra legē, aut certe errare possit, quamuis de facto nō erret, eo quod illa doctrina sit inductiua ad errorem, *offeret pro peccato suo*, 3 & in expiationē illius III.
non quodcūque animal, sed quia peccatū graue est, grande animal præbere oportet, nempe *vitulum immaculatum*, seu integrum, & sanum *Domino. Et adducet illum ad ostium*, 4 id est atrium *tabernaculi testi-* IIII.
monij coram Domino, constituendo vitulū coram eo loco, in quo Deus se præsentem exhibet † *ponetque manum super caput* † De voto c. magna.
eius, quasi voluntarie consentiens morti animalis, quæ mors Deo offerenda est loco pœnæ mortis, qua dignus erat offerens ob peccatum suum, & eam proculdubio subiturus, nisi Deus misericorditer pœnam

peccantis in mortem vituli commutasset.
V. *& immolabit eum* ς *Domino* non per se ip
sum, sed per manus alterius sacerdotis, ad
quem ceremoniarum subsequentium exer
citiũ spectat. *Hauriet quoque de sanguine*
vituli partem quandam eius, quem crate-
re excipiet, *inferens illum in tabernacu-*
lum testimonij, non quidem intra velũ, sed
B. solum in priorem partẽ tabernaculi. *Cum*
que intinxerit digitum in sanguine, asper
get eo sanguine tabernaculum, seu tinget
pauimentum sanctuarij *septies*, in signum
expiationis perfectæ, quæ septenario nu-
mero cõgruè repræsentatur; & id faciet *co*
ram Domino, è regione propitiatorij, in
quo Deus se præsentem exhibet, & *contra*
seu ante *velum sanctuarij*, ita vt medius sit
sacerdos inter mensãm & candelabrum;
ponetque de eodem sanguine super cornua,
quæ sunt radij quidam prominentes in qua
tuor lateribus *altaris thymiamatis gratissi*
mi Domino, quod quidem altare thymiama-
tis *est in tabernaculo testimonij*, & in ea par
te illius, quæ vocatur sancta & est extra ve
lum. *Omnẽ autem reliquum sanguinem* tam
eum, qui remansit in cratere inducto in ta-
bernaculum, quàm qui aliàs haustus fuerat
a vitulo immolato, *fundet in basim altaris*
VI. *ô holocausti* per rimulã illam, quam sæpius
diximus, debere esse in parte superiori eius
modi altaris existentis sub dio *in introitu*
tabernaculi. Et protestando omnem suffi-
cientiam, ac rerum abundantiam in adipis
pinguedine repræsentatam, Domino debe
ri; ac proinde ab eo expectãdam esse remis
sionem peccati: *adipem vituli auferet pro*
peccato, tam eum, qui vitalia, nempe cor,
& præcordia *operit, quam omnia* ad adi-
pem spectantia, *quæ intrinsecus* intra ip-
sa vitalia *sunt*. *Duos* præterea offeret *re-*
nunculos, & reticulum, quod est super eos
iuxta ilia, & adipem iecoris cum renuncu-
lis sicut aufertur de vitulo hostiæ pacifico-
rum. In vtroque namque sacrificio of-
ferre debet Deo sacerdos prædicta, quæ
idolatræ in suis sacrificijs comedere so-
lent: *& adolebit ea super altare holocau-*
sti, quousque vniuersa igne consumantur.
C. *Pellem verò & omnes carnes cum capite,*
& pedibus, & intestinis, & fimo in sig-
num, quòd sacerdos non solum à pecca-
to, sed etiam ab his, quæ peccatum quo-
quomodo contingunt, elongatus esse de-
bet: *& reliquo corpore* non in frusta con-
fracto, sed integro *efferet extra castra*, in
detestatiõnẽ peccati, quod in pontifice te
trius, atque execrabilius censetur, & etiam
in signum, quòd pœna peccato illi de-
bita tam populum, qui morabatur in ca-
stris, non læderet, sed quasi eiecta longè
& fugata videretur. Non tamen deferet
prædicta in quemcumque locum, sed *in*
locum mundum, vbi cineres holocausto-
rum, & reliquarum victimarum *effundi so-*
lent: quoniam quanuis isthæc omnia in
detestationem peccati de castris eijcian-
tur, quia tamen vitulus, cuius sunt, Deo
mactatus fuerat, quædam eis reuerentia
debetur, vt non in locum immundum,
sed ad mundum deferantur: *incendet-*
que ea super lignorum struem, quæ in lo-
co effusorum cinerum cremabuntur, nulla
istius hostiæ portione sacerdoti dimissa:
ne quidpiam emolumenti de eiusmodi pec
cato sacerdos reportare videatur. *Quod*
si omnis turba Israel ignorauerit, seu er-
rauerit, *& per imperitiam*, atque culpæ
stultitiam, *fecerit quod contra mandatum*
Domini est, vel omiserit facere, quod
tenebatur facere, *& postea intellexerit pec-*
catum suum, remissionemque illius à Do-
mino postulauerit, *offeret pro peccato*
suo vitulum, in memoriam adorationis
vituli conflatilis, ad quem adorandum con
iurauerunt omnes filij Israel: illius nam-
que peccati, ac eiusdem remissionis recor-
datione amplius excitabitur spes populi
de eo, quod sibi remittentur cætera pec-
cata. *Adducetque eum ad ostium taberna-* D.
culi, in eo atrij spatio, quod est inter ta-
bernaculum & altare, *& ponent seniores po*
puli ætate, & autoritate præcipui *manus su*
per caput eius, approbantes immolatio-
nem vituli, cuius vita loco vitæ ipsorum
offerenda est, *coram Domino*, qui se in ta-
bernaculo præsentem exhibet. *Immolato-*
que vitulo, seu iugulato *in conspectu Do-*
mini, inferet sacerdos qui excellenter, &
summè *vnctus est*, nempe pontifex *de*
sanguine eius in cratere vel phiala excep-
to, *in tabernaculum testimonij tincto di-*
gito aspergens septies contra velum. Po-
netque de eodem sanguine in cornibus al-
taris aurei thymiamatis, *quod est coram*
Domino, non quidem sub dio, vt altare ho
locaustorum, sed *in tabernaculo testimo-*
nij. Reliquum autem sanguinem fundet
iuxta basim altaris holocaustorum, quod est
in ostio tabernaculi testimonij: in signum
quod vita animalis, quæ est in sanguine,
offertur

offertur Domino loco vitæ offerentium pro ipsorum peccato. *Omnemque eius adipem*, quem dixi esse incendendum in sacrificio oblato pro peccato pontificis, *tollet, & adolebit super altare. Sic faciens & de hoc vitulo, quomodo, fecit & prius* sacerdos de vitulo, quem dixi esse offerendum pro peccato pontificis, *& rogante pro eis sacerdote*, qualiter deprecari tenetur quicumque immolat hostiam pro peccato, *propicius erit eis Dominus*, non ex opere operato illius sacrificij oblati, sed ex opere operantis habita dumtaxat ratione precum, fidei, ac dispositionis offerentium. *Ipsum autem vitulum offeret extra castra atque comburet, sicut & priorem vitulum, quia est pro peccato multitudinis*, ac proinde maior debet esse eius hostiæ incensio, & combustio: quàm si pro peccato vnius vel alterius personæ particularis oblata esset. *Si peccauerit princeps* quicumque, qui dignitate inter alios eminet, *& fecerit*, seu omiserit facere *vnum è pluribus per ignorantiam* vel errorem etiam practicum, *quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum* ad pænitendum de illo (sine pœnitentia namque sacrificium non proderit) *offeret hostiam Domino hircum de capris immaculatum*, integrum videlicet, & absque læsione: quia enim grauius est peccatum pontificis facientis delinquere multitudinem, aut etiam totius populi præuaricatio; quàm vnius cuiuslibet principis culpa, idcirco istius peccata minori hostia expiantur. *Ponetque manum suam super caput eius*, quasi auxilium præbens ad hoc, vt pro se hircus ille immoletur. *Cumque immolauerit eum* per manus sacerdotum *in loco vbi solet mactari holocaustum coram Domino*, è regione scilicet tabernaculi, *quia pro peccato est*, & id quod pro peccato offertur in conspectu Domini mactari oporteat, cum id ad placandum Deum, & in reuerentiam ipsius fiat: cum igitur hoc factum fuerit, *tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundens ad basim eius*, vt sicut in sacrificio pro peccatis pontificis, & totius populi effundens sacerdos sanguinem super pauimentum sanctuarij, & tingens eodem sanguine cornua altaris thymiamatis veram Crucis figuram expresserat; ita in sacrificijs pro peccatis principum, seu singulorum de plebe tingens quoque sacerdos sanguine cornua altaris holocausti, & effundens ad basim eius reliquum sanguinem, eandem salutiferæ Crucis formam ante oculos ponat. *Adipem verò adolebit supra altare holocaustorum, sicut in victimis pacificorum*, de quibus in præcedenti capite disposui, *fieri solet, rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei*. Non autem oportet carnes huius victimæ, sicut nec subsequentis, cremari extra castra: quorum enim animalium sanguis pro peccato non infertur in sancta per pontificem, horum corpora non cremantur extra castra, sed in vsus cedunt sacerdotum. *Quod si peccauerit 7 anima*, seu animalis homo *per ignorantiam* culpabilem, vel errorem, & sit homo iste plebeius quispiam, seu *de populo terræ, vt faciat quidquam de his, quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, & cognouerit peccatum suum*, pœnitentiam agens, volensque legali expiatione à peccato mundari, *offeret capram immaculatam*: quia enim minus digna persona est quàm principis, minorem etiam victimam offeret, nec marem, sed fæminam: huic enim fæmina conuenit, sicut mas magistratui, plus namque virilitatis, vt ita dicam, & sapientiæ habere tenetur princeps, quam priuatus homo. *Ponetque manum super caput hostiæ, quæ pro peccato est* quasi consentiens, & auxilium præbens oblationi illius, *& immolabit eam* per manum sacerdotis *in loco holocausti*, vbi scilicet holocausta immolari consueuerunt. *Tolletque sacerdos de sanguine in digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius*, eandem exprimens Crucis figuram, quam in præcedentibus sacrificijs expresserat. *Omnem autem adipem auferens sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in* sacrificium ita gratum, ac si præberet *odorem suauitatis Domino: rogabitque* idem sacerdos *pro eo*, qui offert hostiam Domino ad remissionem peccati sui, *& dimittetur ei*: sicut & peccata commissa dixi dimittenda toti multitudini, & principibus. *Sin autem de pecoribus*, alijs à capra *obtulerit*,

lerit, seu, offerre voluerit priuatus homo *victimam pro peccato, ouem scilicet immaculatam*, quam solam ex pecoribus laneis ei offerre licebit, *ponet manum super caput eius*, quasi approbans commutationem pœnæ mortis, quam ipse merebatur in morte illius ouis, *& immolabit eam* per manum alicuius sacerdotis *in loco, vbi solent cadi holocaustorum hostiæ*, videlicet in latere aquilonari altaris holocaustorum: prout superius præscriptum est à me. *Sumetque sacerdos de sanguine eius digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius*: vt hac ratione totus sanguis proficere valeat ad expiationem pro peccato. *Omnem quoque adipem auferens sicut auferri solet adeps arietis*, ouis, seu bouis, *qui immolatur pro pacificis*, de cuius oblationis ritu, & ceremonia in superioribus sum locutus: *cremabit super altare in incensum*, seu faciens incendi illum adipem in honorem *Domini; rogabitque pro eo, & pro peccato eius, & dimittetur ei*. Quæ omnia perficienda sunt, prout de capra simili sacrificio offerenda fieri disposui.

ANNOTATIONES IN CAP. IIII.

I. *Peccatũ per ignorantiam distin. cõtra peccatũ per superbiã*

CVM peccauerit per ignorantiam.] Peccatum per ignorantiam distinguitur in sacris literis contra peccatum per superbiam, quod cõmittitur ab eo qui renuit subijci legibus, quasi excelsam habens manum ad opponẽdum se legislatori: & hic vocatur etiam peccans voluntariè & sponte. Ad cuius peccati remissionem nulla in lege statuitur hostia, sed morte punitur: vt habetur Numer. cap. 15. & ad Hebræ. 10. Pro alijs verò peccatis, quæ vocantur per ignorantiam statuuntur præsentes oblationes, & illæ, quæ habentur in eodem lo- lo Numerorum.

II.

QVi vnctus est]. Ob quam causam summus sacerdos antonomasticè, & per quandã excellentiam sit, & dicatur vnctus, exposuimus super Exod. capit. 29. annota. 4.

III. *Expiatio peccati duplex fuit in lege veteri.*

OFferet pro peccato suo]. Duplex modus expiandi peccata fuit introductus in lege veteri. Alter generalis, qui fiebat semel tantum in anno, videlicet decimo die mensis septimi: cuius expiationis ritus & ceremoniæ referuntur inferius capite decimo sexto. Alter modus fuit particularis, respiciens hoc vel illud peccatum in particulari de qua expiatione agitur in hoc capite, & in tribus sequentibus.

IIII. *Ostiũ tabernaculi pro atrio.*

AD ostium]. Per ostium tabernaculi frequẽter intelligitur in sacris literis atrium ipsum vt apertè constat inferius cap. 8. vbi Aaron & filij eius præcipiuntur non exire per septem dies consecrationis de ostio tabernaculi, cum tamen ibidem imponantur ei facienda in atrio durante illo tempore. Et in hoc sensu accipitur ostium tabernaculi hîc & 1. Reg. 1. Dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabãt ad ostium tabernaculi, & Exo. 19. Quæ excubabant in ostio tabernaculi.

V. *Pōtifex interdũ offerebat sacrificiũ tanquã vnꝰ de plebe.*

IMmolabit eum]. Quia in huius sacrificij oblatione pontifex se gerebat, vt vulgaris quisquam, & quasi indigens aliquo mediatore inter se & Deum, non licebat ei exercere immolationem, vel alias ceremonias sacerdotales, sed tantũ offerre victimam, prout alij de populo offerebant: vt docet Abulen. hic. q. 14. Offerens enim sacerdos cui hostia offerebatur, distingui oportebat si fieri posset. Quod dico propter oblationẽ vituli, quæ fiebat in die expiationis generalis, de qua Leuit. 16. Quia enim vitulus ille offerebatur pro cunctis sacerdotibus, necesse erat, vt aliquis illorum immolaret: ac proinde munus illud pontifici erat impositum qui pro se & pro domo sua hostiam offerre tenebatur.

VI. *Quid sit fundi sanguinem in basim altaris.*

IN basim altaris]. Fundi sanguinem victimarum in basim altaris vel super altare, vel per altaris circuitum, idem prorsus est. Vnde vnum pro alio sæpe sæpius ponitur ab interpretibus. Qualiter autẽ intelligere debeamus hãc sanguinis effusionem, vt prædicta tria in idem recidant, diximus superius Exo. 29. annot. 1.

VII. *A regula generali sacrificiorum, excipiuntur aliqui casus in particulari.*

QVod si peccauerit]. Hoc in loco ponitur regula generalis pro expiatione speciali de peccato cõmisso ab vnaquaque persona particulari. Circa quam regulam oportet animaduertere cum Diuo Augustino in locut. super Leuit. capite taliter fieri mentionem in præsenti de sacrificijs pro omnibus in vniuersum peccatis, quòd tamen ab hac generalitate excipiantur peccata, quæ in duobus sequẽtibus capitibus memorantur, pro quibus specialia & diuersa sacrificia sunt instituta. Qui modus locutionis non semel tantum in scripturis sanctis reperitur: nã D. Paul. 1. Corint. 6. post quam generaliter dixerat, omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est, deinde subiungens exceptionem quandam inquit: Qui autem fornicatur in corpus suũ peccat. Ita igitur in præsenti pro omnibus peccatis priuatarũ personarũ instituũtur sacrificia exceptis ijs pecatis, quorũ postea fit specialis mẽtio.

ARGVMENTVM IN CAPVT V.

¶ In sacrificio pro peccato eius, qui testis existens noluit propalare veritatem agnitam, & eius qui omisit purificari immundi-

ditia contracta ex attactu rerum pollutarum, & eius, qui neglexit adimplere iuramentum, debet offerri agnus, ſiue capra, vel ſaltim duo turtures, aut duo pulli columbarum, aut tandem decima pars Ephi ſimilæ. In ſacrificio verò delinquentium circa vſum ſanctificatorum, vel in miniſterio rerum ſacrarum aries veniet offerendus iuxta æſtimationem ſacerdotum.

PARAPHRASIS IN CAP. V.

S*I peccauerit anima &*, quiſ-
A. piam hominũ cõmiſerit ali-
qua peccata, quæ ſpeciali pu
rificatione indigent, pro qui
bus non ſatis eſt illa ſacrifi-
cij oblatio, quæ in capite præcedenti pro
peccatis perſonarum particularium inſti-
tuta eſt, verbi gratia ſi *audierit vocem iu-*
I. *rantis*, 1 ſeu ſub execratione, & mali im-
precation e legitimè interrogãtis, *teſtiſq; fuerit* idoneus ad ferendũ teſtimoniũ, pro
pterea *quòd aut ipſe vidit, aut conſcius eſt*
eius rei, de qua ſub execratione interroga-
tur, *niſi indicauerit* veritatem, cum non
ſolum falſum reticere, ſed etiam interdum
veritatem propalare teneatur, *portabit ini*
quitatem ſuam; ac reus erit & obnoxius
ſacrificio, quod mox in tertio membro
huius legis præfigam: *Anima* quoque
ſeu perſona, *quæ tetigerit aliquid im-*
mundum, ex cuius contactu ſecundum
legem homo polluitur, *ſiue quod occi-*
ſum à beſtia eſt, aut per ſe mortuum,
aut quodlibet aliud reptile: cadauera
namque morticinorum, ſeu à beſtia oc-
ciſorum, & reptilia polluunt tangen-
tes ſe: ſi igitur aliqua perſona iſthæc,
vel alia ſimiliter immunda tetigerit, *&*
oblita fuerit immunditiæ ſuæ, ignoran-
terque omiſerit emundari ab illa, & ad-
hibere lauacrum, vel ſacrificium inſti-
tutum ad ſe purificandum, *rea eſt, &*
deliquit ob incuriam faciendi, quod
II. lex præcipit. *Et ſi tetigerit* 2 *quid-*
quam de his rebus, quæ afficiunt per-
ſonam tangentem, *immunditia hominis*
iuxta omnem impuritatem, qua pollui
ſolet; vt ſi tangat non ſolum cadauer,
vel reptile, ſed vel hominem lepro-
ſum, aut fluentem ſemine, vel mulie-
rem menſtruatam, ſeu patientem ſan-
guinis fluxum, vel tangat aliud quo-
modolibet polluens contrectantem, *obli-*
taque & negligens extiterit, & ex
inaduertentia omiſerit ſe purificare,
etiam ſi *cognouerit poſtea* peccatum ſuum
omiſsionis dolens de illo, & pœniten-
tiam agens paratus ſit admittere puri-
ficationem legis, non ſatis erit puri-
ficari vtcumque ab immunditia, quam
contraxit, ſed vlterius *ſubiacebit deli-*
cto, & tenebitur prout alij præceden-
tes ad offerendum ſacrificium iamiam
exprimendum. *Anima* præterea, vel
perſona quæcumque, *qua iurauerit &*
cum animo quidpiam promittendi *pro-*
tulerit labijs ſuis, vt vel male 3 *quid* III.
faceret, vel benè, videlicet promitten-
do aliquid triſte, vel lætum perficere,
& idipſum iuramento perfecto, & con-
ſummato, quale eſt, quod fit ſignis ex-
ternis, *& ſermone firmauerit, oblitaque*
non curauerit ſtare promiſsis in caſu, quo
ſtare teneretur, ſi *poſtea intellexerit de-*
lictum ſuum, & voluerit ab eo, & ab
alijs delictis, quæ modo retulimus, emun-
dari, videlicet à culpabili reticentia ve-
ritatis agnitæ, & ab omiſſa purificatio-
ne immunditiæ contractæ ex attactu re-
rum pollutarum, & à neglecta adim-
pletione iuramenti, *agat pœnitentiam*
pro peccato: 4 confitendo illud in ſpecie ali IIII.
cui ſacerdoti, cum intima cordis reſipiſcen-
tia, *& offerat de gregibus agnam ſiue ca-*
pram, ſi facultas eius ad hoc ſe extẽdit *ora-*
bitque pro ea ſacerdos, & pro peccato eius;
& ſic dimittentur ei. *Sin autem* pauperta- B.
te oppreſſus, *non potuerit offerre pecus*, nõ
propterea eſt illi aditus ſalutis occlu-
ſus, ſed ſatis erit, quòd *offerat* † *duos* † Inf. 12
turtures, vel duos pullos columbarum Do- b. 8. Luc.
mino, quæ vtraque facile erit reperire 2. d. 24.
in terra habitationis veſtræ, & eorum
vnum pro peccato, & alterum in holocau-

Digitized by Google

stium offeret peccator: *dabitque eos sacerdo*
ti, cuius ministerio immolari debent. *Qui*
primum turturem, vel pullum columbæ *offe*
rens pro peccato; nam ab expiatione pec-
cati debet incipere, quò gratum sit holo-
caustum, *retorquebit caput eius*, sic scin-
dendo illud; vt ipsum caput adiungatur *ad*
pennulas corporis auiculæ: *ita vt collo hæ-*
reat, & non penitus abrumpatur, sed ma-
neat per pelliculam ceruicis suspensum, ac
super pennulas corporis inclinatum, *& a-*
sperget de sanguine eius parietem altaris
holocaustorum. *Quidquid autem reliquum*
fuerit sanguinis, quia non in tanta erit co-
pia vt fundi possit, sicut de sanguine pecu
dū in alijs sacrificijs præcepi, *faciet destil*
lare ad fundamentum eius per rimulam,
quæ esse debet super ipsum altare: *quia pro*
peccato est hostia hæc, ac proinde sanguis
eius debet Deo offerri loco vitæ propriæ,
quam peccator merebatur amittere. *Alte-*
rum vero turturem, vel pullum columbæ
idem sacerdos *adolebit in holocaustum, vt*
fieri solet eo scilicet ritu & cæremonia,
quo superius dixi offerendum esse holo-
caustum volatilium: *rogabitque pro eo sacer*
dos, & pro peccato eius, & dimittetur ei ob
C. fidem, & deuotionem offerentium sacrifi-
cium. *Quòd si non quiuerit manus eius duas*
offerre turtures, aut duos pullos columba-
rum, ob inopiam, quam habet: *offeret pro*
peccato suo similā, seu floris farinæ, *partem*
ephi decimam, scilicet vnam mensuram
Gomor, qua sufficienter ali potest homo
in vno die. *Non mittet in eam oleum*, quod
iucunditatem & lætitiam in offerente sig-
nificat, *nec thuris aliquid imponet* quasi
quidpiam suauiter Deo redolens: *quia pro*
peccato est, ac proinde neque offerens hila
ritatem ostendet neque Deus cum ea suaui
tate hanc hostiam suscipiet, qua suscipit
hostias iustorum, apponere tamen debet
sal, quod superius in qualibet oblatione of
ferendum esse iussi, *tradetque eam sacerdo*
ti: per cuius solius ministerium peccata ve
niunt expianda. *Qui plenum ex ea pugil-*
lum hauriens ad sacrificium *cremabit super*
altare holocaustorum *in monimentum*
eius, qui obtulerit, seu in signum demon-
strans totam illam similā Deo fuisse obla-
tam. Idque faciet sacerdos *rogans pro illo,*
& expians, id est quantum in se est illum
expiare contendens, *reliquam vero partem*
similaginis ipse habebit in munere ob labo
rem & ministerium actionis sacrificandi.
Locutusque est Dominus ad Moysen, & aliā
sacrificiorum legem edidit, *dicens, Ani-*
ma, vel quilibet homo, *si præuaricans cære-*
monias non per superbiam, & ex malitia,
sed *per errorem*, 5 & ignorantiam culpabilem V.
commissam *in his, quæ* in tabernaculo, vel
ante ostium illius specialiter *Domino sunt*
sanctificata: qualia sunt panes propositio-
nis, & partes sacrificiorum, quæ in Dei cul
tum incendi debent, vel sacerdotibus ap-
plicari si in his inquam *peccauerit* surripiē
do aliquid eorum contra legis præscriptū,
offeret pro delicto suo, vt sibi remitti queat, D.
& illæsum *arietem immaculatum, de gre-*
gibus qui emi potest duobus siclis, iuxta
verum & legitimum *pondus sanctuarij*, 6 VI.
vbi asseruatur iusta & fidelis sicli mensura,
ne à falsarijs adulterari valeat: *ipsumque*
quod intulit damni restituet, cum non di-
mittatur peccatum nisi restituatur abla-
tum, *& quintam partem* valoris rei, quam
sustulit, *ponet supra, tradens sacerdoti* vltra
arietem quem ad sacrificium dedit, eidem,
qui rogabit pro eo offerens arietem, eo ritu
quo hostias pro peccato dixi esse offeren
das quando peccat quispiam de populo, *&*
dimittetur ei noxa, quam intulit in præua
ricatione sanctificatorum. *Anima* itē vel
persona *si peccauerit* 7 non scienter & ex
contemptu sed *per ignorantiam, feceritque* VII.
vnum ex his quæ Domini lege prohibentur
circa ministeria tabernaculi, & rerum diui
narum, *& peccati rea intellexerit iniquita*
tem suam dolens de illa, *offeret arietem im*
maculatum de gregibus sacerdoti, qui aries
erit maioris vel minoris ætatis, & valoris
iuxta mensuram æstimationemque peccati:
quam habita ratione culpæ vel ignorantiæ
delinquētis faciet ipse sacerdos. *Qui orabit*
pro eo crimine vel sacrilegio, *quia nesciens*
fecerit, & dimittetur ei, qui illud commisit,
quia per errorem deliquit in Dominum, sci
licet in his, quæ ad Dominum pertinent.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

I. *Iurare quādo intelligitur cū interpositione exsecrationis & maledictionis.*

VOCEM iurantis]. Verbum alah, à quo descendit nomen alah quod in textu Hebraico hoc in loco ponitur nō vtcumque iurare significat, sed iurare exsecratoriè, seu maledicere: vt cum dicimus: Hæc mihi addat vel faciat Deus si non fecero hoc. Vt patet ex alijs locis sacræ scripturæ, in quibus eadem dictio ponitur videlicet. Gen. 26. Sit iuramentū

inter

inter nos. Vbi vt in paraphrasi eiusdem loci explicuimus est sermo de iuramēto execratorio, quod inter paciscētes esse solet, ne quisquam audeat fœdus violare. Et Iud. 17. memorans Micheas iuramentum execratorium matris, quo mala imprecata fuerat ei, qui abstulisset pecuniam eius, si non reuelaret, ait: Mille centum argenteos, quos separaueras & super quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo. Vbi pro iuraueras ponitur idem verbum quod hic. Ex quibus locis non obscurè colligitur vocem iurantis de qua in præsenti est sermo nihil aliud esse quam execrationem, qua quis iuste exigit ab alio tanquam à teste reuelationem alicuius rei occultæ: vt in paraphrasi diximus. Qui sensus planus est, & literæ valdè conformis.

II. *Omissio purificationis requisitæ est duplex.*

ET si tetigerit.] Poterat quispiam existimare solum teneri ad oblationem sacrificij inferius præscripti ob contactum rerū pollutarum eum, qui taliter fuit negligens emundandi se, quòd nullatenus velit purificationem legis admittere: verbi gratia si iubeat lex lauari vestimenta emundatione, & ipse omnino recuset eiusmodi lotionem: cæterum si quis esset paratus ad lauandum vestimenta vel ad aliam purificationem à lege præfixam, illum non teneri ad tale sacrificium, quamuis prius fuisset negligens in purificando se. Vt igitur scirent Hebræi in vtroque istorum casuum teneri immundum desidem ad offerendum sacrificium in fine huius legis appositum: idcirco vtriusque casus fecit mentionē in hoc secūdo membro legis. Tria quippe membra habet lex ista. Primum est de reticentia veritatis agnitæ & quæsitæ. Secundum de omisione purificationis requisitæ ob contactum rerum pollutarum. Tertium vero de incuria standi promissis. Et pro expiatione speciali istorum trium delictorum instituitur vnū & idē sacrificium pro peccato.

III. *Bonū vel malū id est leue, vel triste.*

VT vel male]. Satis superque notum est vniuersis theologis in sacris literis malū vocari non solum malum culpæ, sed etiam malum pœnæ: prout constat ex Isai. 45. Ego Dominus faciens pacem & creans malum. Et Amos 3. Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit. Imo & quæcumque quomodo libet homines contristant, dicuntur mala vt. Luc. 16. Et Lazarus similiter mala (id est tristia) recepit. In quo sensu credimus hic dictum esse: Et protulerit labijs suis, vt vel male quid faceret. Ita vt loquatur Dominus de eo, qui promittit se rationabiliter affligere admittendo aliquid contristatiuum, & mœstitiam cuius sane cuius oppositum est id quod lætificat, & exhilarare facit: & hoc vocatur hic facere benè: iuxta quod dulcia & læta vocantur plerumque bona in Scriptura, vt Iob. capit. 2. si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus? & cap. 21. Ducunt in bonis dies suos. & Luc. 16. dictum est diuiti epuloni: Recepisti bona in vita tua.

IIII. *Pœnitētia Hebræorū requirebat cōfessionē peccatorum in specie.*

AGat pœnitentiam pro peccato]. Qualis debuerit esse ista pœnitentia satis apertè indicāt, verba Hebraica præsentis, loci, quæ si ad literam interpretētur, sic habēt: Et erit cū peccauerit in vno ex his, confitebitur apertè peccatum, quod peccauit. Habentur enim in præsenti similia verba in Hebraico illis, quæ reperiuntur in libro Numer. cap. 5. vbi nostra editio habet: Vir siue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mādatum Domini, atque deliquerint, confitebūtur peccatū suū. Vbi periti linguæ Hebraicæ (vt videre est in thesauris linguæ sanctæ) duo obseruant. Primū illud confitebuntur esse in coniugatione Hitpael, quæ auget significationē, ità vt dictio Hebraicæ pro illo posita, recte vertí possit, expresse à perte & distinctè cōfitebūtur. Deinde illa verba cōfitebuntur peccatū suū in Hebræo haberi cū maiori explicatione: sic enim legūt: cōfitebuntur peccatū suū, quod fecerūt. Ex quibus colligūt in his duobus locis imperari pœnitentiā, quæ fit cū manifesta cōfessione peccati in specie: si enim in genere tantū cōfiteri sufficeret, nō diceret scriptura: cōfitebuntur apertè peccatū illud, quod fecerūt: sed simpliciter, cōfitebuntur peccata sua. Quod autē huiusmodi cōfessio specialis peccatorū fuerit instituta in Testamento veteri satis probabiliter insinuatur in illo Eccli. 4. Nō cōfundaris cōfiteri peccata tua: etenim cōfusio timeri nō solet in confessione, quæ soli Deo fit, aut quæ fit homini generatim. Et certe cōsuetudo Hebræorū, & testimonia Rabbinorū hoc ipsum ostēdunt. De cōsuetudine Hebræorum testes sunt Vvalden. to. 2. de Sacramen. cap. 137. & D. Antoni. 3. p. tit. 14. cap. 6. §. 1. De testimonijs Rabbinorū vide Petrū Galatinū li. 10. c. 3.

V. *Peccans per ignorantiā, mitius, quā peccans per superbiā puniebatur.*

PEr errorē.] Dupliciter poterat aliquis peccare cōtra legis ceremonias. Vno modo per superbiā & ex malitia, & tūc delinquens puniebatur pœna mortis: iuxta illud Num. 15. Animæ quæ per superbiā aliquid cōmiserit, siue ciuis sit ille, siue peregrinus quoniā aduersus Dñm rebellis fuit, peribit de populo suo: verbū enim Dñi cōtēpsit. Et de huiusmodi peccatis Hebræ. 10. inquit Apostolus: Irritā quis faciēs legē Moysi sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur. Alio modo poterat peccari per ignorantiā & incōsideratione. Et tunc si omitteret quis purificari tenebatur offerre agnū siue caprā. Si verò vteretur sanctificatis cōtra præscriptū legis, vel delinqueret in ministerio rerū sacrarū, pœna præsentis legis mulctabatur. Si [illegible] in alijs rebus ceremonias legis fuisset tr[illegible]ssus, debebat offerre caprā, vt dicitur capite præcedenti circa finem.

VI.

IVxta pondus sanctuarij.] De quātitate, seu mensura sicli, & quidnam per siclū sanctuarij veniat intelligendum, plura diximus. Exo. 30. annot. 4.

VII. *Delinquere indemnū quis dicatur.*

ANima si peccauerit.] Quamuis hic sermo fiat de peccatis, quæ verè ex ignorantia procedunt, non tamen pro omnibus eiusmodi aries hic designatus offerri debet, sed dūtaxat pro ignorātia eius, qui deliquit in ceremonijs, rerū sacrarū. Quā limitationem adno-

X 5 tant

tant vniuersi ferè doctores: tū ex subiecta materia quæ sola est illa, cuius mentio facta est in verbis proximè præcedentibus: vbi solum agitur de præuaricatione cæremoniarum: tum etiam ex eo quòd in fine huius capitis habetur: quia per errorem deliquit in Dominum: hoc enim idem est ac si diceret peccatum commisisse in his, quæ seruituti Domini exhibentur: vt docet Diuus Augustinus in locutionibus super Leuiticum.

ARGVMENTVM IN CAPVT VI.

¶ Inferens iniuriam proximo vltra condignam partis satisfactionem, & pœnæ impositæ solutionem, tenetur arietem in sacrificium offerre. Sacerdotes verò holocaustum, & reliqua in altari incendenda igne proprio, & non alieno cremare præcipiuntur: in quorum tamen vsus cedit residuum sacrificij similæ: vt à masculis eorum absque fermento comedatur. Pontifex præterea tenetur iuge sacrificium sacerdotum offerre: cui vna cum alijs sacerdotibus conceditur ius vescendi carnibus illius hostiæ pro peccato, cuius sanguis non infertur in tabernaculum testimonij.

PARAPHRASIS IN CAPVT VI.

A. L*OCVTVS est Dominus ad Moysen dicens: Anima*, seu quæuis persona Israelitica,
I. *quæ peccauerit, & contempto Domino*, 1 qui præcepit proximi dilectionem, *negauerit proximo suo depositum* nolens reddere id, *quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit*, nempe per rapinam, *aut calumniam fecerit* dolo, & fraude proximum iniuriando, *siue rem perditam inuenerit, & inficians*, ac negans se eiusmodi rem inuenisse, *insuper peierauerit* ad maiorem rei alienæ occultationem, *& quodlibet aliud* prædictis simile *ex pluribus fecerit*, † *in quibus solent peccare homines* inferentes iniuriam proximis suis, *conuicta delicti* 2 apud semetipsam ex remorsu conscientiæ, & accusatione sui ipsius; (nisi enim persona se peccatricem agnoscat à culpa nequaquam mundabitur) *reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra*, quò æquitati iuris naturalis satisfaciat, *& quintam insuper partem domino cui damnum intulerat* reddet ex obligatione iuris diuini positiui, ad quod populus tantum Israel constringitur: *Pro peccato autem suo offeret* in sacrificium ad placandum Dominum, *arietem immaculatum*, seu omnino sanum, & præelectum inter omnes, qui sunt *de grege, & dabit eum sacerdoti iuxta æstimationem mensuramque delicti. Qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis, quæ faciendo peccauit:* prout in oblatione proximè præcedentis sacrificij agendum disposui. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Præcipe Aaron & filijs eius* tradens eis ceremoniarum ritus, vt per illorum officiū dispensentur, ac dices: *Hæc est lex*, seu ritus obseruandus in vsu & consumptione *holocausti*, & cuiusuis alterius victimæ, quæ super altare debet adoleri. *Cremabitur in altari* non solū per totum illū diem, in quo hostia fuerit incensa, sed etiam ibidem relinquetur *tota nocte vsq; mane* sequentis diei, vt nihil illius maneat incombustum. *Ignis* assumendus ad quodvis tabernaculi ministerium non aliunde afferetur, sed semper *ex eodem altari erit*, nulla ratione igne alieno admisso: *vestietur* quolibet mane sacris vestibus, videlicet linea *tunica sacerdos, & fœminalibus lineis*, quibus in ministerio tabernaculi vti debet, *tolletque cineres, quos vorans ignis exussit* tota die ac nocte præcedentibus, *& ponens iuxta altare*, in loco præparato, qui esse debet ad plagam altaris orientalē, *spolia-*

† Num. 5. a. 6.
II.
D.

spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque alijs, quæ scilicet reliquerat quado vestimenta sacra acceperat, *efferet eos cineres* iterum illos crematurus *extra castra, & in loco mundissimo* ad hoc specialiter designato, *vsque ad fauillam consumi faciet*: ne aliqua carnis particula, aut adipis relicta sit, sed meri cineres remaneant. *Ignis autem* consumendis sacrificijs dicatus, *in altari semper ardebit* scilicet per diem & noctem, *quem nutriet sacerdos*, cui à pontifice id muneris impositũ fuerit, *subijciens ligna mane per singulos dies, & imposito* in primis iugi matutino *holocausto desuper*, quod præcedere debet omnia sacrificia illius diei, *adolebit adipes pacificorum*, ac reliquas victimas eo die offerendas. *Ignis est iste*, seu debet esse *perpetuus*,
III. 3 *qui nunquã deficiet in altari* saltem quantum fuerit ex parte sacerdotum in eo altari ministrantiũ. *Hæc est lex* docens, quænam sunt obseruãda in oblatione *sacrificij & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coram Domino, & coram altari*, videlicet quæ præscribit, quibus dari debeat pars similæ, & vini & olei, quæ remanet ex sacrificio similę, quod simpliciter & absolutè vocatur sacrificium & si comedenda sit, vbinam comedere illam oporteat. *Tollet* igitur in sacrificio oblationis *sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super similam positum est, adolebitque illud in altari in monimentũ odoris suauissimi Domino*; prout supra dispositũ fuit. *Reliquam autem partem similæ*, de qua hucusq; non dixi, quid
C. nam ex ea facere teneatur sacerdos, *comedet Aaron cum filijs suis*: ei quippe iure cedet: in eũ tamen dumtaxat vsum, vt comedere illã possit *absque fermento, & comedet in loco sancto*, qualis est totus ambitus *atrij tabernaculi*, tentorijs circumtectus, habens centum cubitos in longum, & quinquaginta in latum. *Ideo autem non fermentabitur* simila sacrificij à sacerdotibus edenda, *quia pars eius* nempe pugillus à sacerdote sublatus, *in Domini offertur* sacrificium igne *incensum*: vnde reliqua huius similæ pars non debet commixtione fermenti profanari. *Sanctum sanctorum*, seu quid sanctissimum hoc quod ex sacrificio oblationis cedit sacerdotibus, *erit sicut* id, quod offertur *pro peccato atque delicto*: vnde sicut residuum hostiæ pro peccato à solis filijs sacerdotum edi permittitur, vt statim dicetur: ita & istud. *Mares tantum stirpis Aaron comedent illud*, quamuis non sint sacerdotes: his enim solis ob reuerentiam tanti sacrificij fas erit ex eo comedere. *Legitimum ac sempiternum erit* statutum istud, & cui à legislatore nullus constituitur finis *in generationibus vestris*; sed quandiu ritus isti legales manebunt, semper à populo isto obseruandum erit hoc, quod dispositum est *de sacrificijs Domini*: vt scilicet nemo alius à filijs sacerdotum comedat ex reliquijs sacrificij oblationis, & sacrificij pro peccato. *Omnis qui tetigerit illa*, quando & vbi oportet, *sanctificabitur*: 4 tanta namque est sacrificio- IIII.
rum virtus, vt etiam tangentes sanctificet, & puriores reddat. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, instruxitque eum de sacrificio sacerdotum, quod iugiter offerre tenetur summus sacerdos à die consecrationis suæ, & successionis in pontificatu *dicens*: *Hæc est oblatio Aaron & filiorum eius* succedentium in pontificatu, *quam offerre debent Domino in die*, seu V.
post diem *vnctionis suæ*. 5 *Decimam partem Ephi*, nempe mensuram Gomor, *offerent similæ*, & floris farinæ *in sacrificio sempiterno*, ex nullo legis præscripto finiendo. *Medium eius* decimæ partis ephi *manè & medium eius vesperè* offerent iugiter singulis diebus; vt iugis sit oblatio similæ, *quæ in sartagine oleo conspersa frigetur* offerenda pro sacerdotibus. *Offeret autem eam calidam*, hoc est mox, vt frixa fuerit, idque cum ea intentione, vt cedat quasi *in odorẽ suauissimũ Domino*: ex fide enim & obedientia offerentis taliter erit Deo accepta simila ista, qualiter solet esse gratus hominibus odor suauissimus. Offeret autẽ eã nõ quilibet sacerdos, sed Aarõ, vel *sacerdos qui iure patri successerit*: qualis est põtifex, nã reliqui sacerdotes vna cũ parẽtibus suis exercere possunt munus sacerdotale. *Et tota cremabitur in altari* ad modũ holocau-
sti: *Omne enim* seu totũ hoc iuge *sacrificiũ sacerdotum*, quod ex nomine totius ordinis sacerdotalis offert põtifex, *igne cõsumetur, nec quisquam comedet ex eo*, sicut neq; ex iugi sacrificio populi, cuiquã fas est comedere. *Locutus est autẽ Dñs ad Moysen*, docẽs eũ vsum sacrificiorũ tã pro peccato, quã ꝓ delicto *dicẽs*. *Loquere Aaron & filijs eius*: *Ista est lex*, & ritus obseruandus in vsu *hostiæ pro peccato*, quæ offerri debet pro peccato commissionis seu pro eo, quod prudens & sciẽs quis fecit. *In loco vbi offer-* D.

tur

tar holocaustum, nempe in altari, quod est in atrio tabernaculi, *immolabitur coram Domino* pars huius hostiæ, quæ incendi præcipitur. *Sanctum sanctorum est* victima ista seu valde sancta, vt pote Deo dicata pro remissione peccatorum. *Sacerdos qui offert comedet eam*, non in integrum, sed dempta portione in altari immolanda, comedet autē *in loco sancto*, ad hoc deputando *in atrio tabernaculi*, neque enim foras extra atriū eam deferre debet. *Quidquid tetigerit carnes eius*, siue vestis, siue alia quæcumque res etiā si inanimata fuerit, *sanctificabitur*, ta-
IIII lemque contrahet sanctitatem, vt nequaquam liceat eiusmodi rē in vsus profanos conuertere quousque mediante aliquo ritu & ceremonia sanctitas illa subtrahatur. *Si de sanguine illius* hostiæ pro peccato vel cuiuslibet alterius victimæ (in omnibus enim militat eadem ratio) *vestis fuerit aspersa*, vt carere possit sanctitate contracta ex eiusmodi aspersione, & ad vsus humanos con-
5 uerti, *lauabitur in loco sancto*, ob reuerentiā debitam sanguini sacrificij: *vas autem fictile, in quo* pars huius hostiæ à sacerdotibus vescenda siue alia quæuis victima, *cocta est, confringetur*, eo quod testea materia, & fictilis sustinere non poterit fortem defricationem, qua subtrahi oporteret, quidquid de humore victimę vasi fuisset impressum. *Quod si vas æneum fuerit defricabitur*: & id sufficiet ad hoc, vt nihil humoris, vel sanctificationis sacrificij in eo remaneat: *& lauabitur aqua* in loco sancto atrij, vbi vestes sanguine sacrificij aspersæ, lauari consueuerint; vtrorumque enim eadem est ratio. *Omnis masculus de genere sacerdotali*, quamuis sacerdos non sit, *vescetur de carnibus eius* hostiæ Deo dicatæ, non autem alius, *quia Sanctum sanctorum est*, hoc est, valde sanctum, ac propterea non permittitur à secularibus hoc sacrificium comedi, sed solum à sacerdotibus: quibus neq; etiā fas est omnibus hostijs pro peccato vesci; sed dumtaxat aliquibus. *Hostia enim quæ cæditur*, seu sacrificatur *pro peccato*, † *cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij*, vt aspergatur septies in Sancta sanctorum è regione oraculi, & vlterius septies extra velum *ad expiandum in sanctuario*, cuiusmodi hostia oblata pro peccato pōtificis, & hostia oblata pro peccato multitudinis, *non comedetur* à quoquā etiā sacerdote, *sed comburetur igni*; put † superius præceptū est à me.

† Hebr. 13.b.11. Sup.4.a.5.

† Sup.4.c.12.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

I. *In peccatis cōtra proximū etiam Deus offenditur*

CONTEMPTO Domino.] Aliqui interpretantur huiusmodi contemptum de peccatis ex malitia, & innixi sententiæ Philonis existimant hic agi de oblatione debita pro peccato ex certa malitia commisso. Cæterum quia hoc absque fundamento asseritur, cōmodius videtur dicendum in præsenti adhiberi aliam exceptionē vltra positas in capite præcedēti à lege generali sacrificiorū pro peccato, quæ posita fuit in capitulo quarto. Per quam exceptionem pręscribitur specialis oblatio ijs, qui iniuriam proximis inferunt. Ne autem carnalis populus Iudæorum existimaret per iniurias factas proximis non Deum, sed proximos tantū offendi, idcirco de eis acturus legislator, inquit: Anima quæ peccauerit, & contēpto Domino negauerit proximo depositū, & cætera: insinuans in peccatis contra proximum Deum quoque contemni.

II. *Conuictus delicti quis diceba tur in lege sacrificiorum.*

CONuicta delicti]. Nō satis animaduertit Lyranus, quid sit in hoc loco cōuicta delicti, neq; enim testibus, aut publico iudicio cōuincendus erat is, de quo nūc lex loquitur, sed propria cōscientia, qua stimulāte atq; vrgente sacerdoti illud detegere, ac confiteri tenebatur. Nec verba hæc redundant in textu Hebraico, vt putat Lyranus; sed in Hebræo sunt, modo Hebræum idioma rectè quis intelligat, prout D. Hieronymus optime intellexit, & eleganter vertit; qualiter etiam intellexit Philo Iudæus, qui interpretans locum istum in libro de victimis sic ait: Si quis mentitus fuerit de societate, aut deposito, aut rapina, aut inuētione rei perditæ, deinde ad vitandā suspicionē iurare non recusarit, & tandem arguente se intus conscientia periurium suum abnegationemq; ipse damnans confessus fuerit, ac veniam petierit, merebitur delicti obliuionem.

III. *Ignis altaris holocaustorum cur dicatur perpetuus.*

IGnis est iste perpetuus]. Ex hoc loco Leuitici nonnulli colligunt cum Rabi Salom. ignem altaris holocaustorū ex quo semel fuit incensus, nunquā defuisse, sed perpētuo durasse vsq; ad tēpora Titi & Vespasiani. Dicūt enim ignē istū etiā in deserto fuisse conseruatum & postea etiā in terra promissionis vsq; ad captiuitatē Babylonicā: & tunc fuisse abscondit ū in puteo profundo & sicco per sacerdotes illius tēporis, & in diebus Nehemiæ iterū miraculōse rehabitū, vt habetur 2. Macha. cap. 1. Sententia tamen istorum & impossibilis, & contradicit Scripturę. Est quidē impossibilis, quia profecturi Israelitæ de monte Sinai, mundauerūt sacerdotes altare cineribus, & prunis, & ipsum altare vna cū vasis inuoluerūt purpureo vestimēto, & velamine iāthinarum pellium iuxta præceptum Domini Numer. cap. 4. nullumq; sacrificium in eo altari obtulerūt postea, quā diu mansit populus in deserto; vt insinuatur in verbis

verbis Moysi Num. 28. vbi in vltima mansione loquens de iugi holocausto inquit: Holocaustum iuge est, quod obtulistis in monte Sinai: quasi in nullo alio loco proximiori oblatū fuisset: qualiter ergo poterat conseruari ignis tanto tempore? Contradicit etiam Scripturæ prædicta positio, quia. 2. Machab. ca. 1. expresse habetur, quod quando sacerdotes iuerunt ad puteum, non inuenerunt ignem sed aquam crassam, & illam hauserūt, & perfuderunt carnes sacrificij & ligna, & cum orarent sacerdotes accensus est inde ignis magnus: & sic patet quod ille ignis non manserat, sed extinctus fuerat, & postea miraculose de aqua ortus est ignis. Dicendum est ergo ea ratione ignem altaris holocaustorum vocari perpetuum, qua parum superius dictum fuerat debere semper ardere, nempe quia sacerdos nutrire eum tenebatur, subijciēdo ligna mane & vespere per singulos dies, vnde si voluntarie id omitteret facere, & fineret ignem extingui, sacerdos peccaret mortaliter contra præceptum perseuerantiæ ignis holocaustorum. In qua quidem perpetuitate & non in alia fundant doctores sacri sensus mysticos, quos referunt ad hoc propositum.

IIII. *Tangēs sacrificia multis modis dicebatur sāctificari.*

OMNIS qui tetigerit illa, sanctificabitur.] Tripliciter hoc potest intelligi. Vno modo quòd nullus potuerit hæc tangere nisi esset prius mundus & sanctus, aut nisi illi, qui sanctificati essent, quales sacerdotes erāt: & hoc modo videtur legem intellexisse Achimelech sacerdos. 1. Reg. 21. qui postulāti Dauid daturus sanctos panes inquisiuit, an vasa puerorum essent sancta & munda: & postquam mūda esse cognouit concessit. Alio modo intelligi potest locus iste, vt hoc quod dicitur, sanctificabitur idē sit q. sanctificatione indigebit aut purificatione; quoniā indignus & profanus sancta tetigit, ita vt solū sit sermo de alijs à sacerdotibus, quibus non erat licitū sacrificia contrectare. Tertio modo intelligitur, vt sermo sit de effectu sacrificiorum, quem consequuturi essent participantes digne ex illis: sanctificabantur namq; non tamen taliter, quòd participans de sacrificio purificaretur primo ab immunditijs (accedens enim ad vescendum carnibus oblatis iam mundus esse oportebat, vt dicitur capite sequenti,) sed quia purior & sanctior ex tali esu reddebatur. Ex quo triplici sensu lector eligat, quē maluerit, nobis tertius magis arridet, vt pote communi antiquorum patrum sententia comprobatus.

IN die vnctionis suæ.] Vnctio sacerdotū per septem continuos dies fieri oportebat, vt habetur. Exo. 29. & Leuit. 8. quibus durantibus sacerdotes manebant in tabernaculo obseruantes custodias Domini: & hoc solū erat munus sibi intra illos septem dies præfixum; vt in dictio ca. 8. dicitur. Ac proinde sacrificiū iuge sacerdotum, quod ab eo, qui patri iure succedebat, nēpe à pontifice, hic præcipitur offerri, videtur dumtaxat fuisse offerendum à die peractæ consecrationis. Et iuxta hoc præpositio, in, quando dicitur, in die vnctionis suæ, stat pro post, seu pro a vel ab: ita vt sensus sit quòd pontifex à tempore vel immediate post cōpletam suam vnctionem tenebatur hoc iuge sacrificiū sacerdotum quasi ex nomine totius ordinis sacerdotalis offerre. Quod autem præpositio, in aliquando obtineat prædictum sensum in sacris literis, laté probat Martinus Cantapetren. lib. 8. Hypotypos. capit. vltimo. V. *In, pro, post, seu pro A. vel Ab.*

ARGVMENTVM IN CAPVT VII.

Præscribitur vsus hostiæ pro delicto, cuius carnes demptis adipibus pertinent ad cibum sacerdotum. Ex holocausto verò sacerdos solùm habet pellem. Ex hostia autem pacifica habet pectusculum, & armū, ac residuum sacrificij similæ: reliqua vero huius hostiæ excepto sanguine, & adipe in altari incēdendo, pertinēt ad offerētes: ita vt vno vel altero die dūtaxat eis vesci liceat, dū tamē hostiæ caro nō tetigerit aliquid immundū, neq; comedentes sint immūdi. His enim esus hostiæ pacificæ, sicut & vniuersis Israelitis adeps & sanguis, interdicta sunt. De vnctione autem sacerdotum, & sacrificijs in ea offerendis, in capite sequenti agendum est.

PARAPHRASIS IN CAPVT VII.

A. HAEC *quoque lex* est, quam obseruare oportet in oblatione, & consumptione *hostiæ pro delicto*, i qualis hostia dicitur esse, quæ vel pro peccato omis- I.

omissionis, vel pro inordinata cogitatione, vel tādē pro eo, quod per imprudentiā cōmittitur, offerri solet. *Sancta sanctorū est*, seu valde sancta ac proinde quasi res sanctificanda tractanda venit. *Idcirco vbi immolabitur holocaustū*, nēpe in atrio tabernaculi corā Dño, *mactabitur & victima pro delicto*: quia vtrūque ad diuinū cultum offertur, licet non secundùm eandem rationem: *sanguis eius per gyrū altaris fundetur* per rimulā illā, quæ circūdare debet superiorē altaris partē, & mediare inter altare terreū internum & altare æneū externū. *Offerent ex ea* hostia sacerdotes *caudā, & adipē, qui operit vitalia. Duos renunculos, & pinguedinē, quæ iuxta ilia est reticulūque iecoris cū renunculis*: ea videlicet quæ crassiora, & pinguiora sunt in hostia, *& adolebit ea sacerdos super altare*, ad significādū diuinæ bonitatis abūdantiā, quæ ad remissionem peccati necessaria est. *Incensum est*, seu incendi debet, & comburi totum hoc, quod diximus in sacrificio *Domini pro delicto. Omnis masculus de sacerdotali genere*, quāuis ipse nō sit sacerdos, *in loco sancto* ad hoc designato intra atriū *vescetur his carnibus*, quę remanēt ex hostiis detracta portione, quæ incēdi præcipitur super altare; *quia Sanctū sanctorum est*, & valde sanctū illud, ꝙ ex sacrificio remanet, ac proinde nō nisi à personis sanctis, & in loco sancto cōsumi debet. *Sicut pro peccato offertur hostia*, & iuxta illū participādi eā modū, quē præscripsi in calce capituli pręcedētis, *ita & pro delicto* hostiā offerre oportet. *Vtriusq; hostiæ lex vna erit*, quātū ad vsum & participationē sacrificij, quāuis in alijs quāplurimis differat. *Ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit* principaliter residuum hostiæ, dēpta parte, quæ Dño cōburitur. *Sacerdos, qui offert holocausti victimam*, ad cuius munus etiā pertinet illā excoriare, *habebit pellē eius*: nam reliquū totū debet incendi. *Et omne sacrificiū simile, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur*, qualitercūque scilicet coquatur, seu pistetur, *eius erit sacerdotis, à quo offertur siue oleo conspersa, siue arida*, & absq; oleo simila *fuerint* excepto pugillo illo, quē superius dixi offerendum esse Domino super altare, *cunctis filijs Aarō* ministrātibus per vices suas *mensura æqua per singulos diuidetur*: ita vt vnusquisq; ꝙ offert, hoc habeat, absq; vlla personarū acceptione, neq; alicui, ꝙ alter debeat habere cōferatur. *Hæc est lex* decernens ritū seruandū in vsu & cōsumptione *hostiæ pacificorū, quæ offertur Domino* pro beneficio accepto vel accipiēdo. *Si pro gratiarū actione oblatio fuerit*, videlicet ad laudādū Deū pro beneficio iā suscepto, *offerent panes absq; fermento conspersos oleo*, ita vt in eorū pastatione, vel solū oleū, vel oleū cū aqua farinæ fuerit infusum, *& lagana*, quæ sunt placentæ quædam tenues, & extensæ, *azyma vncta oleo, coctamque similam*, seu farinæ florē, *& collyridas*, hoc est, panis crustulas ex prædicta simila cōficiendas, & *olei admistione conspersas panes quoque fermentatos* dabunt hoc sacrificium offerentes, *cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis* assumenda ex bobus, vel ouibus, vel capris, prout † superius dictum est. *Ex quibus* panibus fermentatis, quamuis nullus eorum super altare adoleri valeat, nihilominus *vnus pro primitijs offeretur Domino, & erit sacerdotis, qui fundet hostiæ sanguinem*, in quem vsum fermentatum, & mel dictum est in superioribus offerri posse: reliqui verò panes fermentati erunt offerentis, vt eis vtantur conuiuæ in esu hostiæ pacificæ, quæ offertur in gratiarum actionem pro beneficio suscepto. *Cuius carnes eadem comedentur die*, in qua fuerint oblatæ; *nec remanebit ex eis quidquam vsque mane*, vt qui experti sunt propensum paratumque fauorem cælestis numinis in beneficijs obtentis, incunctanter conuiuando fratres, vel amicos de hoc sacrificio impertiantur alijs, nihil illius in sequentem diem reseruantes. *Si voto vel sponte*, à nēpe ex desiderio & appetitu rei speratæ *quispiam obtulerit hostiam* pacificorū, qualiter offerre dicitur, qui intuitu alicuius beneficij, quod sperat, illā offert, *eadem similiter edetur die* curādo, ne quid corrūpatur mora tēporis, cum carnium vel conditarum natura sit obnoxia putredini. *Sed & si quid in crastinum remanserit vesci licitum est*: sacrificium namque hoc pro salute duorum offertur, corporis scilicet & animæ, proinde suus cuique dies epularis tribuitur, ita vt primæ diei conuiuium admoneat vos desiderij salutis animæ, sicut posteriora dies sanitatis corporis. *Quidquid autem tertius inuenerit dies*, quia præter animam & corpus nihil est cui propriè quæratur salus, *ignis absumet. Siquis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit*, transgredien-

B.

† Sup. 3. per totū.

II.

grediendo decretum huius legis, *irrita fiet oblatio*, quantum ad conſecutionem effectus intenti, *nec proderit offerenti* ad habēdum beneficium, pro quo impetrando obtulit hoc ſacrificium, *quinpotius quæcumque anima*, vel perſona *tali ſe edulio contaminauerit, præuaricationis rea erit*, † ac morte mulctanda eo quòd victimarum partes non ſunt in penum retrudendæ, ſed mox vt offeruntur in medium proponendæ omnibus indigentibus: iam enim ſunt non offerentis, ſed eius cui litatum eſt, qui cum ſit beneficus ac munificus, vult conuiuis vocatis communicari ſuum epulum.

† Inf. 19 b. 8.

C. *Caro* hoſtiæ oblatæ, *quæ aliquid tetigerit immundum*, ac proinde fœdari contigerit, *non comedetur, ſed comburetur igni* ob reuerentiam ſacrificij: *qui fuerit mundus* dumtaxat, & nemo alius *veſcetur ex ea carne*, quæ in hoſtia pacificorum venit comedenda. *Anima* ſeu perſona *polluta*, ex ſe habēs immunditiā, vt leproſus, aut ſemine fluēs, *quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis*, dignus immatura morte ſuccidi: *& quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, ſiue omnis rei, quæ polluere poteſt*, vt cadauer, aut quiduis aliud immundum, *& comederit de huiuscemodi carnibus*, cùm ex prędicto contactu, ipſe quoq; factus fuerit immūdus, *interibit de populis ſuis*, ac taliter dignus veniet exterminari, vt amplius nō viuat in populo ſuæ ciuitatis vel loci. *Locutusque eſt Dominus ad Moyſen dicens. Loquere filijs Iſrael*, & expone illis prohibitionem adipis quam ſuperius agens de hoſtia pacificorū propoſui ac dices eis. *Adipē ouis, & bouis, & capræ nō comedetis*, quāuis licitā ſit vobis comedere adipes aliorū animalium mundorum. *Adipē cadaueris morticini, & eius animalis quod à beſtia captū eſt*, non licebit comedere neque etiam Deo illum offerre: cæterū *habebitis in varios vſus*, ſcilicet ad vnctiones coriorū, & fomentum lucernarū, & alia huiuſmodi. *Si quis adipē, qui offerri debet in incenſum Domini*, & comburi ſuper altare *comederit, peribit de populo ſuo*, ac dignus erit morte propter ſacrilegium. † *Sanguine quoque omnis animalis non ſumetis in cibo tā de auibus, quā de pecoribus* propter rationes vobis inferius exprimēdas. *Omnis anima, quæ ederit ſanguinē, peribit de populis ſuis*, & diuino iudicio cōdēnanda veniet. *Locutusq; eſt Dominus ad Moyſen dicens. Loquere filijs Iſrael*, & doce eos modū offerēdi hoſtiā pacificā, *dicēs: Qui offert*, ſeu offerre voluerit, D.

† Inf. 17 c. 11. & 30. diſt. 6. ſi quis carnem.

prout oportet, *victimā pacificorū Domino*, nēpe bouē, vel ouē, vel caprā, *offerat ſimul & ſacrificiū ſimilæ, id eſt, libamēta eius*, de quibus libamētis ſeu oblationibus ſacrificiorū legē inſtitui ſuperius in capite ſecūdo. *Tenebit* autē offerēs poſtquā ſacerdos victimā occiderit, & excoriauerit, *manibus adipē hoſtiæ, & pectuſculū*, & eleuando antrorſum, & retrorſum, dextrorſum, & ſiniſtrorſum in reuerentiā illius, qui totius orbis eſt Dn̄s, dicabit, ſeu conſecrabit Deo. *Cumq; ambo oblata Domino cōſecrauerit* per prædictā agitationē, *tradet ſacerdoti, qui* hoſtiā occiderat, & is *adolebit adipē*, incēdendo illū *ſuper altare: pectuſculū autē erit Aarō & filiorū eius*: pertinere III. enim debet ad eū ſacerdotē, qui ſanguinem & adipē Domino obtulerit. *Armus quoq; dexter de pacificorū hoſtijs cedet in primitias ſacerdotis*: quoniā habere debet in hāc partē hoſtiæ ius, quod habet in ipſas primitias. *Qui obtulerit ſanguinē & adipē* quicūq; ille ſit ex cœtu *filiorū Aarō*, cuius dixi debere eſſe pectuſculū hoſtiæ pacificæ, *ipſe habebit & armū dextrū in portione ſua*: reliquū verò huius hoſtiæ dēpto ſanguine, & adipe cedet in vſus offerētiū. *Pectuſculū enim eleuationis*, nēpe quod in Dei reuerētiā ab offerēte, vna cū adipe eleuatur, *& armū ſeparationis*, qui loco primitiarū ſacerdoti ſeparatur in hoſtia pacifica, *tuli à filijs Iſrael de hoſtijs eorū pacificis*: ne Iſraelitę in ſpatula & oſſe pectoris victimarū ſuperſtitioſam diuinationē exerceāt, ritū gētium imitātes: gētes nāq; valde addictæ ſunt cuidā ſpeciei diuinationis quæ ſpatulomantia nūcupatur. Idcirco igitur abſtuli iſthæc à filijs Iſrael, *& dedi Aarō ſacerdoti, & filijs eius: lege perpetua ab omni populo Iſrael* obſeruāda, quādiu huius populi ſtatus perdurauerit. *Hæc*, de qua mox in capite ſequēti ſermo fiet, *eſt vnctio*, ſeu ritus obſeruatus in vnctione *Aarō & filiorū eius*, iuxta id, IIII. quod præſcriptū eſt *in ceremonijs Domini*, & obſeruatū fuit *die, qua obtulit eos Moyſes vt ſacerdotio fungerentur, &* etiā modo ſubiungā *quæ præcepit eis dari Dn̄s à filijs Iſrael* in dicto tempore cōſecrationis eorū *dē religione perpetua*, nequaquā pro libito mutāda, ſed *in generationibus ſuis* ſeu pro tēpore præſentis legis obſeruāda. *Iſta* præterea, de qua ſtatim agā, *eſt lex* ſeu executio legis *holocauſti, & ſacrificij & peccato*

atque

atque delicto, & cæterorum, quæ offerri debuerunt *pro consecratione & pacificorum victimis; quam* legem vel obseruantiam *constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quãdo mandauit filijs Israel, vt offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai*. Existẽti enim Moysi in monte illo non solum præcepit Deus, vt efferret populus, quæ necessaria erant ad tabernaculi fabricam, & alias huiusmodi oblationes, sed etiam constituit holocausta, & victimas, quæ immolare oportebat in diebus vnctionis Aaron, & filiorum eius ad hoc, vt exercerent officium sacerdotale.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

I. *Hostia pro peccato differt ab hostia pro delicto.*

HOSTIAE pro delicto.] Quamuis hæc duo nomina videlicet peccatũ & delictũ pro eodem plerumq; accipiantur, tam apud Hebræos, quàm apud Græcos & Latinos; & vnũquodque illorum quamlibet culpam, seu reatũ significet, non solum in alijs sacræ scripturæ libris, sed etiã in isto: dicitur enim superius c. 4. Si peccauerit anima vt faciat quidquam de his quę Domini lege prohibẽtur atque delinquat; vbi peccare & delinquere idem est, & similiter cap. 5. habetur. Anima si præuaricans cæremonias peccauerit offeret pro delicto suo arietem; nihilominus si vocibus istis adiungatur nomen hostiæ vel victimæ aliud & aliud intelligitur significari: aliud enim est hostia pro peccato, & aliud hostia pro delicto vbi propriè, & strictè hæ voces vsurpantur: vt cõstat & in hoc loco vbi postquam in calce præcedentis capituli actum est de vsu hostiæ pro peccato, hic subiungitur tanquam quid diuersum tractatus de vsu hostiæ pro delicto, vnde parum inferius dicitur: Sicut pro peccato offertur hostia ita & pro delicto. Et infra. cap. 14. habetur: Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia. Quæ verba nisi inter hanc duplicem oblationem discrimen adesse supponant, nequaquam congruum efficere valent sensum Et Ezechiel. 40. hoc ipsum apertè insinuatur, dum dicitur: Et in vestibulo portæ duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde, vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto. Dixi si propriè hæ voces vsurpentur, quia interdum largiter loquẽdo vnum pro alio in huiusmodi hostijs sumi consueuit: vt infra cap. 14. loquens scriptura de turture seu pullo columbæ, quem pauper leprosus offerre tenebatur pro peccato, inquit eum debere offerre pro delicto, idest, pro peccato, nam de oblatione pro delicto iam prius sermonem fecerat. Quodnam autem discrimen insit inter huiusmodi victimas non satis compertum est inter doctores. Quidam dicũt victimam pro peccato offerri pro commissione; victimam verò pro delicto offerri pro omissione; vt idẽ sit pro delicto, ac pro dereli cto. Quæ sententia placet Diuo Augustino quæst. 20. in Leuit. & ex modernis Lyrano, Abulẽsi, Isidoro Clario, & Petro Serrano. Alij existimant hostiam pro peccato expiare peccata, quæ in opere consistunt & culpas visibiles; hostiam autem pro delicto peccata cogitationis, & quæ in mente cõsummabantur, ita tenet Diuus Gregorius homil. 21. in Ezech. & Rédulphus monachus noster Flauiacen. super hunc locũ. Alijs tandẽ placet victimã pro peccato offerri solitã pro peccato, quod prudẽtes & scientes facimus; victimam vero pro delicto offerri pro peccato, quod per imprudentiã vel ignorãtiã committitur. In quam sententiam propendere videtur D. Hieronym. super Ezechie. 40. Eam probant, & defendunt Augustinus Eugubinus in Adnotationibus in Pentateuchum; & Franciscus Ribera de templo lib. 4. capite. 6, numero. 30. Ex his tribus sententijs eligat lector, quam maluerit; parum enim interest ad intelligentiam scripturæ vnam magis quàm aliam præeligere.

II. *Hostia pacifica duplex, altera laudatiua, altera spontanea.*

SI voto vel sponte.] Duplex erat hostia pacifica: altera vocabatur laudatiua, quæ offerebatur pro beneficio suscepto, altera vero votiua vel spõtanea; & offerebatur pro beneficio sperato: Quorũ nominũ ratio desumebatur ex eo quod præcipuè attendebatur in vnoquoq; istorũ sacrificiorũ. Quia enim post susceptũ beneficiũ maximè tenetur homo ad laudandũ Deũ & illi gratias exhibẽdũ, idcirco hostia huc tẽdẽs vocabatur laudatiua. Quia vero hostia pro beneficio sperato nõ tã procedebat ex obligatione laudis, quàm ex voto & desiderio talis beneficij propterea appellabatur votiua seu spõtanea. Et quoniam quo magis homo Deo obligatus existebat in re, pro qua sacrificium offerebatur, eo citius consumi debebat victima, hac de causa hostia laudatiua comedenda erat eadem die, in qua offerebatur: hostiæ verò votiuæ cõsumptio differri poterat vsque in diem sequentem.

III.

CVmque ambo oblata.] De modo quo adeps & pectusculum victimarum offerri debebant Domino, diximus Exod. 29. annotat. quinta, vbi vide.

IIII. *Signũ demonstratiuum aliquãdo refertur ad subsequentia.*

HAEC est vnctio Aaron.] Signum demonstratiuum horum verborum, & etiam quod parum inferius subiungitur, dum dicitur; Ista est lex holocausti aliqui referunt ad præcedentia, nempe ad oblationem quam exhibere tenebantur sacerdotes à tempore suæ consecrationis; de qua sermo habitus fuit in capite sexto, & ad ius quod ratione suæ vnctionis habebant Aaron & filij eius, tum in pelle holocausti; tum in residuo oblationis similæ, & etiam in pectusculo & armo hostiæ pacificæ de quo in præsenti capite actum est. Cæterum probabilius existimo figura

ista

ista demõstratiua non debere referri ad ea, quæ in superioribus dicta sunt, sed ad ea, quæ mox subiungũtur in cap. sequenti prout in paraphrasi explicuimus. Ad quod moueor ob duplicem causam. Altera est, quia similia signa in præcedenti & in præsenti capite posita, non demonstrant præcedẽtia, sed subsequentia: vt patet in cap. sexto quãdo dicitur: Hæc est lex holocausti. Et parũ posteà: Hæc est lex sacrificij, & deinde: Hæc est oblatio Aaron. Et prætereà: Ista est lex hostię pro peccato. Et in hoc cap. hoc ipsum apparet, dum in fronte ipsius sic habetur. Hæc quoq; lex est pro delicto. Et deinceps: Hæc est lex hostię pacificorum. Cum igitur in omnibus prædictis locis pronomina hoc, & istud referantur ad ea, quæ proximè subsequuntur; quare nõ hoc ipsum dicemus de similibus vocibus, quę in præsenti occurrũt? Altera ratio quæ ad hoc asserendum me mouet est, quia probabilissimum iudico, & multò quàm oppositũ probabilius, quòd ea quæ in hoc libro hucvsque conscripta sunt, & quæ in posterum in hoc ipso libro facta referantur, fuerunt prolata à Deo Moysi existenti in tabernaculo testimonij: vt colligitur ex verbis initio huius libri positis, videlicet: vocauit autem Dominus Moysen, & locutus est ei de tabernaculo testimonij. Ea verò, quæ hic demonstrantur fuerũt dicta Moysi existenti in monte Sinai, ante erectionem tabernaculi: vt in calce huius capituli habetur ibi: Quas constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandauit filijs Israel, vt offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai. Quod proculdubio mandauit antequam tabernaculum erigeretur: nam ad constructionem tabernaculi iussit Deus Israelitis conferre oblationes suas, vt dicitur Exod. cap. 25. Cum igitur id, de quo agitur in capite sequenti, sit executio eorum, quæ præcepit Deus in monte Sinai circa consecrationem Aaron & filiorum eius; vt constat ex cap. 29. Exodi, consequens est, quòd magis ad ista, quàm ad præcedentia debeat referri hoc, quod dicitur: Hæc est vnctio Aaron, & ista est lex holocausti.

ARGVMENTVM IN CAP. VIII.

¶ Præcipienti Deo, vt Aaron & filij eius cõsecrarentur in sacerdotes, obediuit Moyses: vnde in conspectu totius populi, cum lauisset fratrem ac nepotes, induit Aaronem vestibus Pontificijs, & super eius caput fudit oleum, quo vnxerat tabernaculum cum omni supellectili sua, vestiuit quoque filios eius vestibus proprijs, & pro omnibus obtulit vitulum pro peccato & arietem vnum in holocaustum, & alium in hostiam pacificam, præcepitque, vt per septem dies nullatenus egrederentur atrium tabernaculi.

PARAPHRASIS IN CAP. VIII.

A L OCVTVSQVE *est Dominus ad Moysen* cõstructo iam & erecto tabernaculo testimonij *dicens: Tolle Aaron cũ filijs suis, vestes eorum*, quas capite vigesimo octauo Exodi descripsisti, *& vnctionis oleum*, cuius compositionem in eiusdem libri capite trigesimo docuisti; *vitulum* præterea, qui offerri debet, *pro peccato* Aaron & filiorum eius, & *duos arietes*, vt vnus in holocaustum, & alter in hostiã pacificam immoletur, *canistrũ cum azymis* continens panes, & crustulam, & lagana oleo lita *& congregabis omnem cœtum filiorum Israel ad ostium tabernaculi*, vt cum maiori autoritate, & maiestate executioni mandes, ac omnibus nota fiant, quæ circa consecrationẽ Aaron, & filiorum eius præcepi tibi in monte Sinai. *Fecit Moyses, vt Dominus imperauerat, cõgregataq; omni turba ante fores tabernaculi*, vbi consistere solebat populus in publicis solemnitatibus: *ait: Iste est sermo*, vel actus per sermonem significatus, *quem iussit Dominus fieri*, istẽ inquã, quem modo à me exerceri conspicietis. † *Statimq; obtulit*, seu statuit coram altari & tabernaculo *Aaron & filios eius*, quasi diuino cultui applicandos. *Cumque lauisset eos* manus videlicet, ac pedes eorum in signum, quod deponere tenebantur sordes vitiorum, & conuersationem secularẽ, *vestiuit Pontificem*, qui iam in occulto propter honestatem indutus fuerat fœminalibus, *subucula*, vel tunica *linea*, *accingens* I.

† 21. distin. c. 1. in princip.

gens eũ balteo, seu cingulo variegato opere polymitarij cõfecto, *& induens eũ tunica hyacinthina & desuper humerale*, hoc est ephod Pontificium, *imposuit, quod astringens eodẽ*, quod põtifex accingi debebat, *cingulo aptauit rationali*, ita cõstanter & firmiter cõstringendo vtrumq; vestimentũ annulis aureis, ac vitta hyacinthina, vt nequiret faciliter humerale separari à rationali, *in quo erat* multitudo gẽmarũ, quarũ splendore & integritate designabatur *doctrina, & veritas*, quibus pollere debebat

B. põtifex ad discernendũ res difficiles. *Cydari quoq;* scilicet mitra vel tiara *texit caput & super eã contra frontẽ*, seu è regione frontis, *posuit laminã auream cõsecratam in sanctificatione*, nempe ad hoc, vt per eam sanctificarẽtur filij Israel. Quæ omnia executus est Moyses, *sicut præceperat ei Dominus*, tum in mõte Sinai, quãdo iussit isthæc omnia ornamenta confici, tum in tabernaculo fœderis, quãdo præcepit Aarõ induere, &

† De consecra. d. 1. in pri.

cõsecrare. † *Tulit & vnctionis oleum*, quo ante quã vngeret Aaron & filios eius, *liniuit tabernaculũ cum omni supellectili sua*, vt in maiori reuerentia à populo haberentur, & digniora redderẽtur sacrificia in eis peragenda. *Cumq; sanctificans*, hoc est diuino cultui dedicãs, *aspersisset altare* holocaustorũ, quasi ipsum emũdans ac purificans, *septem vicibus vnxit illud & omnia vasa eius*, nẽpe lebetes, & forcipes, atq; fuscinulas, & igniũ receptacula, quæ in monte Sinai Dñs fieri iusserat: *labrumq;* de speculis mulierũ cõfectum *cũ basi sua sanctificauit*, atq; à prophanis vsibus separauit vngẽdo ipsum *oleo. Quod* purũ absq; mixtione san-

† Eccles. 45. c. 18.

guinis † *fundẽs super caput Aarõ vnxit eũ, & cõsecrauit* in signũ augmẽti gratię & spiritus, quod põtifici cõferebatur. *Filios quoque eius* non à se ipsis, sed à Moyse prius *oblatos*, & coram altari constitutos *vestiuit* vestimentis eorũ dignitati cõcernentibus videlicet, *tunicis lineis, & cinxit balteis, imposuitque mitras, vt iusserat Dñs* Moysi in mõte Sinai. *Obtulit & vitulũ pro pecca-*

C. *to*, quẽ iuxta Dñi præscriptum applicauerat ad ostium tabernaculi. *Cũq; super caput eius posuisset Aarõ & filij eius manus suas* in signũ acceptę potestatis offerẽdi hostias in sacrificiũ, *immolauit eũ*, & occidit *hauriẽs sanguinẽ, & tincto digito* in sanguine illo *tetigit cornua*, quę supereminẽt in quatuor angulis *altaris per gyrũ*: vt eo ritu altare holocaustorũ amplius sanctificaretur.

Quo expiato & sanctificato fudit reliquum sanguinẽ ad fundamẽta eius per rimulam, quæ cingebat partẽ superiorẽ altaris. *Adipe verò qui erat super vitalia* operiens intestina *& reticulum iecoris, duosque renunculos cũ aruinulis suis*, quasi optima, & delicatissima ipsius vituli *adoleuit super altare*; prout in cæteris quoq; hostijs pro peccato fieri solet: cæterũ *vitulũ cũ pelle & carnibus & fimo* nõ tradidit filijs Aarõ, quibus carnes aliarũ victimarũ pro peccato tradi præcipiuntur, sed adoleuit ea *cremãs extra castra, sicut præceperat Dñs*: ne id quod pro peccato offertur in vsum redeat offerentiũ. *Obtulit & arietẽ in holocaustũ super cuius caput cũ imposuissent Aarõ & filij eius manus suas* in signũ volũtariæ oblationis, & acceptę potestatis offerendi sacrificium Dño *immolauit eũ* Moyses iugulando ipsum, *& fudit sanguinẽ eius* in rimula, quæ erat *per circuitũ altaris* designãs victimam ipsam sicut & reliqua bona Deo esse debitã. *Ipsumq; arietẽ* nõ secus atq; Abrahã per medium diuisit arietẽ fœderis initi inter se & Deũ; ita pariter Moyses *in frusta concidens caput eius & artus & adipẽ adoleuit igni lotis prius intestinis, & pedibus*, vna cum alijs arietis partibus, quibus ablutis ordinatè & cõuenienter disposuit: *totumq; si-*

D. *mul arietem incẽdit super altare*, & vsq; ad fauillã cõbussit; *eo quod esset holocaustũ*, ita gratũ & acceptũ ac si esset quidpiã *suauissimi odoris Dño*, plusquã grata esse soleant reliqua sacrificiorũ genera, quod totum fecit Moyses, *sicut præceperat ei Dñs* in mõte Sinai. *Obtulit & arietẽ secundũ* in hostiã pacificã, quam offerre oportebat pro gratiarũ actione referẽda *in cõsecratione sacerdotũ posueruntq; super caput eius Aaron & filij eius manus suas* in signũ voluntarij cõsensus à se præstiti oblationi illius arietis, *quem cũ immolasset Moyses* iugulãdo ipsum *sumens de sanguine eius tetigit extremum auriculæ dextræ Aarõ, & pollicẽ manus eius dextræ, similiter & pedis*, in signũ prõptæ obediẽtię legi Dei, & solicitæ operationis, quã exhibere tenetur sacerdos in executione muneris sacerdotalis, & in oblationibus sacrificiorũ. *Obtulit & filios Aarõ* eodem

E. ritu, quo obtulerat pontificẽ, tingendo, scilicet auriculas, & pollices dextros: *cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremũ auriculæ singulorũ dextræ & pollices manus ac pedis dextri, reliquũ fudit* per rimulam, quæ est *super altare per circuitum*,

quasi

quasi offerendo id, in quo est vita ei, qui est principiũ essendi: *adipe vero & caudã omnemq́ pinguedinẽ, quæ operit intestina, reticulumq́ iecoris, & duos renes cum adipibus suis & armo dextro separauit*, vt vna cum alijs rebus Dño incenderẽtur super altare, *Tollens aute de canistro azymorũ, quod* prout superius asserui, *erat corã Dño* ante fores tabernaculi, tollẽs inquã *panẽ absq; fermento, & collyridam* seu crustulam *cõspersam oleo, laganumq;, posuit super adipes, & armũ dextrũ tradens simul omnia Aaron & filijs eius*, quo inciperent exercere munus sacerdotale. *Qui postquam leuauerunt ea cõ*mouendo huc atq; illuc per modũ crucis *coram Dño*, & desiguarẽt eiusmodi agitatione Deũ esse quatuor terræ plagarũ, ac totius
F. orbis dominũ, *rursum suscepta de manibus eorũ adoleuit super altare holocausti, eo quod cõsecrationis esset oblatio*, seu hostia pacifica pro beneficio consecrationis sacerdotalis, cedens quasi *in odore suauitatis sacrificij Dño*, atq; ita grata Deo sicut odor suauissimus solet esse gratus hominibus. *Tulitque pectusculũ eleuans illud corã Dño*, & cõmouens ab Oriente in Occidentem, deinde à Septentrione in Meridiẽ in signũ sanctificationis illius pectusculi; tulit autẽ illud *de ariete cõsecrationis*, vt cederet *in partem suã sicut præceperat ei Dñs*; quando ritũ cõsecrãdi sacerdotes præscripserat. *Assumensque vnguentum*, seu oleũ vnctionis, *& sanguinem*, hoc est de sanguine hostiæ consecrationis, *qui erat in altari, aspersit super Aaron & vestimenta eius & super filios illius, ac vestes eorũ*, renouãs fœdus, quod pepigerat Deus cũ populo Israël, quando sanguinẽ vitulorũ respersẽrat idẽ Moyses in populum; cuius fœderis maximè debent, esse memores sacerdotes. *Cumq́ sanctificasset eos*, & cõplesset, quæ primo die fieri oportebat circa sacerdotes, dum erant *in vestitu suo*, nẽpe induti veste sacerdotali, *præcepit eis dicens: Coquite carnes*, quæ reman- G.
serunt ex hoc secundo ariete consecrationis, *ante fores tabernaculi*, nõ quidẽ super altare sed in atrio, *& ibi comedite eas*, prout offerentes host ã pacificam participes esse solent illius; *panes quoq́ consecrationis edite, qui positi sunt in canistro*, & residui fuerũt ex sacrificio, *sicut præcepit mihi Dominus dicens*: † *Aarõ & filij eius comedent eos*, alięgenis prorsus exclusis; *quidquid autem reliquũ fuerit de carne* eiusmodi arietis, *& panibus* oblatis in hoc sacrificio *ignis absumet*; ne quidpiã eorum remaneat vsq; mane, nec reseruetur, prout reseruari solent cibi prophani. *De ostio quoq;* i. hoc est atrio *tabernaculi nõ exibitis septem die*- II.
bus, nisi fortè ad necessaria naturæ *vsque ad diem, quo cõplebitur tẽpus cõsecrationis vestræ, septem enim diebus finitur cõsecratio*: in quorũ vnoquoq; reiterare oportet eadẽ sacrificia, quæ prima die oblata sunt, *sicut & in præsentiarũ factum est, vt ritus sacrificij* consecrationis sacerdotalis *cõpleretur* eo ordine & eo dierum spatio, quo Deus iussit. *Die ac nocte manebitis in* seu coram *tabernaculo, & obseruantes custodias Dñi* ea scilicet, quę iussit Dñs custodiri; *ne moriamini*, prout proculdubio moriemini, si ceremonias vobis præscriptas transgressi fueritis; *sic enim mihi præceptum est*, & diuinitus inditũ. *Feceruntq́ Aarõ & filij eius cũcta quæ locutus est Dñs per manum Moysi*, assumendo ipsum Moysen quasi instrumẽtum & cooperatorem ad præcipiendum filijs Israel, quæ facere eis oporteret.

† Exod. 29 f. 32 Inf. 24. b. 9.

III. IIII.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

I. *Leges sacrificiorũ instituit Dominus in mõte Sinai.*

IVSSIT Dominus fieri.] Iussionem istã præstitit Deus in monte Sinai, vbi vniuersi ritus & sacrificia, de quibus in præsenti dicitur fuisse executioni mandata, instituta ac præcepta fuerunt, vt videre est Exodi 29. vnde paraphrasis illius capitis, & quæ circa illius intelligentiam adnotauimus plurimum iuuabunt ad intelligentiam præsentis.

II. *Ostiũ tabernaculi pro atrio.*

DE ostio quoq;.] Per ostium tabernaculi nõ solum spatiũ illud decem cubitorũ, quod ingressui in tabernaculum deseruiebat, sed & atriũ ipsum, quod ante tabernaculũ existebat, debere intelligi constat ex pluribus sacræ scripturæ locis. Nam Exod. 38. dicitur labrũ æneũ fuisse confectũ de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi, vbi certum est per ostiũ non significari ipsum tabernaculi ingressum, cum illuc mulieribus accessus nõ pateret, ac per cõsequẽs atrium quodpiam significatur. Et simili sensu veniũt intelligẽda verba illa. 1. Reg. 2. Filij Heli dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostiũ tabernaculi. Imo & quod hoc eodẽ capite superius dictũ est: Cõgregabis omnẽ cœtum ad ostiũ tabernaculi statim postmodũ explicatur cum dicitur: Cõgregataque omni turba ante fores tabernaculi. Qualiter quoq; intelligendũ venit, quod cap. seq. dicitur: Tulerũt ergo cũcta quæ iusserat Moyses ad ostiũ tabernaculi. Vbi cum omnis multitudo astaret ait Moyses. Certum enim est omnẽ non potuisse astare in spatio illo ostij, sed ante eũ. Iuxta hunc igitur sensum intelligi debet locus

iste. De ostio quoque tabernaculi non exibetis. Vt scilicet ostium stet pro atrio.

III. *In, pro coram, vel pro circa*

IN tabernaculo.] Hoc in loco præpositio in, stat, pro corã, vel pro circa; prout in alijs etiã scripturæ locis accipi solet. Pro corã enim accipitur Matt. 18. Si peccauerit in te frater tuus corripe eum. Id est si peccauerit in Deũ aliquis homo te præsente: corripe. Pro circa etiam poni solet dictio in, vt Hebræ. 6. Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quã ostenditis in nomine ipsius: pro circa nomen eius, vel circa illum, & de campestribus Moab loquens scriptura Num. 21. inquit: Vallis est in regione Moab in vertice Phasga. Vbi secunda præpositio, in, necessario stat pro circa vel coram; alias absurdum esset asserere vallem existere in vertice collis. Adhunc igitur modũ sacerdotes non præcipiuntur in præsenti manere in ipso tabernaculo, sed solum vt manerent coram vel circa tabernaculum; videlicet intra atrium tabernaculi.

IIII. *Manus & actione tam operis quam sermonis*

PEr manum Moysi.] Quoniá manibus operari consueuimus, hinc factum est, vt nomine manus quælibet actio, siue operis, siue sermonis, & etiam tam principalis, quã instrumentalis significari soleat. Vnde sicut manum alicuius adesse est illũ operari, vel loqui; vt. 2. Reg. 14. Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? Id est: Num Ioab tibi quidpiã locutus est? Et Ezech. 1. Et facta est super eũ ibi manus Domini. Hoc est, exercuit Deus circa eum actionem aliquã. Ita aliquem loqui vel facere quidpiam per manum alicuius est eum assumere tanquã instrumentũ ad aliquid faciendum vel loquendum, vt in præsenti & Iosue. 17. Dominus præcepit per manum Moysi, vt daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum: nam Moyses habuit se quasi Dei instrumentũ ad intimandum hoc præceptũ. Quem sensum maximè cõfirmant verba illa Osee. 12. In manu prophetarũ assimilatus sum. Id est, in locutionibus, & alijs operationibus prophetarum varias vobis similitudines obtuli, vt me amaretis & ad me rediretis. Etenim Deus non solùm verbis prophetarum, verum etiam quibusdam eorum operationibus externis homines docuit.

ARGVMENTVM IN CAPVT IX.

¶ Exequitur Aaron vna cũ filijs suis munus sacerdotale, quod susceperat, ad quod offert diuersa sacrificiorum genera tam pro se, quam pro populo: Pro se quidem obtulit vitulũ pro peccato, & arietem vnum in holocaustum, & alterum pro pacificis. Et nomine populi hircum pro peccato, & vitulum atq; agnum anniculos in holocaustum, & bouem & arietem pro pacificis. Quibus sacrificijs peractis cum adhuc carnes eorum super altare cremarentur ignis miraculosè accensus subito eas deuorauit.

PARAPHRASIS IN CAP. IX.

A. FACTO *autem octauo die* post septem præcedentes dies cõsecrationis, quibus sacerdos extiterat ad ostium tabernaculi, *vocauit Moyses Aaron & filios eius, ac maiores natu Israel*, vt maiori cum solemnitate executioni mandaretur sacrum officiũ, quod noui sacerdotes susceperãt; *dixitque ad Aaron:* † *Tolle de armento* pecorum tuorum, ac de gregibus tuis *vitulum pro peccato*, cuius oblatione expiari valeas tã à peccato cõmisso in conflatione vituli, quàm à reliquis peccatis tuis; *& arietem in holocaustum*, qui sit memoratiuus arietis oblati ab Abrahã pro Isaac: assumes vero *vtrumq; immaculatũ*, sanum, & illæsum: *& offer illos coram Dño*, adducendo eos ad ostiũ tabernaculi, vt sint parati ad sacrificiũ. *Et ad filios Israel loqueris* ex nomine Dñi præcipientis, vt isthæc perficias. *Tollite hircum* à me immolãdum, *pro peccato* multitudinis ad denotandum in hirco, quod est animal fœtidum grauitatem peccati multitudinis populi: tollite quoq; *& vitulũ atq; agnũ anniculos, & sine macula*, seu læsione corporali, vt eos offerã *in holocaustum bouẽ & arietem*, vt sint hostiæ *pro pacificis*, ad finẽ consequẽti à Deo pacem, & integritatẽ, quam expetitis domibus vestris; *& immolate eos* per me Põtificem vestrũ *corã Dño in sacrificio singulorũ similam* ex flore ac præcipua farinæ substantia cõfectam, *cõspersam oleo offerentes* iuxta ritum in singulis sacrificiorum generibus vobis superius præscriptũ, ad quod promptè faciendũ excitari debetis; *hodie enim Dominus apparebit vobis* per ef-

† *Exod. 29. a. 1. 31. f. 1. 5. sed obijcies.*

per effectum mirabilem, nempe dando ignem de cælo in altari holocaustorum. B. *Tulerunt ergo* tam Aaron quam filij Israel *cuncta, quæ iusserat Moyses ad ostium tabernaculi: vbi cum omnis multitudo astaret, ait Moyses: Iste*, qui statim opere cōplebitur, & executioni mandabitur, *est sermo*, seu actus per sermonem significatus, *quem præcepit Dominus*, vt faciatis: proinde *facite, & apparebit vobis gloria eius*, quæ erit signum quoddam visibile immensæ bonitatis suæ, quo ostendet complacere sibi sacrificia vestra. *Et dixit ad Aaron: Accede ad altare* executurus officiū sacerdotale, *& immola pro peccato tuo* vitulum, quem tulisti de armento, atq; *offer holocaustum* de ariete à te adducto, *& deprecare pro te & pro populo: cumq; mactaueris hostiam*, seu hostias *populi, ora pro eo*, quasi mediator inter Deum & populum, *sicut præcepit Dominus. Statimq; Aaron accedens ad altare* holocausti, *immolauit vitulum pro peccato suo* iugulans ipsum, *cuius sanguinem obtulerunt ei filij sui* in cratere, vel phiala, *in quo tingens digitū tetigit cornua*, seu radios prominentes in angulis *altaris, & fudit residuum ad basim eius* per rimulam cingentē superiorē planitiem altaris. *Adipem*q; & *renunculos, ac reticulum iecoris, quæ sunt* destinata, vt incendantur *pro peccato adoleuit* supponēdo ignem, qui absumeret ea *super altare, sicut præceperat Dominus Moysi: carnes vero & pellem eius extra castra cōbussit igni*: eo quod esset hostia pro peccato sacerdotis. C. *Immolauit & holocausti victimam* occidēdo arietem, qui paratus erat ad holocaustum *obtuleruntq; ei filij sui sanguinē eius, quē fudit* in rimula existente *per altaris circuitum. Ipsam etiam hostiam in frusta concisam cum capite & membris singulis obtulerunt* filij Aaron patri suo, *quæ omnia super altare cremauit igni*, non subitò sed paulatim, idque *lotis aqua prius intestinis, & pedibus*, ob maiorem hostiæ reuerentiam. *Et pro peccato populi offerens*, & exercens munus sacerdotale *mactauit hircum*, quem ei tradiderant filij Israel, *expiatoq; altari* per oblationem, & immolationem hirci pro peccato *fecit holocaustum* de vitulo atque agno anniculis sibi à populo traditis: *addens in sacrificio libamenta*, seu portiones illas, quæ de simila & alijs oblationibus in partē Domini sequestrantur, *quæ pariter offerūtur, & adolens ea super altare* supponendo modicum ignem, qui paulatim ea cōsumeret.

Quorum holocaustorū ritus executus est Aaron *absque ceremonijs* seu vltra ritus *holocausti matutini*: his enim etiam operam nauauit, nihil muneris sui prorsus omittēs. *Immolauit & bouem atque arietem* offerendo isthæc animalia tanquam *hostias pacificas populi*; vt earum intuitu pacem, & incolumitatē præberet Deus filijs Israel: *Obtuleruntque ei filij sui sanguinem* harum victimarum, *quem fudit super altare in circuitum*, designando Deum esse autorem vitæ vniuersorum. *Adipem autem bouis* D. *& caudam arietis renunculosque cum adipibus suis & reticulum iecoris posuerunt super pectora* bouis & arietis, ad hoc quod cum pectoribus eleuarentur antrorsum, & retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum, in signum quod carnes illæ totius orbis Domino offerebantur: post quam eleuationem partes hostiarum ab inuicem seiungebātur, *cumque cremati essent*, seu in ignem proiecti, quāmuis non consumpti *adipes super altare, pectora eorum*; quæ sub eisdem adipibus extiterant, *& armos dextros separauit Aaron* in vsum suum iterato illa *eleuans coram Domino sicut præceperat Moyses*; & sicut ipsemet Moyses fecerat, quādo consecrauit Aaron & filios eius. *Et extendens manus 1 ad populum benedixit ei*; I. sacerdotis namque est benedicere populum sacrificio consummato. *Sicq; completis hostijs pro peccato & holocaustis, & pacificis*; quas obtulerat tam pro se, quàm pro populo *descendit* de scamno ligneo, aut aliquo alio simili altari apposito propter eius altitudinē. Gradus enim fieri nō licebat dicente Domino: Non ascendes per gradus ad altare meū. *Ingressi autem Moyses & Aaron in tabernaculum testimonij* iuxta consuetudinem sacerdotum sacrificiorum officia consummantium, Deo gratias egerunt & veniam defectuum in sacrificando commissorum petierunt; *& deinceps egressi benedixerunt populo* quam plurima bona illi imprecando. † *Apparuitque gloria Domini 2*, atque gloriosum & laude dignum per effectum mirabilem exhibuit se Deus *omni multitudini, & ecce egressus ignis 3 à Domino*, vel de tabernaculo exiens aut de cœlo descendens vel fortè de ipso altari per Dei voluntatem solito, vehementius exardescens hora eadem *deuorauit holocaustum 4, & adipes, qui erant super altare*: & quod Aaron dimiserat, vt lenta vi ignium paulatim consume-

† *Malachi. 2. c. 11.* II. III.

sumerētur. *Quod cū vidissent turba laudauerunt Dominū ruetes in facies suas*, ob timorem, & reuerentiā immensæ potentiæ Dei approbantis tam mirabili signo, & gratum sibi ostendentis sacerdotium Aaron & filiorum eius.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

I. *Extendere manus idest benedicere*

ET extendens manus ad populum.] Cōsueuerunt Iudæi filios benedicere eleuando manum, & ponendo eam apertam super caput benedicendi; quem modum ex duobus Scripturę locis colligere possumus. Primus est hic, vbi dicitur Aaronem extendisse manus ad populum, dum illum benediceret. Secundus habetur Genes. c. 48. vbi Iacob benedicturus Ephraim & Manassem posuit manus super eorū capita. Quò autē tetenderit ritus iste non omnino constat. Mihi probabilius videtur eum, qui eo signo benedicebat protectorem & auxiliatorem eius, qui benedicebatur se voluisse ostēdere: solemus enim leuare manus super eos quibus auxilium & protectionem adferre volumus: vnde Marc. vlt. dicitur de credentibus in Christū super ægros manus imponēt, & benè habebūt. Et etiam leuare manū pro aliquo solet per Hebraismum significare auxiliari, ac protegere: vt Ezech. 20. Et leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob, & apparui eis in terra Aegypti, & leuaui manum meam pro eis dicens: Ego Dominus Deus vester. In die illa leuaui manū meā pro eis, vt educerē eos de terra Aegypti. Quibus verbis significatur auxilium, quod præstitit Deus Israelitis in exitu eorum de Aegypto.

II. APparuitque gloria Domini.] Quidnā per gloriam Domini veniat intelligendum diximus late superius. Exod. vlt. super illa verba: Operuit nubes tabernaculum testimonij & gloria Domini impleuit illud. Ibi vide in annotationibus.

ET ecce egressus ignis.] Ignem istum tanti faciunt Iudæi, vt dicant eū perpetuo mansisse ab hoc die, quo de cœlo fuit delatus vsque ad tempora Titi & Vespasiani. Cæterum quam falsum hoc sit ostendimus superius hoc eodem libro, cap. 6. annot. 3. III.

DEuorauit holocaustum.] Dubium est, de quo holocausto hoc dixerit scriptura. Duo enim genera holocaustorū supra posuerat arietem pōtificis, & holocausta populi. De primo dictū est, quia caput & membra singula de manu filiorum suscipiens Aaron cremauit super altare. Sic & de secundo; fecit, inquit, holocaustum adolens super altare. Cum igitur & primum & secundū holocaustum manu Aaron sit incensum, quod est illud quód ignis egressus à Domino deuorasse perhibetur. Sed si legem recolimus holocausti, qua sup. cap. 6. tota nocte vsq; mane victimæ super altare concremari iubentur, patet quód carnes illæ mox altari impositæ non cōsumebantur, sed sequentis noctis spatium in ipso igne facientes, mane quoq; extra castra efferebantur, & ibi in loco mundo si quid nondum crematum fuerat cremabatur. Ignis ergo à Domino miraculosè immissus vehementissimè exardescēs breui tēpore vorauit carnes holocaustorū, & victimarū, quas posuit Aaron super altare, vt iuxta legis præscriptum paulatim lenta ignis naturalis vi cremarētur. Et hoc est, quod dicitur in præsenti ignem egressum a Domino deuorasse holocaustum & adipes, qui erant super altare.

IIII. *Victima non festinanter, sed liter cremabātur.*

ARGVMENTVM IN CAP. X.

¶ Interfectis Nadab, & Abiu filijs Aaron à Domino propter oblationem ignis alieni, iussit Moyses eorum cadauera, ita vt iacebant extra castra sepeliri: ac post modum prohibuit Aaronem, ac filios eius grauibus se lamentis tradere, seu fores tabernaculi egredi: Dominus quoque præcepit eisdem, vt vinum vel quidquid inebriare potest, nullatenus liberēt ingressuri in tabernaculum. Quibus peractis Moyses disposuit, quidnā fieri deberet de residuis sacrificiorū.

PARAPHRASIS IN CAP. X.

A. † *De pænit. d. 3. c. inter hæc.* † *Num.*

ARreptisque † *Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis*, volentes Deo gratias agere pro insigni miraculo consumptionis holocaustorū, & approbationis sacerdotij ipsorum, † *posuerunt ignem, & incensum desuper*: cæterū vi subiti ignis holocausta deuorata conspiciētes, ac nouitate miraculi perturbati, non ausi accedere ad altare, vt inde ignem acciperent, aliunde festinanter rapto igne, & thuribulis imposito, incensum Domino obtulerūt, *offerentes corā Domino ignem*

3. a. 4. & 26. f. 16. 1. Paral. 24. a. 2.

ignem alienū, desumptum ex aliquo foco,
vbi carnes victimarū vescendæ à sacerdoti
bus, igne prophano coquebātur Et hāc ra-
tione fecerūt, *quod eis præceptum nō erat*,
imò quod vetitū, & prohibitum omnino
erat, *Egressusq; ignis* diuinitus & miraculo-
I. se immissus *à Dño deuorauit eos*, 1 illorū præ
cordia vrēs, nullatenus tamē ipsorū corpo
ra, imò neq; vestes lineas, in quibus minis-
trabant, cōsumens, *& mortui sunt corā Dño*
ob inobedientiæ reatū, quē admiserūt. *Di-
xitq; Moyses ad Aaron*, præcauens ne Aarō
nimiū cōtristaretur super repentina filio-
rū morte: *Hoc est, quod locutus est Dñs*, &
quod mihi seruo suo reuelare dignatus est,
dicēs: *Sāctificabor*, seu ostendā me sanctū,
ac separatū ab omnibus peccatis, & immū
ditijs *in ijs, qui appropinquāt mihi*, puniēs
peccata propinquorū meorū, quales sunt
sacerdotes; *& in cōspectu omnis populi glo-
rificabor*: reputat enim populus eos princi-
pes iustos & gloria ac laude dignos, qui à
domo sua iudicium, & punitionē incipiūt.
Quod audiēs tacuit Aaron, nec quod Dei
volūtate factū audiebat, reprehendere præ
sumpsit, sciens quod illius hæc erat disposi
tio, cui nulla cōtraire potest humana cōdi-
tio. *Vocatis autem Moyses Misaele & Elisa
phan filijs Oziel*, fratris Amram, atq; ex cō-
sequēti *patrui Aaron, ait ad eos. Ite & tol
lite fratres vestros*, vtpote consanguineos,
de cōspectu sanctuarij, scilicet de tabernacu
lo; vbi eorū cadauera iacent mortua; *& as-
portate extra castra*: neq; enim mortuos li-
citū est intra castra sepeliri: quia locus, in
quo mortuus iacet, immūdus reputabitur,
quēadmodum cadauera ipsa. *Cōfestimq; per
gentes tulerūt eos, sicut iacebāt vestitos li-
B. neis tunicis*, quas ignis nōcōbusserat: *& eie
cerūt foras, vt sibi fuerat imperatū. Locutus-
que est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, &
Ithamar filios eius*, prohibens immodera-
to dolore mortē fratrū prosequi, ac dicēs:
II. *Capita vestra nolite nudare*, 2 ad ea puluere
aspergendum, prout facere solent homines
in grauibus lamētis positi; *& vestimēta no-
lite scindere*; prout eisdē moris esse solet:
*ne fortè moriamini, & super omnem cœ-
tum oriatur indignatio*: vobis quippè &
alijs multis exitiale erit, si sacras vestes, qui
bus nuper cōsecrati fuistis, scindatis, aut pō
tifex capiti suo, quod sacrū perfudit vnguē
tum, puluere forsitan præ doloris nimie-
tate cōspergens tiaræ ornatū detrahat; cū
potius, quę diuinę placēt prouidētię, quā-
uis volūtati vestræ cōtraria sint, æquo ani-
mo perferre debeatis. *Fratres vestri*, qui
sunt de tribu vestra, imò *& omnis domus Is-
rael plangāt incendiū* & exitium horū sa-
cerdotum, *quod Dñs suscitauit*: æquum nā
que est, vt personę communes, maximè ad
Dei cultū deputatæ, à toto populo defleā-
tur: *vos autē non egrediemini fores taberna
culi, alioquin peribitis*, si lugentibus cōso-
ciemini: *oleū quippe sanctæ vnctionis* mixtū
saltem cū sanguine arietino. *est super vos*, 3 III.
& indignū est, vt terrena dispendia immo-
deratius defleant, quibus cœlestium gratia
rū compensatio tāta refusa est. *Qui fecerūt
omnia iuxta præceptum Moysi. Dixit quoq;
Dñs ad Aaron*, per internam mentis inspi
rationē: † *Vinum, & omne, quod inebriare* † 25. di-
potest non bibetis tu & filij tui: ne vlla im- stin. §. 1.
mineat occasio, seu etiā modica causa ebrie & c. vi-
tatis, qua indigne tractarentur diuina. Id au molentū
tē prohibeo, *quando intratis*, seu intrare in
tenditis *in tabernaculū testimonij*, siue ad
consulendū Dominū, siue ad componendū
lucernas, vel deniq; ad incendendū thymia
ma, *ne moriamini*: quasi diuini præcepti trās
gressores: *quia præceptum sempiternum est*,
duraturū *in generationes vestras*, quandiu
videlicet durauerit respublica vestra, & sta
tus legis huius. *Et vt habeatis scientiā*, &
facultatē actu *discernēdi inter sanctū*, idest,
diuinis vsibus applicatū, *& profanū*, quod
pertinet ad vsus humanos in rebus, quibus
vti vel non vti debet sacerdos in ministerio
tabernaculi: vtque valeatis discernere *inter
pollutū* hominem, vel animal, *& mūdum*: te
netur enim sacerdos iudicare de munditia,
vel immunditia leprosi, & aliarū rerum: *do
ceatisq;*, vel vt docere possitis, *filios Israel
omnia legitima mea*, ac præcepta legalia,
quæ locutus est Dñs 4 *ad eos per manū Moy-* IIII.
si: ministrū autem, iudicem, & doctorē non
expedit ebriosum esse. *Locutusq; est Moy-* C.
*ses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar fi-
lios eius, qui remāserāt, & erant residui* ex
incēdio, quod Dñs immiserat propter obla
tionē ignis alieni, & ait: *Tollite sacrificiū si-
mile quod remāsit de oblatione Dñi*, nempe
residuū similę, & panū & crustularū oleo li
tarū, dēptis his, quæ incensa sunt super alta
re, *& comedite illud absq; fermēto*, cū solis
azymis, *iuxta altare* in exedra ad hoc para † De pœ
ta in atrio, in quo est altare; *quia sanctū san* nit. d. 3.
ctorū est, & alimētū sanctissimū: ac proinde c. inter
eius esus non debet differri, nec in loco pro hæc hir-
fano exerceri. † *Comedetis autē in loco san* cum. a.

sto residuũ istud sacrificij similaginis, *quod datũ est tibi & filys tuis de oblationib⁹ Dñi,* † *sicut præceptum est mihi* ad Dño dicente: Quod reliquũ fuerit de sacrificio erit Aarõ & filiorũ eius Sãctũ sanctorũ de oblationibus Dñi. *Pectusculũ quoq; quod oblatũ est, & armũ qui separatus est, edetis,* nõ quidem in loco sancto, qualis est atriũ, sed *in loco mũdißimo,* extra atriũ, *tu & filij tui & filiæ tuæ tecũ:* nã fœminę quãuis ad esum oblationis similę nõ admittãtur, benè tamẽ ad residuũ hostię pacificorũ: *tibi enim ac* vniuersis tã maribus quã fœminis, *liberis tuis reposita sunt* pectusculũ & armũ desũpta, *de hostijs salutaribus,* seu pacificis *filiorum Israel: eo quod armũ & pectus, & adipes, q cremãtur in altari,* nulli alij nisi tu & filij tui *eleuauerũt corã Dñi.* exercẽtes munus sacerdotale, *& pertineãt* ac pertinere debeãt hac de causa *ad te & ad filios tuos lege perpetua, sicut præcepit Dñs,* quãdo dixit mihi: Pectusculũ eleuationis, & armũ separationis tuli à filijs Israel de hostijs eorũ pacificis, & dedi Aaron sacerdoti ac filijs eius. *Inter hæc;* & dũ quæ hucusq; retulimus agerẽtur, † *hircum qui oblatus fuerat ꝑ peccato* populi ab Aaron & filijs eius, *cũ quæreret Moyses,* vt sciret, quidnã de eo factũ fuisset, *exustũ reperit* ob negligentiã eorũ, qui eũ comedere debuerãt *iratusq; cõtra Eleazar & Ithamar filios Aarõ, qui remãserant* viui de incendio immisso à Dño ait, *Cur nõ comedistis hostiã ꝑ peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorũ est,* seu sanctissima, *& data vobis, vt* ratione huius stipẽdij & mercedis à Deo vobis exhibitæ *portetis iniquitatẽ multitudinis* auferẽtes, & delẽtes vi precationũ & sacrificiorũ peccata plebis, *& rogetis pro ea in cõspectu Dñi?* Vnde nõ alij sed vos ipsi curam ipsius hostiæ habere, & eã comedere tenebamini, *præsertim cũ de sanguine illius nõ sit illatũ intra sancta & propter eã nõ solũ* huius hostię curam agere, sed etiã *comedere debueritis eam in sanctuario,* seu prope sanctuariũ, scilicet, in atrio, *sicut præceptum est mihi* à Dño de eiusmodi hostia taliter disponẽte: Sacerdos qui offert comedet eã in loco sancto in atrio tabernaculi. *Respondit Aarõ* coniectans Moysen non tã filios quã ipsum met Aarõ in filijs increpare intẽdisse, & ait: *Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustũ coram Dño,* hoc est in illius reuerentiã; *mihi autem accidit, quod vides,* nã subito filios amisi, in quorũ morte à fletu abstinere nequeo, ac proinde *quomodo potui comedere eã,* cũ ea mẽtis alacritate, qua cũ hostia hęc edi debuisset, *aut placere Dño in ceremonijs* cũ eis intẽdere nõ potuerim nisi *mẽte lugubri,* & Deus nõ nisi hilarẽ datorem diligat? *Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem,* quã præstitit Aaron confitendo passionem & infirmitatẽ suã.

† Sup. 2. a. 3.

D. † 2. Mach. 2. c. 11

ANNOTATIONES IN CAP. X.

I. *Cur Nadab, & Abiu ob defectum in ministerio sacerdotali interiere.*

DEVORAVIT eos.] Aduertẽ quòd sicut correctio conuenientius fit in pueritia quã in senectute vt autor est Aristo. quoniam susceptiuũ tenerũ est, tractu autẽ tẽporis induratur, sicq; difficilius suscipit disciplinã: ita cõueniẽtius homines inducũtur ad obseruantiam aliquarũ legũ minis & terroribus, quãdo primo eiusmodi leges promulgãtur, quã post modum quãdo earũ præuaricatio cœpit inolere. Ob quã causam sapiẽtissimus Deus in principio nascẽtis sacerdotij legalis, graui mortis pœna affecit Nadab & Abiu, qui fuerũt priores in ministerio sacerdotali delinquẽtes, vt eorũ mors cæteris esset in exẽplũ, cõueniẽti tẽpore præstitũ: quãuis posteà senescẽte sacerdotio, nõ fuerit vsus simili supplicio, etiã circa alios grauius deliquẽtes. Simili cõsilio disposuit Deus in prima mũdi ętate necare homines diluuio propter illorum peccata, & primũ parricidã acriter etiã in hac vita punire, quãuis posteã delabentibus hominibus ad grauiora peccata & ad idololatriam, non ita supplicio affecerit: nempe quia in senecta nõ tã vtilis est correptio sicut in infantia.

II. NOlite nudare.] Quamuis per nuditatẽ capitis, quã his nouis sacerdotibus ꝓhibet Moyses, probabiliter intelligi posit ritus quidã gentiliũ, quo in morte propinquorũ solebãt capillos euellere à capite, ita vt caluitiũ fieret, sicq; caput nudabãt. Vnde dicitur Deut. 14. Nõ vos incidetis, nec facietis caluitiũ super mortuo: quam explicationẽ amplectitur Burgẽ. hic addit. 1. Cæterũ quia nullatenus credere in his sanctis viris pro tẽpore isto vllũ adfuisse periculũ imitandi abominabiles Gentiliũ ritus, & maximẽ cùm signa doloris, quæ Aaroni & filijs eius interdicũtur, mox permittãtur cæteris de populo Israel: idcircò verosimilius reputo per nuditatẽ capitis hic interdictã, Moysen solum intellexisse aliquid quod etiã à pijs hominibus fieri solebat in tẽpore magnę tristitiæ; sicut & per illud quod statim subiũgitur, & vestimẽta nolite scindere. Moris enim fuit antiquis etiã iustis & sanctis tẽpore luctus capita tõdere, vel nudare; eaque puluere perfundere, ac vestimẽta scindere: vt cõstat Iosue. 7. 1. Reg. 4. Esther. 4. Iob. 1. & 2. cap. & 1. Macha. 3. & 4. cap. Et de luctu qui superuenturus erat filijs Sion dicitur Isa. 3. Decaluabit Dñs verticẽ filiarum Sion: & Dominus crinem earum nudabit. Et Ezechie. cap. 7. In omni facie confusio, & in vniuersis capitibus eorum caluitium.

Nuditas capitis, ac vestimentorũ scissio signa erãt tristitiæ

EST

III. EST super vos.] De duplici modo, quo oleū sanctæ vnctionis applicabatur sacerdotibus legalibus, videantur, quæ diximus super Exod. cap. 29. annotat. 4.

IIII. *Muta i primā vel secundā* QVæ locutus est Dominus.] Notanda locutio, quod cum Dominus loquatur ad Aarō de se tāquā de alio loquitur. Hæc enim phrasis in scripturis frequens est, vbi prima persona, quæ loquitur, aut secūda, cui loquitur tanquam tertia introducitur. Vnde fratres Ioseph cū eo sermonē habentes Gen. 42. inquiunt. Pacifici venimus, nec quidquā famuli tui machinantur mali Non dixerunt, nec quidquam machinamur mali. Ioseph quoq; ad Pharaonem loquēs. Gene. 41. ac si de alio sermonē faceret inquit: Quę facturus est Deus ostēdit Pharaoni. *personæ intertiā reperitur in scriptura*

ARGVMENTVM IN CAP. XI.

¶ Fertur lex mundorū & immundorū quātum ad cibū & tactū, qua cauetur quæ nā animātia tam ex terrestribus quam ex aquatilibus, ex volucribus quoq; & reptilibus, comedere deberēt Hebræi, ac etiā respuere. Præscribitur præterea genus immūditiæ quod ex tactu esu vel deportatione immūdorū filijs Israel euēturū esset; quas tn̄ immūditias præcauere præcipiūtur exēplo diuinæ puritatis & sāctitatis

PARAPHRASIS IN CAP. XI.

A. LOcutusq; est *Dn̄s ad Moysen & Aarō*, & instruxit eos de mūditia seu immunditia animalium in ordine ad esum dicens: *Dicite filijs Israel*, vt sciant quid

† *Deut. 14. a 4.* comedere, & quid respuere debeant. † *Hæc sunt animalia, quæ comedere debetis de cūctis animantibus terræ:* neque enim omnibus in vniuersum vobis vesci licet, quia illorū nōnulla vel ex rebus immūdis nutriūtur, vel immūde cōuersantur, vel eorū carnes ꝓpter superfluā humiditatē, seu siccitatē corruptos humores in corporibus humanis generāt. *Omne quod habet diuisam vngulā* taliter findēs fissurā vngularū, vt habeat totā vngulā in duas scissam, *& ruminat*, dū cibū à stomacho ad os attrahit *in pecoribus comedetis*: quia ista hęc animalia habēt humores benè digestos, & sunt medię cōplexionis, cū nō sint nimis humida, neq; nimis terrestria. *Quidquid autē ruminat quidē, & habet vngulā, sed nō diuidit eā, sicut camelus & cætera, nō comedetis illud, & inter immūda reputabitis* ꝓpter eiusmodi animalium terrestreitatē, quā denotat vngulæ cōtinua

I. tio. *Charægryllus* 1 seu herinaceus, *qui ruminat vngulamq; nō diuidit immūdus est*: eo enim ipso quod vngulā nō diuidit ostendit esse cōplexionis maxime siccę, ac proinde vobis nociuæ. *Lepus quoq;* quasi immundus vobis interdicitur: *nā & ipse ruminat*, iterato cibū deglutiēs, *sed vngulā non diuidit?* imò potiùs multos vngues habēs nullus illorū fissus est. † *& sus, qui cū vngulā diuidat, nō ruminat*, etiā est vobis prohibitus,

2. Marc. 2. c. 11.

quia ex rebus interdum immūdis substātia eius nutritur. *Horū carnibus nō vescemini, nec cadauera cōtingetis, quia immūda sunt vobis*, & ad esum & ad tactū. *Hæc sunt, quæ gignuntur in aquis, &* quibus ex omni ge

nere piscium vobis *vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas & squamas*, quę sunt signa tēperatæ cōplexionis eorū *tam in mari, quàm in fluminibus & stagnis*, vbicūque scilicet pisces viuere possunt, *comedetis. Quidquid autē pinnulas & squamas non habet eorum, quæ in aquis mouētur, & viuunt*, quia plerunq; cū animalibus terrestribus cōmercium habent, & exinde prauas imbibunt qualitates, *abominabile vobis, execrādumque erit*, & ad esum & ad tactum; nam B.

carnes eorum nō comedetis, & morticina, a II.
seu cadauera vtcumq; mortua *vitabitis*, nullatenus ea cōtingentes. *Cuncta quæ non habēt pinnulas & squamas in aquis polluta erunt*, vt ranæ, testudines & alia id genus. *Hæc sunt, quæ de auibus* & vniuerso volatilium genere *comedere nō debetis, & vitanda sunt vobis*, quæ quoniam quam plurima sunt, idcircò prius vobis proponuntur, quam ea quibus vesci licet. Vitare igitur

debetis *Aquilam* 3 quæ auis est grādis, ap III.
petens comedere oculos; & altè ac festinè volat, *& gryphem, & haliæatum, & miluum ac vulturē iuxta genus suū*, in quo genere ixion cōtinetur *& omne coruini generis in similitudinē suā*, quod scilicet habet similitudinē cū coruo in fœditate seu immunditia nutrimēti: *struthionem, & noctuā, & larum, & accipitrem iuxta genus suum*: neque

enim solũ ista quæ dicta sunt, sed etiã omnia, quæ ad eorũ genus pertinent, eisq; aliquo modo assimilantur vitare oportet: ac præterea *bubonẽ* seu nycticoracẽ *& mergulũ, & ibin, & cygnum, & onocrotalum, & porphyrionẽ, herodionẽ* seu herodium *& charadrion iuxta genus suũ, vpupã quoq; & vespertilionẽ.* Isthæc viginti genera volatiliũ, vel quia rapacia sunt, ac proinde nimiæ siccitatis & caliditatis, vel quia immundis vescuntur nutrimẽtis, & immũdè cõuersantur, vel deniq; quia eorũ carnibus, vel cãtibus idololatræ vtũtur in sacrificijs & augu
C. rijs, nullatenus comedetis. *Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes,* quia videtur esse quid mõstruosum participans naturas auiũ & brutorum, *abominabile erit vobis,* exceptis his, quæ habent longiora retro crura. *Quidquid autẽ ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura per quæ salit super terrã, comedere debetis,* vt est quadruplex locustarũ gen⁹ nẽpè *bruchus in genere suo,* seu quodlibet bruchi genus, *& attacus, atq; ophiomachus, ac locusta,* quæ cõmune nomen sibi appropriat, & est quæ blada & alia terræ nascentia depascitur, *singula iuxta genus suũ:* hoc est singula istorũ genera vobis licitum est comedere. *Quidquid autẽ ex volucribus quatuor tantũm habet pedes,* nõ autẽ habet lõgiora retro crura ad saliendum *execrabile erit vobis,* adeo vt non solum ab esu illius abstinere debetis, sed *& quicunq; morticina eorum,* seu cadauera qualitercumq; mortua *tetige*
D. *rit, polluetur, & erit immundus,* inhabilisque ad ingrediendum in locum sacrificijs
IIII. dicatum *vsq; ad vesperum,* 4 nempe per totum illum diẽ, quo hæc quispiam tetigerit, *& si necesse fuerit, vt portet quippiã horum mortuum,* quia plus est rem execrabilẽ por
V. tare quàm tangere, *lauabit vestimẽta sua* 5 aqua cõmuni, qua prauus humor ex cadauere acquisitus mundari queat; *& immundus erit,* seu segregatus ab atrio *vsq; ad occasum solis. Omne animal quod habet quidem vngulã, sed non diuidit eam, nec ruminat;* qualia sunt, equus, & asinus, & alia quã plurima, *immundũ erit,* & non solùm polluetur, qui comederit ex eo, sed *& qui tetigerit illud,* postquã mortuum fuerit, *cõtaminabitur. Quod* vel à natura ipsa vel ex industria humana propter aliquod artificiũ *ambulat super manus* incedens solis anterioribus pedibus, duos autẽ, posteriores habẽs suspensos, *ex cũctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit,* quia illud quasi mõstruosum, naturæ que cõtrariũ lex execratur: *qui tetigerit morticina eorũ polluetur vsq; ad vesperum. Et qui portauerit huiuscemodi cadauera* siue violenter, siue ex se ipsis mortua *lauabit vestimẽtã sua* à fœtore contracto, *& immundus erit vsq; ad vesperum; quia omnia hæc,* quæ modo retuli, *immũda sunt vobis. Hæc quoq; inter pol* E.
luta reputabuntur de his, quæ mouentur in terra, mustela & mus, & crocodilus, singula iuxta genus suum, seu singula ipsorũ genera: *mygale,* vel ericius, *& chamæleon, & stellio, & lacerta, & talpa: omnia hæc immũda sunt,* vel quia fœtorem cõtrahũt ex habitatione subterranea, vel ad maiorem gentiliũ execrationem, qui istis animalibus reuerentiam exhibent. *Qui tetigerit morticina eorum,* seu cadauera quaslibet ratione mortua *immundus erit,* & segregãdus ab atrio *vsq; ad vesperum, &* nõ solum tangens, habensque se actiuè & quasi voluntariè ad cõtactum morticini, sed etiam *super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum* quod accidere posset rebus inanimatis, *polluetur tã vas ligneum & vestimentum, quàm pelles & cilicia:* & tandẽ ne cogar singula specialiter enarrare *in quocumq; fit opus* aliquod, seu exercetur humana industria & operatio, quodcunque illud sit, si à cadauere morticini, vel à parte seu humore illius tangatur, pollutũ erit. Quę quidẽ omnia tali ordine mũdabũtur: *tingẽtur aqua* cõmuni, eaq; defricabũtur, vt si aliquid immundũ illis de cadauere cadẽte adhæserit tollatur, *& polluta erũt,* & ab humanis vsibus segregata *vsq; ad vesperũ, & sic posteà mũdabuntur:* nã factis huiuscemodi ablutionibus rebus istis, prout antea, vti licebit. *Vas autẽ fictile, in quod horũ* morticinorũ *quidquã intro ceciderit, polluetur;* & quia humiditas morticinorũ plurimũ adhæret vasi fictili, *idcircò frãgendum est. Omnis cibus, quem comedetis* (seu comedere soletis) *si fusa fuerit super eũ aqua* cõtẽta in vase, in quo immũdũ prædictũ ceciderat, *immũdus erit:* & hoc ipsũ cẽsendũ est de potu, nam *omne liquens, quod bibitur de vniuerso vase* polluto contactu horum morticinorum, *immundum erit. Et* F.
quidquid de morticinis huiuscemodi ceciderit super illud, quãuis aqua polluta nõ perfundatur, *immundum erit: siue clibani* cõmuniter ex luto confecti, *siue chytropodes,* quæ sunt vasa terrea tres pedes habentia coquẽdis carnibus apta, *destruentur,* vtpote fictiles

ctiles seu terreę, *& immūdi erūt*, ne Gētilibus, qui isthęc omnia dijs accepta reputāt, cōsentire videamini. *Fōtes vero & cisternæ, & omnis aquarū cōgregatio*, quāuis à præfatis cadaueribus cōtingatur, *munda erit*: sicut enim terra ex horū cōtactu nō polluitur, ita neq; aqua terræ adhærēs. *Qui morticinū eorū tetigerit* demptis his, quę lege excipiūtur, *polluetur*. *Si* vero eiusmodi morticinū *ceciderit super sementē* nō humectatā aqua, sed siccam, sicq; à semente tangatur, *nō polluet eam*. *Si autē quispiā aqua semen-*
VI. *tem perfuderit*, 6 prout nōnulla semina macerari, & humectari solent, priusquā terræ
VII. mādentur, *& posteā morticinis tacta fuerit*, sementis illa nōdum sata, *illico polluetur* 7, in detestationē Gētiliū, qui semina sua mox terræ mādanda cadaueribus horū animaliū superstitio se permiscēt. *Si mortuū fuerit*, nō violēter, sed spōte sua aliquod *animal, quod* aliàs nō est prohibitū, sed *licet vobis comedere*, eo ipso quòd ex se mortuū est reputabitur immundum: Vnde *qui cadauer eius tetigerit, immūdus erit*, & exul ab atrio & sacrificijs fiet *vsq; ad vesperum*: *& qui comederit ex eo quippiā, siue portauerit*, quia hoc plus est quàm tāgere, *lauabit vestimēta sua*; non quod aliqua immūditia causata fuerit in vestibus comedendo, sed in signū magnæ immūditiæ cōtractæ à comedēte, quæ superexcedit alias cōmunes: *& immūdus erit vsq; ad vesperum*. *Omne quod reptat super terrā*, vt vermes, & similia quæ affixo ore terrę trahūt reliquū corporis, & sic mouentur super terrā, *abominabile erit nec assumetur in cibū*: cōmuniter namq; id genus animalis veneno est infectū. *Quid, quid super* G.
pectus quadrupes graditur, & etiā quod *multos habet pedes*, cæterū propter eorū breuitatem, super ventrē graditur, *siue per humū trahitur*, vt serpēs, vel lacerta *non comedetis, quia abominabile est* ob innatū sibi plerumq; virus. *Nolite cōtaminare animas vestras*, seu cauete ne vos ipsos viuos polluatis, *nec tāgatis quidquā eorū* immūdorum, quæ hucvsq; retuli, *ne immundi sitis*. *Ego enim sum Dñs Deus vester*, ac proinde potestatem habēs præcipiendi vobis quæ præcipio: † *sancti estote* & ab immūditijs segre † Petr. 1 c. 1.
gati, *quia ego sanctus sum* sanctitatē & munditiā diligens. *Ne polluatis animas vestras* (seu vos ipsos) *in omni reptili, quod mouetur super terrā*, illud comedētes, vel tāgentes. *Ego enim sum Dñs, qui eduxi vos de terra Aegypti*, vbi tenebamini seruitute graui oppressi, idq; eo fine peregi, *vt essem vobis in Deū*, quē coleretis, quapropter minimè molestū esse debet, quod hæc præcepta dederim vobis. *Sancti eritis*, & ab omni macula immunes, *quia ego sanctus sum*, cui in sāctitate & mūditia similes vos esse oportet. *Ista est lex animantiū ac volucrū & omnis animæ viuētis, quæ mouetur in aqua, & reptat in terra* quā quidē legē idcircò tuli, *vt differētias noueritis mūdi & immūdi & sciatis quid comedere, & quid respuere debeatis*: lex enim discernēs mūdū ab immūdo, interdicit vobis immūda & cōcedit mūda.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

I. *Chaerogrillus seu Herinaceus quale animal.*

CHAEROGRILLVS.] In Hebræo ponitur nomē Saphá in numero singulari: cuius vox pluralis est Sephanim, & eā in Psal. 103. transtulit vulgatus Interpres Herinacijs, vbi legitur. Petra refugiū herinacijs. Est autem herinaceus, seu Saphá, vt docet D. Hiero. in episto. ad Suniā & Fretelā, animal nō maius hericio habēs similitudinē muris & vrsi: & magna est in Palæstinæ regionibus horū animaliū abūdantia, semperq; in cauernis petrarū, & terræ foueis habitare cōsueuerunt. Nec mireris mihi nullatenus placere Hebręorū interpretationē asserentiū Saphá hoc in loco, & in d. Psal. 103. significare cuniculū, tū quia paratus sum plus D. Hieron. oscitantiā, quā ipsorū summā diligentiā sequi: tū etiā, quia ipsimet Hebræi fatentur se verorum nominū animaliū, auiū, arborū, ac lapidum pretiosorum significationes ignorare; vt eorū testimonijs in medium propositis docet Hieronymus ab Oleastro in commētarijs in Pentateuchum canone secundo.

II. *Morticinium dupliciter, largè & strictè.*

MOrticina vitabitis.] Morticinū dupliciter accipitur; videlicet largè & strictè. Large designat id quod quouis modo mortuū est, etiam si ab alio per effusionem sanguinis sit occisum; vt Psal. 78. Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli. Vbi necesse est, quod accipiatur morticinū pro eo quod ab altero occiditur, quia ibi agitur de Iudæis quomodolibet occisis à gentibus, vt patet ex litera. Stricte verò & proprię secundum Hieronymum Ezechie. 4. significat quod absque effusione sanguinis, vel ex seipso moritur. Et quia in hoc capite sermo est de immunditijs contractis ex animalibus immundis ad vescendum: hæc autem siue viua siue mortua quomodocumque tāgerentur polluebant nisi aliud in lege permitteretur; quod dico propter cōtactū asini, & equi, & aliorū similiū: hæc enim eo ipso quòd destinata erāt vsibus humanis permittebātur tangi, dum viuebant, non tamen mortua. Hinc est quod quotiescunq; hic vel alio quouis scripturæ loco præcipiuntur vitari morticina animaliū immundorū, intelligendum est de morticinijs largo modo. Vniuersa enim cadauera horū animaliū complectitur, qui in principio huius

huius capitis inquit. Horũ carnibus non vescemini, nec cadauera cõtingetis: & in calce eiusdẽ capitis recapitulãdo dicitur: Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquã eorum, ne immundi sitis. Secus vero est, vbi absq; distinctione animaliũ mũdorũ & immundorũ pręcipiũtur vitari morticina: ibi enim stat pro his quæ absq; effusione sanguinis mortua sunt: vt inferius. c. 22. Morticinum & captum à bestia non comedent. Comedi namq; poterãt animalia, nõ ex se mortua, sed ab alijs cũ sanguinis effusione occisa: vt habetur inf. c. 17. & Deu. 12.

III. *Aquila ob quatuor proprietates est symbolũ impij.*

AQuilam.] Dũ sacrę literę loquũtur de aquila in malã partẽ, ꝓut de aui ista in præsenti fit sermo, quatuor illi proprietates attribuũt, quas expressim⁹ in paraphrasi. Prima est quod sit auis grãdis & magnarũ alarũ, ꝓut habetur Ezech. 17. Aquila grãdis magnarũ alarũ lõgo mẽbrorũ ductu. Secũda ꝙ appetat comedere oculos: idq; significatur Prouerb. 30. Comedant eũ filij aquilæ, Nempe oculũ subsannãtem patrẽ. Tertia quod alte volat Iob. 39. Nũquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila? Quarta quod est festina in volatu suo, vt dicitur Threno. 4. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli. Et Habach. 1. volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.

IIII. *Legis dispositio non requirit exactam rationem quarumcumq́ circũstantiarum.*

AD vesperũ.] Exactam literæ rationem ob quã ordinaria legis immunditia magis duret vsq; ad solis occasum quã vsq; ad aliud tempus, inquirere nõ oportet: sicut enim in legibus humanis quãuis quorundã quæ mandantur ratio reddi possit, nõ tamẽ aliorum. Vtpote quare magis vsucapiatur in triennio quã in biẽnio, vel quadriennio, & generaliter in omnibus terminorũ præfixionibus non est dabilis sufficiens ratio, quare vna magis quã alia exigatur, ita in proposito quãuis debuisset assignari aliquod tẽpus, in quo exueretur immũditia, quare verò magis vna dies, quàm plus vel minus temporis, præfixa fuerit, non cõstat sufficienti ratione. Possumus tamẽ dicere nõ fuisse conueniens, vt aliquis mox ac incurrisset immunditiã, immediatẽ fieret mũdus, & aptus ad accedendum ad res sacras, sed honestius erat, vt arceretur vsque ad aliquantũ tẽpus. Quod tamẽ nõ debuit esse valde magnum, quia irrationabile erat, vt pro immunditijs exiguis interdicerẽtur cuipiã sacra multo tẽpore: maximè quia hoc repugnabat cultui diuino. Volebat enim Deus applicare homines ad cultũ suum, & tamen si multorum dierũ pœnam aut separationem imponeret pro ſctis simplicibus immunditijs, multũ homines arceret à cultu suo: fuit igitur satis, vt daretur separatio vsq; ad occasum solis, à qua etiã hora laici impediti erãt accedere ad sanctuariũ vsq; ad diem sequentem: quia per noctẽ nihil ab eis offerebatur.

V. *Lotio vestimentorũ in purificationibus aquis viuentibus fieri debebat.*

LAuabit vestimẽta sua.] Duplicis lotionis solet fieri mẽtio in purificatione immũdorũ. Altera fiebat per aquas lustrationis, quibus aspergebatur immũdus à mundo, quapropter ablutio ista vocabatur aspersio: de qua agitur Nume. 19. Altera fiebat in aquis viuẽtibus vel cõmunibus, dum eis defricabantur vestes vel aliæ res immũdæ, & abstergebantur sordes contractæ ex prauo aliquo humore. Lyranus ergo existimat hoc in loco, & vbicumq; in hoc libro præcipiũtur, tingi vel lauari res immũdæ intelligendũ esse de priori lotione. Oppositũ tamen est lõge probabilius. Primo quidẽ quia mũdatio per aquas lustrationis erat cõmunis & necessario requisita in purificatione cuiuslibet immũditiæ; vt dicitur Num. 19. lotio autẽ vestimẽtorum, quæ hic exigitur, & aliæ similes, requirebãtur specialiter pro vna vel altera immũditia: vnde in præsenti tãgens morticina animalium immũdorum nõ præcipitur lauari; benẽ tamen portãs quidpiã eorũ. Præterea aqua lustrationis non lauabat seipsum immũdus, sed mũdus lauabat immũdum, vt dicitur Nume. 19. ergo neq; hic, neq; quotiescumq; præcipitur, vt immundus se vel vestimẽta sua abluat, debet intelligi de aspersione aquæ lustrationis. Tandẽ quia lotio ista vestimentorũ & aliæ similes exigebantur ad abstergendas aliquas sordes corporales, ad quod quidẽ nihil deseruiebat aspersio aquæ lustrationis; tum quia fiebat guttatim; qua propter non ablutio sed aspersio vocabatur; tum etiam quia aqua ipsa erat permixta cineribus, ac proinde magis apta ad inficiendũ vestes, quàm ad ipsas emundandũ. Vnde inferius. ca. 15. vbi præcipitur, vt sanatus à fluxu seminis lauet vestimẽta ad maiorẽ declarationẽ similiũ ablutionũ pręcipitur, vt fiat lotio illa in aquis viuẽtib.

VI. *Cur sementis humida magis polluebatur, quã sicca.*

PErfuderit.] Causa diuersitatis propter quã polluta censebatur sementis tangens isthæc morticina si prius fuerat aqua perfusa secus autem si nõ fuisset sic humectata, ea est, quia in rebus aridis nõ possũt fieri magnæ impressiones, cũ ipsum durũ & siccũ repugnet imprimẽti: res autẽ humidæ sunt receptiuæ magnarũ impressionũ, cũ faciliter quęlibet res possit penetrare partes illarũ. Vnde ex cõtactu morticinorũ magis infici poterat sementis humida quàm sicca.

VII. *Pollutio seminũ in quocõsistebat.*

ILlico polluetur.] Pollutio ista in seminibus efficiebat, vt non possent iam seminari, nec redire vllo modo in vsus humanos, sed oportebat ea tradere animalibus comedenda. Ex eo enim quod non præfigitur aliquis modus ea emundandi, neque etiam aliquis terminus suæ pollutionis, vt quando de alijs dicitur, vt sint immunda vsque ad vesperum; rationabiliter colligitur nullatenus debuisse admitti ad munditiam, nec licuisse illa purificare.

ARGVMENTVM IN CAP. XII.

¶ Lex seruanda in purificatione post partum præscribitur mulieribus Hebræis, qua cauetur quadraginta vel octuaginta diebus im-

mundas

mūdas debere esse puerperas, donec eo trāsacto tempore diuites agnū & turturē vel pullum colūbæ, pauperes verò duos turtures vel duos pullos columbarum offerrēt, & orante pro eis sacerdote mūdarētur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XII.

A.

Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens. Loquere filijs Israel & diuulgans legē de purificatione puerperæ, dices ad eos. † Mulier si suscepto semine 1 pepererit masculum, secus autem quæ partū ediderit nō suscepto semine, immunda erit septem diebus, non solum in se, sed etiā quę tetigerit inquinabuntur; iuxta dies separationis menstruæ: sicut enim inferius capitulo decimoquinto separari præcipitur, & ab omnium conuictu arceri mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis; ita pari modo puerpera debet immūda reputari septē diebus prioribus. † Et die octauo circuncidetur infantulus, nō in tabernaculo, seu tēplo, sed domi: ipsa vero triginta tribus diebus manebit infecta & cōtaminata in sanguine purificationis suæ sic vocato, quia ab eius fluxu, quē in partu passa est, debet mulier horū dierū decursu purificari. Omne sanctū, siue illud sit sacrificiū, siue decimæ, siue alia id genus non tāget, nec ingredietur in locū seu atriū vbi oblationes fiunt prope sanctuarium donec impleantur dies purificationis suæ, quibus à sanguinis profluuio, quod in partu pertulit, purā reddi oportet. Sin autem fœminam pepererit, quia ob defectū caliditatis materia immūda abundantior est, vel tardius purificatur; immunda erit duabus hebdomadibus 3 ac summo pollutionis generi subiacebit nēpe iuxta ritum fluxus menstrui: ab eis enim rebus arceri debet quatuordecim diebus, à quibus mēstruata per spatiū vnius hebdomadæ abstinere præcipitur in lege, & sexaginta sex diebus manebit quasi infecta in sanguine purificationis suæ à quo oportet eam purā fieri. † Cūque expleti fuerint dies purificationis suæ quibus purificanda est mater ab immunditia, quam contraxit pro filio, siue pro filia, vnum vel alterum pariendo, deferet agnum anniculum, vt offerat illum in holocaustum, & pullum columbæ siue turturē ad offerendum in hostiam quæ vocari solet pro peccato, 4 deferet autem illa ad ostium, quod est è regione tabernaculi testimonij in ingressu atrij sacerdotum, quò adduci solent oblationes hostiarum, & tradet sacerdoti qui occisis victimis offeret illa corā Domino iuxta ritus holocausti & pro peccato, & orabit pro ea Dominum supplex exposcens, vt matrem cum filio vel filia incolumes seruet, & sic mundabitur, seu munda declarabitur puerpera à profluuio sanguinis sui, quod in partu sustulit. Ista est lex parientis masculum aut fœminam, seu hoc est, quod mulier pariēs præstare tenetur, quòd si non inuenerit manus eius sufficientiam agni, quia labores manuū eius nō sufficiunt ad emendum vel adquirendum pecus, nec potuerit offerre agnū ob status sui inopiam & paupertatē, sumet † duos turtures vel duos pullos columbarum quorum maxima abundantia est in terra vobis promissa: sumet autem vnum in holocaustum loco agni anniculi, quem offerre debent diuites, & alterum, vt sit hostia pro peccato. Orabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur, non minus quàm quæ agnum obtulerat.

Marginalia: † Luc. 2. c. 12. Isa. 7. c. 12. — I. — † Luc. 2. c. 21. — B. — II. — III. — † 25. q. 1. §. His ita vers. itē cum inge. — C. — IIII. — D. — † Sup. 5. c. 11. Luc. 2. d. 24.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

I. *Per conditionale, si, suscepto semine excipitur Beatissima virgo à lege purificationis.*

Si suscepto semine. Fere omniū patrū, qui hāc purificationis legē explicarunt, cōcors fuit sentētia non absq; mysterio, & singulari Spiritus sancti prouidētia additū esse in ea verbum illud, si suscepto semine, imo potius id factum fuisse, vt duo hisce verbis indicarētur. Primo futurā fore aliquā mulierē, quæ absq; suscepto semine masculū pareret. Vnde quia nulla mulier erat paritura fœminā sine virili semine, idcirco quando de partu fœminę parum postea agitur, non ponitur talis additio, sed simpliciter dicitur; Sin autem fœminam pepererit, immunda erit. Alterum quod hac additione indicatū est hac lege nō esse cōprehēsam eiusmodi mulierē, quæ absq; suscepto semine masculum erat paritura. Ita ponderauit Origenes homil. 8. in Leuiti. Rupert. lib. 1. in Leuit. c. 16. Bernar. serm. 3. de purificat. Euseb. Emissen. Sanctus Eligius, & Laurentius Iustinianus, in cōcionibus de purificatione & Theophylactus. Luc. 2. Benè (inquit) dixit secundum legem Moysi: nam secundum veritatē nulla necessitate astringebatur: dictū enim est in lege: Mulier, quæ suscepto semine cōceperit, &c. Similia ferè verba habēt

Euthy-

Euthymius, & Beda ibi, quos secutus est Caiet: super eundẽ locũ. At verò Abul. super hũc locũ Leuit. q. 2. hãc sententiã reijcit coiecturis quibusdã & rationibus parũ vrgentibus. Sũma earum est, quia sine causa legislator intẽderet illo verbo excipere beatã virginẽ, cũ illa exceptio nullius futura esset vtilitatis, cũ nec B. Virgo illa vsura esset, nec alijs cõstare posset, eã absq; semine cõcepisse. Quã sententiã amplexati sunt moderni expositores, qui Hebraicarũ literarũ peritiores sibi videntur, Oleaster super hũc locũ, Iansenius. c. 10. concordiæ, & inclinat etiã Caiet. hic. Cæterũ coiectura hæc Abulẽsis nullius est momẽti: valde enim vtile esse potuit, quòd admiranda virginis cõceptio, tãto antea tempore fuerit à Moyse prophetice indicata. Neq; obstat, quòd Oleaster obijcit dicẽs semen in sacris literis nõ semper significare principiũ generationis, sed interdũ etiã prolem ipsam: vt Gene. 15. Mihi autẽ non dedisti semen, idest, prolem: & 1. Reg. 2. Reddat tibi Dñs semen de muliere hac pro fœnore, quod cõmodasti Dño. Vnde secundùm phrasim Hebraicam idem est suscipere semẽ, quod seminificare, vel habere prolem: ac proinde nõ sufficiẽter colligi B. virginẽ fuisse exceptã à purificationis lege, eo quod legislator subdat, quæ suscepto semine. Hoc inquã nõ obstat, cum enim nullũ verbum sit in scriptura sine mysterio, & legislator loquẽs de partu masculorũ nõ solũ partus, sed & seminificationis, meminerit alijs verbis vtẽs quã dũ loquitur de partu fœminarum, verisimile est non sine causa id fecisse: sed ad indicãdum aliquod mysteriũ; præsertim cum septuaginta Interpretes nõ vertant, Mulier quæ fecerit, sed, quæ susceperit semen: quod propriè ad principium generationis refertur. Et Hieronym. hãc retinens interpretationem, ita sentire visus est. Deniq; omnes fatẽtur B. virginem nõ fuisse obligatã hac lege: vt videre licet in citatis Patribus & in Chrysostomo homil. de occursu Dñi, & in Radulpho Flauiacensi lib. 8. c. 6. in Leuit. solus enim Abulensis hoc in dubium reuocare ausus est, dicẽs, obligatã quidem fuisse ex vi verborũ legis, an vero re ipsa fuerit obligata, vel alia via, aut ratione fuerit exempta, incertũ esse, & ex diuino arbitrio & dispẽsatione pẽdere. Iãsenius autẽ vidẽs hoc aduersari cõmuni sensui Ecclesiæ & sanctorũ, prudentius quidẽ, fortasse tamẽ minus cõsequenter dixit. Licet verba legis virginem comprehendere possent, ac ligare, nihilominus tamẽ illã non obligasse, tũ quia in ea cessauit ratio legis, non solũ quia sordibus puerperij caruit, sed etiam quia ipsum autorẽ sanctitatis & mũditiæ peperit: tũ etiã quia peperit Deũ, qui supra omnẽ legẽ erat. Hę tamẽ rationes (si rectè expẽdãtur) nõ sufficiebãt, vt B. virgo nõ obligaretur lege, si verbis legis cõprehẽderetur. Nã cessante fine legis in particulari, nõ cessat obligatio legis, & q. filius fuerit omni lege superior, quia Deus erat, nõ ostẽdit idẽ esse matri attribuẽdũ, alioqui totius veteris legis obligatione virgo libera fuisset, quod nulla ratione nititur, vt ergo firmo ac constãti fundamẽto dicamus B. Virginẽ nõ fuisse hac lege obligatã, asseramus necesse est, lege nõ fuisse cõprehensam, eo quod absq; virili semine filiũ de cœlo concepit, & peperit.

Reijcitur opposita quorundam sententia

OMne sanctũ non tãget.] Hic ponitur discrimẽ inter immunditiã puerperæ illis primis septẽ diebus, & istis triginta diebus; quod videlicet prioribus septẽ, non solũ esset immunda in se, sed etiã tãgentia inquinaret, quẽadmodum illa quæ menstruum patiebatur, alijs vero triginta tribus, licet in se esset immunda, nõ tamen alia inquinabat: sed sola duo illi interdicebantur, scilicet sacrum aliquid tangere, & intrare atrium tabernaculi, in quo fortè etiam fœminæ ingrediebantur tempore sacrificiorum.

II. Duplex puerperæ immunditia legalis.

IMmunda erit duabus hebdomatibus.] Circa causam literalẽ ꝑpter quã fœmina pariẽs masculũ, immũda fiebat quadraginta diebus, pariẽs verò fœminã duplicatis diebus varij varia testãtur. Quidã dicũt hoc ideò esse, quoniã peccatũ per mulierẽ cœpit: ideò voluisse Deũ, illud in fœmina etiã puerpera vindicare, & etiã in prole. Nobis tamẽ magis arridet, quod Gerũdẽsis dicit, quòd scilicet mulier pariẽs fœminã patitur maiorẽ humorũ fluxũ, & sanguinis eruptionẽ: quia enim maior sanguinis & humorum eruptio fit in matre in partu fœmellæ, quam maris, & impurior reddebatur, ideò dilata est in ea purificatio, quę ratione immunditiæ exigebatur: sed in hoc standum esset iudicio medicorũ.

III. Cur mulier pariens fœminam per duplicatũ tempus reddebatur immũda

PRo peccato.] Hic maximopere obseruãda est regula illa dialecticorũ, aliud videlicet esse illud à quo nomen imponitur, & aliud ad quod significãdũ imponitur. Quãuis enim genus istud hostiæ, de quo in præsenti agitur, habuerit nomẽ, vt vocaretur pro peccato ab emũdatione peccati, ob quã plærũq; offerri præcipitur: cæterũ nomẽ pro peccato quoddã genus sacrificij instituti ad quãcunq; expiationẽ siue peccati, siue immũditię legalis, significat: vt cõstat ex. c. 14. huius libri, vbi semel atq; iterum iubetur leprosus mũdatus offerre oblationẽ ꝓ peccato, cũ tamẽ nihil aliud esset, id pro quo offerebatur, quã immũditia lepræ, quæ sine vlla culpa sua accidisse poterat. Et idẽ cauetur de seminifluo in. c. 15. cui præcipitur, vt offerat hostiã pro peccato, quãuis sine culpa sua infirmitas fluxus contigisset. Et hoc ipsum existimo asserendũ de oblatione pro peccato, quę hic exigitur à puerpera: illud enim, pro quo offerebatur, nõ erat peccatũ aliquod quod esset vera culpa, sed erat legalis immũditia, vel irregularitas ex sordibus puerperij, & fluxu sanguinis cõtracta. Vnde cũ huiusmodi irregularitatẽ filius vel filia nõ cõtraherent, hostia hæc pro peccato nõ offerebatur prò eis ex præscripto legis. Cęterũ ex deuotione parentũ poterat holocaustũ, quod erat in reuerentiã diuinæ maiestatis pro filijs offerri, & etiã hostia pro peccato, quatenus omne sacrificiũ cõtinet cultũ Dei, & potest in gratiarũ actionẽ offerri. Et fuisse ita factũ in purificatione Beatissimæ virginis docet ecclesia, dum in officio istius festiuitatis responso secũdo & tertio canit: Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum.

IIII. Hostia pro peccato etiam offerebatur pro immũditia inculpabili.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM IN CAPT XIII.

¶ *Præscribuntur casus in quibis propter lepram immunditia legalis cõtrahitur: Quos vt sacerdos (cui hoc interest) dijudicare valeat; sigillatim apponũtur signa repræsentatiua lepræ. His namq; signis si sacerdos innitatur veram proferet sententiã, tam circa leprã in cõmuni, quã circa leprã in particulari, siue hæc sit carnis viuæ, siue pullulãs in vlcere iã sanato, siue causata ex adustione, vel in capite seu barba oriatur, vel in caluitio, vel deniq; in qualibet vestiũ specie.*

PARAPHRASIS IN CAPVT XIII.

A. LOCVTVSQVE *est Dñs ad Moysen & Aarõ*, & instruxit eos de signis, quibus immũditiã lepræ agnoscere debebãt, *dicẽs*. † *Homo* seu etiã mulier, *in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color* notabiliter variat° à colore naturali pristino, *siue pustula*, quæ non solam cutẽ, sed etiã carnẽ corrũpit ob collectionẽ putredinis egrediẽtis ab intra in superficie corporis, *aut quasi lucẽs quippiã*, & transparẽs sicut pergamenũ, *id est plaga lepræ*, illa nãq; tria signa plagam istã demonstrant: quando igitur infirmitas lepræ apparuerit in homine,

† *De panit. d. 1. §. denique.*

I. *adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnũ quẽlibet filiorũ eius* fungentiũ iã officio sacerdotali: lepræ enim examẽ penes sacerdotis iudiciũ sitũ esse debet. *Qui cũ viderit* tria illa signa, propter quæ iudicari debet aliquis, q̃ sit leprosus, videlicet *leprã in cute* habente quãdam transparentiã vel lucem, *& pilos in album mutatos colorẽ*, amisso colore naturali nigro vel rufo, *ipsamque speciem* seu pustulam repræsentatiuã *lepræ humiliorẽ cute & carne reliqua*, ob id quod pustula hæc depascere solet carnẽ, & sic facit illam demissiorem quàm in alijs locis. Cum igitur hæc viderit sacerdos iudicabit quòd *plaga lepræ est*, quã patitur homo ille, *& ad arbitrium eius* sacerdotis, ad quem adductus fuit, *separabitur* leprosus à sacris, & à consortio aliorum, *Sin autem lucẽs cãdor fuerit in cute*, quod est vnum signum lepræ ex tribus prædictis; deficiunt autem alia duo, quia *nec humilior carne reliqua, & pili* retinent speciem *coloris pristini*, tunc ne alios inficiat, si fortè fuerit lepra, *recludet eum sacerdos septem diebus*, nempe vsq; ad diem septimum, vt clarius demonstretur an sit lepra nec ne, *& considerabit die septimo*: vtrum sit aliquid immutatũ circa eum, per quod deprehendatur leprosus vel sanus: *& si quidem lepra*, seu macula, quę illam præsignare videbatur, *vltra non creuerit* non modò intensiuè, sed *nec trãsierit in cute priores terminos* magis se extẽdendo: tunc temporis *rursum recludet eum septem diebus alijs*, ne forte arte aliqua vel industria factũ sit, vt lepra septem prioribus diebus occultaretur. *Et die septimo* posterioris hebdomadę *contemplabitur* sacerdos statum maculæ, ascitis si necesse fuerit ad id negotij medicis & chirurgis: & re benè inspecta *si obscurior*, seu minus clara & manifesta *fuerit lepra & plaga*, quæ illam indicare videbatur, *non creuerit in cute* per intensionẽ, nec per extensionẽ, tũc sacerdos proferet sententiã, & *mundabit eum* declarãdo eiusmodi hominem mundum esse, *quia scabies est* & nõ lepra pustula illa seu signum vnde suspectus habebatur: *lauabitque homo vestimenta sua* saltem propter suspicionẽ quã intulit, *& mũdus erit* in iudicio & æstimatione omnium. *Quod si postquam à sacerdote visus est* homo habens aliquod signũ lepræ, *& redditus munditiæ* per sentẽtiam sacerdotis, qua illum tanquam mundum declarauit, *iterum lepra creuerit*, non propter prioris sententiæ prolationem permitti debet homo iste inter sanos habitare, sed re sacerdoti nunciata *adducetur ad eum &* si visus fuerit habere signa manifesta lepræ, *immunditiæ condemnabitur*: potuit enim sacerdos in priori iudicio decipi propter latentem lepram, vel lepra potuit homini euenire de nouo. *Plaga lepræ*, quæ in carne viua non operta cute apparere solet, *si fuerit in homine*, non protinus homo ille statim erit reijciẽdus à castris, sed *adducetur ad sacerdotẽ, & videbit eũ*: vt de illi° immundi- B.

munditia sententiam ferat. *Cumque color albus in cute plagam circunstante fuerit, & capillorum*, qui in capite sunt, *mutauerit aspectum*, quia vel caput decaluauit, vel pristinum capillorum colorē immutauit, *ipsa quoq; caro viua*, idest, non operta cute *apparuerit: lepra vetustissima* & omnino incurabilis *indicabitur, atq; inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos*, seu contaminatum & leprosum pronuntiabit, *& nō recludet* ad inquirendum exactius veritatem eiusmodi lepræ, *quia perspicua immunditia est*, & eum qui certus est, certiorari vlterius non oportet. *Sin autem effloruerit*, & super cutem se effuderit *discurres lepra*, seu scabies, quæ ab ignorantibus lepra creditur, *in cute & operuerit omnem cutem à capite vsq; ad pedes, quidquid sub aspectū oculorum cadit*, non propterea habēdus est homo ille tanquam verè leprosus, sed *considerabit eum sacerdos*, & non videns amplius quam scabiē vniuersalem in corpore, eiusmodi hominem *teneri lepra mundissima*, nempe scabie trahente putredinem humorum ab interiori ad extra, ac proinde reddente mundam carnem, *indicabit* nullatenus fidem accommodans popularibus opinionibus: *eo quod omnis* illa scabies, quam vulgus lepram credebat, *in candorem versa sit*, nam maior claritas & pulchritudo in carne infirmi ex tali scabie pullulabit: *& idcirco homo mundus erit*, & apud omnes quasi mundus æstimabitur. *Quando vero caro viuens* nec operta cute *in eo apparuerit*, quod signum esse solet lepræ veræ, *tunc sacerdotis indicio polluetur*, seu pollutus iudicabitur; *& inter immundos reputabitur: caro enim viua si lepra aspergitur*, habeatque pustulas coloris sanguinei, qualem præ se fert viua caro, *immunda est*, & digna vt lepra notetur. *Quod si rursum* caro illa infecta, quæ prius viua erat, *versa fuerit in alborem* pristinum recuperando cutem suam, & colorem sanum habuerit, *& totum hominem operuerit*, ita vt in eo nulla caro absq; cute appareat, *considerabit eum sacerdos &* comperta sanitate illius *mundum esse decernet. Caro autem & cutis in qua vlcus*, quod est ruptio carnis ex putredine egrediente exteriùs causata, *natum est, & sanatū fuerit* postea ita vt ruptio carnis non appareat, tamen si *& in loco vlceris cicatrix alba apparuerit siue subruffa*, hoc est alterius coloris, quàm habere deberet cicatrix omnino sanata; tūc tēporis *adducetur homo ad* C.

sacerdotē; vt iudicet an infirmus integrè cōualuerit, *qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua* ob intimā carnis corrosionem sub cute, *& pilos versos in candorem*, amisso innato colore feret sacerdos sententiam, qua *contaminabit eum*, pronūtiando eiusmodi hominem pollutum esse & contaminatum: *plaga enim lepræ orta est in vlcere*, quod alias videbatur fuisse sanatum. *Quod si pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura*, ita vt vix appareat, *& vicina carne non est humilior*, sed ęquè cum illa eleuatur, *recludet eum septem diebus*, quibus certus fieri valeat, an sit lepra necne: *& siquidem creuerit*, ita vt per hoc possit iudicium certum haberi, *adiudicabit eū lepræ* declarando eiusmodi hominem leprosum esse. *Sin autem steterit in loco suo*, neq; accreuerit cicatrix illa, tunc sacerdos absoluet hominem à suspicione: & declarabit quòd *vlceris est cicatrix, & homo mundus erit*, omnesque quasi mundum æstimabūt. *Caro autem & cutis* ab extrinseco læsa, videlicet *quam ignis exusserit, & sanata albam siue rufam habuerit cicatricem* notabiliter declinantem à naturali colore, *considerabit eam sacerdos, &* si viderit quòd *ecce versa est in alborem* transparentem & lucētem, iuxta colorem illum, quem signū esse lepræ superiùs indicaui *& locus eius reliqua cute* propinqua illi loco *est humilior*, ob corrosionem carnis existentis in ipsa cicatrice, *contaminabit eum sacerdos*, declarando eiusmodi hominem legis immunditiam contraxisse: *quia plaga lepræ in cicatrice orta est*, ex ignisque adustione pullulauit. *Quòd si pilorum color non fuerit immutatus*, quia pili circunstantes cicatricem adustam eundem, quem prius retinent colorē, *nec humilior* extiterit adustionis *plaga carne reliqua & ipsa lepræ species* seu plaga, quæ lepræ specimen gerebat *fuerit subobscura*, ita vt nequeat apertè dignosci eam esse lepram, *recludet eum septem diebus, & die septimo contemplabitur, si creuerit in cute lepra*, apparuerintque plura veræ lepræ indicia, *contaminabit eum* iudicando illum esse immundum: *sin autem in loco suo candor steterit* nulla facta mutatione, sed sicut prius *non satis clarus* fuerit lepræ index, *plaga combustionis est, & idcircò* homo qui eam habuerit ex sacerdotis sententia *mundabitur, quia cicatrix est cōbusturæ*, ob quam legis immunditia non contrahitur. *Vir siue mulier in cuius capite* D.

vel

Digitized by Google

vel barba germinauerit lepra, vel orta fuerit pustula aliqua, quæ pullulantis lepræ indicium præferat, *videbit eos sacerdos: & siquidem humilior fuerit locus carne reliqua:* ob vlceris corrosionem, *& capillus flauus*, atque in rubedinem tendens quasi proxime caluturus, *solitoque subtilior*, quæ manifesta signa lepræ esse solent, *contaminabit eos*, & quasi immundos pronuntiabit: *quia lepra capitis, ac barbæ est*, & speciali lepræ genere infecti sunt ægri isti. *Sin autem viderit locum maculæ* existentis in capite, vel in barba *æqualem vicinæ carni*, eo quod omni careat corrosione, *& capillum nigrum*, prout antea erat, *recludet eum septem diebus*: ad diligentius considerandum, si post hoc aliqua mutatio fiat, per quam possit discerni clarius lepra: *& die septimo intuebitur. Si non creuerit macula, & capillus sui coloris est*, nequaquam tendens ad euulsionem, *& locus plagæ carni reliquæ æqualis, radetur homo* habens eiusmodi plagam sublatis capillis capitis & barbæ, *absque loco maculæ*, vt in ea, & pilis experiatur sacerdos sanitatem, vel morbum leprosi, *& includetur septem diebus alijs*, vt certior fiat sacerdos an sit, vel nō sit lepra. *Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum sacerdos*, atque mundum esse pronuntiabit: *lotisque vestibus suis*, quas lauare oportebit ob suspicionem, quam intulit, *mundus erit. Sin autem post emundationem rursus creuerit macula in cute*, siue intensiue, siue extensiue, *non quæret amplius vtrum capillus in flauum colorem sit immutatus*, quia augmentum maculæ sufficit ad iudicandā lepram: vnde eiusmodi infirmus *aperte immundus est. Porro si steterit macula*, nec vltra in deterius progrediatur, *& capilli nigri fuerint*, iuxta pristinum colorem *nouerit hominem sanatum esse*, *& confidenter eum pronuntiet mundum*, nihil hæsitans de integra huius hominis sanitate. *Vir siue mulier in cuius cute candor apparuerit*, quia nimia pollent albedine *intuebitur eos sacerdos, si deprehenderit subobscurum alborem lucere* apparueritque quasi lentibus perfusi, *in cute, sciat non esse lepram, sed maculā coloris candidi, &* qualis reperiri solet in rufis, seu rubicundis hominibus; ac proinde scire etiam debet esse *hominem mundum. Vir de cuius capite capilli fluunt*, & nihil aliud præter hoc ex signis lepræ in eo apparet, *caluus & mūdus est: & si à fronte ceciderint pili*, quasi incipiēs caluus fieri, *recaluaster & mundus est* siue enim vertex ca II.
pitis depilatus sit, siue sola anterior eius
pars, neutrum est sufficiēs lepræ index. *Sin*
autem in caluitio verticis capitis, *siue in re-*
caluatione, partis anterioris, *albus, vel ru-*
fus color, qualis in vere leprosis reperiri so-
let *fuerit exortus, & hæc sacerdos viderit, cō*
demnabit eū, haud dubiæ lepræ, quæ orta est
in caluitio: hæc namque infirmitas caluis
interdum euenire potest. *Quicumque ergo*
maculatus fuerit lepra, & separatus est ad
arbitrium sacerdotis, certum cōuersationis
modum & ab alijs distinctum obseruare de
bet: quantum ad habitum enim *habebit ve-*
stimenta dissuta, quo animo dolorē, & an-
xietatem in vestium scissione demonstret,
& etiam, vt de facili possint indui, & exui
absque dolore infirmi: *caput nudum*, nudi-
tas enim capitis sicut & scissio vestium sig
na esse solent lugentium & mærentium: *os*
veste contectum, non solum ne halitu suo III.
alios, quasi inficere videatur, sed præsertim
vt hac ratione ostendat præsentem vitam
in luctu sibi fore transigendam: his namque
signis *contaminatum, ac sordidum, se clama*
bit, ac si id planctu & clamorosa voce om-
nibus denunciaret. *Omni tempore quo lepro*
sus est, & immundus, quousque per senten
tiam sacerdotis mundus iudicetur, *solus ha*
bitabit extra castra, vna cum alijs leprosis
disiunctus à sanis. *Vestis lanea, siue linea*,
quæ decorem vobis confert & vtilitatem,
dum corpus calefaciens eius operit turpi-
tudinem, *si lepram habuerit*, hoc est ti- IIII.
neis, aut aliquo simili corrosa fuerit *in sta-*
mine, *seu* in telæ fundamento, *atque subteg*
mine, quod est trama, quæ intexitur: *aut*
certe pellis quoque sicut & vestis lanea, aut
linea, *vel quidquid ex pelle confectum est*,
pertinēs ad vestis speciē, *si alba vel rufa ma*
cula, quæ corruptionē vestis indicet, *fuerit*
infecta, lepra vestium, idest, tinea vel putre
do *reputabitur ostendeturque sacerdoti. Qui cō*
sideratā recludet septē diebus, & die septimo
rursus aspiciēs si deprehēderit creuisse in ve-
stimēto, illā indicem putredinis certus esse
debet, quod *lepra perseuerās est*, & quod pertinaci
ter corrodēs vestimētū ad modū lepræ exi
stētis in homine, quapropter sacerdos *pol*
lutū iudicabit vestimentū, & omne, in quo
fuerit inuēta eiusmodi labes vestē corrodēs
& idcirco cōburetur flāmis, ne alia vestimē
ta inficiat. *Quod si eā viderit non creuisse præ*
cipiet, & lauabūt id, in quo lepra est, nēpe

vestimētū habēs maculā, quæ leprā præsignabat: *recludetq; illud septē diebus alijs. Et cū viderit faciem quidem pristinā non reuersam*, sed maculam eundem prout antea retinentem colorem, *nec tamen creuisse lepram*, nihilominus vestimentū habens eiusmodi tineā, *immundū indicabit, & igne cōburet, eo quod infusa sit* introrsum radices agens, *in superficie vestimenti, vel per totum, lepra*: ita vt non superficiem solam illius partis, cui insedit, corruperit, sed interiora quoque eiusdem partis penetrauerit, quatenus, nec lota ad faciem pristinam redire potuit. *Sin autem obscurior*, seu magis dubius, *fuerit locus lepræ postquam, vestis est lota*, nequaquam præsumat sacerdos locum illum, quasi leprosum condemnare: quod si faceret vestem totam oporteret cōburere, nec de sanitate illius adhuc certitudinem teneat, sed *abrumpet eum, & à solido diuidet*, ne quod sanum est ab infecto forte corrumpatur. *Quod si vltra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga*, quæ tale sortitur nomen quia ex vno loco euulsa protinus alibi oritur, & sedes mutans, nullam certam occupat, in qua extirpetur, *debet igne comburi. Si* verò post secundam reclusionem, ac particulæ, in qua lepra apparuerat, euulsionem, macula *cessauerit, lauabit aqua ea, quæ pura sunt, secundo, & munda erunt*: ita vt facta hac secunda lotione deseruire possint prædicta ad vsus hominum, prout cætera vestimenta munda. *Ista est lex* decernens per hæc, quæ modo dicta sunt, id quod obseruare oportet circa immunditiam, *lepra vestimenti lanei, & linei, staminis, atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceæ, quomodo* videlicet, & quando per sententiam sacerdotis vnaquæque istarum vestium, *mundari debeat, vel contaminari*, docet enim hic lex qua ratione cognoscere poterit sacerdos vestimentum purum sit an impurum.

G.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

I. *Conuenienter sacerdoti cōmittitur iudicium lepræ.*

ADducetur ad Aaron.] Disquirit hic quidam modernus cur lepræ examē penes sacerdotis iudicium situm fuerit, cū potius apud medicos statuendum esset. Respondet autem, sacerdotem non vt talem, sed vt Reipublicæ gubernatorem, ad quem pertinet contagiosos morbosos, à sua republica pellere, hoc fecisse. Sed nescio an hæc solutio nodum dissoluat, quoniā quemadmodum sacerdos, vt sic artē Medicinæ ignorat, ita & princeps: vnde non magis aptus esset princeps ad lepræ iudicium ferēdū quam sacerdos. Quare videtur dicēdū, quod lepra, nō vt morbus curādus ad sacerdotem pertinebat, sed vt immūditia, quæ hominem ineptū reddebat ad sacra, & ad cōsortiū aliorum: licet ergo lepra, vt langor, ad sacerdotē nō pertineret, vt immūditia tamen à sacris hominē repellens ad eū pertinebat, cuius muneris erat mūditiā diuini cultus curare, & immunditiā depellere. Non ergo sacerdos, vt princeps, nec vt Medicus de lepræ morbo iudicabat, sed vt sacerdos de immunditia in ordine ad sacra Domini. Ad quod non oportebat sacerdotem esse Medicum, sed satis erat, vt medicos consuleret & eorum sententijs auditis, quod sibi rectum videretur iudicaret. Et idcirco, vt deficientibus signis manifestis non posset in hoc falli, voluit Deus eum non statim eo casu sententiam ferre, sed expectare tempus, quo plane posset hoc cognosci.

II. *Calu⁹ & recaluaster in quo differāt.*

REcaluaster.] Discrepant Hebræorum Rabbini in distinguendis significationibus vocabulorum, quæ hic ponuntur scilicet Kereach, quod caluum reddit vulgata, & Gibbeach, quod recaluastrum interpretatur. Et quidam dicunt Kereach, idest, caluum dici, qui capillos habuit, sed defluxerunt: Gibbeach vero esse, cui nulli vnquam capilli fuere. Alij dicunt, prius nomen significare illū, cui anterior pars capitis depilata est: secundum vero, eum cuius posterior capitis pars pilis caret. Et his adhęrent Lyra, & Burgensis. Quia tamen horū expositio manifeste contradicit editioni vulgatæ quæ recaluastrum vocat eum à cuius fronte pili ceciderunt, nullatenus est sustinenda. Tertij igitur dicunt caluum significare eum, cuius vertex sine pilis est: recaluastrum vero cuius sola frons depilata est: vterque enim caluitij modus in hominibus reperitur: Et huic sententiæ quasi probabiliori in paraphrasi adhæsimus.

III. *Leprosus signa tristitiæ præ se ferre tenebatur.*

OS veste contectum.] Hæc tria, quæ leprosis præscribuntur, videlicet dissutio vestium, nuditas capitis, & oris contectus, videntur præcipue indicare dolorem ac gemitum, quem leprosus perferre tenebatur ex legis decreto, ob id quod sacrificiorum oblatio, & accessus ad tabernaculum & populi conuictus erant illi interdicta. Duo enim priora nēpe dissutio, vel scissio vestium, & nuditas capitis aperte constat fuisse signa tristitiæ, vt ex pluribus scripturæ locis ostēdimus superius in ca. 10. huius libri annotat. 1. Oris autem contectio signum esse flentium colligitur, tū ex ipsa experientia, solent enim homines cū plorāt os manu, vel veste contegere: tū etiā ex lectione Chaldaica, quæ hoc in loco sic habet: Labia sua instar lugentis inuoluet.

Lepram

IIII. *Lepra vestium, & domorum, quid dicatur.*

Lepram habuerit.] Scribunt Hebræorum quidam lepram vestium & domorum in vniuerso mundo nunquam apparuisse, nisi in sola Iudæa & populo Israelitico: & hoc cum legibus Dei aduersabantur: cum verò iuxta leges eius viuerent, ab hac plaga fuisse omnino liberos. Sed hoc per quam vanissimum est & absque vllo fundamento dictum, prout sunt plæraque alia, quæ à Rabbinis expositoribus cõfinguntur. Quantum igitur attinet ad leprã vestium & domorum, asserendum est Deum vocare lepram vestium hoc in loco, & lepram domus in capite sequenti tineam, putredinem aut corrosionem vestimentorum, ac parietum quacunque id causa accideret in eis: eo quod putrefactiones istæ habent efficere, quid simile, vel proportionate in vestibus & parietibus, quale lepra, vel qualitates pessimæ causatiuæ lepræ habent efficere in homine. Quas putrefactiones & corrosiones aliæ gentes minime curabant, quemadmodum, neque alias corporum immunditias ex contactu contractas, quoniam populum Israel mundissimum esse voluit Dominus: & per corruptionum corporalium detestationem ad animi puritatem & cordis munditiam pertrahere intendebat.

ARGVMENTVM IN CAPVT XIIII.

¶ *Sanata lepra tenetur is, qui illa fuerat infectus, à sacerdote purificari, ad idque duos passeres viuos offerre, vestimenta lauare, & pilos radere constringitur. Et ingressus in castra, lotisque iterum die septimo vestimentis, rasisque pilis, tam diues, quam pauper purificabitur, die octauo sanguinis aspersione, & sacrificijs. Domus quoque lepra, seu putrefactione infecta, si incurabilis sit, destrui, si vero sanari queat, refici, ac postea sanguinis aspersione purgari debet.*

PARAPHRASIS IN CAPVT XIIII.

A. *Locutusque est Dominus ad*
Moysen, & instruxit eum de
his, quæ fieri oportebat in pu
rificatione leprosi, *dicens: Hic*
est ritus leprosi, qui circa eum, qui lepræ
damnatus fuerat, siue leprosus declaratus
seruari debet, *quando mundandus est*, ab im
munditia & irregularitate legali, quã pro-
pter lepram contraxerat. † *Adducetur* de
loco, vbi antea procul à castris manebat, *ad*
sacerdotem, *qui* quidem sacerdos ad id nego
tij accitus, & *egressus de castris*, *cum inuene*
rit ex signis in capite præcedenti relatis,
lepram esse mundatam, vel miraculose, vel
virtute naturæ *præcipiet ei*, *qui purificatur*,
vt in manibus ipsius sacerdotis extra castra
manentis *offerat duos passeres viuos pro se*
ad designandum esse sibi restitutam sensuũ
viuacitatem, quam præcedens lepra, vt mo
ris habet, sustulerat: offeratque illos mũdos,
quibus vesci licitum est, *&* simul cũ eis offe
rat *lignum cedrinum* imputribile, in signũ
sublatæ sibi putredinis, quã leprã ingerebat
vermiculumque, seu filum rubei coloris, *&*
hyssopum, quæ est herba odorifera, eo quod
emortuus color & fœtor, quę à lepra causa
bantur, in viuidũ colorẽ, qualis est rubeus,
& in bonũ olorem per integrã valetudinẽ
transierint. *Et vnum ex passeribus immola-*
ri iubebit sacerdos faciẽs illum decollari, &
sanguinẽ eius fundi *in vase fictili super a-*
quas viuentes, qualis sunt aquæ fontiũ, I.
vel fluminũ decurrentium, quæ contineri de
bent in vase terreo, & misceri sanguini pas-
seris immolati: *aliũ autem viuum cum ligno*
cedrino, *& cocco & hyssopo* facto quasi quó
dã aspersorio habẽte pro manubrio lignũ
cedrinũ, cui ligata sint passer viuus & hysso
pus cũ filo coccineo oblato. Hęc inquã om
nia *tinget in sanguine passeris immolati*,
quo sanguine mixto cũ aquis viuentibus, &
assumpto cũ prędicto aspersorio, sacerdos
asperget illum, *qui mundandus est*, *septies*,
vt iure purgetur, & perfecte; septenario e-
nim numero perfecta mũditia designatur.
Et dimittet passerẽ viuũ, *vt in agrũ auolet*:
quia homo lepra purgatus restitui debet
cõuictui & cohabitationi cæterorũ homi-
nũ, non secus atque auis illa restituitur cõsor
tio reliquarũ auiũ. *Cũque lauerit homo vesti-*
menta sua, *radet omnes pilos corporis*, *& la-*
uabitur aqua, ne quidpiã præcedẽtis immũ
ditiæ in vestimẽtis, seu pilis remaneat: *pu-*
rificatusque ingredietur castra, *ita duntaxat*,
vt nõ se quasi omnino mũdus gerat, sed *ma*
neat extra tabernaculũ suũ separatus ab v-
xoris thoro, & quasi perfectã requiẽ nõdũ
assecutus, *septẽ diebus*, seu vsque ad septi- II.

† *Matt. 8. a. Marci. 1. d. 40. Luc. 5. a. 12.*

Digitized by Google

mū diē, *& die septimo radet capillos capitis*
qui illis septē diebus creuerint, *barbāq; &*
supercilia, ac totius corporis pilos, vt in præ
cisione pilorū in quibus lepra præcipue re
sidere solet, à se eam omnino abijsse, ipsum
que ab ea perfecte liberum remansisse
ostendat. *Et lotis rursum vestibus & corpore*
in signum maioris munditiæ, *die octauo assu*
met duos agnos immaculatos, integros vide
licet, & quibus læsio aliqua corporalis non
III. insit, *& ouem anniculam,* similiter perfe-
ctam, & *absque macula, & tres decimas,* 3
partes ephi similæ, seu floris farinæ; quas
decimas partes is, qui mundatur offerre de-
bet *in sacrificium* illud oblationis, quo su-
perius dixi constare debere ex simila,
quæ conspersa sit oleo, vna cum vino, thure,
& sale: *& seorsum,* vltra oleum, quo conspet
gi debet simila sacrificij, offeret, *olei sex-*
tarium, scilicet quadragesimam octauam
partem amphoræ. *Cumquè sacerdos purifi-*
cans hominem, eodem die octauo *statuerit*
eum, & hæc omnia coram Domino in ostio ta
bernaculi, in ea parte atrij, quæ ante taber
naculum existit, *tollet agnum* alterum ex
illis duobus, *& offeret eum pro delicto:* le-
pra namquè ac cæteræ immunditiæ lega-
les à peccato proueniunt actuali, vel origi-
nali, saltem tamquam à remouente prohi-
bens; si enim homo in iustitia originali per
stitisset eiusmodi immunditias non contra
xisset: *oleiquè sextarium,* similiter tollet &
offeret. *Et oblatis ante Dominum omnibus*
protestando ipsum esse vniuersorum Do-
minum, *immolabit agnum* sublatum in sa-
crificium pro delicto, ac iugulabit eum in
IIII loco, *vbi solet immolari hostia pro peccato,*
4. quæ distincta est ab hostia pro delicto,
& holocaustum, id est in loco sancto: qualis est
atrij situs in latere aquilonari altaris im-
molandis victimis deputatus. *Sicut enim*
pro peccato, ita & illa, quæ *pro delicto ad*
sacerdotem, quasi ad verum, ac legitimum
eius ministrum *pertinet hostia, Sancta san-*
ctorum est, seu sanctissima, ac proinde dig-
na, vt in loco sancto offeratur. *Assumens-*
què sacerdos de sanguine hostiæ mactatæ in
purificatione leprosi, *quæ immolata est*
pro delicto, seu irregularitate à leproso con
tracta ex occasione peccati, *ponet super ex*
tremum auriculæ dextræ eius qui mundatur
& super pollices manus dextræ & pedis, ad
significandum licitum esse, ex tunc ho-
mini illi communicari alijs sermone, &
opere; quæ quidem communicatio prin-
cipaliter per aures, manus, & pedes exer-
cetur: *& de olei sextario,* quod seorsum
assumi ac præparari iussi, tollet sacerdos
aliquantulum, ac *mittet in manum suam*
sinistram, quantum vola manus sinistræ
retinere possit olei, *tingesquè digitum*
dextrum in eo, manus namque dextra ha-
bilior est ad cuiusuis operis exercitium,
& asperget coram Domino septies, ad in-
sinuandum perfectam lepræ curationem
à Deo prouenisse, oleoque diuinæ mi-
sericordiæ esse attribuendam: *quod au-*
tem reliquum est olei in læua manu sacer- C.
dotis, facta septena aspersione, *fundet*
super extremum auriculæ dextræ eius, qui
mundatur, & super pollices manus, ac pe-
dis dextri, & super omnem partem, in
qua ipse sacerdos apposuerat *sanguinem,*
qui effusus est pro delicto, assumptusq; erat
pro emundatione leprosi, vt mixtione
sanguinis, & olei iustitiam Dei simul &
misericordiam in sanatione lepræ adesse
significetur. Fundet quoquè sacerdos
oleum, *& super caput eius,* qui à lepra
mundus esse monstratur: vt sicut ante in-
cesserat capite nudo, in signum mæroris
lepræ, ita nunc capite oleo perfuso cu-
rationis alacritatem præseferat. *Rogabit-*
què pro eo sacerdos, preces, ac supplicatio-
nes offerens, *coram Domino,* seu in con-
spectu altaris & tabernaculi, *& faciet sa-*
crificium pro peccato, 5 offerens ouem V.
anniculam in illo, aliudquè esse debet
sacrificium istud ab eo, quod obtulerat
pro delicto, vtrumquè tamen eandem ir-
regularitatis lepræ munditiam præten-
dens. Quibus quidem sacrificijs, tam
pro delicto, quam pro peccato oblatis,
tunc immolabit agnum alterum in *holo-*
caustum, & vt in Deo honorem, ac re-
uerentiam totaliter incendatur, *ponet*
illud in altari cum libamentis suis, 6 seu VI.
cum oblatione sacrificij, quæ superius
capite secundo præscripta est. Quod, vt
peractum fuerit, lepra amplius non im-
putabitur, *& homo rite mundabitur,*
pristinæquè habilitati, & communioni, abs
què alijs ceremonijs restituatur. *Quòd si*
pauper est, & non potest manus eius inue-
nire, quæ dicta sunt: ob inopiam enim
non habet facultatem ad emendum illa,
eo casu die octauo purificationis in ho-
stiam *pro delicto assumet agnum ad oblatio*
nem, quē necesse est offerre, vt adsit copia
sanguinis, quo tingātur auricula & pollices
dextræ

Digitized by Google

dextræ manus, & pedis, & fiat septēplex aſ
perſio coram Domino; ac proinde, *vt roget
pro eo ſacerdos*: nam faciendo ceremonias
purificantes leproſum rogabit pro eo, qui
II. mundatur: *decimamq; partem* 7 *ſimilæ con*
ſperſæ oleo offeret vna cū agno, vt ſit *in ſa-
crificiū*, ſeu libamentum requiſitum ad im-
molationem eiuſmodi agni, *& olei ſexta-
rium*, quo eędem vnctiones fieri valeant in
† Sup. 5 paupere, quas pręcepi facere in diuite: †
c. 1. & *duosq; turtures, ſiue duos pullos columbæ* offe
12. Luc. ret pauper loco alterius agni & ouis anni-
2 v. 24 culæ, quæ diues tenebatur offerre, *quorum
vnus*, ſiue turtur, ſiue pullus colūbæ, *ſit pro
peccato, & alter in holocauſtū*: nā agnus pręe
bens ſanguinem neceſſariū ad vnctiones,
offerri debet pro delicto: *offeretque ea die*
D. *octauo purificationis ſuæ*, cōputando à pri-
mo die, quo inceperit illa purificatio, nēpe
à die quo ſacerdos exiēs extra caſtra inqui
ſierit, an exiſtat mundus homo ille à lepra:
fiet autē harum rerum oblatio, *ſacerdoti,
ad oſtium tabernaculi teſtimonij corā Domi
no*: vſq; ad quē locū debet eas deferre mun
dandus à lepra, ibiq; tradere manibus ſacer
dotis. *Qui ſuſcipiens agnū pro delicto, & ſex
tariū olei*, primo, ac ſeorſum cōſūmaturus
ceremonias circa iſthæc obſeruādas, *leua-
bit ſimul* mouendo ſurſum, & deorſum, dex
trorſum, & ſiniſtrorſum, ſicque dicabit ea
Deo, & cōſecrabit, *immolatoq; agno*, & oc-
ciſo *de ſanguine eius* ſuſcepto in cratere,
*ponet ſuper extremū auriculæ dextræ illius,
qui mundatur, & ſuper pollices*, hoc eſt ſu-
per vtrumq; pollicem, *manus eius, ac pedis
dextri: olei vero partem mittet in manum
ſuam ſiniſtrā, in quo tingens digitū dextræ
manus aſperget ſepties corā domino*, verſus
tabernaculū, & propitiatorium, vbi Domi
nus ſe ſpecialiter præſentē exhibet; *tangetq;
que extremū dextræ auriculæ illius, qui mū
datur, & pollices manus, ac pedis dextri in
loco* ipſius auriculæ & pollicū, vbi facta ſit
prius vnctio *ſanguinis, qui effuſus eſt*, de
agno oblato, *pro delicto: reliquā autem par
tem olei, quæ eſt in ſiniſtra manu, mittet ſu-
per caput purificati*, eaſdēq; ceremonias,
quas obſeruare præcepi in mundatione di
uitū, perficiet ſacerdos in purificatione pau
peris, *vt placet pro eo Dominū*, qui propter
obedientiā ſibi exhibitā placatus nobis, &
propitius reddi ſolet. *Et turturem* vtrumq;
ſiue pullū columbæ offeret ſacerdos immo
lando & ſacrificando, *vnū pro delicto*, ideſt
pro peccato, nā pro delicto propriè ſump-
to iam oblatus eſſe debuit agnus. *& alterū*
turturem, ſeu pullum columbæ offeret *in
holocauſtū*, quod vtrūq; ſacrificium, tā pro
peccato, quā holocauſtū offerri oportet,
cū libamentis ſuis, nēpe cū oblationibus,
ſimilæ, vini & olei, thuris & ſalis, quæ debē
tur his victimis, nō ſecus, atq; deberi dixi
agno oblato pro delicto. *Hoc eſt ſacrificiū*,
huculq; expreſſum & inſtitutū, pro purifi-
catione pauperis *leproſi, qui habere non po-
teſt omnia*, quæ à principio præſcripta fue
rāt in lege ei, qui lepra fuiſſet infectus, *in
emundationem ſui*, nēpe duos agnos, & v-
nā ouem anniculā. *Locutuſq; eſt Dominus
ad Moyſen & Aarō*, non quidē interpollatè
ſed cōtinuando legē leproſorū, quam hacte
nus promulgare cœperat; *dicens: Cū ingreſ
ſi fueritis terrā Chanaā*, neq; enim domos
luteas, vel lapideas habituri eſtis ante in-
greſſum in terrā illam, *quam ego dabo vobis
in poſſeſſionem*, conferendo vobis virtutē
& fortitudinē, qua hoſtes expugnare valea
tis: eo igitur tēpore *ſi fuerit* nō omnino cer
te, ſed apparenter *plaga lepræ in ædibus*, a
liqua videlicet qualitas corrūpens parietes
domus, efficienſq; in ſtructuris domorum,
quidpiā ſimile, vel proportionale, quale le
pra, vel qualitates peſſimæ cauſatiuæ lepræ
habent efficere in homine, *ibit cuius eſt do-
mus*, ſub grauis culpæ reatu *nuncians ſacer
doti*, & petens, vt veniat ad inquirendū: an
ſit lepra *dicet: Quaſi plaga lepræ videtur mi
hi eſſe in domo mea*, quā tamē exploratā nō
omnino habeo. *At ille ſacerdos*, ad quem
præfatus homo acceſſerit, *præcipiet vt effe-
rant vniuerſa de domo, priuſquā ingrediatur
eam, & videat vtrū leproſa ſit, ne* ſi forte ſa
cerdos iudicet domū eſſe leproſam, *immū
da fiant omnia, quæ in domo ſunt*: nā ſacer
dos iudicans leproſam domū aliquā, tene-
tur quoq; vniuerſa, quæ in ea reperit im-
munditiæ condēnare. *Intrabitq; poſtea*, quā
fuerint extracta, vtenſilia domus, *vt cōſide
ret leprā domus, & cū viderit in parieti-
bus illius quaſi valliculas*, ſeu eleuationes,
quaſdam & depreſſiones in ſuperficie pa-
rietum, ex quodā colore peſſimo conſum-
ptiuo, & humiliāte loca in quibus eſt, pro
uenientes, *pallore, ſiue rubore deformes*, ac pri
ſtinū mutatū colorē, *& humiliores ſuperficiē
reliqua*, quæ ſigna eſſe ſolēt corruptionis
& ruinæ domorum, *egredietur oſtium do-
mus*, & omnes, qui intra ſunt, pariter egre-
dientur, *& ſtatim claudet illam ſeptem die-
bus*, vt nullo his diebus introeunte verius E.

 appa-

appareat conditio domus, an ruinam minetur nec ne. *Reuersusque die septimo, considerabit eam* inspiciendo signa corruptionis parietum, & *si inuenerit creuisse lepram*, seu maculam illam, quæ habet imaginem lepræ, & vim germinatiuam ad diffundendũ se & corrumpendum alias partes domus, *iubebit erui lapides* prope superficiem parietis existentes *in quibus lepra est*, nam ex eorum praua qualitate præsumitur corruptionem illam parietis prouenire, quasi immundos etiam præcipiet, *& proijci eos extra ciuitatem*, seu vrbem, in qua fuerit domus, *in locum immundum*: ne si in loco mũdo constituerentur, quispiam per ignorantiam eos tangeret: & pollueretur: *domum autem ipsam* præcipiet sacerdos *radi intrinsecus* auferendo superficiem de terra vel calce, quam domus habuerit à parte interiori *per circuitum* illius loci, in quo qualitas corruptiua parietum apparuerit: *& spargi* faciet calcem seu *puluerem rasuræ extra vrbem in locum immundum*, ne si intra vrbem remaneat per contactum illius quisquam inficiatur: *lapidesq; alios reponi* iubebit sacerdos, *pro his, qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum* ad reficiendum quod ablatio lapidum & rasio superficiei fecerat detrimentum. *Sin autem postquam eruti sunt lapides* ad mandatum sacerdotis, *& puluis erasus, & alia terra lita* fuerit domus in loco vbi noui lapides sunt appositi, *ingressus sacerdos* post aliquod tẽporis spatium *viderit reuersam lepram* inficientem, & corrumpentem domum non secus ac morbus lepræ inficit corpus humanum: nã vidit *& parietes respersos maculis* præsignantibus internam parietum corrosionem, proculdubio *lepra est perseuerans*, cùm perseueret infectio, quæ à principio inerat: *& immunda domus* iudicabitur, ita vt nullatenus liceat tangere illam, vel habitare in ea: *quam statim destruent*, ne alijs proximis ędibus vitium illius communicetur; *& lapides eius ac ligna, atque vniuersum puluerem proijcient extra oppidum in locum immundum*, vt cum quis ibi ea esse viderit, ab illorum quasi ab immundorum contactu caueat. *Qui intrauerit domum* istam de qua hucusque memini, intra septem dies *quando clausa est* ex præscripto sacerdotis, quia eo ipso fit quodammodo particeps immũditiæ domus, *immundus erit* quantum ad ingressum in atrium & contactum rerum sacrarum *vsque ad vesperum* seu primum solis occasum: *& qui dormierit in ea, &* etiam quicunque *comederit quippiam*, quia deterius inquinatur, qui diutius in sordibus moram trahit, non solum immundus erit vsque ad vesperam, sed vlterius *lauabit vestimenta sua* aqua mundissima & pura ad maiorem immunditiæ legalis, quam contraxit, detestationem & purificationem. Et hactenus dictum sit de eo quod facere debet sacerdos, quando post appositos nouos lapides, litisque parietibus domus ingrediẽs viderit reuersam lepram. *Quod si intrgiens sacerdos viderit lepram non creuisse in domo* nec redijsse vlterius, *postquam denuo lita*, nouisque lapidibus refecta *fuerit, purificabit eam* faciens ceremonias, quas lex iubet fieri in ea domo *reddita sanitate*, ne sibi imputetur infectam fuisse: *& in purificationem eius* faciet quæcumque dixi debere fieri erga hominem mundatum à lepra, dum adhuc est extra castra: nam sacerdos domũ purificaturus *sumet duos passeres*, vnum quidem vt illius sanguine aspergat domum, alium verò vt postquam in aspersorio ligauerit, viuum dimittat, *lignumque cedrinum* symbolum imputribilitatis, *& vermiculum atque hyssopum*, vt similia fere præsignent isthæc omnia, quæ in emundatione hominis leprosi dictum est indicare: *& immolato vno passere*, eiusque sanguine fuso *in vase fictili super aquas viuas* haustas de fontibus seu riuis, & in vase illo contentas, *tollet lignum cedrinum, & hyssopum, & coccum*, hoc est lignum coccineum, *& passerẽ viuũ*; facietque ex his omnibus aspersoriũ quoddam cuius manubrium sit lignum cedrinũ habens in extremitate passerem & hyssopum ligata filo vermiculi, *& tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viuentibus* permixtis cum ipso sanguine, *& asperget domum septies*; tot namque vicibus aspersorium mitti debet in vase continente aquas & sanguinem, vt septenaria aspersione perfecta domus purgatio indicetur: *purificabitque eam*, idest, purificationis domus ceremonias exercet in omnibus istis rebus, videlicet *tam in sanguine passeris, quàm in aquis viuentibus, & in passere viuo, lignoque cedrino, & hyssopo atque vermiculo*, quæ quidem non secus atq; carnis humanæ emundationem à lepra, ita domesticæ putrefactionis euulsionem designant. *Cumque dimiserit passerem* viuum & sanguine tinctum *auolare in agrum libere*, quo libera domus inhabitatio significatur

Digitized by Google

tur, *orabit pro domo* poſtulans à Deo, vt lepra illa, quæ primo apparuerat, denuo nõ redeat. Cumque hæc completa fuerint, domus præfata legitimè, *& iure mundabitur*, quia in eius purificatione obſeruata erunt quæ lex obſeruari mandat. *Iſta eſt lex* & ritus à lege præſcriptus pro diſcretione & emundatione *omnis lepræ*; non ſolum in communi, ſed etiam in particulari: nam ſigillatim in ſuperioribus actum eſt de lepra vulneris, *& percuſſuræ*, necnõ etiam de immunditia *lepræ veſtium & domorum cicatricis* quoquè nempe quando, ſanato vulnere videtur in cicatrice lepra ſuboriri, *& erumpentium papularum*, ſeu de lepra, quæ in quibuſdam tumoribus apparere ſolet, & de lepra, *lucentis maculæ & in varias ſpecies coloribus immutatis*, nam quædam lepra eſt, quæ in ſplendore macularum, & immutatione colorum agnoſcitur. Quam quidem legem idcirco tuli, *vt poſsit, ſciri, quo tempore mundum quid, vel immundum ſit*; indequè valeat immundum purificari, tum obſeruando tempora recluſionum, tum reliquas ceremonias exercendo.

ANNOTATIONES IN CAP. XIIII.

I. *Aqua decurrẽs appellatur viua.*

SVPER aquas viuentes.] Vocat Hebraiſmus aquam viuentem, quæ decurrit; quoniam viua à mortuis, motu & ſenſu diſcernere ſolemus: ideo aqua, quæ mouetur, viua dicitur, qualis eſt aqua fluminum & fontiũ decurrentium; mortua verò, quæ non decurrit, qualis eſt ſtagnorum, & puteorum. Hinc illud Can. 4. Fõs hortorũ, puteus aquarũ viuentiũ, quæ fluũt impetu de Libano. Et Ioã. 4. Tu forſitã petijſſes ab eo, & dediſſet tibi aquã viuã.

II. *Septem dieb⁹, id eſt vſq; ad ſeptimũ diẽ.*

SEptem diebus.] Quod ſeptem diebus præcipit legislator manere hominem extra tabernaculum ſuum, non ſic accipiendum eſt quaſi, ſeptimo die tabernaculum ipſum intrare non poſsit. Nam & leproſus, qui capitulo præcedenti ſeptem diebus recludi iuſſus eſt, ſeptimo contemplabatur, & ſi lepra non creuiſſet, liber dimittebatur: & Numer. 19. tacto cadauere ſeptem diebus homo immundus eſſe perhibetur, qui tamen die ſeptimo per aquam aſperſionis mundatur, & Chriſtus Dominus, Matt. 12. dicitur, quod futurus eſſet in corde terræ tribus diebus. Qui tamen primo diluculo tertij diei glorioſus de ſepulchro reſurrexit. Cum igitur & in pręſenti loco homo, qui à lepra ſua ſanctificatur ſeptem diebus à tabernaculi ſui manſione arcetur, intelligendum eſt illum vſque ad diem ſeptimam ſub hac lege teneri, ſeptima tamen, completo quod lex fieri iubet, ad tabernaculum ſuum reuocari.

III. *Decima pars abſolute vocatur, quæ talis eſt reſpectu ephi.*

TRes decimas.] Quamuis hic non exprimatur cuius menſurę partes fuerint decimæ iſtæ: cæterum quia ſuperius capit. 5. huius libri præcipitur pauperi, vt offerat pro peccato ſuo ſimilæ partem Ephi decimam: & cap. 6. Aaron & filij eius iubentur offerre in die vnctionis ſuę decimam partem Ephi ſimilæ, crederem in pręſenti quoque tres iſtas decimas ſimilæ debere eſſe Ephi: maximè, quod menſura iſta videlicet decima ephi pars, quæ alio nomine vocatur Gomor. erat vſitatiſsima in ſacrificijs: de qua locuti ſumus, Exod. cap. 16. annot. 4.

IIII.

HOſtia pro peccato.] De diſcrimine, quod reperitur inter hoſtiam pro peccato, & pro delicto, diximus ſuperius cap. 7. annot. 1.

V. *Ouis nõ poterat offerri in holocauſtũ, bene tamen pro peccato.*

SAcrificium pro peccato.] Quòd ouis annicula offerri debuerit pro peccato in hoc ſacrificio, agnus autem reſiduus ex duobus oblatis à leproſo, debuerit ſacrificari in holocauſto, nõn econuerſo, quamuis id non exprimatur in textu: ex eo colligitur paraphraſis, quia fœminã nullatenus licebat offerri in holocauſtum, vt dictum eſt ſuper cap. 1. Ouis autem annicula aptum animal erat ad ſacrificium pro peccato; vnde in ſimili ſacrificio præcipitur offerri in conſecratione Nazaræi, Num. 6.

VI. *Libamẽta quibus rebus cõſtare oportebat.*

CVm libamẽtis ſuis.] Vocantur libamenta quædã oblationes, quæ fiebant cũ ipſis ſacrificijs carniũ; & quinq; rerum generibus cõſtabant. Videlicet ex ſimila oleo, thure ſale, & vino; prout de ſimila, & oleo patet ſuperius in hoc eodẽ capite: Vbi iuſſum eſt, vt offerãtur tres decimæ ſimilæ, oleo cõſperſę: de thure verò, & ſale meminit Moyſes in ca. 2. huius libri: & de vino habetur Num. 15. Vbi cũ ſimila & oleo iubetur quoq; vinũ offerri: quarum rerũ rationes, tã literales, quam myſticas vide apud D. Th. 1. 2. q. 102. ar. 3. Hęc autẽ ponebantur ſuper altare ſicut ipſum holocauſtũ ad cremandũ, quoniã in omnibus obſeruabatur eadẽ lex cremationis. Nec tamẽ intelligẽdũ eſt, ꝙ iſta libamẽta totaliter cremarẽtur, ſed partes eorum proueniebãt ſacerdotib⁹ ſicut ſuperius c. 2. & c. 6. dictũ eſt. Quãdo verò in præſenti dicitur deberi cremari holocauſtũ cũ libamẽtis ſuis, nõ intelligas, ꝙ apponi deberẽt libamẽta in holocauſto dũtaxat, ſed etiã in ſacrificio pro peccato, & in ſacrificio pro delicto. Nam cũ eſſent hic tria animalia immolata, & tres decimę ſimilę cõſperſæ oleo, manifeſtũ indiciũ eſt, ꝙ cuilibet ſacrificio ponebatur, vna decima ſimilę cõſperſę. Expreſsit tamẽ litera de libamẽtis holocauſti, quoniã de quocũq; ſacrificio expreſsiſſet intelligẽda veniſſet de cæteris maximè cũ Nu. 15. præcepturus eſſet Deus, vt quicũq; immolaſſet victimam, ſacrificium quoq; ſimilæ offerrẽt.

VII. *Pauper leproſus nõ abſoluitur ab integra oblatione ſimilæ.*

DEcimãq; parte.] Aliqui propter iſta verba exiſtimãt, ꝙ in ſacrificio pauperũ nõ ſolũ diminuebatur de ipſis animalibus, quia tollebatur agnus & ouis, & loco eorũ ponebantur duo turtures: ſed etiã diminuebatur de ſimila conſperſa; nam in ſacrificio diuitũ iuſſum eſt ſuperius; vt offerrẽtur tres decimæ ſimilæ conſperſæ oleo, hic autem ſolum iubetur vna decima.

Digitized by Google

Cuius rei dicunt fuisse causam, quia in sacrificio diuitum offerebantur, tria animalia, & cuilibet eorum correspondebat vna decima similæ pauper verò solum offerebat vnum animal de quadrupedibus, scilicet vnum agnum pro quo sufficiebat vna decima similæ conspersa oleo. In sacrificio autem volatilium non offerebatur simila. Cæterum opposita sententia docens in sacrificijs emundationis pauperis leprosi, nihil fuisse minus oblatum, quantum ad oblationem similæ vini & olei, quam in sacrificijs diuitum, multo probabilior est: tum quia Num. 15. æqualis mensura similæ & libamentorum exigitur pro vnaquaque victima, nempe decimam partem similæ & cætera, ergo, cum pauper teneretur offerre tres victimas, scilicet vnum agnum & duos turtures, seu duos pullos columbæ, consequens est, quod teneretur offerre totidem decimas similæ sicut diues. Præterea loquens hic parum postea scriptura de turturibus, seu pullis columbæ, quos tenebatur offerre pauper, inquit eos esse offerendos cum libamentis suis; sed non erant alia libamenta, nisi simila, vinum & oleum, thus, & sal, vt dictum est annotatione præcedēti, pauper igitur tenebatur ista multiplicare. Nec obstat, quôd in præsenti solum præscribitur pauperi, vt offerat decimam partem similæ, quia hîc tantum fit sermo de oblatione sacrificij, quæ requirebatur ad immolationem agni, non tamen absoluitur pauper ab obligatione exhibendi similam, & libamenta, pro alijs victimis offerendis. Sed dices, quôd vna decima similæ conspersæ oleo poterat sufficere pro tribus illis victimis, si tertia tantum pars illius in vnoquoque sacrificiorum cremaretur. Respondetur, hoc nullatenus fieri licuisse, nā superius cap. 2. & 6. huius libri præceptum est, vt sublato pugillo similæ oblatæ, pro quolibet sacrificio, quem offerre oportebat super altare, reliquum esset ipsius sacerdotis: ac proinde non licebat aliquid illius alteri apponere sacrificio.

ARGVMENTVM IN CAP. XV.

¶ Patiens fluxum seminis immundus decernitur, immunda que reddit quæcumque tetigerit. Qui tamen si sanitatem adeptus fuerit; certo ritu & oblatione purificandus veniet. Immunditiæ quoque subiacet, qui voluntarie semen effuderit, sicut & mulier, cū qua rem habuerit. Plus tamen polluūtur mulier menstruata, & quæ fluxum sanguinis ex infirmitate patitur. Cæterum illa septem tantum diebus separari constringitur: hæc vero si salutem consequatur vltra dies separationis tenetur par turturum, aut duos pullos columbarum in sacrificium offerre.

PARAPHRASIS IN CAP. XV.

A. *Locutusq; est Dominus ad Moysen, & Aaron,* ferens legēde immunditia eius, qui tam innaturaliter quā naturaliter patitur fluxum seminis; quidque circa illius purificationem fieri oporteret indicauit, *dicens: Loquimini filijs Israel,* ita vt altero vestrum loquente, alter consentire videatur, quasi authoritatem loquenti præbens, *& dicite eis:* † *Vir* non quidem efficiens voluntariam seminationem, sed *qui patitur fluxum seminis* innaturaliter & ex infirmitate quapiam, *immundus erit* vna ex maximis immunditijs. *Et tunc indicabitur* à sacerdote, cuius est iudicium istud, *huic vitio subiacere, cum* ex infirmi confessione constiterit sacerdoti, quia *per singula momenta*, hoc est valde frequenter, absq; determinati temporis obseruatione *adhæserit carni eius, atque concreuerit fœdus humor,* & qui talis est naturæ, vt adhęrens carni externæ congeletur, congelatusque fiat spissus, atque concretus, sicut & sanguis. Genus autem immunditiæ, quod contrahit infirmus iste tale est. *Omne stratum,* seu lectum & etiam locum *in quo dormierit,* quia præsumitur infectum mansisse ex frequenti praui humoris distillatione *immundum erit,* ideo vt & eos, qui se contingunt, polluat, *& vbicumque sederit,* seminifluus pariter

† 6. dis. ca. 1. 43. dis. c. 1. ante fin.

pariter immūdū remouebit. *Siquis hominū tetigerit lectum eius*, quia ex his rebus est lectus quæ cōmuniter censentur pollutæ à cadente super eis semine, *lauabit vesti-*
I. *menta sua*, 1 aquis viuentibus ad maioris emundationis abundantiam, *& ipse lotus aqua immundus erit*, & à contactu rerum sacrarum abstinebit, *vsque ad vesperum*, seu primum solis occasum. *Si sederit vbi ille sederat*, quia locus sessionis pariter sicut & lectus pollutus reputatur ex fœdi humoris acceptione, *& ipse* sedens sicut & contingens lectum, *lauabit vestimenta sua, & lotus aqua immundus erit vsq; ad vesperum* immediate sequentem post ipsam lotionē & tunc homo erit mundus. *Qui tetigerit carnem eius*, nempe ipsius seminifluentis similem immunditiam, cum superioribus contrahet. nā & *lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua immundus erit vsq; ad vesperū. Si saliuam huiuscemodi homo iecerit*, vel expuerit *super eum, qui mundus est*, vocatur autem mundus quantum ad hoc, qui non tam graui immunditia pollutus est, quam sit hæc, quæ modo præcipitur contrahi; is
B. ergo tali saliua contaminatus, *lauabit vestimenta sua: & lotus aqua immundus erit, vsque ad vesperum. Sagma*, seu sella, ad equitandum apta, vel aliud, quidpiam, *super quo sederit* fluxu seminis patiens, dum equitat, *immundum erit, & quidquid* panni, vel pellis, vel stramentorum *sub eo fuerit, qui fluxum seminis patitur pollutum erit, vsque ad vesperum*, ita vt interdum nemini mundo eis vti liceat. *Qui portauerit horum aliquid*, sellam, vel stramenta de lino, vel pellibus confecta, *lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua immundus erit, vsque ad vesperum*, secundum consuetudinem aliarum immunditiarum. *Omnis quem tetigerit, qui talis est, non lotis ante manibus, lauabit vestimenta sua, & lotus aqua immundus erit, vsq; ad vesperū*: secus autem si quempiam tetigerit lotis manibus: quāuis enim quicumque tangit carnem seminifluentis sit immundus, non tamen quicumq; tangitur ab illo, nisi forte ante contactum patiēs fluxum omiserit lauare manus suas: cuius discriminis ea est ratio, quia tangi inuoluntarium est, tangere autem spontaneum. *Vas fictile*, seu testeum ex lutoque confectum, *quod tetigerit*, huiusmodi infirmus *confringetur*, eo quod non habet robur ad sustinēdum fortem defricationem: *Vas autem ligneum lauabitur aqua*; quia fortiter defricari atque in pristinam munditiam reuocari valet. *Si sanatus fuerit, qui huiusce modi sustinet passionem*, quæ verè passio est, vt pote inuoluntaria, & quæ hominis consistentiam destruit, vt purgari valeat à legis irregularitate, *numerabit septem dies post emundationem sui*, quos transire oportet à die, quo vltimo seminificauit, vt tanti temporis decursu constet fluxum perfectè cessasse, *& lotis vestibus, & toto corpore in aquis viuentibus* fluuiorum, vel fontium, quòd fieri oportet die septimo, ex quo non est passus fluxum seminis, *erit mundus* à fœdo humore, qui concreuerat in carne & vestibus. *Die autem octauo*, qui vltimus erit purificationis, *sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ*, nam de auibus istæ solæ offerri permittuntur, *& veniet in conspectū Domini*, ad eam atrij partem, quæ est *ad ostium tabernaculi testimonij*, vbi prædicti passeres sacrificari debent super altare holocaustorū *dabitque eos sacerdoti*, is enim solummodo valet sacrificium peragere; *qui faciet*, seu offeret in sacrificium ex duobus passeribus *vnum pro*
peccato, 2 nempe pro emundatione irregularitatis contractæ, *& alterum in holocaustum* iuxta ritum holocaustorū superius capite primo expressum: *rogabitque pro eo coram Domino*, prout moris est sacerdotibus in conspectu ostij tabernaculi, vel ante altare holocaustorum preces fundere pro his, qui offerunt sacrificia. Quæ omnia perficere oportet circa eum, qui passus fuerat fluxum seminis, *vt emundetur* 3 *à* III.
fluxu seminis sui, seu ab immunditia, quam secundum honestatem ex vi legis contraxerat, per prædictam ęgritudinem. † *Vir de* C.
quo voluntariè, vel etiam nocturno tempore *egredietur semen coitus*, siue in actu matrimoniali, siue alias vtcumque, *lauabit aqua omne corpus suū*, ob id quòd corporaliter pollutus est, *& immundus erit* inhabilisque ingredi sanctuarium *vsque ad vesperum*, non quia peccauerit; cum eiusmodi pollutio absque vllo peccato, imo interdum laudabiliter contingere potuerit; sed ad significandum cum magna mentis & corporis puritate, & absque aliqua memoriæ perturbatione ad sacra esse accedendum. *Vestem & pellem, quam habuerit* homo dum semen effundit, *lauabit aqua* communi & apta ad vestium ablutionem, *& immunda erit vsque ad vesperum* vestis, vel pellis eiusmodi, vt aut vsque ad eam horam nemi-

† 43. dist. c. i. ante fin.

II.

Digitized by Google

nemini liceat aliqua harum rerum vti: *Mulier cũ qua coierit*, quia similiter polluitur sicut vir, simili immunditiæ subiacebit, vnde *lauabitur aqua, & immunda erit, vsq; ad vesperum*, ineptaque ad accessum sanctuarij, quamuis non proinde prohibitum sit viro ad eam accedere, prout prohibetur accessus ad menstruatam. *Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis*, quem nisi aliqua egritudo impediat quolibet mense naturaliter pati solent fœminæ aptæ ad concipiendum, *septem diebus*, quoniam non diutius durare solet menstruum, *separabitur* à communicatione aliorum hominum, & fœminarum, ne alij ex ipsa contaminentur. *Omnis qui tetigerit eam* non minus polluitur quàm tangens lectum illius, vnde sicut de isto mox referam, ita ille lauabit se & vestimenta sua, ac vlterius, *immundus erit vsque ad vesperum: & in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ*, siue de pellibus, siue de lana, aut lino, fuerit stramentum *polluetur*, quia videtur ibi cecidisse aliquid de mẽstruo muliebri, quod valdè fædatiuum est & pestiferum. *Qui tetigerit lectum eius*, super quem illa dormierit, ex quo passa est sanguinis fluxum intra præfatos septem dies, *lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum. Omne vas*, siue quidquid huic fœminæ deseruierit ad sedendum, & stramentum quodcũque, *super quo illa sederit*, quia præsumitur fætorem menstrui contraxisse, *quisquis attigerit, lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua pollutus erit vsque ad vesperum*: maiori tamen immunditia afficietur, qui in eodem strato vna cum ipsa iacuerit.

D. IIII. *Si coierit* 4 igitur, hoc est rem habuerit *cum ea vir tempore*, quo separari præcipitur ob fluxum *sanguinis menstrualis*; quamuis id occultum sit neque à quoquã de ea re accusetur, *immundus erit septem diebus*, *omne stratum, in quo* eiusmodi homo intra prædictos septem dies *dormierit, polluetur*: nec maiori pœnæ subiacebit, nisi fortè coram iudicibus de eo crimine conuincantur vir & mulier: tunc enim vterque pœna mortis plectendus veniet. † *Mulier, quæ* innaturaliter & per ægritudinem *patitur multis diebus*, seu per longum tempus *fluxum sanguinis non in tempore menstruali*, sed sæpe sæpius, *vel quæ post menstruum*, hoc est post tempus menstruorum, *sanguinem fluere non cessat*, quod manifestè indicat sanguinem fluentem non esse menstrualem; *quamdiu subiacet huic passioni* sibi omnino inuolũtariæ, *immunda erit*, ac eisdẽ immũditiæ cõditionibus obnoxia, *quasi sit in tẽpore menstruo*: separari enim debet, & cætera omnia obseruari, quæ circa mulierẽ mẽstruatã obseruãda disposui: *omne stratũ, in quo dormierit, & vas*, seu quodlibet vtẽsiliũ, *in quo sederit*, ob præsumptã effusi sanguinis maculam *pollutum erit* nõ solùm in se, sed etiam ad inficiendum tangentes illa: quapropter *quicumque tetigerit ea lauabit vestimenta sua, & ipse lotus aqua, immundus erit vsque ad vesperum*: prout de tangentibus lectum vel stramenta menstruatæ statutum est. *Si steterit sanguis*, 5 *& fluere cessauerit* cõualescente muliere ab ægritudine profluuij, quã passa fuerat, vt legitimè valeat mundari, *numerabit septem dies purificationis suæ*, quos computare debet à die quo vltimò cessauit fluxus sanguinis: *& die octauo offeret pro se*, nempe pro emundatione sua, *sacerdoti* cuicũque sors eueniet, vt faciat ista sacrificia, *duos turtures, aut duos pullos columbarum*, accedetque cum huiusmodi oblatione *ad ostium tabernaculi testimonij*, vbi paratus esse debet sacerdos ad sacrificia per agendũ de passeribus oblatis, *qui vnum faciet pro peccato* perficiens in eo ceremonias hostiæ pro peccato superius capite sexto institutas, *& alterum in holocaustum*, iuxta ritum, quem capite primo huius libri præscripsi: *rogabitque pro ea coram Domino*, vt liberetur ab omni iniquitate, atque in cultu Dei perpetuo conseruetur, *& pro fluxu immunditiæ eius*, ne videlicet iste fluxus sanguinis vlterius ei adueniat. *Docebitis ergo* vos Moyses & Aaron *filios Israel* leges de mũdo & immundo, & de purificationibus, *vt caueant immunditiam*, vel illam non contrahentes, vel si contraxerint purificando se, antequam ad sanctuarium accedant, *& non moriantur in sordibus suis*, seu immunditijs, prout proculdubio morientur, *cum polluerint* vel prophanauerint *tabernaculum meum, quod est inter eos*: sanctuarium enim constitutum in medio castrorum filiorum Israel, ab eis polluitur, qui dum sunt immundi ad illud audent accedere. *Ista est lex* hactenus in hoc capite proposita dispõnẽs, quid obseruari oporteat circa immũditiã *eius, qui patitur fluxũ seminis* inuolũtarie & innaturaliter, *& qui polluitur coitu* voluntario, & naturali, *& quæ menstruis tẽporibus separatur* ob fluxũ sanguinis naturaliter

V.

† 5. Dist. c. 1.

raliter prouenientem, *vel qua iugi fuit sanguine* præter modum naturalem ex defectu valetudinis corporalis, *& hominis qui dormierit cum ea*: æqualem namque immunditiam contrahit homo iacens cum muliere menstruata, atque cum ea, quæ fluxum patitur sanguinis, si tamen cum priori illa rem non habuerit.

ANNOTATIONES IN CAPVT XV.

I. LAVABIT vestimenta sua.] De conditione aquarum, in quibus hæc lotio fieri oportebat, diximus latè superius cap. 11. huius libri annotatione 5. vbi videre poteris.

II. VNVM pro peccato.] Diximus superius cap. 12. annot. 4. sacrificium pro peccato non semper offerri pro aliqua speciali culpa, quã is, pro quo sacrificium offertur, contraxerit, sed etiam pro immunditia legali, quam hostia hac purificare oportet. Quod in præsenti apertè ostenditur, cum homo quisquam pati potuerit fluxum seminis inculpabiliter, & nihilominus in sui purificatione offerre tenebatur hostiam pro peccato.

III. *Semini fluxu triplici immunditię erat obnoxius.* VT emundetur.] Triplici immunditiæ obnoxius erat vir patiens fluxum seminis, & de purificatione vniuscuiusq; illarũ fit specialis mentio in verbis præcedentibus, quando agitur de purgatione eiusmodi hominis. Prima immũditia erat semper fluens, & nouiter adueniens, quã dicebatur habere infirmus iste ex eo quòd patiebatur fluxũ seminis, quia cõtinue adueniebat ei aliquid, secundũ quod immundus esset. Et huic immunditiæ fluenti opponebatur munditia quæ erat per cessationẽ fluxus, cuius facta est mẽtio in illis verbis, Numerabit septem dies post emundationẽ sui id est postquam cessauerit ille fluxus seminis, qui est immunditia realis & fluens. Secunda erat stans & permanens, quam habebat infirmus iste in septem diebus postquã cessasset fluxus seminis, quia quanquam tunc nõ flueret semen, tamen manebat adhuc ille fœdus humor concretus corpori eius: & sic erat vera immunditia realis; propter quod si quis tetigisset eum in his septem diebus immundus erat. Ab hac autem immunditia mundificabatur cũ lauaretur corpus suum & vestes in die septimo, iuxta illud quod paulo ante dictum est, Et lotis vestibus & toto corpore in aquis viuentibus erit mundus. Tertia immunditia erat non realis prout duæ præcedentes, sed legalis & secundum honestatem, qua decebat teneri eum qui eiuscemodi fluxum passus fuerat, quousque per certa sacrificia & ceremonias ad conuictum aliorum & rerum sacrarum participationẽ admitteretur. Et isto modo in die septimo non efficiebatur mundus prædictus homo, quia adhuc restabant aliquæ ceremoniæ quæ fieri deberent in die octauo; quibus peractis homo purificabatur ab immunditia legali: & hoc modo intelligendum est quod in præsenti dicitur, vt emundetur à fluxu seminis sui; ritus nãque diei octaui ad huiusmodi emundationem exigebatur.

IIII. SI coierit.] Difficilis est locus iste, quia videtur cõtrarius dispositioni eiusdem legis Mosaicæ inferius ca. 20. vbi imponitur pœna mortis, tam viro, quàm fœminæ coeuntibus tempore menstruorum muliebrium. Quam difficultatem Rodulphus Flauiacen. lib. 14. ca. 6. super Leuit. existimat enodari non posse ab his, qui literam dumtaxat sectantur, vnde ipse ad intelligentiã spiritualem recurrit. Cæterum ad eã fundandam supponere videtur, quod accedens ad menstruatam solum tenetur immunditiæ septem dierum, ita tamen, vt si hanc pœnam subire recusauerit, morte mulctetur. Nicolaus de Lyra, quem sequuntur Abulensis, & Dionysius Carthusianus existimat hoc in loco sermonem fieri de eo, qui ad eiusmodi fœminam accesserit ignoranter, scilicet nesciens illam pati fluxum menstrui, inferius vero cap. 20. sermonem esse de eo, qui scienter crimen istud commiserat; is enim ad pœnam mortis vna cum complice tenebatur. Alij præterea asserere poterant hic constitui pœnam ei, qui ad propriam vxorem tempore menstruorum accedebat; inferius vero ei, qui accedebat ad non suam, etiamsi illa non esset vxorata. Verosimilis quoque apparet modus dicendi Caietani cui consentit Oleaster vt præsens locus intelligatur de simul iacentibus, sine concubitu; inferior autem de cõcubãtibus, prout in paraphrasi explicuimus. Quã interpretationem fundat Caietanus in voce Hebraica pro qua interpres posuit coierit, dicit enim illam proprie significare iacere. Et certe quamuis verbum coire metaphorice significet concumbere, propria tamen eius significatio est adunari, consociari, congregari: quod proculdubio absque copula carnali contingere potest viro & vxori. Cæterum quia actus carnalis nunquam solet probari nisi ex coadunatione viri & fœminæ in eodem lecto, eo ipso quod simul iacent præsumit ius fuisse inter eos copulã, nisi oppositum constet ex integritate fæminę, vel impossibilitate viri: vnde scriptura, quę honestè etiam inhonesta profert, vnum pro alio sumit. Mihi probabilior apparet sensus in paraphrasi designatus, vt hoc in loco sit sermo de eo qui iudicialiter non accusatur, tenetur tamẽ quasi in foro conscientiæ coram Deo emundari horum septem dierum separatione. Inferius tamen capi. 20. quia de pœna à iudicibus dumtaxat infligenda agitur, sermo est de eo, qui accusatus de crimine conuincitur. Et simile quid piam disponitur, verbi gratiã de adultero: is enim eo quòd rem habuit cum muliere tenetur lauare totum corpus suum, & immundus est, vsque ad vesperum, vt parum ante præcipitur in hoc ipso capite. Et nihilominus infra capi. 20. Conuictus peccati lapidari præcipitur. *Coiens cũ menstruata aliter in foro cõscientiæ & aliter in foro exteriori punitur.*

V. *Mestruata nō tenebatur offerre sacrificiũ, ad sui purificationem.*

SI steterit sanguis.] Mulieri menstruatæ non præfigitur in lege aliqua oblatio, vel sacrificium, prout præfigitur mulieri, quæ ex infirmitate passa est fluxum sanguinis, cum purificari oportet. Cuius rei causa est, quia purificationis oblatio fiebat, tanquam in laudem Dei, qui sanauerat virum, vel fœminam ab immunditia sua, sicut à lepra, vel fluxu sanguinis, aut seminis: quod solum fieri decebat, quando illa immunditia habebat aliquid ægritudinis: in muliere autem menstruata nihil tale erat, quia illa immunditia erat iure naturalis: ac proinde non oportebat offerre, quidquam quasi pro ægritudinis liberatione. Præterea quia fluxus menstrualis veniebat mulieribus quolibet mense, & valde graue eis fuisset si quolibet mense, cogerentur offerre oblationes, pro purificatione. In fluxu autem innaturali sanguinis non frequenter occurrebat purificatio, imo rarissimè. Vnde nō debuit istis esse graue offerre oblationes, pro beneficio illis diuinitus impenso: & interdum per miraculum, vt dicitur Marci capit. quinto de muliere, quam sanauit Christus Dominus à profluuio sanguinis.

ARGVMENTVM IN CAP. XVI.

¶ Præcepit Dominus Moysi, vt Aaron indutus vestibus minorum sacerdotum sanctuarium, & tabernaculum, & altare expiet in sanguine vituli & hirci: quo peracto idem Aaron confiteri iubetur populi peccata super caput alterius hirci, & quasi exterminando ipsa peccata hircũ in desertũ mittere; ac demum vestibus pontificis indutus hostias pro peccato & holocausta offerre tenetur, vt eo ritu, tam res sacra, quam personæ omnes maneant expiatæ. Quod expiationis festum singulis annis decimo die, septimi mensis celebrari præscribitur.

PARAPHRASIS IN CAP. XVI.

A. LOCVTVSQVE *Est Dominus ad Moysen*, ac docuit ritus, & ceremonias, quibus expiari debebant tabernaculum & altare † *post mortem duorum filiorum Aaron, quando* Nadab, & Abiu violauerunt illa, per hoc quòd *offerentes ignem alienũ*, transgressi sunt leges ministerij sacerdotalis, in cuius rei pœnam *interfecti sunt*. 1

(† Su. 10. a. 12.)

I. Quia ergo tunc temporis sanctuarium mansit pollutum, tum ex peruersa muneris sacri administratione, tum ex contactu cadauerum mortuorũ, vocauit Dominus Moysen, *& præcepit ei dicens. Loquere ad Aarō fratrem tuum*, vt præparet se ad reconciliandum tabernaculum & altare holocaustorũ & contestare eum, † *ne omni tempore*, hoc est nunquam, vel nullatenus, *ingrediatur sanctuarium*, seu illud sanctuarij spatium, *quod est intra velum* diuidens sancta sanctorum à reliqua parte tabernaculi, pendetq; *coram propiciatorio, quo tegitur arca*: qui quidem ingressus ea ratione prohibetur sibi, ac proinde cuilibet alteri sacerdoti, *vt non moriatur*; quasi sacrilegus, qui exercet præcipuum Pontificis munus in tabernaculo violato, nondum reconciliato, etenim, *quia in nube*, seu nebula quadam intra sancta sanctorum existente *apparebo*, atquè speciali modo me præsentem exhibebo *super oraculum*: idcirco ingredi eam sanctuarij partem, præcipuum est pontificis munus, quòd nullatenus exercere licet, etiam Aaroni, *nisi hac ante fecerit*, quæ mox subiungam: his namque reconcilianda, atquè expianda veniunt tabernaculum, & vtensilia illius: post quam reconciliationem liberum erit pontifici ingredi. *Vitulum pro peccato*, siue pro peccatis suis, ac reliquorum sacerdotum immolandum *offeret*, pontifex constituendo illum ante ostium tabernaculi, *& arietem in holocaustum*, etiam paratum habebit antequam sanctuarium ingrediatur. *Tunica linea*, 1 ac cæteris ornamentis minorum sacerdotum, *vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti*: II.

(† Exod. 30. b. 10 He. 9. b. 7.)

hac

hæc enim vestimenta, videlicet tunica, feminalia, zona & cidaris, quamuis omnibus sacerdotibus existant communia, nihilominus *sunt sancta* ad vsumque rerum sacrarum dumtaxat applicata. *quibus cunctis, cum* pontifex manus, ac pedes *lotus fuerit, induetur* † iuxta generale decretum, quo lotio manuum, ac pedum præmitti præcipitur sacris ministerijs. *Suscipietque ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos*, vt rogaturus pro remissione iniquitatum totius plebis, offerat alterum illorum in hostiam *pro peccato, & vnum arietem*, pariter suscipiet ad offerendum illum ex nomine totius multitudinis *in holocaustum*. *Cumque obtulerit vitulum & orauerit pro se, & pro domo sua* 3 recitando aliquam orationem, qua vitulum adhuc viuentem benedicat, diuinoque sacrificio mox fiendo applicet, & remissionem peccatorum suorum, ac reliquorum sacerdotum, ac leuitarum postulet, *duos hircos* à populo acceptos *stare faciet coram Domino*, in ea videlicet atrij parte, quæ est *in ostio tabernaculi testimonij: mittensque super vtrumque sortem*, vt infirmæ populi fidei occurrat, qua certus esse non vult de voluntate diuina, nisi negotium hoc sortibus exerceatur: mittens igitur sortem *vnam Domino* designantem, quinam ex duobus hircis Domino in sacrificium obueniat, *& alteram capro emissario*, quæ pariter ostendat, quis de duobus capris emitti debeat in desertum, *cuius exierit sors*, vt offeratur in sacrificium *Domino offeret illum*, & applicabit seorsum ad certam atrij partem, vt statim immoletur Domino *pro peccato: cuius autem* sors ceciderit, vt portet iniquitates filiorum Israel in desertum, & sit *in caprum emissarium, statuet eum viuum coram Domino*, collocans eum seorsum in alia atrij parte, *vt fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem*: quæ preces & emissio fieri debent post immolationem victimarum pro peccato, & postquam earum sanguine tinctum sit tabernaculum & altare. *His rite celebratis*, quæ hucusque retuli: pontifex rursus *offeret vitulum* impendendo aliquam benedictionem, qua specialiter applicet illum, ac disponat ad sacrificium, *& rogans pro se & pro domo sua* petens à Deo remissionem omnium peccatorum suorum, atque cunctorum sacerdotum, ac Leuitarum, *immolabit eum*, ac iugulabit, vt sit in sacrificium pro peccati, quorumcumque pertinentium ad ordinem sacerdotalem: *assumptoque thuribulo* aliquo ex his, quibus vti solent sacerdotes in ministerio tabernaculi, & *quod de prunis altaris holocaustorum*, vbi ignis de cælo dimissus conseruatur, ipse pontifex *impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama* iuxta compositionem in Exodo diuinitus præscriptam, vt sit thymiama illud *in incẽsum* seu ad hoc, vt incendatur: *vltra velũ intrabit in Sancta*, idcirco autem ingressurus pontifex intra velum diuidens Sancta à reliqua parte sanctuarij debet secum deferre prunas & thymiama, *vt positis super ignem aromatibus nebula eorum, & vapor operiat oraculum*, seu propiciatorium, *quod est supra* arcam continentem tabulas legis præstantes diuinæ voluntatis *testimonium, & non moriatur*: si enim vapor aromatum oraculum non operiret, sacerdos periculose exponeret illud curiose contemplandi, quòd si faceret proculdubio moreretur. *Tollet quoque*, vna cum igne & thymiamate, *de sanguine vituli*, 4 factaque mixtione istius sanguinis cum sanguine hirci oblati pro peccatis populi, de cuius immolatione statim erit sermo, ingredietur Sancta sanctorum *& asperget digito*, seu digitis sanguine infectis, *septies* in signum perfectissimæ munditiæ ex eiusmodi sanguinis aspersione obuenturæ: septenarius namque numerus rei perfectionem designat: asperget autem illum sanctuarij locum, qui est coram, seu *contra propiciatorium ad orientem*, videlicet in conspectu illius partis propiciatorij, quæ respicit orientem: habere enim debet pontifex dorsum suum versus orientem, faciem autem versus partem propiciatorij, quæ respicit ingressum sanctuarij, seu orientem. *Cumque mactauerit hircum pro peccato populi*, quem quidem hircum vna cum vitulo pro peccato sacerdotum oblato, mactare oportuit, *inferet sanguinem eius intra velum* non seorsum, sed simul cum sanguine vituli, miscens vtrumque sanguinem in craterula, *sicut præceptum est de sanguine vituli*, vt semel dumtaxat Sancta sanctorum ingrediens, simul vtroque sanguine *aspergat è regione oraculi* partem illam pauimenti, quæ est inter propiciatorium, & velum, *& expiet sanctuarium* à pollutione, seu inquinatione

Marginalia: † Exod. 30. c. 19. — B. — III. — C. — IIII.

natione proueniente *ab immunditijs filiorum Israel*, tam sacerdotum, quam secularium, *& à preuaricationibus eorum, cunctisque peccatis*; quamuis enim ob eiusmodi tabernaculi violationem debuerint omnes peccantes occidi, prout Nadab, & Abiu occisi sunt, cæterum ex infinita Dei misericordia eorum mors in mortem vituli, & hirci commutatur, & istorum animalium sanguis, quasi vitam illorum continens, coram Domino proijci præcipitur: vt tali modo placatus Deus sanctuarium suum in pristinam dignitatem & sanctitatem reuocet.

D. *Iuxta hunc ritum*, septemplicis aspersionis sanguinis vituli & hirci, *facies tabernaculo testimonij*; *quod* existit in parte anteriori Sacti sanctorum, & *fixum est*, seu situm habet *inter eos*, nempe filios Israel, & non solum vtcumque *inter eos*, sed

V. etiam *in medio* ꝗ *sordium habitationis eorum*: circunstantes enim filij Israel omni ex parte tabernaculum, quasi vndique illud inficiunt peccatis suis, quæ sunt sordes quædam spirituales. † *Nullus hominum sit in tabernaculo*, videlicet neque in parte interiori illius, neque in parte anteriori, *quando pontifex sanctuarium ingreditur*: vt cum maiori attentione, mentisque eleuatione, pulso omni strepitus impedimento *roget pro se*: nam in communicatione bonorum spiritualium, plus se ipsum, quam proximum diligere debet, *& pro domo sua*, dignitas quippe ecclesiastica ordine caritatis præferenda est statui laicorum, *& pro vniuerso cætu Israel*, nam pro his quoque rogare tenetur hac die, idque super cornua altaris thymiamatis, vt in libro Exodi præceptum est tibi. Ne igitur quispiam hac orationem impediat, nemini permitti debet in tabernaculo adesse, *donec egrediatur* pontifex ad atrium expiationis ritus completurus. *Cum autem exierit ad altare holocaustorum, quod coram Domino est*, nempe è regione tabernaculi versus orientem sub diuo, ibi pontifex iterum, *oret pro se*, ac per consequens pro his, pro quibus sanguinem effundere oportet, scilicet pro domo sua, & pro cætu Israelitarum cunctorum enim istorum immunditijs contingit, pollui altare sacrificiorum, *& sumptum sanguinem vituli* oblati pro sacerdotibus, *atque hirci*, immolati pro populo, quem permixtum habere debet in cratera, *fundat super cornua eius* altaris, quæ sunt quatuor radij æneí prominentes ad maiorem

† Luc. 1. a. 10.

decorem in quatuor extremitatibus, seu angulis altaris, *per gyrum aspergensque digito septies* mittendo cõtra altare de sanguine vituli & hirci ad modum cuiusdã aspersionis, *expiet, & sanctificet illud*, veraq; reconciliatione emundet *ab immunditijs filiorum Israel* tã sacerdotũ quàm laicorum: vtrique enim impuris sacrificiorũ oblationibus eiusmodi altare polluerunt, & prophanarunt. *Postquã emundauerit Sanctuarium*, quod est intra velũ, *& tabernaculum* exterius, vbi adsunt candelabrũ, & mensa, & altare thymiamatis; emundauerit etiã *& altare* holocaustorũ; per quorũ triũ emundationem, cætera quoque ad vsum Sanctuarij pertinentia emundata credũtur; *tunc offerat*, seu faciat astare præsentẽ corã ostio tabernaculi *hircum viuentem*, qui ex duobus hircis à populo oblatis fuerat reseruatus viuus, vt in desertũ mitteretur. *& posita vtraque manu super caput eius* in signũ voluntarij consensus quẽ põtifex præstare debet nomine totius populi circa translationem peccatorũ, quæ fieri debet in caput ipsius hirci, *confiteatur* cuiuis alteri sacerdoti, nec quispiam existimet in ea confessione aliquid virtutis ex opere operato latere *omnes iniquitates filiorũ Israel* non solũ cõmunitatis, sed etiã particulariũ, *& vniuersa delicta atque peccata eorum* vtens sermone quodã generico, qui se extẽdat ad peccata tam per malitiã, quàm per ignorantiã, quàm etiam per passionem cõmissa, potissimè tamen ad peccata publica & scandalosa: *qua imprecans capiti eius* hirci, ac exposcens, vt si aliquod malum venturum esset Israelitis pro peccatis suis, transeat super eiusmodi hircum, *emittet illum per hominem*, quem sacerdos ad id officij habebit *paratum in desertum*, vbi nulla pecora sint, nec aliqui homines, vt sic à feris laceretur pro peccatis filiorum Israel. Quo visibili ritu Israelitæ quasi vmbra futurorum bonorum manuducentur ad quidpiam excellentius & perfectius præstolãdum, & etiam in proprio statu confidentiores reddentur, quod in die expiationis si recte se disposuerit transferet Dominus ab eis peccata sua nequaquam vlterius illa imputaturus. *Cumque portauerit*, seu imaginem expresserit, quod secum tulerit *hircus, omnes iniquitates eorum in terram solitariam*, quasi obnoxius pœnę debitæ pro peccatis filiorum Israel, quã in caput eius transtulit pontifex mediante imprecatione, *& dimissus fuerit in deserto*, nulli E.

gregi

gregi vlterius associandus, sed à feris deuorandus, *reuertetur Aaron in tabernaculum testimonij* ab eo loco, in quo extra tabernaculum imprecatus fuerat super caput capri emissarij, *& depositis vestibus* minorũ sacerdotum, videlicet tunica, feminalibus, zona, ac cidari, lineis, *quibus prius indutus erat*, in signũ mæstitiæ & afflictionis quã animo gerere tenebatur, *cum intraret Sanctuarium* ad illud expiãdum: *relictisque ibi* nempe in tabernaculo, vestibus illis lineis, *lauabit carnem suam*, quam lauare solent sacrificijs incumbentes, videlicet manus & pedes, idque *in loco Sancto* atrij, vbi adest labium æneum eiusmodi lotionibus dedicatum: *induetur que vestibus suis* põtificijs, quæ sunt feminalia, ac tunica linea, balteus, tunica hyacinthina, humerale, rationale, cidaris, & lamina aurea. *Et postquam egressus* de tabernaculo, vbi indui & exui sacris vestibus tenentur sacerdotes, *obtulerit* vtrũque arietem à principio huius solemnitatis præparatum, in *holocaustum suum ac plebis* incendendo ambas victimas super altare exceptis pellibus, & fimo, *rogabit tam pro se, quàm pro populo*: pro suis enim prius deinde pro populi delictis obsecrare tenetur legalis pontifex: *& adipem* quemlibet, tam scilicet vituli quàm hirci, *qui oblatus est pro peccatis* sacerdotum & plebis, nam ex quo vitulus & hircus occisi fuerunt à pontifice, censentur eorum adipes oblatos esse pro peccatis, *adolebit super altare* iuxta ritum, quem superius capite quarto pręscripsi: *ille verò, qui dimiserit caprum emissarium* in deserto bestijs lacerandum, postquam regressus fuerit, *lauabit vestimenta sua & corpus aqua* communi, quo mundus fiat à macula seu legali immunditia, quam quasi contraxisse videtur ex contactu, vel deportatione hirci deferentis cuncta populi peccata: *& sic ingredietur in castra*: neq; enim nisi eiusmodi lotio præcedat ad communem populi habitationẽ ei licebit accedere.

F. *Vitulum autem & hircum, qui pro peccato* tam sacerdotum quàm plebis *fuerant immolati*; *&* vltra hoc, quod fuerunt hostiæ pro peccato, fuerunt quoque de eorum sacrificiorum genere, *quorum sanguis illatus est in Sanctuarium*, prout illatus est sanguis huius vituli & hirci, *vt expiatio compleretur*, quæ absque sanguine perfici non poterat: idcirco animalia ista non comedentur à sacerdotibus, sicut comedi solent carnes hostiæ pro peccato, cuius sanguis non infertur in Sanctuarium, sed eorum cadauera *asportabunt foras castra* aliqui de secularibus, quibus iusserit pontifex; † *& comburent igni* in loco mundo *tam pelles quàm carnes eorum ac fimum* demptis dumtaxat sanguine & adipibus, quos dixi comburendos esse super altare, *& quicumque combusserit ea*, quæ extra castra deferri debent, *lauabit vestimenta sua, & carnem aqua* communi & munda ad abstergendum maculas legales vel corporales, quas ex contactu eiusmodi cadauerum contraxisse præsumitur: *& sic ingredietur in castra*, aliàs absque præuia lotione nequaquam licitè ingressurus. *Eritque vobis* ac posteris vestris *hoc legitimum sempiternum*: nam lex de facienda purificatione secundùm istum ritum durabit valde magno tempore, nempe quamdiu respublica vestra permanserit. *Mense septimo* vocato ab Hebræis Tizri, cuius lunatio proximior est quàm cæterorum mensium lunationes æquinoctio autumnali, *decima die mensis*, quando iam omnes fruges & fructus arborum & vuæ collecti sunt in terra vobis promissa, quæ omnium est temperatissima *affligetis animas vestras*, seu vitam vestram abstinendo à cibo & potu ac reliquis corporeis delectationibus, *nullumque opus facietis*, ita vt neque parare cibos, neque ignem incendere, fas sit vobis: qua quidem lege omnes astringi oportet *siue indigena*, qui inde genitus est, *siue aduena*, qui aliunde venit, nempe ex gentibus, vt ritum Iudæorum suscipere, & quasi *peregrinatur inter vos*, eò quòd non sit de terra vestra nec genere. *In hac die expiatio erit vestri*, quantum ad ritus ceremoniales, qui fieri debent in reconciliatione tabernaculi & altaris, *atque mundatio ab omnibus peccatis vestris*, nam hircus deferet ea in desertum *coram Domino mundabimini*, in conspectu namque Sanctuarij, vbi specialiter præsens creditur Deus, hanc emundationem fieri iubeo, seu denuncio. *Sabbatum enim requietionis est* dies ista propitiationis, non quod in sabbato debeat semper celebrari, sed quia in ea non secus atque in sabbato ab vniuerso opere vacandum est: *& affligetis animas vestras*, is enim est finis, in quem requies illa ordinatur *religione perpetua* nequaquam pro libito mutanda, sed durante cætu vestro obseruanda. *Expiabit autem* ac exercet expiationis ritus non quisquam ex mi-

† Hebr. 13. b. 11.

VI.

G.

nori-

noribus sacerdotibus, sed *sacerdos*, *qui* antonomaticè, & vnctione quadam super excellenti *vnctus fuerit*, videlicet pontifex, super cuius caput fusum est oleum vnctionis, *& cuius manus initiata sunt* per aspersionem olei super ipsas, & per tinctionem quandam pollicis dextri in sanguine, idque *vt sacerdotio fungatur pro patre suo*, non qualiter omnes filij sacerdotis, si maculam non habuerint, sacerdotes esse oportet, sed qualiter primogenitus in iure pontificio patri succedit: *induetur que stola linea*, seu tunica pertingente vsque ad talos, *& vestibus sanctis*, scilicet fœminalibus, baltheo, & cidari lineis: taliterque indutus accedet ad exercitium ceremoniarum propitiationis, *& expiabit Sanctuarium*, hoc est Sancta sanctorum, *& tabernaculum testimonij*, quod est ante velum, & est prima pars integri tabernaculi; *atque altare* holocaustorum, quod est extra tabernaculum; *sacerdotes quoque* ac leuitas, qui ministri sunt sacerdotum, ad eorumque familiam reducuntur, *& vniuersum populum*: ita vt nihil rerum sacrarum vel populi remaneat expiandum. *Eritque vobis*, ac reipublicę vestræ *hoc legitimum*, vel legale statutum *sempiternum* semperque obseruandum, quàdiu vis legis perdurauerit, *vt oretis*, seu pontificem vestrum orare faciatis *pro filijs Israel*; vt Deus illos incolumes seruet, *& pro cunctis peccatis eorum semel in anno*, vt ea sibi remittantur. *Fecit igitur sicut præceperat Dominus Moysi*, promulgauitque legem de expiatione prout Dominus ei præscripserat.

ANNOTATIONES IN CAPVT XVI.

I. *Ob transgressionem sacerdotũ polluebatur tabernaculũ.*

INTERFECTI sunt.] De causa obquã hoc in loco meminit Moyses peccati & interfectionis filiorum Aaron, varij varia dicunt: nobis tamen verosimilior videtur dicendi modus in paraphrasi appositus, videlicet idcirco meminisse Moysem transgressionis horum sacerdotum, quia ob illam mansit pollutum tabernaculum, quod modo expiari iubetur. Et quia ex alijs etiam causis contingeret in posterum violari, præcipit vt hæc eadem reconciliatio tabernaculi & vasorum eius semel singulis annis repetatur. Quod autem tabernaculũ pollui dicatur propter peccata, & transgresionem præceptorum diuinorum, docuit scriptura in calce præcedentis capitis inquiẽs. Docebitis filios Israel, vt caueant immunditias, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint, tabernaculum meum, quod est inter vos. Et inferius hoc eodem capite habetur: Et expiet Sanctuarium ab immunditijs filiorum Israel, & à præuaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Quibus verbis insinuatur ex transgresionibus populi tabernaculi violationem prouenire.

II. *Sacerdotalia vestimenta erant in duplici differentia.*

TVNICA linea.] Duo fuerunt apud Hebræos sacerdotalium indumentorum genera, de quorum vtroque sigillatim actũ est. Exo. 28. & 29. Primum pertinebat ad solũ pontificem, & complectebãtur octo illas vestes quibus Moyses induit Aaron in die consecrationis suæ, vt habetur superius cap. 8. huius libri. Alterum verò erat commune Pontifici ac reliquis sacerdotibus continens has quatuor vestes lineas, quarum in præsenti fit mentio. In vestibus pontificalibus repręsentabatur quasi totus orbis vt habetur Sap. 18. Tunica enim linea figurabat terrã, quia linum nascitur de terra. Balteus cingens illã tunicã figurabat oceanũ, qui circũdat terrã. Tunica hyacinthina ratione coloris figurabat elementũ aëris, in qua inserebantur tintinnabula, quia in aëre generantur tonitrua. Balteus autẽ cingens illã tunicam figurabat elemẽtũ ignis, qui ambit aërem. Super humerale cum rationali sibi coniuncto figurabat cœlos sydereos, quod ex multis coloribus & picturis erat adornatũ ad designãdũ pulchritudinẽ stellarũ. Per mitram verò figurabatur cœlum empyreũ, & per laminam auream supra mitram positam ipse Deus præsidens omnibus creaturis, propter quod in illa lamina nomen Domini tetragrammaton erat insculptum. Causa autem, obquam põtifex expiaturus populũ & tabernaculũ, quãuis in ea re exerceret munus propriũ pontificis, nihilominus non vtebatur vestibus põtificijs, ea est, quia solẽnitas ista erat magnæ afflictionis vt dicitur circa finẽ huius capitis, adeo vt inferius cap. 23. mortis pœna imponatur his, qui eo die afflicti non fuerint, ob generalẽ de peccatis contritionẽ in populo requisitã ad ipsorũ propitiationẽ, & sanctuarij emundationẽ: in die autẽ afflictionis non decet vt vestes lætitiã aliquam præseferant, ac proinde non decuit vt pontifex in opere expiationis vteretur vestibus solennioribus, quales erant pontificales. Et quod hac ratione fuerit interdictus taliũ vestimentorũ vsus apparet, quoniã postquam summus sacerdos in die expiationis cõpleuerat ceremonias pertinẽtes ad expiationẽ spargẽdo sanguinẽ, & rogãdo pro peccatis, relinquebat vestimẽta illa, & lauãs corpus suũ accipiebat vestes põtificales, & faciebat sacrificium holocaustorũ, vt hic dicitur.

III. *Leuitæ pertinebant ad domũ sacerdotalem.*

PRO domo sua.] Quamuis appellatione domus sacerdotalis cõmuniter nõ cõprehendantur Leuitæ, quoniã omnes sacerdotes ad vnã familiã pertinẽt, quæ vocatur Amramitarũ: Leuitæ autem non pertinent ad hanc, sed habent quasdam alias, vtpote distincti in Caathitas, & Gersonitas, & Meraritas; vt habetur Numer. cap. 3. vbi traduntur omnes istæ diuisiones. In hoc tamen loco necessario dicẽdũ est, quòd

nomine

nomine domus sacerdotis magni intelliguntur etiam Leuitæ, quod patet, quia in die expiationis orabatur, pro omnibus Iudæis, oportebat ergo, vt pro Leuitis quoque oraretur, & offerrentur sacrificia, sed non comprehendebantur Leuitæ nomine multitudinis, ergo intelligebantur nomine domus sacerdotalis. Quod autem Leuitæ, non fuerint computati, cum multitudine populi ex eo colligi potest, quod cum Deus iussisset totum populum numerari, per se fuerunt numerati Leuitæ, quasi distincti à tota multitudine, vt habetur Num. 1. Et præterea, quia Leuitæ erant dati sacerdotibus in ministros, vt habetur Num. 8. & ad mandatum Aaron ministrabant in operibus sanctuarij, vt constat Num. 18. & distincti erant sub filijs Aaron, alij quidem sub manu Ithamar, & alij sub manu Eleazar, vt videre est Num. 3. & 4. & famuli pertinēt ad domum, vel familiam dominorum. Hinc est, quod Leuitæ, quasi ministri sacerdotū, ad eorum familiam pertinere censebantur.

IIII. *Sanguis vituli qualiter inferri debebat, in Sancta sanctorū*

DE sanguine vituli.] Quod sanguis iste, non nisi mixtus, cum sanguine hirci, inferri debuerit in Sancta sanctorum, ac proinde verba illa, quæ parum postea subsequūtur, videlicet, cū que mactauerit hircum, & cætera, fuisse scripta, per recapitulationem, prout in Paraphrasi explicantur, apertè colligitur, quia si pontifex semel intraret ad aspergendum sanguinem vituli, & postmodum exiens occideret hircum, & iterum intraret, vt sanguinem eius aspergeret, prout fecerat de sanguine vituli, iam intrare debuisset bis cum sanguine: quod est contra illud, quod habetur Exod. 30. & Hebræ. 9. videlicet pontificem, non nisi semel debere ingredi in sancta, cum sanguine. Præterea hoc ipsum ostēditur, quoniam parum infra præcipitur, vt sacerdos sumat sanguinem vituli, & hirci, & fundat simul, super cornua altaris holocaustorum, ergo simul sanguines isti fundebantur, ac proinde simul vtrumque introducere oportebat in Sancta sanctorum.

V. *Tabernaculū semper ad fuit in medio Israelitarum.*

IN medio.] Siue verba ista referantur ad tempus, quo filij Israel erant in deserto, siue ad tempus, quo habitabant in terra promissionis, semper eorum sanctuarium manebat, non solum inter eos, sed etiam in medio eorum, vt dicitur in littera. Nam dum erant in deserto, distinguebantur castra Israelitarum in quatuor partes, sub quatuor vexillis, vt habetur Num. cap. 2. & inter castra illa erant leuitæ circundantes sanctuarium, vt patet Num. cap. 1. ac proinde tabernaculum manebat in medio habitationis filiorum Israel. Pari etiam modo existebat templum Salomonis, dum habitabant Israelitæ in terra promissionis, quia Ierusalem, in qua eiusmodi templum aderat, quasi medium terræ promissionis retinebat.

VI. *Sabbatū & festū expiationis erant præcipue solēnitates Israelitarum.*

NVllumque opus.] Aduerte Sabbatum, & diem expiationis, in hoc excelsisse reliqua omnia festa Iudæorum, quod in illis nihil licebat fieri, nec etiam parare cibos, in alijs autem festis prohibebantur, non quidem omnia opera, sed dumtaxat seruilia, nam licebat parare cibos: vt patet de festo paschali. Exod. 12. vbi dicitur, vt in die paschæ azymorum, nihil fiat, præter ea, quæ ad cibos pertinent. Et de solemnitatibus paschæ, Pentecostes, tubarum, & tabernaculorum infra capite vigesimo tertio solum præcipitur, vt in eis nullum fiat opus seruile, cum tamen in eodem capite quantum ad Sabbatum, & festum expiationis prohibeatur absolutè omne opus.

ARGVMENTVM IN CAP. XVII.

¶ Indicitur locus necessario requisitus ad offerendum sacrificia, isque dicitur esse atrium, siue ostium tabernaculi, & non alius: ac proinde si alibi quisquam sacrificium peragere inueniatur, morte mulctari præcipitur, non secus atque homicida. Esus sanguinis prorsus interdicitur: ac ritus quo mundari debet, qui morticinum, vel captum à bestia comederit, tandem describitur.

PARAPHRASIS IN CAP. XVII.

A. ET *locutus est Dominus ad Moysen*, tulitque legem decernentem locum legalium sacrificiorum *dicens: Loquere Aaron*, *&* *filijs eius* Eleazaro atque Ithamar, *& cunctis filijs Israel*, *dicens ad eos: Iste est sermo*, vim ac legis obtinens firmitatem, *quem mandauit*, seu constituit supremus legislator *Dominus, dicens: Homo quilibet de domo* *Israel* tam de indigenis, quā de aduenis circūcisis, *si occiderit*, 1 nō in proprios vsus, sed ad sacrificandum *bouem, aut ouem siue caprā*, quæ seruata opportunitate loci alias offerri poterāt, occiderit inquā ea *in castris, vel extra castra, &* hac ratione legem præuaricauerit, eo ipso, quod *non obtulerit ad ostiū tabernaculi* animalia prædicta adhuc viuentia, prout offerre tenebatur in *oblationem Dño*, I.

quia ex occulta hostiarum iugulatione in
suspicionem venit idolatriæ talis victima-
rum occisor *sanguinis reus erit*, ac pœna mor
tis mulctari debet, *quasi si sanguinem fuderit*
mortem proximo inferens, *sic peribit de me-*
dio populi sui, nempe iudicis condemnatio-
ne præeunte. *Ideo sacerdoti*, vt pote pro-
prio sacrificiorum ministro *offerre debent fi-*
lij Israel hostias suas, quas occident, seu occide
re statuissent, si lex id non prohiberet, *in*
agro, vt susceptæ ab ipso sacerdote, *sanctifi-*
centur, ac debita consecratione applicentur,
Domino ante ostium tabernaculi testimonij, in
loco immolandis sacrificis deputato, *& im*
molent eas victimas, quas edere appetebant,
qui illas furtim, & extra atrium occidere in
tendebant, & sint in *hostias pacificas Domi-*
II. *no*, 2 hac enim ratione poterũt offerentes
fieri earum participes, magis quam si im-
molentur in holocausta, vel hostias, pro
peccato, quia harum hostiarum, nihil cedit
B. in vsus offerentium, prout cedit in hostijs
† De cõ secr. d. 2. c. nõ oportet. pacificis. † *Fundetque sacerdos sanguinem*,
cuiuslibet hostiæ oblatæ in sacrificium, *su-*
per altare Domini, per rimulam, quæ ad reci-
piendum sanguinem constructa est in supe
riori parte, & prope parietes illius altaris,
quod existit *ad ostium tabernaculi testimonij*,
in atrio eiusdem tabernaculi, *& adolebit*
idem sacerdos, ad quem spectat has ceremo
nias perficere, *adipem in odorem suauitatis Do*
mino, maxime namque delectatur Domi-
nus, si adipes sacrificiorum, quibus gentiles
superstitiose vescuntur, ab Israelitis igne
absumantur, *& nequaquam vltra immola-*
bunt, seu præsumetur de eis, quod immo-
lent *hostias suas dæmonibus*, prout præsumi
poterat de his, qui in loco occulto, vel abs-
que sacerdotis ministerio sacra peragit, iu-
re enim de eis creditur velle dæmonibus
immolare, *cum quibus fornicati sunt*, relicto
veri Dei cultu illis adhærendo, per affectũ,
nõ secus ac fœmina, quæ contẽpto marita-
li thoro, alij commiscetur viro. *Legitimum*,
seu statutum lege firmatum, ò Moyses *sem-*
piternum nullatenus, pro libito mutandum
erit illis, & posteris eorum, hoc quod sanci-
tum est de loco, vbi hostias decet immola-
re. *Et ad ipsos*, etiam tam pontificem, quam
filios eius, ac reliquos quos de populo *dices:*
Homo de domo Israel, & de aduenis qui de gẽ-
tilitate ad Iudaismum conuersi, quasi *peregri*
nantur apud vos, non habentes sortem ali-
quam in tribubus Israel, *qui obtulerit holocau*
stum, siue aliam quemcunque sacrificij *victi*
mam, & ad ostium tabernaculi testimonij, quod
atriũ eius est, *non adduxerit eam*, vt ibidem,
& non alibi *offeratur Domino, interibit de po-*
pulo suo, 3 quasi læsæ diuinæ maiestatis reus, III.
nisi ad aliud faciendũ speciali Spiritus san-
cti instinctu perducatur. *Homo quilibet de do* C.
mo Israel, qui natus fuerit de semine Iacob,
& de aduenis, qui peregrinantur inter eos, atq;
ob susceptã circuncisionem debitores sunt
vniuersæ legis faciendæ, *si comederit sangui-*
nem, non solum, vna cum carnibus, prout ta
lis eius lege naturali prohibitus est Genesis
capite nono, sed vel ipsum sanguinem ab
animali extractum, *obfirmabo faciem meam*,
4 hoc est vehementer irascar *contra animam* IIII.
illius, vindictam sumens in vita eius homi-
nis, *& disperdam eam de populo suo*, idq; ob du
plicem causam, prima quidem, *quia anima*
carnis seu vita animalis *in sanguine est*, 5 in V.
eoque principaliter consistit, vnde perin-
de aliquibus videre posset comedere san-
guinem, atq; edere vitã ipsam animalis, vel
ipsum animal viuum, at hoc inhumanũ est,
& ferinum, & quod omnes aduersari ac per
horrescere debent. Posterior causa est, quia
& ego dedi illum vobis ex diuina præordina-
tione, *vt super altare, in eo expietis, pro anima*
bus vestris, ita vt effundendo sanguinem su-
per altare, mors quam vos merebamini sum
ma Dei pietate in pecudem commutetur,
& sanguis, in quo pecudis vita consistit, *pro*
animæ piaculo sit, dum animal loco hominis
immolatur. *Idcirco dixi*, sub attestatione diui
ni iudicij *filijs Israel. Omnis anima*, seu homo
habens animam, *ex vobis, non comedet sangui*
nem, nec ex aduenis, qui peregrinantur apud vos,
nempe ob duas causas, quas modo retuli.
Homo quicunque de filijs Israel, & de aduenis,
ad fidem conuersis, *qui peregrinantur apud*
vos, vtrosque nanque lex ista astringit, *si*
venatione, atque aucupio ceperit feram, vel
auem, si eis vesci, non sit licitum, nihil opor
tet obseruare, cum perspicuum sit ab eis es-
se abstinendum, cæterum si fera, vel auis
capta sint ex his, *quibus vesci licitum est*,
iuxta legem superius vndecimo capite hu-
ius libri promulgatam, *fundat sanguinem*
eius, ne vna, cum carnibus eum forte come-
dat, *& operiat illum terra*, tum ad vitandam D.
immunditiam, & fœtorem, tum etiam prop
ter reuerentiam sanguinis, ne conculcari cõ
tingat id, in quo fit expiatio. † *Anima enim* † Genes.
omnis carnis in sanguine est, ac proinde opti- 9. a. 1.
mo iure reseruatur Deo loco vitæ huma- Sup. 7.
næ, pro peccatis debitæ, *vnde dixi filijs Israel.* c. 26.
Sangui-

Sanguinem vniuersæ carnis, non comedetis, quia anima carnis, seu vita corporalis ipsius *in sanguine est*, ex eoque principaliter depēdet, *& quicunque comederit illum*, morte violenta, & innaturali *interibit*, quod ad maiorem certitudinem, & exaggerationem iterum, atque iterum inculco. *Anima*, vel persona quælibet, *quæ comederit morticinum*, quod sponte sua mortuum est, *vel captum à bestia*, seu etiam prægustatum, cum harum rerum esus iam superius in libro Exodi prohibitus sit, vt qui tali edulio se se contaminauerit *tam de indigenis, quam de aduenis*, mundificari valeat, *lauabit vestimenta sua, & semetipsum aqua* communi, & elementari, vltra aquæ lustrationis aspersionem, quę etiam necessaria est ad emundationem, *& contaminatus erit vsque ad vesperum* illius diei, in quo lauerit se, *& hoc ordine mundus fiet*, ab irregularitate contracta ex cibis præfatis. *Quod si non lauerit vestimenta sua, & corpus*, ob grauitatem enim immunditiæ istius vtraque lotio exigitur, *portabit iniquitatem suam*, ac subiacebit toti pœnæ correspondenti culpæ, quandoquidem renuit beneficio legis releuari.

ANNOTATIONES IN CAPVT XVII.

I. *Præsens legis dispositio, non de qualibet animalium occisione procedit.*

SI occiderit.] Quod non intelligatur locus iste de quacunque occisione, sed dumtaxat de occisione, quæ erat, per modum sacrificij, ex pluribus constat. Primo, quia Deuterono. 12. apertè permittitur occidere in vrbibus carnes, & eis vesci, vbilibet quisque de populo appetijsset. Secundo, quia hic solum agitur de interfectione animalium, quæ præsentare oportebat ante ostium tabernaculi, hæc autem esse non poterant, quæ communibus vsibus applicabantur, quia eo ipso, quod præsentarentur ante tabernaculum sanctificabantur, ac proinde, non licebat, ea animalia in alios vsus transferre. Tertio, quia hic dicitur, quod debebant offerri ista animalia in hostias, hoc autem nomen designat materiam sacrificiorum, ergo de ea dumtaxat agit, hoc in loco scriptura.

II. *Ex hostijs pacificorū offerenti edere licebat.*

IMmolent eas hostias pacificas.] Præsumit lex nonnullos fortè arceri ab oblatione publica victimarum ex appetitu, & concupiscentia edendi ex ipsis, videntes ex holocaustis, & hostijs, pro peccato oblatis coram sanctuario, nihil cedere in vsus offerentium, vt ergo huius rei prætextu, nō desinerent Israelitæ sacrificia sua debito in loco offerre, aduertit scriptura posse filios Israel animalia sua immolare in hostias pacificas: inde enim fieret, vt dempto adipe, & sanguine, & etiam armo & pectusculo possent reliquis carnibus vesci. Et hæc videtur verosimilior ratio ob, quam hoc in loco specialiter meminit lex hostiarum pacificarum magis, quam holocausti, vel hostiæ pro peccato.

III. *Interdū extra sanctuariū sacrificare licebat*

DE populo suo.] Subiunxi in Paraphrasi, nisi ad aliud faciendum speciali Spiritus sancti instinctu perducatur, quia aliqui viri sancti leguntur extra sanctuarium sacrificasse, qui ex hoc non increpantur, ac proinde videntur id Spiritu sancto inspirante fecisse, qui autem spiritu Dei ducuntur, non sunt sub lege. Sic constat fecisse Manue patrem Samson, qui obtulit sacrificium coram Angelo, sibi apparente, & tamen tunc erat extra tabernaculi atrium, vt habetur Iudi. capit. 13. Samuel quoque Propheta immolauit in Ramatha, & in Masphath. 1. Reg. 7. Et in Galgala, 1. Reg. 11. & in Bethlehem, vt habetur. 1. Reg 16. & in nullo horum locorum erat tunc sanctuarium, sed in Cariathiarim, vel Gabaa, vt patet. 1. Reg. 7. Præterea Dauid immolauit in area Ornan Iebusæi, quando apparuit illi angelus percutiens Israelitas euaginato gladio, vt refertur. 2. Reg. 24. Et tandem Elias immolauit Domino in monte Carmeli coram Prophetis Baal, vt dicitur. 3. Reg. 18. A regula igitur generali præsentis loci, qua prohibetur sacrificari extra ostium tabernaculi sub pœna mortis, excipiendi sunt hi, quibus Spiritus sanctus locum sacrificandi specialiter suggerebat, qui quidem tanta pollebant virtutis præstantia, vt nemo præsumere posset eos ex diuinæ legis contemptu ad immolandum extra præscriptum locum induci, vnde quamuis Samueli licuerit offerre victimas pacificas in Galgala, vt constat. 1. Reg. 11. nihilominus Saul acriter fuit increpatus, eo quod ibidem holocaustum obtulerit, vt dicitur. 1. Reg. 13.

IIII. *Vultus pro ira, & obfirmare faciem pro irasci.*

OBfirmabo faciem meam.] Hebraismus est, nam reddere seu ponere firmam faciem contra aliquem, designat vehementer irasci. Accipitur enim facies, vel vultus, non nunquam pro ira, quoniam ira maximè in vultu hominis relucet, vnde inferius cap. 20. dicitur. Et ego ponam faciem meam contra illum. Et Ierem. capit. 21. habetur, posui enim faciem meam, super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum, idest, iratus sum illi. Et Psalm. 33. vultus autem Domini, super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.

V. *Vita animalis principaliter consistit in sanguine*

IN sanguine est.] Vitam animalis principaliter consistere in sanguine, potest ex triplici capite fieri manifestum. Primo quidem, quia iuxta Aristotelis sententiam vita consistit in calido, & humido, talis autem maximè est sanguis. Præterea vita corporalis constare nequit sine alimento, vltimum vero alimentum, quod proximè nutrit, sanguis est. Denique spiritus vitalis, qui vt nomen ipsum præsefert, vitam animalis continet, non est aliud, quam sanguis ipse, non quidem quicunque sanguis, sed qui tenuior, & purior ac feruidior existit.

Digitized by Google

ARGVMENTVM IN CAP. XVIII.

¶ Instruit Dominus populum in his, quæ obseruare oportebat, vt homo in lege illa rectè se haberet secundum rationem principij propagationis humanæ, vnde prohibet coitus incestuosos, atque alios perniciosos proli generandæ. Admonet que semel atque iterum Israelitis, vt caueant à peccatis Chananæorum, ne fortè pariter, sicut illi puniantur, atque à terra promissionis habitatione expellantur.

PARAPHRASIS IN CAP. XVIII.

A. LOCVTVS *est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filijs Israel,* & instruens de regula, quam ipsos seruare oportet in recta vitæ humanæ ordinatione *dices ad eos. Ego*, licet sim omnium Dominus, per generalem gubernationem, & Deus existam vniuersorum ratione creationis, cæterum speciali modo sum *Dominus Deus vester*, tum ob eductionem de Ægypto, & legis dationem, tum etiam propter specialem reipublicæ vestræ protectionem, ac prouisionem. Quapropter arctiori vinculo, quam alij obseruare tenemini, quæ vobis iniungo. *Iuxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis* diu, ac proinde maior illius notitia vobis inest, *non facietis*, nec turpissimos Ægyptiorum ritus imitabimini, *& iuxta morē Regionis Chanaā, ad quam ego introducturus sum vos*, quamuis ob hanc causam maius vobis imminent periculum consentiendi Chananæis, *non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis*, tam enim mores, & consuetudines, quam etiam leges Ægyptiorum, & Chananæorum, ob mentis ipsorum excæcationem, deordinata sunt. *Facietis iudicia mea*, quibus ratio humana in particulari dirigitur, circa cultum Dei, ac iustitiam inter homines obseruandam, *& præcepta mea* moralia, & ab ipsa natura insita *seruabitis*, *&* non solum secundum illa agere, vtcunque studetis, sed etiam *ambulabitis in eis* perseuerando, atque iugiter in eis ad vlteriora procedendo. *Ego Dominus Deus vester* sum, qui isthæc præcipio, cuius timor, & amor ad mei obedientiam vehementer inducent.

† Rom. 10. a. 5. Ezechie. 20. b. 11. † *Custodite leges meas* ad mores natura duce spectantes, *atque iudicia* dirigentia Dei cultum, ac proximorum conuersationem, *quæ faciens homo*, & adimplens vniuersa, quæ mando vobis, *viuet* vita, quæ datur seu promittitur *in eis*, nempe in legitimis legalibus, qualis est vita temporalis, hæc enim prolongabitur in eo, qui legem seruauerit. *Ego Dominus*, cui æquum est in omnibus obedire, hæc, quæ subsequuntur, præcipio. Galat. 3. b. 12.

I. *Omnis homo*, si in ratione principij propagationis humanæ debito modo se gerere velit, *ad proximam sanguinis sui*, quæ sibi consanguinea, vel affinis est, aliquo ex modis, quos statim subiungam, *non accedat, vt reuelet turpitudinem eius*, eamque carnaliter cognoscat, non solum, per attentatum matrimonij contractum, sed neque etiam alia quacunque copula fornicaria. *Ego Dominus* sum, qui hæc iubeo, & hoc nosse sufficit, vt ad obediendum cogamini. *Turpitudinem patris tui*, siue nuditatem eius, *& turpitudinem matris tuæ*, quæ vna, & eadem est ob contractam vnitatem carnis, & reuelari necesse est ab eo, qui ad matrem inhoneste accedit, *non discooperies*, ob naturalem reuerentiam, quam parentibus exhibere oportet, vnde eo ipso, quod *mater tua est, nō reuelabis turpitudinē eius*, ne grauissimū incestus crimen cōmittas. *Turpitudinē vxoris patris tui*, licet ipsa, non sit mater tua, *non discooperies*, quia perinde est, ac si turpitudinem patris tui detegeres, *turpitudo enim patris tui est*, quem oportet maximè revereri. II.

B. *Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siue ex matre*, quamuis non sit soror ex parte vtriusque parentis, *quæ domi*, ex legitima patris vxore, *vel foris*, per adulterium, seu fornicationem *genita est, non reuelabis*, debet enim adesse, inter similes personas quædam naturalis securitas, & honestas, qualis necessaria est adhoc, vt personæ eiusdem familiæ, simul conuiuere, & cohabitare sine periculo valeant. *Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia*, seu etiam alterius

terius cuiuscunque ex te descendentis, in omnibus enim illis eadem militat ratio, *non reuelabis, quia turpitudo tua est*, quatenus filius, & filia de substantia dicuntur esse parentis, & aliquid illius: contra naturam autem est secum quemquam coire. *Turpitudinem filiæ vxoris patris tui*, vel etiam concubinæ, seu alterius fœminæ, vtcumque cognitæ à patre, *quam peperit patri tuo*, si enim, non esset, simul filiæ patris tui nullum existeret impedimentum illam ducendi: cæterum, quia *& est soror tua*, quamuis non vterina, idcirco turpitudinem eius, *non reuelabis*, ob indecentiam, vt in plurimum annexam eiusmodi coniugio, ratione nimij ardoris amoris, & facilis mollicici animorum, & aliarum similium deformitatum, quæ in eo matrimonio interueniret. *Turpitudinem sororis patris tui*, quæ est amita tua, *non discooperies, quia caro est patris tui*, quatenus ambo fratres, sunt idem vni tertiæ carni, nempe paternæ, in qua prius, simul extitere. *Turpitudinem sororis matris tuæ*, quæ in eodem consanguinitatis gradu tecum est, in quo existit soror patris, *non reuelabis*, *eo quod caro sit matris tuæ*, non secus atque amita est caro patris. † *Turpitudinem patrui tui, non reuelabis*, qualiter reuelare diceretis, si ad eius vxorem ipso mortuo, vel iubente accederes, ob vnam, & eandem turpitudinem viri, & vxoris, vnde *nec accedes ad vxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur*, affinitatis enim vinculum eam reuerentiam ingerit, quæ copulam carnalem, non permittit. *Turpitudinem nurus tuæ, non reuelabis, quia* sicut nouerca, non debet cognosci à filio, eo quod ipsa est caro patris, ita etiam non debes cognoscere nurum tuam, eo quod *vxor filij tui est, nec discooperies ignominiam eius*, nempe filij tui, quem procul dubio verecundia, & ignominia afficeres, si ad vxorem eius accederes. *Turpitudinem vxoris fratris tui, non reuelabis*, nisi in casu, quo à lege communi, † ad suscitandum semen fratris mortui, præcipitur, *quia turpitudo fratris tui est*, ac proinde affinitas illius ex huius consanguinitate oritur.

C. *Turpitudinem vxoris tuæ, & filiæ eius*, quæ nata est ei ex alio viro, & est tibi priuigna, *non reuelabis*, ita vt vtramque simul, vel successiue habeas côiugem: nefarium enim esset in eo casu secundum coniugium. *Filiam filij eius*, nempe vxoris tuæ, *& filiam filiæ illius*, quæ siue ex filio, siue ex filia neptis est vxoris tuæ, *non sumes, vt reueles ignominiam eius*, videlicet ad coeundum, cum ea, *quia caro illius sunt, & vna caro* atque vnus sanguis reputantur omnes descendentes ab vxore tua, ac proinde *talis coitus incestus est*, ob contractam à te affinitatem, cum consanguineis vxoris tuæ. *Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius*, ita vt sit ei, quasi pellex, *non accipies*, est enim opus istud magnum discordiæ seminarium inter sorores, quod plurimum à fraterna charitate abhorret, quapropter, non solum minime licet cum sorore vxoris matrimonium contrahere, sed *nec reuelabis turpitudinem eius*, per quamcunque copulam carnalem, *adhuc illa viuente*, 3 ne aliquo modo vxor, super sorore contristetur, III. quæ causa, quia cessabit mortua vxore, poteris tunc temporis sororem illius accipere in vxorem durante lege Mosayca. *Ad mulierem, quæ patitur menstrua*, etiam si sit vxor tua, *non accedes*, inde namque solent proles maculari, & deformes ac debiles nasci, *nec reuelabis fœditatem eius*, quam patitur mulier ex fluxu sanguinis sui. *Cum vxore proximi tui*, voco autem proximum quemcunque alium hominem, *non coibis*, eo enim ipso, quod proximus tuus est vir eius, & eiusdem tecum naturæ præsumere debes nolle pati in vxore sua, quod tu in ea, quam habes, pati nolles, ac proinde, *nec seminis commistione maculaberis*, prout spiritualiter maculatur, qui filios suos adulterinos filijs legitimis alterius commiscet. † *De semine tuo*, siue filius sit siue filia, *non dabis*, nec vlla ratione permittes, *vt consecretur*, & ritu aliquo gentilico dedicetur *idolo Moloch*, 4 quod principatum IIII. tenet inter omnia idola, & maximè colitur à filijs Ammon, *nec polluas*, dehonestando, & infamando *nomen Dei tui*, qualiter dehonestatur ab his, qui gloriam, & honorem diuinitatis idolis, seu alijs dijs attribuunt. *Ego Dominus*, qui gloriam meam alteri non dabo, hoc vobis præcipio. *Cum masculo non commisceeris coitu fœmineo*, seu Sodomitico, *quia abominatio est* adeo insignis, vt tota humana conditio ordinata, imò, & natura ipsa sensibilis, quæ bruta quoque complectitur, tanquam monstrum quoddam paueat atque fastidiat. *Cum omni pecore non coibis*, quoniam omnis talis coitus interdictus est, vt pote côtra naturã, *nec maculaberis, cum eo* côtrahens culpę maculã valde turpẽ ex eiusmodi accessu D.

† 35. q. 8. c. *hæc salubriter.* 30. q. 3. [illegible]pi *tatium.*

† *Deut.* 25. a. 5.

† *Infra* 20. a. 2.

† *Infra 20.c.16.* ad pecus. † *Mulier non succumbet iumento,* sicut enim non licet viro agere in pecus, ita etiam, non licet, imò detestabilius est mulieren pati ab eodem: vnde *nec miscebitur ei,* in actu, quoquam carnali, *quia scelus est,* & crimen valde horrendum. *Nec polluamini in omnibus his* criminibus hucusque relatis, neque etiam in alijs, *quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes* Chananæorum, nullã habentes naturæ reuerentiam in suis coniugijs, *quas ego eijciam* à terra habitationis eorum, in pœnam tantorum scelerum, idque *ante conspectum vestrum,* quia vobis intrantibus ipsæ fugient atque terga vertent, non potens ferre facies vestras: peccata enim ipsorum sunt nimis horribilia, *& quibus polluta est terra,* ita vt illa ad Dominum, pro vindicta clamare videatur, *cuius ego scelera visitabo,*

V. ꝗ dum puniã peccata, quæ in ea terra fiunt, taliter, *vt euomat habitatores suos.* Quẽ admodũ enim stomachus, indigestos, & corruptos cibos adiutus medicina statim euomit, ita & terra ægre ferens habitatores immũdos Dei flagello imminẽte eas à se reijciet. *Custodite legitima mea,* quæ ordinant hominem ad Deum, *atque iudicia,* quæ ordinat ad proximum, *& non faciatis ex omnibus abominationibus istis,* quas modo retuli, *tam indigena,* qui natus est in iudaismo de genere Iacob, *quam colonus* conuersus de gentilibus ad colendum Deum, *qui peregrinantur apud vos,* in vestraque republica demorantur, *omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui* præcesserunt in prouincijs Chanaan, & *fuerunt ante vos, & isthæc facientes polluerunt eam,* quia praui habitantium mores terram pollutam reddunt. *Caue te ergo,* quando habitaueritis terram Chanaan pristinis possessoribus debellatis, *ne & vos similiter euomat,* à seque abijciat, quasi prauitatem vestram ferre non valens, *cum paria feceritis* ijs, quæ fecerunt Chananæi, ac proinde terra illa euomat vos, *sicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos,* paria enim delicta pari pæna punientur. *Omnis anima,* siue persona quæcumque, *quæ fecerit de abominationibus his* superius relatis, *quippiam, peribit de medio populi sui,* vel quia à iudicibus occidetur, vel saltem, quia Deus ipse mortem in sui reatus pœnam inferet. *Custodite mandata mea,* idque iterum admoneo, quo res tam eximie vtilis vehementius cordi hæreat. *Nolite facere, quæ fecerunt hi, qui fuerunt ante vos,* nempe Chananæi, *& ne polluamini in eis* criminibus, in quibus ipsi peccatorum maculas contraxerunt. *Ego Dominus Deus vester* sum, ac propterea habeo auctoritatem isthæc vobis iniungendi.

ANNOTATIONES IN CAPVT XVIII.

I. *Vita promissa obseruantibus legẽ Moysi tãtum est vita seu prosperitas temporalis.*

QVAE faciẽs homo viuet in eis.] Quia actibus humanis, nisi quatenus procedunt à fide, & charitate, non correspõdet aliquod præmiũ pertinẽs ad vitã supernaturalem, vt probat D. Paulus ad Galat. cap. 3. ex illo Abac. 2. Iustus ex fide viuit, & hoc in loco agit scriptura de adimpletione præceptorũ legis, quatenus ad legẽ Mosaycã pertinebant, quæ lex factorũ erat non fides, hinc est nullatenus, iuxta sensum literalẽ promitti in his verbis vitã gratiæ, vel gloriæ, sed dũtaxat promittitur vita tẽporalis, non secus atq; Exodi vigesimo honorantibus parentes suos lõgitudo præsentis vitæ mercedis loco promittitur. Ad quod ostendendũ Moyses, nõ simpliciter scripsit, quæ faciens homo viuet, sed adiunxit, in eis, insinuans, propter earũ obseruãtiã legũ, non promitti vitã simpliciter, sed eã tãtũ, quæ inest in ipsa lege, idest, non promitti vitã animi, quæ vera vita dicenda est, sed vitã corporis, cuius efficiendæ ideo in lege facultas in esse dicitur, vel quia eius auferẽdæ illata morte corporis in ipsa residet potestas plena, vel quia obseruantibus legẽ loco mercedis pollicetur. Aduerte tamen, per viuere in eis, non solũ intelligi vitã diuturnã, quæ excludit morbos pestilẽtes, & omnes langores abbreuiantes, & impediẽtes vitã, de quibus dicitur Exod. 15. Si audieris vocẽ Domini Dei tui, & obedieris mandatis eius, custodierisq; omnia præcepta illius, cunctũ lãgorẽ, quẽ posui in AEgypto, non inducã super te, sed etiã debet intelligi fertilitas rerũ tẽporaliũ, & prosperitas in omnibus operationibus, & victoria de hostibus, atque quodlibet aliud bonum ad fœlicitatem præsentis vitæ spectans: hæc enim omnia in veteri testamento passim promittebantur cultoribus legis, & ob legis obseruantiam proueniebant, vide Deuteronom. capit. 28.

II. *Lex nullatenus permittebat accipere nouercam, in vxorẽ etiã post mortem patris.*

VXoris patris tui.] Dubitari solet an mortuo patre liceret ad nouercam accedere. Et quidam hoc licere putant, maximè si vxor patris nondum fuerat ab eo cognita, quemadmodum Adonias petijt Sunamitem patris vxorem incognitam ab eo, vt tertij Regũ historia testatur. Et ad Paul. 1. Corint. 5. dicentem. Talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorẽ patris sui, quis habeat, respondent Apostolũ loqui de vxore patris adhuc viuẽtis. Cęterũ ego puto nullo pacto, etiam in lege veteri licuisse vxorem patris, siue cognitam ab eo, siue non, siue eo superstite, siue vita functo in vxorem accipere. Quod primò probo, quia non minor reuerẽ-

tia

tia debetur nouercæ mortuo patre, quam vxori fratris habentis liberos, sed ad hanc nullo pacto, eo etiam defuncto accedere licebat, aliàs frustra lex Deuter. 25. specialiter permitteret, vt frater superstes accipere posset vxorem fratris defuncti, non habentis liberos, vt suscitet semen fratris sui, si aliàs, etiam si habuisset liberos potuisset illam accipere in vxorem. Eadem vero ratio est de nouerca, & de non cognita à patre. Secundo, quia lex, hoc in loco, pro causa affert, quoniam turpitudo patris tui est, idest, quia perinde est ac si esset turpitudo patris, & eam detexisses, sed patris etiam mortui iniquũ esset verenda detegere, ergo & vxoris eius. Tertio, quia accedere ad vxorem patris eo viuente, lege adulterij prohibebatur, ergo si hæc lex aliquid de nouo statuit, arcet à coniugio cum ea eo defuncto.

III. *Impedimēta matrimonij in lege veteri erāt in triplici differentia.*

ADhuc illa viuente.] Hactenus egit scriptura de quibusdam impedimentis matrimonij, quæ vigebant in lege Moysi, quorum quædam fundantur in consanguinitate, alia vero in affinitate, vis autem obligandi, quæ eis, & alijs impedimentis legis veteris inerat, diuersimode se habebat: nam quædam impediebant matrimonium ex vi legis naturę, quatenus intrinsece, & ex se ipsis immediate important indecentiã ad coniugium, ac proinde ante legem scriptam, & post illam robur obtinent, alia impediebant ob indecentiam in eis contentam, non quidem, per se, & intrinsecè, sed quatenus carebant circunstantia, quæ potuisset illud impedimentum honestare: neq; enim connubia, cum eiusmodi impedimentis contracta erant suapte natura mala, ita vt nulla humana ratione licita essent, nec erant indifferentia, quæ passim licita essent, sed erant media inter penitus mala, & penitus indifferentia: vt pote quæ nude sumpta annexã habebant aliquam moralem indecentiam, puta nimiũ ardorem amoris, & facilem molliciem animorũ, & tamen vestiri poterant aliqua conditione humana, qua redderentur bona moraliter. Alia vero solũ impediebant ex vi solius legis Mosaycæ, & ratione præceptorũ iudicialiũ illius, vnde cessante lege veteri matrimonia, non impedirent, nisi alterius legis dispositione idipsum caueretur. Inter quę tria impedimẽtorũ genera, vt discernere valeas, aduerte, ad primũ genus pertinere quãlibet consanguinitatẽ, vel affinitatẽ, quæ adsit inter ascendentes, & descendẽtes, per lineã rectã, vnde sicut pater saluo naturę ordine non potest contrahere cũ filia, nec cũ vxore filij, neq; filius potest ducere in vxorẽ matrẽ, neque vxorẽ patris, ita ascendendo, vel descẽdendo in perpetuũ nequaquã possunt similia cõnubia exerceri. Ad secundũ genus impedimentorũ pertinent quæcumq; fundantur in proximis gradibus consanguinitatis, vel affinitatis cõtractę inter personas collaterales, voco autẽ personas collaterales quando, nec vir, nec vxor ex vna parte ducit originẽ ex viro, vel vxore alterius. Priores enim gradus cognationis transuersaliũ, etiã si loquamur de fratre, & sorore, nõ importãt indecentiã ad coniugiũ oppositã, per se, & intrinsecè iuri naturali. Quod probo, quia aliàs nunquã potuisset esse licitũ coniugiũ inter eiusmodi personas, consequens autẽ est falsum, ergo & antecedens. Sequela patet, mendaciũ enim, quia est per se, & intrinsecè malũ, nulla ratione redditur licitũ, & similiter adulteriũ, homicidiũ, blasphemia, & id genus reliqua quæ sunt, per se opposita iuri naturæ, ergo id ipsum dicendũ esset de cõnubio inter fratrẽ, & sororẽ, si esset per se indecẽs. Assumptũ vero probatur, nã oportuit ad multiplicandũ humanũ genus Cain accipere in vxorẽ sororẽ, vterinã nefas autẽ est dicere, quod Deus creauit humanũ genus multiplicandũ necessario, cũ iniuria iuris naturalis, cu facillimè, hęc iniuria euitari potuisset creãdo duos viros, & duas mulieres, sic enim humanũ genus, nõ per connubia fratrũ, & sororũ, sed per cõnubia consobrinorũ multiplicatũ fuisset. In nulla enim specie generabiliũ, legitur Deum creasse duo tantũ indiuidua, nisi in specie humana, nec hoc decuit fieri, cũ necessitate iniurię naturalis iuris in propagando. Dicendũ est ergo connubia inter maximè cognatos in linea transuersali includere dũtaxat indecentiã, si nude cõsiderentur, hoc est, nõ vestita circunstãtia, quæ illa honestare posset, si enim pollerẽt causa rationabili, qualis esset necessitas multiplicãdi genus humanũ, vel alia eiusmodi regulata per diuinã, vel apostolicã autoritatẽ, connubia ista essent licita, prout aliquãdo constat fuisse licita, vnde sicut occidere hominẽ nude sumptũ aduersatur rationi rectę, quia homo homini naturaliter amicus est, vestitũ autẽ cõditionibus honestãtibus cõsonat rationi rectæ, puta hominẽ auctoritate functũ publica, occidere hominẽ confessum, vel conuictũ de prouitione patriæ, nõ solũ enim desinit esse mala moraliter occisio hominis ex tali indumento, sed etiã fit bona moraliter. Ita pari modo seclusa omni scripta lege, & cõsuetudine habuit se natura connubiorũ extra parẽtes, & filios, prohibitorũ in hoc capite. Et propterea de illis dicitur, quod sunt partim moralia: verificatur enim hoc non eo sensu, quod sint intrinsecè contra bonos mores, sed eo sensu, quod solitarie seu nude sumpta annexã habent indecentiã moralẽ, quã nõ haberent si vestirẽtur cõditionibus honestãtibus ipsa, & propter hoc aliquãdo fuerũt licita, & hodie possunt reddi licita ex cõditionibus honestãtibus secundũ rectã rationẽ interueniente tamẽ apostolica authoritate, nõ ad dispensandũ in iure diuino, quod hodie nullũ quoad hæc est, quia Christus Dominus liberauit nos à iudicialibus, & ceremonialibus præceptis, sed ad dispensandũ in iure canonico, & cõsuetudine populi Christiani, & ad autorandũ cõditionẽ honestantẽ, quæ pro causa talis cõiugij affertur. Quam autorationem perspicuum est fieri, quum apostolica authoritas decernit ex aliqua expressa causa rationabili, se dispensare, vt tale coniugiũ fiat. Ad tertiũ genus impedimentorũ spectat diuersitas tribuũ, & alia huiusmodi, ex mera enim prohibitione legis Mosaycæ pẽdet, vt vir vnius tribus, nõ posset ducere in vxorẽ eã quæ in alia tribu haberet hæreditatẽ, vt cõstat.

Matrimonium inter fratrem, & sororem, nõ est cõtra ius naturæ, ita vt sit intrinsece malũ.

IIII. *Idolum Moloch pro cunctis idolis.*

IDolo Moloch.] De hoc idolo, & de consecratione seminis, quæ ei fieri solebat plurima fabulantur Rabbini, quibus proculdubio ignotus est omnino ritus, quo pueri traducebantur idolo Moloch. Quæ autem nos, pro explicatione huius loci in Paraphrasi addidimus ex alijs locis scripturę decerpsimus. In primis enim, quod seminis consecratio hic prohibita, non fuerit aliqua illicita seminis effusio, vt impuri Iudæi autumant, sed filij, vel filiæ initiatio constat ex illo Ierem. 32. Et ædificauerunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filij Ennon, vt initiarent filios suos, & filias suas Moloch. Quod autem coleretur à filijs Ammon, videtur insinuare scriptura, in eo quod refert. 3. Reg. 11. Tunc ædificauit Salomon fanum Chamos, idolo Moab, in monte, qui est contra Ierusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon. Et tandem, quod idolum istud principatum tenuerit inter omnia idola, videtur colligi ex illius etymologia, Moloch enim interpretatur regnans, vel consiliarius, habetque ortum à Malach, quod est regnare. Ex quo, licet coniectare causam ob quam specialiter meminit hic scriptura idoli Moloch, cum certum sit Deum, etiam noluisse, vt alijs idolis à Moloch sacrificaretur. Ratio ergo est, quia cum Moloch principatum teneret inter omnia idola, eo ipso, quod Dominus prohibuit, huic quidpiam consecrare, à fortiori prohibuit, & alijs, vnde possumus dicere scripturam, hoc in loco, & quando alibi pluries meminit idoli Moloch, vel alterius particularis vsam fuisse phrasi satis prouulgata, qua pars ponitur pro toto, seu species pro genere, sicut enim inuenire solemus in scripturis nomen alicuius fluminis, pro quolibet flumine, & nomen vnius venti, pro quolibet vento, & vnius montis, pro quolibet monte, ita etiam poni consueuit nomen huius, vel alterius idoli, pro omnibus idolis. Ac proinde existimo, hoc ipsum, quod in præsenti prohibetur, fuisse illud, de quo increpantur Iudæi Psalm. 105. Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonijs. Et effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.

V. *Visitare interdũ bene facere interdum punire significat.*

SCelera visitabo.] Visitare, ambiguum, & medium vocabulum est in sacris literis: nam & in bonum accipitur, pro eo quod est benefacere, vt Luc. 1. Quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Et ibidem, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Et in malum, pro eo quod est punire, & vlcisci, vt Exod. 20. visitans iniquitatem patrum in filios. Et Ierem. 9. Nunquid super his, non visitabo, dicit Dominus, aut in gẽte tali, non vlciscetur anima mea. Psal. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Et Oseæ. 1. Quoniã adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrael super domum Iehu. In hoc igitur posteriori sensu accipitur verbum visitare in præsenti.

ARGVMENTVM IN CAP. XIX.

¶ Varia imponuntur præcepta populo tam moralia, quam iudicialia, ac etiam ceremonialia, & fere singulis eorum subiungitur authoritas, & potentia præcipientis, per hæc verba, ego Dominus, vt timor saltim legislatoris ad obseruantiam mandatorum Israelitas inducat.

PARAPHRASIS IN CAP. XIX.

A. LOCVTVS est Dominus ad Moysen in monte Sinai, ac de tabernaculo testimonij, *dicens: Loquere ad omnem cœtum,* seu multitudinem *filiorũ Israel, &* vt sciant qualiter se gerere debeant in recta morum ordinatione, *dices ad eos:* † *Sancti estote,* ac puri ab omni immunditia, seu turpitudinis cõtagione, *quia ego sanctus sum,* ab omnique labe prorsus immunis, ac proinde volo vos quantum possibile est humanæ infirmitatis vitijs nullatenus subiacere, quandoquidem sum *Dominus Deus vester* sanctitatis similitudinem in creaturis affectans. *Vnusquisque patrem suum, & matrem suam timeat* timore filiali reuerentiæ, & dilectionis, prout in quarto præcepto Decalogi, cuius hic fit recapitulatio, constitutum est. *Sabbata mea custodite,* nec propter auaritiam, cui mirum in modum addicti estis, quidquam operemini, quod festiuitatum solemnitatibus contrarium sit. *Ego Dominus Deus vester,* qui isthæc mando vobis, & cui totis viribus obedire tenemini. *Nolite conuerti ad idola* cultum illis impendendo, *nec Deos conflatiles,* seu artificio alio, vel industria

† 1. Pet. 1. c. 13. *sup.* 11. g. 44. & 8. d. c. *oportet.* 8 2. d. c.

propositi, & c. plurimos

Digitized by Google

tria productibiles, *faciatis vobis*, prout primo præcepto Decalogi vniuersæ creaturæ rationali stricte præcepi. *Ego Dominus Deus vester*, qui potens sum obseruantibus præcepta mea præmia largiri, & inobedientes acri pęna mulctare. *Si immolaueritis hostiam pacificorum Domino*, cuius solius carnibus vesci possunt offerentes: eam autem obtuleritis Deo, non pro gratiarum actione de beneficio suscepto, sed *vt sit placabilis* vobis Dominus in exhibitione alicuius beneficij, quod spetatis, *eo die, quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero*, ascitis ad eiusmodi esum filijs, vxoribus, seruis, & ancillis, ac reliquis de familia, *quidquid autem residuum fuerit in diem tertium*, nec vendetis, nec bestijs tradetis, nec in penum retrudetis, id nanque cederet in vituperium diuini sacrificij, sed *igne combu-*

B. *retis*; prout superius septimo capite huius libri vobis est constitutum. *Siquis post biduum*, auaria, seu concupiscentia succensus, *comederit ex ea, profanus erit*, irreligiosus videlicet, ac sacrilegus, *& impietatis reus*, impius enim proprie est, qui contra cultum Dei, eius ceremonias infringēdo agit: *portabitque iniquitatem suam*, seu peccati pęnam luet: *quia sanctum Domini* quales sunt carnes sacrificij, *polluit* & indebita cōsumptione maculauit. Quapropter *peribit anima illa de populo suo*, à quo per mortē corporalem diuinitus inflictam subtrahetur. †

† Infr. 23. d. 22 *Cumque messueris segetes terræ tuæ, non* sis nimium diligens in fructibus colligendis, nec *tondebis vsque ad solum superficiem terræ*, secando per radicem spicarum calamos, ita vt neque stipulæ permaneant, *nec remanentes spicas*, quæ vel messæ non sunt, vel messorum manus effugiunt, *colliges. Neque in vinea tua racemos & grana decidentia*, è manibus vindemiantium, ac per obliuionem relicta, *congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes*, vt hac saltim ratione

C. in operibus misericordiæ exercearis. *Ego Dominus Deus vester*, qui hoc iubeo, ac vicem vobis rependere valeo. *Non facietis furtum*, prout septimo præcepto Decalogi in Exodo est à me præceptum. *Non mentiemini*, falsam vocis significationem cum intentione fallendi proferentes, *nec decipiet vnusquisque*, hoc est nullus decipiet *proximum suum* iniuste ei præbens occasionem

† Exo. 20. b. 7. errandi. † *Non periurabis in nomine meo* constituendo me quasi testem falsitatis, *nec polluis nomen Dei tui*, prout pollui censetur secundum existimationem humanam ab his qui irreuerenter & praué eo nomine vtuntur, vel periurando vel blasphemando. *Ego Dominus*, qui legum mearum præuaricatores punire valeo. † *Non facies calumniā proximo tuo*, per simulationem quandam res eius fraudulenter extorquendo, *nec vi opprimes eum*; solis viribus oppugnando, & eum tibi subijciendo. † *Non morabitur opus*, seu pretium reddendum pro labore operis *mercenarij tui apud te vsque mane* alterius diei quo mercedem reddere oportet: mercedis enim dilatio genus est violentiæ & oppressionis. *Non maledices surdo*, scilicet, qui maledicta non audit, ac proinde eis respondere non potest, nec te à maledicendo cohibere: qualis est non solum vere surdus, sed etiam absens. Præterea quoque, *nec coram cæco*, qui caret potentia visiua, vel saltim actuali rei consideratione, *pones offendiculum* aliquod mittendo in quo cadat, vel prauum consilium impendendo: *sed timebis Dominum Deum tuum*, qui potens est reddere vicem pro iniuria illata surdo & cęco, quamuis ipsi ob ignorantiam eius, qui sibi iniuriatur, retribuere non valeant, *quia Ego sum Dominus*, qui cuncta scio, ac potēs sum reddere vnicuique secundum opera sua. *Non facies quod iniquum est*, sed ius suum vnicuique tribues, *nec iniuste iudicabis*, cum ius dicendi facultatem te habere cōtigerit. *Non consideres personam pauperis*, siue illam despiciendo: siue illius nimium miserendo, ob eamque causam à rectitudine iustitiæ discedendo: *nec honores vultum potentis*, ita vt causa honorandi illum, peruertas iudiciū. *Iuste iudica proximo tuo*, actiones illius in meliorem partem interpretādo, neq; enim illum condemnare debes, vbi condemnare non oportet. *Non eris criminator* alios iniuste accusans vel diffamans de criminibus, *nec susurro*, seu occulte detrahens, *in populo*, maxime enim isthæc vitia paci rei publicæ, ac bono communi opponuntur. *Nō stabis contra sanguinem proximi tui*; volens eum occidere, aut iungens te illis qui mortem machinantur innocētis. *Ego Dñs*, qui sanguinē istius requirā. † *Non oderis fratrē tuum*, qui tibi in natura rationali consors est, *in corde tuo*, occulte & simulate expectando tempus, quando de eo vindicari valeas, *sed publice*, scilicet ita vt sibi constare possit de indignatione tua, *argue eum* palam vultu vel verbis, vt tibi satisfacere valeat, vel etiam corrigi, *ne habeas super illo*

† Eccli. 10. 4. c.

† Deut. 14. c. 14. Tobi. 4. c. 15.

† Deut. 1. c. 17. & 16. d. 19

† 1. Ioā. 2. b. 11. & 3. c. 15. & Eccli. 9 b. 3.

I. *peccatum*, 1 seu ne pecces in illum reseruando iram: nam si aperte argueris fratrem, eo ipso quiescet animus tuus, & desistes ab appetitu vindictæ, vel saltē frater poterit sibi consulere, ac præcauere ne à te quid quam patiatur mali, & sic cessabit occasio exequendi peccatum in illum. † *Non quæras vltionem*, per te ipsum exigendam, sed dimitte mihi vindictam, & ego retribuam: *nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*, ad vindicandum eam, liuore vindictæ, quamuis licite possis memoriam illius habere ad petendum satisfactionem amore iustitiæ. †

† Luc. 17. a. 4.

D. † Matt. 5. g. 44. & 22. d. 40. Roma. 13. c. 9.

Diliges amicum tuum quemcumque, videlicet cum quo communicas in natura rationali, quę fundamentum est naturalis amicitię: diliges autem non sicut agros vel vineas tuas, quibus non vis bonum, sed *sicut te ipsum*, 2 cui bonū appetis: ita pariter taliter

II. debes diligere proximum, vt ei velis bonum, prosequendo illum amore amicitiæ, & non solius concupiscentiæ. *Ego Dominus*, qui ad hæc omnia præcipiendum authoritatem habeo. *Leges meas custodite*, quas modo subijciam, & specialiter reipublicæ vestræ constitui. *Iumentum tuum*, 3 vel aliud quodcumque pecus *non facies coire* 4 vel etiam sub iugo adunari cum his, ad quos ipsum nullatenus accederet, nisi ad id industria humana induceretur, videlicet *cum alterius generis animantibus* iuxta ritum idololatrarum colentium militiam cæli, qui in reuerentiam coniunctionis planetarum, diuersa brutorum genera carnaliter vel sub iugo coniungi faciunt. *Agrum tuum non seres diuerso semine*, sequēs superstitiosam quorundam magorum obseruationem, ob quā idololatræ in eodem agro diuersa commiscent semina. *Veste, quæ ex duobus texta est*, videlicet ex lino & lana, *non indueris*, more ethnicorum. *Homo si dormierit cum muliere*, ita vt vehemēs adsit suspicio eos cōmixtos fuisse *coitu seminis*, *quæ* quidem mulier *sit ancilla*, siue de genere gentilium, siue ex Hebræis ac sit *etiam nubilis*, scilicet virgo nuptui apta, *& tamen pretio non redempta, nec libertate donata*, sed existens adhuc in seruitute, vtpote quæ neque per pretium neque per quodcunque per gratuitam emancipationem facta sit libera, *vapulabunt ambo* per sententiam iudicis præcipientis, vt tā vir quam fæmina percutiantur ad summum singulis flagellorum quadragenis: *& non morientur*, imo nec fæde lacerabuntur verborum castigatione: pæna enim ista cum maxima lenitate exerceri debet, ita vt non modo mors, verum etiam neque notabilis læsio subsequatur. Non autem tenebitur stuprator iste ad pænam taxatam in lege pro alijs stupratoribus, videlicet ad dotandum fæminam, eamque in vxorem accipiē dum: *quia non fuit libera*, 5 ob quam etiam

V: causam illa debuit vapulari, videlicet quia non habens plenum dominium sui corporis iniuriam intulit domino suo, per hoc quod inhabilem se quodammodo præstitit ad nubēdum. *Pro delicto autem suo* vltra flagellorum luitionem, stuprator cui principaliter imputari debet peccatum *offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonij*, vbi offerri, seu præsentari solent manibus sacerdotum reliqua sacrificia, *arietem*, *orabitque*

E. *pro eo sacerdos*, qui recipit oblationem, & facturus est ceremonias requisitas in hoc sacrificio, orabit quoque *& pro peccato eius coram Domino*, nempe in ipso ostio tabernaculi, vbi suscipit arietem immolādum Deo, *& repropiciabitur ei* habens misericordiam illius, *dimittetur que peccatum* non ex opere operato, sed virtute fidei & pænitentiæ, qua offerens fuerit dispositus: vel etiam dimittetur pæna peccati consistens in irregularitate legali, ob quam interdicuntur sacra committentibus similia peccata: quæ quidem pæna interdum vocatur peccatum. *Quando ingressi fueritis terram* Chanaan, quā Dominus daturus est vobis, *& plantaueritis in ea ligna pomifera*, quod primo fiet quādo debellatis Chananæis, terram eorum pacifice habitaueritis, & plantandis arboribus vacaueritis, tunc *auferetis præputia eorum*, quæ tribus prioribus annis ex quo ligna plantastis seu inseruistis, in arboribus erumpūt, scilicet gemmas, ex quibus formari debent frondes aut flores. Et si forte cōtingat, vt non attendētibus vobis ad omnes arbores, crescant aliquæ gemmæ germinentque poma, quæ inde perueniant ad maturitatem: *poma*, gemmæ, vel præputia triū priorum annorū, *quæ germinant*, *immunda erunt vobis*, quasi carnes suillę, aut alias immundæ, *nec edetis ex eis*, ne imitari videamini gentiles, qui fructus primitiuos fortunatos æstimant, ac proinde dijs suis offerunt, vel etiam comburunt eos ad quædam magica facienda. *Quarto autem anno*, quo ligna fructifera incipiunt producere fructus bonæ digestionis, & conuenientes sanitati, *omnis fructus eorum* tanquam primitiæ mūdorum fructuum *sanctificabitur*, & applicabitur

bitur ad vsum sacerdotum, prout fit de decimis, & hac ratione eiusmodi arborum fructus erit *laudabilis Domino*, hoc est, ad eius laudem pertinens: nam erit in cibum laudantibus Dominum. *Quinto autem anno comedetis fructus* nihil eorum tanquam immundum respuentes, sed *congregantes poma, quæ proferunt* extractis in primis decimis & primitijs, residuum conuertetis in vsus vestros. *Ego Dominus Deus vester* qui iubere possum quæ dixi, & quæ subsequuntur. *Non comedetis* quidquam, quod sit mixtum, vel præparatum seu coctum *cum sanguine*, tum ad magis vitandum innatam vobis crudelitatem, tum ob reuerentiam sanguinis, qui specialiter dicatur in sacrificium. *Non augurabimini* volentes iudicare de futuris contingentibus, vel de rebus occultis per inspectionem auium, seu aliorum animalium gressibilium, quæ nullam habent naturalem connexionem cum rebus, quas inquiritis: *nec obseruabitis somnia*, quasi in eis sit aliquod numem indicãs res, quarum somnia non sunt causa vel effectus. *Neque in rotundum* videlicet per tempora, & aures, caput, & frontem, *attondebitis comam*, prout multi gentilium faciunt colendo dæmonem rasis capitibus & barbis, vnde *nec radetis barbam*, nisi in casibus in quibus † lex id præcipit, vt in emundatione leprosi superius est iussum. *Et super mortuo*, quando scilicet contingit mori aliquem propinquorum, vel amicorum vestrorum *non incidetis* præ magnitudine doloris vnguibus vel dentibus *carnem vestram* quasi spem resurrectionis non habentes: *neque figuras aliquas* plagarum impressas ferro quasi in monimentum & memoriale amici defuncti, *aut stigmata* cultris & lanceolis in obsequium dæmonis, qui maxime delectatur humani sanguinis effusione, *facietis vobis*, ritus gentium in omnibus prædictis imitantes, qui nesciunt pie & religiose amicorum mortem perferre. *Ego Dominus*, qui iubeo ista, quapropter debetis ea opere complere. *Ne prostituas filiam tuam* inducens eam ad scortum, & vt se ante omnes venalem statuat, *ne contaminetur terra*, quæ plures continet habitatores, *& impleatur piaculo* seu peccato meretricatus, quatenus, meretrix multos inficit, & peccatum illius ad plures se extendit. *Sabbata mea custodite* vacantes ab operibus prohibitis, in quibusuis anni festiuitatibus: *& sanctuarium meum metuite*, hanc sanctuario reuerentiam

† Sup. 14. a. 9. F.

exhibentes, vt nullus audeat, cum nimia curiositate aut existens immundus ad illud accedere, timens ne forte ob eam causam mortem opetat. *Ego Dominus*, qui proinde habeo autoritatem isthæc præcipiendi. *Non declinetis ad magos*, qui per motum & figurationem corporum cælestium superstitiose conantur inquirere rerum futurarum veritatem, *nec ab ariolis*, qui in animalibus immolatis super aras inquirunt occulta considerando venas animalium secundum colorem & figuram, & ex consequenti neque ab alijs quibuscumque diuinis *aliquid sciscitemini* subtrahentes Deo debitam soli sibi gloriam, qualis est cognitio futurorum, eamque vanis diuinorum superstitionibus attribuentes: ex qua re proculdubio eueniet, *vt polluamini per eos* sorde grauissimi sceleris contracti consultatione magorum, & ariolorum. *Ego Dominus Deus vester*, qui reuelabo vobis, quæcumque ad salutem vestram scire vos oportet. *Coram cano capite consurge* faciendo ei reuerentiam iuxta consuetudinem, quam exigunt tempus & locus, *& honora personam senis*, in id namque tendere debet assurrectio vel alia eiusmodi corporis gesticulatio: *& time Dominum Deum tuum*: sicut enim senibus debetur reuerentia propter ætatem, ita Deo debetur timor propter potentiam. *Ego sum Dominus*, ac proinde me timere debetis, qui isthæc iubeo. † *Si habitauerit aduena* conuersus de gentilitate ad iudaismum *in terra vestra*, *& moratus fuerit inter vos* per collocutionem & contractuum communionem, *non exprobretis ei*, vocando eum canẽ, vel gentilem, vel quidpiam aliud ignominiosum, *sed sit inter vos quasi indigena* impertiendo ei honorem & mutuam beneuolentiam; non secus ac si esset de genere vestro: *& diligetis eum quasi vos metipsos* in amicabili bonorum communicatione: *fuistis enim & vos aduenæ in Terra Aegypti*, & naturaliter condolet homo alijs, quos pati videt ea, quæ ipse aliquando passus est. *Ego Dominus Deus vester*, ob cuius saltem reuerentiam debetis, quæ vobis imponuntur, explere. *Nolite facere iniquũ aliquid* deuiãs à vera iustitiæ æqualitate siue *in iudicio* iniuste sententiam proferendo, seu falsum tã quam testis deponendo, siue *in regula* vtendo falsa virgula pannos mensurante; siue *in pondere* appendendo merces maiori vel minori pondere, quam esse deberet, siue *in mensura* vtendo vasis mensuratiuis defectuosis,

G.
† Exo. 21. c. 21.

ctuosis, vel diminutis. *Statera iusta* esse debet non magis appendens ad vnam partem quam ad aliam, *& æqua sint pondera*, quæ apponuntur in statera: nam ex cuiusuis istorum inæqualitate fiet iniustitia in quibusuis rebus appensis, sicut etiam si non sit *iustus modius, æquusque sextarius*: ac proinde hæc & alia mensurarum genera æqua & iusta esse oportet. *Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegypti*, propter quod saltem beneficium debetis me in cunctis, quæ præcipio obedire. *Custodite omnia præcepta mea* vestris mẽtibus innata, *& vniuersa iudicia* ceremonias diuini cultus, & ac mutuum inter vos conuictum concernentia, *& facite ea*, non solum corde, verum etiã opere illa complentes. *Ego Dominus*, qui hæc fieri iubeo.

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

1.
Correctionis fraternæ finis in lege & in euãgelio.

NE HABEAS Super illo peccatum.] Ecce fructus correctionis vitatio augendi peccati. Auxit iam Absalon quam Cain peccatum suum dissimulando internum odium, hinc namque vterque fratrem occidit. Tanquã enim euaporatio surgentis odij est arguere eum qui offendit: præter hoc quod occasio inde præbetur, vt consanguineus aut amicus aliquis intercedat ad conciliãdum eos. Et nihilominus odio habitus cauebit tibi, vel admissa correctione placabit offensum. Omni itaque ex parte prodest ad euitandum augmentum peccati corrigere offendentem. Vnde discerni potest finis correctionis fraternæ in euangelio & in lege: hæc enim ad vitandum augmẽtum peccati proprij, illa vero ad lucrandum fratrem ordinatur: ita quôd ista ad bonum proprium, illa ad bonũ proximi tendit: vel tandem hæc in non faciẽdo malum sistit, illa ad faciendum bonum extẽditur.

II.
Sicut, quamuis similitudinẽ, non tamẽ æqualitatem significat.

SIcut te ipsum.] Sicut & similes particulæ semper quidem significant similitudinem, sed nõ semper æqualitatem in eo, in quo res similes esse dicuntur: vt Deuteron. 18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus. Et Matth. 5. Estote vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Quasi dicat. Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ, vtraq; videlicet suo modo, quia inter creatorem & creaturã non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda. Pari modo debet intelligi illud. Ioann. 17. Et ego claritatẽ quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Similitudinem igitur intelligere debemus inter dilectionẽ sui & proximi non æqualitatem, ordine enim charitatis homo plus se ipsum quam proximum debet diligere, vt docet. D. Tho. 2. 2, q. 26 art. 4.

III.
Iumentorum ac seminum & vestimentorũ mixtura, qualiter est prohibita

IVmẽtum tuum.] Hoc præceptũ ac duo alia, quæ immediate subsequuntur, eodem nomine significantur Hebraicè, scribuntur enim sic: Iumentum, tuum nã facies coire in mixtura, & agrũ tuũ nõ seres in mixtura: & vestis in mixtura non ascendet super te. Quia ergo hæc fere nũquam fiut communiter loquendo, vel si fiãt, nõ satis constat fuisse prohibita, prout sonant, incertum est enim prohiberi generationem mulorum & mularum, tum quia earum vsus legitur apud Hebræos: tum præcipue quia Paulus Apostolus. Corin. 9. absurdum reputat quod Deus legem instituat pro bobus, ideo hæc tria præcepta in diuersis materijs eadem ratione, vt identitas nominis mixturę testatur data, altero duorum sensuum veniunt intelligenda: vel superstitiose, vel parabolice vt autor est D. Tho. 1. 2. q. 102. art. 6. Et si quidem superstitiose intelligantur, imitatio superstitionum gentilium inhibetur. Ita quod quemadmodum in Euangelio dicitur Matth. 6. Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt, ita subintelligãtur inhibita esse hæc tria nõ absolute, sed more ethnicorum si verô parabolicus vel metaphoricus est sermo, sicut ille Isaiæ 42. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans nõ extinguet in promptu est sensus historicus in prædictis parabolis secundum gradus quosdam designatus. Prohibetur enim his tribus metaphoris, vt homo abstineat penitus à nouitatibus præter rationem. Mixtio enim animalium nouũ parit animal præter naturam, neutrius speciei: & mixtio seminum sata nouam segetem, mutuo se impedientem, ac per hoc præter naturam efficit: mixtio quoque variorum filorum intextorum neutrius vestem causat. Studium itaque ad nouitates præter rationem rectam inhibetur trifariã. Nam & inhibetur pronorum ad nouitatem applicatio, dicendo, Iumentum tuum nõ facies coire cum alterius generis animantibus. Prohibetur & executio adinuentionum, dicẽdo, Agrũ tuum non seres diuerso semine. Contra quam legem fit, quoties in populo seu collegio seminat quis varia, vnde nascatur dissensio mutuo se impediens. Et demum inhibetur, vt factas ab alijs nouitates pręter rationem, non induamur. Cuius contrarium quotidie fit, sequendo adinuentiones aliorum minus bonas. Crediderim ergo hunc vel similem moralem sensum esse etiã harum legum ad literam: vt ex his metaphoris abstinerent Israelitæ à nouitatibus tam inchoãdo, quam prosequendo, quam imitando seu perseuerando. Ex his duobus sensibus iuxta primũ explicuimus præcepta ista in paraphrasi: & iuxta secundum sensum interpretabimur illa in paraphrasi Deuteron. ca. 22. vt vtrique sensui hac ratione satisfacere valeamus.

Non

IIII. *Coire pro adunari vel consociari.*

NOn facies coire.] Quia hoc præceptum idem esse reputo cum illo quod Deuter. 22. sub his verbis scribitur. Non arabis in boue simul & asino: idcirco aduerte quod superius cap. 15. annot. 4. ex Caietano & Oleastro retulimus, nempe propriam verbi coire significationem esse adunari, consociari, congregari, quod absque copula carnali contingere potest. Vnde in præsenti non solum fit sermo de concubitu animalium diuersarum specierum, sed etiam de adunatione, ac societate eorumdẽ vel superstitiosa, vel parabolica iuxta dicta in annotatione præcedenti.

V. *Causalis non semper ad id quod proxime præcedit, sed aliquando ad id, quod remotiũ est refertur.*

QVia non fuit libera.] Quod de plagarum disciplina in hac lege præcipitur, ad ancillam, quæ sponsum non habet, referendum est: tum quia secundum veriorem literæ lectionem exigitur quod eiusmodi ancilla sit nubilis, id est, virgo apta nuptui, tum etiã quia alienũ violare matrimonium siue libera sit mulier, siue ancilla morte dignum videtur, cũ vtrobique intercedat omnimoda culpæ æqualitas, saltim ex parte fæminæ. Si igitur de his, quæ maritale nondum iniere consortiũ, hic agit scriptura: quid est quod ancilla violata, præcipitur, vt non moriantur, quia ipsa non fuit libera? Dum in ancillæ oppressione, mors oppressori simul & fornicariæ quæ illi consensit, remittitur: videtur subintelligendum, quia si mulier libera esset, ambo mortis supplicio plecterẽtur. Quod tamen si requisieris, aliter esse reperies. In Exodo namque sic legitur ca. 22. Si seduxerit quis virginem nec dum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem. Et Deuteron. 22. vltra hæc exigitur, ab stupratore inferente violentiam, vt soluat quinquaginta siclos argenti patri puellæ, & quod nunquam possit illam dimittere. Si igitur nec ille qui puellam adhuc virginem, & in domo patris libere agentem, violauerit, etiam adhibita violentia, morti addicitur, quid est quod de ancilla quasi remissius aliquid decerni videtur, vt quia cum illa concubuerit, non moriatur. Ad hanc difficultatem existimo respondendũ illam particulam, quia non fuit libera, non reddere causam eius, quod immediate præcessit, videlicet quod non moriantur, cum etiam si virgo libera esset, non proinde mori deberent, vt satis constat ex ratione dubitandi, proposita: sed redditur causa eius quod prius fuerat dictũ, nempe vapulabũt ambo. Ex eo enim quod virgo corrupta est ancilla, stuprator nõ tenetur illã dotare, nec in vxorẽ accipere, sed dumtaxat, flagellis cædi, vt qui quasi seruus ancillæ se miscuit, pœnæ quoque seruorum subdatur. Et etiam ancilla corrupta venit vapulanda non tamen libera ob rationem in paraphrasi assignatam. Illud autem quod additur, & non morientur, non est limitatio seu restrictio pœnæ alias debita stupratoribus: sed ponitur tanquam modus verberum præbendorum: erant enim Israelitæ nimis rigidi & crudeles, vnde oportuit eis præscribere modum verberandi reos, eosque affligendi: vt patet Deuteronomij capite vigesimo quinto.

ARGVMENTVM IN CAPVT XX.

¶ Imposita pœna mortis his, qui vel liberos suos idolo Moloch sacrificauerint, vel ad magos & ariolos declinauerint, vel parentes maledixerint, vel quibusdam nefarijs coitibus sese implicauerint, inducuntur spe futurorum bonorum Israelitæ ad leges atque Dei iudicia obseruandum, & sanctitatem amplexandum, eorumque pythonici lapidari præcipiuntur.

PARAPHRASIS IN CAPVT. XX.

A. LOCVTVSQVE EST *Dominus ad Moysen*, continuans promulgationem legis, quam obseruare tenebantur Israelitæ, ac *dicens: Hæc loqueris filijs Israel*, vt si non virtutis amore, saltem formidine pœnæ obseruationi legis studeant: *Homo de filijs Israel*, quibus primo & principaliter hæc lex imposita est, *& de aduenis, qui* de gentilitate ad Iudaismum conuersi *habitant in Israel, si quis* inquam homo ex quouis istorum genere † *dederit de semine suo*, seu aliquem filiorum suorum vel filiarum *idolo Moloch*, quod nullatenus licere fieri dixi in superioribus, *morte moriatur* irremissibiliter, sententia iudicis præeunte, *populus terræ lapidabit eum*, vt omnes per grandem Dei sui iniuriam acri pœna vindicent. *Et ego ponam faciem meam*, I. ac irascar vehementissime *contra illum: succidamque eum de medio*

† *Sup. 18.c.12*

de medio populi sui, auferendo vitam illius, non secus ac vita ab arboribus aufertur, quã do succiduntur. Idque circa hominem istũ facere non desinam, *eo quod dederit de semine suo*, nempe filium vel filiam in sacrificium idolo *Moloch*, *& contaminauerit*, seu dehonestauerit *sanctuarium meum* auferens ab eo honorem sibi debitum, quo habet, vt solus sit dignus sacrificij locus: vnde eo ipso quod alibi sacrificauerit, cõstat quod inhonorauerit tabernaculum, *ac polluerit nomen sanctum meum* conferendo lignis & lapidibus eius incommunicabilitatem cum maxima ipsius diuini nominis irreuerentia, & quasi contaminatione. *Quod si negligens populus terræ* ob ignorantiam vel inaduertentiam, *& quasi paruipendens imperium meum* non curauerit illud adimplere, sed *dimiserit hominem qui dedit de semine suo* ad initiandum & consecrãdum idolo *Moloch*, *nec voluerit eum occidere*, lapidibusque obruere, prout præceptum est à me, non proinde euadet incolumis: sed *ponam faciem*, hoc est iram & indignationẽ *meam super hominem illum* ad perdendum eum, *& super cognationem eius*, quæ etiam luere debet pœnas, vel quia consentiens crimini sacrilegum illũ, non accusauit, vel quia grauitas delicti postulat, vt peccans non solum de propria pœna, sed etiam de nocumento suorum doleat, & contristetur: *succidamque* priuando vita corporali *& ipsum, & omnes, qui consenserunt ei, vt* non secus atq; adultera, quæ abiecto viri sui thoro alios quęrit amatores, ita iste cõtẽpto veri Dei cultu *fornicaretur cum Moloch*, & adhæreret cultui illius: omnes inquam istos quasi inutiles arbores succidam *de medio populi sui*, agentes enim & consentientes pari pœna puniri debẽt. *Anima*, seu persona quæcumque, *quæ declinauerit ad magos & ariolos*, vel ad alia quæcumque diuinorum monstra, *& fornicata fuerit cum eis*, inquirẽdo ab illis, quæ à vero Deo inquirere oportebat, ac proinde habuerit se quasi mulier fornicaria, quæ virum suum dimittit, *ponam faciem meam*, maximeque irascar *contra eam, & interficiam illam*, per manus alicuius inimici eius, vel dentibus bestiarum, vel saltim morte aliqua innaturali ex his, quas vos à casu euenire iudicatis: sicque auferam personam istam *de medio populi sui*, quocum ante commorabatur. † *Sanctificamini* recedendo de omni immunditia, *& estote sancti* per iam acquisitæ puritatis conseruationem, & perseuerantiam: *quia ego sum Dominus Deus vester*, cui assimilari vos oportet in munditia & sanctitate, non quidem secũdum æqualitatem, sed secundum proportionem & similitudinem. *Custodite præcepta mea*, in quorum obseruatione consistit vera munditia & sanctitas, *& facite ea*, quia non sufficit affectu, sed oportet etiam opere adhærere mandatis. *Ego Dominus, qui sanctifico vos*: ac proinde cum causa sim sanctitatis tum præcipiendo, tum efficiendo illam in vobis, cõsequens est, vt velim vos esse sanctos & mundos. † *Qui maledixerit patri suo, aut matri* malum aliquod horrendũ contumeliose imprecando, *morte moriatur* propter graue scelus, quod est tollere omnẽ honorẽ parentibus, eosq; tãquã quidpiam malum detestari: *patri, matrique maledixit*, non autem repentino motu sed magna animi deliberatione, sibi igitur imputet, quod *sanguis eius sit super eum*, 2 quando II.
quidem ipse sibi fuit causa mortis. † *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius*, non ita quod corde tantum vel verbis mœchus fuerit, seu etiam mulierem signis externis ad mœchãdum solicitauerit, sed præter hæc *& adulterium* per consummationem operis *perpetrauerit cũ coniuge proximi sui*, ob grauẽ iniuriam, quæ tum marito, tum proli generandæ fit, *morte moriantur*, 3 lapidibusque III.
obruantur, *& mœchus & adultera*, nam paria delicta pari pœna puniri debent. *Qui dormierit cum nouerca sua*, etiam patre mortuo, nam si pater esset viuens, iam ex præcedenti lege morti erat obnoxius, *& reuelauerit ignominiam patris sui* reuelando turpitudinẽ nouercæ, quæ patris quoque censeri debet, ob vnitatem carnis contractam inter patrẽ & nouercam per actum coniugalem, *morte moriantur ambo*: sibique imputent, quod *sanguis eorum sit super eos*, cum sibi ipsis fuerint mortis causa. *Si quis dormierit cum nuru sua, vterque* ob strictissimæ affinitatis iura violata, etiam si adulterium non interuenerit *moriatur, quia scelus operati sunt*, dum pater grauiter offendit filium, cuius bonum ipse magis obseruare deberet, quam omnes alij homines, quapropter *sanguis eorum sit super eos*, ac sibi imputent mortem suam. *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo*, seu sodomitico, qui super omnes coitus illicitus est, & detestabilis, quando quidem *vterque operatus est nefas*, scilicet crimen, cuius ipsa quoque nominatio pestifera est, *morte moriantur*, quia maximam iniuriam irrogant dignitati sexus masculini, qui in natura rationali

† 1. Pet. 1.c.15.
I.
† Exo. 21.c.16. Matt.15 a.4. Mar. 7. b.10.
† Ioan. 8. a. 5. Deut.22 d.22.

Digitized by Google

tionali præstantior est, sibique reuerentia principij actiui, non abiecto principij passiui debetur: quapropter *sit sanguis eorum super eos*, quando quidem sibi fuerunt causa moriendi *Qui supra vxorem suam, duxerit matrem eius*, ac pari modo si supra vxorem matrem duxerit filiam eius, quia vtrobique militat eadem ratio *scelus operatus est*, seu peccatum valde graue destruens affinitatis iura. Et quia ad hoc vitium magis assueti sunt Israelitæ quam ad alia, idcirco, quo ab illo vehementius arceantur, non lapidibus obruentur, qui crimen istud perpetrauerint, nec etiam dumtaxat mortuus, sed & *viuus ardebit cum eis*, nempe cum matre & filia si vtraque matrimonio nefando cōsenserit, vel iudicibus renūciare recusauerit, sin autem quæ secundo ducta est solummodo consenserit cum complice comburetur, *nec permanebit tantum nefas in medio vestri* ob graue scandalum, quod imbecillitati vestræ & promptitudini aliquid simile faciendum, præstare posset peccatum istud. *Qui cum iumento & pecore*, seu alia quauis animalium irrationalium specie, cum in omnibus eis sit eadem deformitas *coierit, morte moriatur*, & in maiorem criminis detestationem, *pecus quoque occidite*, ne tam grauis sceleris exemplum seu vestigium aliquod permaneat. † *Mulier, quæ succubuerit cuilibet iumento* ad modum bestiæ quadrupedis, vt cognoscatur à masculo, *simul interficietur cum eo*: lapidibusque ambo obruentur, ita vt *sanguis eorum sit super eos*, proprioque cruore fœdentur. *Qui acceperit* 4 tentans carnaliter cognoscere *sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ*, etiam si non sit soror sua ex parte vtriusque parentis, *& viderit turpitudinem eius, illaque* quasi ex condicto incestui cōsentiens *conspexerit fratris ignominiam*, quamuis actum inhonestum non confirmauerint, *nefariam rem operati sunt*, vt pote contra publicam securitatem propinquissimæ consanguinitatis *occidentur in conspectu populi sui* ab omni populo, prout in lapidatione fieri solet, *eo quod turpitudinem suam mutuo reuelauerunt*, non ratione copulæ carnalis, secundum quam non eodem modo se habent vir & fæmina, sed ratione inhonestæ adinuicem ostensionis verendorum: *& portabunt iniquitatem suam* recipientes pænam pro peccato suo debitam. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo*, quem naturaliter pati solent mulieres semel in mense, *& reuelauerit turpitudinem eius*, prout reuelari solet ab his, qui carnaliter cognoscunt fæminas, *ipsaque aperuerit*, seu voluntarie se exponens ad copulā discooperuerit *fontem sanguinis sui*, scilicet vas genitale de quo sanguis menstrualis distillat, non secus ac de fonte scaturiūt aquæ, *interficientur ambo* 5 *de medio populi sui* tum ob inhonestatem magnam & immunditiam, quæ interuenit in tali coitu: tum præcipue quia ex eiusmodi copula solent gigni proles infectæ morbis: quod maximopere cauere oportet in populo, ex quo nasciturus est Christus Dominus, ob reuerentiam parentum ipsius Christi: *Turpitudinem materteræ*, nempe sororis matris, *& amitæ tuæ*, quæ soror est patris, *non discooperies*, & ex consequenti neque auunculus, vel patruus accedet ad neptem ex fratre vel sorore, quia vtrobique interuenit eiusdem consanguinitatis impedimentum: *qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudauit*, & videtur quasi cum se ipso rem habuisse propter vnitatem carnis & sanguinis, quæ inter cognatos reperitur: quapropter *portabunt ambo* 6 *iniquitatem suam*, hoc est pœnam debitam pro peccato ad arbitrium iudicum imponendam attentis circunstantijs personarum & negotiorum. *Qui coierit cū vxore patrui, vel auūculi sui*, quæ in eo gradu affinitatis secum est, in quo secundum consanguinitatem est patruus vel auunculus, *& reuelauerit ignominiam cognationis suæ*, quatenus vxores communicant in cognatione virorum, & nepos ex fratre vel sorore conuenit in cognatione patris vel auūculi, *portabunt ambo peccatum suum*, seu pænam à iudicibus taxandam: & vltra hoc ex præscripto legis *absque liberis morientur*, quia nati ex eiusmodi coniugibus, neque filij eorum nominabūtur, neq; hæredes ipsorum existent: quamuis matrimonium istud alias in republica toleretur. *Qui duxerit vxorem fratris sui* etiam eo mortuo, nam viuente fratre apertum adulterium est, *rem facit illicitam*, si propria autoritate id faciat secus autem si autoritate legis ad suscitandum semen fratri defuncto sine liberis: extra hunc enim casum ducens fratriam in vxorem *turpitudinem fratris sui reuelauit*, & inhoneste se habuit contra illum: quapropter ipse & vxor *absque liberis erunt*: eorum namque filij reputabuntur illegitimi, nec succedent parentibus in hæreditate. *Custodite* mente ac toto corde *leges meas* ad ius naturæ

† Sup. 18. d. 23 15. q. 1. c. mulier

IIII.

V.

D.

VI.

naturæ mentibus vestris insitum pertinentes, *atque iudicia*, quæ ostendunt ritum colendi Deum, ac mutuam inter vos conuersationem dirigunt, *& facite ea* opere complentes, quæ fieri oportet: *ne & vos euomat terra quam intraturi estis, & habitaturi*, prout continget Chananæis, quos terra habitationis eorũ quasi expellet à se, nõ secus ac stomachus ferre non valens prauum cibum euomit eum. *Nolite ambulare in legitimis*, hoc est ritibus seu forma viuendi *nationum, quas ego expulsurus sum ante vos*, facientes abominationes à me prohibitas. *Omnia enim hæc fecerunt* Chananæorum nationes nullam legem habentes in libidine, ob quã causam *& abominatus sum eas*, exosasque valde habui: *vobis autem loquor* tanquam his, in quibus adimplendæ sunt promissiones factæ antiquis patribus de danda semini suo Chananæorum habitatione.
E. *Possidete terram eorum, quam dabo vobis* non intuitu meritorum vestrorum, sed quasi *in hæreditatem* habitam & acquisitam ob ius hæreditarium parentum vestrorum Abraham, Isaac & Iacob, quorũ intuitu daturus sum vobis *terram fluentem lacte & melle*, vt pote pinguissimam & feracissimam ad modum lactis, & suauissimam ac delicijs quasi melle affluentem. *Ego Dominus Deus vester*, ac proinde non mirum, quod conferam vobis specialia beneficia, quando quidem sum *qui separaui vos à cæteris populis* conferens vobis signum circuncisionis, legem quoque & ritus colendi Deum, & in speciali republica conuersandi. *Separate ergo &* iuxta legis præscripta prudenter discernite, etiam *vos iumentum mundum*, hoc est pecus comestibile, *ab immundo* quod comedere lex non permittit, *& auem mundam ab immunda, ne* ex eo quod non distudicetis inter cibum & cibum *polluatis animas vestras* contrahentes aliquam maculam spiritualem, seu etiam immunditiam legalem *in pecore, & auibus, & cunctis quæ mouentur in terra, & quæ vobis ostendi esse polluta*: nam eo ipso, quod comederitis aliquid pollutum, polluemini. † *Eritis mihi sancti* cauentes omnem immunditiam, siue quantum ad actus venereos, siue quantum ad cibum & potum: *quia sanctus sum ego Dominus*, ac proinde diligens in omnibus sanctitatem, odioque habeo omnem immunditiam, propter quam causam *& separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei*, & ad me pertineretis per professionem specialis munditiæ & sanctitatis. † *Vir siue mulier in quibus pythonicus, 7 vel diuinationis fuerit spiritus*, ex pacto inito cum dæmone ad hoc, vt requisitus respondeat de rebus hominibus occultis, hi inquam cuiuscunque cõditionis existant *morte moriantur. Lapidibus obruent eos*, ita vt lapides super ipsos iacti eorum operiant corpora: *sanguis eorum sit super illos*, ac luant pœnam criminis cuius ipsi causa extiterunt, sibique imputent.

† 1. Pet. 1. c. 15.

† Deut. 10 b. 10 1. Reg. 28. b. 7. VII.

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

I. PONAM faciem meam.] De sensu huius Hebraismi in paraprasi posito, qui plura videre desiderat recurrat ad cap. 17. huius libri annota. 4. In sensu enim ibi explicato sumuntur in hoc capite pluries verba illa, ponã faciem meam contra illum.

II. *Sanguinem alicuius esse super eum dupliciter exponitur.* SAnguis eius sit super eum.] Hebraismus est, & significat non solũ incurrere debere quẽpiam mortem corporalem, sed etiam denotat aliquid amplius: alias frustra subiungeretur illis verbis, morte moriatur, prout in hoc capite pluries subiungitur tanquam aliquid distinctum: quid autem hoc sit, explicari potest iuxta duplicem sensum. Alter est vt idem sit sanguinem alicuius esse super eum, quod ipsum esse causam effusionis sanguinis sui, ac sibi imputandum, quod sanguis effundatur, seu se ipsum reum constituere sanguinis sui. In quo sensu. 2. Reg. 1. dixit Dauid ad interfectorem Saul. Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te. Secundus sensus est, vt his verbis significetur speciale genus mortis, nempe illud quo occisus maculatur & fœdatur proprio sanguine, prout contingit in iugulatione vel lapidatione: quo fit vt quando de eo, qui supra vxorem filiam, duxerit matrem eius præcipitur in præsenti capite, vt ardeat viuus non superadditur, quod sanguis eius sit super eũ: quia scilicet combustus non maculatur proprio sanguine. Ex quo non leue argumentum sumitur, hos de quibus in præsenti dicitur, quod sanguis eorũ sit super eos, debere mori lapidibus, prout amplius confirmabitur annotatione sequenti. Ex his duobus sensibus interdum potest adaptari vterque huic quod dicitur, sanguis eius sit super eum, interdum vero non nisi vnus tantum: nam quando Matth. 27. dixerunt Iudæi: sanguis eius super nos & super filios nostros, solum intendebant priorem sensum non secundum: petebant enim, vt sibi imputaretur mors Christi quasi reis illius, non autem mortem sibi expetebant. Similiter inquiens Paulus

lus Corinthijs Acto 18. Sanguis vester super caput vestrum, non proinde prænuntiabat eis mortem, sed duntaxat significabat eos esse sibi causam damni, quod paterentur. Quando vero in hoc capite præcipitur, vt iumenti cui mulier succubuerit sanguis sit super eum, non debet intelligi, quod mors illius ei imputetur, cum non peccauerit, sed solum quod sanguine suo vna cum muliere fœdetur.

III. *Vbi non præscribitur specia le genus mortis in lege, debet poni de lapidatione*

MOrte moriantur.] Ex hoc loco potest desumi aliquale argumentum ad probandum quod vbi legislator in præsenti non præscribit genus mortis, quod dari debet vnicuique nocentium, qui hic morte condemnantur, debet intelligi reum eiusmodi esse lapidandum. Quia non est maior ratio cur magis debeant intelligi de lapidatione verba illa morte moriantur, quando dicuntur de adulteris, quàm dicta de incestuosis vel de Sodomitis, vel de alijs in hoc capite expressis: sed quando præcipitur vt mœchus & adultera morte moriantur, intelligitur quod lapidibus obruantur, ergo hoc ipsum asserendum est in alijs casibus hic expressis, vbi aliud genus mortis non exprimitur, prout exprimitur in casu quo quis supra vxorem filiam ducat vxorem matrem, vbi criminis rei comburi mandantur. Assumptum huius discursus probatur tum ex sententia Susannæ, quę Dani. 13. propter adulterium falso impositum fuit condemnata lapidari: tum etiam ex verbis Iudæorum accusantium adulteram, & dicentiũ ad Christum Dominũ Ioan. 8. Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moysis mandauit nobis huiusmodi lapidare. Et certè hæc sententia nõ parum insinuatur in illis verbis toties repetitis. Sanguis eius super eũ sit, vt annotatione præcedenti ostendebamus.

IIII. *Mutua turpitudinis reuelatio inter fratrẽ & sororẽ punitur morte.*

QVi acceperit.] Pluribus modis ostendit lex ista esse suę intẽtionis ad mortẽ cõdẽnare non solũ eiusmodi fratrẽ & sororẽ, qui secũ pariter cõmiscent, sed etiam eos qui in sola ostensione mutua genitaliũ vasorũ inhoneste se gerunt. Nã primò id significat, dũ dicit: Qui acceperit, nõ vtẽs verbis quibus hactenus & in posterũ vti solet Scriptura ad significandum actũ venereũ, qualia sunt: Qui mœchatus fuerit, Qui dormierit, Qui coierit, Qui reuelauerit turpitudinẽ alicuius fœminę. Secundo id ipsum insinuat inquiẽs: & viderit turpitudinẽ eius, illaq; cõspexerit fratris ignominiã: quæ verba nõ possunt stare pro eo q̃ est actũ venereũ cõsummare, quia in eo actu nõ eodẽ modo se habent vir & fœmina; est igitur sensus de eo quod præcedit actũ venereũ, videlicet de turpi inspectione, quã ambo pariter exercent. Tãdem tertio & clarius ostenditur in verbis subiunctis scilicet, eo quod turpitudinẽ suã mutuo reuelauerint. Quãdo enim reuelare turpitudinẽ significat copulã carnalẽ nunquã id facere attribuitur fœminæ, sed viro, vt patet ex c. 18. huius libri vbi hæc verba multotiens repetuntur; cũ igitur in præsenti de mutua turpitudinis reuelatione sit sermo cõsequens est nõ debere intelligi de actu cõsummato. Et huius sententiæ fuit Abulẽsis super hunc locũ. Si quæras ob quã causam præambula seu actus proximi huius incestus plectuntur morte, non autem similes actus alterius fornicationis; Respõdeo causam esse, quia fratres & sorores habent magnã opportunitatẽ ad omne nefas, & nemo de eis malũ suspicatur propter iura propinquissimæ consanguinitatis: ac etiã quia interdũ coętanei sũt, sæpissimè colludunt: quapropter quælibet inchoatio libidinis inter eos est multo periculosior quã inter alios, ac proinde debuit lex circa eã acrius & specialius de remedio prouidere, quã circa alia peccata fornicationis. Et ob hanc causam Ecclesia seuerissimè punit peccatũ solicitandi fœminã inhoneste in actibus proximis ad confessionem, nempe quia vltra iniuriam quæ fit sacramẽto, nemo suspicatur malũ de eis actibus, & ex consequenti non potest obuiari malitiæ confessarij, nisi apponendo grauissimam pœnam delinquentibus.

V. *Peccatũ solicitandi fœminã in cõfessione est grauissima pœna dignũ*

INterficientur ambo.] Quomodo consonet pœna hæc cum purificatione septẽ dierum, quæ superius cap. 15. præscripta est coeuntibus cũ muliere patientẽ fluxũ mẽstrui, explicui annota. 4. super id in cap. 15.

VI. *Portare quẽquã iniquitatem suã indicat pœnã arbitrio iudicis imponendã.*

POrtabunt ambo.] Quia sicut dicitur in l. si idẽ. C. de codicil. si idẽ esset testamentũ & codicillũ frustra diuersis nominibus nuncuparẽtur, ita pariter si eandẽ pœnã voluisset lex præfigere incestuosis, de quibus nũc loquitur & pręcedentibus, frustra mutaret loquẽdi modũ, præcipiẽs hucusq; vt morte moriãtur vel interficiãtur, nũc verò solũm dicẽs vt portent ambo iniquitatẽ suã, vel quod sint absq; liberis. Idcirco existimo cũ Caietano & Oleastro in casu præsẽti & in duob⁹ alijs, qui immediatè subsequuntur, nõ apponi per legẽ pęnam mortis, sed pœnam arbitrariam, & illegitimationem liberorum, vt in paraphrasi explicatur.

VII. *Pythones sunt dæmones ad diuinandum assumpti.*

PYthonicus.] Dicuntur pythones, vel spiritus pythonici à pythone serpẽte. Nã Apollo inuẽtor artis diuinatoriæ, in memoriã atque laudẽ illius facti, quo serpẽte Pythonẽ magnũ in monte Parnasso interfecit, Pythius vocatus est, & artẽ diuinatoriã pythiã appellauit. Inde autẽ in vsum Latinorũ tractũ est, vt oẽs dæmones, qui ad diuinãdũ assumerẽtur, pythones vocaremus, sicut & pythonicos appellare solem⁹ viros vel fęminas habentes aliquos dæmones per quorũ inquisitiones requirunt veritates occultas, vt patet in pluribus scripturæ locis.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXI.

¶ *Indicitur minoribus sacerdotibus, quorũ mortuorũ funeribus liceat eos interesse; in eisq; nullatenus ob alicuius mortui gratiã eximia*

 dolor

doloris signa exhibere permittitur, sicut nec vilem quoquomodo sumere vxorem, eo quod puritatem & sanctitatem sacerdotes amplecti oportet. Pontifex autem præcipue abstinere debebat à funeribus, & non nisi virginem Israeliticam ducere licebat: & tam ipsum, quàm alios sacerdotes inferiores ad sui muneris executionem immaculatos esse debere decernitur.

A.

PARAPHRASIS IN CAP. XXI.

A. DIXIT quoque Dominus ad *Moysen*, ac locutus est de eodē tabernaculo testimonij in mōte Sinai dicēs. *Loquere ad sacerdotes filios Aaron, &* disponēs eis præcepta, quibus ordinari debet vita illorū, *dices ad eos: Ne contaminetur* I *sacerdos*, nec inhabilis fiat ad sacrificia offerendum propter contractam immunditiam, etiam *in mortibus ciuium suorum*, II ac proinde multominus in mortibus alienigenarum: cōtaminaretur autē si tangeret cadauera illorū siue sepulchrū, siue os quodcūque, vel si ingrederetur tentoriū, vbi adest corpus mortuū ac pollutus esse deberet septē diebus, hoc igitur nequaquam ei licet *nisi tantum in consanguineis ac propinquis* ob iura specialis pietatis & humanitatis, quibus erga istos tenetur: propter quæ licitè poterit minor sacerdos immunditiā, seu irregularitatem legalē contrahere super morte propinquorū, *id est, super patre & matre*, quos viuentes & morientes honorare & reuereri præcipue tenetur *& filio, & filia*, circa quos est maxima naturalis affectio; *fratre quoque & sorore* propter mutuā charitatem, qua se inuicem prosequi tenētur. Hoc autem quod circa funus sororis permittitur sacerdoti intelligi debet de sorore *virgine*; si enim cognita sit à viro eo ipso quod fœdata est per fornicationem, eius funeri interesse non debet frater sacerdos: & etiam intelligitur de ea, *quæ non est nupta viro*: nā si nupta sit iam sufficiēter habet, qui curet sepulturā eius. In vxore autē sua neque in alijs consanguineis, vel affinibus, *sed nec in principe populi sui contaminabitur* plangendo illos, vel faciē
† Sup. 19 f. 17. Ezech. 44. f. 20. do cętera officia funeris in morte ipsorū. † *Non radent caput, nec barbam* euellendo aliquo modo pilos istarū partiū, quasi furentes ob nimietatē doloris de morte amici: *neque in carnibus suis facient incisuras*, scindēdo vel arādo carnem suā vnguibus, in signū doloris pro mortuis. Quāuis enim hoc ipsum cunctis sit in superioribus prohibitum, quia tamen artiori vinculo ad id obseruandum tenentur sacerdotes, idcirco de nouo repetitur. *Sancti erunt Deo suo* cauentes à turpibus ceremonijs, quas gentes in suis sacerdotijs obseruāt, *& non pollnent nomen eius*, prout pollurent, si præberent occasionem asserendi Deū (cuius ipsi sunt sacerdotes) esse immundum, quando quidem immundè sibi sacrificatur: *incēsum enim Domini* tam illud, quod super altare thymiamatis incenditur, quàm hostias, quę incenduntur super altare holocaustorum, *& panes Dei sui* iugiter assistentes in mensa propositionis *offerunt, & ideo sancti erunt*, non vtcumque prout laici, etiāsi isthæc non faciant sancti esse debēt, sed quia pollere debent speciali & præcipua sanctitate, atque animę & corporis puritate. † *Scortum*, hoc † Sup. 19 f. 29. est meretricem absconditam, quæ se venalem tribuit, quamuis non se publicè exponat, *& vile prostibulum* ad omnes de populo publicè expositum *non ducent vxorem*, nam accipiens vxorem vilem eo ipso suam personam vilificat, commiscens carnem suam turpi, & etiam generat filios vilis conditionis, & degeneres; quod dignitati sacerdotali magnum præstat incommodum: *nec eam, quæ repudiata est à marito* fas erit accipere, cum repudiatio vilem reddat repudiatam. Ob id autem sacerdotibus hoc præceptum imponitur, *quia consecrati sunt Deo suo* assumpti ad sacerdotalem ordinem, *& panes propositionis offerunt* ministeria sacerdotalia exercendo. Alij verò qui nec sunt constituti in tam excellenti ordine, neque tam præstantia munia explent etiam prædictas viles vxores ducere poterunt pro libito. B.

Sint

Sint ergo sancti, abstineantque ab immunditia, quæ reperitur in acceptione istarum vilium vxorum, & qua inhonoratur dignitas sacerdotalis: *quia & ego sanctus sum* odio habens omnē immunditiā & turpitudinē, tanquā verus *Dominus, qui sanctifico eos*, & separo specialibus præceptis ab humili & abiecta plebe, vt dignè sancta & pura contrectare valeāt. *Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro & incōtinētia sua violaverit nomen patris sui* infamiā irrogando dignitati paternæ, & dehonestādo nomē honorabile sacerdotis, *flammis exuretur*, & ex cōsequenti stuprator quoq; cōburetur: nā vir in peccato fornicationis nūquā minori pœna quā mulier puniri debet. *Pōtifex, id est, sacerdos maximus*, qui tanta excellētia pollet, vt iure optimo nominetur & sit maximus sacerdos, *inter fratres suos*, vel propter maiorē ætatē quā habet in filijs patris sui, & ius primogenituræ, cūquo transit pontificatus, vel potius quia præest reliquis omnibus sacerdotibus cuiuscunq; sit familiæ,
III. *super cuius caput fusum est vnctionis oleū* 3 purū absque sanguinis mistione, cū tamē alij sacerdotes inferiores non nisi guttatim aspergantur oleo vnctionis, eoque non puro sed mixto cū sanguine arietis; *& cuius manus in sacerdotio cōsecratæ sunt*, prout manus etiam reliquorū sacerdotum sunt consecratæ, *vestitusque est* seu habet ius, vt vestiatur non aliquibus dūtaxat, prout inferiores sacerdotes, sed vniuersis *sanctis vestibus*, quæ sanctificatæ sunt per aspersionē olei vnctionis cū sanguine: is inquam summus sacerdos in funeribus mortuorū *caput suū non discooperiet* 4 ad tondendum, vel asper-
IIII. gendum cinerē in signū tristitiæ; *vestimenta non scindet*, prout homines in grauibus lamentis positi scindere solent, ac per consequens nec alia maximi mæroris signa ostendet in exequijs defunctorū: *& ad omnē mortuū nō ingredietur omnino* adiens domū in qua iacet, ad comitādū funera eius: quod cauere debet pontifex nō solū in sepeliēdis extraneis, sed etiā *super patre quoq; suo, & matre non contaminabitur*, prout contaminantur per septē dies, qui ingrediuntur domū defuncti: esse nāque pollutū quacūque ex causa valde indecēs est summo sacerdoti, qui in puritate & sanctitate exēplar debet esse reliquorū omniū. *Nec egredietur de sanctis*, seu de Sanctuario ad plāgendū aliquem mortuū, *ne polluat*, ac irreuerenter se gerat erga *Sanctuariū Domini*, quod forte eueniet, si postquā pollutus est ex funeris officio contingat redire ad Sanctuariū executurus munia pontificalia. Est autem maximè indecens, vt pontifex exponat se periculo tractandi indignè res sacras, *quia oleū sanctæ vnctionis Dei sui super eū est*, quatenus oleo vnctionis puro absque mixtione sanguinis arietini solus pontifex vngitur. Vnde sicut speciali perfunditur vnctione, ita specialius astringitur ad vitandū cōtaminationē. *Ego Dominus*, qui authoritatem habeo præscribendi leges ipsi quoque C.
pontifici, quas ille obseruare teneatur. † *Virginem ducet vxorem*, vt quæ compar esse debet summi sacerdotis maximā præ se ferat honestatē: *viduā autem, & repudiatam & sordidam* ab vno vel altero carnaliter cognitam, *atque meretricem*, publicè cūctis expositam *non accipiet* saltē eo ipso quod virgines non sunt, *sed puellā* incorruptam, *de populo suo* Israelitico, non de aduenis ex gentilitate ad iudaismumque conuersis, *ne cōmisceat stirpem generis sui*, seu lineam vel continuam pontificum successionē, *vulgo gentis suæ*, prout commisceretur, si pontifex, ex quo debent generari reliqui pontifices in posterum successuri, acciperet vxorem ex aduenis, qui tanquam infimius & abiectius populi vulgus computantur ab Israelitis. Quapropter summus sacerdos nullatenus permittere debet, vt posteritas sua ad vile vulgus aduenarum ex parte matris pertineat: *quia ego Dominus qui* mediante decreto huius legis, *sanctifico eum* statuens vt in vxore ducenda pontifex non communē populi ritum sequatur, sed quasi ad specialem assumptus puritatem non nisi virginem Israeliticam accipere debeat in vxorem. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, ac docuit, quinam de genere Aaron inhabiles essent ad munus sacerdotale *dicens: Loquere ad Aaron*, quia de sola illius posteritate futuri sunt quotquot legali sacerdotio fungi debent, ac dices. † *Homo de semine tuo*, quantumcunque semen istud diuisum sit *per familias*, pertineatque homo ad quālibet istarum familiarum, *qui habuerit maculam*, 5 id est, corporis deformitatem notabiliter apparentem, siue ex superabundantia, siue ex defectu, seu etiam læsione alicuius mēbri prouenientem, *non offeret panes Deo suo*, quos apponere solent sacerdotes super mēsam propositionis per singula sabbata, *nec accedet ad ministeriū eius*, nullū enim munus sacerdotale ad cultū Dei V.

† *Ezech. 44.f.22.*

† 33.d.c. *Vsq; adeo* 49.d.c. 1.36.d.c. 1.1.q.1. c. *sacerdotes*. 43.d. c. *si in fi.*

 perti-

Digitized by Google

pertinẽs exercere poterit. Dicetur autem habere maculam, verbi gratia, *si cæcus fuerit*, quoniam is videre non poterit, quæ in ministratione sacerdotij tractanda sunt; Et similiter *si claudus* existat, quia eo ipso quandam ignominiam & abiectionem præberet ministerio sacerdotali: & etiam *si par no vel grãdi, vel torto naso* fuerit, quia quodlibet istorũ reddunt vultum notabiliter deformẽ. Præterea *si fracto pede, si manu* etiã fracta præditus extiterit, & præcipue si aliquo istorum membrorum caruerit, quia in quolibet istorũ casu quasi diminutus homo iudicatur & imperfectus. Similiter *si gibbus* sit siue in dorso siue in pectore, vtcũque accidat pro macula debet iudicari. Et etiã *si lippus, si albuginem habens in oculo* fuerit, quia ex quolibet istorum deformis valde redditur homo, cuius faciei pulchritudo in oculis maximè consistit. Vlterius *si iugem scabiem* habuerit, quãuis non sit lepra, talis nanque scabies semper magnã cõplexionis corruptionẽ præsupponit. Simili quoque ratione *si impetiginem in corpore* habeat, scabiem scilicet valde siccã per modũ cuiusdã maculæ inhærentem in aliqua certa corporis parte, Hispanicè dictã empeyne. Et tandẽ si *vel herniosus* fuerit, testiculorũque ægritudinẽ patiatur, eo enim ipso contẽptibilis iudicatur a vulgaribus, quasi debita carens virilitate & integritate. *Omnis qui habuerit maculam* aliquã ex prædictis: seu aliã quãcunque notabilẽ, etiamsi
D. ille talis sit *de semine Aaron sacerdotis*, cui alias si maculã non haberet, iure obtingebat sacerdotio fungi, *non accedet offerre hostias Domino*, videlicet non audebit iugulare animalia oblata, & decoriare illa, atque sanguinẽ eorum fundere ad expiandum & adipes vel carnes secundũ consuetudinẽ sacrificiorum variorum super altare adolere: imo *nec panes Deo suo* offeret collocando eos super mensam propositionis: *vescetur tamen panibus*, seu cibis alijs quibuscũque, *qui offeruntur in Sanctuario*, quamuis eiusmodi panes seu cibi tales sint, quòd solis sacerdotibus liceat eis vesci quia quantũ adhoc in numero sacerdotũ debet cõputari, qui habuerit maculã de semine Aarõ: *ita dũtaxat vt intra velũ*, quod est ad introitũ tabernaculi, & alio nomine vocari solet tẽtoriũ, *nõ ingrediatur*, ac per consequẽs nec disponat lucernas candelabri, neq; apponat panes super mẽsam, neq; incẽdat thymiama; hæc nãque intra prædictũ dũtaxat velũ fieri valent. & præterea indicitur ei, vt *nec accedat ad altare* holocaustorũ sacrificium aliquod immolaturus, *quia maculã habet* faciẽtẽ eũ inhabilẽ ad isthæc munia exequẽda: *& contaminare non debet Sanctuariũ meũ* reddendo illud aliquomodo contẽptibile & abiectũ: sicut enim ex eo, quod ministrãs est deformis, vel vilis, ministeria sua quodã modo contẽnuntur propter eũ: ita ipse locus, in quo fiũt eiusmodi ministeria, pariter contẽnetur, quod est eũ contaminare. *Ego Dñs, qui sanctifico eos*, sancta ac pura præcepta sacerdotibus conferens. *Locutus est ergo Moyses ad Aaron, & ad filios eius, & ad omnẽ Israel cũcta, quæ fuerant sibi imperata*, vt omnibus constare posset de diuina voluntate & dispositione.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

I. *Funeris officium quodammodo fuit prohibitum veteribus sacerdotib*

NON cõtaminetur.] Quãuis contaminatio, quæ (vt habetur Nume. 19.) proueniebat ex officio funeris & ex pietate sepeliendi mortuos, licitè posset cõtrahi etiã voluntariè à secularibus, vt patet in toto libro Tobiæ, quandoquidẽ in tumulandis cadaueribus cõsistit vnũ de septẽ operibus pietatis cęterũ taliter pollui nõ indifferenter licebat cunctis sacerdotibus quin potius põtifici nũquã id permittebatur absq. reatu: minoribus autẽ sacerdotibus nõ nisi in sepulturas sex personarum, quæ in præsenti capite exprimuntur. Causa huius prohibitionis duplex erat: prior quidẽ quia cũ hęc pollutio frequenter duraret per septẽ dies, vt dicitur in prædicto ca. 19. Num. posset contingere si cunctis sacerdotibus prout laicis liceret adesse funeris officio, vt omnes pollueręntur, ac proinde vt per aliquot dies nemo offerre posset sacrificiũ, quod esset maximũ incoueniens. Posterior ratio est, quia Israelitæ ob imperfectã credulitatẽ, quã habebãt mysterij resurrectionis, nimiũ lugebãt mortuos suos, & in eorũ sepultura ita dolebãt, ac si nũquam amplius eos essẽt visuri. Ne ergo sacerdotes, (quos omnis decebat perfectio) hãc fidei exiguitatẽ ostẽtarẽt, ab eiusmodi funeribus per legẽ arcebantur. Quæ ratio nõ ita militabat in mortibus maximẽ propinquorũ, tũc enim nimia sacerdotis lamẽtatio crederetur pcedere ex speciali pietate ad illas personas coniunctissimas, qui quamuis aliquãdo resurrecturas certissimẽ speraret, adhuc morientibus tanquam malum aliquod passis condolere tenebatur.

IN mortibus ciuium suorum.] Vbi nos legimus; Non contaminetur sacerdos in mortibus ciuiũ suorũ, Hebraicè sic est ad verbũ: super animã nõ cõtaminabit se in populis suis. Et infra vbi nos legimus: Ad omnem mortuũ nõ ingredietur; in Hebræo est: Ad omnem animam mortui non ingredietur. Vbi animaduertere II. *Animã pro officio funeris.*

tere oportet cum nostro Genebrardo Benedictino in expositione illorum verborum Psal. 15. Non derelinques animam meam in inferno, in prædictis testimonijs animam non poni pro corpore, & multo minus pro cadauere, vt impius ac impurissimus Beza existimauit. Illic enim Hebræa vox Nephesh, id est, anima stat per Synecdochen pro homine mortuo: vel potius per Metonymiam pro hominis mortui funere sumitur, pro cuius anima fiebat supremum quoddam officium fidelium defunctorum. Moyses itaque animam appellat hic officium supremum peractum pro mortuo: neque respexit corpus, siue cadauer: non enim eius causa illa parentalia tam solemniter fuissent peracta. Prohibetur ergo sacerdos contaminari ob animam, hoc est, ob mortui hominis funus, & exequias, in quibus pro anima eius parentabatur. Similiter superius cap. 19. vbi nos habemus super mortuo ne incidatis carnes vestras: Hebraicè sic est: Incisionem ob animam non facietis in carne vestra: id est, pro mortui anima. Etenim olim Amorrhæi pro requie animarum se incidebant, putantes id prodesse ipsis: & Romani pro ijsdem februabant, & diem animarum celebrabant. Sic pollutus anima dicitur Aggæi secundo; id est, tactu hominis mortui, cuius funus agebatur. Vnde non reperitur in hac significatione nomen animæ, nisi quando agitur de funeribus, & exequijs: quasi illa fierent propriè propter animam. & in fauorē animæ, non autem corporis. Vnde aliter quàm hic sumitur anima in Psalm. 15. cum dicitur. Non derelinques animam meam in inferno: ibi enim retinet propriam significationem; hic autem impropriā.

FVSVM est vnctionis oleum.] Qua ratione vnctio propria pontificis distinguatur ab vnctione communi omnium sacerdotū latè dictum est super Exod. ca. 29. annota. 4.

IIII. *Nuditas capitis signū est tristitiæ.*

CApur suum non discooperiet.] Quòd nuditas capitis signum sit tristitiæ & afflictionis animi vltra ea quibus hoc manifestè ostendimus supra ca. 10. huius libri annota. 1. etiam id ipsum colligi potest ex eo quòd leprosis, vt præ se ferant mærorem, ac repræsentationem doloris, quem habere debent ob interdicta illis sacrificia & populi conuictus, præcipitur, vt capita habeant nudata; vt dicitur superius cap. 13. huius libri.

V. *Macula corporaliscur plurimū arcebat ab vsu sacerdotij legalis.*

QVi habuerit maculam.] Duplex potest assignari literalis ratio, ob quam in sacerdotibus veteris testamenti strictius obseruabatur cōsideratio vitiorum corporis quā in sacerdotibus nouæ legis. Prima est quia sacerdotes veteris testamēti ponebātur, vt incitarent populū illū proteruū & contumacē ad cultū Dei. Si igitur illi viderent aliquā occasionē, cōtēnēdi cultū diuinū, faciliter contēpsissent: oportebat ergo sacerdotes esse nullā maculam habētes, vt nō posset in eis aliquid reperiri propter quod diuinus cultus vilipenderetur. Constat autē Israelitas procliues fuisse ad contemnendū quęcumq; ob solū defectū corporalem, etiā leuissimum, ex eo quod passus est Eliseus quando ob solā caluitiē illusus est à pueris in Bethel; vt dicitur. 4. Reg. 2. Altera ratio est nā sacrificia veteris testamēti & omnia alia ministeria nullā in se virtutem proficiendi continebant iuxta illud Hebræ. 10. Impossibile est sanguine taurorū & hircorum auferri peccata. Quia ergo ista ceremonialia ministeria nullam efficaciā & reuerentiā habebant; si nō honorarentur ex qualitate ministrorum proculdubio contēnerentur. Oportuit igitur vt in sacerdotibus stricte obseruaretur munditia & qualitas corporalis, vt ipsorū sacerdotū conditio & habitus ipsa imperfecta sacrificia honorarēt. In sacrificijs autē & ceremonijs noui testamēti diuersa est ratio, quoniam ipsa secundùm se reuerentiam magnam habent, quia per se ipsa proficiunt, vnde non indigent ad suam æstimationem, vt tot tātisque modis eorumdignitas & reuerentia à ministris fulciatur.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXII.

¶ Discernit lex, quinam ex his, qui pertinere videntur ad stirpem Aaron, seu sacerdotalem familiam arceri oportet ab esu sanctificatorum, scilicet ab esu illius portionis, quæ in sacrificijs obtingit sacerdotibus. Hi sunt quicunque immundus extiterit, etiamsi sacerdos sit, inquilinus, & mercenarius, ac filia sacerdotis, si nupta sit viro alterius tribus, ac etiam alienigena, etiamsi sit seruus sacerdotis: secus autem est de seruo Hebræo empto à sacerdote. Præscribitur etiam quales esse debeant oblationes, nempe mundæ: & de animalibus non nisi octo saltem dierum, quas tamen neque cum earum fœtibus immolare, neque earum esus nimium differri permittitur.

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAP. XXII.

A. LOCVTVS quoque est Dominus ad Moysen existentem adhuc iuxta montem Sinai dicens: Loquere ad Aaron, & ad filios eius; ad eos enim dumtaxat pert... vsus rerum oblatarum in sacrificijs Domini, vt caueant, quando cauere oportuerit iuxta regulas in legibus sacrificiorum superiùs præscriptas ab his, quæ consecrata sunt, ne eis indiscretè & absque reuerentia prout alijs cibis profanis vescantur, sed præmeditantes an mundi vel immundi existant. Voco autem consecrata quæcumque Deo offeruntur de rebus filiorum Israel, quomodolibet illa in ius Dei specialiter transeant. Caueant igitur sacerdotes, vt & non contaminent indiscretè & profanè sumendo nomen sanctificatorum, scilicet ea, quæ sanctificata sunt mihi, quæ ipsi offerunt nomine filiorũ Israel ipsa donatiuũ: nam populus res sanctificatas offert Deo per manus sacerdotũ Ego Dominus, qui ista iubeo, ac proinde propter reuerentiam nominis mei ea facere debetis, & tenemini. Dic ad eos, nẽpe filios Aarõ, quibus solis custodia rerũ sacrarum & dispensatio earum cõmissa est, & ad posteros eorum: quoniã te legẽ istã promulgante omnes posteri Aarõ ad illius obseruantiã tenebuntur. Omnis homo, qui manducationis gratia accesserit de stirpe vestra, cui tantũ stirpi & non alijs licitũ est vesci rebus sanctificatis, qui inquã talis accedere contigerit ad ea, quæ consecrata sunt, & Deo dicta vtpote quæ obtulerunt

I. 1 filij Israel Domino, ante ostium tabernaculi, ac in partẽ cedũt sacerdotũ, in quo est immunditia secundũ omne genus pollutionis, quę in homine esse potest. peribit coram Do-

II. mino 2 atque in sanctuario mortẽ oppetet in pœnã sui sacrilegij, eo quòd irreuerẽter ad sacrũ edulium accessit. Ego sum Dominus, qui hæc iubeo, & prædico. Homo de semine Aaron qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, laborauerit q; quamuis inuoluntariè his duobus morborũ generibus, non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi, & oblata in Sanctuario, donec sanetur, quandiu enim aliqua ægritudine prædictarũ homo laborat, non solum immundus, verũ etiam impotens ad emundationem existit. Qui tetigerit hominem quemcunque immundum su-

III. per mortuo 3 eum scilicet, qui propter humanum cadauer à se contrectatum vel sepulturæ traditum immunditiam contraxit, & ex quo egrediatur semen quasi coitus siue in somno siue in vigilia, & qui tangit reptile, etiam viuum & quodlibet immundũ, cuius quidem immundi, eo quod tangentes se sordidos facit tactus est sordidus, quicunque igitur talis extiterit de semine Aaron, immundus erit ad minus vsque ad vesperũ, quamuis interdum plus temporis debeat durare eius immunditia, & non vescetur ob irregularitatem legalem, quam habet his, quæ sanctificata sunt, & oblata ante Dominũ vt cedant in partes sacerdotũ, sed cũ lauerit carnem suã aqua cõmuni in signũ ablutionis immunditię contractæ, & occubuerit Sol in vltimo die pollutionis, tunc mandatùs vescetur de sanctificatis. comedetque portionem illã sacrificiorũ, quã separare oportet pro sacerdotibus, quia cibus illius est, & ad eũ de iure pertinet, vtpote ad filiũ Aaron. † Morticinum, quod sponte sua mortuum est, & captum à bestia, siue ab ea fuerit occisum siue dumtaxat prægustatum, non comedent: prout alijs etiam de populo eius iste prohibitus est in † Exodo: nec polluentur in eis, quia comedẽdo illa inepti fierẽt ad vacãdum diuino cultui, ac rebus sacris, quod est esse pollutos. Ego sum Dominus, qui iubeo ea, quæ dicta sunt, ac ideo illa facere debetis. Custodiant præcepta mea, etiam quę disponunt de immunditijs, & de rebus à quibus immundus abstinere oportet, vt non subiaceant peccato, subeundo pœnam debitam transgressoribus legum mearum, & moriantur in sanctuario, prout mori præcipuè merentur sacerdotes; cum polluerint illud, & cõtaminauerint per hoc, quod existẽtes immundi illuc fuerint ingressi. Ego Dñs, qui sanctifico eos, docẽs qualiter puri & sancti effici valeãt sacerdotes, sanctisq; pręceptis eos in verã mũditiã & puritatẽ dirigẽs. Omnis alienigena ad Iudaismũ de gẽtilitate cõuersus, etiãsi in alijs quasi colon⁹ admitti debeat, cæterũ, non comedet de sanctificatis, seu de cibis, qui ad esum sacerdotum in tabernaculo segregantur, ob horũ namque ciborum reuerentiã non nisi Hebræi ad illorum esum admitti debẽt. Similiter inquilinus sacerdotis diu habitãs cũ ipso sacerdote, etiam si sit Israelita, non tamen de genere Aaron, & mercenarius, qui ad diem vel paucos dies seruitium sacerdoti impendit, non vescentur ex eis cibis sanctifica-

† Sap. 17 d. 15. Ezech. 44. g. 31. Deut. 14. c. 21.

† Exod. 22.

B.

Digitized by Google

ctificatis; eo quod eiusmodi famuli no
totaliter pertinent ad dominium sacerdo-
tis. *Quem autem* ex filijs Israel *sacerdos*
emerit, vt sit sibi seruus in perpetuum
vel ad tempus, *& qui vernaculus domus*
eius fuerit, vtpote filius serui vel ancil-
læ in domo sacerdotis natus, & educatus,
quamuis non sit emptus *hi comedent ex eis*
cibis sacerdotalibus, quia cum huiusmo-
di personæ totaliter pertineant ad domi-
nium sacerdotum, æquum est, vt in esu
sanctificatorum vna cum dominis suis ad
mittantur, quamuis non sint de stirpe
Aaron. *Si filia sacerdotis cuilibet ex populo*
reliquo condistincto à filijs Aaron, nem-
pe si alicui, qui non sit de stirpe sua, *nu-*
pta fuerit de his, quæ sanctificata sunt ante
IIII: ostium tabernaculi, *& de primitijs* 4 dig-
nitate & præstantia, qualia esse debent,
quæ ex sacrificiorum oblationibus ce-
dunt in partes sacerdotum: ex his inquam
non vescetur: ex quo enim viro alterius stir
pis tradita est in vxorem iam non cense-
tur ad familiam Aaron pertinere: *sin au-*
tem vidua, vel repudiata & absque liberis
desierit pertinere ad familiam viri extra-
nei, ac *reuersa fuerit ad domum patris sui*,
tunc non est, cur priuetur esu sanctifica-
torum, imo *sicut puella* existens, & ante
nuptias ali *consueuerat, aletur cibis patris sui*,
quales sunt, qui ex sacrificijs & oblatis
ante ostium tabernaculi contingunt sa-
cerdotibus. *Omnis alienigena*, nempe, qui
non est de filijs Israel, etiamsi sit seruus,
seu vernaculus sacerdotis, *comedendi ex eis*
non habet potestatem, nec valet impunè &
absque peccato vesci sanctificatis. *Qui co*
mederit de sanctificatis contra præscriptum
legis disponentis, quis & qualis debeat
illa comedere, si id fecerit *per ignorantiam*,
V. 5 non ex contemptu nec per superbiam,
addet quintam partem, seu tantum quan-
tum erit quinta pars rei à se consumptæ
in pœnam suæ negligentiæ, & insuper re-
stituet totum, quod abstulit, scilicet ali-
quid æquale *cum eo, quod comedit, & hoc*
erit, quod per modum satisfactionis debi-
tæ ministris tabernaculi *dabit sacerdoti in*,
VI. seu propter *Sanctuarium* 6 ob reuerentiam
nanque sanctuarij, ad quod cibi sanctifica-
ti pertinebant, is, qui eos comedit, tenetur
plusquam simplum restituere. *Nec contami*
nabunt, vel caueant omnino comedentes
contaminare, & contemptibiliter tractare
C. *sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt Do*
mino, prout contaminarent, & contempti-
bilia reputarent, si indigne illa comederēt
& pœnam taxatam non soluerent, *è forte*
sustineant iniquitatem, seu pœnam mortis à
Deo infligēdam pro reatu, *delicti sui*, quod
committent Israelitæ, *cum sanctificata co-*
mederint contra præscriptum legis statuen
tis quis & qualis esse debeat, cui hæc fas
est comedere. *Ego Dominus qui sanctifico eos*
salutaribus præceptis & ceremonijs, quo-
rū obseruantia ad sanctitatem & veram pu
ritatem disponit. *Locutusque est Dominus*
ad Moysen, & ostendit ei quidnā obseruare
deberet populus circa offerenda; *dicens: Lo*
quere ad Aarō, & filios eius, & ad omnes filios
Israel, eo enim quod tā sacerdotes quā po-
pulares offerunt Domino oblationes de fa
cultatibus suis, & ad offerentes pertinet in
quirere de munditia vel immunditia anima
lium immolandorū, idcirco ad vtrosq; debet
dirigi ista lex, quæ de hac munditia agit: *di*
cesque ad eos: Homo de domo Israel, qui scili-
cet natus est de progenie Iacob, siue de sa
cerdotibus, siue de popularibus, aut Leui-
tis *& de aduenis, qui* relicto idolorū culturi
tuque gentilico *habitant apud vos* in cul-
tu vnius veri Dei secundū ritum Iudæorū,
qui obtulerit, vel offerre decreuerit, *oblatio*
nem suam aliquo ex duodus modis, quibus
dumtaxat offerri potest quęlibet hostia, vi
delicet, *vel vota soluens*, ad quæ soluendum
ex necessitate constringitur à consciētia,
vel sponte offerens, & vltroneè, vt si ad id of
ferendū nō teneatur: cæterū *quidquid illud*
obtulerit, si id faciat eo fine, & intētione, vt
sit *in holocaustum Domini, vt* scilicet in ho-
norē Dei, & recognitionē diuinę potētię,
cui omnia subdūtur *offeratur* immolatione,
& totali hostiæ cōsumptione super altare
faciēda *per vos*, ad quos principaliter meus
sermo dirigitur, qui estis sacerdotes, *mascu*
lus immaculatus erit: neque enim alia condi
tio animaliū offerri permittitur in holocau
stū, siue sit *ex bobus & ouibus, & ex capris*, si
ue etiā ex turturibus seu pullis columbæ,
quorū dūtaxat animalium species ad holo
causta admittuntur, *si maculam habuerit*, ca-
rueritque perfecta corporis integritate si-
bi naturaliter debita *non offeretis, neque* si
fortè contingat, quòd offeratur, *erit ac-*
ceptabile tale sacrificium, sed potius præ-
uaricationis reus reputabitur, qui illud † *Deut.*
obtulerit. † *Homo qui obtulerit*, seu of- *15. d. 20.*
ferre voluerit *victimam pacificorū Domino*, *Eccl. 35.*
de hostia namque pro peccato satis super- *b. 8.*

Digitized by Google

que dictum est in superioribus, quæ ac qua
lis offerri debeat in expiatione cuiuslibet
peccati: ille ergo, qui victimam pacificam
offerre decreuerit, aliquo ex duobus mo-
dis circa holocaustum expressis, videlicet,
vel vota soluens, seu vi voti constrictus, *vel*
sponte offerens absque vlla conscientiæ obli
gatione: siue id quod offerre intendit sit
tam de bobus quàm de ouibus, seu etiam ca-
pris, seu alijs animalium generibus in hoc
sacrificio permissis, *immaculatum offeret*,
ac carens vitijs mox exprimendis, *vt*
acceptabile sit coram Domino Deo, ei-
VII. que placeat: *omnis macula* 7 quæ absolu-
tè & simpliciter macula reputatur, *non*
erit in eo: ne ob defectum corporalem con
tēptui habeatur hostia in sacrificio offerē
da; cū potius id, quod dignius, & excellen
tius est, in sacrificijs offerri oporteat. *Si*
D. *cæcum fuerit*, ita vt vnum oculum, seu
vtrumque erutum habeat, vel nil videat,
si fractum, hoc est notabilem corporis par
tem habeat fractam, *si cicatricem habens* ex
sanati vulneris signo deformis appareat, *si*
papulas, id est, carnis tumores cæteram
carnem excedentes, *aut scabiem*, qua ipsa
cutis animalis ob putridum humorem ab
intrinseco prouenientem infici solet, &
respergi, *aut impetiginem*, hoc est maculam
carnis desiccatæ in superficie, habeant
animalia quæcumque *non offeretis ea Do-*
mino, vtpote maculata & despicabilia:
nec adolebitis ex eis super altare Domini, vbi
non nisi carnes sacrificiorum cremare licet.
Bouem & ouem & ex consequenti etiam
capram *aure & cauda amputatis*, non ex
inde existimes quoad omnem vsum ma-
culata; nam in sacrificijs offerendis non
ex obligatione, sed liberè & *voluntariè*
VIII. *offerre potest: votum autem* 8 indetermina-
te factum de offerendo sacrificium bo-
uem vel ouem *ex eis solui non potest*: quia
indeterminata bouis vel ouis promissio
stat pro boue vel oue perfecta & omnino
integra: secus vero si voto esset promis-
sum tale animal aure vel cauda carens; tunc
enim determinatio vouentis trahit sacri-
ficium ad naturam oblationis voluntariæ.
Omne animal, quod vel contritis vel tusis
magna aliqua percussione seu compressio-
ne *vel sectis ablatisque testiculis est*, *non*
offeretis Domino, ex defectu enim viri-
litatis imperfectionem quandam contra-
hunt animalia castrata: *& in terra vestra*,
in qua vos habitare contigerit, *hoc omni-*
no ne faciatis: quamuis enim liceat vobis
castratis animalibus vesci, castrare tamen
animalia immolabilia nefas est, ne gentili
bus qui talia frequentant, similes videa-
mini. *De manu alienigenæ*, ritum circun-
cisionis nequaquam obseruantis *non offere-*
tis panes 9 *Deo vestro*, seu quidpiam cibo- IX.
rum ad sacrificia pertinentium, *& quid-*
quid aliud dare voluerit, nequaquam reci-
pietis, si talis sit conditionis, quod in pro-
pria specie veniat adolendum, *quia cor-*
rupta, & maculata sunt omnia quæ genti-
lis offert, saltem quantum ad effectum
offerendi ea ritu Iudaico: idcirco *non sus-*
cipietis ea ad offerendum immediatè in
sanctuario: & si alias ipse, qui offert, ve-
ram fidem habeat extra synagogam. *Lo-*
cutusque est Dominus ad Moysen dicens: Bos,
ouis, & capra sub quorum generibus om-
nia animalia immolatitia veniunt intel-
ligenda *cum genita fuerint*: vt apta fieri
valeant ad ea sacrificandum, *septem die-*
bus erunt sub vbere matris suæ. Lacteque
materno nutriri, ac consolidari permit-
tentur, ne quidpiam quasi abortiuum,
& minus consistens Deo offeratur: *Die*
autem octauo, & deinceps, vtpote in de-
bito ciborum statu consistentia *offerri*
poterunt Domino, tum ad sacrificia, tum
quasi primogenita vel primitiæ. *Siue il-*
la bos, id est, vacca *siue ouis*, seu etiam
capra fuerint, quæ offeruntur in sacrifi-
cium, *non immolabuntur vna die cum fæ-*
tibus suis, quo omni ex parte erudiamini
ad mutuam charitatem, ac pietatem
obseruandam, cordisque immanitatem
facilius exuatis. *Si immolaueritis hostiam*
pro gratiarum actione Domino, quæ vna
quædam species est hostiæ pacificæ, *vt*
possit esse placabilis, pacemque & inco-
lumitatem vobis afferre valeat, non
mortem, *eodem die comedetis eam* prout
superius † semel atque iterum est vobis
constitutum: *non remanebit* ad comeden † *Sup. 7.*
dum *quidquam in mane alterius diei*, prout *& 19.*
remanere permittitur de hostia pacifica,
quæ offertur ad impetrandum aliquod be
neficium. *Ego Dominus* qui præcipio ista,
sum Deus vester, ac proinde tenemini illa
facere. *Custodite mandata mea*, quæ tuli pro
custodia ceremoniarum circa res oblatas
& offerendas: & non solum corde isthæc
custodire oportet, sed *& facite ea* ope-
re complendo. *Ego Dominus*, qui huius
rei rationem exigam. *Ne polluatis*, nec
contem-

Digitized by Google

contemptui habere faciatis, *nomen meum sanctum*, prout contemptui haberi solet nomen legislatoris, quando lex eius contemnitur, & violatur: inde enim fiet, *vt sanctificer in medio filiorum Israel*, & gloriosus beneficiorum collatione ostendar. *Ego Dominus, qui sanctifico vos*, puritate ac sanctitate præceptorum ad sanctitatem vos disponens, *& eduxi de terra Ægypti, vt essem vobis in Deum*, quem speciali cultu, & sacrificiorum obseruantia deberetis colere, ac reuereri: tandem *ego Dominus*, ac proinde pollens absoluta potestate ad præcipiendum vobis quodcumque mihi libuerit.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXII.

I. *Oblationes sanctificatæ quæ dicātur in rebus comestibilibus*

QVAE obtulerunt.] Dupliciter offerebantur Deo res comestibiles, de his enim dūtaxat agit lex præsentis capitis, vno modo immediatè, & hæ præsentabantur Deo in tabernaculo, vel ante ostiū tabernaculi, scilicet in atrio, & ad hoc genus oblationis pertinebant panes propositionis, litaméta, & hostiæ sacrificiorum. Aliæ vero offerebantur Deo mediatè, immediatè vero designabantur vsibus sacerdotum, & leuitarum, qui erant ministri diuini cultus, & huiusmodi erant decimæ, & primitiæ. Rursus rerum quæ primo modo offerebantur, vna pars cedebat in vsus sacerdotum, vt panes propositionis, Leuit. 24. & reliquum similaginis sacrificiorū Leuit. 2. & hostia pro peccato, cuius sanguis non infertur in tabernaculum Leuitic. 6. & 7. pectusculum atque armus dexter hostiæ pacificæ Leuit. 7. Alia vero pars cedebat in vsum ipsorum offerentium secularium, qualis erat residuum hostiæ pacificæ dempta portione, quæ incendebatur super altare, & demptis pectusculo, & armo, quæ dabantur sacerdotibus, nam quod reliquum erat, edebatur à secularibus, vt habetur Leuitic. 7. In præsenti igitur, non fit mentio de rebus oblatis Deo mediatè, nam decimis, & primitijs vti poterant sacerdotes, & leuitæ quomodolibet, cum nullam aliam haberent hæreditatem, vt habetur Num. 18. & 35. vnde vendere, & commutare, & ex earum pretijs vestes, & calciamenta emere, & illas in alios vsus profanos conuertere fas eis erat. Neque etiam fit mentio de ea parte rerum oblatarum primo modo, quæ cedebat in vsus offerentium, nam ea vesci, etiam poterat alienigena offerens hostiam pacificam, de quo tamen cauetur in lege ista: omnis alienigena, non comedet de sanctificatis. Solum ergo debet intelligi dispositio huius capitis de esu rerum, quæ immediatè offerebantur Deo, & de illa tantum parte, quæ cedebat in vsum proprium ipsius sacerdotis. Et hæc dumtaxat vocantur sanctificata, non solum hic, sed etiam superius capit. 5. ibi. Anima si præuaricans ceremonias, per errorem in his, quæ Domino, sunt sanctificata, peccauerit.

II. *Vbi quis deliquit, ibi venit puniēdus*

COram Domino.] Ad maiorem sanctuarij reuerentiam fiebat, vt qui contra sanctuarium peccabant in eodem loco punirentur, nam si alibi id fieret nesciretur, an punitio illa, quæ aduenit esset propter peccatum contractum in sanctuario, an propter aliquid aliud. Sic accidit Nadab, & Abiu, qui in sanctuario mortui sunt coram Domino, cum male ministrarent, vt habetur supra cap. 10. Et Ozias rex, quia conatus est ministrare in sanctuario, sicut sacerdotes, percussus fuit lepra in fronte, vt patet 4. Reg. 15. Et Heliodorus princeps missus à Seleuco rege Syriæ, vt acciperet pecunias depositas in sanctuario, confessus est esse virtutem Dei in loco illo, quia ibi punitus est, vt dicitur 2. Macha. 3. Quæ tamen punitio, non semper palam, & miraculosè exhibebatur, sed interdum extra sanctuarium, & occulto Dei iudicio sacerdotes delinquentes puniebantur, vt contigit Ophni, & Phinees filijs Heli. 1. Reg. 4.

III. *Super, idest propter, vel propterea.*

SVper mortuo.] Dictio super aliquando est causalis significans idem, quod propter, vel propterea, vt Isai. 25. Super hoc laudabit te populus fortis, hoc est propterea, quod destruxisti Synagogam laudabit te Ecclesia. Et Threno. 2. Effusum est in terra iecur meum, super contritione filiæ populi mei, idest propter contritionem Iudæorum. In quo quidem sensu sumitur prædicta præpositio in præsenti, & Num. 5. ibi. Pollutusque est super mortuo. Idem enim est aliquem esse immundum, vel pollutum super mortuo, quod contraxisse immunditiam propter mortuum, qualiter contraxisset illam, qui interfuisset exequijs mortui, aut curasset funus, aut tetigisset cadauer, vt habetur Numer. cap. 19.

IIII. *Primitiarū nomen dupliciter accipitur*

DE primitijs.] Primitiarum nomen ab eo, quod primum est originem habet, & significationem. Dupliciter autem dicitur aliquid esse primum, vno modo tempore, vel duratione, nempe quia alia tempore antecedit, qua ratione fructus primitiui vocantur primitiæ in capite sequenti, & D. Augusti. Serm. 1. de Epiphania, magos stella perductos ad adorādum Christum vocat primitias gētium Christo crediturarum. Alio modo, dicitur aliquid esse primum præstantia, & dignitate, & hac ratione res oblatæ ad constructionem tabernaculi vocantur primitiæ Exod. 25. & 35. quia digniores, & præstantiores rebus alijs eas esse oportebat. In hoc igitur sensu partes sacrificiorum, quæ vsibus sacerdotum specialiter applicabantur ante ostium tabernaculi, vocantur in præsenti primitiæ, quibus filiæ sacerdotis nuptæ extraneo vesci, non licebat. In quo etiam sensu intelligitur illud Nume. 18. Ecce dedi tibi custodiam primitiarū mearū. Et parū postea, primitias autē quas vouerint, & obtulerint filij Israel tibi dedi, & filijs tuis, ac filiabus tuis iure perpetuo, qui mundus est

Digitized by Google

est in domo tua vescetur eis, vbi nõ fit mentio de primitijs in priore acceptione, de illis enim etiam immundi edere poterant, sicut & licebat sacerdotibus eas primitias in quoscunque vsus profanos conuertere, vt diximus annotatione prima.

V. *Pœna delinquentis ignoranter in vsu sanctificatorum.*

PEr ignorantiam.] De pœna delinquentis ignoranter, circa vsum sanctificatorum, actum est superius capite quinto huius libri, vbi vltra restitutionem rei absumptæ, & quintæ partis illius, imponitur etiam aries offerendus in sacrificium, quia ibi agebatur de expiatione completa huius peccati, hic vero solum est sermo de restitutione ad quam tenebatur consumens res sanctificatas ob violationem iuris sacerdotalis, quo cibi isti applicati erant solis sacerdotibus, & ipsorum familiæ. Quod ius resarciri debuit, per restitutionem simpli, & alterius quintæ partis.

VI. *In aliquando stat pro propter.*

IN sanctuarium.] Præpositio, in, plerumque significat in sacris literis idem, quod propter vt 1. Timot. 4. In hoc, idest, propter hoc, laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum. Et Roman. 9. Dicit enim scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum, idest propter hoc excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, vnde Genes. 18. Dimittam omni loco propter eos. Et ibidem. Non percutiam propter quadraginta. Delebis propter quinque vniuersam vrbem, & cap. 29. Seruiam tibi pro Rachel filia tua. Et non ne pro Rachel seruiui tibi, & in alijs quam pluribus locis, vbi nos habemus, Propter aut pro in Hebræo est, in, quam phrasim, hoc in loco imitatus est interpres dicens. In sanctuarium hoc est propter sanctuarium.

VII. *Maculæ animalium immolandorum duplices.*

OMnis macula.] Duplices sunt maculæ, circa animalia immolanda, quædam sunt simpliciter, & absolutè maculæ, quæ scilicet reddunt ineptum animal ad quodlibet sacrificium, vt esse cæcum, fractum, & alia huiusmodi. Aliæ vero censentur maculæ secundum quid, quæ scilicet non faciunt simpliciter animalia esse immunda ad sacrificia, sed solum ad quædam sacrificia specialia, scilicet ad sacrificia, quæ quis offerre tenetur ex vi voti emissi absolutè; non determinando animal offerendum: huius generis maculæ est præcisio auris, & caudæ, vt statim in hoc eodem capite significatur. In præsenti ergo solũ fit sermo de macula simpliciter.

VIII. *Votum, aliud implicitum aliud explicitum in circumcisione.*

VOtum autem.] Dupliciter quis tenebatur ex voto ad offerendum sacrificium aliquod: vno modo ex promissione speciali, alio modo ex vi promissionis inclusæ virtualiter in circuncisione, qua Iudæus astringitur seruare præcepta legis, iuxta illud Pauli ad Galat. 5. Testificor omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. De voto igitur vtroque modo sumpto intelligitur præsens locus. Quapropter ad sacrificia iniuncta Israelitis in lege, non poterát assumi animalia carentia aure, & cauda. Isthæc namque sacrificia, non erant voluntaria, sed debita ex voto large sumpto, vt optimè adnotauit Abulensis super Leuit. cap. 13. quæst. 11. vnde quando in lege præcipitur offerri animal immaculatum, hanc quoque maculam auris, vel caudę amputatę interdictam intellige.

IX. *Panis nomine comprehenduntur reliqua ciborum genera.*

NOn offeretis panes.] Quod nomine panis comprehendantur etiam reliqua ciborum genera ostendimus Genes. 43. annotat. 4. Vnde non est mirum, hoc in loco, per prohibitam panum oblationem, intelligamus prohiberi quamlibet ciborum oblationem. In quo etiam sensu dixi capite pręcedenti, per illa verba, vescetur tamen panibus permitti sacerdoti habenti maculã comedere, ex quibuslibet sacrificiorum cibis. Aduerte tamen, quod per illud, quod statim subiungitur. Et quidquid aliud dare voluerit, non prohiberi pecunias, neque alia, quę in propria specie, non apponebantur super altare. Illa enim licitè offerri poterant de manu alienigenarum, vt patet de Seleuco rege Asię, qui de redditibus suis pręstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes, vt dicitur 2. Machab. 3. Ideo autem gentiles reputabátur inepti ad offerendum sacrificia, quia oblationes veteris legis, non erant accepta, nisi solùm ex fide offerentium, qua Gentiles carebant.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXIII.

Vltra Sabbati solemnitatem, quam pluries in anno celebrare tenebantur Israelitæ, indicit eis Deus alias festiuitates, semel tantum per annum colendas. Prima est Phase seu Azymorum, quarta decima die primi mensis. Secunda festiuitas est Pentecostes quinquagesimo die post præcedentem celebranda. Tertia est clangoris seu tubarum incidens in prima die septimi mensis. Quarta dicitur propitiationis, vel expiationis decima die eiusdem septimi mensis. Et pro quintadecima die præfigitur festum tabernaculorum. Ac tandem octauo tabernaculorum die festum Collectæ indicitur.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIII.

A. LOCVTVSQVE *est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filijs Israel*, & ferens legem
de solemnitatibus, quas ipsi
colere tenentur, *dices ad eos.*
† De feriis c. litt. † *Hæ sunt feriæ Domini*, *quas* Deus instituit, vt in eis vacetis diuino cultui, ac proin
de eas *vocabitis sanctas*, vt pote dicatas diui-
næ sanctitati, & maiestati. *Sex diebus* hebdo
madæ computandis à primo die creationis
rerum, qui fuit Dominicus, *facietis opus*,
quodcunque vobis bene visum fuerit: *dies
septimus, quia Sabbati requies est*, & symbo-
lum illius requiei qua Deus in septimo die
creationis rerum cessauit ab vniuerso ope-
re, quod patrarat, *vocabitur sanctus*, Deus
nanque diem illum sanctificauit, & diuino
cultui dicatum esse voluit. *Omne opus, non fa
cietis in eo*, opus inquam seruile, & profa-
I. num: *Sabbatum Domini est*, & requies à
Deo iniuncta, & præcepta *in cunctis habita-
tionibus vestris*, in his nanque tenemini re-
quiem Sabbati obseruare, secus autem in
† Matt. 12. a. 5. habitatione tabernaculi, vbi sacerdotes †
absque crimine Sabbatum violant, dum
hostias mactant, & decoriant, ignemque ac
cendunt. *Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ*,
quas vos recolentes Dei beneficia eorum
quæ memoria in Dei laudem amplius exci
tati *celebrare debetis*, non continuè, sed *tempo
ribus suis*, à lege statutis, & semel in anno,
† Exod. 12. a. 23 Numer. 28. c. 16 † *Mense primo* dicto ab Hebræis Nisan,
cuius lunatio incipit in primo nouilunio à
septimo die Martij, hoc inquam mense,
quartadecima die mensis, seu lunationis illius
ad vesperum, ac prope eum solis occasum,
qui accidit ad finem ipsius diei quartadeci-
mæ *Phase Domini est*, vel festum vocandum
phase, & Pascha à transitu illo, quo ange-
lus in Ægypto transiliuit, super domos fi-
liorum Israel percutiens Ægyptios, & do-
mos vestras liberans, *& quintadecima die
mensis huius*, quæ immediatè subsequitur
post vesperum, quo celebrari debet phase,
solennitas azymorum Domini est, in memo-
riam liberationis ex Ægyptia seruitute.
Septem diebus azyma comedetis, cum tanta à
fermento abstinentia, vt neque quidpiam
fermentati his septem diebus in domibus
vestris inueniri queat. *Dies primus erit vobis
celeberrimus sanctusque*, non quod debeat
esse festiuior, quam dies Sabbati, vel quam
dies expiationis, sed debet esse celeberri-
mus respectu reliquorum dierum azymo-
rum, quia *omne opus seruile, non facietis in eo*,
prout in alijs quinq; diebus azymorũ face-
re poteritis, in quibus, nõ oportet vos ab
operibus seruilibus vacare, *sed offeretis sacri-
ficium in igne*, seu sacrificium ignitum *Do-
mino septem diebus*, in hoc namque æqua erit
solemnitas septem dierum azymorũ, quod
in vnoquoque eorum easdem victimas im-
molare, & comburere debetis, quamuis nõ
in omnibus ab operibus seruilibus absti-
neatis. *Dies autem septimus erit celebrior, &* B.
sanctior, quam reliqui quinque dies præce-
dentes, quia debet esse eadem festiuitate
venerabilis, sicut primus dies, *nullumque ser*
uile opus facietis in eo, a exceptis enim his, II.
quæ ad vescendum spectant, debetis circa
alia ab operibus vacare, sicut in Sabbato.
*Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
Loquere filijs Israel*, tam sacerdotibus, quam
cæteris de populo, cum omnes huic decre-
to pariter subijciantur, *& dices ad eos: Cum
ingressi fueritis terram, quam* mittendo terro-
rem meum in præcursum vestrum, augen-
doque vires vestras, *ego dabo vobis*, neque
enim antea ad præsentis legis obseruan-
tiam tenebimini, cum etiam, *& messueritis se
getem* colligentes spicas quasdam hordei
grandiores, & ad maturitatem propinquio
res, *feretis manipulos spicarum*, tot quot vo-
lueritis, & iuxta vniuscuiusque deuotio-
nem, quasi *primitias messis vestræ*, primo ac-
ceptas de segetibus, easque feretis *ad sacer-
dotem*, ad hunc namque spectat suscipere
oblata à filijs Israel, *qui eleuabit fasciculum*,
vnum ex oblatis sursum, ac deorsum, dex-
trorsum, & sinistrorsum prout eleuari solẽt
omnes oblationes ad significandum Deum
cui isthæc offeruntur, esse omnium plaga-
rum mundi ac vniuersorum Dominum,
quam eleuationem faciet sacerdos *coram
Domino*, hoc est, coram altari holocausto-
rum, vbi Deo fiunt specialia ministeria, *vt
acceptabile sit* opus illud eleuationis mani-
puli, & acceptum Deo *pro vobis* omnibus,
quicunque alios manipulos obtulistis. Fiet
autem eiusmodi fasciculi eleuatio, non in
ipso primo die azymorum, neque etiam in
proximè sequenti, si is fuerit Sabbatum,
sed *altero die Sabbati*, nempe primo die pro
fano post festum Paschæ, *& sanctificabit*

illum

illum fasciculum sacerdos torrendo, & confringendo in modum farris, fundendo desuper oleum, & thus imponendo, ac reliquas ceremonias, pro munere primarum frugum

† Sup. 2. d. 14. † sup rius præscriptas, circa eum fasciculum, exercendo, quo sanctificari ac Deo consecrari valeat. *Atque in eodem die, quo manipulus consecratur*, nempe secundo Azymorum præter agnum immolandum pro iugi sacrificio, & præter septem agnos offerendos in singulis diebus Azymorum, iuxta aliarum legum præscriptum, *cædetur agnus immaculatus*, carens maculis in præcedenti capite subindicatis, *anniculus*, qui scilicet, non excedat ætatem vnius anni, *in holocaustum Domini*, ita vt occisus agnus, & decoriatus totus in Dei honorem incendatur. *Et libamenta offerentur cum eo*, quæ in singulis sacrificiorum generibus offerri debent, videlicet, *duæ decimæ* partes ephi, seu duo gomor *similæ conspersæ oleo* adhoc, vt incendantur, vel sint *in incensum Domini, odoremque suauissimum*, prout enim odor suauissimus acceptabilis est hominibus, ita simila incensa in holocausto accepta est Deo ob deuotionem offerentium, *liba quoque vini quarta pars hin*, quæ est mensura, pro sacrificijs præscripta offerri debet vna cum agno holocausti, vt nihil deficiat ex his, quæ ad integritatem sacrificij exiguntur. *Panem* compactum ex farina redacta in pastam atque cocta, *& polentam*, ex granis tostis ad ignem, & decorticatis effectam, *& pultes* ex farina liquida constantes, *non comedetis ex segete* de nouo proueniente *vsque ad diem, qua offeretis ex ea Deo vestro*, manipulos primitiarum, si enim prius aliquis de ea comedat, quam Domino quidpiam offeratur, manipuli postea oblati,

C. non vocabuntur primitiæ. *Præceptum est sempiternum*, nequaquam pro libito vestro mutandum, quo offerre tenemini primitias frugum vestrarum *in generationibus, cunctisque habitaculis vestris*, filij namque vestri ac filiorum filij vbicunque habitauerint, hanc ceremoniam, si commode potuerint,

† Deut. 16. b. 9. obseruare tenentur. † *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati*, 3 computando iuxta

III. rationem superius præscriptam, post absolutam, scilicet præcipuam Paschæ solemnitatem, *in quo obtulistis manipulum primitiarum*, ab eo, inquam, die recensere debetis, *septem hebdomadas plenas*, continentes quadraginta nouem dies: septies enim septem conficiunt quadraginta nouem, quibus addetis diem vnum, videlicet *vsque ad alteram diem*, seu vsque ad diem sequentem, *expletionis hebdomadæ septimæ, idest quinquaginta dies*, ita quod si secundus dies Azymorum fuerit Sabbatum quinquagesimus dies qui venit obseruandus erit Dominicus hebdomadæ octauæ sequentis, *& sic offeretis*, in eo die quinquagesimo *sacrificium nouum Domino*, nempe primitias nouorum panum, prout in festo Azymorum offerebatis primitias nouarum frugum, idque *ex omnibus habitaculis vestris*, vel quia nullus pater familias immunis esse debet ab huiusmodi oblatione, vel quia nomine omnium filiorum Israel offerre eam debet sacerdos, offeretis autem *panes primitiarum duos*, non ad adolendum, super altare, sed vt cedant in vsus sacerdotum, confici enim debent *de duabus decimis similæ fermentatæ*, nihil autem fermentati, licet adolere super altare. Ex primis igitur spicis segetis triticeæ extrahere vos oportet duos Assarones, vel duo Gomor, siue duas decimas partes Ephi floris farinæ, quæ quidem mensuræ idem pollent, & ex singulis earum singuli panes confici debent, *quos coquetis*, vt postea offerantur, *in primitias Domini*, *offeretisque cum panibus*, vltra sacrificia ratione festiuæ solemnitatis instituta *septem agnos* 4 *immaculatos anniculos*, IIII.

non maiores vno anno, nec minores octo diebus, *& vitulum de armento vnum, & arietes duos, & erunt in holocaustum* offerendum in laudem Dei, vna *cum libamentis suis*, quæ simila, vino, oleo thure, & sale constare debent, omniaque cedent *in odorem suauissimum Domino*, nec minus ei accepta erunt, quam aromata suaue olentia esse solent hominibus. *Facietis, & sacrificium aliud offerentes hircum pro peccato, duosque agnos anniculos* immolabitis eadem die Pentecostes, vt sint in *hostias pacificorum*, alterum, videlicet, pro gratiarum actione, alterum vero ad impetrandum noua beneficia. *Cumque eleuauerit eos duos agnos*, prout carnes hostiarum pacificarum eleuare solet versus omnes mundi plagas *sacerdos, cum panibus primitiarum* confectis de duabus decimis similæ, eleuaueritque illa *coram Domino*, nempe coram altari holocaustorum, vel coram ostio tabernaculi, vbi Dei præsentia specialiter colitur, & manifestatur, *cedent in vsum eius*, sacerdotis namque offerentis esse debent hostiæ istæ pacificæ, & panes oblati. *Et vocabitis* toto corde confiten-

Digitized by Google

gentes, *hunc diem*, quinquagesimum, non vtcunque festiuum, sed etiam *celeberrimum* ob cessationem ab vniuersis laborum operibus, *atque sanctissimum*, propter eximium cultum, qui eo die exhiberi Deo oportet. *Omne opus seruile*, quale est ministerium quodcunque corporeum excepta ciborum paratione, *non facietis in eo*, licebit tamen parare ea, quæ ad vescendum pertinent, prout circa festum Azymorum † in libro Exodi statutum est. *Legitimum*, seu decretum lege constitutum, non quomodolibet mutandum, sed *sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus vestris*, vbique enim terrarum republica vestra durante tenebimini diem Pentecostes, cum præfata solemnitate obseruare. † *Post quam autem messueritis*, vel metere statueritis *segetem terræ vestræ*, quam metere oportet tempore duorum festorum præcedentium, nempe Azymorum, vel Pentecostes, *non secabitis eam vsque ad solum*, omnino agrum vestrum demetentes, sed relinquetis messem in fine, & angulis agrorum, *nec remanentes spicas*, quæ falcem, vel manus messorum euadere solent, *colligetis, sed pauperibus, & peregrinis dimittetis eas*, vt benedicat vobis Dominus Deus vester, in omni opere manuum vestrarum. *Ego sum Dominus Deus vester*, qui isthæc præcipio, ac proinde ea libenter facere debetis. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, prosequens narrationem solemnitatum obseruandarum ab Israelitis, ac *dicens*: † *Loquere filijs Israel*, vt sciant qualiter eos celebrare oporteat festum clangoris, & tubarum in memoriam liberationis Isaac ab immolatione, & quod illius loco immolatus sit aries, per tubam corneam significatus. *Mense septimo* dicto ab Hebræis Ethanim, seu Thisri, & à Latinis September, *prima die mensis erit vobis Sabbatum*, festumque præcipuum præter communem solemnitatem, quam tubarum clangore, ac sacrificiorum oblatione obseruare tenemini in cæteris neomenijs, erit
V. quoque *memoriale clangentibus tubis*, 5 sicut enim homo, cum audit tubas prouocatur ad illarum sonitum, ita Deus, quasi recordabitur vestri, conferendo vobis beneficia intuitu obedientiæ, & deuotionis, qua tubas corneas eo die clangetis, *& vocabitur sanctum*, vt pote Deo, ac eius cultui dicatum, & idcirco *omne opus seruile, non facietis in eo*, prout etiam in festis Azymorum, & Pentecostes illud facere, non licet, *& offeretis holocaustum Domino*, quod vobis alibi institutum est, videlicet vitulum de armento vnum, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos septem, cum libamentis suis. Idque præter holocaustum calendarum, quod eo quoque die offerri debet. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, ac protulit legem de quarto festo principali, quod erat semel in anno, scilicet de festo propitiationis *dicens*: † *Decimo die mensis huius septimi*, quo die orare debet sacerdos, pro se, & pro populo offerreque sacrificia tam pro suis, quam pro populi peccatis, tunc quidem *dies expiationum erit*, quando cunctos de populo expiari oportet, ac proinde censeri debet *celeberrimus*, seu dignissimus celebrari, *& vocabitur sanctus*, quia diuino cultui debet esse applicatus, *affligetisque animas vestras in eo*, nihil comedentes, nec bibentes, nec quidquam solatij accipientes, sed labori, & orationi vacantes, *& offeretis holocaustum Domino*, 6 tam illud, quod debetur ratione expiationis, quam quod iure præsentis festiuæ solemnitatis venit offerendum. VI. *Omne opus seruile, non facietis in tempore diei huius*, imò potius, nec alijs operibus, etiam non seruilibus vacare licebit, *quia dies propitiationis est*, in quo à cibis, & potibus, & per consequens à paratione ciborum abstinere oportet, *vt propitietur vobis Dominus Deus vester*, qui orantes, cum afflictione cordis libenter exaudit, † nec despicit cor contritum, & humiliatum. *Omnis anima*, idest creatura rationalis, *quæ afflicta, non fuerit die hac* ieiunijs intendens, & corporis castigationi, *peribit de populis suis*, per vnum de varijs generibus mortis, quæ Deus sæpissime occulto iudicio suo malis infligit, *& quæ operis quidpiam fecerit*, etiam in his, quæ ad vescendum pertinent, *delebo eam de populo suo*, vel iudicum ministerio, vel morte alia à me in pœnam huius transgressionis infligenda. *Nihil ergo operis facietis in eo*, quod iterum repeto, vt magis memoriæ hæreat præceptum istud: statutum enim de obseruando festum expiationis *legitimum sempiternum erit vobis*, seu lex pro toto tempore vitæ vestræ permansura *in cunctis generationibus, & habitationibus vestris*, ita vt nemo inter vos immunis esse queat ab obseruatione eius diei. F. *Sabbatum requietionis est* festum istud expiationis,

Marginalia: † Exod. 12. — † Supra 19. b. 9. — † Num. 29. a. 7. — † Supra 16. b. 29 Numer. 29. a. 7. E. — † Psal. 50.

nis, ac dies quieti destinata, *& affligetis animas vestras die nono mensis*, à cuius diei vespera vsque ad vesperam decimi diei ieiunijs ac alijs corporis afflictionibus debetis vacare. *A vespera* præcedentis diei, *vsque ad vesperam* ipsius diei festi *celebrabitis Sabbata vestra*, vniuersas, scilicet festiuitates, quæ à cessatione operis, quam exigunt, Sabbata congrue nominantur. *Et locutus est Dominus ad Moysen*, ac tulit legem de quinto, & vltimo festo principali Israelitarum *dicens: Loquere filijs Israel: A quintodecimo die*, seu à vespera quartidecimi diei *mensis huius septimi*, in quo festo clangoris, & expiationis celebranda dixi, *erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino*, quas ferias, vel festiuitates, septem dierum celebrare oportet in memoriam beneficij, quod contulit Dominus filijs Israel dirigens eos quadraginta annis, per desertum, vsque quo tangerent terram promissionis. *Dies primus* huius festiuitatis, qui vt prædixi, esse debet quintus decimus septimi mensis, *vocabitur celeberrimus atque sanctissimus*, vt pote maiori solemnitate, & sanctitate dignus celebrari, quam reliqui sex dies sequentes: *omne opus seruile, non facietis in eo*, quamuis illud facere liceat in alijs sex diebus

† Ioan. 7. f. 37. prædictæ festiuitatis. † *Et septem diebus offeretis holocausta Domino*, hoc est sacrificia, quæ pro singulis diebus huius solem-

† Num. 29. b. 13 nitatis, † alibi sunt instituenda. *Dies quoque octauus*, post septem, quibus celebrari debet festum tabernaculorum, *erit celeberrimus, atque sanctissimus*, non minus, quam primus, *& offeretis holocaustum* speciale, prout in vnoquoque septem præcedentium dierum offerri solet *Domino, est enim* dies iste octauus, dies *cætus atque collectæ*, in quo congregari oportet multitudo populi, vt pecunias, quas vnusquisque sponte, & pro libito offerre voluerit ad expensas tabernaculi, & sacrificiorum, colligantur atque seruentur: *omne opus seruile, non facietis in eo*, licebit tamen cibos præparare in die octauo, sicut, & in primo die. *Hæ sunt feriæ Domini*, videlicet Azymorum, hebdomadarum, clangoris, expiationis, & tabernaculorum, *quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas*, ob sanctitatem sacrificiorum, & ceremoniarum, quæ prædictis diebus perfici debent, *offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta, & libamenta iuxta ritum vniuscuiusque diei*, diuersa nanque sacrificia, pro diuersitate solemnitatum veniunt offerenda, quæ quidem offerre oportet *exceptis Sabbatis Domini*, sacrificia enim, quæ ratione solemnitatis diei Sabbati offerri solent, non debent computari inter sacrificia, quæ veniunt offerenda, propter aliquod ex festis prædictis, quando contingit Sabbatum, & aliud festum, simul coincidere, debetis igitur offerre integra festorum sacrificia exceptis hostijs Sabbatorum, *donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.* Vnde si quispiam donet aliquod animal ad offerendum, in quauis prædictarum festiuitatum, non debet computari tale animal inter ea, quæ offerri oportet ratione diei festi. *A quintodecimo ergo die mensis septimi*, cuius solemnitas initium sumet in præcedenti die ad vesperum, *quando congregaueritis*, seu congregatos habueritis, *omnes fructus terræ vestræ*, tam in vino, quam in segetibus, & alijs rebus, quarum collectio commode fieri potest, circa eiusmodi tempus in terra promissionis, propter magnam illius regionis temperiem, tunc igitur *celebrabitis ferias Domini septem diebus*, in memoriam, quod Deus fecerit in deserto, vt patres vestri habitarent in tabernaculis, cum eduxit eos de Ægypto, *die primo, & die octauo*, prout supra memoraui, *erit Sabbatum, idest requies*, ab omni nanque opere seruili quiescere debetis. *Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ*, quales sunt poma citrina, vel toronjæ, aut alij huiusmodi, *spatulasque palmarum*, similiter sumetis, *& ramos ligni densarum frondium*, videlicet ramos myrti, hæc enim arbor ob vmbrositatem, ac multitudinem foliorum, dicitur habere frondes densas, *& salices* præterea accipietis, idest aliquos ramos, non quidem de salicibus, quæ nascuntur in montibus, sed *de torrente, &* habentes istos ramos, fructus, & spatulas in manibus, *lætabimini coram Domino Deo vestro*, saltando atque alia lætitiæ signa exhibendo coram tabernaculo, vbi Deus specialiter, se præsentem ostendit, *celebrabitisque solemnitatem eius*, scilicet solemnitatem tabernaculorum, quæ solemnitas Domini est, *septem diebus, per annum* tempore, quo prædixi vobis, *legitimum sempiternum erit* istud, quod præscribit festiuitatem tabernaculorum obseruarique debet *in generationibus vestris*, seu G.

quan-

quandiu respublica vestra durauerit. *Mense septimo festa celebrabitis*, quam plurima, illa videlicet, quæ superius sunt à me recensita, nempe festum clangoris seu tubarum, quod venit celebrandum, in prima die huius mensis, & festum propitiationis, vel expiationis decima die eiusdem septimi mensis obseruandum: festum quoque tabernaculorum colendum die quintadecima huius mensis. Et quamuis, per octo continuos dies solemnitas ista veniat celebranda, arctius tamen id præstare oportet, die primo, & octauo tabernaculorum, *& habitabitis in vmbraculis septem diebus*, prioribus huius festiuitatis, non quidem continue, & de nocte in illis commorando, sed aliquanto tempore interdiu residentes in tabernaculis comedetis, & aliqua similia opera singulis illis diebus facietis. *Omnis, qui de genere Israel est*, non aduena, nec proselytus *manebit in tabernaculis* conficiendis ex arborum ramis, *vt discant posteri vestri*, ac memoriter teneant, *quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel*, absque inopia victus, vel vestitus, seu alterius cuiusuis rei necessaria, *cum educerem eos de terra Ægypti*, & perducerem in terram fluentem lacte, & melle. *Ego Dominus Deus vester*, qui solemnitates has instituo, ob quam causam toto eas corde obseruare tenemini. *Locutusque est Moyses, super solēnitatibus Domini* 7 *ad filios Israel* VII.
explens præceptum, sibi à Deo iniunctum de proponendo coram populo festa principaliora, in quibus vacare ab operibus seruilibus, tenebantur Israelitæ de iure diuino. Dico principaliora, quia nequaquam venit recensendum festum Neomeniæ, seu Calendarum, quamuis enim eo die specialis cultus veniat Deo exhibendus hostijs, & sacrificijs, vltra sacrificia aliorum dierum, nequaquam tamen die isto tenetur populus vacare ab operibus seruilibus, prout tenetur in singulis solemnitatibus, quarum hic fit mentio.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXIII.

I. SABBATVM Domini est.] De obseruatione Sabbati, & de his, quæ propria sunt huius solēnitatis, plurima diximus, supra Exodi decimo sexto, & vigesimo, vbi videre poteris.

II. *Duplex genus operis prohibitū erat Israelitis in quibusdam diebus festiuis.*

NVllumque seruile opus.] Duo genera operum prohiberi solita erant Israelitis in diebus, quibusdam festiuis. Quædam reputabantur seruilia, alia vero non erant seruilia, & nihilominus interdum oportebat ab eis abstinere, huius conditionis erat incendere ignem, parare cibos, & tandem quidquid antecedenter, vel consequenter ad vescendum pertinebat. Cum igitur præcipitur in lege, vt abstineatur ab omni opere, ciborum quoque præparatio interdicta censetur, nisi alibi aliud specialiter caueatur, vt circa festa Sabbati, & propitiationis in præsenti capite disponitur, de Sabbato enim dicitur omne opus, non facietis in eo, & de die expiationis inferius subiungitur, omnis anima, quæ operis quidpiam fecerit delebo eam de populo suo. Nihil ergo operis facietis in eo, dixi, nisi alibi aliud caueatur, quia quamuis Deuter. 16. scriptum sit de extremo die Azymorum. Non facies opus, nihilominus, quia Exod. 12. specialiter permittuntur opera, quæ ad vescendum pertinent, debet subintelligi. Non facies opus seruile, prout in præsenti capite Leuitici habetur. Quando vero, non nisi opera seruilia interdicuntur, non proinde intelliguntur prohibita ea, quæ ad ciborum præparationem pertinent, vt constat in primo, & septimo die Azymorum, de quibus in præsenti dicitur, nullumque seruile opus facietis, & tamen Exod 12. habetur. Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.

III. *Dies Pētecostes qualiter computandi.*

ALtero die Sabbati.] Non inquit scriptura, altero die Azymorum, sed altero die Sabbati, & similiter inferius Versic. 15. ait computandos esse quinquaginta dies Pentecostes, non ab altero die Azymorum, sed ab altero die Sabbati ad insinuandum, quod quamuis ordinariè debuerint incipi numerari dies Pentecostes à secunda die Azymorum, sed tamen si secunda illa dies esset Sabbatum, tunc deberent incipi numerari à tertia die Azymorum. Nam causa cur illi quinquaginta dies, non inciperent à die primo Azymorum, sed à secundo erat, quia oportebat illo die multa opera seruilia facere, quæ die festo erant prohibita, nimirum oportebat metere manipulum frumenti, & exiccare, & deferre ad sacerdotem, at ista omnia magis prohibita erāt die Sabbati, quā die primo Azymorū, non ergo licebat in secunda die Azymorum, quando ea dies erat Sabbatum, incipere dies illos quinquaginta, sed in proximè sequenti, nempe die Dominica, seu feria secunda. Ob eam igitur causam scriptura dixit altero die Sabbati, & non altero die Paschæ, vel Azymorum, quia nimirum voluit generatim includere festa, quæ immediatè occurrerent post Pascha, siue esset vnum, siue plura, per Sabbatum enim quilibet dies festiuus solet intelligi, vt vidimus supra cap. 19. annot. vii. Quia vero, vt plurimum post Pascha, non occurrebat aliud festum, nisi primus dies Azymorum, ideo Iosephus lib. 3. antiquit. cap. 13. loquens de eo quod, vt plurimum accidebat, scripsit incipere Pentecosten luna decima sexta, primi mensis, licet interdum inciperet luna decima septima, prout contigit in anno, quo passus est Christus, quia enim eo anno luna decima sexta euenit

euenit in Sabbato, necesse fuit à die sequenti, nempe Dominico incipere connumerari dies Pentecostes, atq; adeo fuerũt completi die etiã Dominico, vt communis Ecclesiæ traditio docet.

IIII. *Duplicia sacrificia offerebantur in die Pentecostes, & in secũda die Azymorum.*

SEptem agnos.] Aduerte sacrificia, quæ hoc in loco præcipiuntur offerri vna cum panibus, non esse eadem, cum sacrificijs, quæ Numer. 28. pro die primitiuorum instituuntur, quãuis enim ibi iubeantur septem agni, & hic totidem, & ibi vnus hircus, & hic alius, est tamen discrimen quantum ad sacrificia arietum, & vitulorum, quia hic iubetur offerri vnus vitulus, & duo arietes, ibi autem è contrario duo vituli, & vnus aries. Præterea differunt sacrificia ista ab illis, quia hic ponũtur duo agni anniculi, pro hostijs pacificorum, ibi autẽ nulla pacifica hostia præscribitur. Quapropter dicendum est sacrificia de quibus in præsenti agitur debuisse superaddi in die Pentecostes sacrificijs, de quibus agitur Nume. 28. diuersis namque titulis vtraque offerebantur, nam hæc immolare oportebat, propter speciales ceremonias, quæ eo die fiebant in oblatione panum, illa vero offerebantur ratione festiuitatis diei. Et hoc ipsum asserendum est de agno anniculo, qui secundo die Azymorũ præcipitur offerri in hoc eodem capite, is enim propter ritum specialem obseruandum in oblatione manipuli spicarum debebat offerri, sicuti sacrificia, pro simili festiuitate Azymorum instituta Numer. 28. debebant offerri ratione solemnitatis paschalis.

V. *Tubæ quædam erant ductiles aliæ vero corneæ in lege veteri.*

CLangentibus tubis.] Duplex genus tubarum erat in lege veteri. Quædam enim tubæ erant argenteę, vel metallineę, alię vero corneæ. De prioribus fit mẽtio Num. 10. cap. & de vtrisque dicitur in Psalm. 97. Psallite Domino in cithara, & voce Psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Priores tubas clangebant Hebræi in calendis mensium, vt habetur Num. 10. vnde Psal. 80. legitur Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestrę. Posteriores autem tubas sonabant in festo tubarum in memoriã arietis immolati pro Isaac, eo quod de illo dicitur Genes. 22. quod inter vepres hærebat cornibus. Quia ergo festum istud clangoris, vel tubarum in calendis septimi mensis celebrari oportebat, idcirco in ea solemnitate vtrunque genus tubarum clãgebatur, alterum ob festum Neomeniæ, alterum propter festum clãgoris, & propter sonitum vtriusque vocatur dies ista Sabbatum memoriale.

VI. *In die expiationis duplicata sacrificia offerebãtur.*

HOlocaustum Domino.] In hac die offerebatur duplex genus sacrificiorũ, vnum erat ad expiationem, & istud erat, de quo dicitur supra capit. 16. Vnus vitulus pro sacerdote, & familia sua, & duo hirci oblati à populo, de quorum ceremonijs in eodem capite agitur. Et istud officium erat pertinens ad mærorem, quia agebatur de expiatione peccatorum; ideo in magna humilitate, & contritione cordis agendum erat, habitum quoque valde humilem gerere debebat offerens. Vnde pontifex mutatis vestibus suis assumebat vestes solius ministerij sacerdotum minorum, vt habetur in prædicto capite. Aliud genus sacrificiorum erat, quod pertinebat ad solẽnitatem huius diei, & non ad lamentum, vel expiationẽ, videlicet, vt offerretur vitulus vnus, & aries vnus, atque agni anniculi septem, cũ libamentis suis solitis, & hircus, pro peccato, de quibus sacrificijs fit sermo Num. 29. Et si quæras an hæc sacrificia coincidant? dicam non coincidere, idq; colligo ex illis verbis dicti cap. 29. Absque his, quæ offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum, & sacrificio, & libaminibus eorum. Quæ verba subiungit scriptura post determinationẽ sacrificiorum, quæ ratione festiuæ solemnitatis erant offerẽda. Quapropter in Paraphrasi, per holocaustum, quod in præsenti iubet Dominus offerri, vtrunque intelligimus, nempe quod, vel ratione expiationis, vel ratione festi debetur.

VII. *Quarum festiuitatum agit hic Moyses.*

SVper solẽnitatibus Domini.] Caput istud Leuitici vocatur à Rabinis Catalogus festiuitatum, non quod in eo omnes dies festiui Hebræorũ recenseantur, sed quia referũtur omnia festa, in quibus Israelitæ ex diuino præcepto tenebantur cessare ab operibus seruilibus, saltẽ quãtum ad aliquem eorum festorum diem. Pro quo sciẽdum festiuitatum apud Hebræos celebratarũ, quasdam ex diuino præcepto, quasdã ex humano instituto fuisse indictas. Præterea illarũ, quæ diuinitus fuerunt institutæ, quædam erant feriatæ, in quibus, vel in aliquo illarũ die, tenebatur populus cessare ab operibus seruilibus. Et has dumtaxat refert hic scriptura, nempe Sabbatũ, Pascha seu phase, festum Azymorum, Pẽtecosten, festum Tubarum, festũ Expiationis, Scenopegiam, seu festum Tabernaculorum, ac tãdem festum Collectæ, seu Cœtus. Aliud fuit festũ diuinitus institutum, non tamen feriatum, nempe Neomenia, de quo nos nõnulla dicemus Num. cap. 28. vbi referuntur sacrificia in ea solemnitate offerẽda. De festiuitatibus vero humana dispositione introductis, in eis scripturæ locis, in quibus earum institutio refertur erit agendum. Præcipuæ illarum sunt sex, prima Encæniorũ in memoriam restaurationis altaris, quod cũ esset à gentibus prophanatum, reædificatum est à Iuda Machabæo vigesimo quinto die Nouẽbris, in quo præceptum fuit celebrari à posteris, vt habetur 1. Macha. 4 Secunda fuit Iudith in memoriam occisionis Holofernis, cuius institutio traditur in vltimo capite libri Iudith. Tertia festiuitas est, quæ vocatur Mardochæi, in memoriam liberationis populi ab insidijs Aman, celebrari solita decima quarta die Februarij, vt habetur in vltimo capite libri Esther. Quarta vocabatur pridie Mardochæi diei, quia celebrari præcipiebatur tertiadecima die Februarij in memoriam, & gratiarum actionem, pro victoria Iudæ Machabæi contra Nicanorem ducem regis Syriæ, vt patet 1. Machab. 7. & lib. 2. cap. vlt. Quinta vocabatur Simonis Machabæi, eo quod ab ipso fuerit instituta die 23. April. 1. Mach. 13 Vltima fuit ignis sacri, qui post Babylonicã captiuitatem fuit inuentus, vt habetur 2. Macha. 1. Vbi celebrari præcipitur festum istud quinta, & vigesima die mensis Casleu.

ARGV-

ARGVMENTVM IN CAP. XXIIII.

¶ Indicitur sacerdotibus cultus duodecim panum propositionis; tot enim panes tenebantur filij Aaron singulis sabbatis constituere super mensam auream existentem intra tabernaculum, apposito desuper thure. Post hæc occasione cuiusdam blasphemi, quem iußit Dominus lapidari, imponitur pœna quorundam delictorum.

PARAPHRASIS IN CAPVT *XXIIII.*

A. E*T locutus est Dominus ad Moysen* instruens eum, de quibusdam ceremonijs, quæ ad solos sacerdotes pertinebant, ac *di-*
I. *cens: Præcipe filijs Israel,* 1 atque imperij necessitate constringe, *vt afferant tibi oleum,* non quodcunque seu ex cuiusuis olei genere, sed *de oliuis*, illudque absque amurca, & non mola sed pilo in mortario contusum, ac proinde *purissimum, ac lucidum,* aptum vt ad fulgendum: debent autem Israelitæ eiusmodi oleum deferre *ad concinnandas lucernas,* & componendum eas, vt illarum lumen conseruari valeat *iugiter extra velum testimonij in tabernaculo fœderis*: candelabrum enim existere debet in plaga australi prioris partis tabernaculi nempe extra velum diuidens Sanctuarium à Sancta sanctorum; ita vt è regione mensæ propositionis ardeant lucernæ. *Ponetque eas Aaron* & filij eius, quorum est officium istud, *à vespere vsque ad mane*, ac similiter mane iterum collocabit eas vsque ad vesperum; vt hac ratione iugiter lucere valeant *coram Domino*, scilicet ante velum quod pendet coram propitiatorio: idque obseruari oportet *cultu rituque perpetuo* non ad libitum vestrum mutando, sed permansuro *in generationibus vestris*, & quandiu status reipublicæ vestræ durauerit. *Super candelabrum mundissimum* constans talento auri purissimi *ponentur semper* præfatæ lucernæ, vt nocte ac die ardeant *in conspectu Domini* è regione mensæ panum propositionis, quæ etiam est in anteriore parte tabernaculi. *Accipies quoque similam,* seu florem triticeæ farinæ, *& coques ex ea duodecim panes* repræsentãtes duodecim tribus filiorũ Israel, *qui singuli habebũt duas decimas* partes ephi seu duo Gomor, ita vt vnusquisque panis contineat duplum eius, quod cuilibet homini sufficit ad victum totius diei; *quorum senos altrinsecus* in duobus ordinibus æqualibus & eleuatis *super mensam purissimam* propositionis inauratam auro purissimo habentemque labrum & coronam de auro purissimo *coram Domino statues* ante velum propitiatorij intra tabernaculum, *& pones super eos thus lucidissimum*, contentum in vasis aureis ad adolendum illud vice panis in die sabbati coram Domino. *Vt sit panis* vel vt thus istud sit quasi pars panis offerenda Deo *in monumentum* 2 *oblationis Domini*: thus enim deseruiet ipsis panibus tanquam pars oblationis, quæ obuenire debet Deo in sacrificijs, eritque repræsentatiuum dominij, quod Deus habet supra totum sacrificium, cui tanquam vero Domino integra oblatio est consecrata. *Per singula sabbata mutabuntur*, ne putrefiant vel nimium desiccentur, si diutius inibi permaneant, ac proinde inepti fiant ad esum sacerdotum, mutabuntur autem *coram Domino*, & tollentur à mensa propositionis, quæ est in conspectu Domini, simulatque alij panes calidi fuerint *suscepti à filijs Israel fœdere sempiterno*: tenentur enim filij Israel præbere farinam & expensas, ad hoc vt Sacerdotes & Leuitæ conficiant panes de nouo apponendos super mensam; ita vt nunquam panes deficiant desuper mensam: *eruntque Aaron & filiorum eius* panes sublati, cedentque in ius cunctorum sacerdotum etiam eorum, qui maculam habuerint, *vt comedant eos in loco sancto*, in atrio videlicet tabernaculi exclusis fœminis & alijs de familia sacerdotali; *quia Sanctum sanctorum est* 3 & III.

(Margin, right column: B. beside "super mensam purissimam propositionis"; II. beside "nis offerenda Deo in monumentum 2 oblationis")

res valde sanctificata, *de sacrificijs Domini iure perpetuo*, etenim statu huius reipublicæ durante nulla res ex his, quæ in sacrificijs offeruntur, tantæ est excellentiæ, quantum panes propositionis ac proinde à solis sacerdotibus eorumque filijs masculis non ab alijs personis edi eos oportet.

IIII. *Ecce autem egressus* 4 ad cuiusdam inopinati operis executionem *filius mulieris Israelitidis*, ignobilis verò ex paterna prosapia, vtpote *quem pepererat* mater eius siue matrimonio coniuncta siue aliter *de viro Ægyptio inter filios Israel*, is ergo semihebræus ira cõmotus *iurgatus est in castris*, vbi multi aderant testes, *cum viro Israelita*, cuius tam pater quam mater erant ex filijs Israel. *Cumque blasphemasset*, verbisque minueret & contemneret insigne illud *nomen* quod excellentissimum est inter omnia nomina, nempe Iehouah, *& maledixisset ei*, vilipendens ac despiciens maiestatem eius, qui tali nomine designatur, *adductus est ad Moysen* supremum iudicem, & cui de causis ad Deum pertinentibus, qualis ista erat, iudicare oportebat. *Vocabatur autem mater eius Salumith*, id est pacifica, neque enim mirum est de matre pacifica filios nasci obiurgatores & iracundos; eratque *filia Dabri de tribu Dan*. *Miseruntque eum in carcerem*, vt detinetur in custodia, *donec nossent, quid iuberet Dominus*, quoniam adhuc de pœna blasphemi in specie non erat lata lex ex ore Domini. *Qui locutus est ad Moysen, dicens*

C. per ministerium Angeli in nube, vel in propitiatorio loquentis. *Educ blasphemum extra castra*, ne castra polluantur sanguine humano, *& ponant omnes, qui audierunt* ac testes fuerut sceleris, ad quos magis quam ad alios spectat pœnam criminis approbare; hi, inquam, ponant *manus suas super caput eius*, quasi ratam habentes pœnam infligendam, *& lapidet eum populus vniuersus*, vt omnes de communitate vindicent peccatum in autorem communitatis commissum. *Et ad filios Israel loqueris*, proferensque communem legem de pœna blasphemi dices: † *Homo, qui maledixerit Deo suo* contumeliam, vel detractionem, vel quamuis aliam mali imprecationem inferens humano iudici vices Dei gerenti, *portabit peccatum suum*, pœnamque ad arbitrium vestrum

V. inferendam pro iniquitate sua sustinebit:

† *23. q. 5. c. quid ergo. de pænit. d. 3. c. sunt plures, & c. quærat.*

& qui blasphemauerit nomen Domini non pœna arbitraria plectatur, sed *morte moriatur*, non vtcumque; sed ad maiorem criminis execrationem, & horrorem, *lapidibus opprimet eum omnis multitudo*, ita vt quilibet de populo ius se habere sciat lapidandi blasphemum. *Siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit*, cuiuslibet namque conditionis reus existat, æqualem lapidationis pœnam subire debet. † *Qui blasphemauerit nomen Domini*, vel negans aliquid quod ei cõuenit, vel asserens de eo, quod ei non conuenit, *morte moriatur*, vtpote deficiens à debita fidei confessione.

† *23. q. 5. c. reos.*

† *Qui percusserit & occiderit hominem* iniustè & ex indebito appetitu vindictæ *morte moriatur*: secus autem si solùm percusserit, & mors non subsequatur, is enim dumtaxat tenebitur ad legem contrapassi & talionis, de qua mox futurus est sermo. *Qui percusserit animal* ab alio possessum, *reddet vicarium*, quod suppleat vices eius, *id est animam pro anima*, seu animal viuum pro animali occiso. D.

† *Exod. 2. b. 12.*

Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum deformans proximum percussione, vel vulnere, *sicut fecit, sic fiet ei*, ac talionis pœnam subire cogetur, etenim † *fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet*: Et quamuis interdum ratione dignitatis personæ, cui irrogatur iniuria, non satis sit reum repercuti, vt si contingat patrem seu principem à filio vel subdito vulnerari; cæterum de personis non qualificatis communiter loquendo, qui alteri nocumentum intulerit personale, *qualem inflixerit maculam, talem sustinere* & contrapassi pœnam subire *cogetur*. *Qui percusserit iumentum*, quamuis illud non occidat, *reddet aliud* animal tanti pretij, quanti erat illud, antequam percuteretur, & ipse percutiens habebit iumentum, quod percusserit. *Qui percusserit hominem*, etiam si neque oculum, neque dentem, neque membrum aliud frangat, nihilominus pro mensura iniuriæ *punietur*. *Æquum iudicium sit inter vos*, absque vlla personarum acceptione, *siue peregrinus, siue ciuis peccauerit*, quam iudicij æqualitatem facere vos oportet, *quia ego*, qui isthæc iubeo, *sum Dominus Deus vester*. *Locutusque est Moyses ad filios Israel*, quæ Deus ei iusserat quantum ad punitionem blasphemi, *& eduxerunt eum, qui blasphemauerat extra castra*,

† *Matt. 5. f. 39. Exo. 21. c. 12. Deu. 19. d. 21.*

Digitized by Google

castra, prout educere oportebat quoscunque morti erant addicendi, *ac lapidibus oppresserunt* in præsentia totius multitudinis. *Feceruntque filij Israel, sicut præceperat Dominus Moysi*, lapidibus opprimentes blasphemum.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIIII.

I. PRAECIPE filijs Israel.] Quod præcipere hoc in loco veram præcepti impositionem importet ostendimus contra aliquos expositores superius Exod. 17. annotat. 3. Cuius loci annotatio quarta, etiam est memoriæ commendanda propter id quod statim subiungitur hoc eodem capite circa compositionem lucernarum.

II. *Quorsum thus superponebatur panibus propositionis.*

IN monimentum.] His verbis manifestatur officium ad quod apponi debuit thus super panes propositionis. Quod vt intelligas reuocandus est ad memoriam ritus obseruandus in oblatione terrænascentium descriptus superius capite secundo: in quo ritu præcipitur vt offerens similam superponat thus, & ex tracto pugillo similæ ac toto thure, incendat hoc, quod extraxerit super altare, ac reliquum de sacrificio sit Aaron & filiorum eius; partem autem adolendam vocat sæpius scriptura ibidem & alibi memoriale de sacrificio quasi quid repræsentans, totam illam oblationem Deo fuisse consecratam; vel quòd quidquid habet offerens, illud accepit à Deo, cui tanquam vero Domino tributum reddit; vt diximus in dicto capite secundo. Ad seruandum igitur hunc ritum in panibus propositionis decernitur, vt quolibet die sabbati thus illud, quod per totam hebdomadam fuit positum super panes, sit ipsis panibus tanquam portio illa oblationis terrenascentium, quæ cremabatur Deo, ac proinde cremetur Deo tanquam portio diuina in recordationem seu repræsentationem requisitam in sacrificijs Domini: & hoc significatur dicendo, vt sit panis in monimentum oblationis Domini: quasi diceret thus opponatur super panes adolendum die sabbati super altare, vt hac ratione thus ipsum sit quasi pars panis offerenda Deo in memoriale totius oblationis, vel deseruiat ipsis panibus tanquam memoriale oblationis eorum: & exinde totus panis valeat esse sacerdotum, tanquam reliquum muneris oblati; quod superius cap. 2. Aaron & filijs eius constitutum est.

III. *Inter omnes oblationes, sanctiores & digniores fuere panes propositionis.*

QVIA Sanctum sanctorum est.] Caussa lis ista non solũ referri debet ad id quod præcessit, nempe vt comedantur panes propositionis in loco sancto; sed etiam ad id quod scriptum erat videlicet, vt à solis filijs Aaron vescerentur vtriusque enim præcepti rationem reddens Moyses subdit loquens de oblatione panum propositionis: Quia Sanctum sanctorum est, seu res valde sancta, ac proinde in loco tantum sancto & à solis maribus sacerdotum vescẽda. Etenim cum ex rebus oblatis nõnullas ipsarum ob maximam earum dignitatem solis maribus stirpis Aaron edere licuerit, vt habetur supra cap. 6. & panes propositionis inter omnia oblata principem locum tenuerint, consequens est vt ab eis tantum personis comedi potuerint. Vnde Christus Dominus Matth. 12. & Marc. 2. & Luc. 6. inquit solis sacerdotibus licitum fuisse huius cibi esum. Dignitas autem panum propositionis super omnia oblata ex duplici capite constare potuit. Primo quidem quia introducebantur intra tabernaculum, & ponebantur in mensa ante Sancta sanctorum: cætera verò quæ offerebantur tam in sacrificijs, quàm in alijs oblationibus solùm erant ponenda ante vel super altare holocaustorum: quod erat extra tabernaculum. Secundo quia quæcunque alia oblata solùm præsentabantur coram altari, ita vt statim vel cremarentur, vel alibi deportarentur: panes tamen propositionis manebant per septem dies coram Domino; ex qua diuturna mansione in diuina præsentia videbantur quandam maiorem sanctitatem contrahere.

IIII. *Pœna blasphemi ob quam occasionem fuit lata.*

ECCE autem egressus.] Laturus Moyses legem de pœna blasphemi narrat occasionem, ob quam tunc temporis illam dedit Deus circa hebraismum vero, quo hoc in loco vtitur scriptura, vt nouum istud opus nomine egressionis designet, vide quod obseruatum est à nobis Exod. 2. annotat. 1. Et quantum ad hebraismum, quo hic vtitur Scriptura, cum inquit: Ponant omnes, qui audierunt manus suas super caput eius, videantur quæ adnotauimus superius capite primo huius libri annotat. quinta.

V. *Dei nomen Eloha solet significare iudicem humanum.*

QVI maledixerit Deo suo.] Hunc locum Caietanus interpretatur non de maledictione illata in verum Deum, sed de ea, quæ inferri posset in iudicem humanum, seu principem populi, de qua Exod. 22. scriptum fuerat: Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices. Quam interpretationem libenter amplexatus sum, ne cogerer asserere idem crimen prohiberi in his verbis, & in his quæ mox subsequuntur, cum dicitur. Et qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur. Quod enim prohibitiones istæ diuersæ sint, constat, tum quia in priori sententia pro Deo suo ponitur nomen Eloha: quod etiam Exod. 22. positum fuerat; & significare solet iudicem humanum: cum verò subditur; Et qui blasphemauerit nomen Domini, non Eloha, sed Iehouah nomen proprium Dei adhibetur: tum etiam quia maior pœna intelligi solet in scriptura, cum dicitur, morte moriatur, quàm cum dicitur, portabit peccatum suum, nam ex vi huius posterioris commina-

Digitized by Google

tionis non constringitur quis subire pœnam mortis, sicut ex vi prioris; consequens igitur est maledictionem prius prohibitum esse quid distinctum, à blasphemia postea subiuncta; imò etiam subsequitur crimen primo loco positum non esse tam graue sicut crimen posterius: quod stare nequiret, nisi dicamus maledictionem Dei sui hic interdictam esse eandem cum ea, de qua est sermo Exod. 22. in verbis allegatis.

ARGVMENTVM IN CAP. XXV.

¶ Duplicem annuam solennitatem instituit Dominus, alteram remißionis anni septimi, qui à cultura agrorum cessare oportebat: alteram iubilei: ob quam singulis annis quinquagesimis non solùm à terra operibus abstinendum erat, sed etiam vnusquisque ad possessionem sortis suæ, quam distraxerat reuertebatur, & ad familiam pristinam, soluta qualibet seruitute redibat.

PARAPHRASIS IN CAP. XXV.

A. L*OCVTVSQVE est Dominus ad Moysen in monte Sinai*, vbi cætera quoque huius libri præcepta dare constituerat: locutus autem est ei in tabernaculo fœderis *dicens: Loquere filijs Israel, &* vt sciāt ritus, quos obseruare debent in quibusdam solennitatibus celebrandis per annum integrum *dices ad
I. eos: Quando ingressi fueritis*, 1 pacificique & absque bellorum tumultu possederetis *terram quam ego dabo vobis*, tunc curam te habere oportet, vt in ipsa etiam terræ
† Exod. 23. b. 12 cultura † *sabbatizes sabbatum Domino*, ita vt terra ipsa quiescendo repræsentet quietem Dei autoris omnium ab vniuerso opere, quod patrarat. *Sex annis* à tempore, quo cæperis terram colere *seres agrum tuum*, seu perficies quamlibet eius culturam, *& sex annis putabis vineam tuam* exercens circa ipsam omnes vinearum operas, *colligesque fructus eius*, quos omnes in proprios vsus convertes: *septimo autem anno sabbatum erit terræ*: sicut enim septimo quoque die tenetur homo cessare ab operibus seruilibus, ita anno septimo non debet terra subiacere culturæ, vt eius quies sit symbolum *requietionis Domini* in die, quo cessauit ab omni opere suo: *agrum non seres, & vineam non putabis* sub quo duplici operum genere vniuersos agriculturæ modos interdico. *Quæ sponte* & absque humano artificio *gignet humus, non metes* secando totaliter fruges terræ, sed partem accipiens residuum alijs dimittes: *& vuas primitiarum tuarum*, quas primitiuo tempore anni illius septimi licitum est tibi iure dominij colligere de agro tuo, *non colliges quasi vindemiam*, nihil relinquendo alijs *annus enim requietionis terræ est: sed erunt vobis in cibum* fructus anni illius septimi, ita vt percepta à domino vna vel altera parte frugum terræ, residui fructus dimittantur pauperibus & bestijs terræ: ac proinde *tibi & seruo tuo, ancillæ & mercenario tuo, & aduenæ, qui peregrinantur apud te, iumentis tuis & pecoribus omnia, quæ* absque industria humana *nascuntur, præbebunt cibum*: non enim appropriari debent dominis fructus anni septimi, prout approprientur fructus reliquorum annorum, sed communes esse oportet: ita vt etiam renuente domino, liceat alijs eos colligere. *Numerabis quoque tibi* à tēpore quo terram possessionis acquisieris *septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta nouem, &* vt proximè futura solennitas anno sequenti celebranda festiuior reddatur, & omnibus innotescat, *clanges buccina* ænea vel argentea *mense septimo decima die mensis* solennitati expiationis dicata, ac proinde *propitiationis tempore*, nam die decima cuiusuis mensis septimi debet celebrari festum propitiationis, & in eo festo si annus sit quadragesimus nouus clangendum est buccinis *in vniuersa ter-*

sa terra vestra , vt ad futuram remissio-
B nem homines commodius disponantur.
Sanctificabisque ac sanctum , Deoque di-
catum pronunciabis *annum quinquagesi-
mum & vocabis* annū illum dicens esse *re-
missionem* plenariam omnium debito-
rum : idque innotescere facies *cunctis ha-
bitatoribus terræ tuæ ; ipse est enim iu-
II. bileus* 2, id est , annus dignus proclamari
buccinis & annunciari populis plusquàm
cæteri anni. *Reuertetur homo ad possessio-
nem suam* , & ad agrum sortis suæ , recu-
perans partem terræ promissionis , quæ
sibi ab initio distributionis illius obtige-
rat : *& vnusquisque redict ad familiam
pristinam* , soluta qualibet seruitute , quæ
Israelitarum domos confundere poterat,
*quia iubileus est & quinquagesimus an-
nus* , in eum finem inductus , vt tribus
non perpetuò confundantur , sed in pri-
stinum distributionis statum reducantur.
Non seretis, prout alijs annis serere consue-
uistis conuertentes in proprios vsus om-
nes terræ fructus , sed partem sumentes,
residuum alijs dimittetis, *neque metetis
sponte in agro nascentia* , sed prout in an-
no remissionis fieri iussi, etiam ex his,
quæ absque humana industria germinan-
tur , partem cæteris relinquentes, & *pri-
mitias vindemiæ* , seu partem quampiam
vuarum , quæ vindemiari solent , vt ex
eis vinum fiat , *non colligetis ob sancti-
ficationem iubilei*, ad condignam enim iu-
bilei celebrationem spectat abstinentia
ab artificiosa cibi & potus præparatione.
sed statim oblata comedetis non expe-
ctantes curiosam transmutationem vnius
rei in aliam. *Anno iubilei redient om-
nes ad possessiones suas* , eo ipso quòd an-
nus iubilei est absque vlla mercedis seu
pretij commutatione . *Quando vendes
quippiam ciui tuo* indigenti re , quæ illi
venditur, *vel emes ab eo* antequam adue-
niat annus iubilei *ne contristes fratrem
tuum* , prout contristares & iniuriam fa-
ceres si nulla habita ratione temporis,
quod mediat vsque ad annum iubilei,
emeres vel venderes : *sed iuxta numerum
annorum* , qui desunt vsque ad annum *iu-
bilei emes ab eo* , ita vt non protendatur
emptio vltra annum iubilei , *& iuxta sup-
putationem frugum* , quæ colligi possunt
eo tempore intermedio , *vendes tibi*, ne-
que enim venditor plus pretij quàm va-
leant fruges illius temporis , idque de-
ductis expensis , exigere debet pro re,
quam vendit . *Quanto plures anni reman-
serint post iubileum* , eo quod de re empta
vel vēdita plures percipi possunt fructus,
tanto crescet & pretium , quod datur pro
re illa; *& quanto minus temporis numeraue-
ris* inter rei distractionem & iubileum, *tan-
to minoris & emptio constabit* , cum non
sit simpliciter venditio , sed quasi locatio,
tempus enim frugum vendet tibi non
substantiam rei . *Nolite affligere contri-
bules vestros* negantes proximis vestris de-
bitum rei pretium , seu ipsius substan-
tiam , contra præscriptum iubilei decre-
tum : *sed timeat vnusquisque Deum suum*,
etiam si non timeat eum , qui iniuriam pa-
titur : *quia ego Dominus Deus vester* , po-
tens vobis malum infligere, quod volue-
ro. *Facite præcepta mea* , moralia vna
cum ipso rationis lumine indita , *& iudi-
cia* tam Dei cultum quàm lites concer-
nentia *custodite, & implete ea* non solùm
quoad substantiam , sed etiam quoad mo-
dum , *vt habitare possitis* permanenter ac
diuturno tēpore, *in terra* promissa patri-
bus vestris, *absque vllo pauore*, inimicorum
que terrore : *& gignat vobis humus fru-
ctus suos , quibus vescamini vsque ad sa-
turitatem* illam , quæ in pręmium virtu-
tis à me dari solet : qua frui poteritis *nul-
lius impetum formidantes* , etiam si con-
tra vos hostium bella consurgant. *Quod
si dixeritis* , & cursum dumtaxat natu-
ræ attendentes quæsieritis , *Quid come-
demus anno septimo* remissionis , *si non
seuerimus, neque collegerimus fruges no-
stras* , quibus sustentari valeamus ? *Dabo
benedictionem* 3 *meam vobis* , multipli- III.
cemque bonorum abundantiam , *anno
sexto* , *&* vt pro ipso anno sexto , ac etiam
pro septimo remissionis , & pro octauo
iubilei , quando annus iubilei immedia-
tè post septimum remissionis aduenire
contigerit , annonam sufficientem habe-
re possitis , terra in ipso anno sexto *faciet
fructus trium annorum* , & quantum in
tribus annis communiter colliguntur : *se-
retisque anno octauo* circa finem iubilei
pro collectione fructuum anni noni , *&
comedetis veteres fruges* anni sexti *vsque
ad nonum annum*, nam ad totum eiusmo-
di tempus fruges illæ sufficere poterunt:
itaque *donec noua nascantur* , & collecta
à vobis vesci possint, *edetis vetera*, neque
enim vsque ad id temporis fruges sexti

 anni

anni deficiente vobis. *Terra quoque*, seu possessio quælibet immobilis, quæ instar terræ fixa est, *non vendetur in perpetuum*, nec à priori possessore penitus abdicabitur, *quia mea est*, mihique soli competit directum eius dominium: vtpote creatori & conseruatori illius, *& vos aduenæ, & coloni mei estis*, quibus dominium tantum vtile seu vsumfructum terræ Chanaan concessi: *vnde cuncta regio possessionis vestra* seu quælibet possessio, quæ est in regione vestra, si ad subuentionem pauperum, & vt isti habeant vnde sibi valeant succurrere, vendi oporteat, *sub redemptionis conditione* complenda saltim anno iubilei, *vendetur*, & non aliter. *Si attenuatus frater tuus* in facultatibus, ad paupertatemque deueniens *vendiderit possessiunculam suam* stabilem & immobilem, *& voluerit propinquus eius, potest redimere, quod ille vendiderat*, nisi forte adsit alius magis propinquus, qui eiusmodi possessionem redimere velit: *sin autem* venditor à principio venditionis quando rem vult alienare *non habuerit proximum*, qui rem venditam velit redimere, ac proinde possessio maneat apud pristinum emptorem, *& ipse* venditor in pinguiorem deueniens fortunam *pretium ad redimendum potuerit inuenire*, velitque quod suum erat redimere, non integrum venditionis pretium soluere compelletur, sed *computabuntur fructus*, qui correspondent singulis annis *ex eo tempore, quo vendidit* seruata proportione integri pretij, quod accepit ad annos, qui futuri erant vsque ad iubileum, *& quod reliquum est* vltra portionem pretij, quæ correspondet tempori, quo emptor habuit rem, *reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam*, minori pretio soluto quàm erat illud, quod pro ea acceperat, eo quod quanto minus temporis restat vsque ad iubileum, tanto minoris emptio debet constare. *Quod si non inuenerit manus*

D. *eius* venditoris, seu non habuerit facultatem, *vt reddat pretium* pro redemptione rei, quam vendiderat, *habebit emptor, quod emerat, vsque ad annum iubileum*, & non vlterius. *In ipso enim omnis venditio* seu omnis possessio vendita *redibit* absque aliqua pretij commutatione *ad Dominum, & ad possessorem pristinum*, qui eiusmodi possessionem primo alienauerat. *Qui vendiderit domum* existentem non in ruribus, sed *intra vrbis muros*, seu in vrbibus muratis, *habebit licentiam redimendi, donec vnus impleatur annus*, ne prorsus careat beneficio legis concedentis facultatem redimendi: *si non redemerit* per spatium vnius anni ab instanti venditionis computandi, *& anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam* pacificè tanquam verus & absolutus dominus, *& posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit*, neque ad pristinum dominum redire *etiam in iubileo*, quando possessiones aliæ antea non redemptæ ad priores dominos redire solent. *Sin autem in villa fuerit domus*, in villa inquam, *quæ muros non habet*, videlicet in ruribus, eiusmodi domus *agrorum iure vendetur*, & prout fundi immobiles, qui quolibet tempore ante iubileum redimi possunt, & si non redimantur, saltem anno iubilei redeunt ad pristinos possessores: ac proinde domus eiusmodi, *si ante* annum iubilei *redempta non fuerit*, ac iusto pretio recompensata, *in iubileo reuertetur ad dominum*, eo quod domus in rure ædificata, conditionem fundi, ad cuius conseruationem constructa est, sequi debet. *Ædes leuitarum* 4 quæcunque illæ sint, etiam *quæ in vrbibus sunt, semper possunt redimi*, sicut aliæ res, quæ priuilegio redemptionis gaudent, & *si redemptæ non fuerint* ante annum iubilei, *in iubileo reuertentur ad dominos*: ratio autem obquam priuilegium istud conceditur domibus Leuitarum, ea est, *quia Dominus vrbium Leuitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel*: sicut enim Israelitæ in prædijs & vineis gaudebant beneficio redemptionis, ita hi, qui erant de tribu Leui cum nullas alias terræ possessiones præter quam suburbana & domos haberent, in his debuerint gaudere beneficio illo. *Suburbana autem eorum*, quæ sunt spatia adiacentia vrbi, & quasi sub mœnibus eius, *non veneant* à Leuitis, neque illa quomodlibet alienare permittantur, *quia possessio sempiterna est*, data toti communitati filiorum Leui, vt ibi pascant pecora sua, ac proinde nequeant aliqua ratione vendi. *Si attenuatus fuerit frater tuus*, quod diuitiarum substantiam, *& infirmus manu* extiterit, paupertate pressus, *& susceperis eum quasi aduenam & peregrinum* IIII. E.

grinum, eo quod dimiserit vrbem, sortemque suam, & *vixerit tecum* exul à proprijs sedibus, *ne accipias vsuras ab eo, nec amplius quam dedisti*, quamuis ipse libenter offerat: præsumendum enim est id paupertate coactus non autem ex plena libertate tribuere. *Time Deum tuum* Dei enim timor cauere te faciet ab opprimendo fratrem tuum vsuris, *vt viuere possit frater tuus apud te*: alioquin recedet à te non potens vsurarum tolerare mo-
† 14. 9. 3. c. putant. lestiam. † *Pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram*, aliquid vltra sortem, quàm mutuasti, recipiens & *frugum superabundantiam non exiges* petens à fratre, vt
F. det tibi plures fruges, quàm ei dedisti. *Ego Dominus Deus vester* sum, qui hæc iubeo, cuique arctissimo vinculo obedire tenemini, vtpote, *qui eduxi vos de terra AEgypti, vt darem vobis terram Chanaan* fluentem lacte & melle, cuius liberalitatis exemplo, vos debetis esse beneficos proximis vestris; maximè cum vos in eum quoque finem de AEgyptiaca seruitute eduxerim, vt & *essem vester Deus*, meque speciali cultu & virtutum obseruantia tanquam Deum coleretis. *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus*, ac de genere Hebræorum seruum habueris, *non eum opprimes seruitute famulorum*, imperans ei res tam duras, quales alijs seruis extraneis imperare licet, *sed quasi mercenarius, & colonus erit*: sicut enim hi magnis laboribus non affliguntur, ita neque seruus Hebræus affligi nimium debeat: *vsque ad annum iubileum* & non vlterius *operabitur apud te* seruilem subiens conditionem, & *postea egredie-*
V. *tur cum liberis suis*, 5 quos genuit in seruitute constitutus ex ancilla alienigena collata sibi à domino: quosque manere oportebat in perpetua seruitute, nisi pro eorum redemptione pater permansisset seruus vsque ad iubileum: tunc enim vna cum illis & vxore liber exiet, & *reuertetur ad cognationem & ad possessionem patrum suorum*: vt libere manere inter cognatos suos, ac rem familiarem administrare queat: *mei enim serui sunt* Israelitæ iure specialis redemptionis; eo quòd cum in seruitute Pharaonis detinerentur, & *ego eduxi eos de terra AEgypti* in virtute multa, signis ac prodigijs: vnde iure belli eos mihi vendicaui, optimaque ratione statui, vt *non veneant conditione seruorum*, & qualiter vendi solent serui alienigenæ, qui absolutè & in æternum venduntur: Hebræum enim nolo perpetuo tradi seruituti, sed ad tempus instar mercenarij: ac proinde *ne affligas eum per potentiam* violenta detinens seruitute, aut duris opprimens laboribus, *sed metuito Deum tuum*, qui iniuriam seruo illatam non inultam desinet. *Seruus & ancilla* perpetua seruitute detinendi, *sint vobis* non de populo Iudæorum; hi enim anno septimo remissionis, vel saltem anno quinquagesimo iubilei veniunt manumittendi, *sed de nationibus* gentilium, quæ habitant extra terram Chanaan à vobis inhabitandam, de gentibus inquam, *quæ in circuitu vestro sunt*, capique in bello iusto contigerit, *Et de aduenis, qui* ad fidem vestram conuersi *peregrinantur apud vos* seque ipsos ob inopiam vendiderint, *vel qui ex his nati fuerint in terra vestra*, atque ignobilitatis paternę consortes extiterint, *hos habebitis famulos*, qui simpliciter famuli sint non ad tempus manumittendi, & *hæreditario iure transmittetis ad posteros*, quasi propriam & perpetuam hæreditatem, *ac possidebitis in æternum*, nempè quandiu ipsi vixerint: *fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam* faciendo vobis seruos vltra tempus debitum. *Si inualuerit apud vos* potensq; extiterit ac diuitijs abūdans *manus aduenæ atque peregrini* de
Gentilitate ad Iudaismum conuersi, & G.
attenuatus frater tuus filius Israel, atque inopia pressus *vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe eius*, ei scilicet qui ex vtroque parente aduena vel peregrino ortus est, *post venditionem potest redimi*; quamuis aduena venditus Iudæo redimi nequeat. *Qui voluerit ex fratribus suis* cognatis vel affinibus *redimet eum*, etiam si non sit multum propinquus, videlicet & *patruus & patruelis*, & tandem quilibet *consanguineus*, & *affinis*. *Sin autem* nullus istorum propinquum venditum redemerit, & *ipse potuerit* se redimere, *redimet se*, non soluendo integrum pretium, quo venditus est, sed *supputatis dumtaxat annis à tempore venditionis suæ vsque ad annum iubileum*; & pro altera parte *pecunia, qua venditus fuerat, iuxta annorum numerum*, &

rationem mercenarij supputata: vt hac ratione sciri valeat, quantum pecuniæ collatæ in venditione correspondeat vnicuique anno eorum, pro quibus facta est venditio. *Si plures fuerint anni, qui remanent vsque ad iubileum, secundum hos reddet & pretium*, vnde & plus pretij exoluere tenetur: *si pauci* anni remanserint vsque ad iubileum, *ponet rationem cum eo* à quo seruus Israelita emptus est, *iuxta annorum numerorum* quibus seruiuit domino suo, *& reddet emptori, quod reliquum est annorum*, seu pretium, quod correspondet annis, qui remanent vsque ad iubileum, *quibus ante seruiuit mercedibus imputatis*, ita vt si viginti annis ante iubileum venditus sit precio centum argenteorum, velitque se redimere post decem annos, conferat emptori quinquaginta argenteos, & imputetur illi loco reliquorum quinquaginta argenteorum seruitium decem annorum, quod exhibuit: & sic emptor dimittet eum liberum: *non affliget eum violenter*, nec permittes, vt ob dissimulationem tuam proximus tuus ab aduena grauiter opprimatur *in conspectu tuo*, qualiter opprimi videretur, si potente te eum redimere, id præstare desieris, potestatique alienigenæ multo tempore subesse consenseris valens eum abducere. *Quod si per hæc redimi non potuerit*, quia vel caret cognatis, vel quamuis eos habeat, sunt tamen pauperes non valentes eum redimere, & neque ipse seruus habet pretium suæ redemptionis: tunc tandem *anno iubilei egredietur cum liberis suis*, tam cum eis quos secum ob inopiam vendiderat, quàm cum illis quos manens in seruitute ex Hebræa etiam ancilla genuerat. *Mei enim sunt serui, filij Israel, quos* iure belli mihi mancipaui, quando eos *eduxi de terra Ægypti* signis & prodigijs nũquam ante visis debellatisque pristinis eorum possessoribus.

ANNOTATIONES IN CAP. *XXV.*

I. *Anni remissionis & iubilei nõ obseruabãtur dũ erat populus in deserto.*

QVANDO ingressi fueritis.] His verbis insinuatur Iudæos non fuisse obligatos dum erant in deserto ad obseruationem duorum festorum, de quibus in præsenti capite fit mentio, videlicet anni remissionis & anni Iubilei. Cuius ratio est, quia in deserto non erant Iudæi dispositi ad suscipiendum effectum & vtilitatem harum festiuitatum. Etenim annus remissionis ordinabatur ad dissoluendas aliquas seruitutes, & ad debitorum remissionem, annus etiam Iubilei ordinabatur ad dirimendum seruitutes, quæ erant in æternum ex decreto capituli. 21. Exodi, & ad hoc vt omnis possessio perueniret ad primum possessorem nullo dato precio: in deserto autem neque erant seruitutes, neque contrahebantur alia debitorum genera, cum nulla esset victus aut vestitus inopia, ad cuius subuentionem solent homines se ad inuicem vendere, & debita contrahere. Neq; etiã erant in deserto oliueta, vel vineæ, vel agri quorũ fructus oporteret septimo, vel quinquagesimo anno demittere ad sustentationem pauperum.

II. *Clangor buccinarum fiebat in anno immediatè præcedenti iubileũ.*

IPse est enim iubileus.] Ob causalem istam Nicolaus de Lyra & alij existimant clangorem buccinarum, iubileique proclamationem fieri solitam mense septimo ipsius anni quinquagesimi. Iobel enim quod significat buccinam non rectè denominaret annũ quinquagesimum nisi is esset ille, in quo buccinæ clangebãtur: vnde cum de quinquagesimo anno scriptum sit; Ipse est enim iubileus, consequens est quod eo anno, & non præcedenti tubæ insonarent. Verosimilius tamen est, & fini rei conformius dicere clangorem prædictum fieri debere anno immediate præcedenti iubileum: fiebat enim clangor iste tum ad exprimendum lætitiam futuræ remissionis, eo modo quo in vigilijs festorum ecclesiæ tangi solent campanæ: tum etiam ad denuntiandam ac memoriæ reuocandam solennitatem anni quinquagesimi: facile enim ob longam intermissionem inter vnum & alterum iubileum memoria labi poterat tempus celebrandi solennitatem istam: Nec mirum quod annus quinquagesimus dicatur iubileus, quamuis in eo non clangerentur buccinæ, quia satis est clangor anni præcedentis fieri causa ipsius, ad eiusque lætitiam exprimendum. Neque oportet recurrere ad singularem & inusitatam nomini Iobel interpretationem, quam adducit Caietanus hoc in loco dicens, nomen Iobel à germine terræ sumptum esse; indeque annum quinquagesimum nominari iobileum, eò quod sit annus germinis tanquam ferax libertatum hominum & agrorum, & quasi restitutio proproprij germinis terræ promissionis; Hanc inquam interpretationem non oportet admittere cum constet ex alijs locis scripturæ iobel buccinam vel cornu significare. Vnde Exo. 19. Vbi nos habemus: Cum cœperit clangere buccina: in Hebræo habetur Iobel.

III. *Benedictio pro abundãtia & multiplicatione.*

DAbo benedictionem.] Benedictio in sacris literis semper significat abundantiam, aut multiplicationem: vt constat ex illis verbis 2. Corinth. 9. Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictione de benedictionibus & metet. Vbi opponẽs benedictionem parcitati insinuat Apostolus per benedictionem designari abundantiam

Digitized by Google

tiam. Sicut per parcitatem significatur inopia. Id ipsum ostenditur parum antea, dum inquit idem Paulus: Et præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic, quasi benedictionem, non tanquam auaritiã: sicut enim auaritia designat diminutionẽ, ita benedictio augmentum, & multiplicationem. Et hac loquendi phrasi vtitur scriptura Deuter. cap. 7, & 20. Sicut etiã nomine maledictionis pro inopia, & diminutione Malac. cap. 3. cũ dicitur: In decimis, & in primitijs, & penuria vos maledicti estis.

IIII. *Leuitarum nomen potest pro officio vel progenere sumi.*

AEdes Leuitarum.] Nomen Leuita dupliciter accipitur in sacris literis. Vno modo strictè, & propriè, & tũc est nomẽ officij distincti ab officio sacerdotali. Duplex enim erat rerũ sacrarũ ministratio cui dicata erat tota tribus, seu progenies Leui, ex quo enim pepigit Deus, cũ Hebræis, vt loco primogenitorũ sibi assumeret tribũ vnã, & hæc esset Leuitica: vt habetur tertio capite libri Numerorũ primogeniti omnes Hebræorũ Deo debebãtur in ministerio, eo quod propter eos, omnes AEgyptiorũ primogenitos interfecisset. Ministratio ergo ad quã trib⁹ ista erat addicta duplex erat, altera versabatur circa altaria, tã holocausti quã thymiamatis, & circa candelabrũ, ac mensam panũ propositionis, & cætera, quæ erãt intra Sãctuariũ. Et hæc vocabatur ministratio sacerdotalis: & pertinebat solũ ad Aaron, & ad filios eius, vt constat Numerorum cap. 3. & 18. Altera ministratio erat, quasi dispositiua istius, cũ quadã sub ordinatione ad illam. Et hæc adhuc erat duplex: quædam tempore Moysis fuit à Deo instituta: altera verò à Dauide Rege fuit innouata. De prima agitur in tribus prioribus capitibus libri Numerorum. Vbi præscribitur Leuitis vt portarent ea, quæ erant in Sanctuario de loco ad locum cum castra mouenda essent, & figerent tabernaculum cum castrametarentur. Et cap. octauo eiusdem libri eis indicitur, vt essent custodes eorum, quæ ad tabernaculi testimonium pertinerent; & excubarent in circuitu Sanctuarij, ne aliquis de populo accederet ad illud. In quibus muneribus obeundis permanserunt Leuitæ, vsque ad tempora Dauidis, qui primo illo Leuitarum officio quodam modo abrogato, ad nouum quendam ordinem, Sanctuarij ministeria redegit. De genere ergo Leuitarum cum reperisset triginta & octo millia, fecit sacerdotum & tabernaculi ministros viginti quatuor millia: & hi propriè dicebãtur Leuitæ. Fecit cantores quatuor millia, & totidem ex eisdem Leuitis fecit ianitores: alios verò sex mille constituit Præpositos & Iudices. Quæ omnia habentur 1. Paralipo. cap. 23. Et sicut sacerdotes omnes diuiserat Dauid in viginti quatuor classes: ita etiam distribuit Leuitas in alias viginti quatuor; quibus nomina imposuit Gersonitarum, Caathitarum, & Meraritarum: quia ab his tribus filijs Leui Gerson, Caath, & Merari vniuersa Leuitarum multitudo propagata est: & singulis classibus principem etiam vnum præfecit, qui illius classis princeps dicebatur: & hi sunt qui 1. Esdræ cap. octauo princeps Leuitarum nominantur. Hæc fecit Dauid, & Salomon filius eius perfecit, & absoluit, vt constat 2. Paralipom. cap. 8. Qui ergo prædictis muneribus incumbebant, propriè & strictè appellabantur Leuitæ. Alio modo nomen istud sumitur largè, ita vt sit nomẽ generis: qua ratione dicũtur Leuitæ omnes, qui sunt de tribu Leui, siue sint sacerdotes, siue non. Et in hoc sensu accipitur nomen Leuitarũ in præsenti: quando enim conceditur facultas ad hoc, vt quouis tempore redimi queant ædes Leuitarum, nulla importatur distinctio sacerdotum à Leuitis, sed omnes communi nomine Leuitarum cõprehenduntur. An verò ad Scribas quoq; idẽ nomẽ se extẽderit dubitare meritò quis posset. Erant autẽ scribæ, vt ait Epiphan. to. 1. hæresi 15. illi quibus legem populo proponere, sensus eius eruere, erutosque populo manifestare incũbebat: & quia legebãt, Lectores etiã appellabantur: vt 3. Esd. 9. Esdras lector dicitur, qui passim scriba nominatur. Et quia etiam exponebant diuinas literas, legis doctores & legisperiti dicti sunt. Vnde Hebraicè dicebantur Sopharim à Sopher, quod est liber aut litera, vt sint Sopharim quasi librarij ab euoluendis enarrãdisq; libris sacris, aut literati: qualis fuit Esdras, de quo 1. Esd. 7. Et ipse scriba velox in lege Moysi: & 2. Esd 8. Cõgregati sũt omnes ad Esdrã scribã, vt interpretaretur eis verba legis. aut dicti sunt Sopharim à verbo Saphar, quod est recẽsere, narrare, nũciare, & exponere, quia hoc etiã præstabant, vt subindicare voluit Dominus, quando Matth. 17. dixit: Quid dicunt Scribæ, quod Eliam oportet primum venire, & Matth. 23. Super cathedrã Moysi sederũt Scribæ, & Pharisæi: quasi dicat ipsi fungũtur munere magistrorũ, & legẽ Moysi populo proponũt, & explicant. Respondeo ergo ad quęsitũ, apud Hebræos, ex quacunque tribu, illi qui in scripturis sanctis periti essent scribæ dicebantur: vnde & inter Principes, & inter Sacerdotes, inter Leuitas, inter Pharisæos, & inter ipsos plebeios, plures reperiebantur scribæ:

Leuitarum officium tempore Moysis.

Leuitarum officium tempore Dauidis.

Scribarũ munus.

V. *Qui nam liberi patris Hebrei manebãt in perpetua seruitute.*

CVm liberis suis.] Nomine liberorum non intelliguntur hic ij, quos habuit pater antequam seruus fieret, vel ex matre libera: de illis enim non diceretur, quod de seruitute egrederentur, cum nunquam extitissent serui. Neque etiam intelliguntur filij, quos genuit pater seruus ex ancilla Hebræa, nam hi subire debebant conditionem patris, ac proinde sicut reliqui serui Hebræi in anno septimo remissionis etiam ante annum iubilei liberi dimittebantur ex præscripto legis Exod. 21. Nomine igitur liberorum hoc in loco designantur illi, quos genuit pater seruus ex ancilla alienigena collata sibi à domino; hi enim instar seruorum alienigenorum manere debeant in perpetua seruitute, etiam si pater anno septimo remissionis liber egrederetur: vt dicitur Exod. 21. Si tamen pater anno septimo ob amorem vxoris & filiorum gratis se

se subijceret seruituti vsque ad annum iubilei adueniente iubileo manebat liber ipse, & vxor ac liberi eius; per voluntariam enim viri seruitutem recompensabatur perpetua seruitus vxoris & liberorum. Et in isto casu procedit dispositio legis præsentis loci Leuitici.

ARGVMENTVM IN CAP. XXVI.

¶ Propositis quibusdam præceptis primæ tabulæ, allicit Dominus Israelitas ad obseruantiam legis, idque non solum certissimis insignium beneficiorum pollicitationibus, verùm etiam minis & terroribus, quibus affici oportet iniquos, si peccare non desistant: qui prorsus iniqui eo grauius ac durius punientur, quò tardius à peccatis surrexerint. Prædicit tandem magna & ingentia Hebræorum crimina, ob quæ tamen non erant ipsi funditus delendi, sed diuina potius bonitate seruandi, quò reliquiæ saltim huius populi à Deo quondam dilecti saluæ fiant.

PARAPHRASIS IN CAP. XXVI.

A. † Exod. 20. a. 4. Deut. 5. a. 8. Psa. 96. b. 7.

EGO *Dominus Deus vester*, in quem tota mente tanquam in finem vltimum actionum vestrarum intẽdere debetis sum, qui hæc loquor, & præcipio. † *Non facietis vobis idolum, & sculptibile*, seu incisum ligni, lapidis, vel metalli, *nec titulos* lapideos, seu pyramides, & fornices, nominibus & elogijs falsorum Deorum inscriptos, ad conseruandam rerum ab illis præclarè gestarum memoriam *erigetis; nec insignem lapidem* pulchrum, & figuris ornatum *ponetis in terra vestra*, in eum finem, *vt adoretis eum*, latriæ cultum exhibentes: cuius prohibitionis ratio hæc est; *ego enim sum Dominus Deus vester*, ac proinde mihi soli debetur diuinus honor. *Custodite sabbata mea*, quæ sunt solennitates cultui meo dicatæ, *& pauete ad Sanctuarium meum* non nisi cum debita reuerentia ad eum accedentes: *Ego Dominus*, qui isthæc iubeo, eaque præcipiendi authoritatem habeo. † *Si in præceptis meis* moralibus lege naturæ inditis *ambulaueritis* per continuam vitæ vestræ conuersationem, *& mandata mea* tam ceremonialia, quàm iudicialia *custodieritis, & feceritis ea*, vtpote leges factorum non fidei, *dabo vobis pluuias* I. etiam innaturales *temporibus suis* quando scilicet terra eas exigit ad generationem & conseruationem fructuum, *& terra gignet germen suum* proferens fruges, quas prolatura est, *& pomis arbores replebuntur*, vt nihil delectationi gustus humani deficiat: *Apprehendet messium tritura vindemiam*: tanta enim erit frugum vbertas, vt earum tritura pertingat vsque ad vindemiam: *& vindemia occupabit sementem*, dum accedet ad seminandi tempus: *& comedetis panem vestrum in saturitate*, ita vt eius abundantia saturari possitis, *& absque pauore* hostium, qui à vobis exterminabuntur *habitabitis in terra vestra*, quia vel non insurget inimicus contra vos, vel quamuis insurgat facillimo negocio deuincetur. *Dabo pacem in finibus vestris* absque vllo bellorum ciuilium incursu; *dormietis & non erit, qui exterreat* ob maximam securitatem, qua cuilibet licebit agere, quod voluerit. *Auferam malas bestias*, quæ veneno, vel feritate terras depopulari solent: *& gladius non transibit terminos vestros*, neq; aliquo bello opprimemini. *Persequemini inimicos vestros, &* nõ valẽtes resistere robori ac fortitudini vestræ *corruent coram vobis* prorsus deleti & extincti. *Persequentur quinque de vestris centum alienos, &*

† Deut. 28. a. 1.

nos, *& centum de vobis decem millia*: tam ingens enim robur dabitur vobis à Deo, vt non solum cum æquali armentorum numero confligere possitis verum etiam vnus contra viginti, imò potius vnus vestrum contra centum ex hostibus consistere, eosque deuincere valeat: etenim quantumuis pauci sunt, qui ex vobis hostes aggrediantur, *cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro*, eos vobis ipsis prosternentibus. *Respiciam vos* oculis specialis prouidentiæ ad vobis benefaciendum, *& crescere faciam* in gentem magnam diuitijs & potentia præclaram; *multiplicabimini* sicut stellæ cœli, ob insignem fœtuum propagationem: *& firmabo pactum meum vobiscum* perseueranter complens omnia, quæ promitto, si vos pariter constantes extiteritis in obseruantia legis meæ. *Comedetis vetustissima veterum*, nam tanta erit fructuum vbertas, vt non solùm ad victum primi anni, quando fruges sunt nouæ, neque solùm ad victum secundi anni, quando sunt veteres, sed etiam ad victum tertij anni, quando futuræ sunt vetustissimæ, supererunt: *& vetera nouis superuenientibus proijcietis* ob defectum vasorum non valentium tantam frugum abundantiam capere. *Ponam tabernaculum meum* manu factum, vbi me præsentem exhibeo, vt perpetuò maneat & perseueret *in medio vestri*, seu inter vos ad totius populi eruditionem & protectionem: *& non abyciet vos anima mea*, qualiter homines habentes animas tribuunt animabus suis abiectionem earum rerum, quas odio habent: imò potiùs si manseritis in lege mea, constanter diligam & protegam. † *Ambulabo inter vos*, non locum mutando, sed vnicuique vestrum necessaria ministrando instar illius, qui huc atq; illuc discurrens prouidet vnicuique locorum: *& ero Deus vester* habens curam specialem de vobis; *vosque eritis populus meus*, specialem etiam cultum mihi exhibentes. *Ego Dominus Deus vester*: quem paratum credere debetis ad præstandum omnia, quæ hucvsque promisi, cum sim, *qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne seruiretis eis*, *& qui* in ea eductione tam potens & beneficus extiti erga vos, quòd *confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti*, tam dura enim & graui tenebamini seruitute, vt non modo in pedibus & manibus, sed & in ceruicibus catenas vos habere videremini, quibus pressi quasi curui incedebatis quousque libertate donati, incedere quasi erecti valeatis. † *Quod si non audieritis me*, seu non acquieueritis per obedientiam voluntati meæ, *nec feceritis omnia mandata mea* moralia, quæ iure naturæ instituta sunt: *si spreueritis leges meas*, quæ ad cultum Dei spectant, *& iudicia mea contempseritis*, non obseruantes ritus iudiciorum & litium, ita *vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt*, tam quoad mores, quam quoad ceremonias & iudicia, omittentes obseruantiam alicuius præcepti istorum, *& ad irritum perducatis pactum meum*, ac fœdus inter me, & vos initum quasi nihilum æstimetis, *ego quoque hæc faciam vobis*: etenim non solùm benedictiones, quas superius retuli, non præbebo, sed insuper mala, quæ subsequuntur, inferam. *Visitabo vos velociter*, & absque vlla dilatione puniam *in egestate* fructuum loco abundantiæ bonorum temporalium, quam promisi custodientibus legem meam, percutiam *& ardore* febris, seu ardore temporis nimium terram desiccante, *qui conficiat oculos vestros*, & vos ipsos præ fame ac siccitate arescere faciat, *& consumat animas vestras*, seu vitam vestram corporalem. *Frustra seretis sementem*, *quæ* vobis nullius prorsus erit vtilitatis, etenim *ab hostibus deuorabitur*, cum eos terram vestram inuadere contigerit. *Ponam faciem meam contra vos* ad modum irascentis per hoc quòd vos funditus deleam, *& corruetis coram hostibus vestris*, subtractis per me viribus à vobis, *& subijciemini his, qui oderunt vos*, quorum detestatio & odium grauiorem vobis reddet seruitutem: *fugietis, nemine persequente*, ob timorem vobis diuinitus incussum. *Sin autem nec sic obedieritis mihi*, sed pertinaciter permanseritis in peccatis vestris, *addam correptiones vestras*, & vlteriores pœnas *septuplum propter peccata vestra*, non quod priora peccata bis aut vltra condignum puniam, sed quia nouam contumaciam, & vestram in peccando obstinationem multiplicatis supplicijs coerceam, *& conteram* magnitudine pœnarum, non autem studiosa conuersione *superbiam duritiæ vestræ*, non vos ipsos su-

† 1. Cor. 10. d. 16

† Deut. 28. b. 13 Thren. 2 f. 17. Malach. 2. a. 2.

C.

II.

sos superbos, ac duros grauiter puniam
& confringam. *Daboque vobis* tantam ter-
ræ nascentium sterilitatem, vt habere vi-
deamini *cœlum desuper sicut ferrum*, ea vi-
delicet ariditate & duritia præditum, vt
omni prorsus careat humiditate, ac plu-
uiæ teneritudine; dabo præterea *& ter-
ram aneam* non valentem molles cœlo-
rum influxus percipere, nec de se quid-
piam germinare. *Consumetur incassum la-*
D. *bor vester*, & inutile prorsus erit studium
colendi agros, quandoquidem *non profe-
ret terra germen* quod quolibet anno nas-
ci solet, *nec arbores poma præbebunt*, de-
ficiente causa nutrimentali, quæ est com-
mistio humoris aquæ cum terra. *Si am-
bulaueritis ex aduerso mihi*, nolentes re-
cipere præcepta mea, *nec volueritis audi-
re me*, iussa videlicet mea opere non com-
plentes; tunc supra pœnalitates, quas
prius habueritis, *addam plagas vestras in
septuplum*, nouo calamitatum genere exa-
ctam vindictam sumens de vobis *propter
peccata vestra* de nouo commissa ac vete-
ribus superaddita; *immittamque in vos be-
stias agri, quæ* vel morsu, vel veneni
emissione *consumant vos, & pecora ve-
stra, &* quæ dum inuaserint ipsas vrbes,
atque itinera aggressæ fuerint, *ad pauci-
tatem cuncta redigant, desertæque fiant
viæ vestræ*, nemine audente iter agere ob
timorem ferarum vel serpentum. *Quod si
nec sic* castigati pœnis superioribus *volue-
ritis recipere disciplinam*, nec mihi obe-
dire, *sed ambulaueritis ex aduerso mihi* re-
belles existentes mandatis meis, *ego quo-
que contra vos aduersus incedam, &* in-
star acerrimi hostis *percutiam vos septies*,
id est, perfectè & exactè *propter peccata
vestra*, quæ iugi contumacia accrescunt:
inducamque super vos gladium inimico-
rum vestrorum *vltorem fæderis mei*; et-
enim impugnatione hostium debellatium
vos vlciscar pro fractione fœderis me-
cum initi. *Cumque confugeritis in vrbes*
fortissimas, vt in eis hostilem gladium ca-
uere possitis, nihil vobis proderit, nam
tunc *mittam pestilentiam in medio vestri,
&* sic quam plurimis ex vobis tabe pe-
stifera consumptis, reliqui non valen-
tes vrbes, in quas aufugeratis defendere
trademini in manibus hostium; non so-
lum ob paucitatem hominum à peste cau-
satam, sed etiam ob famem validam su-
perstites torquentem: trademini enim
potestati hostium, *postquam confregero ba-
culum panis vestri* seu nutrimentum cor-
porale, cui quasi baculo innititur vita
animalis; ac postquam huius quidem nu-
trimenti ingens fuerit defectus, *ita vt
decem mulieres* tam modicum habeant
de panibus, vt non indigeant ad coquen-
dum pluribus furnis, sed omnes simul
in vno clibano coquant panes, seu pos-
sint illos coquere, *& reddant eos* ac di-
stribuant, domesticis suis non pro libi-
to vescentium, sed *ad pondus, &* cum
mensura quapropter *comedetis, & non
saturabimini* ob inopiæ ciborum ma-
gnitudinem. *Sin autem, nec per hæc* tan- E.
ta mala, quæ retuli, *audieritis me*, &
conuersi fueritis à vijs vestris pessimis,
sed ambulaueritis contra me adhuc per-
sistentes in prauitate cordis vestri, & in
studio mihi contradicendi, *& ego ince-
dam aduersus vos in furore contrario*: nam
ira mea, quam erga vos exerceam, ap-
petitui vestro ac desiderijs valde con-
traria existet: *& corripiam vos*, ac pu-
niam *septem plagis propter peccata ve-
stra*, nam perfectam sumam de obsti-
natione vestra vindictam: *ita vt come-
datis*, seu præ famis magnitudine com-
pellamini comedere *carnes filiorum ve-
strorum, & filiarum vestrarum* deuoran-
tes non solùm carnem humanam, sed
etiam carnem propriam, qualis est caro
liberorum: ac præterea *destruam excel-
sa vestra*, seu loca in quibus colitis ido-
la, *& simulachra confringam*; quod vo- III.
bis mirum in modum idololatriæ dedi-
tis maximum ingeret dolorem. *Cade-
tis inter ruinas idolorum vestrorum* exci-
sis fanis, ad quæ implorantes idolorum
auxilium confugietis; quo fiet, vt iu-
sto Dei iudicio ibi pœnas luatis, vbi
peccata commiseratis, *& abominabitur
vos anima mea* abijciens vos tanquam quid
fœtidum, nec curans vobis aliquod au-
xilium ferre, & exosos habeam *in tan-
tum, vt vrbes vestras redigam in solitu-
dinem*, vobis omnibus vel diræ morti tra-
ditis, vel in terram hostilem translatis; *&
deserta faciam sanctuaria vestra*, ita vt
nemo veniat ad solemnitates neque ad
alios templi cultus, quo fiet, vt *nec re-
cipiam vltra odorem suauissimum*, nem-
pe thymiamata & sacrificia, quæ prout
odor suauissimus gratus esse solet homi-
nibus, ita erant mihi placita & accepta.
Disper-

Digitized by Google

Disperdamque terram vestram, illius ædificia incendio, vel ruina destruens, *& stupebunt super ea inimici vestri*, ac mirabuntur de immensitate supplicij, *cum habitatores illius fuerint*, & quando expulsis vobis ad inhabitandum terram accedentes viderint stragem in ea factam: *vos autem dispergam in Gentes*, apud quas non vtcumque captiui detinebimini, sed *& euaginabo post vos gladium*; nam hostiliter etiam in exteris, nationibus commorantes insequar: *eritque terra vestra deserta*, nullis ferè hominibus eam inhabitare volentibus, *& ciuitates vestræ dirutæ* quoque existent, eo quod earum turres, ac mœnia, cunctaque ędificia ad solum prosternentur. *Tunc placebunt terræ sabbata sua*, & quasi gaudebit terra promissionis, quod quiescere permittitur à subuentione operum agriculturæ, *cunctis diebus solitudinis suæ*: his namque diebus instar annorum iubilei & remissionis nemo erit, qui terram Iudæorum colat. Idcircò autem *quando fueritis in terra hostili* cuncta Iudæorum regio *sabbatizabit &* nemini illam colente quasi *requiescet in sabbatis solitudinis suæ*, ac placebit sibi cessatio culturæ, *eo quod non requieuerit in sabbatis vestris*, metentibus & serentibus vobis in annis Iubilei & remissionis; idque contra legis prohibitionem faciebatis in terra promissionis, *quando habitabitis in ea*, & quando in eiusmodi annis festiuis
F. cessare tenebamini ab agrorum cultura. *Et qui de vobis remanserint*, plagisque supra positis minimè interierint, non proinde immunes se esse existiment, quoniam *dabo pauorem in cordibus eorum* incutiens eis vehementissimum timorem *in regionibus hostium* cum non minima animi afflictione: etenim *terrebit eos sonitus folij volantis, &* præ timore & terrore eiusmodi sonitus, *ita fugient quasi gladium*: quo manifestum fiet eam timiditatem non naturaliter prouenire, sed à Deo esse inflictam: & quod mirabilius erit, *cadent nullo persequente* ob immutationem phantasiæ à vehementi timore causatam: *& corruent singuli super fratres suos* eo quod nimio pauore percussi habebunt se *quasi bella fugientes* qui in inuicem offendere, & cadere super alterutrum solent: *nemo vestrum inimicis audebit resistere*: quamuis enim interdum cum eis bella sitis habituri, præ timore tamen resistere nequibitis, ac fugam capietis: *peribitis inter gentes*, si in cultu idolorum inter eas permanseritis, *& hostilis vos terra consumet*, nequaquam ad terram vestram regressuros. *Quod si & de ijs*, qui in regionibus hostium prædicta mala subibunt, *aliqui remanserint*, qui pœnam mortis in captiuitatis initio non subierint, non propterea existiment se permansuros euasisse incolumes, quin potius *tabescent in iniquitatibus suis*, dissecabunturque, & putrescent *in terra inimicorum suorum*, vbi grauior erit quælibet tribulatio: *& propter peccata patrum suorum, & sua affligentur*, dum vna & eadem pœna parentes in filijs, & filij in se ipsis punientur: *donec confiteantur iniquitates suas*, confitentesque veniam petierint pro sceleribus suis, *& maiorum suorum, quibus* sceleribus & peccatis, non modò *præuaricati sunt in me* transgredientes vna vel altera vice legem meam, sed *& ambulauerunt ex aduerso mihi* pertinaci quadam & obstinata consuetudine in me rebellantes. *Ambulabo igitur & ego contra eos*, qui ambulauerint contra me, adeoque perseueranter & constanti animo puniam, vt *& inducam illos in terram hostilem*, ibique vehementer affligam, *donec erubescat incircuncisa mens eorum*, 4 seu erubescant ipsi de ignominia & superfluitate cogitationum suarum, prout veri pœnitentes erubescere solent: *tunc orabunt pro impietatibus suis*, vt dimittantur eis. *Et recordabor*, G.
memoremque me obseruatione & adimpletione ostendam *fœderis mei, quod* de custodiendo & protegendo populum istum, si ipse mihi fidem seruaret, *pepigi cum Iacob* proprio Israelitarum parente, *& Isaac, & Abraham*: cuius fœderis adimpletionem interdum suspendam propter populi demerita. *Terra quoque memor ero* benefaciens ei reducendo ad eam cultores & habitatores suos; *quæ cum relicta fuerit ab eis*, quando eos duci contigerit in captiuitatem, tunc nunquam terra promissionis *complacebit sibi in sabbatis suis*, & quasi delectabitur aliquo tempore pro quiete sibi data loco annorum iubilei & remissionis, quos Iudæi obseruare tenebantur, & non obseruabant: vnde terra illa erit *patiens solitudinem propter illos* annos, quibus coli minime debuisset. *Ipsi vero* Iudęi laboribus afflicti & humiliati *rogabunt pro peccatis suis* poscen-

IIII.

poscentes veniam de eis, & prauitatem suam agnoscentes; *eo quod abiecerint iudicia mea*, seu præcepta mea iudicialia, quæ in directione proximi ad proximum consistunt, *& leges meas despexerint*, quæ pro diuini cultus honestate à me sunt institutæ. *Et tamen etiam cum* Iudæi fregissent pactum meum, & propter innumera ipsorum peccata captiui *essent in terra hostili, non* propterea misericordiæ oblitus *penitus abieci eos* ab speciali cura, quã erga illos semper habui, *neq; sic despexi, vt consumerentur, &* funditus apud hostes interirent, quamuis quodammodo abiecerim eos, ac despexerim, ne si penitus despexissem *irritum facerem pactum meum cum eis* initum in monte Sinai de non dimittendo Iudæos totaliter & omnino, nisi ipsi simili modo recedant à me. Vnde quia in prioribus captiuitatibus non incorrigibiliter & insanabiliter auertentur à me, idcircò neque ego eos penitus abijciam. *Ego enim sum Dominus Deus eorum* ac proinde specialem curam de Iudæis potius, quã de Gentibus habere me oportet, & *recordabor* dum operum executione memorem me ostendam *fœderis mei pristini*, nempe fœderis, quod pepigi cum Israelitis in monte Sinai, *quando eduxi eos de terra Aegypti in conspectu gentium, vt essem Deus eorum*: quod fœdus congrue vocatur à me pristinum, nam multo tempore præcedet ad tempus, de quo nunc loquor, ad illud videlicet, quo Iudæis in captiuitate detentis auxilium feram. *Ego Dominus*, qui fidelis sum & verax. *Hæc sunt iudicia*, quæ modum componendi lites præscribunt, *atque præcepta* à natura insita ad mores componendos, *& leges, quas* pro ratione diuini cultus *dedit Dominus inter se & filios Israel in monte Sinai per manum Moysi*, qui ea omnia literis mandauit in hoc libro Leuitici, & in fragmento Exodi.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVI.

I. *Pluuia temporanea & opportuna pro abundātia terrenascentium.*

DABO Vobis pluuias.] Cum omnia terrænascentia secundum naturam ex humore & calore gignantur: ex humore quidem tanquam ex causa materiali, ex calore autem tanquam ex causa efficiente, idcircò iure optimo sub nomine pluuiæ temporaneæ & opportunæ frequenter in sacris literis abundantia terrænascentium significatur: vt hic & Deuterono. 28. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo. Isa. 30. Et dabitur pluuia semini tuo, vbicumque seminaueris in terra. Ideò autem inter terrena bona, quæ legi factorum, qualis est lex vetus, proportionatè correspondent, primo loco ponitur in præsenti vbertas terræ nascentium, quoniam ad conseruationem vitæ humanæ, quæ inter bona temporalia proculdubio præeminet, nihil est conducibilius quàm frugum terræ vbertas, per quam tollitur maximum incommodorum humanorum, quod est fames: minus enim malum est bello perire, aut peste cadere, quam confici fame: eo quod fames diuturnum & inhumanum malum est.

II. *Septenarius numerus multiplicitatem significat.*

SEPTVPLVM propter peccata vestra.] Quoties in hoc capite septemplicis punitionis fit mentio, toties exacta & multiplex punitio designatur: numero enim septenario (qui vt docet Hieronymus in illud Isai. 4. Apprehendent septem mulieres virum vnum familiaris Iudæis est propter sabbatũ, sicut & denarius propter præcepta decẽ) multitudo sæpius in sacris literis significatur: quod etiam tradidit ipse Hieronymus in capit. 54. eiusdem Prophetæ ferè in principio: & confirmat ex illo Ieremiæ. 15. Infirmata est, quæ peperit septem, defecit anima eius: & ex illo primo Regum secundo. Donec sterilis peperit plurimos: pro quo in Hebræo & apud Septuaginta legimus: Donec sterilis peperit septẽ. In eodẽ sensu Micheas cap. 5. loquẽs de Rectoribus & Episcopis Ecclesiæ inquit. Et suscitabimus super eum septem pastores, idest, plurimos. Et Matt. 18. Nõ dico tibi vsq; septies, sed vsque septuagies septies, idest quam pluries.

III. *Simulacrum nomine solarij, apud Hebræos significatur*

SIMVLACRA confringam.] In Hebræo habetur, Solaria vestra confringam. Solarium enim significat duo: vno modo dicitur solarium domus hyemalis disposita ad recipiendum radios solis, vnde à sole solarium dicitur: in quo sensu libro 2. Reg. cap. 11. & 16. vocatur Solarium domus patens radijs Solis, quia tectum non habet: & hoc modo non accipitur hic. Alio modo dicitur Solarium imago aliqua facta Soli; quoniam Gentiles colebant solem, tanquam præcipuum inter omnia astra cœli, & ei faciebant imagines: quoniam quidam faciebant ei currus & quatuor equos ad significandum quatuor tempora anni, quæ Sol motu suo peragit, sicut Lunæ faciunt bigam, id est, quadrigam habentem duos equos propter duas eius proprietates, scilicet humiditatem & frigiditatem. Et isto modo Iudæi faciebant Soli imagines, sicut Gentes. Et sic patet quarto Regum capit. vigesimo tertio, quòd Reges Iuda posuerunt equos solis in templo & currus eius: quos combussit Iosias, & puluerem eorum proiecit in tor-

Digitized by Google

in torrentem Cedron. Hic autem ponitur solarium seu imago solis, pro quolibet idolo: ob quam causam interpres sensum sequutus transtulit simulacra.

IIII. INcircuncisa mens eorum.] Incircuncisio semper est nomen improperij & contumeliæ in Veteri Testamento, & triplicem habet significationem iuxta triplicem materiam, cui adaptari solet: vocatur enim quis incircuncisus vel carne, vel opere, vel mente. Incircuncisus carne dicitur, qui extraneus est populo Dei, in quo sensu Dauid exprobrans Philisthæo coram Saule semel atque iterum vocauit eum incircuncisum. 1. Regum. 17. quasi Deo exosum & inuisum. Incircuncisus opere appellatur, qui aptus non est ad aliquod munus vel officium: & sic Moyses vocatur incircuncisus labijs Exod. 6. vt pote ineptus ad officium legationis. Vnde Ieremias capit. 6. loquens de Ierosolymitanis & dicens: Ecce incircuncisæ aures eorum; explicans quam impotentiam hac incircuncisione designare voluerit, subdit: & audire non possunt. Incircuncisus mente vocatur, qui desideria vana vel superuacua habet, sumpta similitudine à carnis incircuncisione. Et de hac mentis incircuncisione est sermo in præsenti, & Ierem. 9. Domus Israel incircuncisi sunt corde.

Marginal note: *Incircũcisi semper sonat in malũ & tripliciter dicitur.*

ARGVMENTVM IN CAP. XXVII.

¶ Votorum obseruatio commendatur, quantumque vnusquisque pro voti sui redemptione & commutatione præstare debeat præscribitur, si tamen vota redimi queant: sunt enim nonnulla vota, quæ nequeunt redimi, nempe quibus animal sacrificijs aptum promittitur. Et huius conditionis sunt vota illa quibus anathema aliquod Domino consecratur, illud enim irremißibiliter est morti addicendum. Decimarum etiam solutio indicitur, quas si redimere velit debitor vltra illarum valorem tenetur insuper quintam partem persoluere.

PARAPHRASIS IN CAP. XXVII.

A: *LOCVTVSQVE est Dominus ad Moysen*, per quem cuncta legis præcepta præter Decalogum dare statuit populo, *dicens: Loquere filijs Israel, &* vt sciant qualiter circa votorum solutionem se gerere oporteat, *dices ad eos:* † *Homo qui votum fecerit*, non habebit facultatem vtcumque illud commutandi, sed si *& spoponderit Deo animam suam*, 1 seu se ipsum abdicãdo se ab omnibus alijs, vt Deo speciali
I. ter seruiat commutari debet hoc votum, eo quod alijs præterquam Sacerdotibus & Leuitis ministrare non licet in Sanctuario, ac proinde *sub æstimatione*, & habita ratione ætatis, quam habet, *dabit pretium* à lege constitutum. *Si fuerit masculus* maius pretium dabit quam fœmina propter dignitatem, robur, & fortitudinem, quibus vir fœminam præcedit; ac proinde *à vigesimo anno vsque ad sexagesimum annum*, quando status hominis robustior est, cæterisq; perfectior, *dabit quinquaginta siclos ar-*
genti, 2 quorum vnusquisque viginti obo II.
los habeat, ne autem à falsarijs adulteretur verum sicli pondus, appendantur *ad mensuram Sanctuarij*, vbi vera & legitima sicli mensura seruanda est. Cæterum *si mulier* se ipsam Deo spoponderit existentem in ætate prædicta, soluet *triginta* siclos, facta sibi condonatione aliorum viginti propter sexus imbecillitatẽ. *A quinto autem anno vsque ad vigesimum*, siue quis se ipsum voueat, siue filij etiam vsu rationis expertes à parentibus voueantur, *masculus dabit viginti siclos*, seu ipsi patres vouentes pro filio eiusmodi pretium dare compellentur; *fœmina decem* propter rationem superius assignatam. *Ab vno mense, vsque ad annum quintum*, quæ est minima omnium ætas, *pro masculo* promisso à parentibus cultuique diuino dicato *dabuntur quinque sicli: pro fœmina tres*, vt in quauis ætate discrimen maris & fœminæ in exhibitione

Marginal note: † *De pœnit. dist. 1. an. c. quem pœnitet. §: itẽ quod donum.*

bitione pretij conspiciatur. *Sexagenarius & vltra*, qui postremam attingit ætatem, & ad decrepitam tendit, si fuerit *masculus dabit quindecim siclos*: si vero fuerit sexagenaria *fœmina decem* tantum dabit pro voti à se præstiti redemptione. *Si pauper fuerit* is, qui se vel filium paruulum voto constrinxit, *& æstimationem*, seu pretium lege æstimatum & taxatum *reddere non valebit*, nolo vt integri pretij solutio
III. ne grauetur, sed *stabit corā sacerdote* 3 summo, & principe eorum, qui ministrare solēt in minoribus rebus, cui suam manifestabit paupertatem, *& quantum ille æstimauerit* diminutione facta pretij à lege taxati, *& viderit eum posse reddere* commode & absque magna molestia *tantum dabit*, neque ad plus tenebitur; ne rigida voti exactio arceat pauperes à vouendo, indeque diuinus cultus minuatur. *Animal autem, quod immolari potest Domino* estque vnum ex his, quæ in superioribus sacrificiorum legibus exiguntur, si *quis vouerit*, Deoque promittēdo applicuerit, *sanctum erit*, ita vt in profanos vsus nulla ratione conuerti debeat, vnde *& mutari non poterit*, quantū ad hoc vt detur aliud animal pro illo, qualecunque sit illud, *idest*, *nec melius malo*, *nec peius bono*, quia nec maioris pretij quàm sit illud quod promissum est, neque etiam minoris pretij, quàm sit animal Deo deuotum. *Quod si mutauerit*, dederitque vnum pro alio, *& ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratū erit Domino*, ac proinde vtrumque soluere tenebitur; vel quia vtrumque successiue est Deo dicatum, vel in pœnam suæ auaritiæ, qua renuit reddere Domino vota sua. *Ani-*
B. *mal immundum*, seu quodcumque aliud, *quod immolari Domino non potest* propter inhabilitatem ad sacrificium, quam habet, siue ratione propriæ speciei & naturæ, siue per accidens ex contactu rei immundæ, vel ex aliqua macula *si quis vouerit*, *adducetur* eiusmodi animal voto promissum, *ante sacerdotem qui iudicans* cauteque discernens *vtrum bonum*, nempe magni valoris, *an malum sit* seu minimæ æstimationis *statuet pretium*, pro quo vendi debeat animal deuotum. *Quod si dare voluerit is, qui offert*, æquum est, vt cæteris emptoribus præferatur: verumtamen *addet supra æstimationem*, & supra pretium constitutum à sacerdote *quintam partem*: eo quòd emptio facta ab ipso vouente est irreuocabilis: secus autem esset, si animal illud ab alijs extraneis emeretur, quia tunc à sacerdotibus ipsis posset emptio illa rescindi: rationi igitur congruit, vt plus pretij detur pro re, quæ simpliciter emitur, quàm pro re, quæ emitur cum pacto de retrouendendo vel ad tempus. *Homo si vouerit domum suam &* quod cōsequens est domum promissam *sanctificauerit Domino*, diuisisque vsibus applicuerit; tunc cum domus immolari nequeat, *considerabit eam sacerdos*, qui rerum ad diuinum cultum pertinentium moderator esse debet & iudex *vtrum bona*, seu digna magna pretio, *an mala* minimoque pretio æstimabilis *sit*, *& iuxta pretium*, *quod ab eo* sacerdote, quem vouens ipse delegerit, *fuerit constitutum*, *venundabitur*, ne videantur sacerdotes vota populi in proprios tantum vsus conuertere, si possessiones Deo oblatas absq; vlla carū immutatione secum retineant: *sin autem ille, qui vouerat, voluerit redimere eam* domum, quam Deo promiserat, *dabit quintam partem æstimationis supra* pretium taxatum à sacerdote, *& habebit domum*: nec mirum quod plus pretij teneatur soluere dominus rei, quàm extraneus emptor: quia emptio ipsius firmior est & securior, quàm si possessio ab alijs fuisset comparata. *Quod si agrum possessionis suæ* pertinentem ad sortem propriæ tribus, & à maioribus suis possessum, quis *vouerit & consecrauerit Domino*, æstimari etiam debet à sacerdote, non tamen prolibito, sed *iuxta mensuram sementis æstimabitur pretium* supposita æquali terræ fertilitate seu sterilitate: *Si triginta* verbi gratia *modijs hordei* nempè vno coro sementis, *seritur terra*, *quinquaginta siclis*, *venundetur argenti*: ita vt siclus & duæ tertiæ sicli singulis modijs sementis hordei correspondeant: quod proportionabiliter in taxatione eiusmodi agrorum obseruare oportet. *Si statim ab anno incipientis iubilei vouerit agrum*, vel rem aliam immobilem, quæ in anno iubilei redire debet ad pristinum possessorem, *quanto valere potest*, ex eo quod multum temporis superest vsque ad annum iubilei, *tanto æstimabitur*: æquum enim est vt in pretij æstimatione etiam ratio temporis, quod superest vsque ad iubileum, habeatur: *sin autem post aliquantum temporis*, quis agrum Deo voueat, *supputabit sacerdos*

pecu-

pecuniam iuxta annorum, qui reliqui sunt numerum vsque ad iubileum, & quia ex acquisitione eiusmodi rei minus commodi cedit emptori, *detrahetur ex pretio* iuxta diminutionem temporis, quod restat vsque
C. ad iubileum. *Quod si voluerit redimere agrũ ille, qui vouerat,* prout redimere permittitur, antequam alijs de populo tradatur, *addet quintam partem æstimatæ pecuniæ,* vltra pretium, in quo æstimata est res à sacerdotibus, *& possidebit eum,* tanquam totaliter suum vsque in æternum. *Sin autem noluerit redimere* agrum vel domum, statim vt votum emisit, *sed alteri cuilibet fuerat venundatus* is qui emit, non habebit licentiã redimendi, seu retinendi in perpetuũ agrũ emptum; quoniam *vltra eum, qui vouerit, redimere non poterit,* sed semper manebit obnoxius ager ille peculio sacerdotum: *quia cum iubilei venerit dies,* non redibit ager sic venditus ad potestatem eius, qui vouit, neque ad potestatem alicuius domini temporalis, prout redire solent res inter ipsos ciues distractæ, sed ager ille *sanctificatus erit Domino,* Deique ministris applicabitur, & quasi res diuinis tantum seruitijs mancipata *& possessio cõsecrata ad ius per-*
IIII. *tinet sacerdotum,* 4 non secus atque cum quis vendit aliquam rem immobilem, ex eo, quod sua est rehabet eam in iubileo. *Si ager,* quem quis voto Deo donauerit, *emptus est, & non* per hæreditariam successionem acquisitus ad modum, quo acquirũtur ea, quæ fuerunt *de possessione maiorum,* si is inquam ager *sanctificatus fuerit Domino,* eique per votum consecratus, *supputabit sacerdos* agri valorem habita ratione temporis, quod interest vsque ad iubileum, eo enim dumtaxat tempore vouens percipere poterat fructus agri pretio empti, & æstimabit *iuxta annorum numerum,* qui supersunt *vsque ad iubileum, pretium* iustũ, quod valere potest ager, *& dabit* eiusmodi pretium à sacerdote supputatum *ille, qui vouerat eum Domino:* & ager apud vouentem manebit vsque ad annum iubilei: *in iubileo autem reuertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum,* seu gratis donauerat; eadem enim lex est de vendente ac de donante quantum ad recuperationem in iubileo rei immobilis, quam possederat, *& habuerat in sorte possessionis suæ,* etiam si eiusmodi res ab alio sit per votum Deo sanctificata. *Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur:* nõ quod siclus iste diuersum habeat valorem à siclo vulgari, sed quia in sanctuario seruari debet verum ac legitimum huius monetæ põdus ne à falsarijs adulterari queat. † *Si- | † Exod.*
clus viginti obolos habet vocatus alio no- *30. b. 13*
mine stater, vel statera, duasque drachmas *Num. 3.*
Hebraicas, seu quatuor Atticas continet. *g. 47.*
Primogenita, quæ ad Dominum pertinent 5 *Ezech.*
totaliter & omnino, qualia sunt primo- *45. d. 12.*
genita pecorum, quæ immolari praci- *12. q. 2.*
piuntur, *nemo sanctificare poterit, & vo-* *c. nulli.*
uere, cum inane sit tale votum, & nullus V.
inde nouus Dei cultus nascatur: quæ enim immolanda veniunt *siue bos, siue ouis fuerit, Domini sunt,* secundum se tota; vnde vltra immolationem, cui ratione primogenituræ subduntur, nihil remanet in
eis, quod voto promitti queat. *Quod si im-* D.
mundum est animal primogenitum, quod offerendum venit, ac proinde ineptum ad immolationem, qualia sunt iumenta seu bestiæ, *redimet qui obtulit;* nam vel commutabit oue, vtpote si sit primogenitus asini, vel soluet pretium eius, nempe id quod valet animal *iuxta æstimationem tuam, &* prout sacerdos taxauerit, sed vlterius *addet quintam partem pretij,* ne spes recuperandi faciliter propriam rem, diminuat in vouente vouendi meritum: cæterum *si redimere noluerit, vendetur alteri quantocunque à te fuerit æstimatum,* & pretium illud in vsus sacerdotum conuertetur.
† *Omne quod Domino consecratur* 6 per *† Iosu. 6.*
votum execrationis, ad hoc vt in testimo- *c. 17. &*
nium diuinæ iustitiæ aliquid intereat & *d. 25.*
destruatur, *siue homo fuerit, siue animal, siue* VI.
ager taliter Domino consecratum *non vendetur, nec redimi poterit,* sed omnino destructur, ac legem subibit anathematis. *Quidquid semel fuerit consecratum* per modum execrationis ad ostensionem diuinæ iustitiæ *Sanctum sanctorum erit Domino:* instar enim rerum sanctissimarum nullatenus ad vsus humanos conuerti licet, sed penitus deleri ac destrui: *Et omnis consecratio quæ offertur ab homine,* seu res, cuius destructio Deo dicatur, *nõ redimetur,* prout rediguntur res, quæ per votum æstimationis offeruntur Deo, *sed morte morietur,* seu fun-
ditus destruetur in signum diuinæ vltionis, *† 16. q.*
ad quam vota ista execratoria ordinan- *7. c. 1. c.*
tur. † *Omnes decimæ* quæ obueniunt de *omnes decimæ, de*
fructibus *terræ, siue de frugibus, siue de po-*
mis arborum, Domini sunt iure speciali, ob *Decim.*
eam causam quòd Deus eas sibi reseruauit, *c. 1.*

& illi sanctificatur, atq; ministrorũ eius seu Leuitarũ victui dedicatur. *Si quis autẽ voluerit redimere decimas suas*, cum hæ redẽptibiles sint, & vẽdi posśint, dabit totũ valorem decimarũ iã collectarum, & insuper *addet quintã partem earum*: ne appetitu repetẽdi decimas suas quisquã teneatur, sed ad eas libẽtius exoluẽdũ charitate pretij inuitetur. *Omniũ decimarũ bouis & ouis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt*, eiusque regimini subduntur, & à pastore custodiuntur, *quidquid decimum venerit*, seu decimum obtinuerit locum in sigillata earum enumeratione *sanctificabitur Domino*, & quasi sanctum in iura Leuitarum transiet. *Non eligetur nec bonum nec malum*, nec fiet discrimen inter pingue & macilentum, *nec altero commutabitur*; sed quod sorte contigerit dabitur. Cæterum *si quis mutauerit* animal veniens decimo loco, volueritque pro eo aliud dare in pœnam suæ auaritiæ amittet vtrumque: nam *& quod mutatum est, &* animal illud *pro quo mutatum est*, à potestate sui posseśsoris segregatum *sanctificabitur Domino, & non redimetur*, sed absque retractatione iuri & dominio Leuitarum cedet. *Hæc sunt præcepta*, quæ in libro isto Leuitici vna cum præceptis contentis à vigesimo capite Exodi vsque ad finem, & à primo capite Numerorum vsque ad decimum eiusdem libri caput, *mandauit Dominus Moysi*, seu dedit intra spatium vnius anni, vt illa exponeret *ad filios Israel*: mandauitque ea Dominus *in monte Sinai*, vbi castrametatus est populus Israel à tertio die tertij mẽsis anni primi egreśsionis Israel de Terra Ægypti, vsq; ad vigesimã diẽ mensis secundi, anni secundi eiusdẽ egreśsionis.

ANNOTATIONES IN CAPVT XXVII.

I. *Anima multa significat in sacris literis.*

ANimam suam.] Multipliciter sumitur hæc vox anima in sacris literis, vno modo pro forma quæ dat esse viuẽtis corpori; vt Genes. 1. In quibus est anima viuens, vt habeant ad vescẽdum: & cap. 35. Egrediente autem anima præ dolore. Sumitur etiam pro ipso corpore, qui prius animam habuerat, iuxta phrasim scripturæ, qua mutatis rebus pristinũ nomẽ solet interdũ cõseruari: vt Numer. 9. semel atque iterum vocantur immundi super animam hominis, qui ex contactu corporis mortui immunditiá contraxerát. Interdum accipitur anima pro vita humana, iuxta illud Iob. 2. Pellem pro pelle & cuncta quæ posśidet dabit homo pro anima sua. Sed frequẽtior est significatio, qua anima sumitur pro ipso homine: vt paśsim videre est in sacris literis. Et in hoc sensu existimo vsurpari in præsenti anima: ita vt idem sit spondere Deo animam suam, quod vouere seipsum, vt in paraphrasi exposuimus. Ponitur autẽ primo loco votũ istud, quia est excellentius cæteris omnibus, quæ ab homine fieri posśunt: vtpote in quo tanquam in causa & radice cõtinentur quæcũque homo vouere potest, & præstare. Est tamen maximopere obseruandũ circa votum istud, ac reliqua quæ in hoc capite referuntur, quòd quãuis redẽptio seu cõmutatio eorum, saltẽ quantum ad speciales circunstãtias, pertineat ad ceremonialia, vel iudicialia legis, quæ aduentu & morte Christi cessarunt: nequaquã tamen huius generis sunt vota ipsa, ac vis obligandi, quæ illis inest; prout palam mentitus est Petrus Martyr, cuius vesaniæ meminit Gabriel Prateolus in catalogo hæreticorum. Ille namque hæreticus omnia omnino vota Christianis interdixit, eo quod vouẽdi ratio per Christũ fuerit sublata, sicut & aliæ legis ceremoniæ in hoc libro hucusq; cõtentæ, eo quod vota ad legis ceremonias pertinebant. Qui error refelli potest, primò ex illa prædictione Isai. cap. 19. Colent eum in hostijs & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluẽt. Hæc enim de Christianis prædicta esse D. Hieronymus, D. Cyrillus, & cæteri omnes in cõmentarijs huius loci apertisśime docent. Respondet prædictus hæreticus: Hæc quidem de Christianis dici, sed per vota & hostias non intelligi vera vota, verasque hostias, sed cultum spiritalem & Christianum. Dicit enim Isaiam cum Iudæis loqueretur, per ea, quibus tunc Deus colebatur, explicare voluisse cultum postea futurum; non enim aliter Iudæos intellecturos fuisse, quæ dicebantur. Sed refellitur hæc solutio; nam etiã si non habeamus easdem hostias, neque eadẽ vota, quæ Iudæi habuerunt, tamen si nulla haberemus, male explicuisset Isaias cultum Christianũ per hostias & vota: non enim explicatur aliquid per id, quod nullo modo ei simile est. Longe melius explicuisset per contradictorium, si dixisset: Non colent hostijs, nec vota vouebunt: tũc enim omnes intellexisśent, cultum quidem futurũm, sed nõ qualis tunc erat. Præterea idẽ error refellitur illa exhortatione Psal. 75. Vouete & reddite Domino Deo vestro: tametsi enim Petrus Martyr cõcẽdat, hæc Iudæis tantũ dici, tamẽ lõge aliud docẽt Sãcti Patres; ex quibus B. August. hũc locũ ita enarrat, nõ Iudæis, sed Christianis loquẽs: Quisq; quod potest voueat, reddat, & nõ sitis pigri ad vouẽdũ: non enim viribus vestris implebitis. Omnia quoq; testimonia & argumenta, quæ à doctoribus Catholicis proferuntur ad probãda vota monastica esse licita, huc etiam referri posśunt.

Vouendi ratio nõ fuit sublata per Christũ.

II. *Siclus argẽti idẽ quod argẽteus.*

QVinquaginta siclos argẽti.] De vero sicli valore & de cõmẽsuratione illius ad siclũ Sãctuarij multa diximus Exo. 30. annot. 4. Vltra quæ obseruãdũ est Septuaginta Interpretes hoc in loco pro quinquaginta siclis argẽti posuisse quinquaginta didrachmas, eodẽ modo loquẽtes de argẽteo, atq; de siclo: si quidẽ vtrumq; appellarũt didrachmũ, nõ solum hic, sed etiã Exo.

30. &

30. & sup. cap. 13. huius libri. Et eorum sententiæ innititur Vulgata editio Latina 2. Reg. 18. Vbi per siclos argenti & per argenteos videtur idem significare. Et hoc ipsum sentit Pater Fràciscus Ribera in cap. 8. Amos, affirmans argenteum Hebræum pependisse duas drachmas Atticas: quamuis oppositum senserat in caput tertium Osee: vbi autoritate Bedæ, & Alciati probauerat, argenteum eiusdem fuisse ponderis & pretij, ac drachmam Atticam, & denarium Romanum, vt argenteus fuerit æqualis fermè pretij, ac Iulius Romanus, & Real Hispanicum. Verùm partim ex ipsa sacra scriptura, partim ex interpretatione Iosephi & D. Hieronymi, quos in dicta annot. 4. retuli, eosque meliores censeo istius modi rerum, quæ erant in vsu Hebræorum, interpretes, quam Budæum & Alciatum, secus existimare oportet.

III. *Commutatio votorum solum pertinebat ad summum sacerdotē.*

STABIT coram sacerdote.] Ex ipsa conditione rei, quæ in præsenti capite indicitur sacerdoti (quæ proculdubio grauissima est) satis probabiliter colligitur, per sacerdotem in hoc capite toties in singulari numero repetitum debere intelligi summum sacerdotem: etenim commutationes votorum, de quibus in præsentiarum agitur, res sunt magni momenti, & ad quas ipsorum prælatorum autoritas necessario requiritur, vt late probant scholastici doctores cum D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 10. non igitur est mirum quod in lege veteri negotium illud & arbitrium necessarium ad commutandum vota fuerit reseruatum soli pontifici. Cuius non leue indicium est, quod in præsenti capite quando memoratur ius pertinens ad minores sacerdotes, vtitur scriptura voce numeri pluralis: vt inferius quando agitur de possessione agri venditi, de qua dicitur, quod ad ius pertinet sacerdotum. Quando verò agitur de supputatione pecuniarum, quas dare oportet in commutationem votorum, vtitur Moyses voce numeri singularis: idque proculdubio ad insinuandum pontificem, seu summum sacerdotem eo tempore nō nisi vnicum extitisse simul, nempe Aaronem, vel qui ex eius posteris in demortui locum primogenitus succederet: sicut factum constat in sex primis sacerdotibus ab Aarone vsque ad Ozi; quorum nomina referuntur lib. 1. Paral. cap. 6. Neque huic summi sacerdotij vnitati vel singularitati obstat, quod in nonnullis noui testamenti testimonijs insinuatur tempore aduentus Christi Domini habuisse Israelitas plures sacerdotes magnos. Vt videre est Luc. 3. ibi: sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, factum est Verbum Domini ad Ioannem. Quibus verbis aperte indicari videtur vtramque simul & eodem tempore Pontificatum gessisse. Et Marcus cap. 14. inquit: Adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem Caipham: summi verò sacerdotes quærebant aduersus Iesum testimonium. Si enim vnus Caiphas erat summus sacerdos, quos appellat Euāgelista summos sacerdotes? Imo in historia Dominicæ passionis frequenter dicitur: Summi sacerdotes & principes sacerdotum conuenerūt, & cætera. Bifariam igitur possumus istis autoritatibus respondere. Primo si dicamus ad talem statum iam summum sacerdotium peruenisse, vt non solùm annis essent sacerdotes, sed frequentius etiam mutarentur, prout videbatur Romanis principibus, qui Rempublicam illam administrabant, vt testis est Iosephus lib. 18. Antiquitatum, cap. 4. & lib. 22. Ex qua assidua & frequenti sacerdotum mutatione noua consuetudo inducta fuit, vt qui semel per annum, vel per tempus aliquod Pontificatum gessissent; quamuis dignitatem relinquerent, Pontificis tamen nomē non amitterent, sicut qui apud nos Episcopatui renunciat, Episcopi nomen nō amittit: quod ita fuisse constat ex Iosepho, qui lib. 2. de bello Iudaicō bis aut ter diuersis capitibus Pontifices appellat eos, qui pontificatu functi fuerant, quamuis tunc non essent pontifices. Dico ergo loca superius adducta non probare eodem tempore Annam & Caipham fuisse vtrumque summum Sacerdotem, sed Ioannis prædicationem sub vtriusque sacerdotio completam esse. Vnde Luc. 22, dicitur de Domino Iesu, Comprendentes eum duxerunt illum ad domum Principis sacerdotum. Quæ verba indicant vnum fuisse tunc summum Sacerdotem, in cuius domum ductus fuit Dominus; alioquin si duo essent, Euangelista nomen eius expressisset, in cuius domum ductus fuerit. Insuper Ioannis Vndecimo dicitur de Caipha: Cū esset pontifex anni illius, prophetauit: quibus verbis ostenditur saltem eo tempore Caipham solùm pontificatum administrasse; Annam verò superioribus annis prædicationis Baptistæ & quamuis alij essent, qui fuerant etiam summi sacerdotes, non illorum, sed solius Annæ mentio fit, quia erat socer Caiphæ: propterea etiam inter omnes, qui fuerant summi sacerdotes, solûm ad Annam ductus est Dominus.

An fuerint vnquam simul duo sacerdotes magni.

Annas & Caiphas nō fuere simul summi sacerdotes.

Secundo potest responderi scripturam interdum vocare Principes sacerdotum, & summos sacerdotes eos, qui erant præpositi & præfecti alicui ex viginti quatuor classibus, in quas Dauid distribuit omnes sacerdotes. Etenim Dauid, qui in rebus ad diuinum cultum spectantibus solertissimus fuit, tantam suo tempore inuenit multitudinem sacerdotum ex Eleazaro & Ithamar propagatam, vt necessarium duxerit illos omnes ad ordinē aliquem redigere, ne multitudo hæc aut in ministerijs confusionem, aut inter ministros contētionem pareret. Eos ergo, qui ex Eleazari prosapia reperit, in sexdecim Classes distribuit; illos verò, qui ex Ithamaro originem ducebant, in octo, & singulis præfecit Principē vnū, ipsammet classem à Principe illo denominans. Illos itaque viginti quatuor classibus præpositos, appellat scriptura Principes sacerdotum, & summos sacerdotes. Et hac ratione intelligendum est, quod de Principibus sacerdotum 1. Esdr. cap. 8. Imo & ipse Esdras, qui nunquam fuit summus sacerdos, Princeps sacerdotum dicitur, quia vnius classis princeps fuit. Tales etiam fuere Ioannes & Alexāder; de quibus Act. 4. & deniq; Scæua de quo Act. 19.

Qui dicātur Principes sacerdotū & summi sacerdotes.

Digitized by Google

IIII. *Vota domorũ & agrorum cedebãt in cõmodum Leuitarũ.*

AD ius pertinent sacerdotum.] Contra præsentis loci dispositionem, vbi cauetur, vt agri, & domus, ac cætera bona immobilia, quæ vouerint filij Israel, si statim vt emissum est votum, non fuerint à vouente redempta, cedant in ius sacerdotum, nonnulla obstare videntur. In primis quia filijs Leui interdicta est omnis possessio inter filios Israel, præcipiturque, vt decimarum oblatione contenti sint. Vt patet Num. 18. ergo inhabiles existebant ad possessionem rerum immobilium, quæ vouebantur. Præterea nam possessiones filiorum Israel nequibãt de vna in aliam tribum transferri, ne sortes confunderentur; obquam causam diximus fuisse præceptum superius cap. 25. vt in anno Iubilei omnis venditio rediret ad dominũ, & ad possessionem pristinam. Respondetur nihilominus primum inconueniens nullatenus militare contra legem hoc in loco latam: nam agri & domus, seu cæteræ possessiones voto promissæ, nec tamen à proprijs dominis redemptæ, non manebant apud Leuitas, ita vt ab eis colerentur, & possiderentur: quod ipsis interdictum erat, sed semper vendebantur, & cum reuerterentur in Iubileo ad illos, iterum vendebantur, & sic Leuitæ nunquam possidebant res immobiles aliarum tribuum. Neque etiam secundum inconueniens imminet; tenebantur enim Leuitæ vendere possessiones Deo deuotas illis dumtaxat, qui erant de tribu eius, qui eas deuouerat; quo stante nullatenus sortes tribuum confundi poterant. Maximè quòd filij Israel videntes quod si rem voto traditam non statim redimerent, & transiret ad alterum, numquam eam poterãt amplius recuperare, sed manebat apud illum, qui illam emebat vsque ad iubileum, postea autem redibat ad sacerdotes, à quibus iterum vendebatur vsque ad sequens iubileum, nitebantur quãtum poterãt, vt res immobiles, quas vouissent, redimerent. Vtque id cõmodius fieret, sacerdotes taxabant res in minimo pretio, ne Israelitas à vouendo arcerent, prout arcerentur, si pretiũ superabundans pro redemptione rerum, quas vouissent, dare cogerentur.

V. *Primogenita sacrificijs apta voueri non poterãt bene tamen inepta.*

QVAE ad Dominum pertinent.] Quòd in hoc loco loquatur scriptura de primogenitis dũtaxat mundis, & quæ immolari possunt, de eisque tantum primogenitis, & non de alijs interdicantur vota, ostendit alterũ diuisionis membrum, quod mox subiungitur, quando dicitur: Quod si immundum est animal. Vbi nomine immundi cætera omnia primogenita sacrificijs inepta comprehenduntur, atque hæc voueri, & post votum redimi permittuntur. Vnde Samuel quamuis primogenitus esset matri suæ, nibilominus Deo fuit per votũ oblatus, vt habetur 1. Reg. 1. & quod votum de illo ratum fuerit ac validum docuit diuturna ab ipso Samuele eiusmodi voti admissa obseruatio & adimpletio.

VI. *Etiã potest fieri votũ de actu iustitiæ punitiuæ.*

OMNE quod Domino consecratur.] Huc usque sermo habitus est de votis, quæ fiunt de rebus in pretio habitis & æstimatis: modo autem agitur de votis, quæ fiunt de rebus exosis, & odio prosequutis. Sicut enim intuitu diuinæ bonitatis, & potẽtiæ, & ad gratiarũ actionẽ pro beneficijs susceptis, solet quis rẽ maximopere dilectã Deo vouere iuxta illud Ps. 25. Vouete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera: Ita aliquãdo in cõmendationẽ diuinæ vltionis potest homo interitũ & destructionẽ alicuius rei voto promittere: prout populus Israel debellaturus Chananæum voto se Domino obligãs promisit dicens: Si tradideris populũ istum in manu mea, delebo vrbes eius: vt habetur Numer. cap. 21. De hoc igitur secũdo votorũ genere loquitur scriptura in præsenti, vt cõstat ex voce Hebraica Herẽ, quæ hic ponitur pro cõsecrari; Herẽ enim designat nõ quodvis cõsecratũ, sed illud, quo ad Dei vltionẽ quasi execrãdo destruitur, & quod taliter ab vsibus humanis arcetur, vt omnino debeat perire & exeidere. Vnde interpres vulgatus hanc eandem vocẽ Herẽ, Iosue. 6. trãstulit anathema, ibi: Sitq; ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt Domino. Herem enim deducitur ab Haram, idest, occidit, euertit, destruxit.

PARA-

PARAPHRASIS

INTERTEXTA EDITIONI VVLGATÆ IN LIBRVM NVMERORVM DICTVM HEBRAICE VAIEDABBER.

PER EVNDEM P. M. F. PETRVM VINCENTIVM de Marzilla, congregationis Benedictinæ Hispaniarum.

ARGVMENTVM IN CAPVT I.

¶ Numerantur Israelitæ in deserto Sinai à Moyse, & Aarone, duodecimque principibus Israel, & inuenti sunt à vigesimo anno completo virorum fortium sexcenta tria millia quingenti quinquaginta ex omnibus tribubus, exceptis Leuitis, quos vna cum alijs de populo noluit Deus numerari: imò neque sub quoquam illorum vexillo castrametari.

PARAPHRASIS IN CAPVT I.

A. LOCVTVSQVE *Est Dominus ad Moysen* vltra ea, quæ ad ordinationem populi quantum ad Dei cultum spectant, quorum in libro præcedenti facta est mentio, ea quoque, quæ conuictum, mutuamque populi conuersationem ordinant, & componunt: idque *in deserto Sinai*, non quidem super verticem montis, sed ad eius radicem, scilicet in castris, existente Moyse *in tabernaculo fœderis*, vbi tabulæ continentes pactum initum inter Deum & filios Israel asseruabantur: *prima die mensis secundi*, vno videlicet mense completo ab erectione tabernaculi, *anno altero*, elapsisque integro anno ac quindecim diebus *egressionis eorum ex Ægypto:* tunc namque vt ordinate incedere posset populus per desertũ iussit Dominus *dicens:* † *Tollite summam*, seu breuem quandam multorum numerorum complexionem *vniuersæ congregationis*, seu omnium tri-

† *Exo. 30. b. 12*

buum *filiorum Israel*, 1. sub cuius congre- I.
gationis appellatione nequaquam veniunt
intelligendi Leuitæ. Fiet verò numeratio
ista non solum *per cognationes*, 2 *& do-* II.
mos suas, scilicet per tribus ac familias; verum etiam per capita, *& nomina singulorum*: numerabitis autem non fœminas, sed *quidquid sexus est masculini à vigesimo anno & supra*, seu quidquid habuerit viginti annos expletos *omnium virorum for-*
tium 3 *ex Israel*, viros scilicet illius æta- III.
tis, quæ necessaria est ad militiam, & corporis robur, *& numerabitis eos per turmas suas* facientes prius computationem tribuum, & familiarum, *tu & Aaron*, qui esse debetis principales numeratores. *Eruntque vobiscum*, quasi coadiutores & ministri vestri, *principes tribuum, ac domorum*; vt ex relatione, & directione primogenitorum congregationis commodius fiat populi descriptio: primogeniti enim dicuntur esse principes, *in cognationibus*, seu tribubus *suis*: *quo-*

Digitized by Google

B. *rum ista sunt nomina. De Ruben, Elisur filius Sedeur. De Simeon, Salamiel filius Surisaddai, de Iuda Nahasson, filius Aminadab, de Issachar, Nathanael filius Suar, de Zabulon, Eliab filius Helon. Filiorum autem Ioseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud, de Manasse, Gamaliel filius Phadassur, De Beniamin, Abidan filius Gedeonis, de Dan, Ahiezer filius Ammisaddai, de Aser, Phegiel filius Ochran, de Gad, Eliasaph filius Duel, De Nephthali, Abira filius Enan. Hi* quos modo recensui, erant *nobilissimi principes*, ac genere præcipui, & clariores totius Israeliticæ *multitudinis per tribus, & cognationes suas*, seu vnusquisque in tribu sua: erant etiam duces *& capita exercitus Israel: quos* quidem principes *tulerunt Moyses & Aaron*, vt numerari possent *cum omni vulgi multitudine*, & debito ordine dispositos *congregauerunt primo die mensis secundi* prædicti anni secundi egressionis populi de Ægypto: eo enim ipso die, quo Deus præceptum dederat, cœperunt Moyses & Aaron executioni mandare Israelitarum numerationem *recensentes eos per cognationes*, seu tribus suas, *& domos, ac familias, & capita*: & facta computatione vniuersorum tam in communi, quàm in particulari, describentes *nomina singulorũ à vigesimo anno, & supra, sicut præceperat*

C. *Dominus Moysi. Numeratique sunt in de-*

IIII. *serto Sinai*. hac secunda vice tot viri Israelitæ, quot fuerant recensiti prius in eodem deserto, antequam tabernaculum con-

.II structeretur, videlicet. *De Ruben primogenito Israelis* secundum ætatem, quamuis non primogenito secundùm dignitatem, facta numeratione *per generationes & familias; ac domos suas, & nomina capitum singulorum*; inuentum est, quòd *omne quod sexus est masculini à vigesimo anno*

.III *& supra, procedentium*, seu valentium, quantùm est ex sufficientia ætatis, procedere *ad bellum*, fuit in numero, & multitudine *quadraginta sex millia quingenti* viri, vna cum senibus, cæterisque prouectæ ætatis imbecillibus. *De filijs Simeon*, qui sub vexillo Rubenitarum castrametabantur, *per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina & capita singulorũ, omne quod sexus est masculini à vigesimo anno & supra, procedentium ad bellum quinquaginta nouem millia trecenti. De filijs Gad*, qui vna cum Rubenitis & Simeonitis plagam castrorum meridianam postea occuparunt, facta eorum omnium computatione *per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum, recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis & supra omnes, qui ad bella procederent, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. De filijs Iudæ* erigentibus vexillũ in parte Orientali *per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum per nomina singulorum à vigesimo anno & supra omnes, qui poterant ad bella procedere, recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti. De filijs Issachar* vexillum Iudæ concomitantibus *per generationes & familias ac domos cognationum suarum per nomina singulorum à vigesimo anno & supra omnes, qui ad bella procederent, recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti. De filijs Zabulon* Iudæ etiam so- D.
cijs, *per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & supra omnes, qui poterant ad bella procedere, quinquaginta septem millia quadringenti. De filijs Ioseph filiorum Ephraim* tenen- E.
tibus vexillum occidentale *per generationes, & familias ac domos cognationum suarum, recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & supra omnes qui poterant ad bella procedere quadraginta millia quingenti. Porro filiorum Manasse*, qui erant socij tribus Ephraim, *per generationes & familias, ac domos cognationum suarum, recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis & supra omnes, qui poterant ad bella procedere triginta duo millia ducenti. De filijs Beniamin* socijs præcedentium in matre, & vexillo *per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra omnes, qui poterant ad bella procedere; triginta quinque millia quadringenti. De filijs Dan* partem castrorum Aquilonarem occupantibus *per generationes & familias ac domos cognationũ suarum, recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra, omnes, qui poterãt ad bella procedere, sexaginta duo millia septingenti*. De filijs F.
Aser militantibus sub vexillo Dan *per generationes, & familias, ac domos cognationũ suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vigesimo anno & supra omnes, qui pote-*

Digitized by Google

poterant ad bella procedere, quadraginta millia & mille quingenti. De filijs Nephthali socijs filiorum Dan & Aser *per generationes, & familias, ac domos cognationum suarum, recensiti sunt nominibus singulorum à vigesimo anno & supra omnes, qui poterant ad bella procedere, quinquaginta tria millia quadringenti. Hi sunt, quos numerauerunt Moyses & Aaron & duodecim principes Israel* diuidentes prius *singulos per domos cognationum suarum*, & postea numerantes vnumquemque in particulari. *Fueruntque omnis numerus filiorum Israel*, qui sigillatim & distinctè recensiti sunt *per domos, & familias suas à vigesimo anno & supra*; qui obinde ex defectu ætatis non impediebantur belligerare, sed *poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta*, exceptis Leuitis. *Leuitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis*: cum enim Aaron, & duodecim principes Israel dubitarent, an tribus Leui, quæ extra totius populi cœtum specialiter dicata erat cultui tabernaculi, numerari deberet simul cum reliqua populi multitudine, Moyses de re hac consuluit Do-

G. minum. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Tribum Leui noli numerare*, prout reliquos de populo te numerare oportet, *neque pones summam eorum cum filijs Israel*: cùm longe diuersum esse debeat vtrorumque munus, & officium; ac proinde nequaquam in certa, & determinata castrorum plaga sub speciali vexillo, prout cæteri Israelitæ metabuntur: *sed constitue eos super tabernaculum testimonij, &* etiam super *cuncta vasa eius, &* tandem super *quidquid ad ceremonias pertinet*: vt tam tabernaculi, quam vasorum eius, ac externarum ministrationum curam gerant singuli iuxta functionem suam. *Ipsi portabunt tabernaculum*, quando castra mouenda erunt, *& omnia vtensilia eius*, nempe vasa ministrationum sanctuarij: *& erunt in ministerio* intendentes diuino cultui in his, quæ lex vnicuique præscripserit: *ac per gyrum tabernaculi metabuntur*, figentes tentoria sua in circuitu atrij à parte exteriori illius: cui loco nullatenus alijs Israelitis patebit accessus. *Cum proficiscendum fuerit*, nube id indicante per recessum sui desuper sanctuarium, *deponent Leuitæ tabernaculum*, sumptisque vectibus, & cortinis, ac vasis vniuersis deferent ea per viam, & *cum castrametandum* fuerit in loco à columna nubis designato, iidem Leuitæ *erigent* iterum Sanctuarium secundùm debitum illius situm, & dispositionem: *quisquis externorum*, qui non fuerit de tribu Leui, ad aliquam harum functionum *accesserit, occidetur* ob temerariam ipsius præsumptionem. *Metabuntur autem*, seu ponent, vel situabunt *castra filij Israel*, populares scilicet, qui non sunt Leuitæ *vnusquisque per turmas, & cuneos, atque exercitum suum* in certo & determinato loco versus vnam, vel alteram orbis plagam præfixo. *Porro Leuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria* versus omnes mundi partes, *ne fiat indignatio* manus Domini *super multitudinem filiorum Israel*: nam proculdubio Dominus eis indignabitur, si vnusquisque in castrametatione non seruet situm sibi lege præscriptum: *& excubabunt in custodijs*, eruntque ipsi Leuitæ custodes *tabernaculi testimonij*, cauentes ne quispiam de populo ad illud accedat. *Fecerunt ergo filij Israel* tam populares quàm Leuitæ *iuxta omnia, quæ præceperat Dominus Moysi*: quamuis enim postea desciuerint ab executione earum rerum, quæ sibi in præsenti fuerunt imperatæ, inuidentes præminentiam & dignitatem Leuitarum & sacerdotum: modò tamen, quasi ros manè pertransiens, proposuerunt adimplere quæ illis erant diuinitus imperata, tam quoad populi, excepta tribu Leui, numerationem, quàm quoad castrametationem, castrorũque situationem.

ANNOTATIONES IN CAP. I.

I. *Sub nomine tribuũ Israel nõ cõprehẽdũtur Leuitæ, benè tamẽ sub nomine Israelitarũ.*

VNIVERSAE congregationes filiorum Israel.] Quando populus Israeliticus memoratur distinctè habita ratione suarum partium vel tribuum, ex quibus constat: vt quando exprimitur sub nomine congregationis vniuersæ, vel duodecim tribuum Israel, non comprehenditur tribus Leui: vt constat hic; vbi præcipitur numerari vniuersa con-

gregatio Israel, & tamen non numerantur Leuitæ: & inferius cap. 13. mittens Moyses duodecim viros singulos de singulis tribubus, nullum misit de tribu Leui: & cap. 17. huiusmet libri, dederunt Moysi omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron. Secus autem est, quando indistinctè, & in communi fit mentio Israelitarum, vel seminis Israel; quia tunc etiam Leuitæ comprehenduntur; vt quando fertur aliqua lex obseruanda ab Israelitis; eam namque tenentur Leuitæ quoque obseruare. Neque obstat contra prædictam regulam Ioannem Apostolum inter duodecim tribus Israel connumerasse tribum Leui Apocal. cap. 7. eo enim loco non intendit Diuus Ioannes exprimere duodecim tribus Israel, vel eos, qui appellatione duodecim tribuum veniunt intelligendi; sed intendit enumerare eos, qui ex omni tribu, lingua, populo, & natione salui fient in fine mundi, & omissa tribu Dan, ex qua nullus conuertetur, sed omnes Antichristo cognato suo pertinaciter adhærebunt, inquit, vltra eos, qui ex alijs tribubus Israel salui fient, saluandos duodecim millia ex tribu Leui, & innumeros ex alijs gentibus & linguis: vt super eum locum, si Deus dederit plura dicemus: interim vide Riberam optimè locum illum disserentem.

II. *Modus ennumerandi populũ Israeliticum.*

PER cognationes & domos suas.] Sæpe sæpius hæc verba in numeratione populi referuntur, ad insinuandum modum, quo facta fuit, & fieri oportebat ista Hebræorum descriptio: neque enim fieri debuit in toto Israel simul, ita vt educeretur vna summa solum de omnibus filijs Israel, quia hoc fuisset difficile, sed diuidebatur totus Israel in duodecim tribus, & tribus per familias, & familiæ per domos. Modus ergo computandi erat; vt acciperetur vna tribus, & computarentur in ea, quot essent familiæ; deinde in qualibet familia, quot essent domus; & tunc computatis viris cuiuslibet domus, sciebatur, quot essent viri in qualibet familia; & cognito numero familiarum, sciebatur, quot erant viri in qualibet tribu: & isto modo non poterat occultari quispiam, quin facilè pateret descriptioni.

III. *Viri bellatores vocãtur quicunq́ excedebant vigesimum ætatis annum.*

OMNIVM virorum fortium.] Viri fortes, & bellatores, & potentes procedere ad bellum, vocantur in sacris literis etiam milites emeriti, & quantumuis senes, qui scilicet ex defectu ætatis sunt inepti ad bellum; eo quod vel actu sunt apti ad militiam, vel aliquando fuerunt. Vnde quando Deuter. 2. dicitur Israelitas in deserto mansisse, donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris; certum est insinuari mortuos fuisse non solum eos, qui pugnare poterant tempore, quo Moyses misit speculari terram promissionis, sed etiam eos, qui ob senectutem erant tunc temporis impotentes ad prælium. Quo fit immerito Lyranum, & Caietanum, & alios dixisse hoc in loco non fuisse numeratos nisi viros à vigesimo anno vsque ad eam ætatem, vltra quam non poterant militiam exercere: si enim Legislator voluisset terminum præscribere ex parte maximæ ætatis, sicut præscripsit ex parte minimæ, id proculdubio verbis significasset: prout significauit in numeratione Leuitarum inferius cap. 4. præcipiens numerari Leuitas à trigesimo anno vsque ad quinquagesimum. Maxime cum hæc numeratio non fuerit facta in ordine ad bellum, vt optime probat Abulensis hic quæst. 14. sed ad capiendum mansiones, & ad politicam ordinationem; in qua re præsertim sepum habenda est ratio.

IIII. *Bis numerauit Moyses Israelẽ in mõte Sinai.*

NVMERATIQVE sunt in deserto Sinai.] Bis fuerunt Israelitæ recensiti in monte Sinai, & toties idem prorsus virorum numerus inuentus est in populo illo; ita vt neque vnus superesset, aut deesset. De prima numeratione fit mentio Exo. 38. quando in principio mensis sexti anni primi ab exitu de Ægypto, hi, qui transierunt ad numerum, obtulerũt donaria pro opere Sanctuarij. A qua computatione vsque ad istã, de qua in præsenti fit mentio, transierunt octo menses: & toto isto tempore populus Israeliticus in eodem statu permãsit, vel quia nullus eorum tunc temporis obijt, iuxta illud Psal. 104. Eduxit eos cum argẽto & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus: vel quia quamuis aliqui occumberent, alij tamen subrogabantur in numerum loco mortuorum pertingentes ad vigesimum ætatis annũ, qui ad numerationem virorum requirebatur.

ARGVMENTVM IN CAPVT II.

¶ Præfigitur ordo seruandus in situatione castrorum, qui talis fuit. Iudas, Issachar, & Zabulon partem oriẽtalem tabernaculi occupabant. Ruben, Simeõ & Gad versus meridiẽ manebãt. Ephraim, Manasses & Beniamin in occidente: & tandem Dan Aser & Nephthali in Aquilone castrametabantur. In quorum medio Leuitæ prope tabernaculum consistebant.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAP. II.

A. Locutusque est Dominus *De columna nubis, seu de ostio tabernaculi ad Moysen, & Aaron*, ministros ordinis, & dispositionis instituendæ in populi castrametatione *dicens: Singuli per turmas*, seu

I. cuneos *signa, atque vexilla*, 1 *& domus cognationum suarum castrametabuntur filij Israel*; ita vt facile discerni queat, quis nam ad quam tribum, familiam, ac domũ pertineat, ex signis & vexillis erigendis in populo: qua discretione seruata castra figent, *per gyrum tabernaculi fæderis*, non quidem prope atrium, qui locus destinatus est castrametationi Leuitarum; sed longius, quam Leuitæ; hos tamen & tabernaculum ipsum à longe in quadro cingentes. *Ad Orientem* in parte anteriori ipsius tabernaculi, *Iudas figet tentoria*, distribuens vniuersam tribum *per turmas exercitus sui*, cõferendo vnicuique familiæ, & domui proprium situm, & locum ad manendum. *eritque princeps* 2

II. *filiorum eius*, ac dux tribus suæ *Nihasson filius Aminadab*, vt pote originem ducens à Iuda per lineam primogenitorum, & ipse primogenitus existens, *& omnis de stirpe eius*, seu de cognatione, ac tribu sua extitit numerus, vel *summa pugnãtium, septuaginta quatuor millia sexcenti*,

III. 3 quæ fuit summa in eiusdem tribus numeratione descripta. *Iuxta eum castrametati sunt*, quotquot fuerant recensiti, *de tribu Ißachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar: & omnis numerus pugnatorum eius*, seu vniuersi pugnatores huius tribus fuerunt, *quinquaginta quatuor millia quadringenti*, iuxta numerum in capite præcedenti præfixum. *In tribu Zabulon*, qui simul cum Issachar sub vexillo Iudę reside bat, *princeps fuit Eliab filius Helõ. Omnis de stirpe eius exercitus pugnatorũ* seu omnes pugnatores ad exercitum Zabulonis pertinentes fuerunt, *quinquaginta septem millia quadringẽti. Vniuersi, qui in castris Iuda enumerati sunt* ad eiusque vexillum pertinebant, tam ex propria tribu, quam ex alijs duabus sibi coniunctis, *fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti: & per turmas suas primi egredientur*, quando ad motum columnæ debuerint moueri castra: tunc enim istæ tres tribus incedere debent priores: Iudas quidem in anteriore loco, deinde Issachar, & tandem Zabulon. *In ca-* B.
stris filiorum Ruben, quæ sub secundo vexillo sita esse debent *ad meridianam plagã* respectu tabernaculi testimonij *erit princeps Elisur filius Sedeur: & cunctus exercitus pugnatorum eius*, seu cuncti pugnatores huius tribus, *qui numerati sunt*, fuerũt numero *quadraginta sex millia quingenti* prout in principio huius libri numerati fuere. *Iuxta eum castramentati sunt* viri bellatores, qui erant *de tribu Simeon: quorũ princeps fuit Salamiel filius Surisaddai* militans sub vexillo Ruben, *& cũctus exercitus pugnatorum*, seu vniuersi pugnatores *eius, qui numerati sunt*, fuerunt numero *quinquaginta nouem millia trecenti. In tribu Gad* habente mansionem sub eodem vexillo Ruben in parte australi, *princeps fuit Eliasaph filius Duel: & cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt*, seu omnes numerati huius tribus fuerunt *quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. Omnes qui recensiti sunt*, de tribubus Ruben, Simeõ, & Gad, & erãt sub vexillo, vel *in castris Ruben* fuerunt numero *centum quinquaginta millia, & mille quadringenti quinquaginta per turmas suas*; & ordinate *in secundo loco*, nempe post tres tribus orientales *proficiscentur*, præcedente tribu Ruben, quam subsequetur tribus Simeon, & tandem tribus Gad eis sociabitur. *Leuabitur autem*, seu portabitur *tabernaculum testimonij per officia Leuitarum*, & prout vnicuique eorum competit ex officio, non quidem confuse, & indistincte, sed sigillatim per familias, *& turmas eorum*; ita vt in vna turma Caathitæ, in alia Gersonitæ, & in alia Meraritæ procedant, præcedentibus eos sex prædictis tribubus alijsque sex subsequentibus. *Quomodo erigetur* tabernaculum testimonij, quando manendum est in aliquo loco: *ita & deponetur*, quando migrandum fuerit, sicut enim dum erectum est tabernaculum, medium locum obtinent Leuitæ inter duodecim tribus: ita etiam quando deponitur ad faciendum iter, Leuitæ illud portantes medij incedent inter omnes tribus. *Singuli per loca & ordines suos proficiscentur*, non misti & absque distinctione. *Ad occidentalem plagam erunt castra filiorũ Ephraim* C.
tenentium tertium vexillum principale,

quorum princeps fuit Elisama filius Amiud. Cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, seu omnes pugnatores huius tribus ad nomina transeuntes, fuerunt *quadraginta millia quingenti. Et cum eis*, ac sub eorum vexillo castrametata est *tribus filiorum Manasse* fratris dignitate minoris ipsius Ephraim; *quorum princeps fuit Gamaliel, filius Phadassur. Cunctusque exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt*, & castra posuerunt, fuerunt *triginta duo millia ducenti*, iuxta computationē superius recensitam. *In tribu filiorum Benjamin*, quæ vna cum tribu Manasse sub vexillo Ephraim posteriorem tabernaculi partem obseruabat, *princeps fuit Abidan filius Gedeonis. Et cunctus exercitus pugnatorum eius, qui recensiti sunt* seu omnes eius pugnatores fuerunt *triginta quinque millia quadringenti. Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim*, tres prædictas tribus complectētibus, fuerunt *centum octo millia centum per turmas suas*, seu facta trium turmarum compositione, qui quidem in iter agē do *tertij proficiscentur*, nempe post vexilla Iudæ, & Ruben. *Ad Aquilonis partem castrametati sunt filij Dan* tenentes quartum vexillum principale, *quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai*, supra memoratus. *Cunctus exercitus pugnatorū eius, qui numerati sunt*, seu vniuersi huius tribus pugnatores fuerunt *sexaginta duo millia septingenti. Iuxta eum*, suo ipsius

D. Dan vexillo *fixere tentoria*, quotquot erāt *de tribu Aser: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran. Cunctus exercitus pugnatorū eius, qui numerati sunt*, omnes inquam fuerunt *quadraginta millia, & mille quingenti. De tribu filiorum Nephthali* habitantium cū Dan, & Aser *princeps fuit Ahira filius Enan. Cunctus exercitus pugnatorū eius*, seu omnes viri pugnatores fuerunt *quinquaginta tria millia quadringenti, Omnes qui numerati sunt in castris Dan*, custodientibus partem Aquilonarem tabernaculi, *fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti &* quantum ad ordinē mouendi castra *nouissimi proficiscentur, Hic* igitur est completus *numerus filiorum Israel*; non quidem vniuersorum, sed eorū dumtaxat, qui à vigesimo anno & supra recensiti sunt *per domos cognationum suarum & turmas diuisi exercitus*, qui scilicet in sufficienti ætate constituti discerni, & computari potuerunt ad formandos exercitus bellatorum: hi inquam fuere *sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. Leuitæ autem non sunt numerati inter filios Israel*, neque inter duodecim eorum tribus computati, sed longe superior habita est Leuitarum ratio: *sic enim præceperat Dominus Moysi*, vt scilicet non recenseret eos cum alijs de populo. *Feceruntque filij Israel iuxta omnia, quæ mandauerat Dominus*, quantum ad ordinem castrametandi, & proficiscendi. *Castrametati etenim sunt per turmas suas*, seruata debita dispositione tribuum, & cognationum: præterea quoque *& profecti*, + *per familias, ac domos* IIII. *patrum suorum*, nullatenus fregerunt ordinem familiarum diuinitus dispositum.

ANNOTATIONES IN CAP. II.

I. *Signa differūt à vexillis*

SIGNA Atque vexilla.] Dupliciter possunt verba ista intelligi: vno modo vt signa & vexilla ponantur tanquam duo distincta vt si dicamus vexilla esse regum, & magnorū principum, & quasi totius exercitus, signa vero esse, quæ miles, vel parua congregatio sibi eligit. Alio modo possunt accipi signum & vexillum, tanquam quod vnum sit expositiuum alterius, vtrumque tamen vnam & eandem rem significans. Prior modus magis placet: iuxta quem dicendum est Israelitas in castrametationibus distingui per signa & vexilla: ita quod essent quatuor vexilla primaria, tanquam regalia, sub quorum vnoquoque manebant tres tribus, secundum distributionem in hoc capite institutam: & nihilominus quælibet tribus, vel familia, vel domus in particulari habebant sua signa subordinata vexillo primario & principali: Quænam autem fuerint imagines, vel descriptiones signorum, vel vexillorum superfluū est indagare, ac proinde relinquendum inanibus Rabinorum studijs.

II. *Qui præstat alijs vel virtute, vel dignitate vocatur princeps in sacris literis.*

ERitque princeps.] Princeps, siue dux in sacris literis vocatur non solum, qui supremo in alios pollet imperio, sed etiam quicumque dignitate præ cæteris eminet, siue rex sit, siue militiæ princeps, vel dux, siue qui est in aliqua familia maximus & dignissimus. Vnde Genes. 23. filij Heth dicunt Abrahæ: Princeps Dei es apud nos. Non quidem ob imperium, sed propter virtutis & morum excellentiam. Et hac ratione, qui à Patriarchis per continuam primogenitorum lineam originem ducebant, inter Israelitas principes vocabantur ob insignem generis nobilitatem: videlicet Nahasson in tribu Iuda, & Nathanael in tribu Issachar, &

cæteri

cæteris qui in capite præcedenti, & in isto memorantur.

III. *Diuersa ratio numerationis populi, & in capite præcedenti.* Septuaginta quatuor millia sexcenti.] Cum inter ea, quæ dicta sunt præcedenti capite, & ea quæ dicuntur hic, non intercesserit aliquod tempus, cunctaque fuerunt simul executioni mandata, eædem summæ ponuntur hic quantum ad omnes tribus, & superius; sed supra ponebantur summæ ad hoc, quod sciretur numerus omnium Israelitarum: hic autem ponitur summa ad sciendum, quot erant sub quolibet vexillo. Vnde non solum apponuntur in hoc capite summæ singularum tribuum seorsim, & vna quædam alia complectens simul viros vniuersarum tribuum: sed etiam referuntur summæ aliæ quatuor continentes quaslibet tres tribus manentes sub eodem vexillo: quæ quatuor summæ, quia solum pertinebant ad castrametationem, non exprimuntur in capite præcedenti.

IIII. *Ordo in procedendo diuersus ab ordine castrametandi.* Et profecti.] Ex his verbis colligunt nonnulli eundem ordinem seruatum fuisse apud Israelitas in procedendo per viam deserti, atque in castrametando in locis mansionum. Dicunt enim quod sicut in situatione castrorũ vexillum Iudæ erat in parte orientali, & vexillum Ruben in parte meridiana, & vexillum tribus Ephraim in parte occidentali, & vexillũ Dan in parte septentrionali, cunctique Leuitæ in illorum omnium medio: ita similiter procedebant in via. Cæterum hæc sententia stare nõ potest: quia cum Leuitæ necessario esse debuerint in medio totius multitudinis, si ad duo ipsorum latera essent vexillum Ruben, & vexillum Dan, occuparent tam magnam latitudinem, vt nulla eos viarum amplitudo capere posset, cum tamen interdum oporteret eos subire loca angusta inter montes. Quapropter dicendum est, quod ordo in procedẽdo erat aliud quam in castrametando; nam in procedendo erant in longo agmine, in castrametando autem erant in modo quadrati: ac proinde in procedendo non obseruabantur differentiæ orientis, & Austri, & Occidentis, & Septentrionis, sed ordo prioris & posterioris, seu primi, secundi, & tertij; vt in hoc capite cauetur, & inferius cap. 10. quia sub ista forma facile, quodlibet vexillum poterat transire, quamcumque viam, quantumuis angustam, absque aliqua commistione familiarum. Qui ordo nequaquam obseruari poterat, si vexilla Ruben, & Dan processissent ad latera Leuitarum: quia tũc neutrum illorum procederet. Neque contra prædicta obstant verba finalia præsentis capitis, ibi, Castrametati sunt per turmas suas, & profecti per familias, ac domos patrum suorum. Quia in eis solum significatur, tam castrametationem, quam profectionem seruasse ordinem, & distinctionem familiarum & domorũ sub diuersa tamen figura quadrati & longi.

ARGVMENTVM IN CAPVT III.

¶ *Recensitis filijs Aaron sacerdotis, numerat Moyses reliquos filios Leui assignans simul locum castrametationis eorum: omnes enim eos manere oportebat prope tabernaculum; Geraritas quidem in parte occidentali; Caathitas ad meridianam plagam, Meraritas verò versus Aquilonem, & tandem Moysen, & Aaron ad orientem sanctuarij excubare decebat. Mandata est, deinde Moysi recensio Leuitarum non primogenitorum, vt eos pro primogenitis populi commutaret, quod & fecit:*

PARAPHRASIS IN CAPVT III.

A. 1. HÆ *sunt generationes*, 1 seu personæ contentæ sub stirpe *Aaron, & Moysi*, nempe sub tribu Leui, cui quasi principes præsident Aaron natu maior, & Moyses dux populi *in die, qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai*, quia enim personę Leuiticę familiæ superius recensitæ non sunt, hic eas numerare oportet. † *Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus eius Nadab, deinde Abiu, & Eleazar, & Ithamar. Hæc* inquam sunt *nomina filiorum Aaron sacerdotum*: eosque proprijs nominibus præ cæteris Leuiticæ tribus, & prius quã alios recensere oportet propter dignitatem sacerdotalem vt pote, *qui vncti sunt* sacro vnctionis oleo mixto sanguini arietino, *& quorum repletæ & con-* † Exo. 6. d. 23.

& consecrata manus per tinctionem sanguinis arietis, *vt sacerdotio fungerentur*, idoneique fierent ad munia sacerdotalia implendum. † *Mortui sunt enim Nadab, & Abiu, cum offerrent ignem alienum*, seu peregrinum à sacrificijs, qui cælitus missus non fuerat, *in conspectu Domini*, coram tabernaculo testimonij *in deserto Sinai absque liberis*, quos præueniente morte habere minime potuerunt: *functique sunt sacerdotio Eleazar, & Ithamar, coram Aaron patre suo*, absque aliorum sacerdotum consortio. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, & præcepit ei, vt Leuitas sanctificaret *dicens*: † *Applica*, seu à prophano Israelitarum cætu segrega *tribum Leui; & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, vt* ex officio ad id muneris parati *ministrent ei, & excubent*, vigiliasque faciant super custodia tabernaculi, ne aliquis de populo accedat ad sanctuarium; *& obseruent* opereque compleāt *quidquid ad cultum pertinet multitudinis*, scientes se positos esse, vt nomine ac vice totius populi cultum, ac reuerentiam exhibeant Deo, *coram tabernaculo testimonij*, per cuius gyrum castrametari eos oportet, *& custodiant vasa tabernaculi*, ac vtensilia eius, tam magna, quam paruæ *seruientes in ministerio eius*, 2 non quidem ministrando, sed executioni mandando ea, quæ ministrationi sanctuarij subordinantur, & ad eam præsupponuntur. *Dabisque dono Leuitas* 3 *Aaron & filijs eius*, vt eis omnino subdantur, *quibus traditi sunt à filijs Israel*. Israelitę namque edocti à Deo consenserunt tradi totam tribum Leui in ministeriū sacerdotum. *Aaron autem & filios eius*, nō solum, qui modo à te iam sunt sacerdotio initiati, verum etiam omnes eorum posteros *constitues super cultum sacerdotij*, *vt* munere isto fungantur mihi. † *Externus, qui* non existens de semine Aaron *ad ministrandum* in prædicto cultu sacerdotali, *accesserit, morietur* in pœnam suæ temeritatis. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Ego tuli*, seu auferre statui *Leuitas à filijs Israel*, magis quam aliam quamcumque tribum propter vindictæ zelum, quem in idololatras tempore adorationis vituli exercuerunt: tuli autem eos *pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filijs Israel*, nempe pro primogenitis matrum, quamuis non sint primogenita patrum; *eruntque Leuitæ mei*; quia & speciali iure ad me pertinebunt, & speciali etiam eos prosequar prouidentia. *Meum est enim omne primogenitum*, nouo quodam liberationis titulo, *ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti*; ex eo namque tempore ob id quod non siui percussorem occidere primogenita vestra, tenetur tota respublica Hebræorum referre gratias pro singulari beneficio in eam collato: & idcirco *sanctificaui mihi*, & ad me specialiter applicaui, *quidquid primum nascitur in Israel ab homine vsque ad pecus*: ob quam causam dixi, quod *mei sunt, ego Dominus*: tantum enim tamque ingens beneficium dignum fuit tali ac tanta retributione. *Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai*, vbi numeratio Leuitarum, sicut, & reliquorum Israelitarum fieri oportebat, quam & præcepit facere, *dicens: Numera*, 4 tu & Aaron simul cum præfatis duodecim tribuum principibus *filios Leui per domos patrum suorum & familias*, secundum formam numerationis totius populi, excepto, quod numerare oportet in hac tribu *omnem masculum ab vno mense & supra*, vsque ad quamcumque ætatem. *Numerauit Moyses, vt præceperat Dominus, & inuenti sunt filij Leui per nomina sua*, omnes, qui erant filij *Gerson, & Caath, & Merari*, 5 videlicet. *Filij Gerson*, quantum ad familias inuenti sunt *Lebni, & Semei. Filij Caath: Amram, & Iesaar, Hebron, & Oziel. Filij Merari; Moholi, & Musi*: A quibus vniuersæ familiæ Leuiticæ originem ducunt. *De Gerson fuere familia duæ, Lebnitica, & Semeitica: quarum numeratus est populus sexus masculini ab vno mense & supra*, quia in minori ętate non licebat quidpiam offerre; & inuenti sunt in ætate ista ex his duabus familijs *septem millia quingenti*. Quorum castrametationis locum præscripsit Dominus dicens: *Hi post tabernaculum metabuntur ad occidentem*, medij existentes inter castra Ephraim, & ipsum tabernaculum: eruntque *sub principe Eliasaph filio Lael*, qui præesse debet his duabus familijs Gersonitarum. *Et habebunt excubias*, ac solicite vigilabunt erga ea, quæ sunt *in tabernaculo* 6 *fœderis* summopere custodientes *ipsum tabernaculum*, seu cortinas constituētes tabernaculum, *& operimentum eius*, quo operiuntur cortinæ prædictæ tabernaculi; ac etiam custodient *tentorium, quod trahitur* per funiculos & annulos dum extenditur, vel colligitur *ante fores tecti fœderis*,

Margin notes: † Leu. 10. a. 2. 1. Para. 24. a. 2. — † 21. dist. c. 1. ver. Leui. — II. — III. — B. — † 31. dist. c. tenere. — † Exo. 13. a. 2. inf. 8. ca. 16. 15. q. 1. c. necis. — C. IIII. — † Exo. 6. c. 16. V. — VI. — D.

ris, & habet se quasi porta in ingressu sanctuarij, seu tecti fœderis, quod idem est: custodient præterea, *& cortinas atrij, tentorium quoque, quod* pro foribus *appenditur in introitu atrij tabernaculi, & quidquid* cortinarum, operimentorum, tentoriorum vel aliorum velamentorum mollium *ad ritum altaris pertinet* vel etiam ad *funes tabernaculi* extendentes ipsius operimenta, ne contrahantur in rugam, neque à vento impellantur, ac tandem, quidquid cortinarum pertinet ad tabernaculum, *& omnia*
VII. *vtensilia eius*: 7 cura enim rerum molliũ quales sunt cortinæ, ac cætera velamenta ordinata in conseruationem, & decorem sanctuarij, ac vasorum eius, spectat ad Gersonitas. *Cognatio*, siue familia *Caath habebit populos Amramitas, & Iesabaritas, & Hebronitas, & Ozielitas*, à quatuor filijs Caath originem & nomen habentes. *Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua*, quæ constituunt vnam integram è tribus Leuitarum familijs principalibus: *Omnes generis masculini ab vno mense & supra*, qui inuenti sunt in prædictis quatuor Caathitarum familijs fuerunt *octo millia sexcenti*. Hi prout fratres sui *habebunt excubias sanctuarij* in eius custodiam vigilantes, *& castrametabuntur ad meridianam plagam*, propius tabernaculum, quam Ruben, cuius vexillum in eadem plaga manere iussi. *Princepsque eorum erit Elisaphan filius Oziel: & custodient*; cum sibi à sacerdotibus fuerint tradita ad portandum cuncta vtensilia, quæ sunt in tabernaculo, vel in atrio, videlicet, *arcam mensamque, & candelabrum, altaria*, tam thymiamatis,
E. quam holocaustorum, *& vasa sanctuarij in quibus ministratur*, vt thuribula, tridentes, fuscinulas, & alia huiusmodi, *& velum* quod diuidit sanctuarium à sancta sanctorum etiam custodient, & portabunt Caathitæ, non quasi onus per se portandum: hac enim ratione ad munus Gersonitarum spectabat; sed quia eo inuoluere debent arcam sacerdotes, & sic tradere ijs, qui portare debent arcam, nempe Caathitis, *cunctamque huiuscemodi supellectilem*, vt Labrum æneum, & alia, quæ non intrant compositionem atrij, vel tabernaculi. *Princeps autem principum Leuitarum*, cui tanquam domino famulari debent, & ministrare Leuitæ, nempe *Eleazar filius Aaron sacerdotis erit super excubitores custodiæ sanctuarij*, nempe super omnes Leuitas; omnes enim isti custodiunt tabernaculum excubantes in circuitu eius. *At vero de Merari erunt populi Moholitæ & Musitæ recensiti per nomina sua*, originem ducentes à duobus nepotibus Leui, scilicet Moholi, & Musi: *omnes generis masculini ab vno mense & supra*: ex his duabus familijs Meraritarum fuerunt *sex millia ducenti. Princeps eorum* debet esse *Suriel filius Abihaiel: in plaga septentrionali castrametabuntur*, inter castra Dan & ipsum tabernaculum. *Erunt sub custodia eorum*, ipsisque tradentur ad portandum res duræ, quæ componunt tabernaculum, vel atrium: videlicet *tabulæ tabernaculi, & vectes, & columnæ, ac bases earum, & omnia, quæ ad cultum*, seu constructionem tabernaculi *huiuscemodi pertinent: columnæque atrij per circuitum cum basibus suis, & paxilli cum funibus*, adhærentibus ipsis paxillis, qui quidem funes portari debent à Meraritis, non quasi onus principale, sed tanquam quid adhærens oneribus suis. *Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, idest, ad orientalem plagam, Moyses & Aaron cum filijs suis*: hi enim vt pote sacerdotes propius tabernaculum, quam alij habitare debent *habentes custodiam sanctuarij in medio filiorum Israel*, nempe in digniore & excellentiori loco, quam reliqui: ac proinde nullus alius Israelita etiam Leuites eo in loco audebit figere mansionem: *quisquis alienus* à familia sacerdotali ad locum istum ad castra metandum *accesserit, morietur* in pœnam suæ temeritatis. *Omnes Leuitæ, quos numerauerunt Moyses & Aaron iuxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino à mense vno & supra*, quamuis habita ratione numerationis superioris, quæ facta est ad castrametandum eos, fuerint viginti duo millia trecenti, cæterum in ordine ad commutandum eos pro primogenitis Israelitarum dicendum est, quod *fuerunt viginti duo millia*: nam reliqui trecenti eo, quod erant primogeniti, ac proinde iam Deo obligati ratione primogenituræ, non veniunt computandi ad hoc, vt obligentur Deo loco primogenitorum populi Israel. *Et ait Dominus ad Moysen: Numera primogenitos sexus masculini de filijs Israel*, de duodecim scilicet tribubus omissa tribu Leui, *ab vno mense & supra, & habebis summam eorum*, in finem mox exprimen-
F.

Digitized by Google

primœdum. *Tollesque Leuitas mihi* ad commutandum ex illis eos, qui non fuerint primogeniti, *pro omni primogenito filiorũ Israel*: quorum primogenitorum speciali iure liberationis factæ per me in AEgypto, *ego sum Dominus*;
VIII. 8 ob quam causam iubeo commutari Leuitas pro primogenitis, *& pecora eorum pro vniuersis primogenitis pecorum filiorum Israel*, vt hac ratio-
G. ne tribus Leui maneat cultui meo omnino & specialiter addicta. *Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Israel* in duodecim tribubus; *& fuerunt masculi per nomina sua à mense vno & supra viginti duo millia ducenti septuaginta tres*; quos commutare oportebat in Leuitas non primogenitos. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Tolle Leuitas*, viginti duo millia, quos demptis primogenitis recensuisti, & applica eos cultui meo, *pro primogenitis filiorum Israel, & pecora Leuitarum pro pecoribus eorum: eruntque Leuitæ mei*, prout esse debuissent omnes primogeniti Israel, si commutati non fuissent: *Ego sum Dominus*, qui hanc commutationem approbo. *In pretio autem*, seu pro pretio, & commutatione *ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Leuitarum de primogenitis filiorum Israel*, atque adeo non possunt pro Leuitis commutari, *accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram sanctuarij*, vbi vera, ac Legitima sicli mensura conseruari oportet. † *Siclus habet viginti obolos*, tam in rebus mensurabilibus sacris, quàm in profanis. *Dabisque pecuniam Aaron, & filijs eius* sacerdotibus, vt pote *pretium eorum qui supra sunt*: quam pecuniam æquum est sacerdotibus porrigere, quia datur loco primogenitorum, qui si de facto offerrentur, deberent esse ministri & famuli sacerdotum, quemadmodum cæteri Leuitæ, qui loco aliorum primogenitorum applicantur ad seruiendum sacerdotibus. *Tulit igitur Moyses pecuniam eorum, qui fuerant amplius, &* superexcreuerant ad numerum viginti duorum millium Leuitarum, seu pecuniam eorum, *quos redemerant à Leuitis pro primogenitis filiorum Israel*: si enim à consortio Leuitarum non fuissent isti redempti, debuissent vna cum Leuitis ministrare in operibus sanctuarij: tulit, inquam, Moyses pecuniam *mille trecentorum sexaginta quinque siclorum, iuxta* Legitimum, ac verum *pondus sanctuarij, & dedit eam Aaron & filijs eius* ad vsus eorum *iuxta verbum, quod præceperat sibi Dominus*, statuens legem commutationis & redemptionis primogenitorum.

† *Exo. 38 b. 13.*

ANNOTATIONES IN CAP. III.

I. *Princeps multitudinis Leuitarũ, fuere Moyses, & Aaron.*

HAE Sunt generationes.] Recensuris Moyses generationes, seu viros tribus Leui eundem loquendi modum seruat, quem in præcedenti capite referens numerum aliarum tribuum obseruauerat: sicut enim superius principibus tribuum ascribebat numerum pugnatorum totius tribus: ita in præsenti generationes totius tribus Leui ascribit Moysi & Aaron: non quod illæ omnes ex his prodierint, sed quia omnes Leuitæ ad Moysen, & Aaron, tanquam ad principes pertinebant. Nominat autem prius Aaron, quam Moysen, vel quia Aaron erat natu maior, vel ob dignitatem sacerdotalem à filijs hæreditandam, vel propter exemplum humilitatis & modestiæ: dictans enim Moyses librum hunc, voluit proprio fratri honorem istum conferre.

II. *Seruire in ministerio sacerdotis diuersũ est ab ysa ministerij sacerdotalis.*

IN ministerio eius.] Non dixit scriptura, vt Leuitæ exercerent ministerium sacerdotis, sed quod seruirent in ministerio eius: inter quæ magnum discrimen versatur, ministeria enim sacerdotalia, qualia erant sacrificia peragere, offerre thymiama, ponere panes propositionis, atque disponere lucernas in candelabro aureo, nullatenus licebant Leuitis, sed dumtaxat Aaroni, & filijs eius, dicente Domino in hoc eodem capite: Aaron & filios eius constitues super cultum sacerdotij. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. Licebat autem Leuitis, & tenebantur seruire sacerdotibus in eorum ministerijs, operam nauantes aliquibus rebus, quæ præcedebant, vel subsequebantur cultui sacerdotum; vt deferre onera, & alia huiusmodi.

III. *Leuita è ligmãdo est nomẽ generis aliquãdo nomẽ officij.*

DABISQVE Dono Leuitas.] Leuitarum nomen duplicem sensum sortitur in sacris literis: quia sicut castellanus aliquando est nomen generis significans eum, qui à Regno Castellæ originem ducit aliquando vero est nomen officij, & significat eum, qui præest alicui castello, vel arcis pari modo Leuita interdum est nomen generis designans eos omnes, qui à Leui originem ducunt: in quo sensu etiam Aaron vocatur Leuites Exodi. capitulo quarto, & cuncti sacerdotes legales erant Leuitæ; vt pote de tribu Leui. Interdum vero est nomen officij: & significat eos, qui mini-

strabant

strabant sacerdotibus, prorsus à sacerdotibus distincti: & in hoc sensu dicitur Ioannis cap. primo misisse Iudæos, ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem. Et in hac acceptione accipitur in præsenti nomen Leuitarum in priori vero sumitur parum inferius cum dicitur: Ego tuli Leuitas à filijs Israel pro omni primogenito.

IIII. *Non solũ Moyses, sed cũ eo tã Aaron, quã principes numerauerũt Leuitas.*

NVMERA.] Quamuis ex hoc loco non constet quemquam alium præter Moysen numerasse Leuitas, ex alijs tamen scripturæ locis colligitur cum illo interuenisse eos, quos in paraphrasi expressimus. De Aaron enim in hoc eodem capite dicitur: Omnes Leuitæ, quos numerauerunt Moyses & Aaron iuxta præceptum Domini, & cætera. De principibus autem in sequenti capite legimus eos numerasse tribum Leui, quantum ad ministros, qui deseruire debebant in tabernaculo à trigesimo anno, vsque ad quinquagesimum: maior autem ratio militabat ad assistendum principes in hac numeratione Leuitarum ab vno mense, quam in illa, quæ erat à trigesimo anno: tum quod ista erat laboriosior, & pluribus comitibus indigebat; tum etiam quia hic computabantur Leuitæ, vt darentur pro primogenitis Israelitarum, & si Leuitæ numerati non pertingerent ad summam primogenitorum populi, tenebantur Israelitæ dare quinque siclos pro singulis primogenitis, qui excrescebant, vt habetur hic: debebant ergo videre principes populi, quot deerant de Leuitis ad summam primogenitorum suorum, vt sic scirent de quantitate pecuniæ supererogandа. Quæ ratio minime procedebat in numeratione capitis quarti.

V. *Nomina propria interdũ, exponũtur cum subauditione alterius nominis cõmunis.*

GERSON, Et Caath, & Merari.] Multoties obseruari oportet in sacris litteris nomina propria, (quæ in lingua Hebraica indeclinabilia sunt) non apponi in recto, vt prima fronte apparet, sed in obliquo cum subauditione alicuius alterius vocis. Manifesta exempla sunt Lucæ capite tertio. Qui fuit Eli, scilicet filius, qui fuit Melchi, scilicet Gener. Et tertio Regum duodecimo, cum deficiuerunt decem tribus à domo Dauid dicunt. Quæ nobis pars in Dauid? aut quæ hæreditas in filio Isai? vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam Dauid. Dauid inquam, idest, nepos Dauid, nempe Roboam. Et secundo Paralipom. vigesimo quinto. Apud Obededom, idest, apud vnum ex nepotibus eius, sed præcipuè habemus huius phrasis optimum argumentum in Actibus Apostolorum capitulo septimo, vbi Stephanus, ait: Descendit Iacob in AEgyptum, & defunctus est ipse & patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor. Certum enim est vocem Abraham, non poni, in recto; cum Abraham non fuerit, qui emit sepulchrum illud, sed Iacob, vt habetur Genes. trigesimo tertio, ponitur igitur in genitiuo cum subauditione huius vocis nepos. Hac igitur phrasi Hebræis germanissima existimo vsum fuisse Moysen in præsenti; si enim Gerson, & Caath, & Merari dicamus poni in recto, fit sensus, quod hi tres filij Leui inuenti sunt in castris tempore huius numerationis, quod certe falsum est, medius enim eorum, nempe Caath mortuus est, anno ætatis suæ centesimo trigesimo tertio, vt dicitur Exodi capitulo sexto, qui si nunc temporis vixisset, habere debuisset plus quam ducentos & quindecim annos: tot enim annis manserunt filij Israel in AEgypto, vt ostendimus Exodi duodecimo annotat. quinta. Et Caath descendit in AEgyptũ cum Leui patre suo, vt constat Gen. quadragesimo sexto. Dicendum est ergo nomina ista filiorum Leui poni hic in obliquo casu, nempe in genitiuo cum subauditione huius vocis filij, iuxta sensum in paraphrasi expositum.

VI. *Leuitis, non licebat ingredi tabernacula.*

IN Tabernaculo.] Nullus Leuitarum ingredi poterat tabernaculum, sed soli sacerdotes: quapropter cũ dicitur, quod Leuitæ habebant excubias in tabernaculo fœderis, coniunctio, in, explicanda est per erga: vt sit sensus Leuitas curam habituros erga tabernaculum. Quem sensum retinet etiam coniunctio, in, Hebræorum sexto. Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius: pro erga nomen, hoc est, erga illum. Et in Epistola ad Philemonem. Fidem, quam habes in Domino Iesu: pro erga Dominum.

VII. *Vtensilia aliqua à tollũtur operimẽta cortinarũ vel operimẽtorum.*

ET Omnia vtensilia eius.] Dura forte videbitur aliquibus expositio huius loci in paraphrasi relata: est nihilominus necessaria ne in inconueniens Abulensis & aliorum incidamus, volentium editionem vulgatam corrigere hic, & in capite sequenti: vbi agitur de officio Gersonitarum. Tria enim erant Leuitarum officia in tres eorum familias distributa, quæ quidem officia distinguebantur penes tres res, quæ erant in sanctuario. Erant namque quædam, quæ non erant partes sanctuarij, sed vasa, vel vtensilia, siue essent in atrio siue in tabernaculo; & ista erant arca cum propitiatorio, & Cherubin, & candelabrum aureum, & mensa propositionis, & altare thymiamatis, & altare holocaustorum, singula cum vasis suis: & cura istorum pertinebat ad Caathitas. Aliæ autem res sanctuarij erant partes eius: & istę diuidebantur in duo genera: nam quædam erant molles, nempe de filis, vel pelibus, sicut omnia operimenta, siue cortinæ, siue tentoria, & similia; & ista pertinebant ad Gersonitas. Erant aliæ partes Sanctuarij, quæ consistebant in rebus solidis, scilicet in tabulis, columnis, & vasis tam atrij, quam sanctuarij: & res istæ pertinebant ad Meraritas. Horum officiorum distributio patet ex his, quæ habentur hic, & in sequenti capite. Ex eaque constat ad Gersonitas non pertinuisse curam vtensilium tabernaculi, sed dumtaxat curam cortinarum atrij, vel tabernaculi continentium

nentium huiusmodi vtensilia. Ac proinde quãdo hic & capite sequenti videtur asserere scriptura, ad Gersonitas pertinuisse vtensilia, seu vasa sanctuarij, intelligendum est iuxta subiectam materiam præscriptam Gersonitis, videlicet, quod ad eos pertinent cortinæ continentes & ambientes hæc vtensilia. Quod etiam obserua pro capite sequenti.

VIII *dominiũ Dei multipliciter excedit dominiũ creaturarũ.*

EGO Sum Dominus.] Ob id legislator in ferendis legibus Leuitici, toties repetit verba ista. Ego sum Dominus, quo rememoratione magnitudinis & excellentiæ diuini dominij ad maiorem Dei timorem, legisque obseruantiam Hebræos excitaret. In multis namque dominium istud excedit omne hominum dominium. Primo quidem hominis dominium seruituti admistum est: nam indiget ijs, quorum dominus est: at Deus intra se habens omnes diuitias, nulla re indiget, quæ sub eius est dominio: ideoque Diuus Augustinus, super Psalm. 69. negat homines proprie, & absolute dominos esse, sicut Deus est, allegans illud Psalm. 15. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges. Hoc idem repetit lib. 8. super Genes. ad liter. capit. 11. & lib. 13. de Ciuit. capit 17. videatur Diuus Cyril. lib. 1. Thesau. cap. 6. Secundo hominum dominium est valde angustum: nemo enim est omnium rerum dominus, insuper nec plenum habet dominium eorum, quibus dominatur, cum nequeat pro libito vti illis, in omnibus quæ vult: at Deus omnium est Dominus, & proinde eis suo arbitratu vti valet. Psalm. 118. Omnia seruiunt tibi. Esther. 13. In ditione tua cuncta sunt posita. Tertio dominium Dei coniunctum est cum omnipotentia; hominis vero imperium cum impotentia & fragilitate: non enim imperare potest suis arboribus vt crescant aut fructus ferant, non febri vt recedat: at Deus omnibus imperat, & cuncta obediunt ei in omnibus, quæ absolute vult. Matth. 8. Qualis est hic quia venti & mare obediunt ei? Matth. vigesimo primo. Si diceris monti huic, tolle, & iacta te in mare, fiet. Tali ergo Domino legem ferenti, æquum valde erat vt populus obediret,

ARGVMENTVM IN CAPVT IIII.

¶ *Describuntur officia, seu onera, quibus Leuitæ à trigesimo anno completo vsque ad quinquagesimum incumbere tenentur. Horum officiorum primum nempe deportatio vasorum imponitur Caathitis, operimenta vero dantur Gersonitis: tabulæ & columnæ Meraritis, vt ea deferant in castrorum transmigrationibus. Recensetque Moyses harum trium familiarum Leuitas prædictis oneribus deputandos, & reperit octo millia quingentos octoginta.*

PARAPHRASIS IN CAPVT IIII.

A.

LOCVTVSQVE Est Dominus ad Moysen, & Aarõ, præcepitque eis distinguere officia Leuitarum *dicens:* † *Tolle summam filiorũ Caath de medio Leuitarum,* seu de inter Leuitas, & numera *per domos, & familias suas:* prius in communi & postea in particulari recẽsens eos dumtaxat, qui fuerint *à trigesimo anno & supra vsque ad quinquagesimum annum,* hæc enim est summa *omnium, qui ingrediuntur,* & apti viribusque valentes iudicantur ad hoc, *vt stent & ministrent in tabernaculo fœderis,* portantes de vna mansione in aliam res & vasa sanctuarij: quæ ministratio paruulis, seu valde senibus committi nequit. *Hic est cultus,* seu munus & officiũ *filiorũ Caath,* in primis antequã Leuitæ isti quidquã faciãt, *Tabernaculũ fœderis & sanctũ sanctorũ ingredientur Aaron, & filij eius,* quãuis enim alias ingredi nequeant sanctũ sanctorum minores sacerdotes, sed solus pontifex, isq; dumtaxat in die expiationis; nihilominus ingredientur; tam pontifex, quam minores sacerdotes, *quando mouenda sunt castra,* mãsionisq; mutandæ indiciũ præbuerit colũna nubis, *& deponent velũ* de hyacintho & purpura coccoq; bistincto, & bysso retorta contextũ, *quod pendet ante fores,* sed ante quatuor colũnas quæ loco foriũ diuidũt sanctuariũ à sancto sanctorum, & per eorũ mediũ patet ingressus ad propitiatoriũ; *inuoluetq; eo* velo sacerdotes quasi opertorio *arcã testimonij*

† 1. Par. ca. 15. b. 15.

monij: ita prorsus, vt nec quidquam ipsius patero possit oculis intuentium, *& operient rursum* arcam ad maiorem veli prædicti conseruationem *velamine ianthinarum pellium* partim hyacinthino, partim rubro, partim etiam alijs coloribus infectarum, *extendentque desuper pallium* laneum, vel de pilis confectum *totum hyacinthinum* coloris aërei, seu cœlestis, *& inducent vectes*,
I. 1 non quidem circulis eos immittendo, cum nunquam ex quo semel proprijs circulis fuerunt inducti, extrahi debeant, sed taliter cum velaminibus illos componendo, vt commodè possint super humeros hominum imponi ad portandam arcam. *Mensam quoque propositionis* existentem in parte septentrionali tabernaculi exterioris *inuoluent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula, & mortariola,*
II. *cyathos, & crateras ad liba fundenda* 2 vniuersa, scilicet vasa aurea, quæ dicata sunt ministerijs altarium thymiamatis, & holocaustorum, *panes semper in ea erunt*, etiam in ipso itinere, ex quo vsus ponendi in ea panes inceperit, ita vt inuolui queant panes, vna cum ipsa mensa, *extendentque desuper pallium coccineum* adeo rubeum, vt propter intensionem rubedinis declinet ad obscurum, *quod rursum operient* ijdem sacerdotes *velamento ianthinarum pellium*, quas Hispani vocant guadamecil, suntque violaceo, alijsque coloribus refertæ, *& inducent vectes*, apteque component, vt humeris portari queat arca. *Sument, & pallium hyacinthinum* cœlestis coloris, *quo operient candelabrum* aureum situm in parte australi sanctuarij, *cum lucernis*, seu vasis paruis aureis, in quibus funditur oleum, & apponitur lychnum, *& forcipibus suis* aptis ad scindendum lychnum ardens, *& emunctorijs*, vbi quæ emuncta sunt extingui debent, *& cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt*: hæc enim componere debent sacerdotes, cum ipso candelabro, *& super omnia ponent operimentum ianthinarum pelium, & inducent vectes*, non quidem, per aliquos annulos, quos habere debuerit candelabrum, sed ponent vectes in superficie operimenti, vnus in dextera, & alius in sinistra, quibus portari
B. possit candelabrum. *Necnon, & altare aureum* thymiamatis, quod est quarta principalis supellex sanctuarij, *inuoluent hyacinthino vestimento* simili superioribus, *& extendent desuper*, non tamen inuoluent, *operimentum ianthinarum pellium*, sed expansum super altare illud reddet venerabilius, *inducentque vectes*, qualiter in rebus superioribus inducendos esse diximus. *Omnia vasa*, seu supellectilia reliqua à prædictis, *quibus ministratur*, & colitur Deus *in sanctuario*, vt sunt labium æneum, vectes sacerdotales, & alia, si quæ sunt, quorum hic, non fit expressa mentio, *inuoluent hyacinthino pallio, & extendent desuper operimentum ianthinarum pellium inducentque vectes*, vt portari valeant in humeris, cum nequaquam liceat ea in plaustris deferre. *Sed & altare* holocaustorum, quod antonomaticè ob excellentiam sacrificiorum, quæ in eo offeruntur, altare vocatur, *mundabunt cinere*, quando ex loco, vbi aliqua peracta sunt sacrificia, contigerit moueri, *& inuoluent illud purpureo vestimento* in signum sanguinis sacrificiorum, cui dicatum est altare illud, *ponentque cum eo omnia vasa* non aurea, hæc enim super mensam auream portari oportet, sed ænea, *quibus in ministerio eius vtuntur, idest, ignium receptacula*, seu thuribula apta ad desumendum prunas de altari, thurificationis gratia, vel ob alias causas *fuscinulas, ac tridentes, vncinos, & batilla. Cuncta vasa altaris*, ferrea vel ænea *operient, simul velamine ianthinarum pellium, & inducent vectes* intra ipsum velamen, vt velato altari nihilominus portari queat in vectibus. *Cumque inuoluerint Aaron, & filij eius sanctuarium*, seu res, quæ principaliter sanctitatem quandam redolent, & ad sanctificationem sunt institutæ, vt arca, altare thymiamatis, candelabrum, mensa, altare holocaustorum, & labrum æneum, quam ob hanc causam sanctuarium voco, inuoluerint præterea, *& omnia vasa eius* minus principalia, & ad illa priora ordinata, *in commotione castrorum*: *tunc intrabunt filij Caath* in tabernaculum adhuc erectum, *vt portent inuoluta* ea quæ ab ipsis deferri expedit, quæ sunt vniuersa vasa sanctuarij, & atrij, excepta arca testamenti, hæc enim si adsit numerus sacerdotum, ab eis portanda est, *& non tangent vasa sanctuarij* accedentes prætextu deuotę solicitudinis ad portandum illa antequam

sint operta, *ne moriantur*, prout proculdubio morientur, si id faciant. *Ista sunt onera filiorum Caath*, in quibus portandis, & custodiendis ministrare debent Caathitæ, *in tabernaculo fœderis*, *super quos* immediatè quidem, nam mediate etiam super Gersonitas, & Meraritas *erit Eleazar filius Aaron sacerdotis*, quantum ad iurisdictionem sanctuarij, licet quantum ad curam rerum temporalium princeps Caathitarum existat Elisapham, filius Oziel, *ad cuius* Eleazari sacerdotis *curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas*, nempe prouidere ex prouentibus sanctuarij, ne vnquam deficiat oleum, quod ipse, & alij sacerdotes infundant lucernis, *& compositionis incensum*, seu thymiama compositum, de quo sacerdotes apponere possint mane, & vesperi in altari aureo, *& sacrificium, quod semper offertur*, seu prouisio hostiarum, quæ certis, & determinatis temporibus offerre tenentur sacerdotes, *& oleum vnctionis*, quo vngi debent sacerdotes quando consecrantur, *& quidquid ad cultum tabernaculi pertinet*, præbendo, & custodiendo materiam necessariam ad omnes tabernaculi ministrationes: *omniumque vasorum, quæ in sanctuario sunt*, curam tenetur habere Eleazar, prouidendo, quæ necessaria sunt, vt vasa ipsa deseruire possint ministrationibus sanctuarij, videlicet, vt labium æneum habeat aquam, & alia huiusmodi. *Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron*, quibus incumbebat dispositio vasorum sanctuarij in motionibus castrorum *dicens*: *Nolite perdere*, seu omissione vestra occasionem præbere, vt humana curiositas perdat *populum Caath de medio Leuitarum*, *sed hoc*, quod iterum repetam ad maiorem memoriæ commendationem, *facite eis*, *vt viuant*, *& non moriantur*, prout proculdubio morientur, *si tetigerint sancta sanctorum*, seu res sanctissimas, quales sunt vasa sanctuarij, quæ portare tenentur Caathitæ. *Aaron*, *& filij eius intrabunt* tabernaculum fœderis, & sanctum sanctorum, prout superius præcepi, *ipsique dispo-nent opera singulorum* Caathitarum, operientes ea ne si quoquam eorum videri queant, *& diuident*, *quid portare*, *quis debeat*, vt non sit contentio inter eos. *Alij nulla curiositate videant*, *quæ sunt in sanctuario priusquam inuoluantur* exceptis sacerdotibus. ob id namque cæteris omnibus inhibitum est, ne intrent in tabernaculum, donec omnia sint inuoluta, ne aliquo modo inducantur ad videndum ea, quæ sunt interius, *alioquin morientur*, prout futurum est, aliquando † Bethsaamitas mortem obituros, † 1. Reg.
eo quod audebunt arcam Domini nudam 6. c.
respicere: terrore enim, & mortis timore adducere oportet Israelitas ad rerum sacrarum reuerentiam. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, officiumque Gersonitarum indicauit *dicens*: *Tolle summam etiam filiorum Gerson* ordine, quo filios Caath recensuisti, videlicet *per domos*, *ac familias*, *& cognationes suas* à communioribus ad particulares personas descendens, & computa eos, dumtaxat, qui sunt *à triginta annis*, *& supra*, *vsque ad annos quinquaginta*, huius namque solius ætatis homines apti sunt ad eos labores subeundum, ad quos hæc numeratio ordinatur. *Numera omnes*, *qui* C.
ingrediuntur, *& ministrant*, seu qui apti sunt ad hoc, vt incipiant ministrare *in tabernaculo fœderis*, portando illius onera. *Hoc est officium*, cui incumbere debent Leuitæ *familiæ Gersonitarum* in mutatione castrorum, videlicet, *vt portent cortinas tabernaculi* de bysso retorta, & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto opere plumario confectas, *& tectum fœderis* ex vndecim sagis symboloti conflatum, item *operimentum aliud* de pellibus arietum rubricatis, quod tertio loco operit tabernaculum, *& super omnia velamen ianthinum*, quod est supremum opertorium sanctuarij, *tentoriumque* simile cortinis prioribus, *quod pendet in introitu tabernaculi fœderis* ante quatuor columnas de lignis setim, præterea *cortinas atrij*, seu tentoria de bysso retorta, *& velum in introitu*, *quod est* in ingressu ipsius atrij *ante tabernaculum*, vel è regione ostij tabernaculi. *Omnia quæ* ex velis, & cortinis atrij *ad altare pertinent* 3 holocaustorum, ad eiusque reuerentiam facta sunt, & præterea III.
funiculos, *& vasa ministerij*, 4 seu in- IIII.
strumenta mollia appendendis cortinis dicata, *iubente Aaron*, *& filijs eius*, maximè vno quodam filiorum eius, cui hæc cura demandanda est, *portabunt filij Gerson*, *& scient singuli* ad iussiouem sacer-

Digitized by Google

sacerdotis, cui debeant oneri mancipari, vt sine contentione omnia perficiantur. *Hic est cultus*, quem impendere debent Leuitæ *familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis*, circa res scilicet tabernaculi ab ipsis portandas, *eruntque sub manu*, & speciali imperio *Ithamar filij Aaron sacerdotis*, qui Gersonitis præesse debet, sicut Eleazar Caathitis. *Filios quoque Merari* tertiam Leuitarum familiam, *per familias, & domos patrum suorum recensebis à triginta annis, & supra*, hoc est post completum trigesimum annum, *vsque ad annos quinquaginta*; sub qua quidem ætate recensebis *omnes, qui ingrediuntur ad officium*, seu quos ingredi oportet ad executionem *ministerij sui*, & apti sunt ad exhibendum *cultum fœderis testimonij*, qui cultus tabernaculi in portatione onerum Meraritis statutorum consistit. *Hac sunt onera eorum, portabunt* res duras componentes tabernaculum, & atrium; videlicet *tabulas tabernaculi* deauratas, quæ sunt numero quadraginta, & octo, *& vectes eius* transeuntes per medium tabularum ad eas continendum, *columnas ac bases earum, columnas quoque atrij, per circuitum, cum basibus, & paxillis, & funibus suis*, qui affixi sunt ipsis columnis, & mediantibus paxillis continent cortinas atrij. *Omnia vasa, & supellectilem*, seu res à Meraritis portandas, per reconsignationem, & *ad numerum accipient, sicque portabunt*, vt sciri valeat, quid datur, & quid
D. recipitur. *Hoc est officium familiæ Meraritarum, & ministerium*, quo deseruire tenentur *in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu*, ac regimine *Ithamar filij Aaron sacerdotis*. *Recensuerunt igitur Moyses, & Aaron, & principes synagogæ*, qui numeratores extiterant plebis Israel, *filios Caath* priusquam alios Leuitas, quia ad portandum onera magis insignia fuerunt assumpti, recensuerunt autem eos, *per cognationes, & domos patrum suorum à triginta annis, & supra vsque ad annum quinquagesimum, omnes*, videlicet valentes viribus, *& qui ingrediuntur*, aptique sunt *ad ministerium tabernaculi fœderis*, quod consistit in portatione vasorum sanctuarij, *& inuenti sunt duo millia septingenti quinquaginta. Hic est numerus populi Caath*, non quidem puerorum, sed virorum componentium populum, *qui intrant tabernaculum fœderis*, habentque vires ad portandum onera eius, *hos numerauit Moyses, & Aaron*, vnacum principibus populi, *iuxta sermonem Domini, per manum Moysi*, qui instrumentum fuit diuinæ locutionis ad promulgationem huius præcepti. *Numerati sunt, & filij Gerson, per cognationes, & domos patrum suorum à triginta annis, & supra, vsque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur*, pollentque viribus ad hoc, *vt ministrent in tabernaculo fœderis, & inuenti sunt duo millia sexcenti triginta. Hic est populus Gersonitarum, quos numerauerunt Moyses, & Aaron* iunctis secum principibus populi, *iuxta verbum Domini* præcipientis eiusmodi numerationem. *Numerati sunt, & filij Merari per cognationes, & domos patrum suorum à triginta annis, & supra, vsque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis, & inuenti sunt tria millia ducenti*; quamuis enim in numero paruulorum excederentur Meraritæ à Caathitis, & Gersonitis, excedebant tamen istas in numero virorum. *Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses, & Aaron*, ac principes duodecim tribuum *iuxta imperium Domini, per manum Moysi* mediatoris sui. *Omnes, qui recensiti sunt de Leuitis, & quos recenseri fecit ad nomen Moyses, & Aaron, & principes Israel, per cognationes, & domos patrum suorum à triginta annis, & supra, vsque ad annum quinquagesimum; ingredientes ad ministerium tabernaculi, & seu* idest, ad *onera portanda, fuerunt, simul octo millia quingenti octoginta*, vt patet colligendo summas superiores. *Iuxta verbum Domini*, & non ex appetitu aliquo inanis gloriæ, *recensuit eos Moyses* distinguendo Leuitarum *vnumquemque iuxta officium, & onera sua* docens, quænam familia, vel persona deberet portare vnam rem, & quæ aliam, *sicut præceperat ei Dominus*, qui distinctionem officiorum, sicut & numerationem personarum, vt statim fieret, iusserat.

ANNOTATIONES IN CAP. IIII.

I.
Vectes arcæ mancipræci-pientur per ipsa arcæ velamenta.

Et inducent vectes.] Cum Exod. 25. præceperit Dominus, vt vectes arcæ, semper essent in proprijs circulis, nec vnquam exinde extraherentur, statim se se offert difficultas,

qualiter intelligi debeat præsens locus, quo præcipitur induci vectes in motione castrorum. Lyranus, & Abulensis existimant, hic solum fieri mentionem de inductione vectium super scapulas portantium. Cæterum si horum sententia vera est, in litera, non obseruabatur ordo rei, prius enim tenebantur sacerdotes inuoluere omnia vasa sanctuarij in commotione castrorum, quam intrarent filij Caath ad quidpiam eorum portandum, vt statim dicitur, quem quidem ordinem, non obseruat narratio, quæ ante inuolutionem aliarum rerum refert positos fuisse vectes arcæ, super humeros portantium, sed hoc inconueniens parui momenti est. Hieronymus ab Oleastro censet, quod licet vectes, non abstraherentur absolutè, abstrahebantur tamen, cum onera aptabantur, & operiebantur, vt portarentur, neque auferebantur, vt extra essent, sed ad onera portanda, & statim reponebantur in locis suis. Hic modus dicendi sufficiens videretur, si textus Exodi solum prohibuisset vectes esse extra circulos, sed quia, neque etiam extrahi permittit, non omnino satisfacit. Quare alij dicunt, non fieri sermonem in præsenti de prioribus arcæ vectibus, sed de quibusdam alijs ligneis, in quibus arca portabatur. Sed hæc sententia contradicit prædicto loco Exodi præcipienti, vt in eis ipsis vectibus nullatenus extrahendis arca portaretur. Quare conuenientior nobis apparet sensus Caietani interpretantis locum istum, non de inductione vectium, per circulos, sed per ipsa arcæ velamenta, præcipit enim Deus taliter transmitti vectes, per operimenta, vt & arca maneret omnino operta, & vectes apti existerent ad portandum in eis arcam.

II. *Vasa mensæ propositionis deseruiebant vsibus vtriusque altaris.*

AD liba fundenda.] Mensa propositionis vltra hoc, quod in ea apponebantur, per singula sabbata duodecim panes juxta ritum expressum Leuit. 24. cap. erat etiam tanquam repositorium vasorum principalium vtriusque altaris thymiamatis, & holocaustorum, sicut in domibus principum, quando fiunt conuiuia, ponuntur quædam mensæ, vt super eas sumantur cibi, & alia mensa in qua solum ponuntur vasa aurea, & argentea, vel cuiuscunque generis ad subministrationem aliarum mensarum. Quod autem vasa mensæ propositionis deseruierint vsibus etiam altarium, constat ex verbis subiunctis, ad liba fundenda, liba enim, scilicet vinum, oleum, & simila, non fundebantur, nisi in sacrificijs faciendis in altari holocaustorum, vt constat ex toto libro Leuitici. Super quam mensam commodè poterant portari prædicta vasa absque eo, quod collaberentur, quia vt dicitur Exod. capit. 25. habebat mensa hæc, per circuitum labium aureum, & desuper coronam aliam aureolam, ob quæ nequibat aliquid de mensa elabi.

III. *Generalis locutio, per materiã coarctatur.*

OMnia quæ ad altare pertinent.] Diximus in annotatione vltima præcedentis capitis nullatenus admittendam esse correctionem præsentis loci, quam Abulensis, & Lyranus inducere volunt, cum absque ea sanum ac germanum sensum obtineant verba præsentia, si iuxta subiectam materiam, prout oportet, exponantur, loquens enim scriptura de cortinis atrij à Gersonitis portandis, cum his etiam incumberet, portare omnia velamenta, ac res molles componentes tabernaculum, & atrium, conuenienter subiungit eos debere portare ea, quæ ad altare pertinebant, tentoria enim atrij ad reuerentiam altaris holocaustorum ordinabantur ipsumque continebant, sicut tabernaculum erat institutum ad continendum arcam, mensam, candelabrum, & altare thymiamatis, vnde per hanc vniuersalem locutionem, omnia quæ ad altare pertinent, non ipsum altare neque vtensilia eius, nempe forcipes, seu fuscinulas, & alia huiusmodi dura, sed vela tantum atrij altare circundantia intelligere debemus.

IIII. *Non omnes funiculi portabantur à Gersonitis.*

FVniculos, & vasa ministerij.] Vocantur hic funiculi illi, qui extendebant operimenta tabernaculi, & vela atrij, habebat namque tabernaculum quatuor operimenta loco tecti, vt dicitur in libro Exodi capite vigesimo sexto. Et vt ista, non contraherētur in rugam, & inepte penderent, atque impellerentur à vento, extendebantur funiculis, quibus alligabantur paxilli æneí figendi in terra, sicut patet in omnibus tentorijs, quæ portantur ad expeditiones bellicas. Istorum autem funiculorum, nonnulli erant affixi ipsis paxillis, & ex altera parte alligabantur columnis, ad continendum cortinas, quæ pendebant ante columnas, & hi portabantur à Meraritis, quibus incumbebat portare ipsos paxillos, & columnas, vt dicitur statim, quando agitur de officio Meraritarum. Alij vero funiculi erant affixi cortinis, & ex altera parte alligabantur paxilli, & de his funiculis fit sermo in præsenti. Per vasa autem ministerij intelliguntur quæcunque res lineæ, vel laneæ, quæ vsui erant ad appendendas cortinas, more Hebræorum. Qui per nomen vas, seu vasa quodcunque instrumentum significant, vt vasa mortis vocantur instrumenta, quibus homines interimuntur, nempe sagittæ, gladij, & arcus, vt in Psalmo septimo, cum dicitur, In eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit, vbi per vasa mortis ea ipsa intelligit, quorum in præcedenti versu memoriam fecerat, cum dixerat. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum. Similiter vasa bellica vocari consueuerunt illa instrumenta, quibus bellum exerceri solet, in quo sensu vsa est scriptura sacra voce ista in libro Iudith capite decimo sexto, ibi: Porro Iudith vniuersa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus obtulit in anathema obliuionis. Et in eodem sensu Paulus Apostolus in libro Actuum nono vocatur à Domino vas electionis, hoc est, instrumentum electum ad finem, qui statim subiungitur cum dicitur, vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israel.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM IN CAPVT V.

¶ Iubet Dominus tria immundorum genera de castris eijci, nempe leprosum, seminifluentem, ac pollutum super mortuo, modumque tradit recōpensationis faciendæ, pro iniuria proximo illata, cuius occasione obiter refert, nonnulla iura sacerdotalia. Ac tandem luculenter tradit legem zelotypiæ, per quam datur facultas viris inquirendi, an eorum vxores fuerint adulteræ, vel non, idque per potum aquæ certis quibusdam ritibus maledictæ.

PARAPHRASIS IN CAPVT V.

A. LOCVTVSQVE *est Dominus ad Moysen*, ac docuit eum quosnam à supradicta castrorum ordinatione, & dispositione, rerumque sacrarum administratione excludere deberet, *dicens: Præcipe filijs Israel, vt* adhoc, quod cū ea corporum munditia, qua decet inter se se conuersari valeant, *eijciant de castris* triplex immundorum genus, videlicet *omnem leprosum*, & hunc, non solum veluti immundum, sed etiam, quasi morbo contagioso affectum, *& qui semine fluit*, 1 per ægritudinem inuoluntarie, ac per singula momenta patiens concreti humoris distillationem, & eum tandem, qui immundus *pollutusque est super mortuo*, 2 ex contactu hominis mortui, vel alicuius rei ad ipsum pertinentis, *tam masculum, quam fœminam* ex his tribus immundorum generibus *eijcite de castris*, per tempus à lege præscriptum, *ne contaminent ea* prout proculdubio castra contaminarentur, & quasi contemptibilia fierent, si viri infecti maculis prædictis in eis manerent, quod omnino cauendum est, *cum habitauerim vobiscum*, & ego, qui longe purior sum, quam angeli, elegerim habitare inter vos in tabernaculo meo. *Feceruntque ita filij Israel*, dum adhuc existerent ad radicem montis Sinai, *& eiecerunt eos* immundos, leprosos, videlicet, ac seminifluentes, & pollutos à mortuo *extra castra, sicut locutus erat Dominus Moysi. Locutusque est Dominus ad Moysen*, ac præcepit modum seruandum in recompensationibus *dicens: Loquere ad filios Israel: Vir siue mulier, cum fecerint* aliquod peccatum iniustitiæ, *ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere*, per quam frequens enim est hominibus peccata committere, *& per negligentiam*, seu contemptum, vel incuriam *transgressi fuerint mandatum Domini*, per peccatum cordis, *atque deliquerint*, per peccatum operis, isti in remedium animarum suarum agnoscent, & *confitebuntur peccatum suum* Deo, vel sacerdoti, vel amico, qui eos ad rectam vitæ normam reducere valeat, *& reddent ipsum caput*, seu principale, quod ablatum est, *quintamque partem desuper*, per modum satisfactionis offensæ, & recompensationis exhibendæ, *ei in quem peccauerint. Sin autem non fuerit, qui recipiat*, quia non constat, quis nam sit is, qui iniuriam passus est, *dabunt Domino*, tam simplum eius, quod ablatum est, seu principale, quam quintam insuper illius partem, *& erit sacerdotis*, non vnius, vel alterius, sed cedet in vsus omnium sacerdotum. Simplum autem rei ablatæ, & quinta illius dari debent sacerdotibus integre, *& excepto ariete*, qui vltra prædicta dare oportet à surripiente rem proximi sui, nam aries iste *offertur*, seu offerri debet, *pro expiatione, vt aries* sit oblatus, *sit placabilis hostia* ad placandum Deum ordinata. *Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filij Israel*, non vltronei, sed ad quas offerendum ex præscripto legis tenentur, *ad sacerdotem pertinent*, vt ex eis sacerdotes alantur, & sustententur, *& quidquid in sanctuarium offertur à singulis*, & non mittitur in gazophylacium, sed *traditur manibus sacerdotis ipsius erit*, dum tamen offerens, non dicat se offerre illud, pro thesauris sanctuarij, si enim id assereret offerens, talis oblatio, non quidem ad iura sacer-

B.

Digitized by Google

dotum, sed ad expensas sanctuarij pertineret. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, & tradidit legem zelotypiæ *dicens: Loquere ad filios Israel*, *&* consulens du-
† 2.q.5. c. consuluisti. ritiæ cordis ipsorum *deces ad eos.* † *Vir cuius vxor errauerit*, vel saltem præsumatur de ea, quod errauerit, *maritumque ac* fidem, quam ei seruare tenebatur *contemnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit*, quia non vidit eam cum adultero se commiscentem, *sed latet adulterium*, *&* præterea, quamuis adulterium marito non lateat, tamen
III. *testibus argui non potest*, 3 *quia non est inuenta in stupro*, seu adulterio, quod generali nomine stuprum vocatur, ac proinde nequit eiusmodi mulier iudicis authoritate puniri: tunc in quolibet istorum casuum, *si spiritus zelotypiæ*, seu impulsus vehemens amoris priuati, nolentis habere consortium in amato, *concitauerit virum*, suspicionemque ingesserit *contra vxorem suam*, *quæ vel polluta est*, *vel falsa suspicione appetitur*, quomodocumque se res habeat, *adducet eam ad sacerdotem*, quemcunque gratia experiendi, an suspicio vera sit, *& offeret oblationem*, *pro illa muliere*, non vt Deus misereatur illius, sed vt demonstret, an fornicata fuerit, vel non offeret, inquam, in oblationem *decimam partem sati*, paruæ cuiusdam mensuræ *farinæ hordeaceæ*, quæ est bestiarum alimentum, ad designandam turpitudinem causæ, propter quam offertur, *non fundet super eam oleum*, quod symbolum est misericordiæ, *nec imponet thus*, quod designat deuotionis affectum, *quia sacrificium zelotypiæ est*, *& oblatio inuestigans adulterium*, non vero impetrans misericordiam ex affectu, & deuotione offerentium, quemadmodum reliqua sacrificia. *Offeret igitur eam mulierem sacerdos*: *&* seu, idest, *statuet coram Domino*, quia applicando eam ad altare holocaustorum ante ostium tabernaculi, di-
C. cetur offerre illam. *Assumetque aquam sanctam* de labio æneo, vbi adest aqua sacrificiorum ad vsus sacros dicata, assumet autem, *in vase fictili*, non in aliquo ex vasis aureis, in quibus simila sacrificiorum offertur, sed in vase terreo ad vituperium criminis adulterij, de quo arguitur, *& pauxillum terræ de pauimento tabernaculi*, seu atrij, vbi adsunt, *mittet in eam* aquam, ad maiorem potus illius abiectionem, & criminis, pro quo offertur, detestationem. *Cumque steterit mulier in conspectu Domini*, nempe apud ostium tabernaculi, vbi Deus specialiter adesse censetur, *discooperiet caput eius* sacerdos; relinquens illud nudum ad alicualem ignominiam eius, quæ præsumitur adultera, *& ponet super manus illius* mulieris vas aliquod continens farinam hordeaceam oblatam in *sacrificium recordationis*, *&* memoriale repræsentatiuum futuri euentus, quo se Deus memorem ostendet præteriti criminis, si illud fuerit commissum, qua ratione sacrificium istud iure optimo vocare possumus *oblationem zelotypiæ*, vt pote ordinatum ad inuestigandam veritatem, vel falsitatem suspicionis conceptæ de muliere, *ipse autem sacerdos*, dum mulier tenet oblationem, *tenebit aquas amarissimas*, seu amaricantes, quia quamuis sanctæ, nihilominus amaricabunt mulieri, si culpabilis existat, amarissimas quoque, vt pote *in quibus*, *cum execratione maledicta congessit* sacerdos dicendo, Aqua maledicta sis in nomine Domini, & si mulier ista peccauit ingrediaris veterum eius, & dirumpas: atque putrescere facias fœmur illius, seu alia similia imprecando *Adiurabitque eam* mulierem idem sacerdos iuramento, quasi execratorio, *& dicet*, *si non dormiuit vir alienus tecum*, *& si non polluta es deserto mariti thoro*, postquam, scilicet ab eo suscepta es in vxorem, *non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ*, quæ amaricare solent mulieri adulterio infectæ, & *in aquas maledicta congessi*, addens vnam maledictionem alteri. *Sin autem declinasti à viro tuo, atq; polluta es, & concubuisti cum altero viro*, quod ad maiorem criminis deformitatem tot verbis explico, *his maledictionibus subiacebis*, *det te Dominus in*
maledictionem, 4 seu tantum tibi maledi- IIII.
cat, vt reddat te, quasi normam, *exemplumque cunctorum*, qui maledicuntur *in populo suo*, ita vt his dici queat, contingat vobis, quod contigit mulieri illi adulteræ, *putrescere faciat fœmur tuum*, eo quod partes illæ ad libidinem denudatæ turpiter fuerunt delectatæ, *& tumens vterus tuus disrumpatur*, vbi fœtus adulterinus suscipiendus erat, vel susceptus est. *Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum* ad nocendum, & faciendum, quæ dicta sunt, *& vtero tumescente putrescat fœmur*,

ita

Digitized by Google

ita vt de vtero disrupto effundantur viscera,
D. per locum fæmoris. *Et respondebit mulier*, cum maxima affectus expreſsione dicens. *Amen amen*, hoc eſt, fiat fiat. *Scribetque ſacerdos in libello*, ſeu chartula quadam *iſta maledicta*, & imprecatoria verba, *& delebit ea*, cum fuerint recenter ſcripta, *aquis amariſsimis*, lauando chartulam in aquis contentis in vaſe fictili, quæ amaritudinem cauſant in adulteris, & *in quas maledicta congeſsit* ſacerdos, qui, *& dabit ei bibere* aquas illas execratas. *Quas cum exhauſerit*, ſeu vas ad bibendum aſſumpſerit, prius tamen, quam bibat, *tollet ſacerdos de manu eius*, vas farinæ hordeaceæ, quæ offerri debet in *ſacrificium zelotypiæ*, *& eleuabit*
V. *illud*, 5 eleuatione aliorum ſacrificiorum, videlicet mouendo ipſum ante, & retro, ad dextrum, & ad ſiniſtrum, *coram Domino*, ſeu in conſpectu tabernaculi, *imponetque illud ſuper altare*, *ita dumtaxat, vt prius*, ante quam reſiduum ſacrificij cedens in partem ſacerdotis, apponatur ſanctificationis gratia, ſuper parietem aliquam altaris, ſacerdos ipſe ſacrificans *pugillum ſacrificij tollat de eo*, *quod offertur*, *&* pugillum farinæ taliter ſublatum *incendat ſuper altare*, iuxta modum, quem in ſacrificio ſimilæ obſeruare præcepi, *& ſic potum det mulieri aquas amariſsimas*, continentes puluerem atrij, & execrationes ſacerdotis. *Quas cum biberit ſi polluta eſt*, *& contempto viro adulterij rea*, ea maledicta, quæ ſacerdos retulit, proculdubio euenient, etenim, *pertranſibunt eam aquæ maledictionis*, penetrantes corpus illius ad nocendum, inſtar veneni cuiuſdam peſtiferi, *& inflato ventre computreſcet fæmur*, ac viſcera effundentur, *eritque mulier in maledictionem*, *& in exemplum omni populo*, dum propter magnam Dei indignationem, quam patietur, hi qui alijs imprecabuntur, eam in exemplum adducent. *Quod ſi polluta non fuerit*, nec adulterij rea, *erit innoxia*, manens, ſicut prius, *& faciet liberos*, collata ei à Deo maiori facultate ad concipiendum, quam prius habebat. *Iſta eſt lex zelotypiæ*, qua inquiri licitè poteſt an ſuſpicio, quam vir contraxit de fœmina vera ſit, necne. *Si declinauerit mulier à viro ſuo*, *& ſi polluta fuerit* adulterij crimine, *mariuſque zelotypiæ ſpiritu*, ſeu ſuſpicione adulterij vxoris *concitatus*, *adduxerit eam in conſpectu Domini*, coram oſtio tabernaculi, *& fecerit ei ſacerdos iuxta omnia, quæ ſcripta ſunt*, in lege iſta, quam modo tuli, *maritus abſq; culpa erit*, etiam ſi vxor exinde mortua ſit, faciens enim maritus, & compellens adulteram ad ſubeundum purgationem illam, ipſe vtetur iure ſuo, *& illa recipiet iniquitatem ſuam*, ac proprij criminis condignam pœnam.

ANNOTATIONES IN CAPVT V.

I. *Seminiflauſquis dicatur, & cui immunditiæ ſubiaceat.*

QVI ſemine fluit.] Seminifluus, ſeu patiens fluxum ſeminis vocatur, qui ſubiacet continuæ diſtillationi ſeminis, vt habetur Leuitic. capit. 15. & is dumtaxat præcipitur eijci extra caſtra, ſecus autem de his, qui in ſomnis, vel etiam, per coitum ſemen emittunt, hi enim, quamuis immundi ſint, non tamen præcipiuntur eijci à caſtris, vnde quamuis de patientibus nocturnam pollutionem, præcipiatur Deuteronom. capit. 23. vt egrediantur extra caſtra, & non reuertantur priuſquam ad veſperam loti ſint aqua, nihilominus de eis, non debuit in præſenti, fieri mentio, nec præcipi, vt eijcerentur, quia non poterat cognoſci ab alijs Iſraelitis, qui fuiſſet pollutus ſemine nocturno, prout agnoſcebatur patiens ægritudinem fluxus ſeminis, ac proinde, non potuiſſent eam eijcere, ſed debuit diſceſsio iſtius à caſtris propriæ tantum conſcientiæ dimitti.

II. *Pollutus tantũ ſuper homine mortuo præcipitur eijci extra caſtrá.*

POllutuſque eſt ſuper mortuo.] Aduerte, quod quicunque tangeret aliquam rem mortuam erat immundus, ſed in hoc differebat, quia aut illa res mortua erat homo, aut aliud animal, ſi eſſet homo, quicunque tangeret eum, ſiue per ſe mortuum, ſiue ab alio occiſum erat immundus ſeptem diebus, etiam qui tangebat ſepulchrum, vel oſſa arida reperta in agro, vel, qui intrabat in tentorium hominis mortui, vel ibat ad funera eius, erat immundus ſeptem diebus, vt patet inferius capit. 19. Si autem eſſet aliud animal, aut erat reptile, aut non, ſi reptile, qui tangeret illud, ſiue viuens, ſiue mortuum immunditiam contrahebat, quæ durabat vſque ad veſperum, vt patet Leuitic. capit. 11. Si autem eſſet aliud animal, aut erat licitum ad eſum, aut non, ſi non, quandocunque tangeretur, ſiue per ſe mortuum, ſiue ab alio occiſum cauſabat immunditiam, vt patet Leuitic. capit. 11. Si autem eſſet animal licitum ad eſum, aut per ſe moriebatur, aut occidebatur, ſi per ſe moreretur, non licebat illud tangere, quia cauſabat immunditiam. Si autem occideretur ad cibum licebat tangere, quia aliter comedi, non poterat, vt patet Leuit. cap. 11. In his omnibus immunditijs durabat contaminatio vſque ad veſperam, & qui immundus erat, lauabat veſtimenta ſua aqua communi. Sola autem immunditia, ſuper homine mortuo manebat ſeptem diebus, & qui immundus

erat, aspergebat se die tertio, & septimo aquis lustrationis. Cum igitur hic dicitur de contaminato super mortuo, vt eijciatur extra castra, non intelligitur de immunditia contracta ex quolibet animali morticino, sed solum de contaminatione, super homine mortuo, ob breuitatem enim temporis, quo durabat alia immunditia, non compellebantur illi, qui ea erant affecti extra castra exire. Quia ergo analogũ, per se sumptum stat pro famosiori, quoties in sacris literis audis pollutionem, super mortuo, intellige eam, que per ordinem ad hominem mortuum, nõ ad alia animalia mortua incurrebatur.

III. *Quando denegabatur purgatio Zelotypia.* ET testibus argui non potest.] Duo quorum hic fit mentio requirebantur ad hoc, vt marito denegaretur purgatio zelotypiæ, népe quod ipse vidisset vxorem commisceri, cum altero viro, & insuper, quod id probari posset testibus. His enim stantibus tenebatur eam traducere, vt lapidaretur. Aliàs quocumque illorum cessante poterat vti purgatione zelotypiæ. Et ratio est, quia purgatio ista diuinitus fuit instituta, vt dura corda Iudęorum certiorari possent de criminibus vxorum, & postquam certi essent illas peccasse valerent eas punire, ne ex dolore vehementis suspicionis occiderét vxores, quod esset maius malum. Quamuis ergo ipsi viri reperirent vxores in adulterio, si tamen testes, non adessent, vtebantur huius legis remedio, vt crimina vxorũ, non manerent impunita. Similiter quamuis testes adessent adhoc, vt authoritate iudicis mulier lapidaretur, nihilominus, quia vir poterat habere formidinem, de veritate testium, licebat ei ad se certificandum, omissa accusatione vxoris, compellere eam ad subeundum remedium huius legis.

IIII. *Ingẽs & vehemẽs maledictio ponitur inexẽplum maledictionis.* DEt te Dominus in maledictionem.] Per maledictionem, quę ponitur in exemplum aliorum, qui male dicuntur, de qua in præsenti loquitur scriptura, intelligitur ingens quędam, & vehemens maledictio: nam quando aliquis valde maledictus est dicere solemus. Maledicat tibi Deus, sicut maledixit illi, prout dicitur de Sodoma, & Gomorrha, & Dathan, & Abiron, quos exprimimus in maledictionibus, quia nimis ipsi fuerunt maledicti, adueniente super eos horrenda indignatione Dei. De Sodoma, & Gomorrha habetur Genes. capit. 19. de Dathan, & Abiron habetur infra cap. 16. & 26. Sic etiam contingit in benedictionibus.

V. ET eleuabit illud.] Quod hæc sacrificiorum veteris legis eleuatio, per quam Deus profitebatur Dominus, quatuor plagarum mundi, ac per consequens totius vniuersi, fieri consueuerit, per modum Crucis ostendimus Exod. 29. annotat. 4.

ARGVMENTVM IN CAPVT VI.

¶ Propositis legibus, quas obseruare tenentur Nazaræi, datur modus, quo purificari debeant ab immunditia contracta, super mortuo, assignantur præterea sacrificia, & ritus, quibus finire tenentur suum Nazaræatum, si pro tempore dumtaxat determinato illum vouerunt. Tandem præscribitur sacerdotibus forma verborum, qua benedictio est ab eis, super populum impendenda.

PARAPHRASIS IN CAPVT VI.

A. LOCVTVSQVE *est Dominus ad Moysen*, tulitque legem Nazaræorum *dicens: Loquere ad filios Israel*, tam laicos, quã leuitas, *& dices ad eos.* † *Vir siue mulier, cum fecerint votum*, in hũc finem ordinatum, videlicet, *vt sanctificentur*, ac fiãt 1 Nazaræi, seu separati à communi aliorũ conuersatione, *& se voluerint Domino consecrare*, illiusque cultui specialiter dedicare, per abstinentiam aliquorum delectabilium, quibus alij libere fruuntur, *à vino, & omni, quod inebriare potest abstinebunt*, neque enim satis est religiosos non inebriari, sed adhuc necessarium est, vt neque inebriari queant. *Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione*, licet vinum, non sit, nihilominus, quia in eo manent, nonnullę qualitates rei, ex qua fit, *& quidquid de vua exprimitur*, vt mustum, vel arropum, *non bibent*, ne inde inducantur ad bibendum vinum, *vuas recentes, siccasque, non comedent*, ne dulcedo fructus occasio, sit appetẽdi vinum, *cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur*, siue ad tempus, siue per totam vitam Nazaræi esse velint, *quidquid ex vinea esse potest*, quantumuis etiã minimum, nempe *ab vua passa vsque ad acinum*, 2 *non comedent*, respuentes totum, quod in vua, & ab vua est. *Omni tempore separationis suæ*, quo ab immũditijs omnibus, II. vulga-

† 35. d. c. vinolenti.

I.

vulgarique conuersatione seiunctus, Deo que addictus esse voluerit, † *nouacula non transibit per caput eius*, nec permittet tonderi, seu aliquem capillorum abscindi, *vsque ad completum diem nazaraeatus sui*, & finiatur tempus, *quo Domino consecratur*; quia exacto tempore consecrationis suae, cremari oportet omnes capillos eius super altare holocaustorum. *Sanctus erit*, Nazaraeusque iudicabitur *crescente caesarie capitis eius*: haec enim esse debet insigne ac symbolum status Nazaraeorum. *Omni tempore consecrationis suae*, seu durante voto, quo se Domino consecrauit, *super mortuum*, ad domum scilicet, in qua iacuerit aliquis mortuus, *non ingredietur*: ac multo minus cadauer, ossa, seu vasa mortui tangere audebit: imo potius *nec super patris quidem, & matris, & fratris, sororisque funere contaminabitur*, prout contaminantur, qui tendunt ad plangendū quemlibet mortuorū; *quia consecratio Dei sui super caput eius est*, cum caesaries capitis Nazaraei consecratione speciali sit Deo dicata: ac proinde inhonestum esset taliter consecratum eiusmodi immunditiae subiacere. *Omnibus diebus separationis suae*, quibus à profana laicorum conuersatione separatus esse voluerit, *sanctus erit Domino* cauens ab omni immunditia, & contaminatione. *Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo*, & multo magis si Nazaraeus poterat id praeuidere, & à conspectu mortui recedere, & non recessit; tunc temporis *polluetur caput consecrationis eius*, immundusque erit ipse Nazaraeus, cuius insignior pars magis demonstrans consecrationem eius, est caput habens caesariem; *quod radet illico in eadem die purgationis suae*: neq; enim aliter incipiet purgari ab immunditia contracta, nisi pristinam caesariem quasi pollutam radat, *& rursum septima* die à die primae rasionis iterum radet caput; ne quidpiā immūdę capillaturae remanere queat. *In octaua autem die*, ex quo caepit purificari, *offeret duos turtures, vel duos pullos columbae*, quales aues, & non aliae offerri permittūtur in sacrificijs ꝓpter insignes virtutes, quas aues istae typice repraesentant: offeret autem eas *sacerdoti in introitu faederis testimonij*, seu in porta tabernaculi continentis faedus ac testimonium, quod Deus contulit in tabulis decalogi: *facietque sacerdos*, & offeret in sacrificium ex praedictis duobus pullis: ibus, *vnum pro peccato, & alterum in holocaustum*, iuxta ritum, quo hae duae hostiae offerri praecipiuntur in lege, *& deprecabitur pro eo* Nazaraeo sacerdos rogans Deum, vt non imputet illi contaminationem praeteritam, qua priuatus fuit facultate ingrediendi Sanctuarium; *quia peccauit* non quidem peccatum culpae, cum forte non fuerit in potestate Nazaraei, vt alius in sui praesentia moreretur; sed peccauit peccatum legis inordinans hominem & priuans à rerum sacrarum communicatione; cuius generis est immunditia contracta *super mortuo*, à qua emundare debet eum sacerdos, *sanctificabitque caput eius in die illo* applicans denuo Nazaraeum illum ad cultum Dei; *& consecrabit Domino* per praedictam deprecationē *dies separationis illius*, vt aptus fit homo iste praefatis ceremonijs praeeuntibus agere vitam separatam Nazaraei: complebitque, & perficiet eiusmodi sanctificationem *offerens agnum anniculum*, qui nec maior sit vno anno, nec minor vno mense, in sacrificium *pro peccato*. Quibus peractis Nazaraeus explere poterit votum suae separationis, *ita tamen, vt dies priores irriti fiant*, si enim votum erat temporale, ab hac die debet tempus sui Nazaraeatus computare; *quoniam polluta est sanctificatio eius*, ac proinde obseruatio praeterita nihil sibi prodest: tenetur enim Nazaraeus esse sanctus omnibus diebus separationis suae. *Ista est lex consecrationis*, quam Nazaraeus consecratus Domino obseruare tenetur, quando explet votum suum. *Cum dies, quos ex voto decreuerat, complebuntur*, portabit oblationem suam in sanctuarium, & tunc sacerdos *adducet eum*, praesentabitque *ad ostium tabernaculi faederis*, *&* ibi existente Nazaraeo *offeret oblationem eius Domino*, vt ex ea cūcta sacrificiorū genera fieri queāt, offeret namque *agnum anniculum immaculatum in holocaustum*, quod ad honorem & laudē Dei principaliter ordinatur, *& ouem anniculam immaculatam*, sine vlla prorsus laesione dabit in hostiam *pro peccato*, ad emūdationem culparum, seu negligentiarum, quas durante eius separatione contraxerit, *& arietem immaculatum* dabit ad offerendū in *hostiam pacificam* pro gratiarum actione de eo, quod perduxerit illum Dominus ad completionem voti: & in oblationem vltra praedicta dabit *canistrum quoque panum azymorum, qui conspersi sint oleo*, in sua formatione, vel massatione, *& lagana absque fermento vncta oleo*, quae sunt quasi mēbranulae quaedam ex farina & aqua *ac libamina*

† Indic. 13.a.5.

B.

III.

C.

mina singulorum sacrificiorum, quæ ex simila, vino oleo, thure, & sale offerri debent cum animalibus: *quæ offeret sacerdos* suscipiens ea in manibus, & præsentans *coram Domino, & faciet tam* sacrificium ouis, quā offerre debet *pro peccato, quàm* sacrificium agni, quem offeret *in holocaustum*. *Arietem verò immolabit hostiam pacificam Domino*, sicque tria sacrificiorum genera, pro quibus animalia erant oblata, executioni mandabit, *offerens simul canistrum azymorum* cum panibus, & laganis, *& libamenta* similæ, vini, olei, thuris, & salis, *quæ ex more debentur* in singulis animalium sacrificijs. † *Tunc radetur Nazaræus* ab eodem sacerdote *ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie*, quā nutrierat toto tempore *consecrationis suæ*: licet enim capillorum rasio nemini prohibito concedatur in lege, in vno tamen vel altero casu de ea dari solet præceptum, maxime Nazaræis quorum cæsariem, immolatis prædictis sacrificijs, radet sacerdos, *tollensque capillos eius, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum*, nempe adipibus & sanguini arietis, quę vltimo loco fuerunt super ignem constituta. *Et armum coctum arietis* præcisum de ariete, cuius carne sublatis adipibus, & sanguine in hostiam pacificam, coctæ fuere ad esum sacerdotū, & offerentiū iuxta similiū victimarū, *tortamque absque fermento vnam*, desumptam *de canistro* panum azymorum, quod abstulit Nazaræus, *& laganum azymum vnum* ex laganis ab eodem oblatis, hæc inquam tria accipiet sacerdos, *& tradet in manibus Nazaræi, postquam rasum fuerit caput eius. Susceptaque rursum ab eo, eleuabit in conspectu Domini* per agitationem solitam fieri in cunctis sacrificijs, nempe mouendo ea, quæ habet in manibus, versus ante, & retro, dextrum, & sinistrum per modum crucis in signum, quòd Deus est omnium plagarum mundi, & totius creaturæ Dominus: *& sanctificata* per prædictam eleuationem, scilicet armus, torta, & laganum *sacerdotis erunt, sicut pectusculum*, *quod* pro sacerdotis esu *separari iussum est*, in hostijs pacificis: præter quæ dabitur sacerdoti & *fœmur* præfati arietis, quod specialiter in hac hostia pacifica Nazaræi cedit in ius sacerdotis. *Post hæc potest bibere Nazaræus vinum*, & comedere vuas, atque contaminari in mortuis, & facere cætera, quæ alijs licent: his enim ceremonijs peractis manet absolutus à voto. *Ista est lex Nazaræi* superius posita, cuius obseruatio ni astringitur, *cum vouerit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ*: à die enim, quo voto promisit seruare ritum Nazaræorum per aliquod tempus determinatum ex consequenti & implicitè vouit offerre prædicta sacrificia, *exceptis his, quæ inuenerit manus eius*, & quæ ipse vltroneè iuxta possibilitatem suam offerre voluerit. *Iuxta quod mente deuouerat*, ex his sacrificijs voluntarijs, *ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ*: vt enim commodè expleat, ac finiat Nazaræatum suum, non solum sacrificia ex præscripto legis instituta offerre debet; verùm etiam ea, quæ ipse voluntariè, & iuxta facultatem suam deuouerat. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, indicauitque ei formam, qua sacerdotes benedicere debebant Israelitas sacrificia offerentes, *dicens*: *Loquere Aaron & filijs eius*, quibus solis ex officio interest populum benedicere; ac dices † *Sic benedicetis filijs Israel*, quando quidpiā abtulerint, vel quādo ex alia causa benedici debeant: *& dicetis eis*: *Benedicat tibi Dominus* bona spiritualia, quæ verè bona sunt, largiendo, *& custodiat te* per collationem doni perseuerantiæ. † *Ostendat Dominus faciem suam tibi*, per mentis illustrationem, qua agnoscere valeas secreta diuinitatis suæ: *& misereatur tui*, quantum ad peccatorum condonationem, & pœnæ pro eis debitæ remissionem. *Conuertat Dominus vultum suum ad te*, conferens in tribulationibus consolationem: *& det tibi pacem*, perturbationis materiam auferendo. *Inuocabuntque nomen meum* sacerdotes dicentes *super filios Israel*: Dominus benedicat vobis, *& ego benedicam eis*, conferendo bona, quæ sacerdotes imprecantur super populares.

Marginalia: † Act. 21 d. 24. — IIII. D. — † Eccles. 36. c. 19. — † 1. q. 1. c. dictum à Domino. — V.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

I. *Nazaræus vnde dictus*

VT sanctificentur.) Significationem dictionis Nazar explicat vulgatus interpres per verbum sanctificare, non solum hic sed etiam alibi pluries, & Maximè Zachar. 7. Nunquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo? Pro sanctificare ponitur in Hebræo Hinazer. A Nazar descendit Nazir, id est, Nazaræus, quasi sanctificatus, separa-

separatus, vel elongatus. Erant namque Nazaræi apud Hebræos, qui vt liberiùs vacarent legi discendæ, & expendendæ benignitati Dei, aliorum commercio se abdicabant ad tempus, vel in perpetuũ, & Domino se totos dedebãt. Horum institutum, ratioque viuendi præfigitur à Deo in præsenti capite. Quam vitæ conuersationem, quia Christus Dominus non est amplexatus, etenim vinum bibebat, & ad mortuos ingrediebatur, certum est non fuisse vocatum Nazarenũ, eo quod voto Nazaræorũ Patri æterno applicuerit; sed vel quia de Nazareth oriundus credebatur, vel quia superiori & excellentiori modo, nempe per gratiam vnionis erat sanctificatus, & consecratus.

Christus non egit vitã Nazaræorũ.

II. *Exclusione minimorum cætera excluduntur.*

AB vua passa vsque ad acinum.] Phrasis est communis in scriptura appellatione rerum minimarũ, quidquid ad illarum genus pertinet excludere: vt hic volens prohibere Nazaræis omnem prorsus vinearum fructum, duntaxat meminit vuæ passæ, & acini, quæ minima sunt in hoc genere. Simili locutione vsus est Abraham Gene. c. 14. vbi volens ostendere, se nihil omnino sumpturum de spolijs Pentapolitanorũ, solùm expressit filum subteminis, & corrigiam caligę, dicens, à filo subteminis vsque ad corrigiam caligæ. Quasi diceret: Nihil accipiam, neq; etiã, quæ inter isthæc minutissima continentur.

III. *Immunditia legalis solet vocari peccatum.*

QVia peccauit.] Peccare, seu peccatum cõtrahere multipliciter dicitur secundum quod multis modis sumitur hoc nomen peccatum: non enim semper designat id, quod verè & propriè peccatum est, sed etiam aliqua alia, quæ à peccato sunt, vel ad peccatum inclinant. Huiusmodi erant immunditiæ quædã legales, quibus homines priuabantur ab oblatione sacrificiorũ, & ab exercitio rerũ sacrarũ: & ex consequenti infecti eiusmodi immunditijs promptiores existunt ad peccandũ; & etiã omnes istæ immunditiæ, saltem occasionaliter, originem ducunt à peccato: si enim homo nõ peccasset, nequaquam, illas pollutiones contraxisset. Quia ergo à peccato sunt, & ad peccatũ inclinant, congrua ratione vocantur peccatũ; ob hanc enim solã causam Concilium Tridentinũ sess. 5. in decreto de peccato originali dicit Apostolum vocare peccatum ipsam concupiscentiam, cum inquit ad Rom. 6. Non ergo regnet peccatũ in vestro mortali corpore. Ex his constat, ociosum esse inquirere, pro quo peccato puerpera Leuit. 12. & seminifluus Leuit. 15. offerre turturẽ, aut pullum columbæ, & leprosus Leui. 14. & Nazaræus, in cuius conspectu quispiã est mortuus, hic pręcipiantur offerre pro peccato agnum immaculatum, cum isthæc omnia sine vlla prorsus culpa possint euenire. Dicendum est enim ipsam legis immunditiam vocari peccatum tum propter rationem dictam, tum etiam, quia sicut verum peccatum à gratia Dei separat, ita immunditiæ legalis ab exercitio rerum sacrarũ arcebãt. Vnde pro earum expiatione sacerdos Dominũ deprecabatur, ne vlterius eis, qui illas cõtraxerãt, imputarentur.

IIII. *Ordo seruandus in oblationibus sacrificiorum.*

SVppositus sacrificio pacificorũ.] Quamuis omnia tria sacrificia, quæ hic præcipiuntur offerri, fuerint apposita super ignẽ altaris holocaustorum, nihilominus specialiter dicitur de eo in præsenti, quod est suppositus sacrificio pacificorum, quia habito respectu ad tempus, quo cremari debebant capilli immediatius præcesserat appositio hostiæ pacificæ super ignem. Primo enim immolabatur sacrificiũ pro peccato, quia istud semper erat primum apud omnes offerẽtes, deinde immolabatur holocaustũ, & cremabatur in eodem altari; postremo tandem adolebatur sacrificium pacificorũ: & cum cremaretur hoc vltimum sacrificiũ applicabatur igni illius cæsaries Nazaræi: & ideo dicitur quod ille ignis erat tunc suppositus sacrificio pacificorum. Quem quidem ordinẽ immolationis victimarum insinuauit scriptura, dum paulo superius ait: Quæ offeret sacerdos coram Domino, & faciet tã pro peccato, quam in holocaustũ; Arietem verò immolabit hostiam pacificam.

V. *In legali benedictione petebatur aduentus Messiæ.*

OStendat Dominus faciem suam tibi.] In hac legali benedictione putant plures sancti Patres, maximè Theodoretus, & Cyrillus etiam sensu historico postulari aduẽtũ Messię. Quorũ sententiam confirmãt verba illa Psal. 66. Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultũ suum super nos, & misereatur nostri. Vbi in omniũ sentẽtia, Dauid petit Christi aduẽtũ. Et id ipsum insinuare videtur Ecclesiasticus cũ ca. 36. huius legalis benedictionis adimpletionẽ exoptat dicens: Secundum benedictionem Aaron da populo tuo: & dirige nos in via iustitiæ, hoc est, in Christo, qui de se ipso inquit Ioan. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Quã benedictionẽ etiam insinuat Apostolus ad Ephes. 1. cũ inquit: Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo. Iuxta quẽ sensum aduertendũ est in his verbis: Ostendat Dñs faciẽ suã tibi, & misereatur tui. Cõuertat Dñs vultũ suũ ad te & det tibi pacẽ, non solum prioris aduẽtus Christi, fieri mẽtionẽ, sed etiã posterioris. Quia enim primus Christi aduẽtus futurus erat, vt se primò visibilẽ exhiberet mũdo, & ad parcendum peccatoribus, idcirco vtitur verbo ostẽdat, ac subdit, & misereatur tui. Et quia secundus aduentus erit quidem Christi regressus in mundum, vt conferat iustis æternam pacis beatitudinem, ideo vtitur scriptura verbo Cõuertat, & subiungit: Et det tibi pacẽ.

ARGVMENTVM IN CAPVT VII.

¶ Enarraturus Moyses oblationem factam à duodecim principibus Israel in die consecrationis tabernaculi, primo ostendit eos

omnes

Digitized by Google

omnes simul obtulisse sex plaustra, ac duodecim boues ad portandũ onera tabernaculi: deinde sigillatim describit munera, quæ vnusquisque illorum obtulit pro cultu altaris & sacrificiorum: ac tandem docet qualiter se gesserit Moyses in ministerio tabernaculi post illius erectionem, ac sacerdotum consecrationem.

PARAPHRASIS IN CAPVT VII.

A. † Exodi 40.b.16. I.

F*Actũ est autem* † *in die* prima, primi mensis, anni secundi ab exitu filiorũ Israel de AEgypto, *qua cõpleuit Moyses tabernaculũ*, non per se ipsum, sed per manus artificum Beseleel, & Ooliab, *& erexit illud* collocans tabulata, & cortinas, & cætera in suis proprijs locis: *vnxitque* liniens partes sanctuarij proprio digito in oleo tincto: *& sanctificauit*, sacrisq; vsibus ingenti solẽnitate applicuit *cum omnibus vasis suis*, seu rebus intra Sanctuariũ collocatis, *altare similiter holocaustorũ, & omnia vasa eius*; ea igitur die nonnulla etiã, quæ modo per recapitulationẽ referã, contigerunt. *Obtulerunt* nãque supra memorati *principes Israel, & capita familiarum qui*, vt superius agentes denumeratione populi ostendimus, *erant per singulas tribus* principes, & capita, vnusquisque scilicet in tribu sua, *præfectique eorum, qui numerati fuerant*, totius videlicet populi; omnes enim duodecim tribus numerati fuerunt: prædicti ergo duodecim principes obtulerunt *munera corã Dño* de his rebus, quas necessarias esse sciebant ad vsum sanctuarij, videlicet *sex plaustra tecta*, seu carpenta aliquibus velamentis operta, *cum duodecim bobus*, vt cuilibet plaustro duo boues correspõderent. *Vnũ plaustrũ obtulere duo duces*: ne si quilibet vnũ offerret, superabundarent plaustra, quę nõ ad portãdũ omnia onera tabernaculi, sed in signũ deuotionis ducũ offerebantur: ne etiã si vnus offerret plaustrũ, & alius non, dissensionis materia pullularet: ob quã etiã causam obtulerunt *& vnum bouẽ singuli*, non ad sacrificiũ, sed ad portandũ plaustra. *obtuleruntq; ea in conspectu tabernaculi*: Dubitans autem Moyses, an recipienda forent isthæc munera, consuluit Dominũ super hoc. *Ait autẽ Dñs ad Moysen: Suscipe ab eis, vt seruiant in ministerio tabernaculi* ad portãdũ in his plaustris res, ex quibus atriũ, & tabernaculũ cõponuntur, *& trades ea Leuitis*, qui futuri sunt aurigæ illorum *iuxta ordinem ministerij sui*: neque enim omnibus Leuitis æqualiter conuenit habere plaustra vel perducere. *Itaque cum suscepisset Moyses plaustra & boues* tanquam sacerdos, qui tũc temporis, nempe ante consecrationem Aaron & filiorum eius, eiusmodi munus exercebat, *tradidit eos Leuitis* custodiendos, quousque decerneret quot currus vnicuique familię Leuitarũ dare oporteret. *Duo plaustra & quatuor boues*, post factam à Deo in Leuitis officiorum distributionem, *dedit filijs Gerson, iuxta id quod habebant necessarium*: seruata scilicet proportione onerũ suorum, ad onera Meraritarum: quia enim non magni oneris erant vela & tentoria, quæ Gersonitæ portare tenebantur, nõ plura cõtulit plaustra: cæterum *quatuor alia plaustra & octo boues dedit filijs Merari*, quia res valde maioris põderis, quam res portandæ à Gersonitis deferre oportebat: diuisit igitur eis currus principum *secundum officia & cultum suum*, tam Gersonitarum, quam Meraritarum, qui vtrique ministrare debebant *sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis*, huic enim tanquam principi immediato subiectæ erant hæ duæ familiæ Leuitarũ. *Filijs autem Caath non dedit plaustra & boues*, non quidem propter curruum defectum, sed *quia in sanctuario seruiunt*, seu quia munus, quo eos erga Sanctuarium seruire decet, tale est, quod *& onera proprijs portant humeris*, non enim in plaustris, neque in mulis, sed in humeris hominum ad maiorem reuerentiam deferenda sunt Caathitarum onera. *Igitur obtulerunt*, seu inceperunt offerre duodecim *duces in dedicationem altaris* illiusque dedicationis gratia in *die, qua vnctum est*, quæ fuit ipsamet, in qua erectum est tabernaculum, tunc, in quam, non solũ obtulerunt principes plaustra boum, sed etiam cœperunt offerre *oblationem suam ante altare*, nẽpe id, quod ad cultum & vsum altaris holocaustorum spectabat. *Dixitque Dominus ad Moysen: Singuli duces* secundũ ordinem vexillorum superius constitutum B.

per

Digitized by Google

per singulos dies offerant munera in dedicatio-
nem altaris, quo diuturnitas, ac mora tem-
poris solemniorem reddat oblationem, cu-
iusque altaris magis in populo accrescat.
Primo die obtulit oblationem suam Nahason
filius Aminadab de tribu Iuda, vtpote dux
nobilioris vexilli, quod fuit orientale: *fue-*
runtque in ea acetabulum argenteum, scutella
videlicet ampla, aptaque ad recipiendum
similam, *pondo centum triginta siclorum* mo
netæ tunc temporis satis notæ; *phiala ar-*
II. *gentea* 2 vini, libationibus ac potibus aliàs
dicata, *habens septuaginta siclos*: quorum si-
clorum mensura erat *iuxta pondus Sanctua-*
rij, legitima scilicet, & nullatenus deficiens
nec adulterata, *vtrumque* vos tam acetabu
lum quàm phiala erat *plenum simila con-*
spersa oleo, materia côuenienti & apta, vt of-
ferri posset *in sacrificium*: *mortariolum* par-
uum, & curuum constans dumtaxat *ex de*
cem siclis aureis, *plenum incenso*. Obtulit
præterea Nahason animalia immolatitia
pro singulis sacrificiorum generibus: vide
licet *bouem de armento*, seu vitulum tenerũ
adhuc cum matre pascentem, *& arietem, &*
agnum anniculum; quia enim ex his tan-
tum animalibus diuites offerre poterant
holocausta, idcirco ex singulis eorum ge-
neribus, singula contulit Nahason *in holo-*
caustum: *hircumque pro peccato*, qui in simili
hostia offerri consueuerat à principibus:
& in sacrificio pacificorum pro gratiarum
III. actione obulit *boues duos*, 3 *arietes quinque*,
IIII. *hircos quinque, agnos anniculos quinque*, 4 ne-
que enim alia animalia offerri poterant in
hostia pacifica. *Hæc est oblatio Nahason fi-*
lij Aminadab constans viginti & vno ani-
malibus immolatitijs. *Secundo die obtulit*
Nathanael filius Suar, *dux de tribu Issachar*
primusque comes vexilli Iudæ, *acetabulũ*
argenteum, appendens centum triginta si-
clos; phialam argenteam habentem septua-
ginta siclos, iuxta pondus Sanctuarij, vtrum
que plenũ simila conspersa oleo in sacrificiũ,
mortariolum aureũ habens decem siclos, ple-
nũ incenso, bouem de armento, & arietem,
& agnum anniculum in holocaustum, hir-
cumque pro peccato: & in sacrificio pacifico-
rum boues duos, arietes quinque, hircos quin
que, agnos anniculos quinque. Hæc fuit obla
tio Nathanael filij Suar, quæ sicut & cæte
ræ subsequentes in numero, & qualitate
hostiarum omnino æqualis extitit cũ præ
cedenti: quod ex condicto factum esse cre
ditur, ne ex duodecim principibus vnus

alio excellentior appareret. *Tertia die prin*
ceps filiorũ Zabulon Eliab filius Helõ alter
ex Iudæ comitibus *obtulit acetabulum ar-*
genteum appendens centũ triginta siclos,
phialam argenteam habentem septuaginta
siclos ad pondus Sanctuarij, vtrũque plenum C.
simila conspersa oleo in sacrificium, mortario
lum aureum, appendens decem siclos, plenũ
incenso, bouẽ de armento, & arietem, & ag
num anniculum in holocaustum, hircumque
pro peccato, & in sacrificio pacificorum, bo-
ues duos, arietes quinque, hircos quinque,
agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio
Eliab filij Helon. Die quarto princeps filiorũ
Ruben Elisur filius Sedeur qui præsidebat
vexillo australi *obtulit acetabulum argen-*
teum appendens cẽtum triginta siclos, phia
lam argenteam habentem septuaginta si-
clos ad pondus Sanctuarij, vtrũque plenum
simila conspersa oleo in sacrificium, mortario
lum aureum appendens decem siclos plenum
incenso: bouẽ de armento: & arietem, & ag-
num anniculũ in holocaustum, hircũque pro
peccato: & in hostias pacificorũ boues duos,
arietes quinque, hircos quinque, agnos anni
culos quinque. Hæc fuit oblatio Elisur filij
Sedeur. Die quinto princeps filiorum Simeõ
Salamiel filius Surisaddai comes vexilli
Ruben *obtulit acetabulũ argenteum appẽ*
dens centum triginta siclos, phialam argen-
team habentem septuaginta siclos ad põdus
Sãctuarij vtrumque plenum simila consper
sa oleo in sacrificium, mortariolum aureum
appendens decem siclos plenum incenso: bo-
uem de armento, & arietem, & agnum an-
niculum, in holocaustum, hircumque pro pec-
cato, & in hostias pacificorum boues duos,
arietes quinque, hircos quinque, agnos anni
culos quinque. Hæc fuit oblatio Salamiel fi-
lij Surisaddai. Die sexto princeps filiorum
Gad Eliasaph filius Duel socius secundus ve D.
xilli meridionalis *obtulit acetabulum ar-*
genteum appendens centum triginta siclos,
phialam argenteam habentem septuaginta
siclos ad pondus Sanctuarij, vtrũque plenum
simila cõspersa oleo in sacrificium, mortario
lum aureum appendens decẽ siclos plenũ in
censo, bouẽ de armento, & arietem, & agnũ
anniculum in holocaustum, hircũque pro pec
cato: & in hostias pacificorũ boues duos, arie
tes quinque, hircos quinque, agnos annicu-
los quinque. Hæc fuit oblatio Eliasaph filij
Duel. Die septimo in quo finita est cõsecra-
tio Aaron ac filiorũ eius, quæ vna cũ prin
cipum oblationibus cæperat in ipsa die
erectio-

erectionis & vnctionis tabernaculi, princeps filiorũ Ephraim Elisama filius Ammiud
dux vexilli occidentalis obtulit acetabulũ
argenteum appendens centũ triginta siclos
phialã argenteã habentẽ septuaginta siclos
ad pondus Sanctuarij, vtrũque plenũ simila
cõspersa oleũ in sacrificiũ: mortariolũ aureũ
appendens decẽ siclos plenũ incenso: bouem
de armento, & arietẽ, & agnũ anniculũ in
holocaustũ, hircũq; pro peccato: & in hostias
pacificorũ boues duos, arietes quinque, hircos
quinq; agnos anniculos quinque. Hæc fuit
E. oblatio Elisama filij Ammiud. Die octauo
qui solẽnior fuit alijs diebus, vtpote in quo
noui sacerdotes cœperunt ministrare, cum
hacten Moyses solus sacrificia obtulisset,
ignis quoque de cœlo ad gloriã nouæ ministrationis venit ad cremandum sacrificia,
mors etiã contigit Nadab & Abiu: hoc igitur tã solẽni die princeps filiorũ Manasse
Gamaliel filius Phadasur socius principis
Ephraim obtulit acetabulũ argenteũ appendens centũ triginta siclos, phialã argenteã
habentẽ septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrũque plenũ simila conspersa oleo
in sacrificiũ: mortariolũ aureũ appendẽs decem siclos plenũ incenso, bouem de armento
& arietẽ & agnũ anniculũ in holocaustum,
hircũque pro peccato: & in hostias pacificorũ boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Gamaliel filij Phadasur. Die nono princeps filiorũ Beniamin Abidã filius Gedeonis,
qui erat sub vexillo Ephraim obtulit acetabulũ argenteũ appendens centũ triginta
siclos, phialã argenteã habentẽ septuaginta
siclos ad pondus Sanctuarij, vtrũque plenũ
simila conspersa oleo in sacrificiũ, & mortariolũ aureũ appendens decẽ siclos plenum incenso: bouẽ de armẽto, & arietẽ, & agnũ anniculũ in holocaustũ, hircũque pro peccato:
& in hostias pacificorum boues duos, arietes
quinque, hircos quinque, agnos anniculos
quinque. Hæc fuit oblatio Abidã filij Gedeo
F. nis. Die decimo princeps filiorũ Dan Ahiezer filius Ammisaddai, qui præerat vexillo
Septẽtrionali, obtulit acetabulũ argẽteum
appendens centũ triginta siclos, phialã argenteã habentẽ septuaginta siclos ad põdus
Sanctuarij, vtrũque plenũ simila cõspersa
oleo in sacrificiũ, mortariolũ aureum appendens decẽ siclos plenum incenso: bouẽ de armento, & ariete, & agnũ anniculũ in holocaustũ, hircũque pro peccato: & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos
quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit
oblatio Ahiezer filij Ammisaddai. Die vndecimo princeps filiorũ Aser Phegiel filius
Ochran, qui castrametabatur sub vexillo
Dan, obtulit acetabulũ argenteũ appendẽs
centũ triginta siclos, phialã argenteã habẽtem septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij
vtrũque plenũ simila conspersa oleo in sacrificiũ: mortariolũ aureũ appendens decẽ siclos
plenũ incenso: bouẽ de armento, & arietẽ, &
agnũ anniculũ in holocaustũ, hircũque pro
peccato, & in hostias pacificorũ boues duos,
arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Phegiel filij
Ochran. Die duodecimo princeps filiorum
Nephthali Ahira filius Enan, comes secundus vexilli Dan obtulit acetabulũ argenteũ appendens centũ triginta siclos, phialã
argenteã habentẽ septuaginta siclos ad pondus Sanctuarij, vtrũque plenũ simila oleo cõ- G.
spersa in sacrificiũ: mortariolũ aureum appẽdens decẽ siclos plenũ incenso: bouẽ de armẽto, & arietẽ, & agnũ anniculũ in holocaustũ, hircũque pro peccato & in hostias pacificorũ boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahira filij Enan. Hæc omnia, quæ in
summã à nobis redigi oportet, in dedicatione altaris oblata sunt seu offerri cœperũt
à principibus Israel in die, qua cõsecratum
est altare holocaustorũ, & ex consequenti
reliqua omnia tabernaculi vtensilia: sine
qua consecratione nequibant sacris vsibus applicari videlicet acetabula argentea duodecim, phialæ argenteæ duodecim:
mortariola aurea duodecim: ita vt centum
triginta siclos argenti haberet vnũ acetabulũ, & septuaginta siclos haberet vna phiala
id est, in cõmune vasorum omniũ ex argẽto
sicli duo millia quadringenti põdere Sãctuarij, mortariola aurea duodecim plena incẽso
denos siclos appẽdẽtia põdere Sãctuarij: id
est, simul auri sicli centum viginti: boues de
armẽto in holocaustum duodecim, arietes duo- V.
decim, agni anniculi duodecim, & libamenta eorum, nẽpe simila, vinũ, oleum, thus,
& sal iuxta mensurã in lege præscriptam,
hirci duodecim pro peccato: in hostias pacificorum boues viginti quattuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt ad honorẽ & reuerentiã festiuæ solẽnitatis, quę celebrata est
in dedicatione altaris quando vnctum est.
Post quã dedicationẽ, sacerdotũque consecrationẽ, Moysi nõ remansit aliqua ministratio

ſtratio in Sanctuario, ſed dũtaxat ingrediebatur in Sancta Sanctorũ ad inquirendum oraculũ. *Cũque ingrederetur Moyſes tabernaculũ fœderis*, vbi aſſeruantur tabulæ continentes pactũ initũ inter Deũ & populũ Iſrael, accederetque ad propiciatorium, *vt conſuleret oraculũ*, ac reſponſum quæreret, *audiebat vocẽ loquentis ad ſe* formatam in aëre, ad eiuſq; aures peruenientẽ *de propiciatorio*, ſeu de loco, vbi aderat operculũ, *quod erat ſuper arcam teſtimonij inter duos Cherubim*, ad modũ cuiuſdã magnifici throni, *unde & loquebatur ei* per mediũ angeli formantis verba deſuper propiciatorium.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

I. *Recapitulationibus vti ſolet ſcriptura.* QVA compleuit.] Certum eſt hoc in loco vti ſcripturam recapitulatione quadã; neque enim in præſentis hiſtoriæ, ac rerum præcedentium narratione ordinẽ ſeruat temporis: cum ea quæ hucuſque retulit à principio huius libri contigerint anno ſecundo in principio menſis ſecundi ab exitu de Egypto, vt dicitur in præfato libri præſentis initio. Oblatio autem principum, cuius hic fit mentio fuit in die erectionis tabernaculi, vt hoc in loco habetur: erexit autem Moyſes tabernaculum prima die primi menſis ſecundi anni, vt conſtat Exod. vlt. Patet ergo erectionem tabernaculi & oblationem principum præceſſiſſe ad minus per menſem integrum plurima illorum, quę hucuſque narrata ſunt. Quamuis verò ſcriptura non ſeruauerit ordinem temporis, ſeruauit tamen ordinem materiarum, de quibus agit, vt præcepta legis non inuolutẽ, & permiſtè traderentur, ſed dilucidè, & diſtinctè. Vnde in Leuitico agens Moyſes de omni miniſtratione pertinente ad ſacerdotes debuit in capite octauo interponere eorum conſecrationem: ne ſi in fine Exodi quando contigerant, enarraſſet, tractatum Leuitici mãcum relinqueret. Similiter in hoc libro agit de præceptis pertinentibus ad laicos: congruum igitur fuit, vt poſt deſcriptam oblationem Nazaræorum, qui digniores erant inter laicos, deſcriberetur oblatio principum, & maximè quaſi in exemplum aliarum, quę ab ipſis fieri deberent, debuit enarrari illa inſignis oblatio, quæ in tempore erectionis tabernaculi per duodecim continuos dies contigit. Hinc eſt libros hos non tam hiſtoriales, quã legales debere vocari: in eis enim magis obſeruatur ordo legum & præceptorum, quàm ordo hiſtoriæ, quamuis de vtroque fiat paſsim mentio.

II. *Phiala quã figuram habuerit.* PHiala argentea.] Phiala Hebraicè dicitur Mizrach, à Zarach quod eſt fundere, aut ſpargere. Vnde Mizrach, id eſt, ſparſio vas erat ſparſum, & fuſum, & latum, & potationibus conueniens, vt conſtat Hamos. 6. Bibentes vinum in phialis. Et Zachar. 9. Et bibentes inebriabuntur, quaſi à vino, & replebuntur vt phialæ. Quod vaſis genus adhibebatur in ſacrificijs ad victimarum ſanguinem excipiẽdum, vt intelligi poteſt ex 3. Reg. 7. & Zachar. 14.

III. *Boues pro tauris, vel vitulis.* BOues duos.] Vocãtur boues hic, & vbicunque agitur de ſacrificijs offerendis vel occidendis, tauri vel vituli non caſtrati: nullum enim animal caſtratum offerri poterat in ſacrificium: vt patet Leuit. ca. 22. cum dicitur: Omne animal, quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis, ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino: & in terra veſtra hoc omnino ne faciatis: videlicet non faciatis hoc, quod eſt offerre animalia caſtrata: neque enim prohibet caſtrare animalia ad eſum vel ad trituram, & cætera: quãuis id quoque prohibitũ eſſe exiſtimauerit Abulenſis ſuper hunc locũ q. 16. ſed duntaxat prohibetur illa ſacrificare, vel propter defectum eiuſmodi animalium, vel quia id Gentiles facere conſueuerant. *Iudæis licitũ erat caſtrare animalia nõ autẽ offerre ea in ſacrificiũ.*

IIII. *Plura animalia offerebãtur in hoſtiis pacificorum quam ad alia ſacrificia.* AGnos anniculos quinque.] Ratio quare oblata ſunt in ſacrificio pacifico tot animalia à quolibet de principibus, ſcilicet decem & ſeptem: in holocauſto autẽ ſolùm tria, & in ſacrificio pro peccato vnum, ea eſt, quia ſacrificium pacificum fiebat ad exultationem, & de hoc licebat ipſis offerentibus comedere. De holocauſto autem & ſacrificio pro peccato non licebat: & quia volebant offerẽtes gaudere comedendo de ſacrificijs ſuis coram Domino, offerebant multa animalia, vt ſufficienter inde epularentur. Non enim ſolùm quilibet horum principum comedebat de partibus ſacrificiorum pacificorum ſibi prouenientibus, ſed etiã multi alij de tribu ſua. Nam cum quilibet hiſtorum eſſet princeps vnius tribus conuocabat ſecum ad cibos ſaltem principales illius tribus, ſcilicet principes familiarum & domorum, & pro eis neceſſaria erant multa animalia.

V. *Libamẽta quinq; rebus cõſtabãt.* LIbamenta eorum.] Libamenta vocantur nonnulla, quæ vna cum ſacrificijs carnium lex iubebat offerre, videlicet ſimila, vinum, oleum, thus, & ſal. In thure & ſale non ponebatur menſura: nam de ſale tantum dabatur, quantum ſufficeret aliàs in condimento, ac ſi offerretur cibus ſuper altare, & non ſacrificium. De thure menſura nulla erat, ſed quilibet offerebat, quantum vellet. In oleo autem, vino, & ſimila erat menſura: nam pro bobus & pro arietibus dabatur maius libamen, quàm pro agnis, nam pro quolibet boue dabantur tres decimæ ſimilæ conſperſæ oleo, id eſt, tria gomor, & de oleo medietas menſuræ hin, & vinum eiuſdem menſuræ. Per arietes autem dabatur minus, ſcilicet duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo, & tertia pars hin de oleo ad conſpergendum, & tantundẽ de vino. Pro agnis anniculis dabatur vna decima ſiue vnum gomor de ſimila, & quarta pars menſuræ hin de oleo, ac tantundem de vino: vt conſtat inferius capite. 15.

ARGVMENTVM IN CAPVT *VIII.*

¶ Præscripto ritu, quo Aaron & filij eius tenebantur disponere lucernas candelabri aurei in tabernaculo externo, nempe taliter, vt in parte meridionali constituta lucem emitterent versus austrũ, iubet Dominus leuitas consecrari. Quod fieri oportebat præcedente legali purificatione, per sacrificiorum oblationem, & sacerdotum obsecrationem, aliarumque ceremoniarum obseruationem: quibus omnibus applicatio leuitarum ad cultum tabernaculi loco primogenitorum designabatur. Exprimitur tandem ætas, in qua Leuitæ poterant consecrari, portandisque oneribus vacare.

PARAPHRASIS IN CAPVT VIII.

A. *Locutusque est Dominus ad Moysen*, docuitque quale deberet esse munus pontificis, *dicens:*

I. *Loquere Aaron* 1 quasi pontifici, cui expedit indicere minoribus sacerdotibus, quæ eos facere oportet, *& dices ad eum: Cum* tu per te ipsum, vel per ministerium filiorum tuorum *posueris septem lucernas,* quas singulis diebus componere tenentur minores sacerdotes, *candelabrum* aureum habens prædictas septem lucernas *in australi parte* exterioris tabernaculi *erigatur. Hoc igitur, præcipe* filijs tuis, qui ingressuri sunt ad componendum candelabrum aureum, *vt lucernæ* illius diffundentes lumen non circumquaque, sed ad vnam certam partem, *contra Boream*, seu versus Aquilonem, *è regione respiciant ad mensam panum propositionis*, quæ in parte septentrionali tabernaculi sita est, *contra eam partem, quam candelabrum respicit, lucere debebunt*: vt hac ratione vnicum candelabrum in parte meridionali positum illuminare valeat totum exterius tabernaculum. *Fecitque Aaron* quod locutus est ei Moyses: *& imposuit lucernas* existentes *super candelabrum* ea forma & situ, *vt præceperat Dominus Moysi*: nam posuit namque eas, seu imponere præcepit filijs suis taliter, quod respicerent mensam panum propositionis. *Hæc autem erat factura candelabri*, seu opus illius in generali: erat enim constructum *ex auro ductili*, ita vt percussione mallei omnes illius partes educerentur, *tam medius stipes, quàm cuncta, quæ ex vtroque calamorum latere nascebãtur*: scilicet calami ipsi & scyphi, & sphærulæ, ac lilia: omnia inquã ista ex auro ductili erant *iuxta exemplũ, quod ostendit Dominus Moysi*, in monte Sinai, cuius fit mentio in libro Exodi, *ita operatus est candelabrũ* ipse Moyses, opere & industria Beseleelis & Ooliab. *Et locutus est Dominus ad Moysen*, vt Leuitarũ consecrationẽ ei præciperet *dicens: Tolle Leuitas* separans illos ac secernens *de medio filiorũ Israel, & vt* specialia quædã iura & officia exercere valeãt, *purificabis eos* à sordibus contractis in conuersatione populari, *iuxta hunc ritũ* & modũ purificandi nunc præscribendũ: *Aspergantur aqua lustrationis,* quæ mista est cineri vitulæ rufæ crematæ extra castra, instituta que est ad legales immunditias tollendũ: *& radãt omnes pilos carnis suæ,* in signum integræ ac totalis munditiæ. *Cumque lauerint vestimenta sua* aquis cõmunibus, *& mundati fuerint* prædictis ceremonijs, nẽpe aspersione aquæ lustrationis, & rasione pilorũ vestiumque lotione, in quarum ceremoniarũ ritu principaliter consistit legalis purificatio: his inquã peractis *tollent bouẽ de armentis* ad offerendũ eũ in holocaustũ; simulque *& libamentum eius*, sine quo nequit offerri holocaustum, videlicet *similam oleo conspersam* cum suis accessorijs, nempe vino, thure, & sale: *bouem autem alterum de armento tu accipies,* vt offeras illum in sacrificium *pro peccato: & applicabis Leuitas coram tabernaculo fœderis*, faciens eos ingredi atrium B.

saltem

saltem successiue, si omnes simul nequeat
atrium capere: quæ quidem præsentatio
fieri oportet *conuocata omni multitudine*
filiorum Israel: ab eis enim omnibus offer-
ri debent Leuitæ locum primogenitorum.
Cumque Leuitæ fuerint præsentati ad ostiũ
tabernaculi, *coram Domino*, *ponent filij Is-*
II. *rael manus suas super eos*, 2 in signum ap-
probationis, & consensus, quem præbent
ad hoc, cultui sanctuarij applicentur Leui-
tæ. *Et offeret Aaron Leuitas*, ac si offerret
aliquod *munus in conspectu Domini*: ipsi
namque sunt dati Deo in munus. *à filijs Is-*
rael, vt seruiant in ministerio eius erigen-
do & deponendo sanctuarium & portan-
do illud in via, atque in circuitu illius castra
metando ad custodiam. *Leuitæ quoque po-*
nent manus suas super capita boum accep-
tantes eorum sacrificia, *è quibus vnum fa-*
cies hostiam, vel sacrificium *pro peccato, &*
alterum offeres per te, vel per Aaronem
in holocaustum Domini, vt occasione ha-
rum victimarum, quæ Leuitæ conferunt
ad sacrificandum *depreceris pro eis*, prout
deprecari solent ministri sanctuarij pro
his, qui hostias præbent in sacrificia. *Sta-*
C. *tuesque Leuitas in conspectu Aaron, & fi-*
liorum eius, quasi tradens eos Leuitas
potestati sacerdotum, quibus subministra
re tenentur Leuitæ: *& consecrabis*, non
vnctione aliqua, prout consecrãtur sacer-
dotes, sed quasi *oblatos Domino*; ita vt ip-
sa traditione, qua Deo offeruntur, perma-
neant diuino cultui dicati, non amplius ad
laicorum conuersationem reuersuri, *ac sepa*
rabis de medio filiorum Israel, non quidem
quantum ad mutuam confabulationem,
& communicationem, sed *vt sint mei* mini
stri, certo & speciali ministerio vacantes,
cui cęteris Israelicis incumbere non licet.
Et postea ingredientur, seu habebunt facul-
tatem ingrediendi *tabernaculum fœderis*,
non iugiter, sed dumtaxat quando mouen-
da sunt castra, *vt seruiant mihi* portantes
sanctuarium & omnia vtensilia eius, ac cæ-
tera facientes, quæ lex eis permittit. *Sicque*
purificabis ab immunditijs, & vana conuer
satione vitæ secularis. *& consecrabis*, seu di
cabis *eos in oblationem Domini*, ritu scilicet
ac ceremonijs hactenus relatis: *quoniam*
† Su. c. 3 b. 13. *dono donati sunt mihi à filijs Israel*: ac pro
Exo. 13. a. inde quasi munus mihi à populo collatum
2. Luc. 2. oportet eos speciali ritu cultui meo dicare.
d. 23. † *Pro primogenitis* speciei humanæ, *quæ*
aperiunt omnem vuluam, seu de vteris ma-
ternis primò egrediuntur *in Israel accepi*
eos ad hoc, vt quo modo primogeniti filio
rum Israel teneantur seruire in tabernacu
lo meo, eo quod per me fuerunt à morte a
staturis redempti; ita Leuitæ teneantur lo
co primogenitorum eiusmodi ministerium
peragere. *Mea sunt enim* speciali titulo re
demptionis *omnia primogenita filiorum Is*
rael, tam ex hominibus, quam ex iumentis:
quapropter iure optimo potui pro eis mi
hi Leuitas vendicare † *Ex die, quo percussi* 15. q. 1.
omne primogenitum in terra Ægypti, im- c. necis,
munesque dimisi omnes primogenitos de voto
vestros, *sanctificaui eos mihi*, atque cultui c. magna
meo specialiter addixi in memoriam insig
nis & egregiæ libertatis, qua vos eo die do
naui, *& tuli Leuitas* in commutationem,
pro cunctis primogenitis filiorum Israel, ob
zelum iustum, quem ostenderunt in puni
tione & vindicta eorum, qui adorauerunt
vitulum in Horeb; *tradidique eos dono Aarõ*
& filijs eius, adducẽdo illos *de medio popu-*
li: *vt seruiãt mihi pro Israel*, seu pro primo
genitis, quos dare mihi tenebatur totus po
pulus Israel ad seruiendum *in tabernaculo*
fœderis, *&* etiam tuli Leuitas de medio Is-
raelitarum ad hoc, vt *orent pro eis, ne* Deus
permittat vt Israelitæ præsumant mini-
strare in sanctuario, & *sit in populo plaga*
mortalitatis, quæ proculdubio erit in po-
pularibus, *si ausi fuerint accedere ad san-*
ctuarium ministrandi gratia. *Feceruntque*
Moyses, & Aaron, & omnis multitudo filio
rum Israel super Leuitis, & executioni mã
darunt, *quæ præceperat Dominus Moysi*, vnus
quisque perficiens id, quod sua intererat er
ga Leuitas: *purificatique sunt* aspersione aquę
lustrationis, pilorumque rasione, *& laue-*
runt vestimenta sua in aquis viuentibus, seu
communibus. *Eleuauitque eos Aaron in con* D.
spectu Domini ventilans aliquos eorum ad
quatuor mundi plagas ad protestandum
Deum, cui Leuitæ applicabantur esse to-
tius orbis Dominum: *& orauit pro eis* sim-
pliciter exposcens à Deo, vt acceptaret
eorum emundationem, *vt purificati* dignè
& impune *ingrederentur*, accederentque
ad officia sua, quæ eos exercere oportet
in tabernaculum fœderis coram Aaron, &
filijs eius, nempe erigere, ac deponere ta-
bernaculum ad iussionem sacerdotum, &
alia huiusmodi facere. *Sicut præceperat Do-*
minus Moysi de Leuitis in his, quæ modo
retuli, *ita factum est*, executionique man-
datum. *Locutusque est Dominus ad Moysen*,

Ff ac do-

†77. di. c. inveteri lege. ac docuit ætatem, qua pollere debent Leuitæ consecrandi; in ministros sanctuarij, *dicens:* †*Hæc est lex Leuitarũ,* distinguens
III. eos, qui veniunt consecrandi in Leuitas ab his, quos cõsecrare nõ licet. *A viginti quin*
IIII. *que annis* 3 *& supra,* nempe postquã istũ annorũ numerum cõpleuerint, *ingredientur,* 4 seu acceptabuntur ad hoc, *vt ministrent,* quando debitam ætatem attigerint administrandam, *in tabernaculo fœderis,* vt scilicet ministrare valeant post trigesimum annum. *Cumque quinquagesimum annum ætatis impleuerint,* quãdo ætas iam incipit declinare ad defectũ, *seruire cessabunt,* quantum ad portationem onerũ, & erectionẽ, atque depositionem sanctuarij, quæ sunt opera dura; *eruntque ministri fratrum suorũ* in his, in quibus ætatis prouectio ministrare permittit, *in tabernaculo fœderis,* videlicet in hoc, *vt custodiant, quæ sibi fuerint cõmendata* ex rebus, quas alij Leuitæ portare tenentur: *opera autem ipsa non faciant,* nec portandis oneribus vacabunt. *Sic dispones Leuitis* ea, quæ ipsos facere oportet *in custodijs suis,* seu officijs, & ministerijs.

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

I. *Compositio lucernarũ nõ erat munus pontificis, sed minorũ sacerdotum.* LOquere Aaron.] Ex eo: quod præceptum constituendi lucernas sub tali forma impositum est, dumtaxat Aaroni, & nõ filijs eius colligunt nonnulli, minoribus sacerdotibus nequaquam licuisse cõponere lucernas candelabri aurei, sed solum pontifici, qualis erat Aaron. Quam sententiam confirmant verbis illis, Exo. 30. Et adolebit incensum super eo Aaron, suaue fragrans, mane. Quando componet lucernas incendet illud. Vbi datur intelligi solum Aaron adoleuisse incensum, & lucernas incendisse. Cæterum istorum assertio sustineri non debet. Cũ enim iussum fuerit in mane & in vespere collocari lucernas, vt habetur Exod. 30. & Leuit. 24 ac præterea nullum immũdum ingredi sanctuarium, Leuit. 15. necessario aliquod istorum violari debuisset, si solus pontifex componere potuisset lucernas, verbi gratia in casu, quo pontifex accederet ad vxorem suam, quod facere aliquando teneretur: tunc enim manebat immundus per totum diem sequentem ex dispositione legis Leuit. 15. vnde vel lucernas non componere, vel immundus sanctuarium ingredi oporteret. Dicunt tamen ad hoc opinãtes oppositũ, quod in eo casu, & quotiescunque summus sacerdos esset legitimè impeditus, minores sacerdotes poterant id præstare. Cæterum exceptio ista nullum habet fundamentum in scriptura. Ac proinde dicendum est lucernarum compositionem fuisse vnam de quatuor ministrationibus, quæ communes erant pontifici & minoribus sacerdotibus: hæc enim quatuor videlicet facere sacrificium, offerre thymiama, ponere panes propositionis super mensam, & lucernas componere, cunctis sacerdotibus competebat: vt patet specialiter de oblatione thymiamatis, quam locus præallegatus Exodi æquiparat cõpositioni lucernarum: nam Zacharias pater Ioãnis Baptistæ, qui erat de minoribus sacerdotibus, vt pote de vice Abia, obtulit incensum in altari, vt dicitur Luc. 1. id ipsum ergo asserendum est de compositione candelabri. Neque obstat, quod memorans scriptura huius ceremoniæ, specialiter illam iniungere videatur ipsi Aaron, & non eius filijs: tum quia nomine Aaron, etiam subintelliguntur eius filij, vbi eadem militat ratio vtrorumque: & forte vbi hic dicitur: Loquere Aaron, subintelligi debet & ad filios eius: tum etiam quia quamuis soli Aaroni isthęc diceretur, id forsã erat, quia Aarõ tanquam pontifex tenebatur superintendere, & præcipere filijs vt facerent, quæ ad eos spectabant ministeria.

MAnus suas super eos.] Varios modos explicandi causam, ob quam manus apponi consueuerunt super alios; quidque ritus iste significet, latè ostendimus. Leuitic. 1. annot. 5. vbi vide. II.

AViginti quinque annis.] Triplex sanctificatio, seu ad Dei cultum applicatio fiebat in Leuitis, quarum quælibet suum determinatum tempus exigebat. Prima erat, qua Leuita adiudicabatur ad sortem Dei loco primogenitorum totius populi Israel: & hæc fiebat post vnum ætatis mensem, quando infans quadragesimo natiuitatis die pręsentabatur coram Domino vna cum matre & oblationibus ex dispositione cap. 12. Leuit. Etenim eo die si infans erat de tribu Leui adiudicabatur ministerio sacerdotum & ad cultum tabernaculi. Et si erat alterius tribus, ac primogenitus redimebatur quinque siclis. De qua separatione Leuitarum fit mentio supra cap. 3. huius libri. Secunda fiebat post vigesimũ quintũ annũ ætatis Leuitæ, & tũc quibusdã ceremonijs & sacrificijs, sacerdotumq; obsecrationibus acceptabatur Leuita ad hoc, vt perueniẽs ad debitũ corporis robur nẽpe ad trigesimum annũ, sine alia cõsecratione posset oneribus, ac quibuscumq; tabernaculi ministerijs incũbere. De qua acceptatione procedit lex præsentis capitis. Tertia fiebat post cõpletũ trigesimũ annũ ætatis Leuitę, quę principaliter cõsistebat in ipso ministrãdi vsu. Statim enim, vt Leuita cõplebat trigesimũ annũ, exercebat ministeria quãtauis molestia Leuitarũ. Et de hac acceptatione procedit dispositio legis, quæ habetur superius c. 4. huius libri. Sed inquires si Leuitæ ministrare nõ debebãt vsq; ad trigesimũ annũ, quã ob causam per quinqueniũ ante cõsecrabantur? Ad hoc respõdetur ꝙ quia si Leuita, postquã esset triginta annorũ mãsisset, sine cõsecratione, cederet in pręiudicium aliorum Leuitarũ, cum non posset eos adiuuare, ad quod tamen tenebatur: id circo ne quis- III. *Leuitæ tribus tẽporib⁹ applicabãtur ad cultũ Dei.*

ne quispiam compleret trigesimum annum, sine consecratione, constitutum est integrum quinquénium, intra quód poterant Leuitæ consecrari, & ad suo tēpore ministrandū acceptari.

IIII. *Ingredi pro acceptari ad a[illegible] munus obeundū.* INgredientur.] sæpe sæpius in hoc libro ingredi dicuntur non solum illi, qui aliquem intrant locum, verum etiam, qui acceptantur ad aliquod munitus, vel officium, eo quod per talem acceptationem, quasi incipiunt exercere illud, ad quod deputantur. Et in hanc significationem tendunt verba toties repetita superius capitulo quarto. Omnes, qui ingrediuntur ad officium, siue vt ministrent, & cætera.

ARGVMENTVM IN CAPVT IX.

¶ *Iussit Dominus in monte Sinai, vt Phase ibidem celebraretur tempore suo, nempe quarta decima luna primi mensis: & pro immundis, ac impeditis legem statuit, vt simili luna mensis secundi facultatem haberent celebrandi: pœnaque mortis mulctandos prædicit eos, qui Phase omitterent immolare. Et quia imminebat tam profectio populi de monte Horeb, opportune à Moyse describitur directio facta ministerio angelico, quam Deus exhibuit filijs Israel quam diu per desertum ambulauerunt.*

PARAPHRASIS IN CAPVT IX.

A. L*ocutus est Dominus ad Moysen,* nonnulla, quæ in superioribus omisi, nunc autem per recapitulationem enarranda veniunt: retulitque illa *in deserto Sinai anno secundo, post quam,* filij Israel *egressi sunt de terra Ægypti, mense primo,* cū proxima esset luna quarta decima

† Exo.12 a.2. eiusdem mensis, *dicens:* † *Faciant filij Israel Phase,* seu celebrent Pascha *in tempore suo,* & quando aliàs ex præscripto legis celebrare tenebantur Phase, videlicet, *quarta decima die mensis huius ad vesperam:* loquor specialiter de hoc mense, quia sequētibus annis, quamdiu in deserto manserint, non obligabuntur celebrare Pascha; sicut neque obseruare, quam plurima alia legalia. Fit autem Phase, *iuxta omnes cæremonias & iustificationes eius,*

I. quas in AEgypto institui, & modo habita ratione loci & temporis commode potueritis obseruare. *Præcepitque Moyses filijs Israel, vt facerent Phase,* quando quidem satis opportune illud celebrare poterant in monte Sinai. *Qui fecerunt tempore suo;* videlicet mēse primo anni secundi ab exitu de Ægypto, *quarta decima die mensis ad vesperam in monte Sinai,* vbi aderant castrametati. *Iuxta omnia, quæ mandauerat Dominus Moysi,* quantum ad executionem solemnitatis Phase, *fecerunt filij Israel* seruantes, ea quæ natura loci obseruare patiebatur. *Ecce autem quidam immundi super anima hominis, qui* propter immūditiā, quā contraxerāt ex cōtactu hominis mortui, vel ob id quod astiterant funeribus eius, aut ingressi fuerāt domū illius, *non poterāt facere Phase in die illo,* neq; id eis permitebatur: hi inquā *accedentes ad Moysen & Aarō, dixerūt ei: Immūdi sumus super anima hominis,* ex cōtactu hominis mortui, quē forte sepulturæ tradidimus, seu aliud misericordiæ opus circa illū exercuimus: *quare fraudamur* pluribus bonis, quæ ex celebratione Phase nobis obuenire possent, priuamurq; sine culpa iure nostro, *vt nō valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel,* & prout cæteri Israelitæ illā offerūt? B. *Quibus respōdit Moyses;* ad eū enim non ad Aarō pertinebat Dominū cōsulere: *State vt cōsulam, quid præcipiat Dominus de vobis,* quidq; fieri debeat in casu isto, *Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filijs Israel* neq; enim quod iubeo obseruaritā[...] debet in casu præsenti, de quo interrogas, sed etiā haberi debet quasi lex vniuersalis in populo Israel. *Homo, qui fuerit immundus super anima,* ob contactum cadaueris hominis, & ex consequenti si pollutus existat quolibet alio genere immunditiæ ad tempus eum impediente celebrationem Paschæ, ita vt nequaquam valeat ab hac, vel alia simili irregularitate mūdari ista tim; similis nāq; ratio vtrobiq; militat *siue*

in via procul à loco, quem elegerit Dominus ad immolandum Phase, inuentus fit quispiā *in gente vestra*, ita vt nō possit redire ad celebrandum pascha tempore suo, *faciat Phase Domino in mense secundo*, post vnam lunationem integram à tempore, quo debebat celebrari, nempe *quarta decima die mensis ad vesperam*; vnius enim lunationis discrimen pro nihilo reputatur, quantum ad impeditos: fiet autem eiusmodi Phase cum omnibus ceremonijs in lege præscriptis, etenim *cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud* animal, quod immolari oportet, agnū, videlicet, vel hœdū *non relinquent ex eo quippiam vsque mane*

† Exo. 12. g. 46. Ioan. 19. f. 37. † *& os eius non confringent*, vt omni ex parte sit perfectum rememoratiuum exitus vestri de AEgypto, & agni immaculati pro vobis in cruce immolandi, quapropter *omnem ritum Phase obseruabunt* hi, qui mense secundo illud celebrare debuerint. *Si quis autem & mundus est*, quarta decima luna primi mensis, *& in itinere non fuit*, nec in tam longinqua regione peregrinatur, vt venire nequeat ad celebrandū pascha; *& tamen non fecit Phase*, cum potuerit, illud facere, *exterminabitur anima illa*, seu peribit huiusmodi homo *de populis suis*; iustoque iudicio in mortis pœnam eū

II. inducam: *quia sacrificium* 2 agni paschalis quodamodo participans rationem sacrificij, *Domino non obtulit tempore suo*, & quando illud tenebatur offerre: quamobrem *peccatum suum ipse portabit*, ac pœnam debi-

C. tam pro delicto super se instar grauissimi oneris recipiet. *Peregrinus quoque & aduena*,

III. 3 conuersi de gentilitate ad Iudaismum accepto signaculo circuncisionis, *si fuerint apud vos*, recolere etiam debent beneficiū liberationis collatum toti illi populo, cuius ipsi post circuncisionem partes, seu membra efficiuntur: ac proinde *facient Phase Domino*, celebrabuntque festiuitatem paschalem *iuxta ceremonias*, quæ se tenent ex parte agni, vel hœdi immolandi, *& iustificationes eius*, quæ respiciunt statum, ac dispositionem comedentium. *Præceptum idem erit apud vos*, idemque ritus, & obligatio celebrandi Phase, *tam aduena* ad Iudaismum conuerso, *quam*

† Exod. 40. b. 16 *indigena* in lege nato, atque nutrito. † *Igitur die, qua erectum est tabernaculum*, quæ fuit prima anni secundi post exitum de AEgypto, *operuit illud nubes* sedens desuper eleuata. *A vespere autem cum sol occumberet, super tentorium erat quasi species ignis*, apparens columna illa nubis in figura ignis, *vsque mane*, & in aurora incipiebat apparere in specie columnæ albæ protegentis tabernaculum ab æstu solis, non tam vmbra sua, quam refrigeratione quadam ab ipsa nube causata. *Sic fiebat iugiter*, quotidieque id ipsum accidebat; nam *per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis. Cum ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat*, prout auferri solebat ab angelo illam conseruante, & dirigente, transferretque se, ac collocaretur paulo ante vexillum tribus Iudæ, quod primum tenebat locum, cæteras tribus antegrediens, *tunc proficiscebantur filij Israel* per viam, quam nubes eis ostendebat, *& in loco vbi stetisset nubes, ibi castrametabantur*, secundum formam, qua nubes ad manendum inuitabat, interdum enim quiescebat nubes adhoc dumtaxat, vt Israelitæ cibos sumerent, interdum vero, vt noctis sopori vacarent, interdum tandem, vt castra ex proposito figerent, ac mansionem facerent. *Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum*: angelus enim dirigens nubem, nec mouebat illam, nec ab illius motu cessabat,

nisi Domino volente & imperante. † *Cunctis diebus, quibus stabat nubes* pendens † 1. Cor. 1. a.

& eleuata *super tabernaculum, manebant in eodem loco* in situ, ac dispositione eis constituta: *& si euenisset, vt multo tempore maneret super illud*, prout mansit in Cadesbarne, nihilominus *erant filij Israel*

in excubijs Domini, nec conquerebantur D.

de temporis mora, sed vigilantes expectabant, quando Deus iuberet, vt recederent: *& non proficiscebantur quot diebus fuisset nubes super tabernaculum*, ne facerent contra voluntatem Dei, si mouerent castra, sine motu nubis. *Ad imperium Domini erigebant tentoria*, & extendentes ea, castrametabantur; *& ad imperium illius deponebant*, certo certius scientes nullatenus, nisi Deo imperante, columnam nubis moueri, seu quiescere. *Si fuisset nubes à vespere vsque mane*, per vnius dumtaxat noctis spatium, *& statim diluculo tabernaculum reliquisset*, coniectabant moram illam noctis non fuisse ad mansionem, sed ad soporis quietem, ac proinde omittentes

erigere

Digitized by Google

erigere tabernaculum, quod inuolutum per viam portabant, *proficiscebantur: & si post diem & noctem recessisset*, quia etiam in hac breui temporis mora, & Leuitæ tabernaculum, & Israelitæ castra sua fixissent, *dissipabant tentoria*, adeo diuinæ iussioni populus existebat obediens, tā in manendo, quā in recedendo. *Si vero biduo, aut vno mense, vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filij Israel in eodem loco, & non proficiscebantur: statim autem vt recessisset, mouebant castra*, procedente tamen buccinarum clangore, quo sacerdotes motum castrorum intimabāt multitudini. *Per verbum Domini figebant tentoria* castrametantes ad iussionem Domini, *& per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubijs Domini*, expectantes cum maxima animi attentione, quando moueri deberent, vel quiescere *iuxta imperium eius* quod populo innotuit *per manū Moysi* à principio enim quando apparere cœpit columna nubis super castra, præcepit Dominus per Moysen, vt mouerentur castra Israelitarum mota columna, & illa manente quiescerent.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

I. *Ceremoniæ & iustificationes Phase, quæ dicantur.*

Ceremonias & iustificationes eius.] Ponūtur hic ceremoniæ & iustificationes Phase ad comprehendēdum omnem ritum, quo pascha erat celebrandum. Nomine enim ceremoniarum intelliguntur conditiones, quæ considerantur ex parte agni comedendi, scilicet, quod sit anniculus immaculatus, assus igne. Iustificationes verò vocantur ceremoniæ, quæ pertinent ad ipsos comedentes, scilicet quod comedant festinantes, & calceatis pedibus, habentes baculos in manibus, & accincti lūbos, & quod comedant in vna domo, & non comminuant ossa, & nihil reseruent in crastinum, & sic de omnibus alijs ceremonijs, quæ habentur Exod. cap. 12. Omnes enim illæ distinguntur in ceremonias & iustificationes.

II. *Agnus paschalis vel non erat sacrificiū, vel reducebatur ad hostiam pacificam.*

Quia sacrificiū.] Nomen sacrificiū dupliciter accipitur, scilicet proprie, & improprie. Sacrificiū proprie necessario debebat esse, vel holocaustū, vel hostia pro peccato, vel hostia pacificorū. Quod vero improprie appellabatur sacrificiū, id habebat ex aliqua similitudine & proportione, quā retinebat cū veris & proprijs sacrificijs, siue illud esset aliquid internum & spirituale vt animi contritio & pœnitētia, de qua dicitur in Psal. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, siue externū & visibile, cuius generis erat Phase. Agnus enim paschalis non erat proprie sacrificium, cum non esset holocaustum, nec pro peccato, nec hostia pacifica: sub quo triplici sacrificiorū genere cōtinebantur omnia sacrificia legis veteris: sed vocabatur large sacrificium, quia habebat aliquas proprietates sacrificij. Prima quia adipes agnorum immolatorum in Phase cremabantur super altare, vt colligitur Exo. cap. 23. cum dicitur: Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ, vsque mane. Vbi vocatur agnus pascalis victima Dei, siue sacrificium, nam est sermo de solemnitate Phase, vt docent similia verba repetita Exo. ca. 34. Præcipitur ergo de adipe, quod non remaneret vsque mane, idest, ad auroram sequentis diei, sed in ipsa nocte diei quartędecimæ, cum immolabatur agnus, cremādus erat adeps super altare, sicut cremabantur adipes holocaustorum vespertinorum tota nocte; vt patet Leuit. capit. 6. Et ista videtur esse causa, quare Deus iusserit fieri Phase solum in loco, vbi est sanctuarium, vt statim dicemus. Secunda conditio similitudinis est, quia sicut nemo poterat comedere de sacrificijs, nisi mundus esset, & arcebatur etiam ab ingressu sanctuarij: ita & de agno paschali, nemo poterat comedere nisi mundus, & ex hac causa data est dilatio immundis, vt celebrarent Phase mense secundo: vt patet in litera. Tertia conditio similitudinis est, quia sicut sacrificia non poterant fieri nisi in loco sanctuarij: & si aliquis alibi faceret merebatur mortem; ita non poterat celebrari Phase, nisi in loco sanctuarij. Patet hoc de alijs sacrificijs Deuteronom. capitulo duodecimo, ibi, Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus Deus tuus in vna tribuum tuarum. Idem Leuitic. capitulo decimo septimo. De celebrando Phase in loco sanctuarij habetur Deuteronomij capitulo decimo sexto. Ibi Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius, ibi. Quanta similitudo est, quia sicut carnes sacrificiorum cremabantur, vel secundum totum, vel quantum ad aliquid, ita carnes agni paschalis, cum residuæ essent, cremabantur igni, vt patet Exodi capitulo duodecimo. Non tamen cremabantur in igne altaris, sed in quodam alio igne pro fano. Potest autem conuenientior comparatio haberi carnium residuarum de agno paschali ad carnes residuas de hostia pacifica: nam si sacerdotes, vel offerentes non possent die oblationis comedere omnes partes sibi prouenientes, vel in secundo die, in quibusdam hostijs pacificis cremabantur igne residuæ carnes, vt patet Leuit. capitulo septimo, & decimo nono. Quapropter si ad aliquod genus sacrificij agnus paschalis reduci debeat, illud erit hostia pacifica, tū propter rationē dictā, tū etiā, quia immolabatur in gratiarū actionē pro exitu

Digitized by Google

exitu de AEgypto, tũ tãdẽ quia offerentes comedebãt ipsam victimã, quod nõ fiebat in holocausto, neque in hostia pro peccato, sed dumtaxat in hostia pacifica.

III. *Aduenas semper egrini, quidã erãt circũcisi, alij vero minime.*

PEregrinus quoque & aduena.] Aduenæ & peregrini accipiuntur hic pro eisdem, nempe pro his, qui relicto gentilitatis ritu, & ad cultum veri Dei conuersi inter Iudæos morabantur. Quorum quidam erant circuncisi; & his præcipitur in præsenti facere Phase. Alij verò erant incircuncisi, quia cum non tenerentur, ad signaculum circuncisionis, poterant licite manere sub præputio. Et hi prohibentur edere Phase Exo. 12. Aduena & mercenarius non edent ex eo. Vocantur autem omnes, prædicti aduenæ, quia de terra aliena ad terram Iudæorum venerunt, & de cultu deorum alienorum ad cultum veri Dei transierunt. Vocantur etiã peregrini, quia habitantes in terra Iudæorum non manent, vt in terra sua, sed vt in terra aliena: quicumque autem in terra aliena moratur, quantumcumque magno tempore moretur in ea semper vocatur peregrinus: sicut Abraham quamquam manserit magno tempore in terra Chanaan, scilicet ab anno septuagesimo quinto vitæ suæ, vsque ad mortem, quando iam erat annorum centum septuaginta quinque; vt patet Genes. capit. 12. iuncto capit. 25. semper tamen vocatus est peregrinus in terra ista: sic enim ipse vocauit se Genes. capitulo vigesimo tertio, inquiens, Aduena sum & peregrinus apud vos.

ARGVMENTVM IN CAPVT X.

¶ Præcipit Dominus Moysi, vt duas conficiat tubas argenteas, quibus sacerdotes clangendo eas signa præberent ad congregandam omnem multitudinem, & ad conuocandum principes populi, ac etiam ad iter faciendum: eas præterea sonare oportebat in bellis, quorumdamque festorum celebrationibus. Quibus peractis discedit populus de monte Sinai seruata maxima castrorum ordinatione, tenditque viam trium dierum versus desertum Pharan, habẽs Hobab filium Raguelis comitem itineris, arcamque testamenti præcedentem castra.

PARAPHRASIS IN CAPVT X.

A. LOcutusq; est Dominus ad Moysen, & ostendit signa humana, quibus dirigi oportebat populũ dicẽs: *Fac tibi duas* ad minus, quãuis plures efficere queas *tubas argẽteas*, nõ opere fusili, sed extẽsione mallei *ductiles, quibus conuocare possis multitudinem*, eique denunciare, vt se disponãt ad hoc vt ordinate valeant procedere, *quando mouenda sunt castra:* audientes enim clangorem buccinarum concitabuntur ad proficiscendũ, etiam qui ad alia distracti, motũ colũnę nubis contẽplati non fuerãt, discetque per sonũ tubarũ ordinẽ quo quisq; pro-
I. cedere debeat. *Cumq; increpueris tubis,* iterum atq; iterũ, idq; non in vlulatu cõciso vocũ minutissimarũ eleuãdo, & deprimẽdo, sed in voce plana, atq; æquali; tunc *congregabitur ad te omnis turba ad ostiũ tabernaculi fœderis* intra & extra atriũ, à parte anteriori sanctuarij, quo cõuenire debet populus, quando audire eũ oportet verba Dei, vel facere aliquas ceremonias concernẽtes totã multitudinẽ. *Si semel clãgueris* dũtaxat, & nõ pluries, vt in conuocatione plebis, neq; concise, & inæqualiter, vt quãdo mouẽda sunt castra, sed vna tantũ vice, & plane, tunc *venient ad te principes*, duodecim tribuũ, à Patriarchis per lineã primogenitorũ originẽ ducentes, *& capita multitudinis Israel*, qui sunt populi proceres, & tẽpore consilij per nomina vocari cõsueuerũt. *Si autem prolixior*, seu cũ maiori detentione, quã cum vocantur principes, vel multitudo, *atque concisus* in partes minutissimas eleuãtes, & deprimentes sonitũ, *clãgor increpuerit*, signũ esse debet motionis castrorum: ac proinde in primo huius formę sonitu *mouebũt castra primi, qui sunt ad orientalẽ plagã*; nẽpe tribus Iudã, Issachar, & Zabulon seruato ordine inter se se, quo sub vexillo oriẽtali castrametatur. *In secũdo*

autem

autem sonitu, & pari vlulatu tubæ, qui proferri debet secundum modũ & formã prioris clangoris, *leuabunt tentoria, qui habitant ad meridiem*, scilicet tribus Ruben, Simeon, & Gad, *& iuxta hunc modum reliqui facient*, nequaquam proficiscẽtes, nisi *vlulantibus tubis in profectionem*: vt vnumquodque vexillum per se procedat, nec sit commixtio inter personas vnius vexilli & alterius. *Quando autem congregandus est populus*; seu conuocari oportet principes & capita multitudinis, *simplex tubarum clangor erit*, scilicet plana voce, & vnico tenore clangendi, siue semel tantum, vt in conuocatione principum, siue pluries, vt in cõgregatione populi clangendum sit; *& non concise vlulabunt*, nec prout animalia bruta, quæ cum vlulant, non tenent æqualitatem vocis, sed aliquando eleuant, & aliquã deprimunt. *Filij autem Aaron sacerdotes clangent tubis*, siue in motu castrorum siue aliàs, eo quòd ipsis solis ministrare liceat in vasis sacris, quales existimari debẽt buccinæ istæ: *eritque hoc legitimum*, idest, lege statutum *sempiternum in generationibus vestris*, nequaquam prohibito mutãdũ quamdiu status reipublicæ vestræ durauerit.
B. *Si exieritis ad bellum de terra*, seu de vrbibus, atque habitatione *vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos*, etiamsi ipsi non aggrediantur vos, sed dumtaxat resistant nolentes se vobis tradere, *clangetis vlulantibus tubis*, siue duabus tantum, siue alijs pluribus, *& erit recordatio vestri corã Domino Deo vestro*, tubarum namque sonitus erit vobis signum, quòd Dominus qui tubas instituit, ad modum recordãtis se gerens, vobis auxilium præstabit ad hoc, *vt eruamini de manibus inimicorũ vestrorum*, victoresq; euadere possitis. *Si quando habebitis epulum*, vel solemne aliquod conuiuium, *& dies festos*, tam à Deo institutos, quã quos ad libitũ celebrare placuerit, pro lætitia de victoria belli, vel pro principe nouiter assumpto, vel pro alijs similibus causis, *& calendas* quas in Neomenijs, seu nouilunijs celebrare cõsuescetis, *canetis tubis*, seu facietis, vt sacerdotes sonẽt buccinas *super holocaustis, & pacificis victimis*, quæ tũc offeretis; ita vt quãdiu victimæ
11. prædictę cremẽtur, sonent tubæ intra atriũ *vt sint vobis* victimæ istæ cũ eiusmodi solẽnitate oblatæ, & cedãt *in recordationẽ Dei vestri*: ex eo namq; quod obedietis, diuinæ legi recurrẽdo ad sacerdotes, vt sonẽt tubis super hostias, Deus admodũ recordantis se exhibẽs vobis propiciabitur. *Ego Dominus Deus vester*, qui isthæc iubeo, cuiq; obedire omnino tenemini. *Anno secũdo* à tẽpore quo egressus est populus de Ægypto, *mense secundo, vigesima die mensis*, expletis omnibus, quæ fieri debebãt in mõte Sinai, *eleuata est nubes de tabernaculo fœderis*, post quã quieuerat ad radices mõtis Sinai anno vno, demptis decẽ diebus, tãdiu enim filij Israel morati sunt in ea mãsione, quæ fuit duodecima earũ, quas fecerunt post exitũ de Ægypto, *profectique sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai* contra illã partẽ, versus quã colũna nubis mouebatur: *& recubuit nubes in solitudine Pharan*, nõ quidẽ primo recubuit in ea solitudinis parte, quæ proprie & specialiter vocatur solitudo Pharã, sed in sepulchris cõcupiscẽtiæ, vbi est locus adiacẽs prædictæ solitudini, & quasi cõterminus illius. *Moueruntque castra primi*, qui erãt sub vexillo Iuda, & castrametabantur in parte orientali; hi inquã vlulãtibus tubis ierũt in profectionẽ *iuxta imperium Domini*, quod præbuit *in manu Moysi*, cui mãdatum dedit de ordine profectionis. *Filij Iuda* ad clangorẽ primũ concisum & prolixũ profecti sunt *per turmas suas*, & prout erãt distincti per domos & familias, ita vt hi, qui erãt ex vna familia, nõ miscerẽtur cæteris, qui erãt ex alijs, *quorũ princeps erat Nahason filius Aminadab*, illemet, qui extiterat princeps in numeratione superius in principio huius libri memorata. *In tribu filiorũ Issachar* militãtiũ sub eodẽ vexillo Iudæ, *fuit princeps Nathanael filius Suar. In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helõ. Depositũque est tabernaculũ*, & atriũ constans ex velamẽtis, tabulis, & colũnis erectis, & extẽtis; *quod portãtes egressi sunt filij Gerson & Merari*, nõ statim post vexillũ Iudæ, sed post vexillũ Ruben in medio castrorũ, vna cũ alijs Leuitis. *Profectique sunt* immediate post tribum Zabulõ, *& filij Ruben* tenentes vexillũ australe ac procedebãt *per turmas & ordinem suum* statim, vt sonuit secũdus buccinarum clãgor: *quorum princeps erat Helisur filius Sedeur. In tribu autẽ filiorũ Simeon*, qui erant socij Rubenitarũ in vexillo, *princeps fuit Salamiel filius Surisaddai. Porro in tribu Gad* quæ sexta erat in ordine profectionis, *erat princeps Eliasaph filius Duel. Profectiq; sunt* post sex tribus duorũ vexillorũ *& Caathitæ portãtes sanctuariũ*, seu vasa contenta in C.

tabernaculo, & atrio, quæ ob ipsorum sanctitatem conuenienter vocari queunt sanctuarium. Ibantque cum Caathitis etiam Gersonitæ, & Meraritæ deferentes vela, & tabulata tabernaculi. *Tamdiu tabernaculū portabatur*, cum rebus ad illum pertinentibus, & nunquam situabant, neque figebant, *donec venirent ad erectionis locum* diuinitus ostensum, vbi mansionem eos facere oporteret. *Mouerunt castra* post Leuitas in medio totius multitudinis comprehensos, *& filij Ephraim per turmas suas*, deferentes tertium vexillum, *in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud. In tribu autem filiorum Manasse* pertinentium ad vexillum occidentale Ephraim, *princeps fuit Gamaliel filius Phadassur. Et in tribu Beniamin*, quæ fuit nona in ordine procedendi, *erat dux Abidan filius Gedeonis. Nouissimi castrorum omniū*, quasi ignobiles ac minus digni *profecti sunt filij Dan per turmas suas, in quorum* vexillo tres, quæ aderant tribus erant de filijs ancillarum, ac proinde indigniores alijs, in Danitarum vero *exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai. In tribu autē filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran. Et in tribu filiorum Nephthali*, quæ in duodecimo loco totam multitudinem castrorum terminabat, *princeps fuit Ahira filius Enan. Hæc sunt castra* seu modi castra metandi, *& profectiones*, seu modi proficiscendi *filiorum Israel per turmas suas*, seruata distinctione tribuum, familiarum, ac domorum, prout obseruata est, *quando egrediebantur* tendentes per desertum in terram promissionis. *Dixitque Moyses Hobab*
D. vocato ab alijs Cin, vel Cineo, *filio Raguel Madianitæ, cognato suo*, seu affini, vt pote
III. Leuiro, qui post reditum patris in terram Natiuitatis suæ remanserat cum Sephora sorore & cum Moyse ad ministrandum populo necessaria ex locis proximis solitudini, huic, inquam, Moyses discessurus à monte Sinai volenti redire in terram suam dixit: *Proficiscimur ad locum, quem* non certe fortitudo nostra, nec robur manuum nostrorum, sed *Dominus daturus est nobis*, ac proinde socius esto noster, & *veni nobiscū, & benefaciemus tibi*, ibiq; demus tibi nobiscum sortem; *quia Dominus bona promisit Israeli*, cuius promissio infallibilis est, ac summa pollens certitudine. *Cui ille respondit Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum:* licet enim mirum in modum teneat amore sororis, & filiorum eius, cæterum homini apud suos delicate & ingenue nutrito, non potest nō esse molestum diutius extra propriam domum immorari. *Et ille*, nempe Moyses nō tam anxius de commoditatibus viæ, qui itineris ductorem Deum habebat, quā de salute animæ leuiri sui, credens quod si Hobab inter Iudæos maneret, facile ad ritus Iudaicos conuerteretur, *Noli, inquit nos relinquere: tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus*; videlicet si forte ad dexteram, vel ad sinistram loci nobis diuinitus ostensi ad manendum, sint propinqua pascua, & ligna, & aquæ, & alia ad prouisionē castrorū necessaria: *& eris ductor noster* nonquidē in procedēdo, sed in prouidēdo ea, quę reperiri queūt versus vnā, vel alterā partē manentis nubis. *Cumq; nobiscum veneris* non prout cum alijs alienigenis tecum agemus, sed *quidquid optimum fuerit ex opibus, quas*, tam in vrbibus oppidis, vineis & agris, quam in pecoribus pecunijs, ac rebus mobilibus *nobis traditurus est Dominus* in terra Chanaā, *dabimus tibi:* accipiesque habitationem in qualibet sorte tribuum Israel, quam elegeris. Tacuit Hobab acceptans pollicitationem sibi à Moyse, quasi nomine totius multitudinis factam; abijtque cum filijs Israel in terram Chanaan. *Profecti sunt ergo de monte Domini*, 4 post tempus fere vnius anni, ibidem
satis vtiliter consumptū, & ambulauerunt IIII.
viam trium dierum, vsq; in mansionē, quę postea ab euentu subsequuto sortita est nomen sepulchra concupiscentiæ: *arcaque fœderis Domini*: in qua erant tabulæ legis testificantes pactum initum inter Deum, & Israelitas, *præcedebat eos* portata à Caathitis in fronte castrorum, & à Moyse, ac sacerdotibus comitata. Hoc autem non semper contigit, sed dumtaxat *per tres dies*, quibus immoratus est populus tendens à monte Sinai, vsque ad sepulchra concupiscentiæ, tunc enim præcessit arca *prouidens*
castrorum locum, 5 habens super se colum- V.
nam nubis, quæ ostendebat vbi nam castra deberent pausare ad cibos sumendum, & ad soporis quietem: quia non sola arca per se ipsam dirigebat iter Israelitarum, sed *Nubes quoque Domini* ab angelo ductore mota *super eos erat*, & in loco eminentiori apparebat, *per diem, cum incederent*, & etiā per noctem, cum somnum caperent. *Cumq; eleuaretur arca*, ac moueri inciperet in profectione

Digitized by Google

fectione castrorum, *dicebat Moyses; Surge Domine* quasi præparans te ad procedendum nobiscum in arca, in qua specialiter resplendet gloria tua: *& dissipentur inimici tui*, quales sunt populi nobis aduersantes, *& fugiant, qui oderunt te* in nobis, qui enim odiunt aliquem exercitum, ducem etiam exercitus exosum habent, hi inquã, qui taliter odio te prosequuntur, recedant timore perculsi *à facie tua*, & à conspectu arcæ, in qua veluti homo in facie, potentia ac bonitas tua mirum in modum innotescit. *Cum autem deponeretur*, vt consisteret in loco figendorum castrorum, deprecans quoque Moyses *aiebat: Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel*, & prout in præcedentibus mansionibus egisti, castra locata à malis ingruentibus custodi.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

I. *Triplex clangor tubarum præcipitur Israelitis.*

CVMQVE increpueris tubis.] Modus huius clãgoris, & qualitas illius colligitur ex differentia, quæ interesse debebat inter istũ clangorem & alios duos in litera subiunctos. Triplex enim clangendi modus exprimitur in hoc capite; quorum primo conuocabatur multitudo plebis, secundo principes, tertio tandem designabatur profectio castrorum. De secundo dicitur, quod debebat fieri semel dũtaxat: de tertio vero quòd deberet esse prolixior atque concisus: consequens igitur est quod primus clangor (vt ab alijs duobus discerni posset) debuerit esse iteratus, atque repetitus ad differentiam secundi: & etiam in sono plano ac voce cõtinuata, ad differentiam tertij. Ob quam causam in paraphrasi exponentes priorem clangendi modum has duas conditiones adiunximus. Neque obstant verba inferius posita, videlicet: Quando autem congregandus est populus simplex tubarum clangor erit. Vbi insinuatur in conuocatione populi semel tantum esse clangẽdum. Respondetur enim, simplex non semper excludere pluralitatem in numero, nam aliquãdo solùm excludit diuersitatem in qualitate & modo; quamuis adsit pluralitas in numerò. Iuxta quem sensum clangor ille, quo populus conuocabatur, etsi sæpius iteraretur, nihilominus simplex dici potuit, quia non eleuabatur, & deprimebatur, sed simpliciter & planè proferebatur. Et quòd iste sit sensus prædictæ dictionis ostẽdunt verba ibidem subiuncta dum dicitur: Simplex tubarum clangor erit, & non concise vlulabunt. Vbi ostenditur, quod simplex opponitur conciso, & non pluralitati.

II. *Super hostias pro peccato non clangebatur.*

ET pacificis victimis.] Licet essent tria genera sacrificiorum, scilicet holocaustum, pacifica victima, & hostia pro peccato; super solis holocaustis, & pacificis clangebatur; nam clangor erat ad solemnitatem, & exultationẽ: hostia autẽ pro peccato regulariter erat ad mærorem & non ad exultationem: ideo super ea non clangebatur, sicut super holocausto & pacifica hostia.

III. *Hobab alius fuit à Iethro socero Moysi.*

FIlio Raguel Madianitæ Cognato suo.] In eò quod Hobab vocatur hic filius Raguelis Madianitæ satis apertè significatur contra Lyranum & Abulensem ipsum Hobab nõ fuisse socerum Moysi, sed eius Leuirum, scilicet fratrem Sephoræ vxoris Moysis, filiũque Iethro sacerdotis Madian. Iste namque Iethro etiam Raguel vocabatur, vt patet Exod. cap. 2. Neq; obstat contra hoc, quod Hobab vocatur hic, & Iudi. 4. cognatus Moysi, quo nomine appellatur etiam Iethro Exo. cap. 18. Cognati enim in omni proprietate linguæ Latinæ quicumque sanguine vel affinitate coniuncti nominari consueuerunt. Quam etiam significationis latitudinem obtinet dictio Choten in Hebraico positã, significat enim quemcunque coniunctum, seu affinem: quemadmodum Chatan coniungi, seu affinitatem contrahere designat. Vnde vulgatus Interpres pro Choten interdum ponit socerum, vt Exo. 4. interdum verò generum: vt Genes. 19. & 1. Reg. 18. sed frequẽtius vertit cognatum vt hic, & Exo. 18. & Iudic. 4. Tam igitur Iethro quàm Hobab fuerunt cognati Moysi; ille quia socer; iste verò quia leuir. Non me fugit D. Hieronymum in libro de locis Hebraicis adhærere vtique contrariæ sententiæ, dum agens de Madian vocat Hobab socerũ Moysi. Sed certe illius libri de locis Hebraicis, nõn tam auctor fuit D. Hieronymus, quàm interpres: librum enim ab Eusebio Græcè compositum in Latinum conuertit sermonem, vt ipsemet testatur in præfatione eius libri.

IIII. *Quæ contigerint Israelitis in mãsione in mõte Sinai.*

PRofecti sunt ergo de mõte Domini.] In duodecima mansione post exitum de AEgypto, quæ fuit ad montem Sinai, plurima contigerunt Israelitis; quæ quia ad notitiam sacrarum literarum, & ad intelligentiam dicendorũ sunt scitu necessaria, operæ pretium duxi ea sub breuitate recensere. Etenim in eadem die, qua venerunt Israelitæ in Sinai, quæ fuit quadragesima septima, ex quo exierunt de AEgypto, vt dictum est Exod. 19. ascendit Moyses in montem, & descendens ad populum purificauit eos, vt in die tertio lauarent vestimenta sua; & tũc die scilicet quinquagesimo data est lex. In quo quidem die ascendit Moyses ad Dominum vocatus ab ipso; vt patet Exo. cap. 20. & suscepit pręcepta ceremonialia, & iudicialia, quæ habentur à medio vigesimi capitis Exodi vsque ad caput vigesimum quartum. Et immediate descẽdens de monte annunciauit populo omnia verba legis; & confirmata est coram toto populo factis sacrificijs, vt patet Exo. 24. Deinde eadem die, qua lex confirmata est, Moyses ascendit in montẽ, & stetit ibi quadraginta diebus & quadraginta

draginta noctibus: & audiuit omnia, quæ scripta sunt de fabricatione tabernaculi à principio capitis vigesimi quinti, vsque ad principium capitis trigesimi secundi Exodi. Die autem quadragesimo descendebat de monte portans duas tabulas, & cum audiuisset vocem Israelitarum cătantiũ atque adorantiũ vitulũ, fregit tabulas in radice mõtis, & veniẽs ad populũ occidit viginti tria millia idolatrarum, vt patet Exo. cap. 32. Iterum autem reuersus est post interfectionem istam in montem, & stetit alijs quadraginta diebus cum Domino. Suscepitque tabulas legis secundas, & venit ad populum, vt patet Exo. 34. & Deuteron. 9. Tunc iussit populo, quòd offerret munera pro constructione tabernaculi, denuntians fabricationem Sanctuarij, quam Deus imperauerat, vt patet Exod. 35. & tunc congregatis artificibus inceptum est opus sanctuarij, vt patet Exo. 35. & 36. Fuit autem ista inchoatio Sanctuarij in principio mẽsis sexti, vel circa finem quinti, in anno primo egressionis de AEgypto; & durauit ab eo tempore, vsque ad vltimum diem anni primi fabricatio tabernaculi, scilicet per menses septem. Prima autem die anni secundi fuit erectum tabernaculum, vt patet Exodi vltimo. Et in eadem die cœpit consecratio sacerdotum, vt colligitur ex cap. 9. Leuitici. Incepit quoque oblatio principum, quæ durauit duodecim diebus, vt patet superius capite septimo huius libri. Deinde in die quarto decimo mensis eiusdem, facta est celebritas paschalis; vt patet capite præcedẽti: & datæ sunt leges totius Leuitici in hoc mense, durante celebratione paschali vsq; ad vigesimum secundum diem mensis eiusdem. Deinde in primo die mensis secundi, iussit Deus Moysi, vt numeraret Israelitas; & numerati sunt in eodem mense, factisque his numerationibus, & dispositionibus Israelitarum per vexilla sua recesserunt die vigesimo mensis eiusdem, vt patet in præsenti capite. Et sic non fuit aliquod tempus superfluum Israelitis, quandiu per vnum annũ demptis decem diebus manserũt in mõte Sinai.

V. PROVIDENS castrorum locum.] Causa, ob quam his tribus diebus, quibus primo filij Israel fecerunt iter cum arca testamẽti, præcedebat hæc omnem multitudinem indicăs per nubem, quæ super ipsam erat, mansionis loca, ea fuit, nempe ad ostendendum Israelitis statim in principio excellentiam arcæ; & agnoscerent in ea specialiter adesse diuinam virtutem; ac proinde consolarentur, atque considerent de Dei auxilio habentes illã secũ. Sicut è contrario Philisthijm timuerũt ac desperarũt, quando viderunt arcam Dei contra eos venire, dicentes; Væ nobis. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? vt habetur 1. Reg. 4. Voluit igitur Deus innuere Israelitis, quòd per præsentiă arcæ conferebantur eis bona multa: ac proinde, quia nunc arca nouiter facta fuerat, voluit quod præcederet castra, quasi per virtutem illius disponeretur locus castrorum, & liberarentur Israelitæ à viæ impedimentis. Postea autem non fuit istud necessariũ cum semel arca haberetur in honore: ideo postea non præcedebat, sed portabatur in medio castrorum vna cum alijs vasis Sanctuarij, iuxta id, quod præcipitur supra cap. 2. & 3. *In deserto nõ portabatur arca immediocastrorum sed præcedebat.*

ARGVMENTVM IN CAPVT XI.

¶ Progredientes Israelitæ à duodecima in tertiamdecimă mansionem murmurant ob itineris laborem, quibus tamen postquam correpti fuere ignis accensione, Moyses impetrat veniam. Post modum vulgus Ægyptiorum ascitis sibi quamplurimis Hebræis flagrauit inordinato victus desiderio: ob quam causam Moyses petit à Deo con iudices, atque eis sibi collatis, promittitur populo saturitas carnium: quam statim contulit Deus deferens in castra innumeram coturnicum multitudinem; ita tamen vt post eas grauissima mortis plaga populo obueniret.

PARAPHRASIS IN CAPVT XI.

A. † Psal. 77. c. 19 INTEREA Dum conficerent filij Israel præfatam trium dierum viam, antequam ad terminum illius pertingerent, † *ortum est murmur populi*: non quidem detrahere volentium ex malitia, sed *quasi dolentium pro labore*, quem subierant in itinere, conquerentes quod columna nubis multũ proce-

precederet,& fatigaret eos ambulãdo;murmurauerunt autem *contra Dominum*, eo quod ad eius solius imperium velociter vel tarde mouebatur nubes ductrix eorum. *Quod cum audisset Dominus*, haberetq; se ad modũ eius,cui innotescit iniuria sibi illata, *iratus est*,non quantum ad affectũ,sed quan tum ad effectum puniendo pro meritis su-
† Psal. 77.c.21 surrones. † *Et accensus in eos ignis Domini*,diuinitus à terra erumpens,*deuorauit extremam castrorum partem*;vbi maiori ex parte murmurantes lassi residebant,quasi itineris labore & fatigatione confecti. *Cumque clamasset populus ad Moysen* exposcens, vt ad Deum preces effunderet,ipsumque placaret,*orauit Moyses ad Dominum*, *& absorptus est ignis*, qui è terra,emergere videbatur,ita vt amplius non appareret. *Vocauitque* idem Moyses *nomen loci illius* Thabberah,quod interpretatur *Incensio*; imponens nomen parti illi solitudinis ab euentu;*eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini*. Qui quidem locus in mansionibus non connumeratur: contigit enim mi-
I. raculum istud in ipsa via: *vulgus quippe* 1 *promiscuum*, tam virorum quàm fœminarum alienigenarum,*quod ascenderat cum eis* de Ægypto,vt vna cum populo Israelitico tenderent in Terram promissionis, *flagrauit desiderio* quodam vehementissimo & inordinato: idque non celeri ac breui animi motu,sed *sedens & flens*,atque cũ summa mentis obstinatione dolebat ob impotentiam habendi res, quas appetebat,*iunctis sibi pariter filijs Israel*, qui videntes Ægyptios lacrymantes, ipsi quoque in eandem querimoniam facillimè inducti sunt. Vulgus igitur prædictum inordinato exar-
† 1.Cor. 10.a.3. sit desiderio, *& ait*: † *Quis dabit nobis ad vescendum carnes*, 2 ita vt per plures dies
II. earum comestione saturari possimus? quod
B. mirum in modum appetimus: *Recordamur*
III. *piscium,quos comedebamus in Ægypto gratis*,3 nẽpe pro paruo pretio,& quasi pro nihilo:*in mentẽ nobis veniũt cucumeres,& pepones, porrique,& cepæ,& allia*,quorum ciborum diuersitate,ac saporum varietate gustum demulcere solebamus.*Anima nostra* vegetatiua,& sensitiua quæ varijs ciborum saporibus,& qualitatibus,nunc siccis,nunc humidis, nunc diuersimodè se habentibus delectatur, *arida est*, & insufficienter nutrita præ qualitatis ciborum immutatione: etenim *nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man*, cum tamen in Ægypto haberemus multos cibos, in quibus possemus facere mutationem, vt non fastidiremus. † *Erat autem Man* quantum ad † Exod. 16.c.14
quantitatem granulorum, & quantum ad figuram *quasi semen coriandri*, non tamen Sap. 16.
quantum ad colorem, sed erat *coloris bdelly*, dicti Hebraice Bedolach, idest, margaritæ. c.20. Psal. 77. c.24.
Circuibatque populus ipsa castra, eo quòd in castrorum tantum circuitu cadebat Man;*& colligens illud, frangebat mola, siue terebat in mortario*, propter eius Ioan. 6. d.31.
enim duritiem non poterat populus sumere eum in cibum, nisi prius contereret quasi triticum in farinam; & sic postea comedebat illud *coquens in olla*, *& faciens ex eo* iam redacto in pastam per decoctionem, *tortulas saporis,quasi panis oleati*,seu quasi frixas in oleo cum melle. *Cumque descenderet nocte super castra ros*, seu pruina, quæ tanquam stramentum substerni debebat Mannæ, *descendebat pariter & Man*, scilicet immediatè post pruinam. *Audiuit ergo Moyses flentem populum per familias*, secundùm quod erant distincti per turmas, audiuitque eos flentes non in occulto,sed *singulos per ostia tentorij sui*, vbi à Moyse duce suo videri possent. *Iratusque est furor Domini valde*, nam exhibuit se in punitione populi ad modum eius, qui habet eximium iræ furorem: *sed & Moysi intoleranda res visa est*, vt omnes ad ipsum dirigerent querelas suas, ac si ad eum pertineret cura dandi carnes vniuerso populo lugenti:ob quam causam angustiatus
est maximè, *& ait ad Dominum*: *Cur afflixisti seruum tuum*, imponens mihi onus C.
grauissimum huius populi, quod morte ipsa durius est? *Quare non inuenio gratiam coram te*,nec tibi,in auferendo à me curam huius populi, sum acceptus? cum tamen in rebus alijs plurimum gratiæ apud te inuenerim: *& cur imposuisti pondus*, ac laborem immensum gubernationis, seu directionis *vniuersi populi huius super me*, ita vt solus illud sustinere cogar? *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem*, mater illius existens? *vel genui eam* tanquam verus & naturalis pater, *vt dicas mihi*,prout aliquando proculdubio dixisti: *Porta eos in sinu tuo*,vel inter brachia tua, illorumque intensissimam curam habe, *sicut portare solet nutrix infantulum*, quæ de omnibus prouidet, & etiam ipsum gestat, cum moueri nequit, atque diligenter attendit, ne aliquo modo inducatur ad plã-
ctum,

Digitized by Google

ctum, *& defer* cum hac cura & solicitudine populum istum *in terram, pro qua iurasti patribus eorum*, quòd dares eam posteris suis? *Vnde mihi* obsecro obuenire possunt *carnes, vt dem tanta multitudini*? si enim pauci existerent, esset tolerabile malum eis de carnibus prouidere: sed cum tot sint, nequeo satisfacere eorum inordinato appetitui, ob quem planctu quodam ignominioso *flent contra me dicentes* voce vel gestu, *Da nobis carnes*, 4 vel

IIII. etiam pisces, *vt comedamus*: ac si eis cuncti cibi defecissent, ita vt fame pereundum esset. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum*, adhuc postquam minora illius negotia commisi iudicibus electis consilio Iethro, *quia grauis est mihi*, etiam si duntaxat iudicem inter eos res graues, & referam ea, quæ ad Deum pertinent; quod nequit vnus solus homo in tanta multitudine absque magna molestia perficere. *Sin aliter tibi videtur*, & æquum iudicas, vt non liberer ab hoc difficili onere quandiu vitam egero, *obsecro, vt interficias me*; dulcius est enim mihi mortē oppetere, quàm in continuo peccandi periculo versari; *& inueniam gratiam in oculis tuis*, mihique te exhibe beneuolum in re, quam expostulo, *ne tantis afficiar malis* tam culpæ quàm pœnæ, occasione impiæ conuersationis huius populi, & grauis regiminis eius. *Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros*, qui tecum subeant onus gubernandi populum etiam in his, quæ ad Deum pertinent, sicque minus posthac graueris: vt autem id commodè præstare queant, oportet, quòd eos eligas *de senibus Israel*, quieto atque inueterato pollentibus iudicio: nec tamen ex turba senum eos assumes, quos sortes, vel populi suffragia indicauerint, sed *quos tu nosti* præuio experimento, ac veraci aliorum relatione, *quòd senes populi sint*, hominesque sensati, *ac magistri*, ita vt per excellentiam prudentiæ alios erudire valeant in agendis, licet non sint ætatis longæuæ: *& duces eos ad ostium tabernaculi fœderis*, intra atrium ipsius sanctuarij, *faciesque ibi stare tecum*, *vt descendam* in columna nubis, quæ m repræsentat, *& loquar tibi* per ministerium Angeli in nube existentis de his, quæ spectant ad autoritatem & facultatem istorum iudicum:

D. V. *& auferam de spiritu tuo* 5 non per diminutionem luminis intellectualis existentis in te, sed per communicationem & diffusionem spiritus gubernationis in alios, *tradamque eis* iudicibus similem solertiam & industriam ad gubernandum populum ei industriæ, quæ est in te: similem dico non secundum æqualitatem, sed secundùm imitationem; *vt sustentent tecum onus populi*, iudicareque valeant negotia grauia, ac etiam spiritualia, *& non tu solus graueris*; prout hucusque te grauari conquerebaris. *Populo quoque dices: Sanctificamini*, mentisque puritatem induimini, vt cum debita dispositione & animi gratitudine beneficium vobis exhibendum suscipiatis: quoniam *cras comedetis carnes*, quas tantopere expetijstis: *ego enim audiui*, vt more humano loquar, & contemplatus sum *vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium* quales in Ægypto comedebamus? *bene nobis erat in Ægypto*, & præstantius quam in vasta ista solitudine. Quæ murmuratio & impia conquestio causa existet: *vt det vobis Dominus carnes* ad malum vestrum, *& comedatis: non vno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem, sed vsque ad mensem dierum*, seu ex diebus constantem, *donec exeat per nares vestras*, instar vomentium, qui non solum per os; sed etiam per nares cibum indigestum emittere solent; ac proinde, *& vertatur in nauseam* causatiuam vomitus: *eo quod repuleritis Dominum*, non solum contemnentes cibum vobis cœlitus missum, sed etiam odio habentes educentem vos Deum de AEgyptiaca seruitute, *qui in medio vestri est* paratus sucurrere in necessitatibus, atque adeo ingrati extiteritis, vt *& fleueritis coram eo*, de Deo ipso conquesti, *dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto?* vt pote pœnitentia correpti de eiusmodi exitu. *Et ait* E.
Moyses: Sexcenta millia peditum huius populi sunt, vltra innumerabilem turbam mulierum & paruulorum: *& tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro?* ignoro prorsus modum, quo isthæc operaturus es. † *Numquid enim & boum* tanta & tā innumerabilis aliunde delata *multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum: vel omnes pisces maris*, vt hyperbolice loquar, id est, eorum quam plurimi *in vnum congregabuntur, vt eos satient?* his enim duobus modis haud dubito te populum istum carnibus posse saturari; de alijs verò modis prorsus ignoro. *Cui respondit Dominus:*

† Ioan. 6.b.10.

Numquid

† Isai. 59. a. 1. † *Numquid manus Domini inualida est?* Nequaquam certe cum nullum prorsus verbum ei sit impossibile. *Iam nunc videbis vtrum meus sermo opere compleatur,* ac scies, quid faciam: & exinde perspicies modum quo illum complendum statui. *Venit igi-*
F. *tur Moyses* de loco vbi locutus fuerat ei Dominus, *& narrauit populo verba Domini,* tam illa, quæ dicta sunt de prouisione iudicum, quàm de comestione carnium, idque fecit *congregans,* seu congregari iubēs *septuaginta viros de senibus Israel* in quibus iudicabat inueniri conditiones requisitas ad regendum populum; *quos stare fecit circa tabernaculum,* ac prope illius ostium, intra atrium. *Descenditque Dominus per nubem,* seu in nube, in qua existebat Angelus Deum repræsentans, *& locutus est ad eum,* indicans munus & officium cui iudices vacare oportebat, eiusque officij cōtulit possessionem & quasi inuestituram, *auferens de spiritu* per nouam doni cuiusdam spiritus productionem ordinati ad rectā populi gubernationem, instar eius spiritus *qui erat in Moyse,* idque absque aliqua spiritus Moysi diminutione, *& dans septuaginta viris:* quā cœlestis doni collatione eos dignos populi iudices constituit. *Cumque requieuisset in eis spiritus* in testimonium,
VII. quòd à Deo eligebātur, *prophetauerunt,* ac Dei laudes miro & inusitato sermone personarunt, *nec vltra cessauerunt,* sed quoties necessaria erat illustratio prophetica ad munus, ad quod eligebantur explendū, illis aderat. *Remanserant autem in castris duo viri,* munus iudicis ex humilitate formidantes, *quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit spiritus,* illustrans ipsorum mentes, non secus atque cæterorum coniudicum mentes illustrauerat: *nam & ipsi descripti fuerant,* atque à Moyse in iudices electi; *& non exierant,* ob timorem & humilitatem ad locū, vbi Moyses præceperat congregari designatos in iudices, nempe *ad tabernaculum,* quod erat separatum à castris in medio tamen ipsorum castrorum. *Cumque prophetarent in castris,* mirabilique dicendi facundia, diuina mysteria resonarent, *cucurrit puer* quidam de populo, *& nunciauit Moysi, dicens: Eldad & Medad prophetant in castris.* Arbitratus est enim puer ille eos velle rebellare aduersum Moysen, & ob hanc causam munus prophetandi sibi arrogasse. *Statim Iosue filius Nun,* vocatus alio nomine Osee, *minister Moysi, & electus è pluribus,* vtpote magis acceptus Moysi, quàm cæteri famuli, qui ei obsequium præstabant: Is igitur audiens puerum nunciantem Eldad & Medad in castris prophetare, conuersus ad herum suum *ait: Domine mi Moyses prohibe eos,* ac iube ne vlterius prophetent; existimo enim hoc, quod isti faciunt, cedere in diminutionem tui principatus. *At ille: Quid, inquit, æmularis pro me?* Forsitan zelas mihi principatum, aut honorem prophetiæ, ne scilicet alius sit dux, aut propheta præter me? *quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & vtinam ad id muneris det eis Dominus spiritum suum:* quod proculdubio ego toto corde vellem. *Reuersusque est Moyses* de ostio tabernaculi, vbi iudicum confirmatio à Deo facta fuerat, *& maiores natu Israel,* nempe seniores electi in iudices pariter venerunt cum Moyse *in castra* ad propriam cuiusque
G. mansionem. † *Ventus autem egrediens* non à naturali virtute, sed *à Domino* ipsum supra naturæ vires causante & impel- † Psal. 77. c. 26
lente, *arreptas trans mare coturnices,* quæ in litore maris Rubri abundare solent, *detulit, & demisit in castra:* tot autem coturnices delatæ sunt, vt in *itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum,* quasi puluerem terræ eas quisque inueniret: *volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram,* & non altius, vt ab omnibus tam masculis quàm mulieribus caperentur. *Surgens ergo populus toto die illo,* quo Moyses vna cum senioribus regressus est de ostio tabernaculi in castra, *& nocte* immediate sequenti, *ac die altero congregauit* vnusquisque tam iustus, quàm peccator *coturnicum* multitudinem, *qui parum decem coros,* nempe centum ephi, seu mille gomor; ita vt desumptæ coturnices satis superque sufficere possent ad victum vnius mensis vsque ad nauseam: *& siccauerunt eas* prius iugulatas, & exenteratas extendentes illas *per gyrum castrorum;* ob multitudinem enim illarum nequibant intra castra extendi, & siccari. † *Adhuc carnes erant in dentibus* † Psal. 77. d. 30
eorum, quæ ad victum vnius mensis datæ eis fuerāt, *nec defecerat huiuscemodi cibus;* necdum enim tempus vnius mensis à datione coturnicum transierat: *& ecce furor Domini concitatus in populum* per effectum vindictæ, vsque ad tempus illud dilatæ, *percussit eum plaga magna nimis,* obquam plurimi

plurimi de populo interierunt. *Vocatusque est ille locus, sepulchra concupiscentiæ*, desumpta nominis ratione ab euctu: *ibi enim sepelierunt populũ, qui desiderauerat*; ac appetitu flagrauerat comedendi carnes, ideo illorum plures à Deo miraculosè interfecti sunt, & à cæteris Hebræis ibidem sepulturæ traditi. *Egressi autem de sepulchris cõcupiscentiæ* statim, postquam prædicta plaga fuere percussi, *venerunt in Haseroth, & manserunt ibi*, quartam decimam mansionem eo in loco perficientes.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

I. *Quippe aliquando est cõiunctio causalis vel declaratiua: aliquando stat pro certè.*

VVLGVS quippe.] Non improbabiliter existimare possemus dictioné quippe hoc in loco redundare, prout alias quoque voces interdum superfluere in sacris literis ratione proprij idiomatis, ex quo translatæ sunt, docent D. August. super Psal. 104. & Euthy. super Psalm. 9. & super Ioan. cap. 9. Cæterum si quis redundantiam huius dictionis nolit in præsenti admittere; asserere tenetur particulã quippe hoc in loco non reddere rationem eius, quod præcessit, quam tamen frequenter reddere soleat in alijs sacræ scripturæ sententijs; neque etiam debet exponi per vtpote, prout exponitur. 2. Reg. 17 ibi. Et irruens super eum, quippe, idest, vtpote, qui lassus est, & cætera: & alibi quoque. In vtroque enim horum sensuum vox quippe coniũgit sententiam subsequentem cum præcedenti. Quæ quidem coniunctio in præsenti non reperitur: cum ab hoc loco, vulgus quippe promiscuum incipiat noua sententia ac noui euentus enarratio. Sensus igitur conueniens huic dictioni quippe nullus alius in hoc loco esse potest nisi vt stet pro certè, qualiter stare posse ostendunt viri eloquentia insignes, vt Plautus in Aulul. Redi iam nunc intro, atq; intus seruans. Quippe nil ego intus seruem. Quam etiam huius vocis significationem admittit quoque Ambrosius Calepinus in suo Dictionario verbo quippe.

II. *Cõcupiscẽtia Hebræorum fuit de superabũdãti carnium comestione*

AD vescendum carnes?] Mirum est, quòd Iudæis visum fuerit neminem potuisse illis cõferre carnes ad vescendum, cum Exo. 10. & 12. constet eos eduxisse de AEgypto, secũque tulisse oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa, quorum esu facilè saturari potuissent. Lyranus censet non fuisse conquestos Israelitas, quòd non haberent carnes pecorum, sed quia non habebant carnes delicatas, scilicet auium, vt constat ex eo, quòd ob hanc causam dedit eis Deus coturnices. Sed hoc quibusdam non placet, quia carnes auium ita haberi poterant in solitudine, sicut in AEgypto, & forte magis; quia in montanis & locis separatis ab humana communicatione, plures aues nidificant; sed non poterant habere pecora, sicut in AEgypto, vel alijs locis humanæ habitationis. Quòd verò Deus miserit coturnices, Iudæis in cibum, non ideo est, quia ipsi desiderauerint coturnices specialiter, sed quia apud mare rubrum circa locum, vbi populus castra metabatur, erant coturnices innumerabiles: & Dominus eas in vento fluxit, vt castra circuirent. Dicendum igitur videtur Hebræos desiderasse super abundantem carnium comestionem, ad quam fortè non sufficiebant pecora, quæ habebant, vt inferius insinuat Moyses dicens: Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro. Nam si aliquot diebus saturari voluissent, non mansisset in pecoribus, nec vngula. Reseruabant autem pro futuris temporibus, cum introirent in terram eis promissam, vt inde haberent pecorum successionem propagando.

COMEDEBAMVS in AEgypto gratis.] Non est intelligendum quòd Hebræi comederent gratis pisces, idest, pro nullo pretio, quia AEgyptij non darent eis: cum enim nec paleæ ad conficiendum lateres eis gratis darentur, vt habetur Exo. 5. quanto magis non darentur pisces? Sed dicitur gratis, idest, pro paruo pretio, quasi pro nihilo: & hoc erat, quia terra AEgypti nimis abundat piscibus propter Nilum fluuium, qui per eam præterlabitur. III. *Gratis pro paruo pretio*

DA nobis carnes.] Quod nomine carnium etiam pisces subintelligi queant, docet Apostolus 1. Corint. 15. inquiens: Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. Imo verò & Aristoteles lib. de animalibus, frequenter dicit esse carnem in piscibus. Iuxta quem sensum intelligi debet petitio Hebræorum postulantium dari sibi carnes; vt infertur ex verbis Moysi inferius subiunctis, quãdo inquirens de modo, quo Dominus intendebat desiderium Israelitarum satiare, sic ait: Nũquid ouium & boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient? Quibus modis credebat Moyses satisfacere posse Deum appetitui, ac desiderio Hebræorũ dicentum: Da nobis carnes. IIII. *Nomine carnium etiã significantur pisces.*

AVFERAM de spiritu tuo.] His verbis nullatenus significatur ablatio alicuius partis è spiritu Moysi, sed extensio spiritus, qui erat in illo ad alios. Quæ extensio, quia non corporalis est, cum spiritus non sit corpus, communicatio est similis spiritus spiritui Moysi. Similis autem non æqualitate sed imitatione ad instar participis. Insinuatur enim, quod talem spiritum illis dabit ad populum gubernandum, qualem participarent à spiritu, qui erat in Moyse, si spiritus ille fuisset diffusiuus sui, quemadmodum lux candelæ diffundit lumen suum in diaphano. Metaphorica est enim locutio, V. *Ablatio de spiritu Moysi metaphoricè significat cõmunicationẽ similis spiritus.*

tio, qua hoc in loco vtitur scriptura, cui in vsu est vti plerumque metaphoris.

VI. *Inualidũ pro eo cui aliquid est impossibile.*

NVMQVID manus Domini inualida est?] Iuxta Hebræum habetur abbreuiata. Quasi dicat. Est ne aliquis, qui possit meã strin gere potẽtiam, ne faciam quod volo? Quæ verba eundem sensum retinent cum illis, quæ dicta sunt ab Angelo Beatissimæ Virgini Luc. cap. 1. Non est impossibile apud Deum omne verbũ. Interrogatio enim in præsenti ponitur pro negatione: vnde sicut verba dicta Beatæ Mariæ, non designant aliquam culpam, vel infidelitatem in persona cui fuere prolata: ita neque Moyses peccauit præbens occasionem, vt sibi hæc verba dicerentur. Possumus enim dicere Moysem dubitasse de modo, quo implenda erat diuina promissio, non secus ac B. Virgo dubitauit de modo diuinæ incarnationis, quem neuter scire tenebatur. Vel etiam possumus asserere Moysem dubitasse, & admiratum fuisse magnitudinem pollicitatorum, conferendo solitudinem Hebræorum cum quantitate carnis sufficientis ad victum tantæ multitudinis, mense integro, tam repente habendum, vel conferendo magnitudinem beneficij cum indignitate populi, qui illud erat suscepturus. Quia dubitatio non fuit de diuina potentia, sed de voluntate. Non dubitauit an Deus posset hoc facere, sed an Deus vellet hoc facere. Ambiguus erat an ista promissio diceretur à Deo simpliciter & absolute, an secundũm præsentia merita, eo quod valde excessiua pollicitatio videbatur: promittit enim Deus vtroque modo, sicut etiam vtroque modo comminatur. Cui admirationi, seu dubitationi satisfactum intelligitur per hoc, quòd manus, hoc est, operatio, vel executio Domini non est abbreuiata.

VII. *Prophetare pro eo quod est diuinis laudibus vacare.*

PRophetauerunt.] Prophetiæ nomine in sacris literis aliquando diuinarum laudum resonatio significari solet, eo quod in eiusmodi laudibus aliqua mysteria supernaturalia prophetis reuelabãtur, quæ cõmuni vulgo ignota erãt. Vnde 1. Paral. 25. dicitur, quod Asaph, & Heman, & Idithum constituti sunt ad prophetandum in citharis, & psalterijs, & cymbalis, eo quod in huiusmodi instrumentis musicis laudes Deo canebãt. Qui modus prophetãdi creditur fuisse in Saule, quãdo insilijt in eũ spiritus Dei, & prophetauit subito 1. Reg. 10. & iterũ cùm vellet capere Dauid, qui erat cum Samuele, factus est super eum spiritus Dei, & prophetauit per totã viã; ac postea nudauit se coram Samuele, & ibi tota die & nocte nudus dicitur prophetasse, 1. Reg. 19. eo quòd à Dei eximijs laudibus toto illo tẽpore non cessauit. Quo prophetã di genere existimo cũ Abulẽsi hos iudices prophetasse, quãdo primò per dationẽ Spiritus Sãcti cõfirmatũ est à Deo eorũ munus & officiũ.

ARGVMENTVM IN CAPVT XII.

¶ Occasione vxoris Moysi detrahunt Maria & Aaron excellentiæ & autoritati Moysi, asserentes se æque cum illo donum habere prophetiæ: quos increpat Dominus in ostio tabernaculi, & in pœnam peccati infundit Mariæ lepram, à qua tamen precibus Moysi post septem dierum exilium à castris passam, misericorditer sanatur; & vsque ad illius in castra reuocationem populus in Haseroth permansit.

PARAPHRASIS IN CAPVT XII.

A. † 68. dist in. c. si pest. §. è cõtra. 2. q. 7. c. plerumque §. item obijcitur. 33 q. 2. c. hec ipsũ.

LOCVTAQVE † *Est Maria* 1 *& Aaron* frater eius, dum populus castrametaretur in Haseroth, *contra Moysen propter vxorẽ eius Æthiopissam,* 2 seu Madianitem, eo quod Sephora vxor Moysi muliebriter extollebat se ipsam super Mariam sororem Moysi, propter dignitatem viri sui, quam dicebat consistere in eo, quod Deus loquebatur cum eo. Hanc excellentiæ causam contempsit Maria, cui tanquam sorori acquieuit, fauoremque contulit Aaron, non tam ex animo, quàm placere volens germanæ; *& dixerunt; Num per solum Moysen locutus est Dominus,* vt velit Sephora, propter hanc viri sui dignitatem, cognatæ suæ præponi? *nonne & nobis similiter est locutus,* & in dono prophetiæ æquales sumus? *Quod cum audisset Dominus,* vidisset quoque Moysen proprias iniurias indefensum tolerare, *Erat enim Moyses vir mitissimus*

I.
II.

simus super omnes homines, qui in illo tempore *morabantur in terra*; quia igitur non curabat Moyses de iniurijs sibi illatis vindictam sumere, idcirco illius vltorem se
B. Dominus exhibens *statim locutus est ad eum, & ad Aaron & Mariam*, & apparens eis in figura aliqua assumpta repræsentante quempiam Angelorum, dixit: *Egredimini*
III. *vos tantum tres* 3 de tentorijs vestris, & pergite *ad tabernaculum fœderis*. Noluit enim Deus crimen pontificis, & prophetissæ, in publico reprehendere, ne eorum autoritas apud populum vilesceret. *Cumque fuissent egressi*; & accederent ad ostiū tabernaculi, *descendit Dominus in columna nubis*, hoc est, Angelus motor columnæ, qui Deum repræsentabat, *& stetit in introitu tabernaculi vocans* clara & sensibili voce in aëre formata *Aaron & Mariam. Qui cum issent*, propiusque accederent ad columnam nubis, *dixit ad eos: Audite sermones meos*: quos ad increpandum superbiam vestram loquar: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini*, qualis vterque vestrum existit, non nisi *in visione apparebo ei*, nam per species duntaxat sensibiles, visu vel auditu perceptibiles, reuelabo illi mysteria occulta; *vel per somnium loquar ad illum*, immittendo species in phātasia, vel in vno sensuum interiorum. *At*
IIII. *non talis seruus meus Moyses*, 4 qui inter prophetas vulgares computari non debet:
† Hebr. 3.a.2. etenim † *in omni domo mea*, 5 seu populo Israel, quem domum meam reputo,
V. *fidelissimus est*, ita vt nemo ei in fide adæquari queat: ob idque altissimo prophe-
† Exod. 33.c.11. tandi modo eum decorare constitui: † *ore enim ad os loquor ei*, nam aliquando ad modum, quo loquor Angelis, per solius mentis illustrationem, reuelo ei mysteria supernaturalia absque vllo specierum sensibilium ministerio: *& palam* comparatione communis modi, quo ab alijs prophetis Deus cernitur, *& nō per ænigmata, & figuras* subobscuras & corporales, prout vulgares prophetæ, *Dominum videt*, sed altiori & perspicaciori modo quàm alij, scili-
C. cet intellectualiter. *Quare ergo* cum ita sit, quòd excellit omnes alios prophetas in modo reuelationū, *non timuistis detrahere seruo meo Moysi*, denigrādo famā eius asserentes vos qui estis minores prophetæ ei adæquari? *Iratusq́; contra eos*, seu punire paratus *abijt*, ac disparuit nullo expectato resposo instar hominis vehemēter irati: cui ex cādescētia post propositā querelā suā verbis duris, nullā sinit auscultare satisfactionē: *nubes quoq; recessit* de ostio tabernaculi, vbi angelus illius motor, Aarō & Mariā increpauerat, de ea inquā nube loquor, *quæ erat*, seu esse solebat *super tabernaculū*: hęc enim prius descēderat, sed postea recedēs de ostio tabernaculi redijt in pristinū locū: *& ecce Maria* statim vt recessit nubes, *apparuit cādēs lepra, quasi nix*, mutato naturali colore carnis, in alborē quendā, seu candorē lucentē ex interna humorū corruptione. *Cūque respexisset eā Aarō, & vidisset perfusam lepra*, tū perculsus timore similis pœnæ, quā tamē expertus non fuerat, quia non tā grauiter sicut Maria peccauerat, tū etiā sororis amore cōmotus, *ait ad Moysen* adhuc existentē intra atriū, in loco tamen ab ipsis remoto: *Obsecro domine mi, ne imponas nobis hoc peccatū*, nec consentias, vt condigna patiamur pro eo *quod stulte* sine rationis perquisitione & quasi indeliberate *cōmisimus, ne fiat hæc soror nostra quasi mortua*: tales siquidē reputātur leprosi, dū expellūtur à castris, aliorūque communicatione priuātur; *& vt abortiuū, quod proijcitur de vulua matris suæ*: sicut enim fœtus huiusmodi ob immaturitatē, membra retinet imperfecta: ita nisi tu succurras cōtinget sorori nostrę; etenim *ecce iā mediū carnis eius deuoratū est à lepra*, & saltē absq; medietate carnis permanebit, si tu remedium non adhibeas.
Clamauitq; Moyses ad Dominū & exhibens D.
se mitissimū pro ea, quæ cōtra ipsum murmurauerat, orauit intimo cordis affectu *dicens: Deus, obsecro, sana eā* statim, antequā reliquū carnis eius deuoretur. *Cui respondit Dominus: Si pater eius* indignatus ex eius offensa, abominando eā *spuisset in faciē illius*, eoq; modo se ei iratū exhibuisset, *nonne debuerat saltē septe diebus* præsentiā patris declinando *rubore suffundi*? Sic nunc facere volo Mariā. *Separetur septē diebus extra castra* ob ignominiā, quam perpessa est ex infectione lepræ, *& postea* sanitatē consecuta *reuocabitur. Exclusa est itaq; Maria extra castra septē diebus* instar aliorū leprosorū, vt ibi nō tā ob leprā, quàm ob offensam Deo illatam, rubore suffunderetur: *& populus non est motus de loco illo, donec reuocata est Maria* disponente Domino propter honorem solius Moysi, cuius soror erat Maria, vt non moueretur columna ductrix populi, quamdiu Maria aberat extra castra.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

I. *Maria grauius quã Aaron peccauit in Moysen.*

LOCVTAQVE est Maria.] In eo quod Maria præponitur, seu prius quam Aaron nominatur, & in eo quod non dicitur: Locuti sunt Maria & Aaron, sed, Locuta est Maria & Aaron, insinuatur, non æquè vtrumque peccasse, sed magis Mariam quàm Aaron. Vnde non mirum, quòd postmodum Aaron in pœnam peccati, dumtaxat fuerit verbis increpatus; Maria autem vltra verborum increpationem extiterit quoque perfusa lepra. Hanc autem peccati inæqualitatem satis verosimiliter asseritur constitisse in eo, quod Maria sola fuit principalis detrahens, Aaron autem quasi adiuuans illam, prout in paraphrasi explicuimus.

II. *AEthiopia duplex orientalis & occidentalis.*

VXorem eius AEthiopissam.] Duplicem esse AEthiopiam ex plurimis sacræ scripturæ locis ostendimus superius Genes. capite secundo, annotat. decimatertia. Altera enim est Occidentalis in Africa, quam Nilus præterlabitur: altera vero Orientalis in Asia ambiens terram Madian, & alias prouincias proximas Palæstinis: & ratione huius AEthiopiæ Orientalis, vocatur Sephora vxor Moysi AEthiopissa, eo quod erat Madianitis; vt habetur Exod. capite secundo.

III. *Aaron, & Maria cur increpētur corã Moyse.*

EGredimini vos tantum tres.] Quanuis ad solos Aaron & Mariam loqui instituerit Dominus pro hac vice, nihilominus accersitus est etiam Moyses cum ipsis ad Sanctuarium, ob plurimas causas. Primo quidem ad confusionem Aaron & Mariæ, vt scirent, quod increpationem illam, quam faciebat eis, sciebat Moyses, cui detraxerant. Secundò ad consolationem Moysi, vt saltem sciret, quòd isti vocabantur ad sustinẽdum increpationem pro murmuratione contra eum. Tertio & præcipue ad hoc, quod Aaron & Maria non viderentur consecuti excellentiam aliquam ex peccato, quod commiserant. Si enim soli Aaron & Maria vocarentur non vocato Moyse, posset putari quòd Deus accipiebat istos ad aliquam specialem familiaritatem, quod erat inconueniẽs, & contra intentionem Dei, quia videretur despici Moyses, qui erat singularis & familiarissimus Deo, ideo non fuerunt vocati sine illo. Quarto fuit & etiam præcipue, ad hoc quòd Moyses oraret pro Maria, quando percuteretur lepra, sicut factum est: nam statim vt percussa est Maria, Aaron petiuit à Moyse, quod oraret pro ea, & ille rogauit Deũ dicens: Deus obsecro sana eam: sed non potuisset hoc fieri, nisi Moyses esset propinquus loco, scilicet intra atrium, ideo debuit ibi esse.

IIII. *Lumen prophetiæ in Moysi præstantius fuit quam lumen communium prophetarum.*

NOn talis seruus meus Moyses.] Comparat Dominus lumen propheticum Moysi, cum lumine aliorum communium prophetarum, & dicit illud esse longe excellentius quã istud: eo quòd alijs prophetis manifestari solet veritas supernaturalis per similitudinem corporalium rerum, secundum repræsentationem aliquam externam, vel secundùm imaginariã visionem, ministerio scilicet sensuum exteriorum, vel saltem interiorum tantum. Cæterum Moyses diuinas veritates conspiciebat per solam intellectus operationem, quòd erat conspicere magis prout in se ipsis sunt. Vnde quanto manifestatio rerum spiritualium, intellectualis potior est quàm sensibilis, tantò modus prophetandi Moysi erat dignior modo prophetãdi aliorum. Mens quoque Moysi indicabatur longè sublimior, non secus atque in doctrina humana auditor ostenditur esse melioris intellectus, qui veritatem intelligibilem à magistro nude prolatam capere potest, quam ille, qui indiget sensibilibus exemplis ad hoc manuduci. Vnde in cõmendationem prophetiæ Dauid habetur. 2. Reg. 23. Dixit Deus Israel mihi. Et post pauca subditur: sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat. De gradibus prophetiæ, vide D. Thom. 2. 2. q. 174.

V. *Populũ Israeliticum vocat Deus Domum suam.*

IN omni domo mea.] Domum suam vocat Dominus populum Israeliticum, nõ solum hic, sed etiã Hierem. 12. Reliqui domum meã, dimisi hæreditatem meam. Et Zachar. 3. Tu quoque iudicabis domum meam. Idque ob speciale dominium, quod Deus exercebat, in isto populo, & propter particularem curam ac prouidentiã, quã de eo habebat, magis quã de alijs gentibus, iuxta illud Leuit. 26. Ero Deus vester, vosque eritis populus meus. Et Deuter. 7. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.

ARGVMENTVM IN CAPVT XIII.

¶ Peragratis quamplurimis mansionibus existentibus in deserto Pharan, ex earum vltima misit Moyses duodecim exploratores singulos de singulis tribubus, præcipiens eis in montana ascendere, exindeque qualitatem terræ promissionis, atque habitatorum conditionem contemplari, ac de terræ fructibus in castra adducere. Quibus peractis rediere exploratores post quadraginta dies, adductis secum botro vuæ, ma-

lograna-

logranatis, & ficubus: renunciantesque populo quæ viderant, terræ detraxerunt excepto Caleb, qui vna cum Iosue detractoribus contradixit.

PARAPHRASIS IN CAPVT XIII.

A. P*rofectusque est populus de Haseroth*, quarta decima mansione, *fixis tentorijs*, seu figendo tentoria sępe numero *in de*
I. *serto Pharan:* 1 in hoc enim deserto post Haseroth egit populus Israel decem & octo mansiones, quousque peruenit ad Cadesbarne in finibus deserti Pharā. vel Sin *Ibique locutus est Dominus ad Moysen*, consensumque præbuit in Cadesbarne improbitati populi postulantis mitti ante se exploratores, qui lustrarent terrā promissionis, *dicens. Mitte viros*, *qui* explentes desideriū infidę plebis huius *considerēt terram Chanaan*, ac renuntiare valeant conditionē terræ, *quam daturus sum filijs Israel:* & ne aliqua tribus videatur contemni, neque inter eas oriatur discordia, mittes *singulos*
II. *de singulis tribubus*, 2 ita vt sint duodecim, & nō ex plebeijs, seu ignobilibus, sed *ex principibus*, & de ijs, qui digniores & nobiliores reputantur in populo, quamuis non sint ipsi principes tribuum superiùs
B. memorati. *Fecit Moyses quod Dominus imperauerat de deserto Pharan*, ac de vltima illius deserti mansione, nempe de Cadesbarne, *mittens principes viros* ad explorandam terram promissionis, *quorum ista sunt nomina. De tribu Ruben, Summua filium Zechur. De tribu Simeon, Saphat filiū Huri. De tribu Iuda, Caleb filiū Iephone*, qui postea fuit vnus de duodecim diuisoribus terræ Chanaan, & pręcipuus eorum, *De tribu Issachar, Igal filium Ioseph. De tribu Ephraim, Osee filium Nun* famulum Moysi, ab eoque præcæteris maximè dilectum. *De tribu Beniamin, Phalti filium Raphu. De tribu Zabulon, Gediel filium Sodi. De tribu Ioseph*, quantum ad partem principatus, seu *sceptri Manasse, Gaddi filium Susi. De tribu Dan, Ammiel filium Gemali. De tribu Aser, Sthur filium Michael. De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapsi.*
C. *De tribu Gad, Guel filium Machi. Hæc* igitur quæ hactenus retuli, *sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam terram:* neminem autē misit de familia Leui, quia nec Leuitæ computantur inter duodecim tribus, ex quibus solis iussit Deus mitti exploratores, neq; oportuit eos terrā illā inuisere, cū non essent sortem illius, prout aliæ tribus, accepturi. Mutauit etiā Moyses nomē ministro suo, quē in exploratorē tribus Ephraim elegerat, *vocauitq; Osee filium Nun, Iosue*, subiungēs veteri nomini literā Iod, quæ prima est in nomine Dei tetragrāmaton, in signū integræ salutis, quā famulo suo abeūti in terrā Chanaā exoptabat. *Misit ergo eos* duodecim superiùs memoratos *Moyses ad considerandam terrā Chanaan*, prout populus petierat, & Dominus iusserat, *& dixit ad eos: Ascendite per meridianā plagā*, non quidē per eā, quæ meridiana est in ordine ad situ castrorū, hęc enim AEgyptū respicit, sed per meridiem terræ Chanaan. *Cūque veneritis ad montes*, ex quorū vertice situs locorū cōmodius contemplari poteritis, *considerate terrā, qualis sit*, an scilicet nimis mōtuosa, vel nimis plana, seu etiā an multa, vel pauca habeat oppida: cōsiderate pterea *& populū, qui habitator est eius, vtrum fortis sit*, plurimisq; vallatus munitionibus, *an infirmus* & absque præsidijs, *si pauci numero an plures* quod ex numero seu magnitudine ipsorū populorū, quos de locis eminētib⁹ intuebimini, explorare poteritis: *ipsa terra*, quantū ad aëris salubritatē cōsideretur à vobis, sitne *bona an mala:* cōtingit enim interdū terrā fructuū feracē, esse habitationi incōmodā ob cęli intēperiē. *Vrbes quales* existāt, vtrum scilicet sint *muratæ an absque muris*, vt inde dijudicari valeat, an facilè vel difficilè capi queāt: *humus*, quoq; debet à vobis cōsiderari, vtrū sit *pinguis*, *an sterilis* in fructibus ferēdis, & vtrū sit *nemorosa an absque arboribus*, vt omni ex parte qualitas terræ nobis innotescere valeat. *Cōfortamini*, nullatenus timētes per terrā illā hostilem ambulare, quia Dñs est protector vester, *& afferte nobis de fructibus terræ*, quorū aspectu vniuersus populus lætificetur. *Erat autē tēpus, quando iā præcoquæ*, seu primæ & ante alias coctæ *vuæ vesci possunt:* vnde rationabiliter Moyses poposcit adduci sibi ab exploratorib⁹ d fructib⁹ ter-
rę: *Cūq; ascēdissēt* in regionē Chananęorū, D.
quę excelsior est, quā desertū Sin, vel Pharā vbi

vbi tunc manebant filij Israel, *explorauerunt terram* incipientes à latere meridiano Chananæorum, nempe à *deserto Sin*, vbi tunc aderant castra in Cadesbarne *vsque Rohob* quod versus Septentrionem terminat terram Chanaan, & occurrit *intrantibus Emath*. *Ascenderuntque ad meridiem, & declinantes* nunc versus orientem, nũc versus occidentem, vt cõmodius omnia lustrarẽt, *venerunt in Hebron, vbi erant* tres gigantes, quorũ aspectus fuit exploratoribus occasio & fundamentum asserendi postea se vidisse monstra quædam, quibus cõparati quasi locustę videbantur, nẽpe *Achiman, & Sisai, & Tholmai filij Enac*: nec mirum quod gigantes ibi adessent, erat enim Hebron celebratissima vrbs, & antiquitate præclara: *nam Hebron septem annis ante Tanim vrbem* 3 regiam & præcipuam
III. *AEgypti condita est*. † *Pergentesque* exploratores dum reuertebantur ad locũ castrorum, venerunt *vsque ad torrentem botri*, sic postea vocatũ ob botrum in eo abscissum: videntes enim Israelitæ in illo Chananæorum confinio adesse miram fructuũ fœcunditatem *absciderunt palmitem cum vua sua*, quem ob botri pendentis eximiã magnitudinẽ *portauerunt in vecte duo viri*, in signũ vbertatis atque pinguedinis terræ illius, maximæ enim fertilitatis esse oportebat terra, quæ fructus tantæ magnitudinis producebat. *De malis quoque granatis & de ficis loci illius* iuxta iussionẽ Moysi præcipientis adducere de fructibus terræ *tulerunt*: qui quidem locus postea *appellatus est Nehelescol, id est, torrens botri, eo quod botrum portassent inde filij Israel*, qui fuerant ad explorandam Terram Chanaã. *Reuersique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita*, non per terminos & in circuitu, sed per mediũ eius tendẽdo, his atq; illis regionis locis perlustratis, *venerunt ad Moysen* populi ducem, *& Aaron* summũ sacerdotẽ, *& ad omnem cætum filiorum Israel in desertum Pharan*, quod quantũ ad eam sui partem, quam exploratores petierunt *est in Cades*. 4 ad eũ
IIII. namque locũ ex quo missi fuerant à Moyse & Aaron, redierunt. *Locutique eis & omni multitudini* referentes vniuersa, quæ viderant in terra Chanaan, *ostenderunt fructus terræ*, scilicet vuam, malogranata & ficus; *& narrauerunt* legationem suam *dicentes: Venimus in terram, ad quam tu* ô Moyse *misisti nos*, ad explorandam illam, *quæ*

† *Deut. 1. d. 24.*

E.

F.

reuera fluit lacte & melle, nam in vbertate, fructuumque suauitate habet se instar lactis & mellis, *vt ex his fructibus* eorumque magnitudine ac dulcedine *cognosci potest*: *sed cultores*, seu loci habitatores *fortissimos habet*, quos nullatenus euincere poterimus, *& vrbes grandes atque muratas* inhabitant, quarum præsidia nequibunt à nobis expugnari. *Stirpem Enac vidimus ibi*, quæ sicut cæteris hominibus est corpore maior, ita & viribus robustior, & animositate præstantior existit. *Amalec*, quem in Raphidim hostem habuimus, *habitat in meridie* paratus procul dubio resistere, si vlterius progredi tentauerimus: *Hethæus, & Iebusæus, & Amorrhæus*, imo etiam Pherezæus habitant *in montanis* versus plagam septentrionalem terrę promissionis, qui non permittent nos ingredi per illorum partes: *Chananæus verò moratur* in orientali plaga *iuxta mare* mortuum, ac iuxta mare Genesareth, *& circa fluenta Iordanis*: cum igitur à parte occidentis cingat terram Chanaan mare Mediterraneum, nulla ex parte patet aditus, quo possimus terram promissionis ingredi. *Inter hæc Caleb*, cui socium se præbuit Iosue, *compescens murmur populi*, qui eo quod Moyses eos eduxisset de AEgypto ad pugnandum cum tali gente, *oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus* in Palæstinam, quæ superior est quàm terra ista, *& possideamus terram* nobis à Deo promissam, *quoniam poterimus obtinere eam* viribus & armis. *Alij verò, qui fuerant cum eo*, nempe reliqui decem exploratores confirmantes murmur populi *dicebant*. *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere*, ita vt noster ascensus quidpiam præstet, cum gentem istam debellare minimè possimus, *quia fortior nobis est*. *Detraxeruntque terræ, quam inspexerant* eius famam denigrantes, *apud filios Israel, dicentes: Terra quam lustrauimus* adeo pestifera est, quòd ob improbam sui dispositionem *deuorat habitatores suos*, eos peste ac subitanea morte consumendo: *populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est*. *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac* habentia magnitudinem insolitam, vtpote *de genere gigantæo*; *quibus comparati, quasi locustæ videbamur*. Vsi sunt autẽ exploratores tot exaggerationibus, quia naturale est timentibus, vt omnia maiora eis videantur, quam sint.

G.

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

I. *Mansionũ Israeliticarũ numerus & situs.*

IN deserto Pharan.] Pro intelligentia plurimorum rerum, quæ in sequentibus referuntur, oportet breuiter referre numerum mansionum, quas fecerunt filij Israel ab AEgypto vsque ad Iordanem, & etiam tempus, in quo vnaquæque illarũ adita est. Pro quo aduerte, quod de numero harum mansionum nulla est difficultas; constat enim inferius cap. 33. fuisse quadraginta duas. Quantum ad tempus verò probabilissimum iudico has omnes sub trium tantum annorum curriculo contigisse, scilicet sub primo & secundo, & quadragesimo anno egressionis de AEgypto. Primus enim certa distinctione continet duodecim mansiones, primam videlicet Ramesse, quinto decimo die primi mensis ingressam, vltimam verò solitudinem Sinai, prima die tertij mensis aditam, & per vndecim continuos menses construendi tabernaculi, & docendæ legis gratia minimè relictam. Quarum duodecim mansionum nouem tantum in Exodo exprimuntur nominatim, tres in vocabulo deserti Sin, quod dicitur esse inter Helim & Sinai indiscretè significantur. Secundus annus complectitur mansiones viginti vnam, quibus in ordine historiæ cunctis indifferenter sub nomine solitudinis Pharan comprehensis, prima tantum & secunda, & vltima, id est, sepulchra concupiscentiæ, Haseroth, & Cades distinguuntur nomine. Sed in catalogo mansionum inferius cap 33. pariter omnes quot in numero fuerint, vel quo nomine dictæ, ostenditur. Prima mansio, id est, sepulchra concupiscentiæ secundo mense eiusdem secundi anni, vigesimo secundo die mensis introita est. Anno enim secundo, vt superius capite 10. habetur, mense secundo, vigesimo die mensis mouerunt castra de deserto Sinai, & recubuit in solitudine Pharan nubes: profectique sunt de monte Domini viam trium dierum, donec venirent ad locum mansionis, quæ merito populi carnes concupiscentis sepulchrorum concupiscentiæ nomen accepit. Vltima harum, id est, Cades quoto die vel mense eiusdem anni ingressa fuerit, non dicitur, quod tamen in solitudine Pharan sita sit, & quia eodem anno secundo adita fuerit nõ tacetur: Scriptum est enim in calce capitis præcedentis, & in principio præsentis, Populus non est motus de illo loco, donec reuocata est Maria. Profectusque est de Haseroth fixis tentorijs in deserto, Pharan, ibique locutus est Dominus ad Moysen dicens; Mitte viros, qui considerent terram Chanaan. Quod ne proxima post Haseroth mansione iussum factumque putetur, sed in vltima earum, quæ sub nomine Pharan continentur, impletum infra scriptum est: Reuersique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita, venerunt ad Moysen in Pharan, quod est Cades: Vbi dicitur factum fuisse in Cades illud ipsum, quod Deuteron. cap. 1. dicitur contigisse in Cadesbarne. Ex quo sequitur eandem mansionem significari nominibus Cades & Cadesbarne: vnde Chaldæus paraphrastes vtramuis vno eodemque nomine appellat, videlicet Rekem; & Hieronymus de locis Hebraicis eundem locum hoc duplici nomine significans, sic inquit: Cades, vbi fons est iudicij, & Cadesbarne in deserto, quæ coniungitur ciuitati Petræ in Arabia, ibi occubit Maria & cætera. Quod autem eandem mansionẽ secundo anno egressionis adierint, à qua tamẽ ob peccatum murmurationis reuerti, & diu per desertum errare, & passim cadere meruerunt, insinuat Moyses in sequentibus dicens in eodem primo cap. Deuteronom. sedistis in Cadesbarne multo tempore. Et cap. sequenti legitur: Profectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare Rubrum, sicut dixerat mihi Dominus, & circuiuimus montem Seir longo tempore, hoc est, vsque ad quadragesimũ & vltimũ peregrinationis annũ. Qui vltimus per desertum longissimę viæ annus mansiones continet decem: fuitque prima magno labore repetita eadẽ Cades deserti Sin, quã ante annos triginta & octo culpa exigente post se reuersi reliquerũt. De qua scriptũ est inferius c. 20. Venerunt filij Israel in desertũ Sin mense primo, & mansit populus in Cades, & mortua est ibi Maria, & sepulta in eodem loco. Cumque indigeret aqua coierunt aduersus Moysen & Aaron & cætera, vsque ad illud: Hæc est aqua contradictionis, & cætera. Secunda vero eiusdem quadragesimi anni mãsio fuit mons Hor, in quo occubuit Aaron primo die quinti mensis. Vltima Campestria Moab super Iordanem contra Ierico: vbi Deuteronomium meditâtes manserunt, donec mortuo Moyse, Iosue duce, primo die decimi mensis Iordanem transierunt. Fuerunt ergo mansiones primi anni duodecim, secundi viginti & vna; vltimi & ipsa vicesima prima, quæ est Cades, & aliæ nouem simul, scilicet omnes quadraginta duæ.

2. *De legatis [illegible] exploratoribus [illegible] ad terrã.*

SIngulos de singulis tribubus.] Ratio propter quam de qualibet tribu datus est aliquis explorator, & nõ omnes aut multi de vna tribu, fuit multiplex. Primo quia res ista erat communis ad omnes tribus, cũ exploraretur terra, quæ omnibus danda erat secũdo fuit quia exploratores mittebantur vt facerent fidẽ de eis, quæ erant in terra Chanaan, sed quælibet tribus magis crederet viro aut viris de ipsa tribu, quàm de alijs. Tertio quia cum hoc esset in fauorem tribuũ debuit de qualibet earũ mitti aliquis, qui attenderet ad ea, quæ pertinebãt ad fauorẽ illius tribus; prout contigit in diuisione terræ Chanaã, vbi de singulis tribubus missi sunt viri, eo quod singulis dãdæ erãt partes vel sortes, vt patet Ios. 18. & 19. Quarto ad seruandũ honorẽ cuiuslibet tribus, & ad tollendum inuidiam: si enim de quibusdam tribubus mitterentur exploratores, & de alijs non, illæ, de quibus non mitterentur, viderentur contẽni, & illæ de quibus mitterentur, viderentur

valde

valde honorari, quod esset ad magnam inuidiam. Ex dictis constat quare de tribu Leui non fuerit missus aliquis explorator: Hebræi enim, vt dicitur est, miserunt exploratores, vt considerarent terram, quam accepturi erant in possessionem: sed Leuitæ non erant illam possessuri, prout cæteri Israelitæ: sed ab eis accepturi erant aliquas vrbes duntaxat ad inhabitandum. Iubens igitur Deus mitti duodecim singulos de singulis tribubus, nequaquam ex Leuitis mitti quisquam debuit: Leuitæ enim appellatione duodecim tribuum non veniunt intelligendi, prout in priori annotatione huius libri ostendimus.

III. *Tain, vel Taneos fuit primaria vrbs in AEgypto.*

ANte enim vrbem.] Intendit hic Moyses describere nobilitatem & antiquitatem vrbis Hebron; idque facit computando eam cum Tani vrbe AEgypti, quæ tunc temporis præclara apud omnes habebatur, & erat, à Mephi non longè sita. Vrbs hęc Hebraice vocatur Soan, vbicumque eius fit mentio in sacris literis: Latinè autem interdum appellatur Tanim, vt hic, & Isai. ca. 30. ibi: Erant enim in Tani principes tui. Interdum verô nominatur Taneos: vt Psalm. 77. Sicut posuit in AEgypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos. Ex quo Psalmi loco colligunt Hebræi signa illa miranda facta à Moyse coram Pharaone & AEgyptijs, contigisse in vrbe ista. In quo tamen falluntur: verosimilius enim est in eo loco operatum fuisse Moysen signa illa, vbi tempore vltimi signi illorum comederunt Hebræi pascha: hoc autem factum est in vrbe Ramesse, non in Tani; vt constat, nam altera die phase compulsi sunt exire de Ramesse ab AEgyptijs occupatis funeri primogenitorum; vt habetur infra cap. 33. in Ramesse igitur, & non in Tani, actum est cum Pharaone de exitu Israelitarum de AEgypto. Neque obstant verba illa Psalm. 77. Vt ostendimus superius Exod. capite primo, annotat. 1,

IIII. *Cades multipliciter nominatur in scriptura.*

QVod est in Cades.] Cades deserti Pharā & Cades deserti Sin eadem sunt: sub nominibus enim Pharan & Sin, vel idem desertum, vel duo deserta simul coeuntia significantur; de vnoquoque enim illorum dicitur, quôd terminat partem australem terræ promissionis. De deserto enim Sin habetur inferius cap. 34. Pars meridiana incipiet à solitudine Sin. De deserto autem Pharan legitur Habacuc capite tertio. Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan. Præterea Cades & Cadesbarne vt in annot. 1. ostendimus eadē prorsus mansio fuit: vnde sicut in præsenti dicitur exploratores redijsse ad populum existētem in Cades, ita Deut. ca. 1. dicitur negotium exploratorum contigisse, dum Israelitæ castrametati sunt in Cadesbarne.

ARGVMENTVM IN CAPVT XIIII.

¶ Occasione sermonis decem exploratorum, quo detraxerunt terræ à Deo promissæ omnis turba filiorum Israel murmurauit contra duces suos. voluitque lapidibus opprimere Iosue & Caleb terræ defensores. Ob quam causam Deus promittit subituros pœnam mortis omnes numeratos à viginti annis & supra, priusquam populus terram Chanaan ingrederetur, nempe intra quadraginta fere annorum spatium, exceptis Iosue & Caleb. Quam sententiā ęgrè ferens populus frustra resipiscēs tētat vlterius Domino prohibente procedere, cuius temeritatis ab Amalecitis & Chananæis pœnas luit.

PARAPHRASIS IN CAPVT XIIII.

A. IGITVR *vociferans omnis turba* de verbis nunciorum conterrita, *fleuit nocte illa* eiulatu magno, æstimātes se nullatenus posse malū, quòd sibi imminebat, tollere: *& murmurati sunt* iterū, postquā murmur eorū semel cōpresserat Caleb, *contra Moysen & Aaron cuncti filij Israel*, seu eorū quam plurimi ac maior ipsorū pars, *dicentes: Vtinam mortui essemus in AEgypto*, etiā si illic libertate carebamus: *& in hac vasta solitudine* quæ nullū solatiū habet, *vtinam pereamus* mortē oppetētes, *& nō inducat nos Dñs in terram istam*, de qua loquimur, & quā in animo pręsentē gerimus, & expauescimus *ne cadamus gladio* Chananæorū, quorum fortitudini resistere nō valemus, ne etiā *& vxores ac liberi nostri ducātur captiui* à gētibus, quæ illos peius quā AEgyptij tractabunt. *Nonne melius est reuerti in AEgyptū* quā tolerare omnia mala hęc? proculdubio melius est pristinam subire AEgyptiacam seruitutem. *Dixeruntque alter ad alterum:* B

Constituamus nobis ducem alium à Moyse, qui nobis vehemẽter exosus est, *Et reuertamur in AEgyptum.* Ob animorum enim concitationẽ id facere proponebant, quod erat eis valde difficile, vel prorsus impossibile *Quo audito Moyses & Aaron* timentes ne rem tam execrabilem opere complerent, *ceciderunt proni in terram;* & vt
II. populum à proposito auerterent, preces fuderunt *coram omni multitudine filiorum Israel:* vt hoc saltim submissionis exemplo, populus murmur deponeret. † *At verò Iosue filius Nun* missus explorator pro tribu Ephraim, *& Caleb filius Iephone* explorator tribus Iuda, *qui & ipsi lustrauerant terram,* audita Israelitarum murmuratione, *sciderunt vestimenta sua* præ nimio dolore iniuriæ Deo illatæ, *& ad omnẽ multitudinem filiorũ Israel locuti sunt,* & reprobãtes sententiã reliquorum decẽ nuntiorum, dixerunt: *Terra, quam circuiuimus,* seu perambulauimus transeuntes totam latitudinem eius, *valde bona est,* nec deuorat habitatores suos, prout collegę nostræ ignoranter aiunt. *Si propicius fuerit Dominus,* prout proculdubio propiciabitur, qui quotidie nobis tanta tamque ingentia bona impendit, *inducet nos in eam,* quandoquidem multo maiora & difficiliora pro nobis hucusque fecit, *& tradet humum* præ hubertate fructumque suauitate, quasi *lacte & melle manantem,* qualis est terra Chanaan. *Nolite rebelles esse* mandato eundi in terram promissionis vobis iniuncto, & ingratos, *contra Dominum: neque timeatis populum terræ huius:* quem ex relatione exploratorum creditis esse fortissimũ: *quia sicut panem ita* subitò & absque vllo labore *eos possumus deuorare,* Deo nobis auxiliante. *Recessit ab eis omne præsidium* ob terrorem tam ipsis quàm eorum amicis diuinitus immissum; *Dominus nobiscum est* ad nos adiuuandum; ac proinde *nolite metuere,* quia ipse pugnabit pro nobis. *Cumque clamaret omnis multitudo* concitata in iram contra Iosue & Caleb, *& lapidibus eos vellet opprimere,* perterrita est diuino quodam prodigio, ac desijt facere quod intendebat, eo quòd *apparuit gloria Domini,* seu ingens quidam splendor, indicans magnificam Dei præsentiam in columna nubis, *quæ erat super tectum fœderis,* vel tabernaculum; apparuit autem fulgor ille insolitus *cunctis filijs Israel,* qui propè atrium Sanctuarij de more aderant congregati. *Et dixit Dominus ad Moysen* vel intellectuali locutione, vel per angelum nubis motorem: *Vsquequo detrahet mihi populus iste?* neque enim à murmuratione cessauit, ex quo egressus est de AEgypto. *Quousque non credent mihi* quantum ad ea quæ præstare promisi, nec certi esse volunt de bonitate & omnipotentia mea, *in omnibus signis, quæ feci coram eis?* quæ quidem signa sufficiens argumentum illis esse poterant, quod promissa adimplerem. *Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam,* si id videro expedire: *te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc est,* vt vna cum Iosue & Caleb cæterisque innocentibus imperes eximiæ alicui gentilium multitudini. Quod non ita locutus est Deus quasi absoluta voluntate id facere decreuerit, sed ad modum irati, qui misericordia motus vult ab amico precibus exorari, vt tam iustitia quàm pietas punitoris patefiant. C.
Et ait Moyses ad Dominum incitantem eum, vt oraret pro Israelitis: Profectò Domine non expedit multitudinem istam delere: si enim id feceris eueniet, *vt audiant AEgyptij, de quorum medio eduxisti populum istum, & audiant* etiam *habitatores,* qui commorantur in circuitu *terræ huius,* nempe Amalecitæ & Chananæi, *qui audierunt* per famam, quæ apud eos increbuit, *quòd tu Domine* ex nimia charitate, quam erga nos habes, *in populo isto sis* specialius, quàm in alijs populis conferens Israelitis plura ac maiora beneficia, quàm alijs nationibus, vtpote qui *& facie videaris ad faciem* ab Hebræis, quibus claris & perspicuis signis præsentiam tuam manifestas, † *& nubes tua protegat illos* defendens eos ab incursione hostium, per ministerium Angeli
III. in nube existentis; *& in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem* ductorem te suauissimum præbens vtroque tempore. Audientibus igitur hostibus tuis, *quòd occideris tantam multitudinem* quanta est hæc, quæ inuenitur in ista solitudine, *quasi vnum hominem,* haud enim dubium est, quin ea facilitate nos omnes posses occidere, certè eueniet, quòd *& dicant: Non poterat introducere populum* suum Israel *in terram, pro qua iurauerat,* se eam illis daturum,
† *idcir-*

† Eccles. 46. b. 9. 1. Macha. 2. f. 55. & 56
B.
† Exo. 13 d. 21.

Digitized by Google

† Exod. 32.c.12 † ideirco occidit eos in solitudine: ex benefi
cijs enim in Hebræos collatis, quisque cre
det te ob impotentiam nō eo, q illos exo-
sas habeas, aditum in terram promissam de
IIII. negasse: *magnificetur ergo* magnaque appa
reat *fortitudo Domini* 4 remittendo offen
sam, & introducendo populū istum in ter
ram promissionis; *sicut iurasti*, summaque
Ps. 102. b.8. Exo. 34.a.6. asseueratione testificatus es *dicens* ad me
seruum tuum, quòd sis † *Dominus patiens*
longanimiter sufferens peccantes, *& mul-
tæ misericordiæ*, ac proinde *auferens iniqui
tatem* originalem à parentibus contractā,
& scelera actualia propria voluntate com-
missa, *nullumque innoxium* & impunitum
derelinquens ex his, qui in te deliquerūt,
sed iustitiam cum pietate summo iudicio
temperas. Vnde cum vindictam exigere de
cernis, non illam subitò & quasi cum furo
re perficis, sed diu eam differs; vtpote *qui
visitas* per temporalium pœnarū exactio
nem *peccata patrum in filios in tertiam &
quartam generationem*, indicans in ipsa pœ
næ dilatione eximiam clementiam tuam.
D. *Dimitte obsecro, peccatum populi huius*,
quo omnis ferè populus murmurando de
liquit: quod quia grauissimum fuit, non ni
si *secundùm magnitudinem misericordiæ
tuæ* remitti valet: misereris igitur etiam
nunc, *sicut propitius fuisti*, ac peccata di-
misisti *egredientibus de Ægypto vsque
ad locum istum*; vt hac quoque ratione, in
plurium videlicet iniuriarū condonatione
fortitudo tua magnificetur. *Dixitque Do-
minus: Dimisi*, nō quidem totaliter & quā
tum ad omnem pœnam, sed *iuxta verbum
tuum*: acquiescens enim petitioni tuæ ne-
quaquam delebo totam simul multitudi-
nem. *Viuo ego*, seu per vitam meam attes-
tor, quia *& implebitur gloria Domini vni-
uersa terra*: clarius siquidem innotescet glo
ria nominis mei ex his, quæ postmodum
facturus sum erga populum istum, quàm
ex his quæ hucusque feci. *Attamen* quam
uis semen Israel non extinguam funditus,
nihilominus *omnes homines* à viginti annis
& supra, *qui viderunt maiestatem meam*
in operibus, quæ non nisi per diuinam po-
tentiam fieri queunt, viderunt scilicet por
tenta, *& signa quæ feci in Ægypto & in
solitudine, &* nihilominus incerti de po-
tentia virtutis meæ, *tentauerunt me*, ac pec
catis prouocauerunt *iam per decem vices*
seu multoties quasi volentes experiri, an
possim iniurias meas vlcisci, & an odio
habeam peccatā; *nec obedierunt voci meæ*,
qua iussi eos ascendere terram Chanaan:
hi inquam † *non videbunt terram, pro qua* † Deut. 1.
iuraui patribus eorum, quòd darem eam ip- f.35.
sorum semini: *nec quisquam ex illis qui de* E.
traxit mihi, intuebitur eam, quod nequit
illis non esse valde molestum cessante
amaritudine cordis, qua turpiter in Æ-
gyptum redire cupiebant. *Seruum meum
Caleb, qui* sicut & Iosue filius Nun *ple-
nus alio spiritu* & affectu ab eo, quo
imbuti erant cæteri pessimi explorato-
res, nempe animo recto & fideli *secutus est
me* per per confessionem meæ bonitatis
& potentiæ, illum inquam *inducam in
terram hanc, quam circuiuit*, seu peram-
bulauit cum alijs exploratoribus, *& se-
men eius possidebit eam* infallibiliter & per
seueranter. *Quoniam Amalecites & Cha-
nanæus habitant in vallibus*, ac delites-
cunt in locis humilioribus, vt insidientur V.
vobis ideirco nolite vlterius procedere.
Cras mouete castra: quoniam si hic mul-
tum moramini hostes irruent super vos,
& occident, proinde discedite, *& reuer-
timini in solitudinem* retrocedentes à via,
quam hucusque sequebamini, ac pergite
per viam maris rubri in eam solitudinis par
tem, quæ respicit mare Rubrum, vbi per
spatium triginta & octo ferè annorum
vos immorari oportet. *Locutusque est Do-
minus ad Moysen & Aaron* iterum confir-
mans sententiam mortis latam in detra-
ctores, ac *dicens: Vsquequo multitudo
hæc pessima murmurat contra me?* nun-
quid cessabit aliquando murmurare? *que-
relas filiorum Israel*, quas habent, eo
quod eduxi eos de Ægypto, *audiui.
Dic ergo eis*, & ex nomine meo pœnam,
qua mulctandi veniunt, indica: *Viuo
ego ait Dominus*, ac per vitam meam iu-
ro, quòd *sicut locuti estis*, & prout cum
magna animi perturbatione toto men-
tis affectu expetijstis, idque *audiente
me*, seu in rei veritate, *sic faciam vobis*:
dixistis siquidem potius velle perire in
hoc vasta solitudine, quàm ingredi ter-
ram vobis promissam: id igitur procul-
dubio præstabo. † *In solitudine hac*, maxi
me in ea solitudinis parte, quæ respicit ma † Ps. 105.
re Rubrum, *iacebunt cadauera vestra*: quia Dist. 26.
moriemini prope Cadesbarne, vbi per Deut. 1.
tempus triginta & octo annorum manebi f.41.
tis. *Omnes qui numerati estis à viginti an
nis & supra*, prout numerari solent viri dun

taxat duodecim tribuũ, nõ enim loquor de fœminis, nec de Leuitis, sed de cęteris, qui vi-
VI. gesimum annum attigistis ac etiã omnes, qui & *murmurastis 6 contra me*, quamuis non fueritis ex his, qui numerati sunt à viginti annis & supra, *non intrabitis terram, super quam leuaui manum meam*, iurans patribus vestris, *vt habitare vos facerem in illa*, eo quod indignos vos fecistis tanti beneficij, *præter Caleb filium Iephone & Iosue filium Nun*: hi namque quamuis vigesimum annum superexcedant, quia tamen honorem meum fortiter zelauerunt, habitare faciam in terra vobis promissa. *Paruulos autem vestros, de quibus* irrationabili timore perculsi *dixistis, quòd prædæ hostibus forent*, si vna vobiscum ad terram promissionis accederent, hos ego *introducam, vt videant*, & tanquam veri illius domini possideant *Terram, quæ vobis displicuit*, quasi habitatorum suorum deuoratrix. *Vestra cadauera iacebunt in solitudine* extra sepulcra terræ Chanaan mirum in modum à patriarchis exoptata. *Filij vestri erunt vagi*, non tendentes rectâ via, sed huc atque illuc dis-
VII. current *in deserto annis quadraginta*, 7 nõ quidem integris, sed paulo minus, & *portabunt* aliquantulum pœnę temporalis, quã vos subire tenebamini propter *fornicationem vestram*, qua territi verbis exploratorum à cultu veri Dei murmurando recessistis, & ducem vobis quærebatis ad redeundum in Ægyptum: erunt enim filij vestri vagi & exules, *donec consumantur cadauera patrum in deserto*, nã æquale erit tẽpus, quo manebunt paruuli in solitudine tempori, quo deficient omnes murmuratores morientes in deserto *iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terrã*
F. mittẽtes exploratores, qui nomine totius multitudinis eam lustrarent, puniemini, nõ
† Ezech. 4.b.6. quidem secundùm æqualitatem temporis, sed secundùm proportionem: quia † *annus pro die imputabitur*. *Et* sicut quadraginta
† Ps.94. b.10. diebus tentastis Dominũ explorantes terram promissionis, ita † *quadraginta annis*, vel circiter *recipietis iniquitates vestras* subeuntes penã pro eis debitam, & *scietis vltionẽ meã* eam experiẽdo: *quoniã sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit aduersum me*: nam absolutè & infallibiliter *in solitudine hac deficiet, & morietur* priusquam castra perueniant ad torrentẽ Zareth, quem post trigesimã octauã mansionẽ transituri estis.

† *Igitur omnes viri, quos* ob populi improbitatẽ *miserat Moyses ad contemplandam terrã, & qui* auctores criminis existentes *reuersi murmurare fecerãt contra eũ omnem multitudinẽ*, præbẽdo alijs occasionẽ murmurandi in eo, quòd *detrahentes terræ*, & illã infamãtes dixerũt, *quòd esset mala*, ac deuoraret habitatores suos: hi inquã omnes statim subitò, *mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini* ante tabernaculũ vbi erat cõgregata omnis multitudo ad audiẽdum Moysen diuinũ eis decretũ denuntiãtem. *Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone*, qui alijs decẽ socijs exploratoribus restiterat, *vixerũt ex omnibus, qui perrexerant ad considerandã terrã*, & non quispiã alius eorum. *Locutusq; est Moyses vniuersa verba hæc ad omnes filios Israel*, qui- G.
bus ingressus in terram Chanaan interdicebatur, ac mors cito superuentura prædicebatur, & *luxit populus nimis* non tã ob desperationẽ habendi terrã sibi promissam quàm propter interitum exploratorum, is enim fecit illos certiores, quod pati deberent infallibiliter reliqua pœnarũ genera. *Et ecce mane primo*, seu die sequenti post mortẽ exploratorũ, *surgentes ascenderunt* contra præceptum Domini *verticem montis* Amorrhæorũ & Amalecitarũ *atque dixerunt, Parati sumus ascendere ad locũ, de quo Dñs locutus est*, pęnitetque nos formidinis præteritæ, *quia peccauimus* renuentes intrare terrã nobis promissã. *Quibus Moyses: Cur, inquit*, dicendo de castris absque pręuia colũna victrice *transgredimini verbũ Domini*, quo interdixit vobis ingressum in terram Chanaan, & iussit reuerti per viam maris Rubri in solitudinem? & quorsum id facere tentatis, *quod vobis nõ cedet in prosperum*? quin potius ingens vobis malum † Deut. 1.g.42.
exinde eueniet. † *Nolite ascendere in montana Chananæorũ: non enim est Dominus vobiscum* ad vos protegendum, ob peccatũ in eum commissum: nolite inquam ascendere, *ne corruatis coram inimicis vestris*, eorũque hostili gladio feriamini. *Amalecites & Chananæus ante vos sunt* in parte illa versus quã pergere vultis, *quorum gladio corruetis*, vel multi ex vobis corruent, eo *quod nolueritis acquiescere Domino* iubenti, nec illuc eatis, *nec erit Dominus vobiscum* ad ferendũ auxilium. *At illi contenebrati*, & animi duritia excæcati, sana Moysi cõsilia respuẽtes *ascenderunt in verticem mõtis* in quo Chananęi & Amalecitę morabãtur.

† Iudit. 8.c.24. 1.Cor.10 b.10. Hebr. 3. d.16.17. Iuda. 1. b.5.

Atta-

Digitized by Google

Arca autem testamẽti Domini, & Moyses, vna cum illis, qui Moysi adhærebant, diuinoq; cultui, & ordinationi intenti erant, *non recesserunt de castris*, seu de loco castrorum, vbi columna manebat. *Descenditque Amalecites, & Chananæus, qui habitabat* partim in vallibus, partim *in monte*, *& percutiens eos atque concidens*, *persecutus est eos* illico fugientes ac timore perterritos, *vsque Horma*, nempe vsque ad extremitatem illius terræ, quam postea anno quadragesimo Israelitæ subiecerunt anathemati, ac penitus deleuerunt, nomenque Horma istam ob causam illi imposuerunt.

ANNOTATIONES IN CAP. XIIII.

I. *Absentia interdum demonstrãtur.*

IN terram istam.] Signa demõstratiua, nõ semper demõstrãt aliquid præsens ad sensum, sed interdum ostendunt dumtaxat rem, de qua fit sermo, eo quod eiusmodi res præsens sit intellectui, vt hic, & Psal. 47. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum. Et alibi pluries ob quam causam D. Chrysostom. homil. 78. in Matthæum inquit, solere scripturam sic loqui de rebus absentibus, ac de præsentibus, nempe quia absentia à sensu possunt esse præsentia intellectui.

II. *Moyses, & Aarõ ad placandũ populũ, cecidisse pronũ in terra.*

CEciderunt proni in terram.] Quæri solet quidnam intenderent Moyses, & Aaron, per hanc prostrationem. Nonnulli dicunt nihil prorsus intendisse, sed id subito, & absque vlla deliberatione contigisse ex vehementi turbatione, quam audientes, tam execrabile verbum contraxerant, quasi enim, non potentes consistere, corruerunt in terram, prout de Saule legitur 1. Reg. 28. Statimque Saul cecidit porrectus in terram, extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo. Alij existimant id eos fecisse ad placandum populum timore perculsi, ne forte ab ipso interficerentur, eo quod filios Israel eduxissent de AEgypto, sicque ceciderunt in terram, quasi precantes ne eos occiderent. Alij dicunt in ea prostratione intendisse ostendere dolorem ex rebellione populi conceptum, quia sicut alij scindebant vestimenta sua in signum doloris, prout fecerunt Iosue, & Caleb, vt statim subditur, ita & nunc Moyses, & Aaron dolentes nimis, audito illo verbo ceciderunt in terram ad significandum dolorem, prout Dauid quoque eandem animi passionem ostendens iacenit super terram, vt dicitur 2. Reg. 12. & amici Iob tristitia oppressi, non solum sciderunt vestes, sed etiam sederunt, cum Iob in terra septem diebus, & septem noctibus, vt habetur Iob capit. 2. Alij magis probabiliter quã præcedentes existimant Moysen, & Aaron cecidisse in terram ad orandum Deum pro Israelitis, ne illos occideret, quia audito verbo tam execrabili putauerunt, quod Deus, non contineret iram suam, sed subito occideret omnes. Cæterum quia si in hunc finem cecidissent in terram, non dixisset scriptura, quod ceciderunt in terram coram omni multitudine, sed coram Deo, idcirco dicunt nonnulli, quorum sententiam amplexati sumus in Paraphrasi, quod ceciderunt in terram ad rogandum Israelitas, ne facerent, quod proposuerant, dixerant enim, constituamus nobis ducem, & reuertamur in AEgyptum, ad frangendum igitur eorum duritiem humiliauerunt se coram omni multitudine.

III. *Repetitio exprimit maiorem loquentis affectũ.*

ET in columna nubis.] Hoc in loco vna, & eadem res vocatur columna nubis, & columna ignis, vt latè ostendimus Exod. 13. annotatio. 4. sortitur namque nomen nubis à natura quam habet, & nomen ignis à figura, & specie quam gerit, non secus atque lex interdum dicitur scripta in tabulis, interdum vero in lapidibus. Cæterum idem vtroque nomine significatur, sed tabula dicit ibi figuram, & lapis importat naturam. Solet autem scriptura vti repetitionibus, eandemque rem diuersis vocibus significare ad maiorem alicuius affectus expressionem, vt 3. Reg. capit. 12. Quæ nobis pars in Dauid, & quæ hæreditas in filio Isai, & Psalm. 113. In exitu Israel de AEgypto, domus Iacob de populo Barbaro. Ita hic bis ponitur eadem res sub nominibus columnæ nubis, & columnæ ignis, ad maiorem affectus Moysi expressionem.

IIII. *Fortitudo Dei multis modis dicitur magnificari*

MAgnificetur ergo fortitudo Domini.] Dicitur fortitudo Domini magnificari, & crescere, cum multiplicat opera fortia: tunc enim crescit secundum multitudinem operum fortium, & hoc est, quod hic postulat Moyses, vt qui hucusque ostenderat opera, & signa magna fortitudinis suæ, ostendat adhuc plura introducẽdo eos in promissam terram. Dicitur secundo Domini fortitudo magnificari, cum diuulgantur in plures populos opera fortitudinis eius. Potest tertio modo dici fortitudinem Domini magnificari superando iram suam, maius enim quid est seipsum vincere, quam alios iuxta illud Salomonis Prouerb. 16. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Et hunc sensum sequens sententia probat, sicut inquit, iurasti & cætera. Et nititur sanctus Moyses Deum ex verbis suis obligare ad parcendum populo, quia enim audierat eum Exodi trigesimo secundo dicentem se esse longanimem, & multæ misericordiæ, dicit eum debere vti sua longanimitate, & fortitudine in ferenda populi iniquitate.

Digitized by Google

V. *Amalecitæ, & Chananæi, qui nũ dicantur in præsenti.*

AMalecites, & Chananæus.] Amalecitæ isti ijdem erant cum his, qui in Raphidim pugnauerant cum Israelitis, mediat enim terra Amalec inter AEgyptum, & terram Chanaan, contingitque AEgyptum versus meridiem, & terram Chanaan versus septentrionem, vnde Israelitæ egredientes de AEgypto occurrerunt primò Amalecitis, postea, quasi semicirculum complentes in via ingressuri, per Cades-barne in terram Chanaan, iterum eisdem occurrerunt, eo quod Amalecitarum habitatio pertingebat vsque in alteram partem diametri prædicti semicirculi, ex habitatione enim Amalecitarum, & via Hebræorum, qua profecti sunt à mari rubro vsque ad Cades-barne perficitur, quasi semicirculus quidam, cuius diameter est terra Amalecitarum, in eiusque extremitate meridiana est AEgyptus, & in extremitate Septentrionali terra cuiusdam populi Chananæi, qui erat sub rege Arad, de quo meminit scriptura in præsenti: Chananæi enim, quorum hic fit mentio, non morabantur intra limites terræ Chanaan, quos descripsit Dominus inferius trigesimo quarto capite, sed ad meridianam partem terræ illius vltra Iordanem, apud Amalecitas, quasi populus diuersus ab alijs Chananæis, neque pertinens ad terram promissam Hebræis. Quod patet, quia inferius cap. 21. dicitur, quod Israelitæ vouerunt Domino delere omnes ciuitates huius populi Chananæi, idque præstiterunt, & tamen de terra Chanaan, nihil adhuc attigerant, quousque transierunt Iordanem post mortem Moysi, vocantur autem isti Chananæi, non quod inhabitarent terram Chanaan, sed quia à Chananæis originem ducebant, prout habitatores Indiarum Occidentalium vocantur Hispani, non quia degunt in Hispania, sed quia ab ea originem ducunt. Et quia etiam ducebant originem ab Amorrhæo filio Chanaan, vocantur etiam Amorrhæi Deuteronom. cap. 1. quamuis neque etiam habitarent terram duorum regum Amorrhæorum, quæ postea data fuit Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse.

VI. *Coniunctio, & dupliciter sumitur.*

ET murmurastis.] Ista coniunctio, &, potest stare dupliciter, vno modo copulatiue, quando scilicet, id quod affirmatur, conuenit singulis partibus copulatis seorsim sumptis, vt si dicamus Hispani, & Itali sunt Christiani, facit enim hunc sensum, Hispani per se sunt Christiani, & etiam Itali sunt Christiani. Alio modo potest stare, non copulatiue, sed de copulato extremo, quando scilicet, quidpiam affirmatur, vel negatur de omnibus partibus copulatis simul sumptis, vt si dicamus Petrus, & Andræas & cæteri sunt duodecim apostoli, in præsenti igitur illa exceptio præter Caleb, & Iosue ostendit coniunctionem. Et stare copulatiue, non autem de copulato extremo. Copulatiue enim, facit hunc sensum, quod omnes, qui erant à viginti annis debebant excludi à terra promissionis, & etiam omnes, qui murmurauerant, & tunc à priori membro debuerunt excludi Caleb, & Iosue, non autem Maria, nec Moyses, & Aaron, quia fœmina, & Leuitæ non numerabantur, cum populo, etiam à vigesimo anno. De extremo autem copulato faceret hunc sensum, quod omnes, qui erant viginti annorum, & insuper murmurati sunt, perire deberent. Qui quidem sensus stare, non potest, nam solum designat, quod hi, qui habentes ætatem viginti annorum murmurassent, deberent perire, & tunc superflua, ac inutilis esset exceptio duorum exploratorum Iosue, & Caleb, quando quidem isti, non murmurauerant, quamuis ascendissent ad numerum.

VII. *Numerus perfectus, pro imperfecto.*

ERunt vagi in deserto annis quadraginta.] Solet scriptura, vt docet Augustin. quæstio. 47. in Exod. tempora, ita nuncupare, vt quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit, aut infra est, non computetur, idest, solet plenum numerum ponere, etiam si modicum desit, vel supersit, vt Iud. 9. Et occidit fratres suos filios Ierobahal, septuaginta viros super lapidem vnum. Et tamen huic numero defuit Ioathan natu minimus, & ipse Abimelech, qui occidebat cæteros fratres, vt ibi videmus, fuerunt igitur sexaginta octo, omnes enim filios Gedeonis legimus capite octauo fuisse septuaginta. Idem lib. 5. de ciuitat. cap. 24. cum illud Genes. 6. exponeret. Erunt dies eorum centum viginti anni, intelligendum est, inquit, hoc Deum dixisse, cum circa finem quingentorum annorum esset Noe, idest, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque significans. Ita ergo in præsenti dicti sunt quadraginta anni illi, quibus vagari debebant filij Israel in deserto portantes fornicationem patrum suorum, nõ quod integri essent, sed quia erant ferme quadraginta. Neque enim Deus à terra promissa ob priora peccata arcebat, ac per desertum aberrare faciebat, sed propter præsentem rebellionem, & diffidentiam, etenim nunquam antea Deus hãc pœnam intimauerat, ab hac autem rebellione vsque ad ingressum in terram Chanaan, non nisi triginta, & octo anni, cum paucis mensibus trãsierunt, vt constat ex collatione huius temporis cum eo, quo mortuus est Aaron, numer. 33. & quo mortuus est Moyses in fine Deuteronomij, & quo ingressi sunt Israelitæ terram Chanaan Iosue. 1. hæc enim tria fere eodem tempore contigerunt, anno scilicet quadragesimo ab exitu de AEgypto, vt habetur inferius cap. 33. à qua summa si subduces annum integrum, & aliquot menses, post quod tempus contigit hæc rebellio, necessario fatendum erit filios Israel, non portasse fornicationem patrum suorum quadraginta annis integris, sed circiter quadraginta. Atque eodem modo de re eadem locutus est Dauid. Psalm. 94. Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi semper hi errant corde. Et Amos. 5. & Actu. 7. Nunquid hostias, & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel, vbi quadraginta anni dicuntur more vulgato, & scripturæ, & omnium gentium, quia ferme quadraginta fuerunt.

Digitized by Google

ARGVMENTVM IN CAPVT XV.

¶ Præscribuntur libamenta, quæ offerre oportebat in singulis sacrificiorum generibus, habita ratione proportionis animalium in sacrificijs immolandorum. Ritusque, & ceremoniæ primitiarum designantur, ac etiam imponuntur pœnæ, quibus tam peccans, per ignorantiam, quam peccans, per superbiam aderant obnoxij. Et tandem casus quidam incidentalis cuiusdam ligna colligentis in sabbato, eiusque punitio breuiter enarratur, & memoria mandatorum Dei in speciali fimbriarum signo commendatur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XV.

A. LOCVTVS *est Dominus ad*
Moysen ante discessum de
monte Sinai in tabernaculo
fœderis *dicens: Loquere ad fi-*
lios Israel, & promulgans ce-
remonias quasdam obseruandas in oblatio-
nibus sacrificiorum *dices ad eos. Cum ingressi*
fueritis terram habitationis vestræ, quam ego
dabo vobis in Chanaan, vbi necessaria, pro
sacrificijs vobis suppetere poterunt, &
quando ad sacrificandum, ibi vos disposue-
ritis, *& feceritis oblationem Domino in holo-*
caustum totaliter super altare incenden-
I. dum, *aut victimam*, 1 vtrumque mactan-
dam, siue pacificorum, siue pro peccato, id-
II. que vel *vota soluentes* 2 adimplendo pro-
missum, *vel sponte offerentes munera*, prout
offerri queunt sacrificia vltro, nec absque
necessitate legis, vel voti, *aut in solemnitati-*
bus vestris, in lege præscriptis, in quibus de
expensis sanctuarij animalia immolari præ
cipiuntur, cum igitur aliquo horum modo
rum sacrificia obtuleritis *adolentes odorem*
suauitatis Domino, de bobus, siue de ouibus, bo-
uem siue ouem offerendo in sacrificium,
offeret quicunque immolauerit victimam, sacri
ficium similæ, scilicet libamenta quædam ne
cessario connectenda victimis immolan-
III. dis, saltem *decimam partem ephi*, 3 seu men
suram Gomor farinæ purificatæ, ac *consper*
sæ oleo, quod quidem oleum in simila cons-
persum *mensuram habebit quartam partem*
hin, seu sextarium, & dimidium illius men-
suræ, qua res liquidæ mensurari consueue-
runt, *& vinum ad liba fundenda*, ad funden-
dum, scilicet, super similam oleo consper-
sam, quæ libum vocatur, *eiusdem mensuræ da*
bit ad minus quilibet offerens, siue inten-
dat offerre animal *in holocaustum siue in vi-*
ctimam cuiuslibet generis sacrificiorũ, *per*
agnos singulos, & arietes, quæ sunt animalia
mediocria, non sufficiet sacrificium similę
modo præscriptum; illud enim dandum est
ad minus, scilicet, pro quauis minima victi-
ma, sed pro agno, vel ariete *erit sacrificium*
similæ duarum decimarum, quæ quidem simi-
la, seu farina pura tritici *conspersa sit oleo ter-*
tiæ partis hin, maiori enim quantitati similæ
respondere debet maior quantitas olei, *&*
vinum ad libamentum conficiendum ex ha-
rum omnium rerum mixtione, similiter *ter*
tiæ partis eiusdem mensuræ offeret, vt aliqua
eius pars cremetur super altare *in odorem*
suauitatis Domino, quasi res quædam Deo
grata ex deuotione offerentium. *Quando ve* B.
ro de bobus feceris holocaustum, aut hostiam
quamcunque, siue pro peccato, siue pacifi-
cam, *vt impleas votum* ac desiderium tuum
offerendi rite sacrificium, *vel pacificas victi*
mas, vtque pacem tibi afferant hostię boum
in sacrificium oblatæ, *dabis per singulos bo-*
ues, eo quod animalia sunt grandiora *similæ*
tres decimas conspersæ oleo, quod habeat me-
dium mensuræ hin, non plus, nec minus, *& vi*
num ad liba fundenda eiusdem mensuræ, & iux
ta quantitatem olei, quæ omnia offeret *in*
oblationem suauissimi odoris Domino, cui ac-
cepta erunt, prout esse solet acceptus sua-
uissimus odor hominibus. *Sic facies per sin-*
gulos boues, & arietes, & agnos, & hædos, offe
rens vna cum vnoquoque eorum libamen-
ta modo tibi præscripto. *Tam indigenæ*
nati

Digitized by Google

nati ex parentibus Iudæis, *quam peregrini* de gentilitate ad fidem conuersi, *eodem ritu offerent sacrificia*, nempe cum debita libamentorum oblatione. *Vnum præceptum* directiuum moralium operationum *erit, at-*
IIII. *que indicium* 4 pertinens ad ceremonias, & lites *tam vobis, quam aduenis terræ*, quia vtrique subditi esse debetis, non solum præceptis moralibus, verum etiam ceremonialibus, atque iudicialibus, ac proinde obnoxij ritui libamentorum, qui ad legis ceremonias pertinet. *Locutus est Dominus ad Moysen*, tulitque legem de primitijs ciborum dicēs: *Loquere filijs Israel, & dices ad eos, Cum veneritis in terram* Chanaan patribus vestris promissam, *quam dabo vobis*, & cum Iordane transmisso, *comederitis de panibus*, quos habueritis ex frugibus *regionis illius, separabitis* partes quasdam prælectas, ad mittendum eas Leuitis, & offerendum, quasi *primitias Domino de cibis vestris*, seu de panibus, quos ea die coquitis. *Sicut de areis*, seu de fructibus tam in area, quam in torculari collectis *primitias separatis* mense septimo, vltra eas primitias, quas in die azymorum de spicis virentibus adducitis, & vltra eas, quas in festo Pentecostes de panibus nouiter confectis offertis Domino, *ita & de pulmentis*, seu rebus ex farina confectis, nempe de panibus nouiter confectis *dabitis primitias Domino*, non quidem, quod ad offerendum has primitias, prout ad offerendum illas, singuli teneamini, sed quia interdum vni, interdum alij de populo istas quoque præter illas præstare debent eisdem Leuitis. *Quod si per ignorantiam*, non considerata legislatoris authoritate, *prætcrieritis, quidquam horum, quæ locutus est*
V. *Dominus ad Moysen*, 5 *& mandauit per eum ad vos*, pertinentium tam ad præcepta ceremonialia, quam ad præcepta iudicialia legis, *à die qua cœpit iubere*, siue in Ægypto, siue in monte Sinai, *& vltra, oblitaque fue-*
VI. *rit* 6 *facere multitudo*, omittens quidpiam exequi, non ex superbia, sed per inconsiderationem legis sibi impositæ, vel per passionem, *offeret vitulum de armento holocaustum*, cedetque nomine totius multitudinis, *in odorem suauissimum Domino*, erit enim Deo sacrificium illud, ita gratum, prout odor suauissimus solet esse gratus hominibus, cum quo offeret, etiam multitudo, *& sacrificium eius* holocausti, nempe similam, *ac liba vini, olei, thuris*, & salis, *vt ceremoniæ*
† Leui. 2.4.1. † in Leuitico, & in hoc ipso capite præscriptæ *postulant, hircumque pro peccato*, qui extra castra cremari non debet, ac proinde, neque de eius sanguine in tabernaculum introduci, sed adipe incenso super altare, carnes prouenient ad sacerdotes, *& rogabit sacerdos*, qui faciet ceremonias huius sacrificij, *pro omni multitudine filiorum Israel*, deprecans dimitti eis peccatum, *& dimittetur eis*, nec imputabitur peccatum, quod puniri debuisset, si sacrificium, non præcessisset, *quoniam non sponte*, sed ex ignorantia, vel ex passione, & non omnino scientes, & volentes, *peccauerunt, nihilominus offerentes* erunt, seu offerre debent sacrificium *incensum Domino pro se*; ne iterum in priora labantur, *& pro peccato atque errore suo*, vt eis remittatur, *& dimittetur vniuersæ plebi filiorum Israel, & aduenis* de gentilitate ad Iudaismum conuersis, *qui peregrinantur inter eos, quoniam culpa est omnis populi, per ignorantiam* illa, quæ hoc ritu expianda venit. *Quod si anima vna*, seu vna particularis persona *nesciens peccauerit* ex inconsideratione dignitatis, & excellentiæ legislatoris, cui minime renuit subijci, *offeret capram anniculam pro peccato suo*, quod commisit contra legis iudicia ac ceremonias, *& deprecabitur pro ea sacerdos*, quando sacrificium obtulerit, *quod inscia peccauerit coram Domino*, nam si ex superbia, & rebellione peccasset, non deberet orare pro illa, sicut neque sacrificium offerre, *impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi*, non tam virtute sacrificij, quam deuotione offerentis. *Tam indigenis, quam aduenis vna lex erit omnium, qui peccauerint ignorantes*, quantum ad obligationem offerendi sacrificia pro peccatis, hæc enim lex inter pœnalia computatur. *Anima vero, quæ per superbiam* volens se subtrahere ab obedientia diuinæ legis *aliquid commiserit, siue ciuis sit ille* de genere patriarcharum *siue peregrinus* ad Iudaismum conuersus, *quoniam aduersus Dominum rebellis fuit*, volens se quasi excelsum à lege eximi, *peribit de populo suo*, nec aliqua ei suffragabitur hostia: *verbum enim Domini contempsit* renuens subijci legi, & exinde illam infringens, vnde *& præceptum illius fecit irritum*, *idcirco* in pœnam tanti sceleris, & contemptus *delebitur*, D.
& portabit iniquitatem suam subiens pœnam pro peccato debitam, † *Factum est autem cum essent filij Israel in solitudine* deserti Sinai, in aliquo vno loco illius, *& inuenissent*, nonnulli de populo quendam *hominem colligentem ligna in die Sabbati* contra præceptum,

† 22.q. 5.c. quid ergo in fine de pen. d. 3. §. igni succensus est.

tum, non à Moyse, sed à Deo ipso immediatè impositum, zelo legis commoti tenuerunt, & *obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & vniuersæ multitudini*, vt in conspectu totius populi Moyses, & Aaron iudicarent, quid de eo facere oporteret. *Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes, quid super eo facere deberent*, si enim sciuissent pœnam, quam infligere debebāt homini illi, statim illam inflixissent. *Dixitque Dominus* loquens in sancta sanctorum de medio duorum Cherubinorum *ad Moysen*, à quo fuerat interrogatus super hoc negotio. *Morte moriatur homo iste*, iuxta præscriptum legis † præcipientis in Exodo, vt moriatur omnis, qui fecerit opus in Sabbato *obruat eum lapidibus omnis turba extra castra*, eo quod nefas est quemquam intra castra occidere ob pollutionem castrorum inde subsecuturam. *Cumque eduxissent eum foras* extra carcerem, scilicet, & extra castra, *obruerunt lapidibus*, tot lapides super eum iacientes, vt eum eis operirent, *& mortuus est, sicut præceperat Dominus. Dixitquoque Dominus ad Moysen: Loquere filijs Israel, &* imponens eis signum, quo recordari eos oportet mandatorum Dei, atque etiam ab alijs populis distingui, *dices ad eos*, ac præcipies, † *vt faciant sibi fimbrias* seu funiculos quosdam, *per angulos palliorum*, superiorum, in eorum extremitatibus, *ponentes in eis vittas hyacinthinas*, seu fascias quasdam panni coloris cœlestis, *quas cum viderint*, qui eas portauerint, *recordentur omnium mandatorum Domini*, ac desistant à peccatis suis, si aliqua facere proposuerant, *nec sequantur cogitationes suas*, imò potius resistant passionum motibus, *& oculos per res varias fornicantes*, nequaquam sequātur, prout insequi dicuntur, qui ad modum fornicantium rerum visibilium ardent concupiscentia, *sed magis* ex conspectu proprij habitus *memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo*, 7 & ab alijs gentibus, VII.
etiam in habitu distincti. *Ego Dominus Deus vester, qui* isthæc iubeo, cui maximopere obedire tenemini, quandoquidem *eduxi vos de terra Ægypti*, eiusque durissima seruitute, *vt essem Deus vester*, & me specialius, quam reliquæ omnes gentes coleretis.

† Exod. 31.c.14.

† Deut. 22.b.12 Matth. 23.a.5.

ANNOTATIONES IN CAP. XV.

I. *Libamēta in quocunq; sacrificio carnium offerebantur.*

AVT victimam.] Litera minus correcta habet: victimam pacificam, ob quam causam Abulensis super hunc locum quæst. 7. tenet non offerri libamenta in quocunque sacrificio carnium, sed dumtaxat in holocausto, & hostia pacificorum, secus autem in hostia pro peccato. Redditque rationem, quia libamenta solum adhibebantur in his sacrificijs, quorum carnes ponebantur super altare, quasi prandia, & cænæ, & conuiuia Dei, eo quod ad significationem integri conuiuij præter carnes necessaria erant alia quædam condimenta, & potus, vt panis, oleum, & vinum, quia igitur in sacrificio pro peccato, non cremabantur aliquæ carnes super altare, prout in alijs, idcirco in illo, nō oportebat libamenta exhibere. Cæterum, vt dixi, sententia ista innititur deprauatæ literæ: in Hebræo enim pro victima ponitur dictio Zebach, quæ propriè mactatum, vel iugulatum significat, & ex consequēti designat sacrificium, quod vtcunque mactari solebat. Quod autem dictioni victimam subiungitur pacificam absque fundamento factum est. Neque ratio Abulensis innititur assertioni veræ, quin potius tales partes hostiæ pro peccato ponebantur super altare, quales ponebantur de hostia pacifica, vt constat Leuit. 4. vbi loquens scriptura de vitulo offerendo pro peccato sacerdotum inquit. Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum, qui vitalia operit, quā omnia, quæ intrinsecus sunt duos renunculos, & reticulum, quod est super eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renunculis, sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum, & adolebit ea super altare holocausti. Et sicut Leuit. 3. dicitur. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino, adipem & caudam totam cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem atque vniuersa vitalia, & vtrumque reniculum cum adipe, qui est iuxta ilia, reticulūque iecoris cum renunculis, & adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis, & oblationis Domini. Ita similiter Leuit. 7. loquens scriptura de hostia, pro delicto inquit offerent ex ea caudam, & adipem, qui operit vitalia. Duos renunculos, & pinguedinem, quæ iuxta ilia est, reticulumque iecoris cum renunculis, & adoleuit ea sacerdos super altare, incensum est Domini pro delicto. Fundamentum igitur Abulensis insufficiens est ad censendum in hostia pro peccato, non fuisse adhibita libamina in hoc capite præscripta. Quapropter asserendum est in omni carnium sacrificio illa fuisse oblata, & in speciali de sacrificio pro peccato constat oblatum esse, cum libaminibus ex his quæ Leuitic. 14. cauentur in purificatione leprosorum, & expressius Num. cap. 18. Vbi loquens scriptura de sacrificijs offerendis in diebus Calendarū sic ait: Hircus quoq; offeretur Dño pro peccatis in holocaustū sempiternū cū libamētis suis.

II. *Hostiæ ex voto*

VOta soluentes.] Dubitari solet an potuerint offerri aliquæ hostiæ ex voto in holocaustum, vel in victimam pacificorum. Et videtur,

interdũ offeruntur in holocaustũ & in victima pacificorũ.

detur, quod non, eo quod inferius cap. 18. habetur omne quod ex voto reddiderint filij Israel, tuum erit, idest, pertinebit ad ius sacerdotum. Cum igitur ex carnibus holocausti, nihil pertineat ad sacerdotes, sed totum incendatur super altare, & etiam carnes hostiæ pacificæ pro maiori parte cedere debeant in vsus offerentium, vt constat Leuitic. capit. 7. videtur sequi nequaquam posse hæc sacrificia offerri ex voto. Nihilominus asserendum est oppositum, etenim dupliciter potest aliquod animal cadere, sub voto vno modo, quando vouens diceret. Promitto Deo tale animal. Et tunc huiusmodi animal integre pertinet ad ius sacerdotum. Et de hac oblatione loquitur caput decimum octauum huius libri. Alio modo quando vouens diceret. Promitto tale animal in holocaustum, vel in hostiam pacificam. Et tunc animal sic promissum debet offerri in ea specie sacrificij, in qua vouens se obligauit. Quod si nullam in particulari expressit, poterit eligere speciem sacrificij, quam maluerit, & in ea offerre hostiam, vnde hoc secundo modo hostia ex voto poterit offerri in holocaustum, vel in victimam pacificorum, vt hic insinuatur.

III. *Libamina distinguebantur secundum diuersitatẽ animaliũ oblatorum.*

DEcimam partẽ ephi.] Hæc mensura similæ olei, & vini, non est præcisa, & determinata, pro omnibus sacrificijs, ita vt pro quolibet animali debeat dari determinatè vna decima pars ephi, sed debet intelligi ad minus, quia vna decima ephi est mensura libaminum animalium minimorum, nempe agni anniculi, vel hœduli, nam pro arietibus, & hircis, & agnis maiusculis, quæ erant animalia mediocria offerre oportebat duas decimas, vt statim subiungitur, & pro bobus, quæ erant animalia magna dabantur tres decimæ, vt post modum etiam dicitur. Distinguuntur enim hic oblationes libaminum, non secundum diuersitatem sacrificiorum, sed secundum diuersitatem animalium, quæ immolabantur, & hoc secundum quantitatem, quatenus quædam erant animalia maiora, vt boues, alia mediocria, vt arietes, & hirci, alia vero minima, vt agni anniculi, turtures, ac pulli colũbæ.

IIII. *Præceptum, & iudicium diuersa significant.*

ATque iudicium.] Hæc duo nomina præceptum, & iudicium, iuxta quorundam sententiam, idem significant, dicunt enim his nominibus præceptum offerendi libamina designari, secundum quod vniuersa legis præcepta duas habent proprietates. Altera est posse cogere subditos ad sui obseruationem, altera vero illuminare homines ad sciendum, quid agere oporteat, vel quid cauere, & quantum ad hæc habet lex duo nomina, nam quantum ad primum vocatur præceptum, quia potest cogere subditos, & quãtum ad secundum vocatur iudicium, in quantum indicit nobis, quid facere debeamus. Cæterum verosimilius dicitur per præceptum significari illud, quod iuxta dictamen rectæ rationis mores componit, per iudicium vero, quod dirigit ceremonias ac lites legis Mosaycæ, prout Exod. 15. numero. 4. aduertebamus. In præsenti igitur Moyses postquam dixerat indigenas, & peregrinos eodem ritu offerre debere sacrificia subiungit huius rei rationem dicẽs, ideo vtrosque teneri ad legem libamentorum, quia vtrique æquè tenentur, non solum ad obseruantiam præceptorum moralium, verum etiam ad custodiam mandatorum ceremonialium, & iudicialium, in quorum numero comprehenditur ritus offerendi sacrificia.

V. *Diuersa peccata multitudinis diuersa exigebãt sacrificia.*

DOminus ad Moysen.] Nonnulli existimãt hoc in loco suppleri aliqua, quæ omiserat Moyses in capite quarto Leuitici, circa expiationem peccati multitudinis, ad eiusdemq; peccati sacrificium pertinere vitulum pro peccato extra castra cremandum, cuius ibi fit mentio, & vitulum in holocaustum, & hircum pro peccato, quæ hic memorantur. Verius tamen censeo, quod ibi sit sermo de peccato multitudinis contra præcepta diuina spectantia ad ius naturale, hic autem fit sermo de peccato contra præcepta diuina spectantia ad ius positiuum. Cuius differentiæ signum est, quod hic expresse dicitur, Si præterieris quidpiã horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen, & mandauit per eum ad vos à die, qua cœpit iubere, & vltra. In Leuitico vero nulla fit mentio præceptorum Dei per Moysen, sed præceptorum Dei dumtaxat. Præterea in Leuitico decernitur, quod taurus pro peccato populi comburatur extra castra, hic autem hircus pro peccato absque combustione offerendus dicitur. Et rursus ibi pontifex debet pro peccato populi sacrificare, hic vero simplex sacerdos. Quæquidem insinuant in Leuitico de grauioris peccati expiatione legem dari. Peccata enim, quæ per sacrificium Leuitici expianda veniunt, non ideo sunt mala, quia prohibita, sed quia mala ideo prohibita, secus autem se res habet de peccatis, quæ sacrificio præsentis loci expiari præcipiuntur, vnde maior hostia pro peccato præfigitur in Leuitico, quam in præsenti, quamuis vtraque ad expiationem peccati multitudinis ordinetur.

VI. *Hostia legalis, nõ indicitur nisi pro peccatis per ignorantiam.*

OBlitaque fuerit.] Duplicis generis peccatorum meminit lex in hoc capite, alterum vocat per ignorantiam, siue ex obliuione, alterum vero appellat peccatum, per superbiam. Ad quæ duo capita reducenda videntur vniuersa peccata. Etenim peccans, vel id facit, volens aliàs subijci legislatori, & tunc dicitur peccare per ignorantiam, quia tribuitur peccatum inconsiderationi, & obliuioni authoritatis, & potentiæ legislatoris. Vel peccat nolens subijci ei, qui legem tulit, & talis dicitur peccare per superbiam, quasi rebellis existens aduersus superiorem, siue peccare voluntarie, quia omnino sciens, & volens peccat. Pro priori peccato indicitur hostia in præsenti, & in pluribus locis Leuitici, non tamen pro secundo, sed de taliter peccante dicitur inferius, quod peribit de populo suo. Quam legis determinationem insinuat Paulus ad Hebræ. 10. inquiens. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios,

Digitized by Google

rios, vbi non docet Paulus dari peccatum aliquod in hoc seculo irremissibile, sed quod propter alicuius peccati grauitatem, non fuerit ad eius remissionem instituta hostia in lege. Quod doctrina huius capitis manifestum facit, etsi aliàs, per virtutem pœnitentiæ, etiam in statu legis veteris vniuersa peccata remitti quiuerint.

VII. *Vittæ hyacinthinæ, quæ dicantur.* VITTAS hyacinthinas.] Iudæi existimant has vittas hyacinthinas fuisse quosdam paruos funiculos ex multis nodis complexos, qui consuebantur extremitatibus fimbriarum. Cæterum melius dicitur cum Abulensi, & alijs vittarum nomine intelligi pictatia quædam quadrata de panno hyacinthino, idque consonat testimonio Euangelij Matth. capit. 23. quando dicitur de Pharisæis, dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbias, vbi sicut, per phylacteria intelliguntur membranæ quædam, seu duo volumina habentia inscripta, præcepta Decalogi, quorum alterum fronti coronæ vice, Pharisæi circumponebant, alterum brachio, vt siue quo manum porrigerent essent in conspectu, siue quo caput mouissent, ob oculos essent, quo viderentur admodum obseruantes legis, quasi opere complentes, quod erga legis recordationem Deus iubet Deuteronom. cap. 6. Ita per fimbrias intelligit Christus Dominus vittas has hyacinthinas, quas ad inanem gloriam Pharisæi magnificabant. Si tamen fuissent funiculi, non tam commodè potuissent magnificari, quam pannus quadratus poterat magnificari.

VIII. *Sāctitas duo significat quorum causa Iudæi philacterijs vtebantur.* SIntque sancti Deo suo.] Dupliciter solet intelligi in sacris literis aliquem esse sanctum. Vno modo, vt sit mundus, & iustus, alio modo eo quod sit segregatus, & ab alijs seiunctus, & separatus, prout, superius capite sexto huius libri vocabantur Nazaræi sancti, idest, segregati. Et in vtroque sensu potest intelligi hoc, quod dicitur de portantibus fimbrias, & vittas hyacinthinas. Essent enim sancti Deo suo, tum quia cum viderent vittas hyacinthinas recordati fuissent præceptorum Dei, & cauerent à desiderijs suis, ac proinde in iustitia, & cordis munditia permansissent, tum præterea, quia portantes eiusmodi vestes fuissent segregati ab alijs gentibus ritum iudaicum non obseruantibus, voluit enim Deus Iudæos distingui ab alijs gentibus in signo. Et hoc fuit duplex, quoddam fuit signum in carne, aliud vero in veste. In carne datum est signum circuncisionis, quod non poterat tolli ab aliquo Iudæo, quia tamen istud, non sufficiebat, eo quod erat occultum, vnde non cognoscerentur Iudæi per illud, idcirco debuit dari aliud signum exterius, istud autem fuit signum in habitu, & de hoc fit sermo in præsenti.

ARGVMENTVM IN CAP. XVI.

¶ Insurgens Core vna cum Dathan, & Abiron, & Hon alijsque ducentis quinquaginta socijs contra Moysen, & Aaron, à Moyse reprehenditur ob sacerdotij ambitionem, propter quam Core Dathan, & Abiron à terra absorbentur. Cæteri quoque, quia incensum offerre tentarunt, igne de altari sublato, combusti sunt in cuius punitionis memoriam præcipit Deus Eleazaro, vt thuribula schismaticorum in laminas producta altari affigat. Ob prædictæ interfectionis causam populus murmurat, ac seditio oritur contra Moysen, à qua tamen Israelitæ arcentur, per combustionem quatuordecim millia, & septingentorum virorum.

PARAPHRASIS IN CAPVT XVI.

A. ECCE autem contigit quodam tempore, dum filij Israel essent in monte Sinai, vel alibi in deserto, quod *Core filius Isaar, filij* secundi *Caath, filij* primogeniti *Leui, & Dathan atque Abiron filij Eliab* magni principes in tribu Ruben, *Hon quoque filius Pheleth,* qui pariter etiam erat *de filijs Ruben,* hi omnes ambientes maiorem principatum, super populum, seu forte summum sacerdotium, quod primogenitis cedere solebat, *surrexerunt contra Moysen,* vt pote ducem populi, & à quo Aaron institutus fuerat in summum sacerdotem, *alijque filiorum Israel ducenti quinquaginta viri* de multis ac diuersis tribubus, qui erant *proceres synagogæ;*

gega, & nobilitate insignes in vniuerso populo, quippe qui *tempore concilij*, non solum tubarum clangore, sed etiam *per nomi-*
I. *na vocabantur* 1 per nuncios, qui eos ad diem certum accersiebant, certioresque faciebant de causis in concilio tractandis.
† *Eccle. 45. c. 22 Iud. 1. c. 12. 1. Corint. 10. b. 10.* † *Cumque stetissent* prædicti omnes, insurgerentque *aduersum Moysen, & Aaron*, dure satis, & impudenter *dixerunt, Sufficiat vobis*, quod sitis alijs æquales, & non maiores, ac nolite super cæteros eleuari assumendo præposituras, quamuis enim sancti sitis. Deoque appliciti, non proinde cæteris pręstatis, *quia omnis multitudo sanctorum est*, atque ad Dei cultum electa, *& in ipsis est Dominus* eos dirigens, ac se familiarem exhibens, mannaque, & alia specialia beneficia conferens: *cur eleuamini super populum Domini* subijciendo vobis reliquam multitudinem ex vestra præsumptione, & non ex diuina ordinatione? *Quod cum audisset Moyses cecidit pronus in faciem*, Dominum deprecaturus, vt ei quid facere ac respõdere oporteret, ostenderet, quo obtento surrexit de terra, in qua prostratus iacuerat. *Locutusque ad Core*, rebellionis ducem, *& ad omnem multitudinem*, quæ conuenerat cum Core. *Mane inquit*, non statim, vt locum resipiscentiæ vobis conferat, *notum faciet Dominus*, signo quodam sensibili, & manifesto, *qui ad se pertineant*, tanquã assumpti ex illius ordinatione ad ministeriũ ad quod alij electi nõ sunt, *& sanctos*, seu ab eo ad speciale munus segregatos *applicabit sibi* ostendẽs se eos velle proprijs fungi muneribus. *& quos elegerit*, seu quos hactenus elegit, *appropinquabunt ei* liberati à periculo, quod cæteri sunt incursuri. *Hoc igitur facite*, vt experimento cognoscatis, quem elegerit Dominus in sacer-
B. dotem: *Tollat vnusquisque thuribula sua* ad offerendum in eis thymiama, quod est munus sacerdotale, idque facite *tu Core, & omne concilium tuum*, qui scilicet iure Leuitici generis, vel iure primogenituræ sacerdotiũ ambitis, *& hausto cras igne* de loco vnde pręcepit Deus illum haurire, *ponite desuper thymiama*, & offerte illud *coram Domino, & quẽcunque elegerit*, ostenderitque Deus à se fuisse electum *ipse erit sanctus*, & vt talis ab omnibus æstimabitur. *Multum erigimini filij Leui*, nolentes esse contenti sorte vestra. *Dixitque rursum ad Core* increpans eum, pro ambitione summi sacerdotij. *Audite filij Leui*, ac testes estote iniquæ prætensionis consanguinei vestri Core ac sociorum eius.

Num parum vobis est, ita vt sufficere vobis non debeat, *quod separauit vos Deus Israel ab omni populo*, eligendo tribum vestram ad speciale munus, relictis reliquis de populo, *& iunxit sibi* in Dei sortem transferendo, ad hoc, *vt seruiretis ei in cultu tabernaculi*, vel vasa custodiendo, vel onera portando, *& staretis coram frequentia populi*, propius sanctuarium castrametantes, quam reliqua multitudo, *& ministraretis ei* in ministerijs superius memoratis? Nunquid existimas ô Core, & cognatio tua, quod Dominus *idcirco ad se fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Leui* sanctificando vos, & separando ab alijs de populo, *vt vobis etiam* vltra singularia beneficia, quæ accepistis, adhuc *sacerdotium vendicetis* indebite, & ingrati diuinis beneficijs, ac prætera, vt *& omnis globus tuus* ducentorum quinquaginta virorum, qui tecum rebellarunt, *stes contra Dominum* volentes eius dispositionem, & diuinam ordinationem infringere? Nequaquam certè in hunc finem tot ac tanta beneficia vobis contulit Deus. *Quid est enim Aaron*, vt ausus fuerit sacerdotium vsurpare, tantumque munus absque Dei iussione exercere, & ob eam causam *murmuretis contra eum*? Profectò non est tantæ excellentiæ Aaron, vt id de eo præsumi posit, ac proinde irrationabilis est, & fine fundamento murmuratio vestra. *Misit ergo Moyses, vt vocaret Dathan, & Abiron filios Eliab*, nõ enim erant præsentes, quando prædicta locutus est Moyses, cum Core, & socijs eius. Et voluit eos inducere ad hoc, vt desisterent à prætensione ducatus populi. *Qui responderunt. Non venimus*, nec ad mandatum tuum venire volumus, *nunquid parum est tibi*, ac paruum malum tibi fecisse, videtur in eo, *quod eduxisti nos de terra, quæ* præ vbertate, quasi *lacte, &* præ fructuum dulcedine, quasi *melle manabat*, qualis erat terra Ægypti, idque, non ob alium finem, nisi *vt occideres in deserto, nisi &* vltra hoc tam ingens facinus, adhuc aliud addideris, nempe vt *dominatus fueris nostri*, nosque premere volueris seruitute? Certè primum debuisset tibi sufficere. *Reuera induxisti nos in terram, quæ* ob illius vbertatem, & dulcedinem, *quasi fluit riuis lactis, & mellis*, prout, promiseras te facturum, *& dedisti nobis possessiones agrorum, & vinearum.* Et quidem si id præstitisses iure optimo ducatum nostrum vendicare potuisses. Cæterum nihil minus fecisti, quam isthæc, quæ

Digitized by Google

quæ modo ironicè retulimus. *An & oculos nostros vis eruere*, ac tyrannidem exercere?
C. *Non venimus*, nec iussioni tuæ vlla ratione obtemperare volumus. *Iratusque Moyses valde*, & zelo iustitiæ, vindictam exposcens *ait ad Dominum*: *Ne respicias sacrificia eorum*, sicut nec respexisti sacrificium impij Cain: *tu scis quod ne asellum quidem*, nec rem etiam quamtumuis minimi valoris, *vnquã acceperim ab eis*, è contrario me gerens quã duri domini, qui bona subditorum vsurpare solent: scis etiam, quod *nec afflixerim quempiam eorum*, prout duri principes affligunt subditos sibi: immerito ergo rebelles isti de me cõqueruntur, dicentes me oculos ipsorum eruere velle. *Dixitque ad Core. Tu, & omnis congregatio tua*, nempe ducenti & quinquaginta viri, qui tecum rebellarunt, *state seorsum coram Domino* ad vnam atrij partem separati ab Aaron, *& Aaron die crastino* etiam vobiscum existet in altera atrij parte *separatim*: vt hac ratione discerni possit quis nam ex vobis & Aaron acceptus sit Deo ad ministerium sacerdotale. *Tollite singuli thuribula vestra*, quæ sint quædam vasa ænea, apta ad hoc vt oblatione facta apponi queant super altare thymiamatis, ibique permanere, *& ponite super ea incensum*, accepto prius igne de altari holocaustorum: sicque exercetis munus sacerdotum *offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula*: quæ offerri debent supplices ad Deum preces fundẽtes, & postea apponendo ea super altare thymiamatis: *Aaron quoque teneat thuribulum suum*, & pari ritu offerat illud Domino. *Quod cum fecissent* adducentes sequenti die ducenti quinquaginta viri thuribula sua ante tabernaculum, vt ibi subirent experimentum à Moyse oblatum, *stantibus Moyse & Aaron* inibi in altera atrij parte ante fores tabernaculi, *& coaceruassent* Core, & socij eius *aduersum eos omnem multitudinem*, quam incitauerant contra Moysen & Aaron, & congregari fecerant *ad ostium tabernaculi*, vt parati essent ad insurgẽdum contra Moysen. Tunc igitur rebus sic stantibus subitò *apparuit cunctis gloria Domini* 2 per
II. coruscationem cuiusdam insoliti fulgoris, qui visus est in nube existente supra tabernaculum: & per eum significabatur specialis Dei præsentia ac maiestas. *Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron* per
7. q. 1. c. deniquc vocem in aëre formatam *ait*: † *Separamini* vos, & filij vestri, ac cæteri, qui vobiscum sentiunt, *de medio cõgregationis huius* recedentes à consortio reliquorum omnium, qui pertinent ad populum istum, *vt eos repente disperdam*, quadoquidem ausi sunt coaceruari aduersum vos. Nolebat Deus populum disperdere: si enim id voluisset, nequaquam necesse habebat præcipere, vt iusti separarentur; cum ipse facilè posset quibusdam, & non alijs pœnam infligere, etiam si simul adessent: sed signa punitionis ostendebat, vt ad orandum pro populo Moyses & Aaron mõuerentur. *Qui ceciderunt proni in faciem*, *atque* supplices pro populo preces fundentes *dixerunt*: *Fortissime Deus spirituum* qui ob immẽsam virtutẽ tuã illaberis mẽtibus & cordibus *vniuersæ carnis*, 3 ac proinde scis vniuersas hominum cogitationes, nec te latet quisnam ex vniuerso populo isto causa huius rebellionis extiterit, & quis non extiterit, *num vno peccante*, vel saltem paucissimis cum eo aduersum nos insurgentibus, *contra omnes ira tua desæuiet?* Certe id non licet: liceret autem, si non cognosceres corda, & existimauisses eos peccasse, cum non peccauerint. *Et ait Dominus ad Moysen* volens tantum punire eos, qui peccati autores, ac principes fuerant: *Præcipe vniuerso populo, vt separetur à tabernaculis Core*, 4 *& Dathan, & Abiron*; ne vna cum impijs istis, ac rebus, quæ ad ipsos pertinent, à terra absorbeatur. *Surrexitque Moyses* de terra vbi cum Aaron prostratus aderat, *& abijt ad Dathan & Abiron*, quorum vterque atque etiam Core remanserant in tabernaculis suis, nolentes ad præceptum Moysi adire ostium tabernaculi: abiens autem Moyses, *& sequentibus eum senioribus Israel*, prudentioribus scilicet, & qui maioris erãt honoris in toto populo, *dixit ad turbam*, quæ aderat in circuitu tabernaculorũ Core & Dathan & Abiron: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum*, separantes etiam tentoria vestra à tentorijs eorum, *& nolite tangere, quæ ad eos pertinent*, ne fortè dum in auferendo res eorum moram feceritis, terra diuidatur, & *inuoluamini in peccatis eorum* participantes pœnã suorum delictorũ, prout eueniet si aperta terra vos vna cum ipsis deuorari contingat. *Cumq; recessissent à tentorijs eorum per circuitum*, ac timore perculsi, fecissent turbæ quod Moyses præcipiebat, *Dathan & Abiron*

24. q. 1. c. didicimus. & 9. 3. c. 1.

D. III.

IIII.

Digitized by Google

ron egressi de interiori parte tabernaculorum *stabant in introitu papilionum suorum cum uxoribus, & liberis, omnique frequentia* famulorum, ac domesticorum suorum, quasi irridentes Moysen, & innuētes se nihil timere eorum, quæ Moyses comminabatur. *Et ait Moyses: In hoc scietis*, seu scire poteritis, *quòd Dominus miserit me*, ac præceperit, *vt facerem vniuersa, quæ cernitis* me fecisse, tam distribuendo præposituras, & honores consanguineis meis, quàm decreta promulgando, *& non ex proprio ea corde protulerim*, sequens propriam cordis cupiditatem, & ambitionem: *Si consueta hominum morte*, ex morbo scilicet, vel defectu naturæ, tem poreque incerto, & improuiso Dathan & Abiron & Core *interierint, & visitauerit eos plaga* à Deo infligenda, *quæ & cæteri visitari solent*, vt puta si puniantur aliqua consimili pœna, ijs quas alij hucusque experti sunt; scietis quia *non misit me Dominus: sin autem nouam rem fecerit Dominus*, adeoque nouum supplicium inflixerit impijs istis, *vt aperiens terra os suū*, chasmate quodam, ac hiatu terribili, *deglutiat eos, & omnia, quæ ad illos pertinent*, & in consortio eorum permanserint, *descenderintque viuentes in infernum* in aliquam videlicet magnam terræ profunditatem, vbi terra eos concludente moriantur, *scietis quòd blasphemauerint Dominum* attribuentes opera, quę manifestè facta sunt à Deo, affectioni meæ, calliditati, & astutiæ. † *Confestim igitur vt cessauit loqui* Moyses, mox miraculosè *disrupta est terra sub pedibus eorum* absque aliquo terręmotu eorum, qui per impulsionem spiritus interioris naturaliter fieri solent, *& aperiens* terra diuinitus se ipsam quasi *os suum, deuorauit illos*, & absorbuit *cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum*, filijs, vxoribus & familia, exceptis dumtaxat filijs Core: *descenderuntq;*, seu cæperunt descendere *viui in infernū* damnatorū, *operti humo*: ita vt prius fuerint sepulti ac terra operti, quàm vita decederēt, *& perierunt de medio multitudinis*, mortem in terræ visceribus subeuntes. *At verò omnis Israel, qui* ad imperium Moysi recesserat à tabernaculis hominum impiorum, & aliquanto procul *stabat per gyrum* prospiciens quid nam rei eueniret erga signum à Moyse præstitutum, vt audiuit vlulatum magnum eorum, qui à terra deuorabantur, timore perterritus *fugit ad clamorem pereuntium*, recessitque magis procul *dicens: Ne fortè & nos terra deglutiat*, si forte non sufficienter à circuitu istorum recesserimus. *Sed & ignis egressus à Domino* simulatque terra absorbuit Core, Dathan & Abiron, *interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum*: dum enim in atrio tabernaculi tenerent in manibus thuribula habentia ignem desumptum ex altari holocaustorum cum incenso superposito, precesque ad Deum funderent ad modum sacerdotum, subitò exijt ignis de thuribulis, virosque ducentos quinquaginta combussit. *Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens: Præcipe Eleazaro, filio Aaron* pontificis, ac proinde minori *sacerdoti, vt tollat thuribula* ducentorum quinquaginta virorum, *quæ iacent in incendio*, seu in loco vbi præcessit incendium comburens sacrilegos, *& ignem* qui est in ipsis thuribulis *huc illucque dispergat* in eodem incēdij loco, nempe in atrio. Ideò autem præcipio tolli thuribula illa, *quoniam sanctificata sunt*, dignaque à prophanis vsibus arceri, ex quo in eis appositus est ignis sanctificatus de altari holocaustorum desumptus; quod contigit *in mortibus peccatorum*, tempore scilicet quo sacrilegi illi periere: etenim simul atque ducenti quinquaginta viri inchoantes incensi oblationem apposuerunt in thuribulis suis ignem sanctificatum & incensum, mox fuerunt combusti. Tollat igitur Eleazarus thuribula illa, *producatque ea in laminas*, ita vt destructis formis thuribulorum extendat opere malleatorio, ac faciat ex eis laminas, *& affigat altari* holocaustorum. Idque præcipio fieri duplici de causa: altera quidem *eo quòd oblatum sit in eis incensum Domino, &* ob hanc rationē *sanctificata sint*, ac digna sacris rebus, quale est altare, connecti, altera vero *vt cernant ea* thuribula, seu illorum materiam, & habeant *pro signo* rememoratiuo iniquitatis, ac pœnæ eorū, quorum erant thuribula illa, *& monimento*, seu pro admonitione, *qua filij Israel* persuadeantur ad non attendandum facere quippiam simile. † *Tulit ergo Eleazar sacerdos* de loco vbi incendium præcesserat *thuribula ænea, in quibus obtulerant hi* ducenti quinquaginta viri, *quos incendium deuorauit, & produxit ea in laminas, affigens altari*, sicut præceperat Dominus: *vt haberent*

E.

F.

† *Psal. 105. b. 17 & 18. Deut. 11 a. 6. de elect. c. 1 & c. licet de vitanda.*

† *7. q. 1. c. deniq; in fine.*

berent posteà filij Israel, quibus commonerentur, † ne quis accedat alienigena, & voco alienigenam quemlibet eum qui non est de semine Aaron, non solum ad alia munia sacerdotalia, sed neque ad afferendum incensum Domino, ne forte, si id attentare præsumat, mortem patiatur, sicut passus est Core, & omnis congregatio eius; mortem inquam miraculosam, quæ illis euenit non cursu naturæ, sed loquente Domino ad Moysen, prout facturus res mirabiles & prodigia loqui consueuit. Murmurauit autem omnis multitudo, seu maxima pars filiorum Israel sequenti die, cum desijt paulisper timor præteritæ punitionis, contra Moysen & Aaron dicens: Vos interfecistis populum Domini, nempè Core, ac Dathan, & Abiron, ac socios eius, qui non minimam populi partem constituebant: ob idque morte estis digni tanquam homicidæ. Cumque oriretur seditio, qualis inter ciues esse solet, nam Moyses & Aaron ex vna parte se rationabiliter defendebant, ex alia autem multitudo plebis in eos verbis asperis insurgebat, cum etiam & tumultus incresceret per continuum murmuris incrementum, Moyses & Aaron non valentes populi vim repellere, fugerent ad tabernaculum fœderis, quasi ad asylum diuina protectione munitum:

† 13. d. c. tenere.

G. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes quædam cœlitus demissa tabernaculũ, & apparuit ita fulgida ac terribilis, vt in ea contemplari potuerit gloria Domini, quasi in signo manifesto diuinę præsentię. Dixitque Dominus ad Moysen ei de medio duorum Cherubim super propiciatorium loquens: Recedite de medio huius multitudinis, nec in tabernaculo isto quod in medio castrorum est ad deprecandum pro populo maneatis; etenim vltra partem illius, quam cõbussi & submersi, etiam nũc delebo eos, reliquam multitudinis partem occidendo. Cumque iacerent in terra suppliciter Dominum deprecantes pro populi incolumitate, reuelatumque esset Moysi, quòd nihilominus Israelitæ à Domino plaga magna percutiebantur, dixit Moyses ad Aaron: † Tolle thuribulum aureum, quod deseruit altari thymiamatis, & hausto igne de altari holocausti, de quo lex præcipit ignem desumi, mitte incensum desuper: nec id facies modo manens intra Sanctuarium, sed pergens cito ad populum, vt roges pro eis: quoniam si moreris eundo, totus populus peribit priusquam vadas: † iam enim egressa est ira à Domino in simili punitionis effectu, qualis ab homine ira percito procedere solet, & plaga desæuit, quæ plurimos de populo destruit incendio: Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, ad eam, inquam, multitudinis partem, quam iam vastabat incendium à Domino suscitatum, obtulit thymiama tenens thuribulum manibus suis, & inclinans se versus locum combustionis, vbi Deus, qui ignis consumens dicitur, adesse specialiter censebatur: & stans inter mortuos ac viuentes, inter partem videlicet populi combustam, & aliam non combustam pro populo deprecatus est, ne Dei ira vlterius populum vastaret, & plaga cessauit, deficiente igne, qui eam causabat. Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, & septingenti; magnum enim fuit peccatum istud contra Moysen & Aaron, idcircò totidem consumpti sunt, absque his, qui pridie quã prefatũ incendiũ eueniret, perierant in seditione Core ac sociorum eius. Reuersusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis, postquam quieuit interitus; remanserat enim Moyses in Sanctuario orans Deum pro cessatione plagę.

† De pænit. d. 2. S. opponitur.

† Sapiẽ. 18. d. 21

ANNOTATIONES IN CAP. XVI.

I. *Principes populi dupliciter vocabãtur.*

PER nomina vocabatur.] Superiùs capite decimo disponitur tã principes quàm vniuersum populum conuocari debere ad conciliũ tubis argenteis: quomodo igitur in præsenti dicitur principes istos vocari solitos tempore concilij per propria nomina? Ad hoc respondetur, quòd principes isti dupliciter vocabãtur, & per propria nomina, & etiã per tubam. Primo enim per nuncios eis intimabatur quod tali die deberent ad conciliũ cõuenire, vbi de tali & tali negotio agẽdum erat. Deinde die ipso cõcilij, vt omnes ad eandẽ horã conuenirent, clangebãtur tubæ, quarũ decimo capite fit mẽtio, & tũc omnes simul accedebant, & congregabantur.

II. *Gloria Domini quid dicatur.*

GLoria Domini.] Gloria, vt adnotauimus super vltimum caput Exodi, est quæ rem aliquam claram & mirabilem reddit. Ob quam causam hic & inferius in hoc eodem capite, fulgor quidam specialis, qui in nube super tabernaculum existente apparebat, gloria Domini vocatur: quia per eum cognoscebant Israelitæ maiestatẽ Dei, & specialem eius præsentiam, qua paratus erat vel ad miserendum vel ad puniendum.

III. *Deus spirituũ vniuersæ carnis, quid significet.*

DEus spirituum vniuersæ carnis.] Verba hæc dupliciter intelligi possunt, vno modo quod Deus sit spiritus fortissimus inter spiritus vniuersæ carnis; scilicet quod Deus non sit substantia corporalis, sed substãtia spiritualis, seu spiritus: & quãuis in carne detur aliquis similis spiritus, népe in homine; cæterũ in vniuersa carne nõ est aliquis spiritus, ita fortis vt Deus, cui subest posse quidquid vult. Alio modo est sensus, quod Deus sit fortissim⁹, & quod hanc fortitudinem ostendit respectu spirituum vniuersæ carnis, quia solum ipse considerat ea, quæ sunt in spiritu vniuersæ carnis, scilicet omnium hominũ, homo enim vocatur omnis caro, iuxta illud Psalm. 64. Omnis caro ad te veniet; idest, omnis homo. Et iste est sensus cõuenientior, quia non cõparatur Deus ad spiritus vniuersæ carnis in fortitudine, ita quòd ipse sit fortior illis, cum ista nõ sit magna laus Dei: potissime quia ista cõparatio insinuat Deum esse spiritum in carne, cum comparatio debeat fieri inter ea, quæ sunt eiusdem generis: alioqui debuisset dicere, quòd Deus erat fortissimus omnium spirituum. Vnde posteriorem sensum in paraphrasi selegimus.

IIII. *Pereũte Core cur nõ perierint eius filij.*

A Tabernaculis Core.] Quãuis in subsequẽtibus non fiat mentio quod Moyses præceperit recedere Israelitas à tabernaculo Core: ob quam causam aliquibus visum est Core non fuisse submersum à terra, sed igne combustum, vna cum alijs ducentis quinquaginta viris, qui offerebant incensum Domino. Nihilominus asserendum est Core sicut & Dathan & Abiron à terra fuisse absorptum: prout inferius cap. 26. apertè ostenditur, ibi: Aperiens terra os suum deuorauit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Causa autem, obquam scriptura hic non meminit interitus Core, sicut meminit mortis Dathan & Abiron, forte fuit, quia familia Core nõ fuit absorpta à terra, sicut fuerunt submersæ familiæ Dathan & Abiron: vnde in eodem capite. 26. subiungitur: Et factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij illius non perirent. Et si quæras propter quam rationem non perierit familia Core, sicut familię Dathan & Abiron; crederem ratiõe fuisse, quia filij Core non fuerunt complices criminis paterni, neque extitere iniurij Moysi, sicut vxores, liberi ac domestici Dathan & Abiron. De his enim inquit scriptura, quòd præcipiente Moyse, vt recederet turba ab impiorum tabernaculis, hi exierunt ad introitum papilionum, ibique manserunt. Quod credibile est eos fecisse in irrisionem Moysi, & quasi in contemptũ & comminationem eius. De filijs autẽ Core nihil tale habet scriptura; imò potius ostendit fuisse studiosos, & bonis moribus præditos: quandoquidem posteri eorum cantores sunt effecti, vt dicitur 1. Paralip. cap. vigesimoquinto, & vigesimosexto. Et etiam præerant ad faciendum libaméta de panibus frixis, iuxta illud 1. Paralip. cap. 9. Hi sunt Coritæ super opera ministerij, & cætera.

ARGVMENTVM IN CAP. XVII.

¶ Determinat Deus signo quodam mirabili, quem eligere velit in sacerdotem præcipiens Moysi, vt desumptis ex singulis tribubus singulis virgas, subscriptis in eis principum nominibus, & pro tribu Leui accepta virga alia cum nomine Aaron, inducat illas in tabernaculum coram arca. Quo facto, die sequẽti regressus Moyses in tabernaculum inuenit virgam Aaron floruisse fructusque germinasse. In cuius rei memoriam, sacerdotijq; Aaronitici confirmationem, virga illa florens reponitur in Sancta sanctorum.

PARAPHRASIS IN CAP. XVII.

A. ET *locutus est Dominus ad Moysen* in cõtinenti, quo prædicta contigerũt, *dicens: Loquere ad filios Israel,* & postquam eis dixeris me velle illis ostendere, signo quodã mirabili virgæ germinantis, quemnam ex Israelitis eligere decreui in sacerdotẽ, *accipe ab eis virgas* valdè siccas ad maiorẽ miraculi manifestationem, *singulas per cognationes suas,* ita vt pro vnaquaque tribu vna detur virga: assumes itaque *à cunctis principibus tribuum* præter tribum Leui *virgas duodecim, & vniuscuiusque* principis tribuũ *nomen superscribes virgæ suæ,* I. circumligans ipsi virgæ membranam continentem nomen principis cuius est virga. *Nomen autem Aaron,* cuius tribus nõ computatur in prædictis duodecim, *erit in tribu Leui,*

bu Leui, superscribeturq; in virga alia loco principis Gersonitarum, qui est primogenitus tribus Leui: *Et vna virga* sic posita pro qualibet tribu *cunctas seorsum familias continebit*, quantùm ad virtutem ostensiuam familiæ, quæ habitura est sacerdotiū: nam in his tredecim virgis prædicto ordine dispositis tam sufficienter ostendam familiam à me eligendam pro sacerdotio, ac si pro singulis tribuū familijs singulæ seorsum virgæ apponerentur. *Ponesque eas in*
B. II. *tabernaculo fœderis*, à in interiori illius parte, quæ dicitur Sanctasanctorum, *coram testimonio*, seu coram arca, in qua seruantur tabulæ testificātes legem Dei; *vbi loquar ad te* ex propiciatorio, quoties oportuerit quispiam loqui. *Quem ex his elegero*, vt ipse & domus eius sacerdotio fungatur mihi, *germinabit virga eius*, flores & fructus miraculose producendo: *& cohibebo*, seu reprimam *à me querimonias*, quas de me habet multitudo *filiorum Israel, quibus* etiam querimonijs *contra vos murmurant*: dum enim dicunt vos ex ambitione, carnalique affectione sacerdotium vsurpasse, & de me conquerentur, quasi non prouiderim de sacerdotio, & vobis detrahunt quasi alieni iuris vsurpatoribus. *Locutusque est Moyses ad filios Israel* omnia, quæ Deus ei dixerat de signo isto futuro ad manifestationem sacerdotij, & de virgis dandis: *& dederunt ei omnes principes virgas*, quales Moyses postulabat, *per singulas tribus*; de vnaquaque enim tribu solus vnus princeps dabat vnam virgam appositione sui nominis designatam: *fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron*: hæc nanque
G. numerum compleuit tredenarium. *Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij* intra Sanctasanctorū, prout sibi fuerat imperatum, *sequenti die regressus*, & intrans tabernaculum, visurus quidnam rerum haberet euentus, *inuenit germinasse virgam*, cui subscriptū erat nomen *Aaron in domo*, seu tribu *Leui, &* inuenit quòd paruo illo tempore, quo virgæ extiterant coram Domino, non solùm miraculosè ac subitò *turgentibus* & inflatis *gemmis eruperant flores* in virga Aaron ad modum, quo fieri solet in reliquarum arborum germinatione: verum etiam eiusmodi flores in fructus transiere, vtpote *qui folijs dilatatis, in amygdalas deformati sunt*, gemmæ enim florum amissa pristina forma receperunt formā amygdalarum. *Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel*, vt omnibus notum esset, quē Deus elegisset in sacerdotem: *videruntque, & receperunt singuli virgas suas*, vt commodius quilibet contemplari posset virgam suam fuisse immutatam, solamque virgam Aaronis germinasse. *Dixitque Dominus ad* D.
Moysen: Refer virgam Aaron ȝ *in taber-* III.
naculum testimonij, vbi extra arcam con- † Heb.
sistat in Sanctasanctorum, † *vt seruetur* 9.a.4.
ibi virens & florens in signum rebellium filiorum Israel; ad hoc scilicet vt notitia peccati parentum, ac correctionis eorumdem compescat posteros, ne in simile peccatū ruant: *& quiescant*, ac cessent *querelæ eorum à me ne moriantur*: quia certè mortem incurrerent, si iterum conquererentur de sublato illis sacerdotio; quod procul dubio eueniret, si signum florentis virgæ apud eos non maneret. *Fecitque Moyses sicut præceperat Dn̄s* reducendo virgam in tabernaculum testimonij. *Dixerunt autem filij Israel ad Moysen: Ecce consumpti sumus* morte plusquam quatuordecim millium virorum, quos ignis combussit, ac terra absorbuit; imò potius *omnes perijmus*, dignique morte fuimus, eo quod irreuerenter ad tabernaculum accessimus, quando Core illuc nos coaceruauit, & *quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur*; prout experti sumus in ducentis quinquaginta viris incensum offerentibus. *Num vsque ad internecionem*, infallibilemque mortis incursum, *cuncti delendi sumus*? Quod si hoc non ita futurum est, prouide qualiter nos conuersari oporteat, ne diuina vltio progrediatur, sed quiescat.

ANNOTATIONES IN CAP. XVII.

I.
Nomina principū non tribuum debuerunt superscribi virgis.

VNIVSCVIVSQVE nomen] Causa propter quam scribebantur nomina principum & non tribuum, vt aliqui volunt, ea fuit, quia tribus non erant habituræ summum sacerdotium immediatè, ita vt tribui non personæ alicui determinatæ competeret sacerdotium. Si enim tribus indeterminatè reciperet sacerdotium non sufficienter esset prouisum de signo ostendente familiam sacerdotalem. Vnde oportuit superscribi vir-

 gæ nō,

Digitized by Google

gæ nomen vnius personæ, vt datô signo non solum ostenderetur tribus, sed etiam persona, quæ fungi deberet sacerdotio: prout expresse docet scriptura factũ fuisse in virga tribus Levi; in qua hoc fuit speciale, quôd loco nominis primogeniti Gersonitarum, qui erat princeps totius tribus, iussum est describi nomen principis Caathitarum, nempe Aaron.

II. *Virgæ omnes fuerunt appositæ in Sancta sanctorũ.*

IN tabernaculo fœderis.] Non constat an fuerint positæ virgę in parte interiori tabernaculi, scilicet intra sancta sanctorum, vel in parte anteriori, quæ vocatur Sancta vel Sanctuarium. Magis tamen videtur quod fuerint constitutæ in Sancta sanctorum, tum ob maiorem loci sanctitatem, tum etiam quia statim subditur: vbi loquar ad te: Deus enim loqui solebat Moysi in Sancta sanctorum de medio Cherubinorum, iuxta illud Exod. 25. loquar ad te super propiciatorium, ac de medio duorũ Cherubim, qui erunt super arcam testimonij, cuncta, quæ mandabo per te filijs Israel. Ac præterea quia sicut hic dicitur de omnibus virgis, pones eas in tabernaculo fœderis: ita inferius præcipitur de vna earum: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij. Sed certissimum est virgam Aaron fuisse conseruatam in Sancta sanctorum, dicente Paulo de interiori parte tabernaculi ad Heb. 9. In qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ frondue-rat, aderant: consequens igitur est cunctas virgas à principio appositas, fuisse in ea tabernaculi parte, quæ Sancta sanctorum appellatur. Sed obijcies ex hoc Pauli testimonio non sufficienter colligi virgam Aaron non fuisse in exteriori parte tabernaculi positam. Sicut enim loquitur Paulus de virga Aaron, ita etiã de thuribulo aureo; nam etiam docet interius tabernaculum habuisse thuribulum; Et nihilominus Exod. vlt. ostensum est prædicta verba nõ obstare; quo minus thuribulum esset in exteriori tabernaculo; ergo hoc ipsum dici posset de virga Aaron. Respondetur non eodem modo loqui Paulum de thuribulo ac de virga: de thuribulo enim dicit interius tabernaculum habuisse illud: habere autem multis modis dicitur: interdum enim qu[illegible] habere dicitur id quod extra se est, vt herus habeo famulos, & dominus dicitur habere agrum. Et in hoc sensu interius tabernaculum habuit thuribulum aureum, vt ex alijs sacræ scripturæ locis colligitur, maximè Exod. vlt. vbi habetur altare istud aureum extra velum fuisse appositum. Loquens autem D. Paulus de virga docet eam fuisse in interiori tabernaculo. An verò extiterit intra arcam, necne, in sequenti annotatione ostendemus.

III. *Virga Aaron non fuit posita in arca testamẽti.*

REFER virgam Aaron in tabernaculum testimonij.] Verba hæc satis aperte ostendunt virgam Aaron non fuisse appositam à Moyse intra arcam testimonij: cum enim ait: Refer virgam, & cætera, vult iterum ferri ad locum in quo extiterat prius; simul cum alijs duodecim virgis: fuerat autem prius extra arcam iuxta præceptum Domini dicẽtis: Pones eas in tabernaculo fœderis coram testimonio. Idem enim est dicere, Coram testimonio, ac dicere coram arca, in qua est testimonium, siue lex: quod sub alijs verbis solet dici coram Domino: vt patet in hoc eodẽ capite, cum subditur: Quas cũ posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo, & cætera. Quod autem est coram arca, nequaquam dici potest esse intra arcam. Maximè cum arcæ longitudo tam paruæ fuerit mẽsuræ, nempe duorum cubitorum & dimidij, vt habetur Exo. 25. vt nequaquã capere posset virgã, id est, baculum Aaron. Ac tandem non est cur plus immoremur in huius sententiæ confirmatione, cum illa aperte insinuetur 3. Reg. 8. vbi habetur. In arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuit in ea Moyses in Horeb. Atque idem prorsus legimus. 2. Paral. 5. Asserere enim cũ Ambros. Catharino in clauibus scripturæ Claue. 3. & li. annotationum in Caietanũ, videlicet tẽpore Moysis fuisse virgã in arca, non tamen tẽpore Salomonis, quando tẽplum extructum est, de quo libri Reg. & Parali. loquũtur: hoc inquã merum commentum est; quãdo quidẽ nihil in illius confirmationẽ preferri potest ex scriptura, aut ex veteribus historijs Hebræorũ vel Christianorũ, quo illud nitatur. Quis præterea ausus fuisset extrahere virgã ab arca, quã Moyses ex præcepto Dei inibi apposuisset? Neque cõtra predictã sententiã obstant verba Pauli ad Hebr. 9. vbi sic legitur: Post velamentum autem secundum tabernaculũ, quod dicitur Sãcta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcã testamenti circumtectã ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens mãna, & virgã Aaron, quæ fronduerat; posset enim quis responde-re, quôd illud relatiuum, in qua, non refert arcã, sed tabernaculum interius, cuius Græcum genus, nempe fœmininum obseruauit Interpres in editione Latina, prout paulo ante idipsum fecerat, loquens de exteriori tabernaculo, quãdo inquit: In quo erant candelabra, & mensa, & propositio panũ, quæ dicitur Sancta. Illud enim relatiuum quæ, non refertur ad propositionem panum, sed ad exterius tabernaculum, quod in Græco est fœminini generis.

Cõseruare solet interpš genus prioris idiomatis.

Conseruatio autem generis alterius idiomatis non infrequens est in sacris literis. Ita habetur Psal. 74. Quia calix in manu Dñi vini meri plenus misto. Et inclinauit ex hoc in hoc, pro ex hoc in hunc, scilicet calicẽ; eo quod calix apud Grecos neutrius generis est. Itẽ Sapiẽn. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Et hoc quod cõtinet omnia scientiam habet vocis, pro & hic, qui apud Grecos enim Spiritus est neutrius generis. Preterea Apocalyp. 10. loquens de libro: Erit dulce tãquam mel. Et cap. 11. Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes, pro stantia. Cæterum quãuis hæc ita se habeant, omnia vero Interpres loquens de priori tabernaculo non retinuit genus Græcũ, sed in eodem cap. 6. inquit, In quo erant candelabra & mensa & cætera; non appareret ratio sufficiens, quare loquens de secundo tabernaculo voluerit Græcum genus conseruare. Iterum etiam videtur referre illud, In qua vrne aurea &c.

& cætera ad tabernaculum, cum, pronomen eá, quod statim subiungitur: Superque eam erant Cherubim, debeat necessario referri ad arcam. Quapropter suauior solutio videtur, si dicamus, quod quando inquit Apostolus, In qua vrna aurea & cætera, illud in qua stat pro cum qua: quod sæpe in scriptura fieri ostendimus Genes. 31: annotat. secunda, vt sit sensus: Cum qua arca erant simul in tabernaculo virga, & vrna, & tabulæ. Ac si diceret: Non erat tantum arca, sed præter illam erant etiam hæc tria. Quod recte dicitur etiam si tabulæ tantum essent in arca, dum tamen reliqua duo essent in eadem parte tabernaculi, in qua erat arca, nempe in Sancta sanctorum.

In pro cum.

ARGVMENTVM IN CAP. XVIII.

¶ Imposita tam sacerdotibus, quàm Leuitis cura custodiendi Sanctuarium ac vasa illius, ne fortè ob defectum custodum, quispiã de secularibus ea attrectaret, præscribit Dominus bona temporalia, quæ habituri erant tabernaculi ministri pro labore suo. Sacerdotibus itaque minoribus dantur oblationes ad tabernaculum deferendæ, atque etiam partes quædam sacrificiorum, & vota vniuersa vna cũ iuribus primogenitorum: Leuitis verò decimæ applicantur: ita tamẽ vt neque sortem, neque hæreditatem vllam in populo habeant; ac decimam suarum decimarum summo sacerdoti soluere teneantur.

PARAPHRASIS IN CAP. XVIII.

A: D*IXITQVE Dominus ad Aaron* mediante tamen Moyse, prout in his, quę ad legis dationé pertinebant, facere solebat: *Tu & filij tui* qui sacerdotes estis, *& domus patris tui tecũ,* nẽpe Leuitæ vniuersi *portabitis iniquitatem Sanctuarij:* si enim quispiam de populo peccauerit in Sanctuariũ, res illius attingẽdo, vel ad illud accedendo, vel officia Leuitarum exercendo, non solũ, qui isthæc fecerit, pœnas luet, sed etiã negligentia vestra in non præcauendo huiusmodi crimina punietur: *& tu & filij tui simul,* quibus officiũ imminet sacerdotale, *sustinebitis peccata sacerdotij vestri,* nã puniemini, si quis etiam Leuitarum ob negligẽtiam vestram attẽtet vsurpare aliquod sacerdotij munus. *Sed & fratres tuos de tribu Leui,* nẽpe Caathitas, *& sceptrũ patris tui,* totã scilicet aliorum Leuitarũ multitudinem, hoc est, Gersonitas & Meraritas *sume tecũ, præstoq; sint, & ministrent tibi* in officijs sibi cõuenientibus, vtpote in custodia vasorũ & portarũ, ne aliquis indebitè se ingerat, *tu autem & filij tui ministrabitis in tabernaculo testimonij,* vbi nõ est licitũ ingredi Leuitas nisi in motione castrorũ, quando vasa sancta extiterint inuoluta, vt ab eis portentur. *Excubabuntq; Leuitæ* in circuitu Sãctuarij castrametantes & vigilias agentes *ad præcepta tua:* quib' inniti debent Leuitæ in his, quæ secũdũ legem aliter & aliter fieri possunt: *& ad cuncta opera tabernaculi,* peruigiles enim esse oportet Leuitas ad portandũ, erigendũ ac deponẽdũ tabernaculũ, & ad alia quoque munia exercendũ, *ita dumtaxat, vt ad vasa Sanctuarij,* qualia sunt ara, fumigatoria, mensa, & candelabrũ, *& ad altare* holocaustorũ, quod est in atrio *non accedant,* alicuius ministrationis gratia. Neq; enim decet Leuitas apponere incensum seu panes propositionis, nec lucernas accendere, ac multominus, se sacrificijs intromittere ministrando, *ne & illi moriantur* propter suã temeritatẽ; *& vos* qui sacerdotes estis *pereatis simul:* ob negligentiã arcendi eos; cũ vobis incumbat diligenter pręcauere, ne quispiã indebitè ad prædicta accedat. *Sint autẽ tecũ* Leuitę, ad sortemq; tuã pertineant, *& excubent in custodijs tabernaculi, & in omnibus ceremonijs eius,* quę ad ipsos pertinẽt, nullatenus in messem alienam falcẽ mittẽtes, neque etiam à quoquã id fieri permittentes. *Alienigena,* qui de tribu Leui non procedit, *non miscebitur vobis* excubando in custodijs tabernaculi, vel ministrãdo in officio sacerdotali, vel cultu Leuitico: *Excu*

bate in custodia Sanctuarij obseruantes ne alij etiam ex Leuitis se ingerant in tabernaculo, vel ministrationis, vel curiosę contemplationis gratia, *& in ministerio altaris* holocaustorũ, cui vacare nemini licet, nisi sacerdotibus. Circa hæc igitur vobis peruigiles esse oportet, *ne oriatur indignatio* diuina seu plaga magna à Deo immissa *super filios Israel*, prout orietur si negligentia vestra occasionem præbeatis cæteris Israelitis accedendi ad ministeria sibi interdicta. *Ego dedi vobis* in ministros & coadiutores *fratres vestros Leuitas*, quos elegi & segregaui *de medio filiorum Israel, & tradidi donum Domino* dicans eos cultui diuino, quasi donum quoddam Deo appropriatũ, *vt seruiant in ministerijs tabernaculi eius*, in ministerijs, inquam, quæ non sunt propria sacerdotum. *Tu autem* tanquam Summus [B.] Pontifex, *& filij tui* quasi inferiores sacerdotes *custodite sacerdotium vestrum*, nullatenus permittentes, vt quispiam alius se ei ingerat. *Et omnia, quæ ad cultum altaris* sacrificiorum in atrio existẽtis *pertinent, & intra velum*, quod in ostio tabernaculi pendet diuidens atrium à Sanctuario, *sunt, per sacerdotes administrabũtur*, qualia sunt oblatio sacrificiorum, appositio thymiamatis, lucernarum, & panũ, necnon & cultus propiciatorij. *Si quis externus*, qui sacerdos nõ sit, ad ista hæc munia *accesserit, occidetur* in pœnã suę temeritatis. *Locutusq; est Dñs ad Aarõ* denũcians ei iura, quæ tã sacerdotes, quã Leuitę habituri erãt in remuneratione sui laboris, & ait: *Ecce dedi tibi*, ac cęteris sacerdotibus filijs tuis *custodiã primitiarum* [I.] *mearũ*, 1 vt curam habeatis earũ rerũ, quæ in cultum meũ separantur. *Omnia quæ sanctificãtur*, & ad Deum applicantur *à filijs Israel, tradidi tibi & filijs tuis*, vt in distributione ac dispositione earum omniũ huiusmodi rerum ius habeatis *pro officio sacerdotali* & ratione vnctionis, qua vncti estis in sacerdotes tãquam *legitima sempiterna*: in sempiternum enim iura ista vobis competent ex lege. *Hæc ergo accipies* pro munere sacerdotali, & ratione laboris, nempe quæ sunt *de his, quæ sanctificantur, & oblata sunt Domino*: quorũ omnium curam te habere volo & magnã eorũ partẽ in vsus [II.] tuos cõuerti: *Omnis oblatio*, 2 saltim quantum ad aliquã illius partẽ, *& sacrificiũ* animalium, seu volucrũ, imò potius *& quidquid* extra alia sacrificia & oblationes *pro peccato* cõmissionis, *atq; delicto* omissionis in sacrificiũ criminũ expiatiuum *redditur mihi, &* taliter dedicatur cultui meo, quòd *cedit in Sancta sanctorum*, 3 atq; inter sanctiora cõputatur: [III.] hoc inquã pro maiori parte *tuũ erit, & filiorũ tuorũ*: non tamẽ æquè & indistinctè: eius enim quod pro peccato atq; delicto redditur in sacrificium specialis ratio habenda est. *In sanctuario*, loco videlicet sancto, qualis est atriũ tabernaculi, *comedes illud: mares tantũ edent ex eo, quia* speciali sanctificatione præ alijs sacrificijs & oblationibus *cõsecratũ est tibi* emolumẽtũ illud, quod p aliorũ peccatis offertur: datur enim tibi tanquã mediatori inter Deũ & peccatorem. [IIII.] *Primitias autem* 4 seu partes selectas aliarum victimarum non pertinentes ad sacrificium pro peccato, *quas vouerint & obtulerint filij Israel*, siue vota soluentes siue sponte offerentes in sacrificiũ, *tibi dedi, & filijs tuis, ac filiabus tuis*, non quod fœminæ habere possint ius percipiẽdi partes istas sacrificiorũ sacerdotibus cõstitutas, sed quia ex eis licitè comedere poterunt *iure perpetuo*, & quandiu huius reipublicæ status durauerit. *Qui mundus est in domo tua vescetur eis*, seclusis omnibus immundis: *Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti*, cæterorumque terrænascentium, & *quidquid offerunt primitiarum Domino* non ex præcepto legis neq; ex voto, sed spontaneè, *tibi dedi*; vt in vsus tuos cedant. *Vniuersa frugum initia*, primitiua scilicet earum frugum, *quas gignit humus, &* ex pręscripto legis *domino deportantur*, & offerũtur secũdo die Azymorũ in ostio tabernaculi, *cedent in vsus tuos*, quibus tamen vesci non cuilibet permittitur, sed *qui mundus est in domo tua vescetur eis*: prout de rebus, quæ in sacrificijs offeruntur superius dixi. *Omne, quod ex voto reddiderint filij Israel*, quamuis non detur ad sacrificandum, *tuum erit*. [C.] *Quidquid primum* generis masculini nascendo *erumpit è vulua cuncta* illius speciei *carnis quam offerunt* in proprio genere, vel in pretio æquiualenti Israelitæ *Domino, siue ex hominibus, siue de pecoribus*: siue etiam de iumentis pretio cõmutatibilibus *fuerit, tui iuris erit: ita dũtaxat, vt* primogenita immolationi inepta non recipias in propria specie, sed *pro hominis primogenitu pretium* in lege statutũ *accipias, & omne animal, quod immundum est*, ac proinde immolari nequit, *redimi facias*, accipiendo tantum pretium quantum animal valet: *cuius redemptio*, 5 hominis inquam, [V.]

quam,

quã, de quo prius facta est mentio. *erit post vnũ mẽsem*, & si reliqua animalia ab octauo die redimi queant: neq; etiã instar cætero-rum animaliũ redimetur pretio æquali suo valori, sed *siclis argẽti quinque, põdere Sanctuarij*, vbi æqua ac legitima sicli mensura cõseruatur, ne à falsarijs vitiari valeat. † *Siclus viginti obolos habet*, nẽpè duas drachmas argenti Hebraicas, seu quatuor drachmas Atticas: idẽ enim est siclus quod stater. *Primogenitũ autẽ bouis, & ouis, & capræ*, solũ sunt mũda in pecoribus, *non facies redimi*, nec pretio nec cõmutatione, *quia sanctificata sunt Dño*, ac diuinis sacrificijs apta: quapropter immolare ea oportet. *Sãguinẽ tantum eorum fundes super altare, & adipes adolebis*, prout † de hostia pacificorũ cautum est in lege: quarũ rerũ incensio cedet *in suauissimũ odorem Domino*: cui ita erit grata offerentiũ deuotio & obedientia, atq; gratus solet esse hominibus suauissimus quispiã odor. *Carnes vero in vsum tuũ cedent*, nõ sicut carnes sacrificij pro peccato, quibus vesci solis maribus familiæ tuæ licet: sed *sicut pectusculũ cõsecratũ & armus dexter*, quæ in hostia pacifica tibi obueniũt, *tua erunt*, vt ex eis tota familia tua comedere valeat, prout etiã vescitur pectusculo & armo pacificorũ. *Omnes primitias Sanctuarij, quas* non de terræ nascentibus, de his namq; † in superioribus actum est, sed de animalibus, de quibus modò institutus est nobis sermo *offerunt filij Israel Domino*, non in sacrificium sed in alios vsus ipsius tabernaculi, ob quam causam primitiæ Sanctuarij vocantur, *tibi dedi & filijs, ac filiabus tuis iure perpetuo* nequaquam pro libito mutando, sed duraturo per totum tempus, quo lex vestra durauerit. *Pactum salis est* hoc, quòd modò dispono, ac *sempiternum coram Domino, tibi ac filijs tuis*: sicut enim carnes, quibus sal miscetur, immunes sunt à putrefactione, ita decretum istud voluntatis meæ alienum erit ab omni corruptione & violatione *Dixitque Dominus ad Aaron* tanquam Leuitarum omnium parentem ac principem: *In terra eorum*, nempè reliquorum filiorum Israel, quam eis date promisi: *nihil possidebitis* agrorum seu vinearum, sed solas ciuitates ad habitandum: *nec habebitis partem inter eos* vel sortem vllam, prout cæteræ tribus habituræ sunt, eo quod futurus sum *ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel*; nam quæ dabuntur tibi propter me in

† Sup. 3. c. 48. Exo. 30. b. 13. Leui. 27. c. 25. Eze. 45. d. 12.

† Leui. 3. a. 2. & 3.

† Supra isto cap. b. 11. 12. 13.

iuribus Sanctuarij, sufficient ad sustentationem tuam instar partis & hæreditatis, quã habere potuisses, in sortibus Israel. † *Filijs autem Leui* sacerdotum ministris *dedi omnes decimas Israelis in possessionem*; ita vt sacerdotes nihil earum possideant: easque habituri sunt *pro ministerio, quo seruiunt mihi*, & seruituri sunt in posterum *in tabernaculo fœderis*, in portando videlicet illud de loco ad locum, & in custodiendo, castrametandoque in circuitu illius: *vt non accedant vltra filij Israel ad tabernaculũ*, nec detur occasio alijs Israelitis ob defectum custodiæ & ministrorum attingendi res sacras, quod illis est prohibitum: *nec cõmittant peccatum mortiferum*; quod eis sit causa tam mortis temporalis quàm æternæ. *Solis filijs Leui*, qui sunt inferiores sacerdotibus *mihi in tabernaculo seruientibus* erigendo & deponẽdo & portando ipsum tabernaculum, *& portantibus peccata populi*, quatenus puniendi veniunt si ex eorum negligentia contingat aliquem secularium ad tabernaculum irreuerenter accedere: his ergo & non alijs ius decimarum *legitimum sempiternum erit*, & decretũ lege confirmatum *in generationibus vestris*; quia republica vestra durante nullis alijs nisi Leuitis ius decimarũ obueniet. † *Nihil aliud possidebũt* tã de iuribus sacerdotalibus, quã de bonis populariũ, sed erũt *decimarũ oblatione cõtenti, quas in vsus eorum, & necessaria separaui*, vt tã mũdi quã immũdi ad familias Leuitarũ pertinẽtes sustẽtari valeãt. *Locutusq; est Dñs* nõ ad Aarõ, ne in causa propria videretur Põtifex, ꝗ esset legislator & arbiter, sed *ad Moysen dicens: Præcipe Leuitis, atq; denũcia* se esse obligatos ad soluendũ iura decimarũ de decimis suis sacerdoti magno, ac dices eis: † *Cũ acceperitis à filijs Israel* iã ingressi in terrã Chanaan *decimas, quas dedi vobis, primitias earũ*, quæ extrahi debẽt de prioribus ac melioribus partibus decimarũ, ob quã causam primitias voco, *offerte Dño* in vsum statim ex primẽdum, nec tamen partẽ fructuũ arbitrio vestro taxandã offerre debetis, sed certam ac determinatã, *idest decimã partẽ decimæ*: ita vt cẽtesima pars omniũ fructuũ Israelis hac ratione obueniat Domino: *vt reputetur vobis in oblationẽ primitiuorũ*, loco enim primitiarum acceptabit Deus decimam istam partem decimarum: *Tam de areis, quàm de torcularibus*, seu de fructibus qui in area triturantur, vel in torculari

† De decim. c. 1.

D.

† Deute. 18. a. 1.

† De decim. c. 2.

 expri-

exprimūtur, *& vniuersis quorum accipitis primitias*, quamuis ad areas vel torcularia non deferātur, *offerte Domino & date Aaron sacerdoti* seu summo sacerdoti pro tēpore existenti; is enim vltra iura oblationum & sacrificiorum, quæ habere debet communia cum alijs sacerdotibus, habebit etiam ius & dominiū in decimas istas ratione summi sacerdotij. *Omnia, quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis*, vt ratione prædicta proueniant in vsus summi sacerdotis, *optima & electa erunt*, ita vt nihil melius vobis remaneat. *Dicesque ad eos: Si præclara & meliora quæque obtuleritis ex decimis*, cum decimam earum partem Pontifici dederitis, *reputabitur vobis*, & cedet in commodum & vtilitatem vestram, *quasi de area & torculari dederitis primitias*: maximis enim bonis afficiemini, non secus ac affici statui eos, qui primitias magnificè soluunt: residuisque partibus in vsus vestros remanentibus pacificè fruemini: & *comedetis eas in omnibus locis vestris*, & vbicumque vobis placuerit *tam vos quàm familia vestra: quia pretium est pro ministerio, quo seruitis in tabernaculo testimonij*: & nō modica fœlicitas est, vt quis labores manuū suarum in pace manducet. *Et non peccabitis super hoc*, neque vlla ratione omittetis dare summo sacerdoti præclara & meliora: prout proculdubio peccabitis *egregia vobis & pinguia reseruantes*: quod omnino caueri oportet, *ne polluatis oblationes filiorum Israel, & moriamini*: eritis enim morti obnoxij, si extrahentes vilem aliquam partem pro summo sacerdote, eo ipso immundas & execrabiles reddideritis reliquas nouem partes, quæ vobis oblatæ sunt à filijs Israel.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

I. *Custodia primitiarum quæ dicatur.*

CVSTODIAM primitiarum mearum.] Lyranus & Abulensis nomine custodiæ intelligunt ius & dominium, quod Deus cōtulit sacerdotibus, vt possent in proprios vsus conuertere & reseruare, tam primitias quàm omnia sanctificata a filijs Israel. Cæterum quia ex alijs sacræ scripturæ locis constat sacerdotes non potuisse conuertere in proprium commodum quidquid diuino cultui mancipabatur; plures enim harum rerum partes super altare cremabantur, vt patet Leuit. cap. 1. & 3. aliæ verò cedebant in ius offerentium, vt in hostijs pacificis Leuit. 7. & 10. hinc est nomine custodiæ non debere intelligi in præsenti ius illud & dominium in res oblatas, quod prędicti authores existimant; maximè quòd de facultate ista vtendi rebus oblatis, statim in subsequentibus fit mentio. Vnde conueniētius videtur dicendum cum Caietano, per custodiam intelligi curam & administrationem, quam sacerdotes habebant circa sanctificata ad hoc, vt iuxta pręscriptum legis distribuerentur. Quænam autem partes sanctificatorum erant ipsis sacerdotibus reseruandæ, in subsequentibus, & in alijs scripturæ locis explicatur.

II. *Signum vniuersale omnis diuersimode vsurpatur in scripturis.*

OMNIS oblatio.] Signum istud vniuersale omnis intelligi debet in præsenti vel pro generibus singulorum, prout D. Tho. 1. par. quæstio. 19. artic. sexto ad primum, interpretatur illud Sauli, Qui vult omnes homines saluos fieri; vt sit sensus Aaronem & filios eius ex omni genere oblationum & sacrificiorum aliquid habituros. Vel etiam explicari potest hic locus iuxta regulam Euthimij. Matth. 19. asserentis esse scripturæ idioma, vt omnis dicatur pro pluribus. In cuius locutionis confirmationem adducit plurima testimonia Martinus Cantapetrensis lib. 6. Hypoth. ca. 3.

III. *Ex oblationibus & sacrificijs quidnam conuertatur in vsus sacerdotum.*

CEDIT in Sancta sanctorum.] Hic determinat quidnam ex omnibus oblationibus & sacrificijs tam laudis quam pro peccato conuerti debeat in vsus sacerdotum, & ait quòd illud duntaxat, quod cedit in Sancta sanctorum: hanc enim restrictionem designat illa copulatiua; Et cedit in Sancta sanctorum, per quam significatur illud, quod sanctius est cæteris. Quamuis enim omnia, quæ Deo offerebantur, eo ipso reputarentur sancta, in his tamen erant gradus. Decimæ enim quæ Leuitis dabantur & medij sicli, quos soluebant, qui transibant ad numerum ex præscripto legis Exodi 30. & ad fabricam tabernaculi applicabantur, non censebantur ita sancta sicut oblationes & sacrificia, quæ ad sacerdotum sustentationem dabantur. Hæc enim immediatius & directius in Deum ordinabantur, vnde pars quædam eorum super altare incendebatur: Alij existimant particulam istam; Et cedit in Sancta sanctorum, referri tantum ad illud, quod proximiùs præcessit, nempè ad hostiam pro peccato: quoniam hæc Leuit. cap. sexto, & septimo vocatur Sancta sanctorum: & de hac duntaxat loquuntur verba hic subiuncta cum dicitur: In Sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo; Cæterum quamuis hoc posterius de solo sacrificio pro peccato intelligendum veniat, non tamen est sufficiens ratio, quare illud, Et cedit in Sācta sanctorū, debeamus restringere ad hoc genus sacrificij, maxime cum Leuit. cap. secundo & sexto, etiam pars similæ consperſæ oleo ac libamentorum cedens in vsus sacerdotum vocetur Sancta sanctorum, ob insignem sanctificationem.

Digitized by Google

IIII. *Primitiarum nomen, multipliciter dicitur.*

PRIMITIAS autem.] Diximus superius Exod. 35. annot. 1. nomine primitiarum in sacris literis nō solum significari primos fructus de area vel torculari, sed etiam quæ tanquam selectiora & præcipua Deo vel ministris eis offerebantur. In quo sensu venit intelligendum quod in præsenti dicitur, Primitias autem, quas vouerint & obtulerint filij Israel, tibi dedi. Aduertendū est tamen non debere intelligi hic per primitias omnia in vniuersum iura, quę poterāt sacerdotibus prouenire ex voto vel ex spontanea oblatione, sed solū illa iura, quę proueniebant ex sacrificijs, vel ex libamentis sacrificiorum; quæ quinę sacrificia Leuit. 22. cap. diuiduntur in ea, quæ sunt à vota soluente, & in ea, quæ sunt ab sponte offerente: quam diuisionem hic insinuat sciptura. Neque etiam est sermo de iuribus omnium sacrificiorū, sed de con distinctis à victima pro peccato; de hac enim iā superius dixerat non posse comedi nisi à maribus. Quod autem hic solùm fiat sermo de iuribus sacrificiorum, quę obueniunt sacerdotibus, apertè ostenditur in eo, quod subiūgitur: Qui mundus est in domo sua vescetur eis. De alijs enim iuribus sacerdotalibus etiā immundi edere poterant, exceptis primitijs propriè dictis. Vnde quādo inferius dicitur de vino & oleo & frumento oblato non additur, quod qui mūdus fuerit comedet, sed simpliciter dicitur; tibi dedi. Iuxta prædictum sensum facilè est ordinare literam subsequentem, si dicamus legislatorem facere mentionem distinctè de sexcuplici iure obueniente sacerdotibus. Primum est ex sacrificijs: de quò loquitur hic sub nomine primitiarum. Secundum est ex terrę nascentibus, quorū pars ponitur super altare, sed prouenit simpliciter sacerdoti, & hoc nō ex obligatione legis, neq; ex voto sed per spontaneam oblationem: & de hoc iure agitur à versiculo: Omnem medullam. Tertium est ius, quod prouenit sacerdoti de terræ nascentibus ex præscripto legis, quæ propriè vocātur primitię: de quo fit sermo à versiculo: vniuersa frugū initia. Quartū est de terræ nascentibus quę offeruntur ex voto & nō in sacrificium, de quo agitur à versiculo: Omne quod ex voto. Quintum est ius quod sacerdos habet circa primogenita, de quo in versiculo; Quidquid primū. Postremum ius est quod conceditur sacerdotibus de animalibus, quæ vel ex voto vel spōtanee non tamen ad sacrificandū, dabantur Deo in vsus tabernaculi: de quo ibi: Omnes primitias: Cōueniens autem fuit isthęc omnia distinctè disponere, vt consuleretur auaritiæ Iudæorum, qui procliues erant ad defraudandum iura sacerdotum: & illis haud dissimiles sunt Christiani bonis Ecclesiasticorum inuidentes.

Iura sacerdotū in oblationibus sexcuplicia sunt.

V. *Relatiuum interdū refertur ad antecedens remotum.*

CVIVS redemptio.] Mos est sacræ scripturæ vt relatiuum referatur ad id quod remotius est, & non ad id quod propinquius: vt Hebr. 9. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta. vbi relatiuum, quæ non refertur ad id quod proxime antecessit, id est ad propositionem panum, sed ad illud quod erat remotius, id est ad tabernaculum. Neque enim est sensus propositionem illam panum appellari Sanctam, sed tabernaculum illud primum appellari Sancta, vt Chrysostomus & omnes interpretantur. Sicut statim de secundo tabernaculo loquens nomen eius indicat, id est, Sancta sanctorum Nec mirum quod relatiuum fœmininum referatur ad substātiuum neutrum, quia interpres aliquando obseruat in relatiuo genus, quod substantiuum retinet in Græco, vt ostendimus capite præcedenti, annotat. tertia. Simili igitur modo hoc, quod dicitur; Cuius redemptio, non debet referri ad animal immundum, quod proximè præcesserat, sed ad hominis primogenitum, quod fuerat remotius. Idque constat ex duplici capite. Alterum est, quia redemptio, de qua loquitur, fieri oportebat post vnum mensem & non antea Quod nequaquam intelligi valet de brutorum redemptione, nam hæc post octauum diem offerri poterant & redimi; iuxta illud Exod. 22. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoque & ouibus similiter facies, septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi. Et Leuitic. cap. 22. Bos, ouis & capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris suæ: die autem octauo & deinceps offerri poterunt Domino. Secus autem erat de redēptione primogeniti hominis. Hic enim non nisi post mensem deferri poterat in templum, & pretium eius solui; vt hîc dicitur. Et sicut Leuit. 22. dicitur de animalibus, quod die octauo & deinceps offerri poterant: ita intelligendum est de redemptione hominis, quòd fieri poterat finito mense & deinceps. Vnde beatissima virgo die quadragesimo præsentauit filium suum in templo, ac soluit pretium illius, concors omnino existens legis dispositioni. Et alio etiam fundamento constat in præsenti loqui scripturam de redemptione primogeniti hominis, nempe quia dicit hanc redemptionem debere fieri quinque siclis argenti; quod pretium institutum est pro primogenitis hominum, vt habetur superius cap. 3. huius libri; reliqua autem animalia redimebantur pretio taxato iuxta æstimationem sacerdotis, vt habetur Leuit. vltimo.

ARGVMENTVM IN CAP. XIX.

¶ *Ad emundationē eorum, qui super mortuo contaminabātur, instituit lex aquas lustrationis, præcipiens immolari extra castra vaccam*

vaccam rufam ætatis perfectæ, eamque in cineres redigi: quos Israelitæ in loco mundo reseruare tenebantur, vt illuc, is qui pollutus esset super mortuo accederet: factoque aspersorio & effusis cineribus in vase continente aquas viuas vir mundus asperg eret immundum diei tertio & septimo, lotisque vestibus & corpore in vespere eiusdem diei septimi talis immundus lustraretur.

PARAPHRASIS IN CAP. XIX.

A. LOCVTVSQVE *est Dñs*, cùm ad hoc populus existeret in monte Sinai, *ad Moysen & Aaron, dicens: Ista est religio*, cerimonia videlicet vel cultus *victimæ, quam constituit Dominus*, & ordinauit fieri ad purificandum Israelitas ab immunditijs, seu irregularitatibus corporalibus, quas ipsos contrahere contigerit. *Præcipe filijs Israel vt* non vnus vel alter sed omnes simul, multitudinis enim est negotium istud, *adducant ad te vaccam rufam*, quæ communem generis bouini colorem habeat: sitque non parui temporis sed *ætatis integræ*, nempe duorum vel trium annorum, *in qua nulla sit macula*, seu læsio corporalis, vt tam secundùm ætatem, quàm secundùm omnes sui partes habeat quidquid ad perfectionem vaccæ erigitur; ac præterea quòd *nec portauerit iugum*, quod enim alijs debet esse munditiei causa, nullatenus secularibus exercitijs debuit vnquam implicari: *tradetisque eam Eleazaro sacerdoti* non Aaroni, ne putetis ministerium circa vaccam rufam exercendum ad solũ pertinere Pontificem, cum ad id etiam sufficiat minor sacerdos. † *qui eductam extra castra* subsequente eum vel concomitante vniuersa populi multitudine, *immolabit in conspectu omnium* ipsam occidens, non suffocando sed sanguinem illius extrahendo, *& tingens digitum in sanguine eius* fuso in terra *asperget contra fores tabernaculi* in signum, quòd munditia causanda per immolationem vitulæ non tam respicit æstimationem hominum, quàm iudicium diuinum decernens mundari debere Israelitas à contaminationibus legis; vnde versus sanctuarium, in quo Deus repræsentabatur, proijci debet sanguis, idque *septem vicibus*, quo vniuersarum immunditiarum ablutio præsignificetur. *Comburetque eam* vaccam non ipse sacerdos, sed alius ad ipsius sacerdotis iussionem in eodem immolationis loco *cunctis videntibus*, nulla illius parte vel altari holocaustorum, vel sacerdotibus reseruata, *sed tam pelle & carnibus eius quàm sanguine & fimo flammæ traditis*, in signum maximæ detestationis quarumlibet immunditiarum. *Lignum quoque cedrinum* imputribile, quasi symbolum auferendæ corruptionis legalium pollutionum, *& hyssopum*, quæ est herba odorifera, & quasi exterminatiua fœtoris contaminationum, *coccumque bis tinctum*, seu grana valde rubea designantia hominis viuacitatem, *sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat* ad designandum, quòd mediante sacrificio vitulæ rufæ lustrari debẽt Israelitę à corruptione & fœtore legalium pollutionum, in pristinamque facultatẽ communicationis humanæ restitui. *Et tunc demum, lotis vestibus & corpore suo* aquis B.
viuentibus fluuiorum, vel fontium vel puteorum manãtium *ingredietur in castra* post solis occasum, & non antea, quia etiã post lotionem immundus censebitur, *commaculatusque erit vsque ad vesperum*, contrahens namque immunditiam extra castra, nequaquam in ea regredi permittetur, nisi postquam fuerit emundatus. *Sed & ille, qui combusserit eam* vitulam, quia similẽ contraxit immũditiam, sicut & qui illam immolauit, idcircò instar sacerdotis *lauabit vestimenta sua, & corpus, & immundus erit vsq; ad vesperum*, & postea regredietur in castra, † *Colliget autem vir mundus*, qui omni careat cõtaminatione legali, *cineres vaccæ* de loco vbi fuerat cõbusta, *& effundet eos* in alio loco existente etiam *extra castra*; apponens illos & constituens *in loco purissimo* ad hoc designato, vbi

† Hebr. 13.b.11.

† De consecr. dist. 3. c. aquã

vbi motu venti non dispergantur, nec fas sit animalibus brutis illuc accedere: idque *vt sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis*, qua immundus aspersus à viro mundo valeat pristinam puritatem recuperare: *quia pro peccato* seu pro immunditijs, quæ occasione peccati contrahuntur, *vacca combusta est*, vt ex eius cineribus aquæ lustrationis fierent. *Cumque lauerit, qui vaccæ portauerat cineres, vestimenta sua*, quamuis enim corpus minimè lauare teneatur, prout immolans & cōburens vaccā tenebātur lauare, nihilominus *immundus erit vsque ad vesperum*, quod est tempus minimæ etiam pollutioni destinatum. *Habebunt hoc filij Israel* 1 vbicunque eos habitare contigerit, *& aduenæ, qui* conuersi ad Iudaismum *habitant inter eos* tanquam pollutionum suarum remedium *sanctum iure perpetuo*: eo quod ad se emundandum in multis casibus ad hoc tantum remedium recurrere debent, verbi gratia. † *Qui tetigerit cadauer hominis*, siue ad sepeliendum, siue ad lauandum, vel exhibendum alia funeris officia, *& propter hoc septem diebus fuerit immundus*, prout esse debet ex decreto legis in signum detestationis superstitionum, quas idololatræ, & sortilegi exercent circa cadauera, iste talis *aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo*, obtemperans dispositioni legis, *& sic mundabitur* totaliter, ita vt nihil sibi restet agendum. *Si die tertio aspersus non fuerit* ex ignorantia vel obliuione, vel alio quocunque casu, posteà die *septimo non poterit emundari*, 2 neque necesse habebit aquis lustrationis aspergi; sed oportebit ad sacrificia pro huiusmodi omissione præscripta recurrere. *Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum*, vel quouis modo fuerit pollutus super mortuo, *& aspersus hac commistione* aquarum viuentium, & cineris vitulæ rufæ *non fuerit*, si ante tempus aspersioni destinatum præsumpserit adire diuina, *polluet tabernaculū Domini*, nō causando in eo aliquam immunditiam, sed irrogando illi iniuriam, seu irreuerentiam: *& peribit ex Israel*, pœna mortis diuino iudicio immittendæ: *quia aqua expiationis non est aspersus*, neque aspergi potest ante tertium & septimum diem, *immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum* vsque ad septimum diem ad vesperum: post modum enim neque

I.

† De consec. dist. 4. c. nec quēquā.

C.

II.

aqua expiationis quippiam proficiet, neque, immundus reputabitur, sed obnoxius erit delicto per sacrificium delendo. *Ista est lex* disponens casus, in quibus contrahitur immunditia occasione *hominis, qui moritur in tabernaculo*: de eo autem, qui moritur in agro, posteà erit sermo. *Omnes, qui ingrediuntur tentorium illius*, quandiu cadauer in ipso permanserit, *& vniuersa vasa* seu supellectilia, *quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus*: ita vt in illis diebus nequaquam liceat applicare vsibus humanis, in detestationem obseruantiarum, quas circa res mortuorum idololatræ exercent. *Vas, quod* in tentorio mortui *non habuerit operculum, nec ligaturam desuper*, non solum erit immundum secundum se, prout de vniuersis vasis statutum est, verum etiam *immundum erit* 3 quoad liquorem in ipso contentum, quem necessarium erit abijcere: liquida enim nequaquam subduntur purificationi. *Si quis in agro tetigerit cadauer occisi hominis* per mortem violentam, *aut per se mortui* morte naturali *siue os illius, vel sepulchrum*, quæ idololatræ solent superstitiosè contingere, *immundus erit septem diebus*: isthæc enim æquè polluunt tangentes se, siue homo cuius sunt fuerit mortuus in agro, vel in tabernaculo. *Tollentque* filij Israel partem aliquam *de cineribus combustionis atque peccati*, scilicet vitulæ rufæ, quæ combusta est pro peccato, *& mittent aquas viuas* fontium vel fluuiorum *super eos* cineres lustratorios *in vas: in quibus* aquis mixtis cineribus *cum homo mundus tinxerit hyssopum*, seu aspersorium de hyssopo confectum *asperget ex eo omne tentorium*, in quo iacuerat mortuus, *& cunctam supellectilem* tam vasa quàm vestes, *& homines huiuscemodi contagione*, quæ nascitur ex contactu alicuius mortui *pollutos: atque hoc modo mundus lustrabit*, mundabitque hominem *immundum tertio & septimo die. Expiatusque* aspersione hac duplici aquarum lustrationis, posteà eodem *die septimo, lauabit se & vestimenta sua* aquis viuentibus fontium seu fluuiorum, *& immundus erit vsque ad vesperum*, vel solis occasum eiusdem diei septimi. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus*, omittens quidpiam eorum, quæ pertinent ad purificationem, vel ordinem inuertens *peribit anima illius de medio Ecclesiæ* mortem subitam

III.

D.

biens temporalem; nisi pœnitentia atque oblatione sacrificij in lege requisiti iudicium diuinum præueniat: *quia sanctuarium Domini polluit*, irreuerenter se gerens erga res sanctas, quales sunt ritus purificationis, eo quod illas contempsit, *& non est aqua lustrationis aspersus*, quando aspergi tenebatur: *erit hoc præceptum* datum circa modũ cõtrahendi immunditiã super mortuo, & circa modũ expiandi eam, *legitimũ sempiternũ*: est enim lege stabilitũ, vt perduret toto tẽpore status Iudaici. *Ipse quoque qui aspergit aquas*, quanuis alias mundus esse debet, nihilominus ex vi ipsius aspersionis actiuæ immundus redditur; vnde *lauabit vestimenta sua*: quam immunditiam contrahere oportet istum, sicut & contrahunt offerens & comburẽs vaccam ipsam, ac etiam deferens illius cineres, ne fortè quispiam existimet aliquid virtutis inhærere vitulæ rufæ vel eius cineribus; sed sciant omnes, quòd cineres isti quantum est ex se, inquinant, quòd autem purificent ea, quæ ipsis asperguntur, ex sola Dei benignitate & causalitate prouenire. Et idcircò *omnis, qui* aliter, quàm dum ad emundationem aspergitur, *tetigerit aquas expiationis*, quæ sunt mistæ cineribus vitulæ rufæ, *immundus erit vsque ad vesperum*, quod est minimum omnium pollutionum genus. *Quidquid tetigerit immundus* super mortuo, de quo hucvsque locutus sum, *immundum faciet*, siue illud sit vas, siue vestis, siue aliud simile: *& anima* seu persona humana, *quæ horum*, quæ immundus super mortuo contrectauit, *quippiam tetigerit, immunda erit vsque ad vesperum*, à qua tamen immunditia solo temporis decursu, absque aliqua lotione purgabitur.

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

I. *Aqua lustrationis diuersis in locis asseruabantur.*

HABEBVNT hoc filij Israel.] Dubitari solet an filij Israel, postquam ingressi sunt terram Chanaan, debuerint accedere ad locum Sanctuarij, ad hoc vt aquis lustrationis emundarentur, prout tenebantur accedere ad offerendum sacrificia: vel potius in quolibet loco terræ Chanaan conseruabantur cineres vitulæ rufæ, quibus aspergi & emundari potuerint, absque eo quòd accederent ad locum Sanctuarij. Vtrumque probabiliter dici posset, mihi tamen verosimilius videtur asserere cum Abulensi, quòd expiatio aquarũ lustrationis fieri poterat in quolibet loco terræ Chanaan, vtpote ad quam non requirebatur aliquis actus sacerdotalis, sed duntaxat quòd vir mundus tincto hyssopo in aquis mistis cineribus aspergeret immundum, vt inferiùs dicitur. Ad hoc autem conseruabantur in pluribus locis terræ Chanaan cineres adducti de loco Sanctuarij; vbi multæ vitulæ rufæ immolabãtur, & inde ducebantur cineres in alia loca ad expiandum, non secus atque nunc feruntur in plures basilicas oleum infirmorum, & catechumenorum, & chrisma, quæ solum conficiuntur in sedibus episcopalibus.

II. *Omittẽs purificationẽ legalẽ, tẽporeque ad eã tenebatur, nihilominus non manet immunditia in eo.*

SEptimo non poterit emundari.] Immundus super mortuo, qui die tertio non faceret se aspergi aquis lustrationis; etiam si postea die septimo vellet se mundificare, non immundabatur per purificationem legalem, etiam si millies aspergeretur; sed subiacebat delicto, vt dicitur Leuit. cap. 5. hoc est, obligatio, quam habebat purificandi se die tertio & septimo, commutabatur in obligationem, seu sacrificium animalium: nam diuites tenebantur offerre agnum siue capram, si omitterent se purificare tempore à lege præscripto; pauperes vero duos turtures, vel duos pullos columbarum. Quibus oblatis orante aliquo sacerdote pro eo à reatu pristinæ omissionis absoluebatur, vt in eodem loco Leuitici asseritur. Et quia iste qui tempore destinato omisit purificari, aptus reputatur ad offerendum sacrificium in dicto capite quinto Leuitici cum sola proprij reatus agnitione; & transacto die tertio, quo omisit aspergi, non imponitur sibi in lege alius ritus purificandi se, videtur dicendum saluo meliori iudicio, quòd à die tertio vel septimo, quo omittebat aspergi, non vlterius sibi imputabatur immunditia, sed poterat accedere ad res sacras & facere alia, quæ erant permissa mundis, cum obligatione tantum pœnitendi de præterita omissione, & offerendi præfatum sacrificium. Neque obstat, quod inferius dicitur. Qui aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eum. Hoc enim intelligendum est de tempore præfixo aspersioni, nempè de septem diebus prioribus, in quibus potest aspergi. His namque transactis aspersio nihil prodest, & nihilominus reputatur mundus à lege cum teneatur offerre sacrificium, quod solis mundis est licitum.

III. *Vas sumitur pro contento in vase per figuram metonimia*

IMmundum erit.] Quibusdam visum est immunditiã, de qua in præsenti lex loquitur, referendam esse ad ipsum vas, quod non habuerit operculum vel ligaturam. Et si eis objiciatur superfluam esse hanc legis dispositionem, quandoquidem in verbis proximè præcedentibus lex statuerat vniuersa vasa, quæ essent in tentorio hominis mortui debere esse immũda, respon-

Digitized by Google

respondent verba posteriora esse restrictiua & declaratiua priorum. Cæterùm hoc non satisfacit; sequeretur enim exinde regulam illam generalem, vniuersa vasa, quæ ibi sunt, polluta erunt, prorsus superfluere. Vnde verosimilius videtur dicendum, quòd in hac secunda sententia loquitur lex de rebus contentis in vasis, non verò de ipsis vasis: easque nomine vasorum designat per figuram metonimiæ, qua continens sumitur pro contento. Subiunximus autem in paraphrasi liquorem istum immundum debere proijci, quia ea quæ nequeunt abstergi non possunt emundari, vt colligitur ex cap. vndecimo Leuitici. Quapropter quamuis pollutioni vasorum hoc in loco præfigatur terminus, dum dicitur debere esse polluta septem diebus: at verò immunditiæ liquoris contenti in vase discooperto nullus præfigitur terminus; sed absolute dicitur immundum erit.

ARGVMENTVM IN CAP. XX.

¶ Regreditur populus ad mãsionem Cades, à qua ante triginta & octo annos discesserat: in eaque mortua est Maria. Et ob defectum aquæ iurgatur populus contra Moysen & Aaron, quibus præcipit Dominus, vt sermone dumtaxat extrahant aquas de petra, illis dubitantibus extrahunt virga percussione: ob quam causam ingressus terræ promissionis eis interdicitur. Rex Edom negat transitum per terram suam, & hac de causa veniunt ad montem Hor, vbi Aarõ occubuit translato eius sacerdotio in filium Eleazarum; pontificisq; mortem populus deflet triginta diebus.

PARAPHRASIS IN CAP. XX.

A. 1. V*ENERVNTQVE filij Israel*, & circundato mõte Seir longo tẽpore regressa est *omnis multitudo in desertũ Sin*: in eum deserti locum, à quo ante annos triginta & octo retrorsum redierant; inibique iterum peruenerunt *mense primo* anni quadragesimi egressionis de AEgypto: *& mansit populus* trigesimam tertiam mansionẽ perficiens *in Cades*, quæ est in finibus deserti Pharan & Sin, vocaturque etiam Cadesbarne. *Mortuaque est ibi Maria* soror Moysi & Aaron, *& sepulta est in eodem loco. Cumque* desiccatis paludibus seu fontibus, de quibus Israelitæ hauriebant aquam ad bibendum, *indigeret aqua populus*, mox immemores beneficiorum Dei, ac impatientia agitati *conuenerunt aduersum Moysen & Aaron* principes populi: *& versi in seditionem* animum pugnandi contra duces suos ostendentes *dixerunt: Vtinam perijssemus inter fratres nostros*, vnaque cum ipsis, qui diuino iudicio interfecti sunt *coram Domino* ipsoque iubente, mortem subijssemus: minus quippè malum nobis fuisset semel mori, quàm hanc aquæ inopiam sufferre. † *Cur eduxistis Ecclesiam Domini* seu eius congregationem *in solitudinem*, vt in ea ob vestram incuriam & imprudentiam *& nos & nostra iumenta moriamur*, ac siti pereamus? *Quare nos fecistis ascendere de AEgypto*, vbi sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panẽ nostrum in saturitate, *& adduxistis in locũ istum pessimum* vastæ huius solitudinis, *qui seri non potest*, nec gignere quidquam valet, vtpote, *qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper &* principium ipsum materiale germinum, ex quo tanquam ex causa necessaria fructus terrę oriuntur, nempe *aquam nõ habet* locus iste pessimus, nõ solum ad irrigandum plantationes, verùm neque etiam *ad bibendum*? *Ingressusque Moyses & Aaron*, post auditam populi petitionem, & iurgationem ac *dimissa multitudine, tabernaculum fœderis*, inquisituri domi- † Exod. 17. b. 3.

dominũ super hoc negotio, *corruerũt proni in terram, clamaueruntque ad Dominũ;* atq; maximo cordis affectu supplices ad Deũ preces fundentes *dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, & eius* precibus acquiescens, *aperi eis thesaurum tuum*, quem habes latitantem in visceribus terræ, nempe *fontem aquæ viuæ* decurrentis & perenni fluxu salientis, *vt satiati, cesset murmuratio eorum*, cui vacant ob aquæ inopiã:
B. *Et apparuit gloria Domini super eos*, ingensque splendor seu nebula ostendens diuinam adesse præsentiam. *Locutusque est Dominus ad Moysen* audiẽte pariter Aarone *dicẽs: Tolle virgam*, qua tã in Aegypto quàm in solitudine patrare miracula cõsueuisti, *& congrega populũ tu & Aaron frater tuus*, vt omnes valeant esse testes diuini futuri operis, *& loquimini ad petram* quamlibet, quam Israelitæ elegerint, præcipientes illi in nomine Domini Dei vestri, vt conferat vobis aquas: idque totum facite *coram eis*, ne suspicentur vos per aliquas magicas incantationes aquam extrahere à petra, *& illa dabit aquas* ad iussionem vestram: quod erit maius miraculum, quàm quod in Raphidim percutientes petram exercuistis. *Cumque eduxeris aquam de petra* ordine vobis præscripto, *bibet omnis multitudo, & iumenta eius*: tanta enim erit aquarum copia, quæ statim ad præceptum vestrum fluet, vt quotquot in castris

† *Exod. 17. b. 5. 6. Sapiẽ. 11. a. 4.* fuerint, satiari valeant. † *Tulit igitur Moyses virgam, quæ* vna cum virga Aaron, quæ fronduerat, *erat in conspectu Domini* 2 in interiore parte tabernaculi, extra arcam tamen: auferẽs autem virgam de loco in quo
II. erat, fecit, *sicut præceperat ei Dominus*, & *congregata multitudine ante petram* increpauit Israelitas duris & asperis verbis, *dixitque eis: Audite rebelles*, qui postquã semel potentia miraculorum victi, & quasi in deditionem à Deo recepti, iterum contra ipsum insurgitis *& increduli* per defectum debitæ fidei: † *Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere?* Proculdubio poterimus, non secus atque in Raphidim percussione virgæ quippiam simile operati sumus. † *Cumque eleuasset Moyses manum*, non omnino confisus quòd ad solam iussionem suam petra præbitura esset aquas, *percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ*, scilicet in magna abundantia,
III. *ita vt populus biberet & iumenta.* In quare Moyses & Aaron præuaricati sunt Dei

† *Psal. 77. b. 23 1. Corin. 10. a. 4.*
† *De celeb. miss. c. in quadam.*

mandatum, quo ostenderat se velle facere in hoc loco maius miraculum, quàm in Raphidim, vt magis à populo sanctificaretur. Fuisset autem maius miraculum, si absque contactu vllo, sola præcipientiũ voce virtus diuina applicita fuisset petræ, & sic aquas præberet. *Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron:* † *Quia non credidistis mihi*, 3 neque fidẽ adhibuistis verbis meis, quibus promiseram ad solum sermonem vestrum petram prębituram aquas ad hoc, *vt sanctificaretis me coram filijs Israel* sanctiorque & gloriosior apparerem in excellentiori signo, quod per vos operari statueram, idcircò *non introducetis hos* omnes Israelitarum *populos in terram, quam dabo eis*, 4 sed antequam omnes tribus consequantur possessionem terræ sibi promissæ ambo moriemini. *Hæc est aqua contradictionis*, seu iurgij & contentionis, *vbi iurgati sunt filij Israel*, litigantes & contendentes *contra Dominum, & sanctificatus est in eis*, exhibens se sanctum & laudabilem in miraculosa aquarum de petra eductione. *Misit interea*, dum quæ prædicta sunt agebantur, *nuncios Moyses de Cades ad regẽ Edom*, seu Idumæorum, *qui dicerent: Hæc mandat* 5 per nos tibi renunciari *frater tuus Israel*, qui ex tuismet parentibus Abraham & Isaac originem ducit: *Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos:* neque enim propinquitas terræ tuæ cum terra AEgypti ignorare sineret duram seruitutem, quam sub AEgyptijs sustinuimus: cuius rei occasionem etiam nosti, videlicet *quomodo descenderint patres nostri in AEgyptum, & habitauerimus ibi multo tempore*, ducentis scilicet, ac quindecim annis, *afflixerintque nos AEgyptij & patres nostros: & quomodo clamauerimus ad Dominum, & exaudierit nos, miseritque angelum* præcursorem nostri, *qui eduxerit nos de AEgypto*, dirigendo viam nostram vsque in locum istum. *Ecce in vrbe* seu in finibus: vel propè vrbem *Cades*, 6 *quæ est in extremis finibus tuis, positi, obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam*, maximè cum nõ postulemus adire interiora illius, sed duntaxat per extremitatem & particulam quandam regni tui. *Non ibimus per agros, nec per vineas*, ne eis vllo modo noceamus, *nõ bibemus aquas de puteis tuis*, inuitis corũ possessoribus: *sed gradiemur via publica*, per quam alij incedere cõsueuerint, *nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes* per agros,

Right margin: † *Deut. 1. f. 37. de pœn. dist. 2. c. si enim.* — IIII. — C. — V. — VI.

agros vel vineas: & aquam precio compa-rabimus, *donec transeamus terminos tuos*, ingressique fuerimus terrã nobis promissam, quam debellaturi sumus. *Cui respondit Edõ*, rex scilicet Idumæorum: *Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi*: iure enim timere debeo ne ea hominum multitudo, quam viarum angustiæ capere nequeunt, inferat damna non modica agris ac vineis, & aquarum puteos exiccet. *Dixeruntque filij Israel: Per tritam gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est*: idque non ad arbitrium nostrum, sed quantumcumque constituatur de pretio, *nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus*: concesso enim per te vt saltem velociter transeamus, de reliquo facile tibi acquiescemus. *At ille respondit: Non transibis*, quid enim scio, si semel ingressus bellum nobis ingeres? *Statimque egressus est obuius, cum infinita multitudine, & manu forti*, impediturus Israelitas in-

D. gredi terram suam: *nec voluit acquiescere* Moysi, seu populo Hebræorum *deprecanti, vt concederet transitum per fines suos*: id enim Dominus dispsosuerat, ne tam cito Israelitæ adirent terram promissionis, quousque complerentur quadraginta anni exilij, & morerentur quotquot prohibiti erãt ingredi terram illam: *quam obrem diuertit ab eo Israel*: nec permissus est inire bellum cum fratre suo rege Edom, à quo dans locum iræ postea facultatem obtinuit transeundi per terminos suos circumiens montem Seir. *Cumque castra mouissent de Cades*, versus partem orientalem terræ Chanaan, dimissis ad plagam occidentalem Amalecitis & Aradijs, *venerunt* in trigesimã quartam mansionem, videlicet *in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom* & ad meridiem seu plagam occidentalem illius: *vbi locutus est Dominus ad Moysen* indicans mortem Aaron in proximo subsecuturã: *Pergat*, inquit, *Aaron ad populos suos*, ad cætus scilicet sanctorum patrum, qui resident in sinu Abrahæ: *non enim intrabit Terram, quam dedi*, seu me daturum promisi *filijs Israel; eo quod incredulus fuerit ori meo*, dubitans de eximio miraculo, quod ad solum sermonem vestrum facere statueram *ad Aquas cõtradictionis*. † *Tolle Aaron & filium eius cum eo, &* postquam eis indicaueris, quod me facturum statui *duces eos in monte Hor*, ad cacumen illius, relicta multitudine in planitie montis, vbi resident castra. *Cumque nudaueris patrem veste sua* pontificali, quam prius ipsum induere facies, postmodum *indues ea Eleazarum filium eius*, in signum translationis summi sacerdotij de patre in filium: quo peracto *Aaron colligetur* secundum animam, quæ cætui sanctorum venit aggregãda, *& morietur ibi* secundum corpus exanime relinquendum. *Fecit Moyses, vt præceperat Dominus: &* ipse vna cum Aaron & Eleazaro *ascenderunt in mõtem Hor* mense quinto anni quadragesimi ab exitu de AEgypto, die prima mensis, *coram omni multitudine* filiorum Israel, quibus intimauerat Moyses Aaronem inibi esse moriturum, ob quam causam discessum eius de castris tota multitudo mira animi attentione contemplabatur. *Cumque Aarõ* prius indutum vestibus pontificijs *Moyses spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius*: per quarum vestium assumptionem factus est Eleazarus summus sacerdos, dispensante Deo pro hac vice dumtaxat in ritibus & ceremonijs, quæ ad consecrationem pontificis ex lege requirebantur. Quibus peractis Aaron mortuus est, cum esset annorum centum viginti trium. *Illo mortuo in montis supercilio* ibique sepulto à fratre & filio, Moyses *descendit cum Eleazaro. Omnis autem multitudo videns*, seu cognoscens ex relatione Moysis & Eleazari *occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus, per cunctas familias suas*: nulla enim fuit familia, quæ non honoraret põtificẽ suum lamentis ac ritibus consuetis.

† *Infr. 33. c. 38. Deut. 32. g. 51.*

ANNOTATIONES IN CAPVT XX.

I. IN DESERTVM Sin.] Pro intelligentia loci, in quem in præsenti dicitur, populum peruenisse relege, quæ circa distributionem mansionum filiorum Israel in deserto, aduertebamus superius capite decimo tertio annotatione prima. Vbi ex textu ipso colligebamus mansionem Cades esse eam ad quam redierunt exploratores portantes fructus terræ promissionis: quæ alio nomine vocari solet Cadesbarne: quia per totum illud tempus triginta & octo annorum non propius accesserunt filij Israel ad terram promissionis, idcirco Cades, seu Cadesbarne non multiplicant mansiones Israelitarũ, sed pro vna & eadem computantur.

II. *Tam virga Moysis, quam Aaron fuit seruata in sanctuario.*

ERAT in cõspectu Domini.] Quia de nulla alia virga legitur quòd fuerit reseruata in tabernaculo, nisi de virga Aarô, quæ germinauit Amygdala; de qua superius capite decimo septimo habetur: Refer virgã Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi: ob hanc causam Lyranus & alij existimant virgam, de qua in præsenti fit sermo, non fuisse illam, qua cum Moyses diuisit mare Rubrum, & immisit plagas in AEgyptum, sed virgam Aaron indicem sacerdotij eius. Cæterum verosimilior est sententia Abulensis, Caietani, & aliorum asserentium virgam, quam in præsenti iussus est Moyses tollere fuisse eam, per quam in AEgypto & in via operatus est miracula: quàuis enim non legatur Dominum præcepisse vt virga operatrix signorum reponeretur in Sanctuario; nihilominus satis superque in hoc loco insinuatur illam post perfectum tabernaculum, intra ipsum fuisse locatam. Quorsum autem iussus est Moyses eam secum tollere ad hauriendam aquam de petra in sequenti annotatione dicemus.

III. *Peccatū Moysi, et Aaron ad aquas cõtradictionis fuit diffidentia.*

QVIA non credidistis mihi.] Peccatum Moysi & Aaron ad aquas contradictionis adeo breuiter & obscurè exprimitur in sacris literis, vt nequaquam exponi valeat, nisi aliqua subintelligendo & superaddendo. Vnde non mirum, quòd hac licentia vsi fuerimus in paraphrasi: conati sumus tamen quantum fieri potuit in huius loci expositione adhærere literæ contextui. Iuxta quem dixi peccatum istud Moysi & Aaronis in eo extitisse, quòd volente Deo præbere aquas populo modo quodam excellentiori, nempe ad solam iussionem suorum ministrorum, vt hac ratione sanctiorem & gloriosiorem se exhiberet in Cades, quàm se ostenderat in Raphidim, vbi virgæ contactu à simili sitis clade liberauerat Israelitas; Moyses & Aaron aliquantulum diffisi de magnitudine miraculi, ob indignitatem populi, modo quodam suauiori, quem iam semel experti fuerant in Raphidim, attentarunt extrahere aquam, scilicet vna atque altera virgæ percussione. Fateor hunc modum dicendi aliquas pati difficultates, quibus tamen satisfacere conabimur ad maiorem huius sententiæ confirmationem. Primo ergo contra prædicta obstat, quia si peccatum illud fuit percussio petræ, cum solum Moysen legatur eam percussisse, consequens est Aaronem non peccasse, vel saltem minus peccasse; cuius oppositum constat in hoc capite; vtrique enim dicitur. Quia non credidistis mihi & cætera. Et specialius de Aaron dicitur inferius. Pergat Aaron ad populos suos; non enim intrabit Terram, quam dedi filijs Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis. In quibus verbis, & in breuiori ipsius morte insinuatur eum magis peccasse quàm Moyses. Secundò arguitur nam Moyses refundit peccatum istud in populum dicens Deuterono. cap. 1. Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc. Et capit. 3. eiusdem libri habetur: Iratusque est mihi Dominus propter vos: Sed si peccatum fuisset extrahere aquas percussione, quando solis verbis extrahere tenebantur, non erat cur refunderetur in populum, ergo hoc non fuit peccatum de quo in præsenti fit sermo. Tertio: Peccatum istud semel atque iterum notatur incredulitatis in hoc capite, in verbis pro prima obiectione recitatis. Et etiam hinc & Deuteronom. cap. 32. notatur de eo, quod causa extiterit, quòd populus non sanctificaret Dominum: sed nullam harum deformitatum videtur habere hoc, quod est, percussisse petram, quando ad eam loqui tenebantur: ergo in hac re non consummatur peccatum Moysi & Aaronis. Quarto, non apparet vnde esset maius miraculum extrahere aquam de petra solis verbis, quàm extrahere virgæ percussione, cũ ad vtrumque opus infinita Dei potẽtia fuerit necessaria, & æque sit supra ordinẽ naturæ: ergo vno vel altero modo extrahere non fuit causa, quo minus populus sanctificaret, vel non sanctificaret Dominum. Tandem arguitur: Deus iussit Moysen, vt tolleret secum virgam ad hauriẽdum aquas; non ergo peccauit tangens cum illa petram: maximè cum non appareat in quẽ alium vsum deberet secum virgam deferre in operatione illius miraculi.

Hæc tamen non obstant veritati nostræ sententiæ; quibus non est difficile respondere. Ad primum itaque dico vtrumque fratrem peccasse; tum quia ambo tenebantur loqui ad petram, & non fecerunt; tum quia ex defectu confidentiæ vtriusque ortum habuit, quod non tentarent haurire aquam aliter, quàm hauserant in Raphidim; scilicet non præcipiendo sed tangendo. Ad secundum respondeo iurgium populi præbuisse occasionem ducibus suis ad peccandum: crediderunt enim Moyses & Aaron, quòd Deus nollet dare aquas populo ad solam iussionem ipsorum propter ingratitudinem populi, & maxima Israelitarum peccata. Vel etiam quia ipsi nimis ardenter & inordinatè petierunt aquas; idcirco Moyses & Aaron desiderio complacendi populo decreuerunt præbere illas medio iam semel experto in Raphidim, & suo videre magis certo ac securo: obquam causam iratus est illis Dominus. Vnde non incongruè retorquet Moyses hanc iram in populum. Ad tertium dico incredulitatem istorum extitisse in eo, quòd non satis confisi de modo excellentissimo, quo Deus volebat præbere aquas nempe ad sermonem ipsorum, illi alia via processerunt. Ex quo subsequutum est vt populus non tantum laudaret, & sanctificaret Dominum, quantum sanctificasset, si maius miraculum perspexisset. Ad quartam obiectionem respondeo quod vt autor est D. Tho. 1. p. q. 105. art. 8. quamuis in ordine ad diuinam potentiam omnia miracula sint æqualia, imo potius nullum sit miraculum: cæterum secundum quod vnum opus magis excedit

excedit facultatē naturæ quā aliud; secūdū hoc vnū dicitur esse maius miraculū quā aliud. Connaturalius autē est, quod agens corporale communicet virtutem, quam habet, per contactū, quam si illā communicet per solum imperium, vnde maius miraculū fuisset si Moyses & Aaron communicassent petræ virtutē acceptam à Deo per solum imperium, quam communicare illam per contactum rei corporalis, nempe virgæ: sicut maius miraculum fuit, quod fecit Christus Dominus, quando imperio suo sanauit paralyticum prope piscinam, de quo habetur Ioann. ca. 5 quàm illud, quod fecit emundans leprosum contactu manuum suarum; de quo meminit scriptura Matth. 8. Ad vltimum dico, quòd virga illa à principio liberationis populi de AEgypto fuit index, quòd locutus est Dominus ad Moysen; vt dicitur Exodi cap. 4. obquam causam aliquando sumebat eam secum Moyses, quamuis nihil esset facturus cum illa: vt patet Exod. cap. 17. Ad similem igitur repræsentationem, scilicet vt insinuaret ad se Dominum fuisse locutum, præcipitur virgam tollere, non tamen ad tangendum petram cum illa.

IIII. *Moyses quamuis introduxit aliquā partē Israelis in terrā sibi promissam non tamen totum Israelem.*

INTERRAM, quam dabo eis.] Dubitari solet, de qua terra loquatur hic scriptura, cum constet Moysen introduxisse Israelem in terram sibi promissam, quæ erat duorum regum Amorrhæorum, & postea data est Rubenitis, & Gaditis, ac dimidiæ tribui Manasse. Caietanus super caput primum Deuteronomij respondet, distinguendum esse inter terram promissam patribus, nempe Abrahæ, Isaac & Iacob, & terram promissam populo Israel in monte Sinai: in illam enim prohibitus est Moyses ingredi, qui tamen ingressus est in istam. Vbi videtur supponere patribus solum fuisse promissam terram Chanaan, quæ est trans Iordanem; in quam Moyses non introiuit: non autem fuit eis promissa terra duorum regum Amorrhæorum, in quam Moyses introduxit Israelē. Quod autem hoc falsum sit, constat, quia in prima promissione facta Abrahæ, expressa fuit ista terra duorum regum Amorrhæorum: nam Genes. 15. cap. ponitur terra Raphaim, id est gigantū, sed ista terra Og, qui fuit de reliquijs Raphaim Iosue ca. 12. & terra eius Basan erat antiquitus terra gigantum, qui vocabantur Raphaim, Deuteron. cap. 3. ergo illa erat promissa patribus. Itē patet, quia Raphaim (quorum, terra promissa fuit Abrahæ) habitauerunt in Astareth tempore ipsius Abrahæ, cum ibi fuerit pugna contra eos, Genes. 14. cap. sed Astaroth erat ciuitas vnius ď istis duobus regibus Amorrhæis, scilicet regis Og, Deuteron. 3. & Iosue 12. ergo promissa fuit terra ista patribus. Quapropter omisso modo dicendi Caietani respondetur ad propositā difficultatē solū fuisse interdictū Moysi ingressum in totā terrā promissionis: quod insinuāit scriptura quando inquit: Nō introducetis hos populos in terrā, quā dabo eis. Vbi Israel nomine multorū populorū significatur, ad designandum Moysen introducturum aliquos populos ex istis in terrā sibi promissam, videlicet Rubenitas & Gaditas & dimidiū Manasse, non tamen omnes, quia nō erat transiturus Iordanē, vbi erat terra Chanaā, reliquis tribubus conferenda. Asserēdū est igitur Moysi interdictā fuisse terrā promissionis, non tamē terrā Chanaā: quæ sola fuit sibi interdicta in pœnam præsentis peccati.

HAEC mandat.] De sensu, quem retinere solet in sacris literis hoc verbū mandat, videantur quæ diximus Genes. cap. 45. annota. 1. V.

ECCE in vrbe Cades.] Cū cōstet Israelitas, ex quo exierūt de AEgypto, quousq; ingressi sunt in terrā Amorrhæorum, nequaquā fuisse ingressos vrbē aliquā, necessario asserendū est hoc, quod in præsenti dicitur Hebræos fuisse positos in vrbe Cades, intelligi debere pro esse iuxta vrbē Cades. Quē quidē sensum sæpius retinet præpositio. in, sacris literis: vt Ioan. c. 1. Hæc in Bethania facta sunt trās Iordanē, vbi erat Ioānes baptizās. Hoc est prope Bethaniā. Nec enim in ipsa vrbe baptizabat, sed prope illā, in loco, in quo erāt aquæ multæ. Et Ioan. 10. habetur: Et ambulabat Iesus in tēplo in porticu Salomonis, id est iuxta tēplū: porticus enim non erat tēplū proprie loquēdo, sed semper tēplū vocatur; quia adiuncta erat tēplo. Ita ergo dictū est in præsenti fuisse positos Israelitas in vrbe Cades, quia erāt prope illam in deserto, quod ab ea vrbe desumit nomen Cades, seu Cadesbarne.

VI. *In pro iuxta vel, prope.*

ARGVMENTVM IN CAPVT XXI.

¶ Destructis vrbibus cuiusdam regis Chananæi ab Israelitis, recessit populus de monte Hor, & occasione laboris viæ murmurat cōtra Dominum & Moysen, ob quam causam immisit Deus serpentes eos interficientes, à quarum morsibus sanabantur, qui intuebantur serpentem æneum à Moyse fabricatum. Denegat deinde Sehon transitum per terram suam, & hac occasione debellatur terra illius, & in Israelis posessionem deuenit. Occurrentemque Og Regem Basan populus Israel deuicit, & interfectis omnibus habitatoribus regni illius, eum occupant Israelitæ ad inhabitandum.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXI.

A. I. *QVOD Cum audisset Chananæus* 1 *rex Arad*, is, qui ante triginta & octo annos expugnauerat illos Israelitas; qui inuito Moyse ascenderũt mõtana Aradæorũ & Amalecitarũ de Cadesbarne, is inquã rex, *qui habitabat ad meridiẽ* Terrę Chanaã, extra illã tamẽ, Aradius enim vocabatur Chananæus, nõ quia habitabat terrã Chanaã, sed quia à Chanaã nepote Noe descẽdebat. Cum igitur hic audisset *venisse scilicet Israel per exploratorum viã*, redisseq; ad eundem locũ Cades, à quo anno secũdo egressionis de AEgypto emiserat Moyses exploratores, obuius factus Arad Israeli ad mõtẽ Hor, *pugnauit contra illum, &* permittente Domino ob peccata populi, etiã hac vice Aradius *victor existens* cõtra Israelẽ, *duxit ex eo prædam. At Israel* æquũ iudicãs punire hãc Aradæorũ insolẽtiã, *voto se Dño obligans, ait: Si tradideris populũ istũ in manu mea*, nequaquã in cõmodũ meũ cõuertã victoriã, sed zelo dumtaxat iustitiæ ac religionis succẽsus *delebo vrbes eius*: ob honorem enim nominis tui omnia, quæ horũ hostiũ tuorũ sunt, tibi dicabo, igneq; succendã. *Exaudiuitq; Dñs preces Israel*, id eis insinuãte Moyse ex ore Dei, *& tradidit Chananæũ*, seu populum Arad, qui originẽ ducebat à Chananæis, *quẽ ille interfecit* nemini prorsus parcens, *subuersis vrbibus eius*: ita vt nihil rerũ Chananæorũ istorum sibi reseruaret: *& vocauit nomen loci illius*, seu totũ territoriũ populi Aradæorũ, *Horma, id est, anathema*, quia omnia incensa sunt, nec permissum est cuiquã aliquid sume-
B. re. *Profectiq; sunt autẽ & de monte Hor* versus
II. Salmona & Phunõ *per viã, quæ ducit ad mare rubrũ*, 2 quod iã quarto adierũt, *vt circũirent terrã Edom*, ambulantes versus Oriẽtẽ per latus meridianũ Terræ promissionis. *Et tædere cœpit populũ itineris ac laboris*, vidẽtes se iam bis fuisse reuersos à Cadesbarne vbi proxima erat terra Chanaã, diffisus ergo populus de assecutione illius, *locutusque cõtra Deũ & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de AEgypto, vt moreremur in solitudine?* De tã lõgo enim itinere nihil aliud sperari potest nisi nostrũ omnium mors. *Deest panis, non*
† Eccli. 29.d.28 *sunt aquæ*, quæ † initia dicuntur esse vitæ
III. hominis: *anima nostra iam nauseat* 3 *super cibo isto leuissimo*, qui nõ præbet nobis fulcimẽtũ virtutis, nec in stomacho sentitur, nisi quandiu sapor es eius mellis & olei ad vomitũ nos excitãt. † *Quã obrem misit Dñs* † Sapi. 16.a.5. 1.Cor.10 b.9. Iudith. 8. c.21.
in populũ ignitos serpẽtes, qui morsu suo vehemẽtissimũ calorẽ & veluti ignitũ, corpora consumẽtẽ efficiebant: vnde eorum serpẽtũ veneno infecti proculdubio moriebantur: *ad quorũ plagas & mortes plurimorũ* cõpulsi Israelitæ remedium quęrere, *venerũt ad Moysen*, qui medius erat inter Deũ & populũ, *atq; dixerũt: Peccauimus, quia* pestilẽti detractione *locuti sumus contra Dñm & te: ora vt tollat à nobis serpẽtes*, quos iusto suo iudicio Deus immisit ad hoc, vt culpã corrodẽtẽ & denigrãtẽ famã proximi, morsibus serpentũ denigrantibus carnes nostras
cõpẽsaret. *Orauitq; Moyses pro populo, & lo-* C.
cutus est Dñs ad eũ: Fac serpentẽ æneũ apparentẽ scilicet & similẽ serpẽti, nõ tamẽ erit verus serpens, *& pone eũ pro signo* in ligno aliquo, vbi exaltatus facilius à pluribus veneno infectis videri possit: *qui percussus aspexerit eum viuet*: non quod serpẽs æneus ex se ad sanandos serpẽtum venenosos morsus quippiam prosit: cum tactis morsu serpentum, aspectus æris candentis causa potius sit mortis: sed quia eiusmodi serpens æneus magnum quoddã futurum significare oportet mysterium. *Fecit ergo Moyses*
SERPEMTEN AENEVM 4 simi- IIII.
lem serpentibus illis ignitis, à quibus populus comburebatur, qui tamen repręsentabat verbum diuinum hominem factum, *& posuit eum pro signo* eleuans eum in pertica, vt ex quacumque parte castrorum videri posset: *quem cum percussi aspicerent, sanabãtur*, quatenus in eo facto protestabãtur ex institutione diuina fidẽ incarnationis Christi, & redẽptionis, quã in ligno Crucis operaturus erat idẽ Christus. *Profectiq; filij Israel* de Phunõ trigesima sexta mãsione *castrametati sunt in Oboth. Vnde egressi fixere tẽtoria in Ieabarim*, vbi perfecerũt trigesimã octauã mãsionẽ, *in solitudine, quæ respicit Moab cõtra oriẽtalẽ plagã*, mediat enim desertum istud, in quo est Ieabarim inter Idumæos & Moabitas in parte oriẽtali ipsius Moab. *Et inde mouentes venerũt ad torrentem Zared* existentẽ in extremitate solitudinis ante introitũ terræ Moab. *Quẽ relinquentes castra metati sunt* nõ ex proposito, nec faciẽtes mãsionẽ, sed transeũtes accesserũt ad partẽ solitudinis respicientẽ *contra Arnõ, quæ est* rupes quædã in sublime porrecta existens *in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi*, versus

versus plagam orientalem duorum regum

† *Indic. 21.c.18.* Amorrhæorum Sehon & Og: † *siquidem Arnon*, è cuius regione transierunt Israelitæ *terminus est Moab, diuidens Moabitas & Amorrhæos. Vnde dicitur*, ad perpetuamq; rei memoriam conseruatur *in libro bellorum Domini*, ς qui est æterna Dei notitia, qua prouidit cuncta, quæ in bellis euenire oportet: *Sicut fecit* Deus innumera mirabilia *in mari rubro*, faciens iter populo suo, ac interficiens exercitum AEgyptiorum, rotasque curruum eorum subuertens, *sic faciet in torrentibus Arnon*, à quibus initium sumit terra patribus promissa, ab eo enim loco prosperum iter faciet Deus populo suo, ac interficiet hostes eius. *Scopuli torrentium* Arnon, quibus impedimenta ad ingrediendum terram promissionis significantur, quasi *inclinati sunt*: quia post transitum Arnon nullum inuenient Israelitæ obstaculum itineris sui, Deo id prouidente & disponente ad hoc, *vt requiescerent in* terra eis promissa, quæ incipit in *Ar, & recumberent* in proprijs domicilijs, quæ habituri sunt *in finibus Moabitarum*, nempe in terra duorum regum Amorrhæorum quę contermina est Moabitis. *Ex eo loco* proximo torrentibus Arnon discedentibus Hebræis, versus trigesimam nonam mansionem, quam fecerunt in Dibongad, *apparuit puteus*, seu venerũt in locum, vbi miraculose datus est eis puteus aquarum defluentium. *super quo*, vt eiusmodi puteus daretur Israelitis, *locutus est Dominus ad Moysen*, & præcepit ei dicens: *Congrega populum* sitientem, nec tamen murmurantem, *& dabo ei aquam. Tunc* congregata omni multitudine, principes populi ad iussionem Moysi percusserunt terram baculis suis, de qua subito maxima copia effluxit aquæ, quo miraculo viso populus iunior, non instar patrum suorum, de quibus non legitur gratias reddidisse de frequenti aquæ seu mannæ receptione, sed gratitudine permotus, *cecinit Israel carmen istud* in laudem Dei, atque gratiarum actionem. *Ascendat puteus*, ac diu vtinam duret beneficium nobis misericorditer collatum. *Concinebant* præterea omnes, summam animi gratitudinem ostendentes, & dicentes. *Puteus* iste non humani operis, sed diuini est miraculi, vtpote *quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis*, non ligonibus & sarculis terram cauãtes, sed *in datore legis*, seu in virtute Dei, qui olim dedit eis legem, & modo fuit causa principalis aquæ. *& in baculis suis*, quibus instrumentaliter virtute accepta à Deo hauserunt aquam. *De solitudine*, in qua huc usque agebãt filij Israël, venerunt in *Matthana*, alio nomine vocatam Dibongad, vbi perfecerunt trigesimam nonam mansionem. *De Matthana* deuenerũt ad quadragesimam mansionem videlicet *in Nahaliel*, seu Helmon Deblathaim. *De Nahaliel* profecti sunt ad montes Abarim contra Nabo in mansionem quadragesimam primam, videlicet *in Bamoth. De Bamoth* petierunt quadragesimam secundam mansionem, & postremam earum, quas fecerunt vltra Iordanem, & hæc fuit in campestribus Moab: cuius mãsionis locus *vallis est in regione*, quæ quia prius fuerat regum Moab, quamuis modo pertineret ad regem Sehõ, idcirco vocabatur regio, seu campestria *Moab in*, seu, circa, vel, coram *vertice* E. VI.

D. V.

Phasga, ς *quod* Phasga respectu campestrium Moab *respicit contra desertum*: existit enim mons iste inter campestria prædicta & solitudinem. † *Misit autem Israel* de solitudine torrentium Arnon *nuncios ad Sehon regem Amorrhæorum*, vt haberet titulum coloratum ac manifestum debellandi terram eius, *dicens: Obsecro, vt transire mihi liceat per terram tuam* ad terram Chanaan, quæ est vltra Iordanem, mihi diuinitus promissam: nec causeris me ciuibus tuis damnum transeundo inferre, etenim *non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis*, nisi quam vos vltronei dederitis: *via regia gradiemur*, non declinantes ad dexteram, neque ad sinistrã *donec trãseamus terminos tuos. Qui concedere noluit* iustam Israelitarum petitionem, nec permittere, *vt transiret Israel fines suos*, indurãte Domino spiritum eius, & obfirmãte cor illius, vt traderetur in manus Hebræorum: neque enim solum Sehon negauit licentiam Israeli ad transeundum, *quin potius exercitu congregato, egressus est obuiam in desertum, & venit in Iasa* prope torrentem Arnon *pugnauitque contra eum*. † *A quo percussus est in ore gladij*, ς ita vt omnes interficerentur scilicet ipse Sehõ & filij eius, omnesq; habitatores vrbium suarum, tam viri quam mulieres & paruuli: *& possessa est terra eius*, erat enim Israelitis promissa à Deo ad inhabitãdũ. *ab Arnon*, seu ab Aroer, quæ est sita super ripã torrentis Arnon, *vsque Iebοc, & filios Am-*

† *Deut. 2.c.26. Indic. 11. d.20.*

† *Amos 1.c. 9. Psal. 134 c.20.* VII.

men facta computatione ab angulo medio inter Orientem & meridiem, vsque ad angulum, qui mediat inter occidentē & Septentrionē: nec tamē progressi sunt ad debellandum filios Ammon, *quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum*, Dei scilicet protectione, qui prohibuerat Israelitas pugnare contra eos. *Tulit ergo Israel omnes ciuitates eius*, népe regis Sehon, *& habitauit in vrbibus* illius regis *Amorrhei, in Hesebon scilicet, & viculis eius*: quā terram
F. pro maiore illius parte accepit postea inforte tribus Ruben, & reliquā eius partē accepit Gad. *Vrbs Hesebon fuit Sehō regis Amorrhei qui* tamen non adquisiuit eam iure hereditario, sed eo quod *pugnauit contra regē Moab & tulit* ab eo vrbem Hesebon, ac reliquam *omnē terram, quæ ditionis illius fuerat* à parte septentrionali Moabitarum, ab Hesebon *vsque Arnon. Idcirco dicitur in Prouerbio* cōposito à victoribus per modū cuiusdam cantici & epigrammatis. *Venite in Hesebō*, & quæ hucusq; erat vrbs ædificata & dicata regi Moab, iam nunc *ædificetur & cōstruatur ciuitas* subdita regi Amorrheorum *Sehon: ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehō*, quatenus oppresio bellica, quæ primo succensa est in populo Hesebon occupato a rege Sehon succreuit, *& deuorauit Ar Moabitarū, & habitatores excelsorum Arnon*, magis ac magis occupans terram Moabitarū. *Væ tibi Moab*, quam misera facta es perdēs optimam regni tui partem: *perijsti popule*, ob impotentiam & imbecillitatem idoli tui *Chamos. Dedit* namq; idolū illud *filios eius* nempe Moabitas cultores suos *in fugā & filias in captiuitatem*, nō valens succurrere eis, qui in ipsum cōfidebāt, quominus traderētur *regi Amorrhæorum Sehon. Iugum ipsorū*, at dominiū, quod Moabitæ habebant, *disperijt ab Hesebon vsq; Dibon*: nec mirum id est, quia Moabitæ qui terram istam defendere debebāt, *lassi peruenerunt in Nophe, & vsq; Medaba.* Vnde tota illa pars regni Moab, quæ continet Hesebon, Dibon, Nophe, & Medaba transijt iure belli in regnū Amorrhæorū, & ob hāc causam occupata est ab Hebræis. *Habitauit itaq; Israel in terra*, quæ fuerat regis Moab, eo quod modo erat *Amorrhæi.* C.
Misitq; Moyses postquam occupauerat regnum Sehō Israelitas aliquos, *qui explorarent Iazer* vrbē alterius regis Amorrhæorū nomine Og, *cuius ceperunt viculos*, seu rura quædam non murata, *& possederunt habitatores*, & postea occiderunt: facile enim potuerunt exploratores missi à Moyse capere eiusmodi suburbana, & redactis in ipsorum potestatē habitatoribus illos interficere, prout ex Dei mandato occidere tenebantur. † *Verteruntque se* vniuersi Israelitæ regressis exploratoribus, *& ascenderunt per viam* quæ ducit ad prouinciam, seu regnū *Basan: & occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai*, quæ erat vna ex præcipuis vrbibus regni sui. *Dixitque Dominus ad Moysen, Ne timeas eū, quia in manu tua tradidi illum* in æternitate mea, qua disposui regem hunc infallibiliter tibi tradere *& omnem populum, ac terrā eius faciesque illi, sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebō*: quod procul dubio futurum tibi denuncio, vt huius rei narratione populum valeas ad pugnam corroborare. *Percusserunt igitur & hunc cum filijs suis, vniuersumque populum eius vsque ad internecionem*, nemini prorsus parcentes, *& possederunt terram illius*, cuius vna pars contigit postea tribui Gad alia verò dimidiæ tribui Manassē.

† *Deut. 3. a. 3. & 29. b. 7.*

ANNOTATIONES IN CAPVT XXI.

I. AVDISSET Chananæus.] Quis nam sit iste Chananæus, & quod eius terra non pertineat ad terram Chanaan promissam Israelitis, ostendimus supra capite quarto decimo annotatione quinta.

II. *Israelitæ in deserto quinquies adierunt terminos maris rubri.*

QVAE Ducit ad mare rubrum.] Non est intelligendum, quod redierint Israelitæ ad illam partem maris rubri, perquam transierunt in exitu de AEgypto, sed est mare rubrum diffusum per deserta Arabiæ, per quæ nunc trāsibant Iudæi, & flectitur ad multas partes modo fluuiorum, qui non recto itinere procedunt: ideo multotiens accesserunt Iudæi circa mare rubrum scilicet primo quando transierunt illud Exodi capit. 14. Iterum autem quando steterūt in mansione Elim: progressi inde fixerūt castra super mare rubrum, & istud fuit inter desertū Sin & mâsionē Elim, vt dicitur infra cap. 33. Iterum steterunt iuxta mare rubrum quando recesserunt de Cadesbarne, de quo supra cap. 14. Quarto steterunt apud illud nunc, quando circuibant terram Edom, vt patet hic, & Deuteron. cap. 2. Quinto manserunt apud illud circa mortem Moysi cum incepit exponere legem Deuteron. cap. 1. Hoc autem non contingebat nisi per varias circumlocutiones maris illius

ANI.

III. *Manna habuit triplex genus saporis.*

ANima nostra iam nauseat.] Triplex genus saporis attribuitur in sacris literis mannę. Primus fuit sapor naturalis, secundus artificialis: tertius verò supernaturalis. De primo dicitur Exodi cap. 16. quod erat quasi semen coriādri albū, gustusq; eius quasi similæ cū melle. Quia manna quamuis miraculose angelorum ministerio fuerit confectū; nihilominus suum naturalē saporem habebat, qui ad instar saporis panis misti melle immutabat gustum. De sapore artificiali legitur Numer. cap. 11. Circuibatque populus, & colligens illud frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. Calore enim ignis & ex industria coquorum, amittebat māna naturalem saporem & adquirebat alium. De tertio sapore habetur Sapien. cap. 16. Paratum panē de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur. Hucusque sunt verba sapientis, in quibus significatur Manna accōmodari appetitui vniuscuiusque: quia tamē hoc non proueniebat ex naturali sapore ipsius mannæ, neque ex artificiali, asserendum est id supernaturaliter factum fuisse ad ostensionem diuinæ dulcedinis & pietatis, quam Deus in filios habet. Vnde non omnes percipiebant saporem istum supernaturalem, sicut percipiebant naturalem & artificialem; de hoc enim sapore non fastidirent, cum variatio saporis fastidium tollat; sed qui dignē accedebant ad sumptionem cibi istius, illis dumtaxat conuertebatur in omnis saporis suauitatem. Sed dices: Ergo si iusti soli percipiebant pluralitatem saporum mannæ, poterat vnusquisque Iudæorum scire an esset in gratia necne per hoc, quod apprehenderet vel non apprehenderet diuersitatem saporum mannæ. Respondeo, quòd ad percipiendū sapores mannæ diuersos, non erat necessarium esse in gratia; sed conari quantum in se erat ad hoc, vt essent in gratia dolentes de peccatis cōmissis cum proposito non peccandi; ita vt non haberent conscientiam alicuius peccati mortalis, de quo non pœniterent: cum tali enim dispositione, quamuis reuera non essent in gratia, comedentes percepissent sapores supernaturaliter causatos. Ex quibus sequitur, mirum non esse, quòd murmuratores nausearent super māna, quandoquidem non percipiebant nisi naturalem & artificialem ipsius saporem, quorum vterque ad nauseam facile incitare poterat; sed hoc ex ipsorum murmuratorum culpa proueniebat nolentium se disponere ad esum cœlestis cibi.

Tertium saporem mānæ solum percipiebāt qui conabātur ad iustitiā.

IIII. *Serpens æneus fuit figura maxime incarnationis & passionis Christi.*

FECIT ergo Moyses serpentem æneum.] Quia Christus Dominus Ioann. cap. 3. proposuit serpentem istum, quasi indicem magis expressiuum aduentus sui, quàm fuerit aliqua alia figura veteris testamenti, idcirco operæ pretium duxi singulas huius figuræ partes exponere. Sensus enim spiritualis in scriptura traditus vim habet sensus literalis: & ex eo efficax argumentum delumi potest, vt docent expositores D. Thom. 1. par. quæst. 1. art. 10. Primo igitur in isto serpente æneo Christi incarnatio exprimitur: serpens enim iste apparebat, & similis erat serpenti, sed verè non erat; quia Christus sumpsit carnem in similitudinem peccatoris, tamen reuera non erat peccator ad Philipp. 2. In similitudinem hominum factus, non quòd non esset verus homo, vt mentitus est Manichæus, sed quòd apparebat homo peccator similis alijs, cum non esset. Quod Roma 8. apertius dictum est: Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati: eius igitur incarnatio in serpente significatur, vt adnotat etiam Cyrill. lib. 2. cap. 50. Secundo significatur eius incarnationis modus: serpens hic igne conflatus est, ob id in Hebræo dicitur non æneus, sed ignitus; ponitur enim nomen Scharaph, quasi igneus: sic Christus de Spiritu Sancto conceptus, qui ignis dicitur. Tertio eius mors & passio indicantur; serpens enim iste exaltatus est in ligno; quod factum est, vt faciliùs, & à pluribus veneno infectis videri posset; sic Christus exaltatus est in Cruce: crucifixio enim eius sæpe exaltationis vocabulo nominata est, Ioann. 12. Ego si exaltatus fuero à terra Ioan. 5. Cum exaltaueritis Filium hominis. Et hanc significationem notat August. lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 32. Quarto exprimitur causa aduentus & mortis: is enim serpens æneus conflatus & exaltatus est, vt morsu serpentum ignitorum Saucij sanarentur: sic Christus carnem sumpsit, mori voluit propter peccata hominum, vt à peccatis homines liberarentur. Quinto exprimitur fructus: qui aspiciebant serpentem sanabantur, qui nolebant aspicere, peribant: sic qui in Christum hominem crucifixum credunt, liberantur à peccatis, & vitam habent æternam; qui verò non credunt pereūt: Mar. vlt. Qui crediderit, saluus erit: qui non crediderit, condemnabitur. Sexto significatur efficacia. Vnus hic serpens ad salutem multorum à varijs serpentibus sauciatorum positus est, & tam qui prope, quàm qui procul, tam qui ab vna parte, quàm qui ab altera aspiciebant sanabantur. Sic Christus vnus in salutem omnium varijs infectorum peccatis per fidem est constitutus. Roman. cap. 10. Christus ad iustitiam omni credenti: & tam patres antiqui à principio mundi, quàm qui nunc, & qui futuris erunt temporibus in hoc nomine salutem habent. Septimo morbi qualitas exprimitur: à serpente enim erant illi tacti, erant autem serpentes igniti, sic appellati quia morsu suo vehementissimum calorem corpora consumentem efficiebant, ita serpens dæmon peccatum induxit, quod ignis est consumens spiritualia bona, & sitim rerum excitans terrenarum. Octauo qualitas ostenditur sanitatis: nam morte vitam, contrarium contrario effecit; sic per æneum serpentem dedit sanitatem. Dicit enim Rabbi Dauid Kimki in libro radicum,

 & testi-

& testimonio sapientum cõprobat, tactis morsu serpentũ, aspectũ æris candentis causam potius esse mortis. In quo miraculi vis enituit; quod enim causa mortis erat, id profuit ad salutẽ. Nono hic serpẽs dictus est poni in signũ: vox enim Hebræa Nes signum seu vexillum significat: sic Christi Crux vexillum est Christianorum erectum contra acies inimicorum dæmonum, & tale futurum vexillum prædictum est Isai. 5. Eleuabit signum in nationibus procul. Ierem. 4. Leuate signum in Sion. De hoc Luc. 1. Positus est in signum cui contradicetur. Denique causa mortis Christi tam ex parte Dei, quàm ex parte hominum designatur: ex parte quidem Dei, nam præcepto Domini erectus est serpens, quia Patris voluntate verbum carnẽ assumpsit, & homo factus Patris præcepto mortẽ Crucis pro nostra salute subijt. Ex parte etiam hominum causa non tacetur: Moyses enim ponens serpentem pro signo, Iudæorum populum repræsentauit, à quibus exaltatus est Christus, & crucifixus, quod Ioan. 5. Dominus apertè dixit: Cũ exaltaueritis filiũ hominis; tũc cognoscetis, quia ego sum. Idque in huius mundi deserto, sicut & serpens iste conflatus, & erectus est in deserto. Ex quibus omnibus liquet ob quã causam dixerit Moyses Deu. cap. 33. Deũ ortũ fuisse Iudæis in Seir, nẽpe quia in mansione ista tertiadecima, quã perfecit populus circumiens terrã Edom, Deus secundùm quod erat carnẽ assumpturus apparuit Israelitis in illo serpente æneo; non secus atq; sub figura nubis, & lucis apparuerat in monte Sinai, & in monte Pharan: quarum quoque apparitionum ibidem meminit Moyses.

V. *Liber bellorũ Domini, est prouidentia, qua De⁹ statuit conferre Israelitis terrã promissionis in manu forti.*

IN libro bellorũ Domini.] Mirũ est quã multa fingũt Rabbini ad explicandũ locum istũ, quorum plurima referũt, & plusquàm par est amplectuntur Abulensis & Lyranus. Nobis tamen cõmodius visum est eius expositionem petere ab alijs sacræ scripturæ testimonijs; in quibus simili verborũ tenore loqui videtur Spiritus sanctus. Existimo ergo quòd sicut Psal. 68. & Apocal. 20. & 21. vocatur liber vitæ, vel liber viuentiũ notitia Dei, qua prædestinauit ad vitã, quos præsciuit, vt docet Cassiodorus super illud Psal. 68. Deleantur de libro viuentiũ; & D. Tho. 1. p. q. 24. ar. 1. eo quòd sicut scriptura libri est signũ eorũ, quæ fienda sunt, ita Dei notitia est quoddã signũ apud ipsum eorũ, qui sunt perducendi ad vitã æternã, iuxta illud 2. Timoth. 2. Nouit Dominus, qui sunt eius. Ita similiter vocat hic Moyses librum bellorum Domini notitiam approbationis, qua Deus præordinauit introducere populum suum in terram promissionis in manu forti, concedendo victoriæ palmã Israelitis in bellis, quæ inire eos oportebat cũ habitatoribus terræ. Nã sicut in libro materiali cũ quadã firmitate res scribuntur; ita omnia gesta à belligerantibus, quasi in libro bellorũ Domini, tenentur in diuina notitia. Cuius hoc in loco meminit Moyses, & prophetice citat particulam huius diuinæ ordinationis denũtians populo decreuisse Deum introducere Hebræos in terram promissionis non minori potentia ea, quã ostendit educens illos de AEgypto per mare Rubrum. Facit autem mentionem Moyses huius diuini decreti, quia ab hoc loco incipit enarrare possessionem & ingressum populi Israel in terram promissionis.

VI. *In, pro circa vel coram.*

IN vertice Phasga.] In hoc loco, & in pluribus alijs sacræ scripturæ testimonijs præpositio, in, stat pro circa vel corã: vt ostẽdimus super cap. 8. Leuit. Annota. 3. Vnde vallem, seu campestria Moab esse in vertice Phasga, nihil aliud significat, quàm mansionem illam existere coram eiusmodi vertice. Mansionis autẽ Cãpestriũ Moab, meminit hic scriptura per anticipationem; non enim adierunt illam Israelitæ nisi post debellatos Sehõ & Og reges Amorrhæorum: erant namque campestria Moab in parte illa regni Sehon, quam ipse abstulerat à Moabitis, vt in præsenti capite dicitur. Vnde quando Israelitæ petierunt campestria Moab, iam erant in possessione terræ sibi diuinitus promissæ vltra Iordanem.

VII. *Percutere in ore gladij pro magna quadam & vniuersali strage.*

IN ore gladij.] De hac locutione meminimus superius cap. 17. Exodi Annot. 4. vbi ex hoc capite ostendimus idẽ esse percutere in ore gladij, quòd percutere vsq; ad internecionem. Quod hac ratione colligi potest: quia Moyses fecit Og regi Basan, prout fecerat Sehon regi Amorrhæorũ; vt habetur in hoc eodẽ capite; ergo dicẽs scriptura, quòd Sehon fuit percussus in ore gladij, & Og vsque ad internecionẽ, procul dubio insinuat idem esse percutere in ore gladij, & vsque ad internecionem. Quibus dicendi modis significatur magna quædam strages, & vniuersalis interitus. Nũquã enim idioma Hebraicũ cõsueuit dicere de vno, vel paucis hominibus, quod interierint in ore gladij.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXII.

¶ Balac rex Moab timore perculsus misit nuncios ad Balaam ariolum, vt veniret ad maledicendum Israelem, qua veniente occurrit ei Angelus in via. Pauet asina cui Balaam insidebat, ad conspectum Angeli, ob quam causam diuertit de via, pedem arioli conterit, ac in terram cadit: & in confusionem domini sui illam crudeliter percutientis, asina loquitur Angelus præterea ariolum

Digitized by Google

lum reprehendit, cui tamen permisit in Moab tendere, vbi à Rege Balac honorifice exceptus in locum excelsum deducitur, vnde pars castrorum Israelis commode contemplabatur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXII.

PROFECTIQVE Filij Israel de Helmon de Blathaim, vel de montibus Abarim, ex quibus mãsionibus debellauerãt Sehõ & Og Reges Amorrhæorum, *castrametati sunt in campestribus Moab*, perficientes quadragesimam secundam mã sionem, & vltimam deserti, *vbi trans Iordanem Iericho sita est*, inter mansionem enim istam & Iericho, quæ prima ciuitas est plagæ orientalis terræ Chanaan, nihil aliud mediat, nisi fluuius Iordanis. † *Videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat*
Iosue 24 b.9. *Israel Amorrhæo, &* quam facile expugnasset Regem Sehon, qui potentior semper extiterat Moabitis, quorum non minimã regni partem bellando adquisierat, contẽplatus etiam in Israele, *quod pertimuissent eum Moabitæ*, taliter, quod si ab illo inuaderentur, vincendi necessario essent, *& impetum eius ferre non possent*, nec vlla ratione defendi: ob hanc causam, cum vehementi animi stupore & desperatione, *dixit ad maiores natu Madian*, qui vicini erant ipsis Moabitis, & non minus, quam isti expectebant Israelis interitum, inquiens: *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur*, non sicut ouis, vel capra, quæ herbarum summitates decerpunt, & tamen multum de herbis dimittunt: sed *quomodo solet bos herbas, vsque ad radices carpere*: alij enim reges gentes, quas bellando vincunt, accipiunt in sua potestate, earumque tributis, ac seruitute sunt contenti. Hebræi verò omnes occidunt. *Ipse erat eo tempore rex in Moab*: quia enim Balac filius Sephor Rex erat Moabitarum, id circo cum Madianitis sibi fœderatis de remedio agebat. Quorum consilio permotus fuit ad hoc, vt negotium, quod armis perficere non valebat, videlicet Israelitarum interitum subsidijs magicis & ariolorum maleficijs intentaret. *Misit ergo nuncios*, tam ex Madianitis, quam ex Moabitis *ad Balaã filium Beor ariolum*, quendam insignem de genere Chaldæorum, *qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon*, nempe in Mesopotamia Syriæ, vbi adest pars superior fluuij Euphratis prius Mesopotamiam postea terram Ammonitarum irrigantis, *vt vocarent eum, & dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui* tanta est homi num multitudine præditus, quod quasi B.
operuit superficiem terræ; & fixit tentoria in extremitate regni mei, *sedens contra me* dirigit enim acies suas, & disponit se ad me debellandum: *Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est, si quomodo*, quando non possunt bellando, saltim opere magico mediante maledictione tua *possim percutere, & eijcere eum de terra mea*, in cuius finibus modo castrametatur, *noui enim, quod benedictus sit*, bonaque cum effectu consequatur, *is cui benedixeris*, annunciando illi bona & prædicendo: noui quoque quod *& maledictus* sit, malaq; eueniant illi, *in quem maledicta congesseris*, vel prænunciando, vel imprecando, quod nequaquam contingeret, nisi tàm ad euentum boni, quam ad euentum mali aliquam haberes occultam potestatẽ. *Perrexeruntque seniores Moab, & maiores natu Madian*, qui vtriusque regni erant proceres, I.
habentes diuinationis pretium in manibus ne forte ob timorem, quod sibi merces à potẽti regẽ denegaretur, venire recusaret. *Cumque venissent ad Balaam* habitantem in Aram Mesopotamiæ, *& narrassent ei omnia verba Balac, ille respondit: Manete hic nocte, & respondebo quidquid mihi dixerit Dominus.* Balaam enim quamuis ariolus esset, ac moribus pessimus, erat nihilominus verus propheta, & auditor sermonum Dei: ob quam causam fecit, vt nuntij Balac expectarent Domini responsum. *Manentibus illis apud Balaam, venit Deus* C.
& imprimendo species in illius phantasia, vel per medium angeli in aëre verba formando, vna cum maxima illustrationis certitudine, *ait ad eum. Quid sibi volunt homines isti apud te?* Interrogauit autem de re, quam ipse optime nouerat ad excitandum in propheta maiorem animi attentionem. *Respõdit, Balac filius Sephor Rex Moabitarũ*

 misit

misit ad me dicens: Ecce populus, qui egressus est de Aegypto, operuit superficiem terræ: veni, & maledic ei, si quo modo possim pugnans expellere à me & quasi *abigere eum. Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque* etiam ex hoc loco, in quo consistis *maledicas populo, quia benedictus est*, tam prædictione, quam actuali obtentione innumerabilium bonorum. Quamuis enim maledictio tua, quam ex obseruationibus magicæ artis præstare posses, nullatenus nocere valeat Israelitis, cæterum illius occasione mouerentur Moabitæ ad pugnandum contra populum meum, quod fieri nulla ratione debet. *Qui mane consurgens dixit ad principes, Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscũ:* quamuis ex parte mea id nequaquam recusassem. *Reuersi principes dixerunt ad Balac. Noluit Balaam venire nobiscum. Rursum ille* cogitans si forte, quia perpauci erant legati, vel quia parũ nobiles, idcirco Balaã venire recusauerat, *multo plures & nobiliores, quam antea miserat misit*, vt etiam eorũ
D. persuasione efficacius ad veniendum induceretur. *Qui cum venissent ad Balaam dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor. Ne cuncteris venire ad me*: in stipendium enim laboris tui *paratus sum honorare te*; dum magno cum apparatu suscipiam, magnaque reuerentiæ signa exhibeam, *& quidquid volueris dabo tibi*, quod deuicto hoc, ditissimo populo facile præstare potero: *veni,*
† Inf. 24 c. 13. *& maledic populo isti. Respondit Balaam:* † *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri*, quod certè ipse facere non poterit; nihilominus *ego non potero immutare verbum Domini Dei mei*, neque ad id vlla ratione inducar, *vt vel plus, vel minus loquar*, quam Deus me loquuturum præscripserit. *Obsecro, vt hic maneatis etiam hac nocte*, vt iterum consulam Dominum, *& scire queã, quid mihi rursum respondeat Dominus*, quia saltem propter improbitatem permittet me abire vobiscum. *Venit ergo Deus ad Balaam nocte &* loquens prout prius fuerat Locutus, *ait ei. Si*, vel eo quod tam pertinaciter, & cum tanta improbitate *vocare te venerunt homines isti, sur-*
II. *ge, & vade cum eis*; id enim permittere statui, *ita dumtaxat, vt quod tibi præcepero, facias*: quia cum hac limitatione, & modo conceditur tibi facultas eundi. Vnde ex profectione tua non consequetur Balac intentum suum. *Surrexit Balaam mane cum* maxima animi promptitudine, eo quod ipse nimis desiderabat ire in Moab turpis lucri gratia, & *strata asina sua profectus est cum eis*, habẽs in animo maledicere Israelẽ
ac regi Balac morem genere. † *Et iratus est* † 2. Pet. 2. c. 15.
Deus ob animi peruersitatem; qua Balaam tendebat in Moab. *Stetitque angelus Domini in via contra Balaam*, vt in assumpto corpore formato ex aere, se terribilem ostẽderet, formidinemque incuteret ipsi Balaã, *qui insidebat asinæ, &* ob illius tarditatem, vel alia ex causa seiunxerat se ab alijs comi-
tibus; tantumque *duos pueros habebat secũ.* E.
Cernens igitur adhuc à longe *asina angelum stantem in via* lata, qua erat transeundum, & quod esset *euaginato gladio*, quasi paratus ad percutiendum, *auertit se de itinere &* nolens tendere in locum vbi angelus erat, *ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere*, eo quod non intuebatur angelum, quem asina fugiebat. *stetit angelus* dimisso loco, vbi prius steterat & constituit se, *in angustijs duarum maceriarum*, seu parietum, *quibus vineæ cingebantur*, occupans medium itineris, vt pedetentim abeuntem terreret, & ad cor reduceret. *Quem videns asina*, volens recedere ab eo versus alterum semitæ latus, *iunxit se parieti, & attriuit sedentis pedem* inter parietem & asinam compressum. *At ille iterum verberabat eam*, impatienter sustinens pedis contritionem: *& nihilominus angelus ad locum angustum transiens, vbi nec ad dexteram, nec ad sinistram* viæ, qua tendebatur, *poterat deuitare* asina, prout semel atque iterum deuiauerat, *obuium stetit. Cumq; vidisset asina stantem angelum*, sibi valde terribilem, in tantum timuit, vt non potens consistere pedibus in terram rueret; sicque *concidit sub pedibus sedentis. Qui iratus vehementius*, & grauius, quam primo & secundo percusserat, *cædebat fuste latera eius. Aperuitque Dominus os asinæ*, ministerio Angeli mouentis linguam asinæ, non ita vt illa intelligeret verba à se formanda, sed ad modum psitaci seu serpentis existentis in paradiso, *& locu-*
ta est, 3. non quidem exprimendo propriũ III.
conceptum, sed formando exteriorem verborum sonitum, qui talis erat. *Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertio? Respondit Balaam*, neutiquam pauescens asinæ loquelam, forte quia consuetudinem habe-
bat maleficis artibus facere, vt animalia lo- F.
querentur; dixitque: *Quia commeruisti, & illusi-*

illusisti mihi, obedire recusans, & me contẽnens, ideo te fustibus cecidi: neq; ijs sum contentus, sed *vtinam haberẽ gladium, vt te percuterem*. Ob nimiam enim furoris excandescentiam cum asina, quasi cum anima li ratione prædito Balaam loquebatur. *Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti, vsque in præsentẽ diẽ?* Cum igitur hactenus nunquam fecerim aliquid simile his, quæ modo operata sum, certe coniectare deberes me non ad illudendum, seu ex praua inclinatione, sed ab alio compulsam id fecisse: cuius rei te ipsum iudicem constituo; *dic quid simile vnquam fecerim tibi? At ille ait: Nunquam. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam*, *&* præbens illi facultatem ad conspiciendum quæ prius sibi fuerant occulta, *vidit angelum stantem* 4 *in via euaginato gladio*, quasi ipsum inuadere volentem; quem vt placaret subito corruit, *adorauitque eum pronus in terrã*, magnũ ei reuerentiæ exhibẽs signũ. *Cui angelus: Cur inquit, tertio verberas asinam tuam*, non consulus crudelitatis, quam circa subiugale animal exerces: *Ego veni vt aduersarer tibi*, obexque essem itineris tui; *quia peruersa est via tua*, à recta intentione deficiens, *mihique contraria*: qui neutiquam voluissem, vt tenderes in Moab, *& nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti*, & id faciens alijs laborum gneribus te corripuisset, pedem attriuisset, ac in terram proiecisset, ego profecto *te occidissem*, *& illa viueret*: cæterum ex Dei misericordia euenit, vt mors corporalis, quam modo merebaris, in ærũnas, quas insidens asinæ perpessus es commutaretur. *Dixit Balaam: Peccaui*, ter percutiens asinam, id tamen ignoranter feci, *nesciens quod tu stares contra me*: alioquin non compulissem asinam ad transeundum per locũ, in quo tu eras, sed continuo de via fuissem regressus: *& nunc si displicet tibi, vt vadam, reuertar*. Satis superque constare debuisset prophetæ, quod Deo displiceret via illius, tamen ob peruersitatem animi, & nimium eundi in Moab desiderium, rẽ certam sub dubio proponebat: & idcirco in sui perniciem permissus est vlterius progredi. Etenim audita imprudenti verborũ oblatione, *Ait angelus: Vade cum istis*, si tibi placet, id enim tibi permittitur, *& caue ne aliud, quam præcepero tibi, loquaris*, si nõ vis vt statim gladio isto te interficiam. *Iuit igitur cum principibus* Moabitarum & Madianitarum, qui eum ad vocandum venerant. *Quod cum audisset Balac*, ex relatione nuntiorum præcurrentium, *egressus est in occursum eius in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon*, versus Amorrhæos; Balaam enim veniebat per viã Bosor pertransiens terram Amorrhæorũ. Deuenit autem in eum locum Balac, tum ad honorandum Balaam, vt sic magis eum demulceret ad maledicendum Iudæis, tum etiam vt proximior fieret castris Israelitarum, quibus inferri volebat maledictionẽ. C. *Dixitque ad Balaam: Misi nuncios, vt vocarem te, cur nõ statim venisti ad me? an quia mercedem aduentui tuo reddere nequeo? Cui ille respondit: Ecce adsum*, & tamen forsitan aduentus meus nihil tibi proficiet, vnde non est mirum, quòd illum distulerim: *nunquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* quorsum igitur vocas me ad certum & determinatam effectum, nempe ad maledicendum Hebræos? *Perrexerũt ergo simul & venerunt in vrbem, quæ in extremis regni eius finibus erat*, transeũtes per extremitatem regni Moab, vsque ad ciuitatem quandam, quæ erat iuxta mansionem, in qua erant tunc Israelitæ. *Cumq; occidisset Balac boues & oues* fecit grandia conuiuia in honorem aduentus arioli, ac *misit ad Balaam, & principes, qui cum eo erant munera* ex eisdem bobus & ouibus, quas occiderat. *Mane autem facto* Rex Balac, tanquam solicitus ad id, quod intendebat, *duxit eum ad montana* quædam *excelsa Baal*, vbi fanum erat huic idolo dicatum, *& intuitus est extremam partem populi* Israelitici; ex loco enim excelso pars illa commode contemplari poterat.

IIII. (margin, beside "quæ prius sibi fuerant occulta")

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

I. *Maiores natu dupliciter* — *Sumitur in sacris literis.*

MAIORES Natu.] Seniores, seu maiores natu dupliciter dicuntur in sacris literis: vno modo, qui alios ætate vitæque diuturnitate præcedunt: alio vero modo vocari solent maiores natu, vel seniores illi, qui de meliori genere, vel melioribus natalibus originem ducunt, & in hoc secundo sensu sumuntur dictiones istæ in præsenti, vnde ijdem ipsi, qui hoc in loco vocantur seniores Moab & maiores natu Madian, inferius appellantur principes

cipes, cum subditur: Qui mane consurgens dixit ad principes. Et parum postea. Reuersi principes dixerunt.

II. *Si pro, quia, seu siquidē.* SI vocare te.] Coniunctio si, tam in sacris literis, quam in profanis ponitur plerumque pro quia seu siquidem: vt quandum attinet ad profanos autores probat quam plurimis testimonijs Ambrosius Calepinus in dictionario. Sacrarum etiam literarum exempla sunt non pauca; insigne est illud Prouerb 21. Si sectetur sapiētem, sumet scientiam. In hoc igitur sensu sumitur in præsenti coniunctio si, quando dicitur: si vocare te venerunt, surge & vade cum eis. Quasi dicat: Quandoquidem cum tanta pertinacia veniunt ad vocandum te Moabitæ, & Madianitæ, permitto tibi, vt eas cum eis, cuius societas futura est illis ad maximam perniciem. Si enim non iuisset Balaam, ne quaquam consuluisset fornicationem Moabitarum & Madianitarum mulierum cum Iudæis, atque adeo neque deleti fuissent Madianitæ, cum Iudæi nō essent eorum terram habitaturi: vt constat inferius capitulo trigesimo secundo, & Deuteronom. capitulo tertio. Et Moabitæ ob hanc causam prohibiti sunt intrare Ecclesiam Domini; vt habetur Deut. 23.

III. *In locutione asinæ Balaā nullū extitit miraculum.* ET locuta est.] Posset aliquis existimare circa hanc asinam aliquod fuisse operatum miraculum, vel in eo quod angelum conspexit, quem Balaā non videbat, vel in eo quod locuta est. Cæterum probabilius credo, in nullo istorum extitisse miraculum. Etenim quantum ad primum, angelis saltem bonis possibile est, etiam seruato rerum naturali cursu, assumere corpora à seipsis formata ex aëre condensato, vel ex alia præiacente materia; quæ corpora, tam à brutis, quam ab hominibus conspici possunt; pertinent enim ad rerum potentiæ visiuæ obiectum: possunt etiam angeli eiusmodi corpora aliquibus occultare apponēdo aliquod impedimentum, quo species intercipiantur, nec desinantur ad oculum, vsque peruenire: Vnde nihil obstat, quo minus naturali rerum ordine seruato, asina videret corpus ab angelo assumptum, illudque non videret Balaam. Similiter in asinæ locutione nullum extitit miraculum, facile enim est angelis (Deo, id permittente) mouere linguas brutorum, gutturisque percussione voces similes verbis formare, prout in serpente, quod in paradiso terrestri fuit instrumentum diabolicæ fraudis diximus contigisse. Sed dices: In quem finem angelus bonus qui omnia facit prudenter, mouit os asinæ ad loquendum? Respondeo, quòd ad prohibendā prophetæ insipientiam: vt ait D. Petrus Epist. 2. cap. 2. inquiens de Balaam. Qui mercedem iniquitatis amauit: correptionem vero habuit suæ vesaniæ: subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. Quæ quidem insipientia potest intelligi quantum ad duo, vel quia contra Dei ordinationem tendebat Balaam ad maledicendum populo Dei; vel quia insipienter & inhumane percutiebat asinam ex appetitu vindictæ contra illud sapientis Prouerb. 12. cap. Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.

IIII. *Conspectus angeli retraxit Balaā ne malediceret Israelem.* VIdit angelum stantem.] Occursus iste angeli existimo in similem finem factum fuisse illi, propter quem angelus occurrit Moysi in diuersorio, quando tendebat in AEgyptum, vt habetur, Exodi quarto capitulo. Sicut enim, vt ibidem diximus, angelus ille motu, & actione, & verbis præ se ferebat, se velle Moysen interficere, vt formidinem, quam de Pharaone habebat, timore maioris periculi expelleret. Ita pariter in præsenti angelus stans in via euaginato gladio, occurrit Balaam, vt timore incusso eum retraheret à maledictione populi Israelitici. Et hinc factum est, vt Balaam pecuniæ alioquin cupidissimus, & maledicendi auidissimus, nūquam auderet aliter loqui, quam ei Dominus præcipiebat, quāuis pluribus, ac diuersis artibus tentaret Israelem maledicere, vt in capite sequenti dicemus.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXIII.

¶ Procurante Balac Rege Moab, vt Balaam malediceret populum Israel, è contrario ipsum benedicit, pluraque illi populo à Deo collata beneficia pronunciat; ob quam causam de loco ad locum ducitur propheta à Rege, vt omni ex parte tentaret Hebræos maledicere. Et quia hoc non profuit intentioni Balac tandem adducit ariolum in verticem montis Phogor, vnde Israelitas maledici posse sperabat: ad idque septem aras representatiuas septem planetarum, quibus sublunaria omnia subduntur: totidem quoque vitulos & arietes, sub prætextu sacrificij præparari præcepit ariolus.

PARA-

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIII.

A.

I. DIXITQVE *Balaam ad Balac, Aedifica mihi hic*, super mõtem istum excelsum *septem aras*, 1 ob huius numeri perfectionem, quo dependentia rerum sublunarium à septem planetis designatur, *& para totidem vitulos; eiusdemq; numeri arietes*, vt sacrificijs, & oblationibus Dei responsa efflagitem. *Cũque fecisset iuxta sermonem Balaam*, constructis aris, & occisis hostijs *imposuerunt simul vitulum & arietem super aram. Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper iuxta holocaustum tuum*, quod tui causa, & sumptibus tuis paratum est, atque in septem aris distributum *donec vadam* ad secretum quendam locum Dominum consulturus, *si forte occurrat mihi Dominus, & quodcumque imperauerit, loquar tibi*. Mentiebatur tamen Balaam nihil enim minus in animo habebat, quam Dominum consulere; quin potius auguria dumtaxat quærere intendebat. *Cumque abijsset velociter* ad locum quendam secretum, vbi absque arbitris posset superstitionibus, ac incantationibus vacare, dæmonesque consulere, *occurrit illi Deus* impediens maleficiorum solitos euentus, seu dæmoniorum apparitiones. *Locutusque ad eum Balaam*, quem in speciei pulchritudine, delectabilique aspectu cognouit, angelum Dei, non dæmonem esse: *Septem, inquit, aras erexi, &* in vnaquaque earum ad honorem & gloriam nominis tui, *imposui vitulum & arietem desuper*: timore enim perculsus, arasque superstitiose erexerat, in honorem Dei dicatas esse finxit. *Dominus autem posuit verbum in ore eius, &* suggerens ei, quod respondere deberet, *ait: Reuertere ad Balac, &* dimissa dæmonum consultatione, *hæc loqueris*, quæ indicaui tibi. *Reuersus inuenit stantem Balac iuxta holocaustum suum*, prout sibi Balaam imperauerat; extitit namque immotus Balac eo fine, ne forte ob prætermissam aliquam ceremoniam, maledictio, quam intendebat, impediretur: inuenit quoque Balaam, *& omnes principes Moabitarum* concomitantes regem suum: *assumptaque parabola sua*, 2

II. seu sermone prophetico, qui ænigmatibus solet esse præditus, *ait: De Aram*, Mesopotamiæ † Syriæ *adduxit me Balac rex Moabitarum, de* loco, inquam; qui est ad plagam orientalem, seu in *montibus orientis: veni, inquit, & maledic Iacob*: & iterum missis alijs nuncijs ait: *Propera, & detestare Israel*, populorum scilicet tam nobili ortum parente, qualis fuit Iacob, seu Israel. Cæterum hac in re quid ego facere queo? *Quomodo maledicam*, vel quidpiam mali inferam, ei, *cui non maledixit Deus? Qua ratione detester*, seu detestari potero illum, *quem Dominus non detestatur*, nec per abominationem priuat aliquo bono? *De summis silicibus*, excelsorum Baal, gaudens & lætus *videbo eum*, pulcherrime in castris dispositum, *& de collibus*, in quibus modo existo *considerabo illum* summa cum voluptate. *Populus solus habitabit*, sub specialibus legibus ac ritibus, *& inter gentes non reputabitur*, sed in cultu vnius Dei segregatus à gentilibus idololatris vitam aget. *Quis dinumerare possit puluerem Iacob* huiusque populi carnalem multitudinem, *& nosse numerum* spiritualiter generandum à Christo alumno nobilissimo *stirpis Israel?* proculdubio nullus hominum id præstare poterit: quamuis Deo id minime lateat. *Moriatur anima mea*, seu ò vtinam moriar ego, *morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia*, vt sicut isti in gratia Dei decedunt, & vitam æternam consecuturi sunt, ita & mihi eueniat. *Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod agis?* Miror enim rem tam inopinatã. *Vt malediceres inimicis meis vocaui te: & tu è contrario benedicis eis*, ingentia ipsis bona exoptans, ac prænuncians. *Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod* voluntate absoluta, & efficaci *iusserit Dominus? Dixit ergo Balac. Veni mecum in alterum locum, vnde partem Israel* aliam, & distinctam ab ea, quam hucusque conspexisti, *vi-deas, & totum videre non possis*: forsitan enim non vult Deus, vt pars illa, quam intuitus es, maledictioni sit obnoxia, quamuis residuum populi maledicatur: idcirco *inde maledicite ei*. Existimabat enim Balac multum interesse ad maledictionem superstitiosam, quam expetebat, vt pars populi maledicenda videretur, & quod non maledicenda non videretur: ob quam causam, nunc in vnum locum, nunc in alium ariolum deducebat. *Cumque duxisset eum in locum sublimem*, B.

† Deut. 23. a. 4.

super

super verticem montis Phasga aedificauit Balaam, prout prius fecerat, alias *septem aras*, fingens seueris sacrificijs velle veritatem indagare, *& impositis supra singulas aras vitulo atque ariete, dixit ad Balac*, similia verba ijs, quae antea dixerat, videlicet: *Sta hic iuxta holocaustum tuum, donec ego obuiam pergam*. Conabatur enim Balaã augurijs tentare, an Deus sibi permitteret maledicere Israelem. *Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore eius*, suggerens illi ea, quae loqui oportebat, *ait: Reuertere ad Balac: & haec*, quę suggessi tibi *loqueris ei: Reuersus inuenit eum stantem iuxta holocaustum suum*, quod ipse in septem aris parauerat, *& principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac. Quid, inquit, locutus est Dominus? At ille assumpta parabola sua* exorsusque aenigmaticam reuelationem sibi factam, *ait: Sta Balac, & ausculta*, attentoque animo *audi fili Sephor. Non est Deus quasi homo, vt mentiatur* vnum pro alio asserens: *nec vt filius hominis, vt mutetur*. Superfluum est igitur quaerere: quid locutus sit mihi Dominus, quandoquidem id infallibiliter euenturum est, quod Deus praedixit; & illud secundo dicturus erat, quod primo protulerat. *Dixit ergo & non faciet? locutus est, & non implebit?* Minime profecto: sed id ipsum, quod in via mihi dixit, opere exequetur, *ad benedicendum* populum Israeliticum, *adductus sum* à Deo gressus meos dirigente, *benedictionem prohibere non valeo*: neque enim facultatem habeo, ad impediendum bona diuinitus collata Israelitis. *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel*: idolorum namque, seu simulachrorum potentiae facile esset resistere, ac eorum benedictiones prohibere: non tamen talis est Deus Israelis. *Dominus Deus eius cum eo est, &* ob hanc causam tantum populo isti inest virium & fortitudinis, quod iure optimo *clangor victoriae regis in illo* est; tendens enim ad bellum taliter clangit tubis, ac si rex suus victoriam esset consecutus. † *Deus eduxit illum de AEgypto*, & non est mirum, quod id effecerit Deus, etiam reluctantibus AEgyptijs, vt pote *cuius fortitudo similis est rhinocerotis*, praestans in fortitudine dijs gentium, non minus, quam rhinoceros praeualet viribus in caetera animalia. *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel*; nec opus habent Israelitae, his vacare ad sciendum occulta. *Temporibus suis*, & quando conueniens fuerit, *dicetur Iacob & Israeli, quid operatus sit Deus*, & quid facere disposuerit. *Ecce populus* iste Hebraeorum, qui *vt leaena consurget*, ferocitatem leaenae praeseferens in destructionẽ hostium suorum: *& quasi leo erigetur*, impauidus & absque vllo terrore: *non accubabit*, nec cessabit populus iste à pugna, *donec deuoret praedam & accipiat* totam terram, quam accepturus est, imò, & quousque instar leonis *occisorum sanguinem bibat*, non potando, sed cum voluptate effundendo ob diuinum praeceptum, quo Israelitae tenentur gentes à se deuictas interficere. *Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas*, quandoquidem maledictionem, quam Israeli exoptabam praebere non vales. *Et ille ait: Nonne dixi tibi, quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?* non est ergo cur mihi id culpae imputes. *Et ait Balac ad eum. Veni & ducam te ad alium locum* conuenientiorem operationi nostrae: *si forte placeat Deo, vt inde maledicas eis. Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem* campestrium Moab, vbi tunc aderant Israelitae, *dixit ei Balaam: AEdifica mihi hic septem aras* similes prioribus, *& para totidem vitulos, eiusdemque numeri arietes. Fecit Balac, vt Balaam dixerat: imposuitque vitulos & arietes per singulas aras* iuxta ritum, quem superstitiosus ariolus obseruari postulabat.

C. D. III.

† In. 24. b. 8.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

I.

Balaã superstitiose, & in malũ finem erexit septẽ aras.

SEPTEM Aras.] Caietanus existimat, quod non in malum finem construxerit hęc altaria Balaam: cuius ratio est, quia non fuisset ausus ariolus allegare coram vero Deo has aras cum holocaustis, nisi ipsi vero Deo sacrificaret; quae tamen allegat tanquam merita propria dicens inferius. Septem aras erexi, & imposui vitulum & arietem desuper. Caeterum propter fundamentum, tam debile non est recedendum à communi doctorum sententia, quae tenet Balaam in omnibus his altaribus & sacrificijs superstitiose se habuisse, quamuis exterius finxerit, se vero Deo sacrificare voluisse; vnde apparenti sibi Domino mentitus impudẽtissime fuit, insinuans altaria erexisse, & holocausta obtulisse in Dei reuerentiam.

Para-

II. *Parabola idẽ est ac sententia occulta, & accomodari solet prophetiæ.*

PARABOLA Sua.] Si locos scripturæ obseruemus, vbi ponitur Masal, & apud Græcos & Latinos Parabola, semper inuenimus obscuram & figuratam orationem, aliudque significantem, quam primo aspectu videatur designari: vt in hoc capite, & in sequenti videmus in verbis Balaam, & Iob capitulo vigesimo septimo, & vigesimo nono, apud quem verba capitis vigesimi septimi non videntur figurata & allegorica; sed protinus capitulo vigesimo octauo, plenius apparet obscuritas. Inde apud Ezechielem parabola dicitur ænigma capitulo decimo septimo. Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam ad domum Israel. Hæc est autem parabola & hoc ænigma: Aquila grandis magnarum alarum, longo mẽbrorum ductu, plena plumis & varietate venit ad Libanum, & cætera. Hinc Salomonis diuinæ sententiæ parabolæ dictæ sunt, quod aliud seruant in recondito sensu; quam exterius sonare videantur. Hinc parabolæ Euangelicæ, quæ de rebus quotidianis, & communibus videntur esse; sunt autem de cælestibus & absconditis mysterijs, quæ rerum humilium similitudinibus conteguntur. Ideoque parabolis vtebatur Dominus, cum loqui volebat obscurius, Luc. 8. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis; vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Et Matth. 13. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur, quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum. Quod refertur ex Psalm. 77. Ac vt sciremus, quid esset aperire os in parabolis, additur in eodem Psalmo: Loquar propositiones ab initio. Pro quo legunt septuaginta: Eructabo abscondita à constitutione mundi. Habemus ergo ex dictis parabolam idem esse ac sententiam occultam. Et quia vt in plurimũ prophetiæ solent esse abditæ & subobscuræ, id circo nomen parabolæ solet interdum prophetiæ accõmodari; vt in præsenti capite sequenti.

III. *Tripliciter solet Deus reuelare misteria sua*

QVID Operatus sit Deus.] Triplex reperitur modus in lege veteri, sub quorum aliquo manifestabantur Israelitis occulta, quæ eos oportebat scire. Primus fuit rarissimus, quo Deus, vel angelus loquebatur ad totum populum, & proponebat, quid Hebræos facere, vel credere oporteret. Et hoc bis dumtaxat factum esse reperitur. Primo in monte Sinai, cum Deus legem vniuerso populo promulgauit, vt habetur Exodi capitulo vigesimo. Secundo cum post mortem Iosue locutus fuit angelus Domini ad totum Israel increpans eos, quod violassent legem Domini; & prædixit eis mala futura super ipsos: vt patet Iudic. capitulo secundo. Alius modus reuelandi occulta fuit per summum sacerdotem vtentẽ rationali, in quo erant Vrim & Tumim seu doctrina, & veritas ob authoritatem infallibilem ad discernendum dubia, quæ habebat summus sacerdos; iuxta illud Deuteronomio capitulo decimo septimo. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem. De qua infallibili authoritate discernendi veritatem diximus plura supra Exodi capitulo vigesimo octauo, annotatione tertia. Tertius modus agnoscendi occulta fuit per oracula prophetarum. Quos tres modos insinuat Balaam, quando inquit, absque augurio, & diuinatione reuelari Israelitis, quid operatus sit dominus.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXIIII.

¶ *Aggreditur tertio Balaam in conspectu regis Balac benedicere populum Israel, eiusque fortitudinem, & victorias prædicere quod impatienter ferens Balac ab ariolo permulcetur expectatione praui consilij. Ex inde iterum vaticinatur Balaam de aduentu Messiæ, ac de doctrina eius, de Amalecitis quoque & Cinæis, & Assyrijs, ac tandem de Romanis Hebræorum vastatoribus.*

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIIII.

A. C*Vmque vidisset Balaam*, per internam reuelationem animo suo diuinitus impressam, statim postquam disposuit tertia vice aras, & sacrificia, *quod placeret Domino, vt benediceret Israeli*, prænuntiaretque de eo aliqua bona futura, *nequaquam abijt, vt ante perrexerat, vt augurium quæreret*, sciens fru-

straneum

straneum esse velle Hebræis maledicere: *sed dirigens contra desertum* campestrium Moab *vultum suum, & elevans oculos, vidit Israel in tentorijs commorantem*, ordinate, quæ dispositum, ac diuisum *per tribus suas: & irruente in se spiritu Dei*, per influxum luminis prophetici, *assumpta parabola*, similitudinumque & ænigmatum ambage interposita, *ait*, *Dixit Balaã filius Beor, dixit homo, cuius obturatus est oculus*, secundum conditionem propriæ naturæ, secundum quam non plus intelligit, quam cæteri homines verumtamen in ordine gratiæ aliter se habet, cuius ratione *dixit auditor sermonum Dei*, ac vocum, quibus angelus in corpore assumpto ad eum sensibiliter loquitur, & *qui visionem omnipotentis intuitus est*, percipiens intellectuales reuelationes sibi diuinitus immissas, *qui cadit* etiam interdum ab vsu sensuum exteriorum per ecstasim, vel somnum, *& sic aperiuntur oculi eius*, rerumque altissimarum cognitione tribus præfatis modis perficiuntur mentis oculi, qui aliàs à natura erant obturati. *Quam pulchra* rectoque ordine disposita per vexilla & tribus *tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel*, habent quidem se, *vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas*: sicut enim isthæc quatuor quandam præseferunt stabilitatem & perpetuitatem cum pulchritudine, ita etiam multitudo Israel ordinata. *Fluet aqua* sapientiæ diuinæ legis, & doctrinæ cælestis in alias nationes *de situla eius*, futurus est enim in populo isto Messias, qui instar vasis extrahentis aquas de puteo, illasque postmodum in alia vasa effundentis, ita sapientiam de cælo allatam cæteris gentibus communicet, quapropter, *& semen illius*: nempe verbum diuinæ legis à Messia seminandum, siue ipse Messias, qui futurus est de semine Israelis, *erit in aquas multas*, per multarum gentium, ac nationum ad fidem conuersionem. *Tolletur propter Agag rex eius*; nam Saul primus rex Israelis ob inobedientiam, qua contra Dei præceptum omisit occidere Agag regem Amalecitarum, dignitate spoliabitur, B. *& auferetur regnum illius*, dabiturque alteri timenti Deum, nempe Dauidi. *Deus eduxit illum* populum, de quo loquor *de Ægypto*, † *cuius fortitudo*, prout superius dixi, † Su. 23. d. 12. *similis est rhinocerotis*, in excellentia virtutis ac potentiæ. *Deuorabunt* Israelitæ, seu consument *gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis*: nã hostes suos funditus delebunt Hebræi, viribus eorum confractis. *Accubans*, in terra Amorrhæorum, quam possidet, vel in terra Chananæorum, quam possessurus est, *dormiuit vt leo*, cum maxima securitate absq; eo, quod vllius paueat occursum, *& quasi leæna* hostes suos ferociter lanians, *quam suscitare*, seu bello adoriri, *nullus audebit*. *Qui benedixerit tibi*, faustaque fuerit imprecatus, *erit & ipse benedictus*, dum fausta imprecabuntur eidem: *qui maledixerit* te execrando, *in maledictione reputabitur*, [illegible]m erit & ipse exec[illegible]atus. *Iratusque Balac contra Balaam*, eo quod plura bona nũc prænunciauit Iudæis, quam prius prænunciauerat, *complosis manibus* in signum vindictæ, quam exercere intendebat, *ait*. *Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus è contrario tertio benedixisti*: quandoquidem ergo mihi proficere non vales, *reuertere ad locum tuum*: nimis namque molestum mihi est videre te. *Decreueram quidem magnifice honorare te*, eximijs largitionibus: *sed Dominus*, cui benedicens Israelem obedire statuisti, *priuauit te honore dispo[s]ito*, non permittendo tibi, vt maledictionem impenderes. *Respondit Balaam ad Balac. Nonne nuncijs tuis*, quos secunda vice, C. *misisti ad me, dixi* † *Si dederit mihi Balac* † Su. 22. d. 18. *plenam domum suam argenti, & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei*, neque aliqua ratione mouear ad hoc, *vt vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo*, *sed* potius dimisso proprio iudicio & arbitrio, *quidquid Dominus dixerit, hoc* tantummodo *loquar*: *Verumtamen* in gratiam tui, *pergens ad populum meum*, nam quamdiu hic stetero nihil me posse facere credo in Israelitas: hinc tamen egressus deserturum me Dei spiritum existimo: & tunc *dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat* ad eum omnino delendum *extremo tempore*, nempe post discessum meum. *Sumpta igitur parabola* figurisque, & ænig- I. matibus propheticè vtens *rursum ait*: *Dixit Balaan filius Beor: Dixit homo*, *cuius* quantum est ex vi naturali humanæ mentis *obturatus est oculus* ad comprehendendum ea, quæ Dei sunt. *Dixit auditor sermonum Dei, qui* non ex propria inuentione, sed per auditum fidei, vel prophetiæ *nouit doctrinam Altissimi, & visiones*, seu reuelationes supernaturales, *omnipotentis videt*,

videt, percipiēdo eas intellectualiter, & quodāmodo euidēter, *qui cadens* ab vsu sensuum externorum in ecstasi, vel somno, nihilominus *apertos habet oculos* mētis ad discernendū ea, quæ Deus reuelat, ab alijs. *Videbo eum*, a
II. quē modo memini Deū, videlicet, cuius sermones audiui, altissimū, cuius doctrinā noui & omnipotentē cuius visiones cōspexi, *sed non modo* videbo, sed in futuro tēpore, si vita fuerit comes *intuebor illū* oculis corporeis, si vixero, prout intuebūtur reliqui mortales similes mei, *sed non prope*, imò post mille & quingentos annos. Et si scire vultis, quo tēpore Deū. Altissimū omnipotentē intueri potero, & qua ratione inuisibilem poterūt homines videre, id breuiter perstringā
† Matt. 2.a.2. † *ORIETVR STELLA*, quædā noua antea nō visa procedetq; ac mittetur *ex*
III. *Iacob*, 3 *&* de terra illius ad designandum, quod in illa *consurget*, tunc tēporis in natura visibili, per natiuitatē temporalē, qui fit *virga de Israel*, sceptrū, & principatū tenens in populo Iudæorū, cui causa diuinitatis vnitæ humanitati tanta erit virtus, & potentia, quod *& percutiet duces Moab*, sub quorū typo gentiū nationes insinuo *vastabitq; omnes filios Seth*, nēpe populū Iudæorū, idq; perficiet princeps iste, non homines occidendo, sed prauos eorū mores ex parentibus carnalibus cōtractos, destruendo, animasq; in nouū quendā statū deducendo. *Et erit Idumæa*
D. *possessio eius*, ob gentiū conuersionē ad fidē Christi, *hæreditas Seir*, per quā gentes idolorū cultrices intelligo *cedet inimicis suis*, videlicet ipsi Christo, & Apostolis eius, quos tāquā inimicos antea reputabat, *Israel vero* spiritualis deuicta carnalitate vitiorum *fortiter aget*, viribusque magis ac magis præualebit per cōtinuū numeri credentiū incrementū. *De Iacob* eiusq; semine *erit, qui* absolutè, & vniuersaliter *dominetur, & perdat* præcipuè
IIII. semina idolatriæ, ac *reliquias ciuitatis*, 4 cuiusdā insignis, quæ futura est in mūdo princeps idolatrarū, nempe vrbis Romæ, cuius pristinæ conuersationis, ac studij simulacrorum residua funditus delebit, eamque ad sui cultū omnino adducet. *Cumque vidisset Amalec*, hoc est terrā Amalecitarū, quæ ex mōte illo Phogor cōmodè contēplari poterat, *assumens parabolā ait. Principiū gentiū* insurgentiū contra populū Israeliticū egressum de Ægypto fuit *Amalech, cuius extrema perdentur*, per regē Saul, ob istā causam. *Vidit quoq; Cinæū* de progenie Iethro habitantē inter Iudæos, *& assumpta parabola* figuraliter de Cinæis vaticinando *ait: Robustū quidē est habitaculū tuū*, firmissima enim, & quasi inexpugnabilis futura est habitatio, quā ad partē meridianam fortis Iudæ obtinebis in terra promissionis, *sed si in petra posueris nidū tuū*, seu etiā si habeas firmā habitationē, *& fueris electus*, præ omnibus alijs gētilibus, tanquā cognatus Moysi, vt pote *de stirpe Cin* soceri Moysi, nihilominus, *quādiu poteris permanere?* Certe non per longū tēpus. *Assur enim capiet te*. Rex videlicet Assyriorū Salmanassar, qui vna cū decem tribubus Israel ducet captiuā maximā partē Cinæorū, videlicet progeniē Haber Cinæi, quæ separata à reliquis Cinæis † habitatura est in tribu Nephthali. *Assumptaq; parabola*, ac vaticinans de Italis, Assyrijs, & Iudæis, *iterū locutus est: Heu, quis victurus est, quādo ista*, quę modo referam, *faciet Deus*. Etenim maximo afficiētur dolore, qui ea viderint. † *Veniēt in trieribus de Italia*, tot ac tanti milites, quod vi & armis *superabunt Assyrios*, ita vt faciant illos Romanis tributarios, *vastabuntque Hebræos* educēdo eos à proprijs sedibus, in exiliumque sempiternū mittendo, *& ad extremū etiā ipsi peribūt*, nā ante aduentū Antichristi tā bellis ciuilibus, quam tyrannorū oppressionibus desiturū est Romanū imperiū, *Surrexitq; Balaā, & reuersus est in locū suum* nēpe in Mesopotamiā Syriæ, de qua postea accersitus à Madianitis, vna cum ipsis † gladio Hebræorum interijt. *Balac quoque via, qua venerat redijt* in locum suum.

† Iudi. 4.b.11.

† Dan. 11.e.30

† Infra 31.a.8.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIIII.

I. *Extremum seu nouissimum pro eo quod postmodum, succedit.*

EXTREMO tempore.] Si consuetudinē scripturæ obseruemus, quæ diligentissimè vbique obseruanda est, vt recte, quod dicitur intelligamus, videbimus extremum tempus, finem dierum, dies nouissimos, siue tempus nouissimum dici tempus illud, quod id de quo tūc agitur, conjecturum est, siue sit ante tempus Messiæ, siue post, siue sit ipsum tempus Messiæ, siue finis seculi. Quando vero tempus Messiæ, quando alterum significet, tum ex rebus ipsis, tum ex præcedentibus, & sequentibus cognoscendum est. Itaque extremum, seu nouissimum non tam, vt ita loquar superlatiui nominis vim habet in nostra translatione, quam comparatiui, vt ostendimus Genes. cap. 33. annotat. 1. & cap. 49. annotat. 2. Quia ergo scandalum filiorum Israel causatum à mulieribus eleganti forma, quas misit Balac, vt Israelitas amore captos ad suos deos colendos allicerent, futurum erat post discessum Balaam à Moab, ideo optima ratione existens in Moab, potuit dicere id euenturum extremo tempore.

II. *Relatiuum solet propriè, vel impropriè sumi.*

VIDEBO eum.] Relatiuum eũ, siue propriè, siue impropriè sumatur refert Deum ipsum, vel Messiã diuinitate præditum. Si enim propriè sumatur relatiuum referre debet proximum antecedens, si istud cõmodè referri queat, proximum autem antecedens, quod præcessit præsens relatiuum, est Deus, altissimus, & omnipotens, cuius sermones inquit se audiuisse, doctrinam nouisse, visionesque vidisse, cum igitur commodè applicari valeant ea, quæ subsequuntur, ipsi Deo, vt ex Paraphrasi constat, illi, & non alteri referenda sunt. Idipsum asserendum est, si relatiuum, eum, impropriè sit positum im propriè enim staret, si non haberet antecedens, & tunc mos est Sacræ scripturæ designare, per eiusmodi relatiuum positum, sine antecedente rem aliquam maximè excellentem nempe Deũ, vt Thren. cap. 3. Ego vir videns paupertatem in virga indignationis eius, idest, Dei. Et Psal. 113. Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius, scilicet Dei. Et Canticor. cap. 1. Osculetur me osculo oris sui. De qua re legendus est D. August. lib. 1. quæstionũ in Exod q. 11.

III. *Ex præpositio multipliciter sumitur.*

EX Iacob.] Præpositio, ex, triplicẽ sensum retinere potest in præsenti. Potest enim designare locum, vt quando Oseæ. 11. dicitur. Ex Ægypto vocaui filium meum. Idque ad significandum, quod stella, quæ apparere debebat Magis, processura erat a Iudæa in locum, vbi erant Magi, vel saltem, quod oritura erat à parte Iudeæ. Quæ nomine Iacob habitatoris sui significatur, iuxta phrasim in scriptura vsitatam, per quam prouinciæ, & vrbes nomine habitatorum suorum designantur, vt Chanaan, Madian, & Ephá. Secundo potest designare causam efficientem, vt quando dicitur Matth. 1. Genuit Obed ex Ruth, & Genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. Et in hoc sensu significatur stellam, quæ apparuit regibus, fuisse causatam à semine Iacob, vel ab aliquo pertinente ad Iacob; nempe à Christo ipso, qui fuit de semine Iacob, & misit illam, vt adduceret ad se Magos. Tertio potest illud, ex, designare causam finalem, idem significans, quod propter, vt ad Tit. cap. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, idest propter opera iustitiæ. Et secundum hanc rationem insinuatur, stellam illam fuisse ortam propter ipsum Christum, tanquam propter causam finalem. Iuxta hunc igitur triplicem sensum potest commodè explicari locus iste.

IIII. *Prophetia Balã accõmodatur Regi Dauid.*

RELIQVIAS ciuitatis.] Ab illis verbis orietur stella ex Iacob, vsque ad locum istũ, nonnulli interpretantur de Rege Dauid. Et quia eorum interpretatio satis probabilis est, quãuis illa, quæ in Paraphrasi à nobis posita est, longe sit probabilior, placuit hanc quoq; in medium proponere, vt si aliter quam nos iudicauerit, prudens lector, eligat quam maluerit. Dicũt ergo, quod illud, orietur stella ex Iacob, refertur ad Dauid, eo quod ipsi conueniant spiritualiter proprietates stellæ, nẽpe illustratio, & celsitudo scientiæ, & morum. Et quod subditur. Cõsurget virga de Israel, etiã aptatur ipsi Dauid, qui à percussione hostiũ, quã exercuit, & à potestate regia virga vocatur. In verbis subsequẽtibus dicũt prophetare Balaã victorias quas 2. Reg. 8. refertur habuisse regem Dauid de plurimis ac diuersis gentibus hostibus Iudæorum. Quas victorias à Dauide partas recapitulatur dicens, de Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis, idest reliquias multarum ciuitatum per figuram Enallage, qua tam in sacris literis, quam in profanis ponitur singulare pro plurali, vt ostendimus Exodi cap. 4. annotat. 3.

ARGVMENTVM IN CAP. XXV.

¶ Agens populus in Settim fornicatur cum filiabus Moab, dijsque earum initiatur, cuius criminis reos præcipit Deus suspendere in parte castrorum orientali, vltio quoque diuina sæuijt in malefactores, quousq; placatus est Dominus ob zelum Phinees, perfodientis Zambri Hebræum, & Cozbi Madianitidem, eiq; summi sacerdotij perpetuitas in præmium promittitur. Et quia Madianitæ deceperunt filios Israel, iubet eos Dominus hostili gladio percutere.

PARAPHRASIS IN CAPVT. XXV.

A. MORABATVR *autẽ eo tẽpore* quo prędicta ea, quæ modo referam contigerunt *Israel in Settim*, quæ est in cãpestribus Moab prope Iordanẽ, *& fornicatus est populus*

I. adhærẽdo carnaliter puellis, quibusdã Madianitidibus, & luxuriãdo, *cum filiabus Moab, quæ* ad suggestionem Balaã, vt Israelitæ magis redderẽtur Deo exosi, post concubitũ carnalẽ *vocauerunt eos*, ac verbis, & nutibus inuitarũt *ad sacrificia sua*: blãditijs enim ac illecebris delinitos prouocarũt ad comedendũ de idolotitis, & idola, quæ secũ portabãt, adorandũ. *At illi* libidine succensi *comederũt* idolis dicata, *& adorauerũt deos earum.* † *Initiatusq; est Israel*, † Iosu. 23 &quasi per professionẽ dicatus cultui cuiusdã idoli, qui inter idola Moab principẽ locũ tenebat nomine *Beelphegor. Et iratus Dñs ait ad Moysen.* † *Tolle* tecũ atque ad consilium

† Iosu. 23 d. 17. Psa. 105 d. 28. † Deut. 4. a. 3.

II.

llum voca *cunctos principes populi, & eorum* authoritate fulcitus *suspende eos*, a qui initiati sunt Beelphegor *contra solem*, nempe à parte orientali castrorum *in patibulis*, idque in detestationem seperstitionis, qua in idolo illo venerantur solem, quasi hiantem, seu aperientem diem ad operandum, & terram ad germinãdum, *vt auertatur furor meus ab Israel*, sublata per punitionē causa illius, quæ est peccatum. *Dixitque Moyses ad iudices Israel*, quos Dei mãdato ad se vocauerat, & ait. † *Occidat vnusquisque* suspendendo in patibulis ad solis ortum *proximos suos, qui* præuia causæ cognitione, per testium depositionem cōstiterit, quod *initiati sunt Beelphegor. Et ecce* dum hæc executioni mãdarentur, *vnus de filijs Israel* transiens, per mediam plateam existentem inter tabernaculum, & castra *intrauit coram fratribus suis*, concubitus gratia, cum summo omnium scãdalo, *ad scortum Madianitidem*, seu fœminam quandam scortariam, *vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui* segregati ab impijs ob plagam, quæ ceperat iam populum vastare, *flebant ante fores tabernaculi*, ex quo loco scandalum viri illius conspicere poterant. † *Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis*, solo Dei zelo cōmotus, *surrexit de medio multitudinis* astantis ante fores tabernaculi, *& arrepto pugione, ingressus est post virum Israelitem in lupanar*, seu tentorium Madianitidis, *& perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem in locis genitalibus*, vt per quæ peccauerant punirētur. *Cessauitque plaga à filijs Israel* diuinitus immissa, quæ iam vastauerat partem castrorum, *& occisi sunt* tam per plagam à Deo missam, quam iussione iudicum, qui suspendere faciebant malefactores *viginti quatuor millia hominum. Dixitque Dominus ad Moysen: Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filijs Israel*, dum facto suo me illis reconciliauit, *quia zelo meo*, feruentique honoris mei amore *commotus est contra eos*, occidendo Israelitam, & Madianitidem impudentissimè peccantes, vnde factum est, *vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo*, quo summo vindicandi offensam desiderio ardebam. *Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei*, securumque facio de hoc quod, *& erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum*; neque enim illi, aut eius vnquam posteris adeo iratus ero, vt eis summum sacerdotium auferam, *quia zelatus est pro Deo suo* dolens de offensa illi illata, atque pro eius vindicta, mortis se periculo exponens, *& expiauit* [illegible]*lus filiorum Israel*, placans iram meam in impiorum occisione. *Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu*, & non erat vulgaris quispiam homo, sed *dux de cognatione, & tribu Simeonis*, quod in magnam cedit laudem Phinees, nam quãto maior princeps erat occisus, tanto occidens maiore præditus esse debuit animo, & virtute. *Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum* vehementissimo enim timore perterriti Madianitæ, non erubuerunt ad consilium Balaam filiam regis nobilissimi prostituere, ponentes publicè in lupanari ludificandam ad libitum cuiuscunque etiam vilissimi Hebræorum. *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens:* † *Hostes vos sentiant Madianitæ, 3 &* hostiliter impetitos *percutite eos, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, &* inimicorum insidiantium more *decepere insidijs per idolum* appositum supra montem *Phogor, & Cozbi filiam ducis Madian sororem suam*; nempe Madianitarum, de quorum progenie illa erat, *quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor*, cui idolo, vt pote famosiori, attribuitur sacrilegium, quod erga alios, etiam deos commissum est, sicut etiam peccatum plurium fœminarum appropiatur Cozbi tanquam antesignanæ, & ductrici cæterarum luxuriantium.

† *Exod. 32.f.27.*

† *1. Macha. 2.c. 26. Psa. 105. d. 30. 1. Cor. 10. b.8. 2.q. 7. c. nos si in fine.*

C.

D.

† *Infrà 31.a.2.*

III.

ANNOTATIONES IN CAP. XXV.

I.

Cū Moabitis prius fornicabantur Israelitæ quam eorū idola colerent.

FORNICATVS est populus.] Per hæc verba intelligit Lyranus tau fornicationem spiritualem, per idololatriam, quam corporalem, per luxuriam. Existimatque Hebræos prius coluisse idola Moabitarum, quam quod eorum filiæ consenserint sibi carnaliter commisceri. Neutrum tamen dictum, videtur esse admittendum. Et vt à posteriori incipiamus, in quo ratio prioris imbibita est, rationabilius dicitur, quod mulieres Moabitæ, primo permiserint Hebræos ad se accedere, & postea induxerint eos ad idololatriam, quam è contrario, tum quia nemo repente fit summus, siue in bono, siue in malo, vnde facilius fuisset pertrahere ad idololatriam eos, qui iam erans priuati diuina gratia, per fornicationem, quam si à principio grauissimum illud peccatum eis proponeretur, tum etiam, quia aliàs patefacta fuisset fœmi-

Digitized by Google

narum fraus, scilicet, quod venerant ad persuadendum Israelitis immane sacrilegium, & tunc populus eas occidisset atque ab eis abstinerent, nec possent ipsæ perficere, quod intendebant. Ideo debuerunt permittere libere se cognosci ab Israelitis, deinde per blanditias pertrahere eos ad sacrificia, & hac de causa populus non cognouit fraudē, nec fœminis intulit quippiā mali. Et iuxta hunc ordinē, videtur se habere voluisse Cozbi Madianiten, cuius in hoc capite fit mentio, nā mox, vt ad eam intrauit Zambri concubuit cum ea, nequaquam præcedēte idolorū cultura. Ex quo sequitur, quod quando dicitur fornicatus est populus, debet intelligi de fornicatione carnali, post quam, seruato debito ordine literæ, subiungitur fornicatio spiritualis, quando dicitur, quod vocauerunt Hebræos ad sacrificia, quia illæ fœminæ portabant secum deos suos, quos tulerant de terra Moab, & amore venereo illaqueatis Israelitis persuadebant, vt irent secum ad sacrificia deorum suorum, & ad comedendum idolotita.

II. *Nō principes, sed vniuersi qui initiati sunt Beelphegor fuere suspensi.*

SVSPENDE eos.] Quod relatiuum eos, non referatur specialiter ad principes, sed ad omnes peccantes, siue principes essent, siue nō, constat primo ex diuersitate articulorū, quæ in editione Hebraica inueniuntur in hac dictione, & in ea, quæ loco principū ponitur. Præterea, quia Moyses iussit iudicibus id, quod sibi Deus iusserat, & tamen immediatē, vt Deus dixit Moysi. Tolle cunctos principes, & suspēde eos, dixit Moyses ad iudices Israel, occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beel phegor, ergo ijdē sunt, quos Moyses præcepit occidere, & quos Deus iussit suspendere. Si enim Deus iussisset, vt ipsi principes suspēderentur, nō dixisset Moyses, quod peccātes occiderētur à iudicibus, sed magis è cōtrario, quod totus populus occideret iudices, qui proculdubio erant principes populi. Itē, non videtur rationabile, quod omnes principes populi occiderētur, tum quia, nō est verisimile, quod omnes peccauissēt idolatrādo, vel permittendo alios idolatrare, tū etiā, quia iudicibus præcipitur, vt alios occidāt, ergo ipsi, nō erāt suspendēdi. Tū tandem, quia numerus omniū interfectorum fuit viginti quatuor milliū, vt inferius dicitur, sed principes soli erant plusquā sexaginta millia, etiā si nō computarentur, nisi dumtaxat decani, quinquagenarij, centuriones, & tribuni plebis habentis plusquā sexcenta millia virorū, qualis erat populus Israeliticus, vt patet capite sequēti. Nec mireris quod relatiuum, eos, ponatur sine antecedente, hoc enim vsu venire solet in sacris literis, vt ostēdimus capite præcedēti annot. 2. maximè quādo repræsentatur animus furore percitus, qui nominare dedignatur eos, de quibus loquitur, vt adnotauit D. Cyrillus lib. 4. super Ioannem cap. 37. circa illa verba Ioannis cap. 7. Vbi est ille? docens Iudæos ob indignationem, quam in Christum habebant, nequaquam eum voluisse exprimere. Ad hunc ergo modum dicere possumus Deum expressisse idolatras ad significandam iustam iram, quam erga eos habebat.

III. *Ob quas causas iussit Deus vt à Moyse deleretur Madianitæ.*

HOSTES vos sentiant Madianitæ.] Quæri potest, quare nō iusserit Deus inferre bellū Moabitis, sicut & Madianitis, cū vtrique eiusdē criminis fuerint participes. Respondetur, quod ob duplicem causam. Prima fuit, quia Moabitæ erāt de progenie Lot consobrini Abrahæ, vt habetur Genes. cap. 19. ob cuius merita, & maximè propter Abrahā auunculū eius, noluit Deus deleri illius posteritatē, iuxta illud Deute. cap. 2. Nō pugnes cōtra Moabitas, nec ineas aduersus eos præliū, nō enim dabo tibi quidquā de terra eorū, quia filijs Lot tradidi Ar in possessionē, idest, propter Lot volo, vt posteri eius terrā istā possideant. Secūda causa fuit, quia Ruth generanda erat à Moabitis, de cuius stirpe Messias nasciturus erat, vnde antequā nasceretur Ruth de gente Moab, Israelitæ non intulerunt bella Moabitis, postquā vero ipsa genita est, & transiuit in terrā Israel, non solū pugnauerunt contra eos, verumetiam Dauid coæquauit terrā Moab solo, occidendo quos volebat, & viuificando quos vellet, vt dicitur lib. 2. Reg. cap. 8.

ARGVMENTVM IN CAP. XXVI.

¶ Existente populo in campestribus Moab, præcepit Dominus Israelitas dinumerare tam per familias, quam per capita, habita dūtaxat ratione masculorum, qui erant à viginti annis, & supra, vt inter eos terra promissionis sortibus diuideretur. Et inuenti sunt sexcenta millia, & mille septingenti triginta. Vltra quos recensiti sunt Leuitæ masculini generis ab vno mense, & supra, & inuenti sunt viginti tria millia virorum.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXVI.

A. POSTQVAM noxiorū, qui cū filiabus Moab cōcubuerant, *sanguis effusus est*, mortemque subierant, vel suspendio, vel plaga diuinitus immissa, *dixit Dominus ad Moysen, & Eleazarum filium Aaron sacerdotem*, vt pote supremos populi

† Sup. 1.a.2. populi principes. † *Numerate omnem summam*, seu potius multitudinem *filiorum Israel à viginti annis, & supra, per domos, & cognationes suas*, vt hac ratione possitis numerum distinctius habere, commodiusque recensere *cunctos, qui possunt ad bella procedere*: horum enim dumtaxat est habenda ratio in distributione terræ promissionis. *Locuti sunt itaque Moyses, & Eleazar sacerdos* vno, videlicet, nomine amborum verba faciente *in campestribus Moab super Iordanem*, circa ripam fluminis huius, quæ est è regione seu *contra Iericho, ad eos, qui erant à viginti annis, & supra, sicut Dominus imperauerat, quorum iste est numerus*, tam secundum familias, inter quas fieri debebat distributio terræ promissionis, quam secundum personas, quæ in vnaquaque familia existebant. *Ruben* vexillum habens ad Meridianam plagam, primo fuit recensitus, eo quod extitit *primogenitus Israel*, secundum ordinem natiuitatis, quamuis non fuerit consequutus iura primogenituræ, fuitque † *huius filius, Henoch, à quo familia Henochitarum, & Phallum, à quo familia Phalluitarum, & Hesron, à quo familia Hesronitarum, & Charmi, à quo familia Charmitarum. Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben*, cognationes autem minores illis domus vocantur, & domus personis constituuntur, *quarum numerus inuentus est* in tribu Ruben à viginti annis, & supra *quadraginta tria millia, & septingenti triginta. Filius Phallu Eliab. Huius filij, Namuel, & Dathã, & Abiron: isti sunt Dathã, & Abirõ principes populi, qui* ambientes sacerdotiũ, ac populi gubernationẽ † *surrexerunt contra Moysen, & Aarõ in seditione Core, quando aduersus Dñm rebellauerũt, & cõtradixerunt* illius ordinationi, qua statuerat, vt Moyses, & Aarõ essent supremi populi rectores, propter quã causam puniti sunt à Deo, *& aperiens terra os suum*, per inexplebilem quandam, ac subito effectam voraginem, *deuorauit Core* existentem in tabernaculo suo, vna cum filijs suis, ac etiam deuorauit Dathan, & Abiron *morientibus plurimis*, nempe filijs ac domesticis ipsorum Dathan, & Abiron, *quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros* paratos ad offerendum thymiama ante ostium tabernaculi, cuius rei historiam laté retuli † in superioribus. *Et factum est grande miraculum*, & prodigium, quasi contra naturam, *vt Core pereunte*, à terraque pro meritis absorpto, *filij illius*, qui vna cum patre manebant in eodem tabernaculo, *non*

† Genes. 46.a.9. Exod. 6.b.14. 1. Para. 5.a.3.

† Sup. 16.a.1.

B.

† Sup. 16.

I.

perirent, sed manerent pendentes in aëre supra terræ hiatum. *Filij Simeon*, a qui sub vexillo Ruben secundum locũ tenebant, fuerunt inuenti, *per cognationes suas: Namuel*, qui est Iamuel *ab hoc familia Namuelitarum Iamin, ab hoc familia Iaminitarum: Iachin*, qui & Iarib, *ab hoc familia Iachinitarum: Zare*, qui & Soar, & Zara *ab hoc familia Zareitarum: Saul, ab hoc familia Saulitarum. Hæ* quinque, & non plures, nam Ahod alius filius Simeon posteros non habuit, *sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit viginti duo millia ducenti. Filij Gad* castrametati in tertio loco vexilli Ruben recensiti, *per cognationes suas* fuerunt hi, qui sequuntur. *Sephon*, qui & Sephion *ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum, Suni, ab hoc familia Sunitarum: Ozni*, qui & Esebon, *ab hoc familia Oznitarum Her*, qui & Heri, *ab hoc familia Heritarum: Arod*, qui & Arodi, *ab hoc familia Aroditarum: Ariel*, qui & Areli, *ab hoc familia Arielitarum. Istæ* septem recensitæ, *sunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingenti.* † *Filij Iuda* vexillum habentes ad orientem castrorum, fuerunt *Her, & Onan*, qui ambo absque liberis *mortui sunt in terra Chanaan*, priusquam descẽderet Iacob in Ægyptum. *Fueruntque filij Iuda, per cognationes suas: Sela, à quo familia Selaitarum: Phares, à quo familia Pharesitarum: Zare, à quo familia Zareitarum. Porro filij Phares*, vltra eos, in quibus conseruatum est nomen, & familia patris, fuerunt alij duo, quorum vnusquisque specialem erexit familiam, nempe *Hesron, à quo familia Hesronitarum, & Hamul, à quo familia Hamulitarum. Istæ* quinque modo recensitæ, *sunt familiæ Iuda, quarum omnis numerus*, quantum ad illarum personas, *fuit septuaginta sex millia quingenti. Filij Issachar*, in eodem vexillo, cum Iuda ad orientem commorantes, fuerunt, *per cognationes suas, Thola, à quo familia Tholaitarum, Phua, à quo familia Phuaitarum: Iasub*, qui & Iob, *à quo familia Iasubitarum: Semran*, qui & Simeron, *à quo familia Semranitarum. Hæ* quatuor familiæ, *sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit sexaginta quatuor millia trecenti. Filij Zabulon*, pertinentes etiam ad vexillum Iudæ, fuerunt recensiti, *per cognationes suas: Sared, à quo familia Sareditarum: Elõ, à quo familia Elonitarum: Ialel*, qui & Iahecel, *à quo familia Ialelitarum. Hæ* tres dumtaxat. *sunt cognationes Zabulon, quarum numerus, fuit sexaginta millia quingenti. Filij*

II.

† Genes. 38.a.3.

C.

D.

Digitized by Google

Ioseph, quorum vexillum erat versus occidentẽ, fuerunt recensiti *per cognationes suas, Manasse, & Ephraim* duplicem constituẽtes tribum. *De Manasse ortus est Machir, à quo*
† Iosu.17.a.1. *familia Machiritarum* †. *Machir*, preter alios filios in quibus eius nomen, & familia perseuerauit, *genuit Galaad*, qui fuit vir pugnator in terra Ægypti, *à quo familia Galaditarum. Galaad* extra alios filios, qui familiæ suæ nomen obtinuerunt, *habuit filios* alios tantæ dignitatis, & excellentiæ, quod potuerunt speciales erigere familias, videlicet *Iezer, à quo familia Iezeritarum, & Helec, à quo familia Helecitarum, & Asriel, à quo familia Asrielitarum, & Sechem, à quo familia Sechemitarum, & Semida, à quo familia Semi-*
† Infrà 27.a.1. *daitarum*, † *& Hepher, à quo familia Hepheritarum. Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias*, cæterum, quia in defectu masculorum debent fœminæ succedere in hæreditate paterna, æquum est, vt recenseantur filiæ Salphaad,
† Infra 27.a.1. *quarum ista sunt nomina.* † *Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa.* Hæ octo modo recẽsitæ, *sunt familiæ Manasse, & numerus earũ, quinquaginta duo millia septingenti. Filij autem Ephraim* qui vna cum filijs Manasse sub eodem vexillo castrametabantur, *per cognationes suas fuerunt hi: Suthala, à quo familia Suthalaitarum: Becher*, qui & Bared, *à quo familia Becheritarum: Theben*, qui & Thahath, *à quo familia Thebenitarum. Porro filius Suthala fuit Heran, à quo familia Heranitarũ*, distincta à familia fratrum suorum, quæ nomen patris secum retinuit, & conseruauit.
E. *Hæ sunt cognationes filiorũ Ephraim*, per quatuor familias distributæ, *quarũ numerus fuit triginta duo millia quingenti. Isti* igitur, quos in duabus tribubus recensui, *sunt filij Ioseph, per familias suas. Filij Beniamin*, sub vexillo Ephraim ad occidentem commorantes fuerunt connumerati, *in cognationibus suis* quinque dumtaxat, quia alij quinque illius filij sine posteris decesserunt. Qui igitur familias constituerunt fuerunt *Bela, à quo familia Belaitharum, Asbel, à quo familia Asbilitarum: Ahiran*, qui & Ahara, & Gera, *à quo familia Ahiramitarũ: Supham*, qui & Mophim, & Nohaa, *à quo familia Suphamitarum: Hupham*, qui, & Ophim, & Rapha, *à quo familia Huphamitarum. Filij Bela* constituentes familias speciales extra fratres suos fuerũt *Hered, & Noeman. De Hered, familia Hereditarum, de Noeman, familia Noemanitarũ. Hi*, septẽ familijs cõprehẽsi, *sunt filij Bẽiamin, per cognationes suas, quorum numerus fuit quadraginta quinque millia sexcenti. Filij Dã* castrametati sunt ad partem Septentrionalem tabernaculi, & qui fuerunt recensiti, *per cognationes suas*, vna dumtaxat familia fuerunt comprehensi: Is autem fuit *Suham*, qui & Husim, *à quo familia Suhamitarum. Hæ sunt cognationes Dan, per familias suas*, quamuis enim vna solum extiterit cognatio, & familia Dan, æquiualet autem pluribus in numero personarum. *Omnes fuere Suhamitæ, quorum numerus erat sexaginta quatuor millia quadringenti. Filij Asser*, sub vexillo Dan consistentes fuerunt, *per cognationes suas* recensiti hi, qui sequuntur *Iemna*, qui & Iamne, *à quo familia Iemnaitarum Iessui, à quo familia Iessuitarum: Brie*, qui & Beria, *à quo familia Brieitarum. Filij Brie* extra illos fratres, qui nomen, & familiam patris retinuerunt, fuerũt recensiti *Heber, à quo familia Heberitarum, & Melchiel, à quo familia Melchielitarum. Nomen autem filiæ Asser*, quæ sola ex neptibus Iacob ingressa est Ægyptum, cum auo suo, *fuit Sara. Hæ* quinque superius nominatæ fuerunt *cognationes filiorum Asser, & numerus eorum quinquaginta tria millia quadringenti. Filij Nephthali* castrametati etiam F.
ad Aquilonem, sub vexillo Dan, fuerunt recensiti, *per cognationes suas: Iesiel, à quo familia Iesielitarum, Guni, à quo familia Gunitarum: Ieser, à quo familia Ieseritarum: Sellem, à quo familia Selemitarum, Hæ* quatuor, quas modo retuli *sunt cognationes filiorum Nephthali*, qui recensiti sunt, & connumerati, *per familias suas, quorum numerus quadraginta quinque millia quadringenti. Ista est summa* totalis collecta ex omnibus summis partialibus duodecim tribuum *filiorum Israel, qui recensiti sunt*, à viginti annis, & supra, videlicet *sexcenta millia, & mille septingenti triginta. Locutusque est Dominus ad Moysen*, ac docuit modum, & ordinem seruandum in diuisione terræ promissionis, *dicens. Istis* duodecim tribubus modo numeratis *diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum*, habita ratione tam tribuum, quam familiarum, vt cedat *in possessiones suas*, ac possideatur ab eis tamquam à veris dominis. *Pluribus* familijs vniuscuiusque tribus *maiorem partem dabis, & paucioribus minorem singulis*, itaque tam tribubus, quam familijs, *sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio* terræ Chanaan, quando eã debellaueritis, *ita dũtaxat, vt sors*, quę vnicuique obuenerit, non autẽ libera ducis volũtas, 3 *terrã tribubus diuidat, & familijs*, III.
tri-

tribubus quidem, designando vnicuique situm, quem habitura est: familijs vero declarando per sortes in qua terræ portione vna quæque familia habitare debeat. *Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores*, nullatenus enim alicui tribui, vel familiæ danda est optio, eo quod plures domus, vel personæ sint in illis, sed sortis dumtaxat habenda est ratio, ne quis se iniuriam passum existimet, eo quod in vno, vel altero situ possessionem suam fuerit consecutus. † *Hic quoque est numerus filiorum Leui*, quos hic etiam recensere oportet, & saltem breuiter describere, *per familias suas* ratione portionis terræ Chanaan, quam accepturi sunt in quadraginta, & octo ciuitatibus, quas accepturi sunt à filijs Israel. *Gerson, à quo familia Gersonitarum: Caath, à quo familia Chaathitarum: Merari, à quo familia Meraritarum.* Hæ præterea vna cum illis, quas superius capite tertio huius libri diffuse recensui, *sunt familiæ Leui. Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At vero Caath* filius Leui *genuit Amram, qui habuit vxorem Iochabed*, patruelem quidem suam seu consobrinā ex parte matris, ex parte vero patris amitam, vt pote *filiam Leui, quæ* in senectute sua *nata est ei in Ægypto*, ex sorore quadam vxoris filij sui Caath. *Hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron* natu maiorem, quā Moyses, *& Moysen, & Mariam sororem eorum*, quæ vtroque fratre prouectioris erat ætatis. *De Aaron orti sunt Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar*, † *quorum Nadab, & Abiu mortui sunt*, nulla relicta posteritate, *cum obtulissent ignem alienum coram Domino*, desumentes eum ab alio loco, præterquam ab altari holocaustorum, quod sibi diuinitus erat prohibitum. *Fueruntque omnes, qui numerati sunt* in tribu Leui multo pauciores, quam qui ad quamlibet aliarum tribuum pertinebant, nempe *viginti tria millia generis masculini ab vno mense, & supra.* Leuitarum autem specialis ratio debuit haberi tam indistincta ab alijs tribubus computatione, quam in diuersa ætatis numerandorū consideratione, *quia non sunt recensiti inter filios Israel*, neque in generali istorum summa comprehensi, *nec eis cum cæteris data possessio est*, ac proinde, non oportuit habere rationem ætatis viginti annorum, quæ in illis, qui accepturi erant possessionis suæ dominium, necessaria existebat. *Hic est numerus filiorum Israel*, non Leuitarum, *qui descripti sunt à Moyse, & Eleazaro sacerdote in campestribus Moab*, vbi filij Israel perfecerūt vltimam mansionem ante ingressum in terram Chanaan, *supra Iordanem*, ad eam, videlicet fluminis huius ripam, quæ est *contra Iericho*, & è regione vrbis istius in altera Iordanis parte. † *Inter quos nullus fuit eorum, qui* vt refertur in principio huius libri, *ante numerati sunt à Moyse, & Aaron in deserto Sinai.* † *Prædixerat enim Dominus*, ob murmur populi causatum ab exploratoribus, *quod omnes morerentur in solitudine*, quia viginti annis, & supra fuerant numerati in monte Sinai. *Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Iephone, & Iosue filius Nun*, quos Dominus exceperat à sententia illa generali.

[Margin notes: † Exod. 6.c.17. — G. — IIII. 4 — † Sup. 3. a.4. Leui. 10. a. 1. 1. Parali. 24. a.2. — V. 5 — † 1. Cor. 10. a. 5. — † Sup. 14. d. 23.]

ANNOTATIONES IN CAP. XXVI.

I. *Quare miraculum fuerit, quod filij Core nō obierint in seditione patris.*

FACTVM est grande miraculū.] Caietanus existimat verba ista referēda esse ad præcedētia, significādo, quod extincti in seditione Core fuerūt mortui inrēperpetuo miraculo dignā apud filios Israel, vt deinceps, non surgeret aduersus principatū Moysi, & sacerdotiū Aarō, nō autē referēda esse ad subsequētia, nullo enim miraculo factum est, quod filij Core, non essent mortui cū patre, cū exēptio à crimine exemerit eos à morte, sicut & reliquos, qui nō fuerūt criminis participes. Cæterū ad falsitatē huius sententiæ sufficiens argumentum mihi est, quod contradicit punctuationi editionis vulgatæ latinæ, huius namque editionis apex pluris esse debet apud Catholicos, quā integer textus Hebraicus. Vnde dicendum est incolumitatē filiorū Core penes duo extitisse miraculosam, iuxta duplicem significationem, quam retinere potest hoc nomen miraculum. Vno enim modo dicitur miraculum propriè, nempe opus illud, quod superexcedit omnes vires naturæ, & secundum istam significationem fuit miraculosa incolumitas filiorum Core, quia existentibus his in eodem tabernaculo, cum patre suo Core, & aperta terra, non ceciderunt deorsum, sed māserunt in aëre quousque terra fuit iterum conclusa. Et hoc modo interpretantur Lyranus, & Abulensis, cum glosa Hebraica, super Psalmum 45. quæ dicit filios Core in gratiarum actionem huius beneficij composuisse psalmum illum quadragesimum quintum ab illis superscriptum. Et horum sententiæ, vt pote communiori adhæsimus in Paraphrasi. Alio modo dicitur miraculū quamuis impropriè, & quasi per hyperbolen, quidquid admirationē afferre potest, vt portentum, siue prodigium, vel alia huiusmodi, in quo sensu Plinius vocat miracula mundi opera, quædam summæ magnificentiæ, & admirationis apud priscos. Quia ergo, non modicę admirationis reputatur in hominibus, quod filius, non se-

quatur crimen paternum, quasi miraculo tribui potest, quod filij Core, non fuerint complices in peccato patris, prout fuerunt complices filij Dathan, & Abiron, quos simul cum patribus suis terra absorbuit.

II. *Sub diversis nominibus vna eademque persona solet recenseri.*

FILII Simeon.] Circa nomina ac numerũ hic relata filiorum quorundam Patriarcharum, & maximè Simeonis duo oportet animaduertere. Alterum est, non semper eisdem nominibus vocari omnes filios Patriarcharum, sed interdum, hoc interdum illo nomine vnam eandemque personam significari, contingit enim aliquando tam in veteri, quam in nouo testamento, quod vnus homo plura habeat nomina, vt patet in filijs Simeon, qui enim in præsenti vocatur Zare Genesis capit. 46. appellatur Sohar, & Exodi cap. 6. Soar, & 1. Paralip. cap. 4. vocatur Zara, prout in nouo testamento vnus idemque apostolus Petrus, aliquando dicitur Cephas, aliquando Simon, aliquando vero Bariona. Et etiã hæc nomina Iacobus, Didacus, & Boanerges vni apostolo Ioannis fratri accõmodari consueuerunt. Alterum, quod venit obseruandum est, hoc in loco, non omnes filios Patriarcharum recenseri, sed eos dumtaxat, quorum familiæ vsque ad tempus, quo hæc scripsit Moyses conseruatæ sunt. Vnde quamuis Genes. cap. 46. recenseãtur sex filij Simeonis, hic vnus subticetur, nempe Ahod, vel, quia sine filijs decessit, vel quia eius posteri ante ingressum in terram promissionis defecerunt. Similiter ex decẽ filijs, quos Genes. 46. refertur habuisse Beniamin, hoc in loco quinque dumtaxat connumerantur, ob id scilicet, quod reliqui, non habuerunt posteros, in quos terra promissionis diuidenda esset.

Moyses cur non recensuit omnes posteros patriarcharum.

III. *Terra promissionis sorte ac funiculis fuit distributa.*

SORS terram tribubus diuidat & familijs.] Non est modica difficultas, quæ versatur, circa modũ, quo diuidi præcipitur terra promissionis. Videtur enim stare, non posse, hoc quod in præsenti dicitur, videlicet vt sors terrã diuidat tam tribubus, quam familijs, & illud quod prius iussum fuerat, videlicet, vt pluribus maior pars daretur, & minor paucioribus. Alterũ enim istorum excludit prorsus diuidentium arbitriũ: alterum vero eorumdem arbitrio negotiũ istud committit. Respondetur nihilominus bene posse stare prædicta duo, & ad vnguẽ obseruari, si terra promissionis hoc, vel alio simili ordine diuideretur. Verbi gratia, vt ante omnia sorte diuideretur terra quantum ad situm, nulla habita ratione quantitatis, vel magnitudinis terræ sortiendæ, sed solum quantum ad situm orientalẽ, vel australem, vel alium similem. Et postquam sorte obtingeret terra ad talẽ situm huic tribui, & terra ad talem situm illi, & sic deinceps, tũc haberetur ratio multitudinis, vel paucitatis familiarum, & personarũ vniuscuiusque tribus: ita vt quælibet tribus in situ, quẽ sortita esset, acciperet multum, vel paucũ terræ, prout plures, vel pauciores familias, & personas haberet. Quæ secunda diuisio funiculis secundũ consuetudinem illius tẽporis fieri oportebat. Et hic ordo pariter obseruari potuit in diuisione portionis obtentæ pro quacunque tribu, ad sciendũ in quo situ illius vnaquæque familia, imo & quælibet persona ex recensitis deberet possessionem, habere, absque eo quod quisquam conqueri posset de eo, quod esset sibi data possessio in terra, non ita fertili, sicut terra alteri collata. Hanc duplicẽ terræ promissionis diuisionem expressit Dauid Psalmo. 77. dicens. Et sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. Ac si diceret, primo diuisit sorte, postea funiculis.

HABVIT vxorem Iochabed. Pro intelligẽtia duplicis cognationis, quam Iochabed habuit cum Amram viro suo, vide quæ adnotauimus Exod. cap. 6. annotat. 4. IIII.

V. *Sententia generalis quod morerentur in solitudine, non fuit lata contra leuitas.*

HIC est numerus filiorum Israel.] Posset aliquis existimare verba hæc referenda esse ad omnem summam Israelitarum, tam Leuitarum, quã aliorũ, eo quod omnes isti sunt in hoc capite recensiti. Oppositũ nihilominus est probabilius, videlicet, hoc in loco, non fieri mentionem Leuitarum, cuius ratio est, quia statim in subsequẽtibus dicitur. Inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt à Moyse, & Aaron, in deserto Sinai. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in solitudine præter Caleb, & Iosue. Et tamen manifestum est hoc non intelligi de Leuitis, quia aliqui illorum manserũt nunc, vt patet in Moyse, & Eleazaro, & Ithamar. Vnde superius capit. 14. ostendimus, non fuisse latam sententiam quantum ad Leuitas, quod morerentur in solitudine, sed dumtaxat quantum ad eos, qui à viginti annis, & supra fuerant recensiti, quod de alijs à Leuitis venit intelligendum, vt patet in hoc capite, & in principio huius libri.

ARGVMENTVM IN CAP. XXVII.

¶ Occasione cuiusdam querelæ propositæ à filiabus Salphaad super hæreditate paterna, statuit Dominus legem erga ordinem seruandum in successionibus, vt primo filij, deinde filiæ, postmodum fratres, deinde patrui, ac tandem propinquiores defuncti hæreditatem consequantur. Quibus peractis iubet Dominus Moysi, vt montem ascendat, in quo moriatur, ante ascensum vero præcipit, vt Iosue coram omni plebe in principem instituat, quod & fecit.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAP. XXVII.

A. † Supra 26.d.32 Infr. 36.a.1. Ios 17.a.1.

ACCESSERVNT autem † filiæ Salphaad, filij Hepher, filij Galaad, filij Machir, filij Manasse, qui fuit filius Ioseph, quarũ in præcedenti capite facta est mētio, & diximus, quòd earũ sunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa: æquũ enim est illas ob earum prudentiam ac iustitiam sæpius nominare. Steteruntque coram Moyse, & Eleazaro sacerdote, & cunctis principibus populi, qui constituti fuerant ad diuidendam terram promissionis, & erant congregati ad ostium tabernaculi fœderis in atrio vel in platea existente ante atrium, atque dixerunt: Pater noster mortuus est in deserto, ob quam causam ius illius ad eius posteros transire oportet: nec fuit in seditione, † quæ concitata est contra Dominum ab his, qui Dei ordinationi super principatu ac sacerdotio populi, restiterunt sub Core seditionis duce & antesignano: si enim huius criminis particeps obijsset, non mirum quòd tanquam læsæ maiestatis reus iure hæreditatis caruisset: cæterum non ita euenit, sed in peccato suo, sicut & alij quicumque in deserto interierunt, mortuus est: date igitur nobis partem terræ promissionis, quæ patri nostro obtigisset, si viueret: quandoquidem hic non habuit mares filios qui sortiri queant possessionem sibi dandam in terra ista. Cur tollitur nomen illius de familia sua, nec recensetur inter eos, inter quos diuidenda est terra, ob id dumtaxat, quia non habuit filium, cum filias habeat, quarum filij nomen aui conseruare possent? Date nobis possessionem iure hæreditario à nobis habendam inter cognatos patris nostri, qui sunt de tribu Manasse.

† Supra 16.a.1.

B. Retulitq; Moyses causam earum ad iudicium Domini, proponens illam coram Domino, vt ostenderet quidnam in re hac fieri oporteret. Qui dixit ad eum: Iustam rem postulant filiæ Salphaad: iuxta ergo petitionem illarum da eis possessionem ferendo sententiam, qua decernas debere eis in diuisione terræ dari possessionē inter cognatos patris sui, & ei in hæreditatem succedant, ita vt habeant quod pater earum, si viueret, possessurus fuisset. Ad filios autem Israel loqueris hæc: Homo cum mortuus fuerit absque filio non pro libito habebit successorem bonorum immobilium, sed ad filiam eius transibit hæreditas, tam ex testamento, quàm ab intestato. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. Quod si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ex parte, ex qua ipse hæreditatem habuit ei proximi, seu propinquiores sunt. Eritque hoc, quod constitutum est hic de successionibus filijs Israel, quasi quid sancitum, seu sanctum lege perpetua: iudicesque durante statu huius reipublicæ tenebuntur iudicare, sicut præcepit Dominus Moysi.

C. † Deut. 32.g.51 Sup. 20.b.12.

Dixitque Dominus ad Moysen: † Ascende in montem istum, qui in prospectu tuo est nomine Nebo, & est pars quædam montium Abarim, & contemplare inde terram existentem vltra Iordanem, quam daturus sum filijs Israel, non quidem omnibus, sed nouem eorum tribubus ac dimidiæ. I. Cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuũ in sinu Abrahæ, vna cum sanctis patribus recepturus, sicut iuit frater tuus Aaron; non enim transibis Iordanem, nec intrabis terram Chanaan, sicut neque intrauit Aaron, quia, offendistis me in deserto Sin, apud Cadesbarne, in contradictione multitudinis, quando multitudo Israelitica iurgata est contra me ob defectum aquarum, nec sanctificare, seu mirabilem ac gloriosum ostendere me voluistis coram ea super aquas, prout sanctificatus fuissem à vobis, si in me confidentes solo sermone aquas eduxissetis, & non potius virgæ percussione. Hæ sunt aquæ contradictionis, vbi filij Israel in seditionem versi iurgati sunt contra Dominum in Cades deserti Sin. Cui respondit Moyses humiliter acceptans sententiam in se latam, quod non esset ingressurus terram Chanaan, confidēs tamen se exaudiendum esse pro duce, qui succederet, ait: Prouideat Dominus Deus spirituum, cui nihil latet, sed manifestissimè patent II. cogitationes omnis carnis, hominem qui post discessum meum iamiam imminentem sit super multitudinem hanc, de ea specialem curam gerendo, & communitatis negotia expediendo, & possit exire ad bellum, & intrare vrbes debellatas ante eos, tanquam dux omnium Israelitarũ, & educere eos de terra ista, vel introducere in terram

Digitized by Google

ram Chanaan, quod idem est: *ne sit populus Domini*, qui tibi speciali cultu est addictus, *sicut ouis absque pastore* carens debita gubernatione, seu politia. *Dixitque Dominus ad eum*: † *Tolle Iosue filium Nun* vocans eum ad te, vtpote *virum*, *in quo est spiritus* sanctus communicans ei dona gratiarum huic muneri conuenientia *& pone manũ tuam super eum* in signum voluntarij consensus, quem in re ista præstas. *Qui stabit coram Eleazaro sacerdote*, cuius ob dignitatem officij mẽtio specialis fieri oportet, *& omni multitudine*, vt omnibus constare queat eius in principem institutio, *& dabis ei præcepta cunctis videntibus* admonens eum ex nomine meo, & instruens erga modum, quo regere debet populum, *& partem gloriæ tuæ* & honoris etiam conferes, honorando eum coram populo quasi successorem diuinitus electum, *vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel*, illique obediens existat. *Pro hoc* ad ipsiusque petitionem, *si quid agendum erit* in aliquo negotio, quod Iosue per humanam prudentiam resoluere nequeat, *Eleazar sacerdos consulet Dominum* indutus rationali, in quo est doctrina & veritas. *Ad verbum eius* & iuxta responsum, quod summus sacerdos dederit, postquam consuluerit Dominum, *egredietur, & ingredietur*, seu faciet quæcumque fieri oporteat Iosue *ipse*, *& omnes filij Israel cum eo, & cætera multitudo*: ita vt suprema auctoritas & imperium penes sacerdotem sit. *Fecit Moyses, vt præceperat Dominus. Cumque tulisset Iosue* vocans eum ad se, indicassetque ei voluntatem Domini, *statuit eum coram Eleazaro sacerdote & omni frequentia populi* instituturus illum in principem ac ducem Israelis. *Et impositis capiti eius manibus cuncta replicauit*, & iterato inculcauit super Iosue, *quæ mandauerat Dominus*: dedit enim ei præcepta de modo regendi, contulitque partem gloriæ suæ faciens, vt coram tota multitudine loqueretur tanquam princeps populi.

D. † *Deut. 3. d. 21. & 31. d. 14.* III.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVII.

I. *Abarim significat quandam diuersorũ montiũ aggregationem.*

IN MONTEM istum Abarim.] Nomine Abarim, non designatur mons aliquis in particulari & vnicus, sed montana quædam, quæ per diuersos montes extenduntur. Vnde inferius capite trigesimo tertio loquens scriptura de quadragesima prima mansione filiorũ Israel, inquit quòd venerunt ad montes Abarim. Horum montium vna quædam pars vocatur Phasga superius cap. 13. huius libri: Et alia dicitur vertex Phegor, ibidem: Et alia vocatur excelsa Baal, superius ca. 23. Et alia pars appellatur Nebo, Deuteron. cap. 32. Et in hac parte montium Abarim nempe in monte Nebo, obijt Moyses, vt dicitur Deuteronom. capite vltimo.

II. *Deus spirituũ omnis carnis, id est cordanoscens.*

DOminus Deus spirituum omnis.] Hebraismus est idem prorsus significans quod Deus, qui nosti corda filiorum hominum: vt ostendimus superius capite decimo sexto, huius libri annota. 3. Vnde patet, eadem sententia vsum fuisse Moysen in electione Iosue, qua postea vsus est Diuus Petrus in electione Diui Mathiæ Apostoli, vt constat Actu. cap. primo.

III. *Apponere manũ super aliquẽ quid sit.*

POne manum tuam.] Quod apponere manum super aliquem significet consensum, ac voluntatis promptitudinem erga illud ad quod is cui manus apponuntur, ordinatur, ostendimus ex pluribus sacræ scripturæ testimonijs Leuit. cap. 1. annotat. vbi vide.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXVIII.

¶ Promulgantur sacrificia, quæ necessitate præcepti tenebatur offerre populus Israeliticus. Quorum primum erat iuge sacrificium, quod vnico agno oblato mane, & altero oblato ad vesperum complebatur, superadditis tamen libamentis similæ, vini, & olei. Sacrificium sabbati constabat etiam duplici agno ac libamentis. In vnoquoque calendarum die offerebantur duo vituli, vnus aries, & agni anniculi septem cum libamentis: hircus quoque pro peccato: Et eiusdem numeri hostia

stiatam in holocaustum, quàm pro peccato offerri præcipiuntur in festiuitatibus azymorum & hebdomadarum.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXVIII.

A. DIXIT quoque Dominus ad *Moysen*, dum existeret populus Israel in campestribus Moab, anno quadragesimo ab exitu de Aegypto: *Præcipe filijs Israel, &* indicans, quænam sacrificia tam diebus festiuis, quàm profestis offerre teneantur, *dices ad eos: Oblationem meam*, per quam mihi sacrificia redduntur, *& panem* sim læ co ispersæ oleo, ac tandem quid quid super altare adustum *& incensum* mihi dicandum venit, quod quasi quidpiam *odoris suauissimi* gratum & acceptum existat, *offerte per tempora sua*, & quando ex præscripto legis termini illa
I. offerre. *Hæc sunt sacrificia*, 1 *quæ offerre debetis* non modò, sed quando in terra Chanaan pacificè habitaueritis. *Agnos anniculos*, qui ætatem vnius anni non transcendant, nec minores sint octo diebus, offeretis *immaculatos* absque vlla læsione vel membrorum deformitate, *duos quotidie in holocaustum sempiternum*, vocatum communiter iuge sacrificium: *vnum offeretis mane, & alterum ad vesperum:* adhibebitisque in libamenta *decimam partem ephi*, seu vnam mensuram Gomor *similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo*, iuxta ordinem in holocaustis obseruandum, *& habeat quartam partem hin*, nem-
† De consec. d. 2. c. non oportet. pe sextarium & dimidium olei † *Holocaustum iuge est hoc, quod* modò iubeo offerendum esse in terra Chanaan simile prorsus illi, quod *obtulistis in monte Sinai* adeo gratum & acceptum Deo, ac si cederet *in odorem suauissimum* holocausti seu sacrificij *incensi* & igne combusti in
II. honorem *Domini. Et libabitis* 2 vna cum simila & oleo prædictis *vini quartam partem hin per agnos singulos*, quæ omnia offerre oportet *in Sanctuario Domini*, scilicet in atrio, quod sanctuario adhæret. *Alterumque agnum* ex duobus prædictis post prioris oblationem in matutino factam, *similiter offeretis ad vesperam* vna cum decima similæ, partibusque olei & vini propositis, *iuxta omnem ritum sacrificij matutini, & libamentorum eius*, & cedet proculdubio quasi in *oblationem* B.
suauissimi odoris Domino: illique gratum erit ob deuotionem offerentium sacrificium istud, prout gratus solet esse homi-
nibus odor suauissimus. † *Die autem* † Matt.
Sabbati vltra sacrificia quotidiana, *offe-* 12. a. 5.
retis duos agnos anniculos immaculatos, similes alijs offerendis in iugi sacrificio, *& duas decimas similæ*, seu farinæ triticeæ purgatæ à furfure, *oleo conspersæ in sacrificio, & liba quæ rite funduntur* ex præscripto legis: quæ quidem omnia tam animalia, quàm libamenta offerre oportet *per singula Sabbata in holocaustum sempiternum*, nullatenus pro libito mutandum.
In calendis autem 3 id est, in mensium III.
exordijs seu primis singularum lunationum diebus, *offeretis holocaustum Domino*, vltra ea quæ ob alias causas offerri debere contigerit: ratione igitur calendarum tenemini offerre *vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos septem*: tam verò vitulos, quàm arietem & agnos oportet esse *immaculatos*; *& tres decimas similæ oleo conspersæ* offeretis etiam *in sacrificio per singulos vitulos, & duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes*, iuxta olei mensuram statim
designandam, *& decimam decimæ*, 4 par- IIII.
tis cori, quod idem est ac dicere decimam partem Ephi *similæ* taliter conspersæ, ac si esset desumpta *ex oleo* offerre debetis *in sacrificio per agnos singulos*: ita vt vnicuique agno vnum Gomor similæ correspondeat: *Holocaustum* istud calendarum *suauissimi odoris atque incensi est Domino*, non minus gratum & acceptum Deo, atque gratus solet esse hominibus odor fragrantissimus. *Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas* carnium non secus atque olei libamentis conspergitur simila, *ista erunt: Media pars hin*, quæ constat tribus sextarijs, offerri debet *per singulos vitulos, tertia* pars hin habens duos sextarios, *per arietem, quarta* pars hin nem-
pe sextarium & dimidium dabitur *per ag-* C.
num. Hoc erit holocaustum, quod necessitate præcepti offerre termini *per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt*, idque in co-

in eorum nouilunijs, *Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis*, tam totius multitudinis quàm particularium personarum, C. *in holocaustum sempiternum*, 5 cedet enim sacrificium istud tanquam in finem vltimũ & remotum in finem ipsius holocausti, nẽpe in diuinæ excellentiæ protestationem, *cum libamentis suis*, quæ habere debet hostia pro peccato, sicut & reliqua sacrificiorum genera. † *Mense autem primo* qui à Chaldæis & Hebræis vocatur Nisan, à Grecis vero Xanthicus, & à Latinis Martius, *quarta decima die mensis Phase*, id est, transitus, seu Pascha *Domini erit*, *& quinta decima die solemnitas* insignis præcæteris omnibus anni solemnitatibus: *septem diebus vescentur azymis* filij Israel, † vt cautũ est in libro Leuitici. *Quarum dies prima* nempe quinta decima mensis *venerabilis & sancta erit: omne opus seruile nõ facietis in ea* exceptis his, quæ ad ciborum pertinent præparationem: *offeretisque incensum*, seu accensum *holocaustum Domino*, *vitulos de armento duos, arietem vnum agnos anniculos immaculatos septem*: VI. *&* offeretis præterea, quæ simpliciter & absolutè vocare soleo *sacrificia* 6 scilicet libamenta *singulorum*, quæ constare debent *ex simila quæ cõspersa sit oleo* secundùm superius præscriptam mensuram, videlicet *tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietẽ, & decimã decimæ*, seu vnam tantum decimam, vt antea dixit *per agnos singulos, id est, per septem agnos:* nam singulis agnis horum septem correspondere debet vna decima similæ. *Et hircum pro peccato vnum* etiam offerre tenemini primo illo azymorum die, *vt expietur pro vobis* factus expiatio pro peccatis vestris. Quæ omnia D. offerre debetis mane primi diei *præter holocaustum matutinum, quod semper*, seu singulis diebus *offeretis. Ita facietis per singulos dies septem dierum* azymorum, vt sint omnia prædicta *in fomitem ignis*, qui semper debet ardere super altare, *& in odorem suauissimum Domino*, qui ob deuotionem offerentium gratus erit Deo, & quasi *surget de holocausto, & de libationibus singulorum* ad placandam diuinam maiestatẽ. *Dies quoque septimus* paschæ azymorũ *celeberrimus & sanctus erit vobis omne opus seruile non facietis in eo*, prout de primo die dispositũ est. *Dies etiam primitiuorum*, seu pẽtecostes, vel hebdomadarum, *quando offeretis nouas fruges Domino*, non quidem in spicis, vel in granis expurgatis, prout offerri debent fruges infesto azymorum, sed in panibus coctis primitiuis, *expletis hebdomadibus septem*, dies videlicet quinquagesima à primo die azymorũ *venerabilis & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea*, exceptis his quæ ad ciborum præparationem pertinent *Offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino*, eique mirum in modum gratũ & acceptũ: habebit autẽ holocaustũ istud *vitulos de armento duos, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos septem: atque in sacrificijs eorum*, seu oblationibus sacrificia complentibus, offerre debetis *simila oleo cõspersa tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas, per agnos decimam decimæ* partis cori ad mensuram sacrificiorum calendarum, & Paschæ: loquor autem de agnis quos in hoc holocausto dixi esse offerendos, *qui simul sunt agni septem. Hircum quoque qui mactatur pro expiatione* offeretis in hac die, *præter holocaustum sempiternum*, quod quãdiu status reipublicæ vestrę durauerit, iugiter offerre debetis: *& liba eius* scilicet hirci pariter tradetis. *Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis:* ita vt nihil offerendorum habeat defectũ aliquem naturalem, seu notabilem deformitatem.

Marginal notes: † Exo. 12 d. 18. Leui. 23. a. 5. — † Leuit. 23. a. 6.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVIII.

I. HAEC sunt sacrificia.] Pro huius capitis & sequentis intelligentia aduerte, quod Israelitæ per triginta & octo annos, quibus per desertum ambulaverant ab exitu de monte Sinai, desierãt offerre sacrificia, ne igitur ob hãc tam longam sacrificiorum intermissionem, crederent non amplius ad eorum oblationem teneri, ad quod illos maximè inuitasset innata sibi cupiditas & auaritia, propterea in hoc capite & in sequenti proponuntur Hebræis sacrificia, quæ adepta pacifica Terræ Chanaan possessione offerre tenebantur coram tabernaculo. Horum autem sacrificiorum quędam erant vniformia per totum annum, scilicet matutinum & vespertinum: alia verò non nisi in festiuis diebus præcipiebantur offerri. Erant autem Hebræorum festiuitates septem, quarum duæ pluries in anno celebrabãtur, videlicet Sabbata, & Neomeniæ seu Calendæ. Aliæ vero quinque non nisi semel in anno erant obseruandæ, quales erant Phase, Pentecostes, clangoris, Propiciationis, & tabernaculorum: de quarum cultu satis superque actum est in capite vigesimotertio Leuitici. Hic igitur solum agitur de sacrificijs ac libamentis, quæ in his diebus offerre oportebat. In hoc quidem capite agitur de in

Marginal note: † Ad quæ sacrificia, & solemnitates tenebantur Israelitæ.

Digitized by Google

de iugi sacrificio, ac de sacrificijs Sabbati, Neomeniæ, Paschæ & Pentecostes: in sequēti vero de sacrificijs: in reliquis tribus solēnitatibus offerēdis: vnde ista duo capita à nonnullis Rabinorū vocātur Catalogus sacrificiorū, nō secus atq; caput trigesimumtertium huius libri vocatur Catalogus mansionum, & caput. 18. Leuitici, Catalogus consanguinitatum; & matrimoniorum non contrahendorum, & caput. 23 eiusdē libri, Catalogus festiuitatū appellatur.

II. ET libabitis.] De sacrificiorum libamentis, quorum in hoc capite passim fit mentio diffusè actum est Leuit. cap. 2. & 14. & Numer. cap. 15. vbi videre poteris: Et repete nostram annota. 7. cap. 14. Leuitici.

III. *Festum Neomeniæ.* IN calendis autē.] De festo Calendarū, seu Neomeniæ pauca vel nulla fit mentio in sacris literis: colligitur nihilominus illius solemnitas tum ex hoc loco; tum ex capite decimo præsentis libri. Ex hoc inquam loco, quia in eo recēsētur sacrificia specialia, quæ intuitu huius festiuitatis offerre oportebat. Et etiam supra in capite decimo præcipitur Iudæis in Neomenijs vti tubis, quod signum erat lætitiæ & festiuitatis, vt ex ipso literæ contextu liquet. Cuius quoque solemnitatis meminit Iosephus libro. 3. Antiquit. cap. 10. Nec tamen eo die Hebræi tenebantur cessare ab operibus seruilibus. Celebrabant autem Iudæi festum hoc in memoriam perpetuæ diuinæ gubernationis, quasi gratias Deo agentes pro continuis beneficijs ab eius manu prouida, & omnium gubernatrice procedentibus: simul etiam deprecantes, & efflagitantes, ne in futuro eā destituerentur, idcirco hoc festum celebrabatur in Nouilunio, quod vtrunque continet tempus, cum sit præteriti finis, & futuri initium. Quod etiam in figura illis contingebat: vt enim dicit Augusti. lib. 19. contra Faustum cap. 10. Nouilunij festum indicabat nouitatem spiritus, & Euangelij per Christum, legi imposito fine, & idololatria expulsa, efficiendam, de qua dictū est ad Galat. 6. In Christo neque circuncisio aliquid valet, neque præputium; sed noua creatura: & Tit. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti.

Quare nō in plenilunio, sed in nouilunio festū agebatur. Veruntamen non absque mysterio festum hoc nō in plenilunio, quādo lunæ virtus magis viget, sed in eius defectione celebrandum Deus præcepit Cuius rei ratio ex quadam doctrina Grego. Nazian. orat. 2. de Paschate, maximè elucidatur: erat quippe populus ille in idololatriam nimium procliuis, vtpote ab idololatria abstractus, & idololatris circundatus, idcirco dedit illi Deus sacrificia, & cæremonias, quæ sic Deo vero populum coniūgebant, vt quādam etiam similitudinem, & vicinitatē cum ijs, quæ idololatræ agebant, haberent: hac enim ratione suaui & dulci manu ab illis gentium ritibus ablactabatur; suo post tempore ab ijs etiam omnibus ablactandus. Concessit igitur multa similia ritibus gentium, sed in veri Dei cultū perfecta, & cōmutata. Vnde doctè & acute dicit Gregor. legem illam velut materiē quandā inter Deum, & idola fuisse. Ex ijs causam propositæ difficultatis facile est intelligere: erant Hebræi propensi ad sacrificandū lunæ cum gentibus, quam cœli reginā appellabant, vt constat Hierem. 44. Prophetāque audire detrectabant ea sacrificia prohibentē: concessit igitur Deus, vt lunæ tēpore sacrificarent, sicut & gentes, sed non vt gentes ipsi lunæ sacrificiunt offerrent, sed vero Deo lunæ; & cœli auctori. Vtque hoc significaret, non in plenilunio quando gentes sacrificare consueuerant, sed in lunæ defectione, ne lunæ virtuti quasi diuinitatem habentis, sed ipsi vero Deo, beneficia, quæ acceperant, & quæ sperabant, adscriberent.

IIII. *Mensura Gomer sub plurimis nominibus designatur in Scriptura.* DEcimam decimæ.] Mensura Gomor, quæ valde memorabilis est in sacris literis, plura apud easdem habet nomina. Interdum enim idque frequentius vocatur Gomor, vt Exod. 16. Aliquādo vocatur decima in hoc ipso capite, eo quod Gomor est decima pars ephi, vt in eodem cap. 16. dicitur. Interdum quoque Gomor appellatur decima decimæ, vt hic: cuius nominis significatio desumitur per ordinē ad mensuram vocatā corus, sicut enim Gomor est decima pars ephi, ita ephus est decima pars cori, vt habetur Ezech. ca. 45. Vnde de primo ad vltimum Gomor iure optimo potuit vocari decima decimæ, quia est decima pars decimæ partis cori. Cuius autem quantitatis mensura fuerit Gomor, diximus Exodi. 16 annotat. 6.

V. IN holocaustum sempiternum.] De causis, ob quas hostia pro peccato & hostia pacificorum aliquando dicuntur offerri in holocaustum, diximus Leuit. c. 3. annotat. 1.

VI. *Oblatio similæ vocatur sacrificium absolutè.* ET sacrificia singulorum.] Oblatio similæ vocari solet in scriptura absolutè sacrificium, vt hic & cap. seq. cuius rei rationem assignauimus, Leuit. cap. 2. annot. 1.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXIX.

¶ Instituuntur sacrificia, quæ populus Israeliticus ex præcepto legis tenebatur offerre in tribus vel quattuor anni festiuitatibus: videlicet in solemnitate tubarum, quæ prima die septimi mensis obseruanda erat: & in die expiationis, decima scilicet eiusdem mensis: & in festo tabernaculorum, quod quintadecima die cūm sex sequentibus eiusdem mēsis septimi colere oportebat. Ac tandem in octauo

die

die computando à primo tabernaculorum, qui collecta pecuniarum pro expensis Sanctuarij dicatus erat. Quorum dierum sacrificia in nulla alia licebat commutare.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIX.

A. MENSIS *etiam septimi* vocati Chaldaicè Thisri, Hebraicè autem Ethanim & Latine
Septēber, *prima dies venerabilis*, summaque veneratione digna *& sancta
erit vobis*, ac proinde quanuis licita sit ciborum præparatio, cæterum *omne opus ser*
I. *uile* 1 *non facietis in ea, quia dies clangoris est & tubarum*, in quo in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ tenemini gratias Deo exhibere pro liberatione Isaac in cuius semine futurus erat Messias: atque beneficium anni septimi remissionis, & quinquagesimi iubilei in memoriam reuocare. *Offeretisque holocaustum* gratum & acceptum quasi *in odorem suauissimum Domino* nō secus, atq; odor suauissimus solet esse gratus hominibus, videlicet *vitulum de armento vnum, arietem vnum, & agnos anniculos immaculatos septem*, immo-
† Leuit. lantes ea iuxta ritū † in principio Leuitici
1.4.3. designatum & *in sacrificijs* 2 *eorum* seu libationibus, concomitari debent victimas carniū, offeretis *similæ oleo conspersæ, tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, vnam decimam per agnum, qui* agni nō sunt singulares, vt vitulus & aries, sed *simul sunt agni septem: & hircum* debetis etiam immolare in sacrificium *pro peccato, qui offertur in expiationē populi*: Quod quidem holocaustum modo institutum offeretis die illo primo mensis septimi, *præter holocaustum calendarum cum sacrificijs suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis*: hæc enim nullatenus debent prætermitti, etiam si cum alijs coincidāt. *Eisdem ceremonijs offeretis* omnia holocausta offerenda quantum ad modum agendi sacerdotum, & quantum ad immolatio-
† Leui. 1 nem, † & alia præscripta in libro Leuiti-
& 2. c. ci, vt hac ratione cedant *in odorem suauissi*
† Leuit. *mum incensum Domino.* † *Decima quoque*
16. g. 30 *dies mensis huius septimi* in memoriā pro-
& 23 c. pitiationis, qua Deus misericorditer ex-
14. piat peccata vestra, & tabernaculum, *erit vobis sancta atque venerabilis, & affligetis animas vestras*, ieiunijs vacantes atque alijs mortificationum generibus: *omne opus seruile*, quale est, quod absque magna necessitate corporaliter exercetur, *non facietis in ea: offeretisque holocaustum Do-*
mino non minus gratum, quàm si esset *in* B.
odorem suauissimum, vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos, septem, & in sacrificijs seu libamentis *eorum similæ oleo conspersæ tres decimas*; quas offerri iubet lex *per singulos vitulos; duas decimas per arietem, decimam*
decimæ, 3 hoc est vnum Gomor similę *per* III.
agnos singulos eorum, *qui* immolari præcipiuntur qui *sunt simul agni septem: & offe*retis etiam *hircum pro peccato, absque his, quæ* in hoc ipso die propitiationis *offerri pro delicto solent* à summo sacerdote *in expiationem* tabernaculi & plebis, videlicet vnus vitulus pro peccato, & vnius aries in *holocaustum*, ac duo hirci, quorum alter immolatur, & alter mittitur in caprum emissarium, quæ non solum offerre tenemini, sed & holocaustum *sempiternum* quod mane & vespere singulis diebus iugiter immolatur, *cum sacrificio* similæ triticeæ, *& libaminibus eorum*, quæ sunt vinum, & oleum, & sal & thus. *Quinta decima verò die mensis septimi, quæ* in memoriam insignis beneficij, quo Deus vos direxit per desertum sub tentorijs, *vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus seruile non facietis in ea*, prout circa alias festiuitates præter sabbata dispositum est, *sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus*, non quidem vacando à laboribus in omnibus illis, sed offerendo sacrificia inferius exprimenda. *Offeretisque holocaustum* ita gratum & acceptum, ac si esset *in odorem suauissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos an-*
niculos immaculatos *quatuordecim*: 4 *&* IIII.
in libamentis eorum offeretis solitam quātitatem, videlicet *similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos*, hoc est triginta & nouem decimas pro omnibus vitulis, *qui sunt simul vituli tredecim: & duas decimas arieti vno, id est*, quatuor decimas si-

milæ

milæ simul arietibus duobus, & decimã decimæ agnis singulis, scilicet quattuordecim decimas pro omnibus agnis, qui sunt simul agni quattuordecim: offeretis præterea & hircum pro peccato absque holocausto sempiterno duorum agnorum, qui mane & vespere iugiter immolãtur, & sacrificio similæ requisitæ in iugi holocausto, & libamine eius, quod offertur ex vino, oleo, thure, & sale.

C. In die altero, qui est secũdus tabernaculorum offeretis vitulos de armento duodecim, in vnoquoque enim horũ dierũ diminuitur vnus vitulus respectu eorũ, qui die præcedenti offeruntur: item arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: sacrificiaque & libamina singulorum iuxta mẽsuram in præcedentibus sacrificijs designatam per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: & hircum pro peccato absque holocausto sempiterno, sacrificioque & libamine eius, prout in sacrificio præcedentis diei iussum est. Die tertio offeretis vitulos vndecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos, vnaquæque enim carnium victima sua requirit libamẽta, ritè celebrabitis: & hircum pro peccato, etiam offeretis absque holocausto sempiterno sacrificioque & libamine eius. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno sacrificioq; eius, & libamine. Die quinto offeretis vitulos nouem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine.

D. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius & libamine. Die septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quattuordecim: sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis: & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno sacrificioque eius & libamine. Quibus oblatis, hoc ipso die septimo completur solemnitas tabernaculorũ. Die octauo, qui non ad præcedentem solẽnitatem, sed ad festum cœtus atque collectæ spectat, est celeberrimus, ac maiori reuerentia dignus quàm sex præcedentes dies: omne opus seruile non facietis, sed Deo ac largitioni pecuniarum pro sumptibus Sanctuarij vacabitis, offerentes holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum vnũ arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem: sacrificiaque, & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, iuxta ceremonias holocaustorũ, quæ in alijs festiuitatibus offerũtur. Offeretis præterea in die collectæ, & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno duorum agnorum matutini & vespertini, sacrificioque eius & libamine, hoc enim holocaustũ nulla ex causa omitti debet. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris colendo eas prædictis sacrificiorum oblationibus, præter vota, quæ sunt oblationes necessariæ quando executioni mandãtur, & oblationes spontaneas, quæ omnino voluntariè dantur: propter nullum enim istorum debet omitti quippiã eorum, quæ lex pcepit offerre ea siue cõmutatio fieri velit vel in holocausto vitulorũ, arietum & agnorum, vel in sacrificio similæ, quod comitari debet carnium victimas, vel in libamine vini, olei, thuris & salis, vel tandem & in hostijs pacificis quarũ appellatione hostia etiã pro peccato venit intelligenda. V.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIX.

I. Operis seruilis appellatione nõ intelligitur ciborũ præparatio.

OMNE opus seruile.] Sæpius repetuntur hæc verba in præsenti capite, sub quibus tamen non cõprehenditur ciborũ præparatio, vt constat ex alijs sacræ scripturæ locis. Quãuis enim Leuit. c. 23. caueatur, ne aliquod opus seruile fieret primo & septimo azymorũ die: nihilominus de eisdem diebus Exo. 12. habetur, Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinẽt. Quãdo autẽ scriptura vult abstineri etiã à præparatione ciborũ dicit vniuersaliter, nihil operis faciendũ esse in eo die: prout Leuit. 23. præcepit lex quantum ad obseruationem sabbati & festi expiationis.

II. Sacrificium pro oblatione similæ.

ET in sacrificijs.] Nomine sacrificiorum in toto isto capite intelliguntur oblationes similæ, quæ cum victimis carniũ fieri præcipiebantur ex præscripto legis Leuit. c. 2 vbi annot. 1. huius locutionis causã assignauim°.

III.

DEcimã decimæ.] Huius mẽsuræ quãtitatẽ explicuimus capite præcedenti annot. 3.

Annicu-

Plura suffragia in solemnitate tabernaculorũ quã in alijs solemnitatibus offerri præcipiũtur

IIII. ANniculos quatuor decim]. Ob duplicem causam factum esse existimo, vt lex præciperet plura sacrificia offerri in diebus tabernaculorum, quam in cæteris omnibus anni sollemnitatibus. Altera est quia his diebus repræsentabant Israelitæ & in memoriam reuocabãt tempus illud quadraginta annorum, quo in deserto extiterant sub tabernaculis, vt habetur Leuit. cap. 15. Quia ergo toto illo tempore nulla sacrificia obtulerant exceptis his, quæ in mõte Sinai erecto tabernaculo testimonij immolauerant; idcirco quasi in recompensationem sacrificiorum, quæ longo illo tempore immolari debuissent, si ob culpam Israelitarum non fuisset dilatatus ingressus in terrã promissionis, multiplicari debuerunt sacrificia & victimæ festi tabernaculorum. Secunda causa assignari potest, quia in octauo die huius solemnitatis celebrabatur festum cætus seu collectæ, in quo populus pro vniuscuiusque deuotione offerebat pecunias pro expensis tabernaculi, & sacrificiorum illius: quia ergo populus magis moueretur ad largam eleemosynam faciẽdam, si plures videret victimarum expensas in altari fieri, ideo iussum est multo plura sacrificia in hac festiuitate, quàm in alijs offerri.

Hostia pacifica & pro peccato solẽt sub alterno nomine cõprehendi.

V. IN hostijs pacificis]. Sub nomine hostiæ pacificæ hoc in loco venit intelligenda hostia pro peccato, prout etiã alibi solet hostia pacifica nomine hostiæ pro peccato cõprehendi: vt patet Psal. 39. Holocaustum & pro peccato nõ postulasti, vbi pro peccato stat simul pro hostijs pro peccato & pacificorũ. Causa autem ob quam hæc duplex victima sub alterius nomine cõprehendi solet, ea est quia vtraque communicat in vna ratione, in qua ab holocausto distinguitur. Holocaustũ enim, vt dictũ est Leuitici cap. 1. totũ incenditur super altare: secus autẽ est de victimis pro peccato & pacificorũ, quarũ aliqua pars communiter reseruatur vel offerenti, vel sacerdoti, & non tota incenditur super altare; vt habetur Leuit. 3. & 4. cap.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXX.

¶ Decernuntur casus, in quibus licitum est secundùm dictamẽ legis naturalis vota irritare, seu iuramenta relaxare. Et quidẽ virorum promissa nequaquam irritari permittuntur, sicut neque vota emissa à fœminis viduis, vel repudiatis. Pater vero votum filiæ sub patria potestate consistentis, & vir votum vxoris sibi tantum desponsatæ vel iam traditæ irritare possunt, cum sibi eiusmodi vota innotescunt. secus postquam iam eis semel consensum præbuerint, quo firma & solida redduntur vota subditorum.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXX.

A. N*Arrauitque Moyses filijs Israel* in eisdem campestribus Moab *omnia, quæ ei Dominus imperarat*, tã circa sacrificia, quã circa alia, quæ ad populũ spectabant: *& locutus est* specialiter quasi ad populi digniores, *ad principes tribuũ filiorũ Israel*, qui, vt dictum est in principio huius libri, erant duodecim, dicens: *Iste est sermo, quem præcepit Dominus*, vt obseruetis circa concessam vobis vel denegatã facultatẽ irritandi vota: *Si quis virorũ*

I. *rũ* i adultorũ, ac nõ existentiũ sub aliena potestate dominatiua, *votum Dño vouerit* promittens Deo aliquod bonũ superrogationis,

II. *aut se constrinxerit iuramento*, 2 iurãs se facturũ aliquod opus piũ, quãuis nõ sit supererogationis, *nõ faciet irritũ verbũ suũ, sed omne quod promisit implebit*, vxori enim seu alteri, cui nõ sit subiecta vouẽtis volũtas, nõ permittitur irritare vota, vel relaxare iuramenta à viris prçstita. † *Mulier si quippiã vouerit, & se constrinxerit iuramẽto, quæ* tamẽ nõ peruenit ad emãcipationem, sed *est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari*, qualis est ætas, quæ nõ excedit duodecimũ annũ quoad vota personalia, & quæ nõ excedit vigesimũ quartũ

quoad vota realia, *si cognouerit pater votũ,* III.

quod pollicita est, & iuramentũ quo obligauit animã suã, 3 *&* sciẽs ac volẽs pater nõ cõtradixerit, sed consensum prçbẽs *tacuerit, voti* firmi & stabilis *rea erit*, & omnino obnoxia adimpletioni promissi: *quidquid pollicita est, & iurauit, opere cõplebit. Sin*

autẽ statim vt audierit, quod filia promisit B.

cõtradixerit pater, eo ipso absq; alterius dispẽsatione, seu relaxatione *& vota & iuramẽta eius irrita erũt, nec* eiusmodi mulier *obnoxia tenebitur spõsioni, eo quod cõtradixerit pater*, quod ille absque aliqua etiã causa iure facere poterat. *Si maritũ habuerit* mulier

† 33. q. 5. c. manifestũ, & c. noluit.

mulier, cui tamen non est tradita, sed manet adhuc in domo paterna, quamuis ex hac parte videbatur non posse rescindi votum eius à sponso, sed debere irritari à patre, nihilominus si talis mulier promiserit, *& vouerit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento*, loquor enim de promissione, quæ statim inducit obligationem, & si postea possit irritari, in eo igitur casu *quo die audierit vir, &* quia consensum præbet, *non contradixerit, voti* solidi ac firmi *rea erit, reddetque quodcunque promiserat*, nisi alias pater ex vi facultatis, quam habet in vota filiæ existentis sub
C. potestate sua, votum illius irritauerit. *Sin autem audiens* vir eius seu sponsus, *statim cõtradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus obstrinxerat animam suam*, tunc à tempore talis irritationis sponsa nõ manebit obnoxia voto, & quamuis illud non obseruet, nihilominus *propicius erit ei Dominus*, quia non peccat illud frangens. *Viduã & repudiata quidquid vouerint, reddet*, nemini enim licet per potestatem moralis legis, earum mulierum vota irritare. *Vxor in domo viri* consistens quantum ad irritationem votorum non subiacebit patriæ potestati, *sed eum se voto cõstrinxerit, & iuramento*, vel alteri istorum, *si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat*, firmumque reddetur tale votum. *Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea*, etiam si contra
D rem quam promiserat faciat, *quia maritus cõtradixit*, cuius contradictio vim habet legitimæ irritationis *& Dominus ei propicius erit*, eo quod eiusmodi fæmina votum retractãs non peccat. *Si vouerit*, igitur mulier vxorata, quod exempli gratia subijcio, *& iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suã*, hæc enim sunt, quæ communiter vouere solent fæminæ, *in arbitrio viri erit* ac in eius liberæ voluntatis facultate, *vt faciat, siue nõ faciat*, cui stare debet mulier in adimpletione talis voti. *Quod si audiens*, vel quoquo modo sciens & prudens *vir tacuerit*, ita vt pro tunc consensum præbeat voto vxoris taliter tamen quod *& in alteram diem distulerit sententiam*, quasi reseruans sibi facultatem ad irritandum vxoris votũ futuro tẽpore, si sibi reuocare placuerit, in eo casu *quidquid vouerat* vxor illius, *atque promiserat reddet: quia* vir tempore, quo potuit votum irritare, videlicet *statim vt audiuit*, non cõtradixit, sed illud confirmans, *tacuit. Sin autem contradixerit*, 4 non statim vt sibi vo- IIII.
tum vxoris innotuit, sed *post quam resciuit*, & consensum voto præbuerat, si absque noua superueniente causa faciat, manebit quidem mulier tuta in conscientia, & si votum non adimpleat, cæterum *portabit ipse iniquitatem eius*, viroque imputabitur fractio voti. *Istæ sunt leges* hucusque relatæ, *quas cõstituit Dominus Moysi* ad hoc, vt morale iudicium ferri valeat *inter virum & vxorem, inter patrem & filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo*, quãtum ad irritationem vel tacitam confirmationem votorum.

ANNOTATIONES IN CAP. XXX.

I. *Quarũ personarum vota sunt vel non sunt firma.*

SIQVIS Virorum.] Tria personarum genera memorantur in præsenti capite, scilicet virorum, & mulieris degentis sub potestate patris vel mariti, & mulieris viduæ vel repudiatæ, quæ soluta est à prædicta potestate. Nomine virorum intelliguntur, quicunque sunt absolutè domini suorum bonorum cum libera eorum administratione, & habent plenum dominium suæ voluntatis. Et his inest plena facultas vouendi, sine dependentia ab alio. Per mulierem degentem sub potestate paterna, vel mariti non solum intelliguntur eius conditionis fæminæ, sed etiã quicumque subduntur etiam quoad velle vel nolle alterius potestati, vt filij familias, religiosi, serui & alij huiusmodi. Et nullus istorum valet de ijs rebus, in quibus alteri subijcitur, votũ vllum emittere, quod citra eius assensionem solidum sit ac firmũ. Cuius rei veritas est, quæ principaliter intenditur in præsenti capite: de qua videndus est D. Thom. & eius commentatores. 22. q. 88. ar. 8. & Iuris consulti in c. Manifestũ, & ca. Noluit 33. q. 5. Quia verò inter duo prædicta personarum genera videbantur medium locum tenere viduæ & repudiatæ, nec satis constabat, in quam partem harum iudicium deberet inclinare, idcirco fit specialis earum mentio, & significatur, quod harum mulierum vota sunt firma & solida, neq; à quoquã veniunt irritãda.

II. *Materia voti diuersa est à materia iuramenti.*

COnstrinxerit iuramento.] Ob eam causam acturus legislator de relaxatione promissionum, specialiter meminit iuramenti, & distinguit illud à voto sæpe sæpius in hoc capite: quia sunt aliqua, quæ non possunt esse materia voti, possunt tamen esse materia sufficiens iuramenti, vt contractus matrimonij non potest cadere sub voto, bene tamen sub iuramento. Ad

obligationem enim iuramenti satis est, quod id quod promittitur non sit contra bonos mores: at ad obligationem autem voti requiritur, quod sit melius bonum quam suum oppositum, vnde quia non esse vxoratum melius est quam esse vxoratum: idcirco illud prius potest cadere sub voto, non tamen hoc posterius, quamuis sit opus pium, vxorem ducere.

III. *Subditus quãdo de ijs, in quibus alteri subest: potest votũ emittere.* OBLIGAVIT Animam suam.] Duo genera rerum ex his, in quibus voueus est alteri subiectus, possunt cadere sub voto. Quædam enim res sunt inferiori interdictæ, aliæ vero non sunt interdictæ. Prioris generis sunt verbi gratia notabilis rerum familiarium alienatio mulieri vxoratę, & peregrinatio est interdicta religioso degenti sub stricta clausura. Secundi generis sunt recitatio verbi gratia coronę beatissimæ Virginis, & ieiuniũ aliquod. Inter vota igitur istorum operum hoc versatur discrimen, quod votum rerum interdictarum nullũ habet robur, neque aliquam inducit obligationem, quousque superior tollit impedimentum interdicti, & consentit tali operi. Cæterum votum aliarum rerum, quæ non sunt prohibitæ, etiã ante consensum expressum superioris obligat in conscientia, quamuis possit irritari à superiori. Et quia de huiusmodi voto vel iuramento loquitur legislator in pręsenti, quasi de obligatione, iam ante quam pater sciret contracta, inquiens. Et iuramentum, quo obligauit animam suam. Et paulo inferius de simili promissione loquẽs ait. Et vouerit aliquid, & semel de ore eius verbũ egrediẽs animã eius obligauerit iuramẽto

IIII. *votũ etiã confirmatum potest interdum relaxari.* SIn autem contradixerit.] Hic loquitur legislator de irritatione voti facta à superiori, postquam iam semel votũ inferioris confirmauerat: exponitq. doctrinam, quã sæpius in hoc capite videbatur inculcasse. Dixerat enim posse patrem vel maritum votum fœminæ sibi subditæ mox vt illud disceret, infringere, quod si semel voto consentiret, iam illud reddi firmũ ac solidũ & quasi indissolubile, vbi videbatur insinuasse inferiorem nõ debere stare arbitrio superioris, ex quo semel consensum præbuisset superior voto emisso ab inferiori. Cæterũ quia etiam præstito consensu à superiori, adhuc vouens manet inferior, atque adeo neque superior sua debet orbari autoritate, idcirco docet modo lex, quod votum illud semel confirmatum, potest infringi, idque rectè si noua aliqua causa superueniat. Quam doctrinam colligit D. Augustinus in quęstionibus super hunc locum relatus à Gratiano in ca. Manifestũ 33. q. 5. ex eo quod lex hoc in loco, viri, dixit esse peccatum si absque rationabili causa abnuat, quod prius consenserat, nec tamen mulieri ex hoc iussum dedit, vt quod prius vir ei concesserat, postea si prohibuerit contemnatur. Vnde Gratianus ibidem & in calce quæstionis illius quintæ cõcludit, quod ita vota abstinẽtiæ viro permittenti mulier potest promittere, vt tamen eodem prohibente promissa non valeat adimplere. Quod tamen intelligendum est, quando consensus præstitus à viro non fundatur in aliquo mutuo contractu, do vt des: prout fundatur, quando coniuges mutuo consentiunt circa votum continentiæ: tunc enim nequit consensus retractari, vt habetur in verbis finalibus dictæ quæstionis quintę. Circa quã rẽ & circa alia plurima dubia, quę occasione doctrinę huius capitis, quod totũ est morale, moueri poterãt consulãtur doctores scholastici & Iuris cõsulti in suis proprijs locis.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXI.

¶ Facta iussione Domini ad Moysen de expugnandis Madianitis, mittuntur ad eiusmodi opus duodecim millia bellatorum sub ducatu Phinees sacerdotis. Quibus iussa explentibus, victoriaque mirabiliter reportata, cum insigni præda ad castra regrediuntur. Eis Moyses & Eleazar occurrunt, ac de purificatione admonent, prædamque hominum & animalium inter bellatores ac reliquam multitudinem diuidunt, extractis primitijs tam pro sacerdotibus, quam pro Leuitis. Vltra quas duces exercitus offerunt Sanctuario omne aurum, quod in bello acquisierant.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXI.

A LOCVTVSQVE Est Dominus ad Moysen, præfixitque tempus, in quo deberet executioni mandari bellũ, quod in superioribus indixerat contra Madianitas, dicens. † *Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum,* mortem subiens temporalem: neque enim volo diu differre horũ suppliciũ, prout differre statui punitionem Moabitarum, † supra 25. d. 17

tarum, qui vna cum eis mercede conduxerunt contra vos Balaam filium Beor. *Statimque Moyses* plus diligens obedire Deo, quam propriam vitam, quam sciebat non nisi vsque ad illius belli consummationem protendi, *Armate, inquit* ad populum, seu date *ex vobis viros ad pugnam fortes* & electos, *qui possint vltionem Do-*
I. *mini* 1 qua vlcisci debet iniuria Deo illata, *expetere de Madianitis.* Et quia pro nobis pugnaturus est Dominus, non est cur vniuersus populus prodeat ad pugnam, sed *mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel*, dimissa omni Leuitarum multitudine in custodiam arcæ fæderis, *qui mittantur ad bellum. Dederuntque millenos de singulis tribubus*, id est, *duodecim millia expeditorum*, qui armati erant ac dispositi *ad pugnam: quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis*, vt pote condigno huius belli duce ob zelum Dei, quem in occisione Zambri & Cozbi fornicantium ostenderat, *vasa quoque*
II. *sancta*, 2 *&* seu, id est *tubas ad clangendum tradidit* eis, vt instrumentis illis argenteis, cum dimicandum esset, sacerdotes resonarent iuxta legis præceptum. *Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares*, qui erant æta-
† Ios. 13 c. 21. tis adultæ *occiderunt*, † *& reges* seu duces, vel regulos *eorum Eui* alio nomi-
† Supr. 25. d. 15 ne vocatum Heuæum *& Recem, & Sur* patrem Cozbi Madianitidis illius, quam oc-
B. ciderat Phinees fornicantem, *& Hur, & Rebe quinque principes gentis*, inter quos diuisa erat tota terra Madian, ipsi verò tributa pendebant Sehon regi Amorrhæorum, cuius duces erant: *Balaam quoque filium Beor* regressum de Mesopotamia Syriæ in auxilium Madianitarum *interfecerunt gladio*, vt pote infensissimum Iudæorum hostem, teterrimumque consiliatorem. *Ceperuntque mulieres eorum, & paruulos* tam generis masculini, quam fæminini, *omniaque pecora, & cunctam supellectilem* pertinentem ad vsus humanos in rebus inanimatis: & *quicquid habere potuerant depopulati sunt*, secumque tulerunt, vt cederet eis loco prædæ: quod autem habere non potuerunt, nec secum ducere, combusserunt: *tam vrbes, quam viculos, & castella flamma consumpsit*, ne ab ijs, qui bellum fugerant habitarentur. *Et tulerunt prædam, & vniuersa quæ ceperant tam ex hominibus* scilicet fæminas & paruulos, *quam ex iumentis*; seu quouis pecorum genere, *& adduxerunt ad Moysen, & Eleazarum sacerdotem* supremos populi principes, *& ad omnem multitudinem filiorum Israel*, qui remanserant in castris: *reliqua autem* 3 hoc III.
est, & reliqua *vtensilia* seu supellectilia, quæ etiam pertinebant ad prædam, *portauerunt ad castra*, quæ tunc temporis manebant *in campestribus* ac locis planioribus *Moab iuxta Iordanem contra Iericho* vrbem Chanaan existentem in altera parte fluminis. *Egressi sunt autem Moyses, & Eleazar* C.
sacerdos, & omnes principes synagogæ, qui remanserant cum multitudine *in occursum eorum extra castra* ad honorandum bellatores, & congratulandum eis, quod prospere gessissent pro tota multitudine: vel etiam ad tractandum cum eis de purificatione necessaria ante ingressum castrorum, ac de diuisione prædæ extra castra fienda. *Iratusque Moyses*, non quidem militibus, qui in culpa non fuerant, sed *principibus exercitus, tribunis, & centurionibus, qui venerant de bello, ait: Cur fœminas reseruastis* contra intentionem Dei expetentis vltionem de his, qui deceperunt Hebræos, & prouocauerunt eos ad idololatriam? † *Non-* † Supra. 25. a. 2.
ne illæ sunt, in quarum punitionem præcipuè bellum ordinabatur, vt pote *quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam* impij illius arioli, qui docuit mittere scandalum coram filijs Israel, *& prænaricari vos fecerunt in Domino*, legem illius & pactum transgrediendo, *super peccato*, quo initiati estis id[illegible] *Phogor, vnde & percussus est populus* plaga magna, qua viginti quatuor millia virorum perierunt? † *Ergo cunctos* † Iud. 21 b. 11.
interficite quidquid est generis masculini, si aliqui forte manserunt de adultis, sin autem saltim vltionem exercete *etiam in paruulis* in magnam peccati parentum detestationem: *& mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate*: vt nulla illarum, quæ Israelitas peccare fecerunt, remaneat: *puellas autem & omnes fœminas virgines reseruate vobis*, vt apud vos maneant, donec purificemini, fiatque spoliorum distributio: *& manete extra castra septem diebus*, quibus durat immunditia contracta super mortuo, qualem vos contraxistis in bello Madianitarum. *Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur* à viro mundo aspersione aquarum expiationis *die tertio & septimo*, perficietque reliquas ceremonias, quas superius capite decimo nono hu-

 ius

ius libri præfixi. *Et de omni præda*, quidquid aliquo modo immunditiam legalem contraxerit, *ſiue veſtimentum fuerit, ſiue vas, & aliquid in vtenſilia præparatum*, ſeu ad vſus humanos deſtinatum, *de caprarum* verbi gratia vel aliorum quorumcumque animalium *pellibus, & pilis, & ligno expiabitur*, iuxta purificationum ritus in lege præſcriptos.

D. *Eleazar quoque ſacerdos* permittente Moyſe, vt pro autoritate ſummi ſacerdotij illic verba faceret *ad viros exercitus, qui pugnauerant, ſic locutus eſt: Hoc eſt præceptum legis*, † *quod mandauit Dominus Moyſi*, quodque obſeruare tenemini, quicumque purificandi eſtis: *Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & ſtannum, & omne quod* purificatione indigens *poteſt tranſire per flammas*, eaſque ſuſtinere abſque ſui corruptione, ſiue illud ſit cuprum, vel aliud quodcumque metallum, *igne purgabitur*, vt pote elemento ad purificandum aptiſsimo. *Quidquid autem ignem non poteſt ſuſtinere*, quin corrumpatur, *aqua expiationis* vaccæ rufæ ſuperius inſtituta, eiuſque aſperſione à viro mundo facta *ſanctificabitur*, ad vſuſque humanos aptum reddetur. Vos quoque qui bello adfuiſtis, eodem ritu ſanctificabimini, nam die tertio & ſeptimo aquis luſtrationis aſpergemini, prout iuſsit Moyſes, *& lauabitis* præterea aquis fontium, ſeu riuorum *veſtimenta veſtra die ſeptimo*, nullum enim eſt elementum excepto igne aptius ad purificandum quam aqua, *& purificati poſtea caſtra intrabitis*: immunditia namque ſuper mortuo, qualem vos incurriſtis, relegat à caſtris. *Dixit quoque Dominus ad Moyſen*, præcepitque prædæ diuiſionem, primitiarumque ſolutionem, dicens: *Tollite ſummam eorum, quæ capta ſunt ab homine* ſupremi valoris *vſque ad pecus* infimi pretij, *tu & Eleazar ſacerdos, & principes vulgi* omnes: nequit enim iuſta fieri diſtributio, niſi memoria rerum diuidendarum prius habeatur: *diuideſque ex æquo* in duas partes æquales *prædam inter eos* duodecim millia viros, *qui pugnauerunt, egreſſique ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem* virorum ex peditorum, qui remanſerunt in caſtris: his namque æquum eſt dari dimidium prædæ, tum quia & ipſi parati erant ire ad bellum, tum etiam ne occaſione ceſſantis lucri tumultuentur. *Et ſeparabis partem Domino* dandam miniſtris eius in gratificationem accepti beneficij victoriæ: quam partem hac ratione præfiges, etenim *ab his, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello*, ſeu à medietate prædæ, quę iſtis contingere debet, accipies antequam præda inter eos diuidatur, *vnam animam de quingentis, tam ex hominibus* ſeu fœminis, quæ virum non cognouerunt, *quam ex bobus, & aſinis, & ouibus, & dabis eam Eleazaro ſacerdoti*, vt

E. in ſuum & aliorum ſacerdotum inferiorum vſum cedat: *quia primitiæ Domini ſunt*, ac proinde miniſtris eius primis, quales ſunt ſacerdotes dari conuenit. *Ex media quoque parte*, quam dixi contingere debere multitudini *filiorum Iſrael*, qui remanſerant in caſtris, antequam inter eos diuidatur, *accipies quinquageſimum caput hominum, & boum & aſinorum & ouium, cunctorum animantiũ & dabis ea Leuitis, qui* in circuitu atrij *excubant in cuſtodijs tabernaculi Domini*, ad arcendum ſeculares, ne accedant ad res ſacras, & ad portandum res tabernaculi, quãdo de loco ad locum deferre eas oportuerit. *Feceruntque Moyſes & Eleazar* vna cum vulgi principibus diuiſionem prædæ, ac primitiarum ſeparationem, *ſicut præceperat Dominus. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat*, exceptis ſupellectilibus, quorum vnuſquiſque, quæ in bello rapuerat, ſibi retinuit, *ouium ſexcenta ſeptuaginta quinque millia, boum ſeptuaginta duo millia, aſinorum ſexaginta millia & mille, animæ hominum ſexus fœminei, quæ non cognouerant viros, triginta duo millia*. Hæc talium tantorumque animantium multitudo diuiſa eſt ex æquo in duas medias partes. *Dataque eſt media pars his, qui in prælio fuerant, ouium trecenta triginta ſeptem millia quingentæ: è quibus in partem Domini* dandam ſacerdotibus *ſupputatæ ſunt oues ſexcentæ ſeptuaginta quinque* aſſumendo ſingulas oues de ſingulis quingentenis. *Et de bobus triginta ſex millibus*, qui obtigerunt bellatoribus, ſupputati ſunt in primitias Domini pro ſacerdotibus, *boues ſeptuaginta & duo: de aſinis triginta millibus quingentis* extracti ſunt in primitias ſacerdotales *aſini ſexaginta vnus: de animabus hominum ſedecim*

F. *millibus, ceſſerunt in partem Domini triginta duæ animæ. Tradiditque Moyſes numerum primitiarum Domini Eleazaro ſacerdoti*, vt pote principi ſacerdotum, *ſicut fuerat ei imperatum*: primitias autem, quas contulit Eleazaro extraxit Moyſes *ex media parte* duodecim millia virorum bellatorum *filio-*

rum

† Leui. 6. d. 28. & 11. c. 33. & 15. b. 11.

tuum Israel, quam separauerat his qui in prælio fuerant. De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ouibus trecentis triginta septem millibus quingentis, & de bobus triginta sex millibus, & de asinis triginta millibus quingentis, & de hominibus sedecim millibus, tulit Moyses quinquagesimum caput, & dedit Leuitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, reliquaque
G. Leuitarum munia explebant, *sicut præceperat Dominus. Cumque accessissent principes*, seu supremi duces *exercitus ad Moysen, & tribuni, centurionesque*, quibus demandata fuit custodia, & directio duodecim millium bellatorum, *dixerunt: Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra, & ne vnus quidem defuit* in itinere, neque etiam in belli conflictu. *Ob hanc causam* in gratiarum actionem pro tanto beneficio prompto ac libentissimo animo vltroneè *offerimus in donarijs Domini*, & quasi donum Deo dicatum, *singuli quod in præda auri potui-*
IIII. *mus inuenire, periscelides* 4 videlicet ex auro confectas, quibus crura mulierum exornari solent, *& armillas annulos & dextralia, ac murænulas*, vnde speramus euenturum, *vt depreceris pro nobis Dominum* motus liberalitate ac pietate nostra. *Susceperuntque Moyses, & Eleazar sacerdos omne aurum in diuersis speciebus*, seu figuris vasorum, nempe in periscelidibus, armillis & alijs huiusmodi, *pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos à tribunis & centurionibus*, reliquisque principibus exercitus oblatum. Potuerunt autem duces belli tantum auri offerre Sanctuario. *Vnusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat*: nec tenebatur aurum manifestare, quia hoc non erat diuisioni obnoxium sicut animalia: vnde poterat quisque de eo disponere, prout vellet. *Et susceptum* aurum Moyses & Eleazar *intulerũt in tabernaculũ testimonij* seruandũ inibi in repositorijs dicatis ad *custodiam* thesaurorum sanctuarij, vt esset *in monimentum filiorũ Israel coram Domino*, vt ex memoria huius oblationis inducantur Israelitæ in futuris victorijs efficere quid simile.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXI.

I. *Bellũ illatũ Madianitis cur vocetur vltio Dñi.*

VLTIONEM Domini.] Ob duplicem causam potest bellum illatum Madianitis vocari vltio Domini. Primo quia eo bello debebat recompensari iniuria illata Deo à Madianitis, cum auerterant populum eius & ad idolatriam prouocauerant. Vltio enim pro iniuria vel pro damno datur: quia ergo vltio ad illum pertinet, qui iniuriam vel damnum passus est, hæc optima ratione vltio Dei vocari debuit, quando quidem ipsi fuerat offensa facta: secundo vltio ista vocatur vltio Domini, quia specialiter & non absque magno miraculo à Deo fieri debebat, & quasi opus propriũ Dei erat executioni mandandum. Quod autem Deus specialiter vltionem istam exercuerit, constat ex hoc ipso capite, vbi habetur, quod cum tam pauci bellatores occidissent omnes Madianitas, & deleuissent terram eorum, ne vnus quidem Israelitarum defuit.

II. *Tubæ argẽteæ in bellis clangendæ vocãtur vasa sancta.*

VAsa quoque sancta.] Rabbi Salomon, quem nonnulli Catholicorum sequuntur, existimat per vasa sancta intelligi arcã Dei, quoniam illã filij Israel deferebant præliaturi cuius. In signum inquit Caietanus, quod superius in calce capitis quarti decimi dum agitur de euntibus ad præliandum contra imperium Domini, scriptũ est quod arca Dei non est mota de loco suo, insinuando ab opposito, quod si bellũ fuisset factum voluntate Dei, arca fuisset delata ad prælium. Cæterum argumentũ illud nullius est roboris, cum ex eo pariter inferri possit, quod Moyses ire solebat cum præliantibus, quia etiam dicitur ibidem, quod arca testamenti Domini & Moyses non recesserunt de castris. Et tamẽ nullatenus verum est quod Moyses semper exiret ad bella, vt patet hic, & quando misit Iosue ad præliandum contra Amalecitas, Exodi cap. 17. Minusque habet probabilitatis, quod Moyses in hoc Madianitarum bello traderet arcam testamenti minori cuidam sacerdoti, quem duodecim tantum millia pugnatorum comitabantur, eamque à se & ab omni castrorum multitudine relegaret. Quapropter dimisso hoc Rabbini illius somnio, asserendum est per vasa sancta nihil amplius quam instrumenta diuinitus dicata prelijs, nempe tubas argenteas debere intelligi. Has enim clangere oportebat, cum Israelitæ exirent ad bellũ vt dicitur superius capite decimo. In quo sensu coniunctio, Et, quæ immediatè subsequitur, stare debet pro idest, vt sit particula declaratiua verborum præcedentium, quod munus sæpius retinere coniunctionem, Et, ostendimus super Genes. cap. 26. annota. 2.

III. *Autem, pro cæterum vel Et.*

RElιqua autem.] Particula Autem non stat pro sed vel procæterum, prout communiter stare solet, quia tunc daretur intelligi non fuisse deportata vtensilia ad eundem locum, ad quem fuerunt deportatæ mulieres & iumẽta, cuius oppositũ docet scriptura: etenim cũ vtẽsilia fuerint pars quædã prædæ, ad eũ locũ adduci de-

buerunt, ad quem reliquę partes sunt adductę, vt ibi simul diuiderentur, nempe ad omnem multitudinem filiorũ Israel, vel ad castra, quod idem est. Sensus ergo huius dictionis Autem in præsenti non est aduersatiuus, sed copulatiuus, ponitur enim Autem pro cõiunctione, Et, prout poni solere in sacris literis ostendimus supra Genes. cap. 30. annota. 3.

IIII. *Periscelides sũt* PEriscelides.] Hic ponuntur ornamenta vel vtensilia, quæ de auro erant, & oblata sunt, quorum omnium & aliorum plurium meminit Isaias capite tertio. Et quidem periscelis ornamenti genus erat circa crura, quo mulierum gressus cõponi solebãt, vt docet Porphyrio enarrans illud Horatij libro primo Epistolarum. Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam, sæpe periscelidem raptam sibi flentis. Deriuaturque à verbo Gręco peri, quod est circum, & scheloscrus seu tibia. Significat autẽ periscelis etiã alia ornamenta figuratè. *ornamenta crurum.*

ARGVMENTVM IN CAP. XXXII.

¶ Occasione pecorum & iumentorum, quæ habebant filij Ruben, & filij Gad ac dimidia tribus Manaße petunt à Moyse vt sibi det in poßeßionem terram duorum regum Amorrhæorum, vt pote pascẽdis gregibus aptam, Irascitur Moyses ob eiusmodi petitionẽ quousque vltro citroque paciscuntur, quod daretur eis terra illa in poßeßionem, dum tamen ipsi dimißis liberis & vxoribus sub custodia competenti, tenderent armati & expediti vna cum alijs populi bellatoribus ad bellandum Terram Chanaan. Quo fœdere inito tradidit illis Moyses vrbes, quas postulabant.

PARAPHRASIS IN CAPVT. XXXII.

A. FILII autem Ruben & Gad vna cum viris dimidiæ tribus Manasse *habebant pecora multa*, quę emerãt ab alijs Israelitis, *& erat illis in iumentis*, vt hyperbolicè loquar, *infinita substantia*, plus enim multitudini gregũ quam alijs diuitiarũ generibus animum applicuerãt. *Cumque vidißent Iazer, & Galaad*, quæ sita erant in duobus regnis Amorrhæorum debellatis ab Israelitis, *aptas animalibus alendis terras*, vt pote multum irriguas & herbosas, *venerunt ad Moysen, & ad Eleazarum sacerdotem, & principes* duodecim, qui erãt supra duodecim tribus *multitudinis, atque dixerunt. Ataroth, & Dibon, & Iazer, & Nemra, Hesebon, & Eleale, & Saban, & Nebo, & Beon terra* (inquam) vniuersa duorum regum Amorrhæorum, *quam percußit Dominus in conspectu filiorum Israel* deuictis Sehon & Og illius regibus, *regio vberrima est ad pastum animalium, & nos serui tui habemus iumenta*, aliorumque generum pecora *plurima: precamurque, si inuenimus gratiam corã te* ac tibi grati existimus, *vt des nobis famulis tuis eam in poßeßionem*, quasi locum nobis diuinitus ad habitandũ promissum, *nec facias nos transire Iordanem* ad terram, quam nescimus, an tot pascuis abundet sicut ista. *Quibus respondit Moyses* putans illos sic voluisse manere in terra illa, vt neque etiam ad pugnandum intenderint transire Iordanẽ: & ait. *Numquid fratres vestri* qui pertinent ad alias tribus Israel, *ibunt ad pugnam* in terram Chanaan, quæ est vltra Iordanem, *& vos hic sedebitis* quiescentes in terra, quam ipsi labore suo adquisierunt? *Cur subuertitis mentes filiorum Israel* incutiendo eis timorem, *ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus*, dum credent, quod vos ob formidinem & diffidentiam, quam habetis expugnandi gentes existentes vltra Iordanem, non vultis illuc transire? *Nonne ita egerunt patres vestri* subuertendo animos fratrum suorum, *quando misi de Cadesbarne ad explorandam terram?* Etenim misi illinc exploratores, vt deferentes optimam terræ promissionis relationem, accenderent Israelitarum desiderium eam adeundi. † *Cumque venissent vsque ad vallem botri, lustrata omni regione*, ex qua saltem valle- B. † Sup. 13 b. 24.

valle poterant sufficiens argumentum vbertatis terræ desumere, ad persuadendum terræ illius desiderium: ipsi è contra *subuerterunt cor filiorum Israel* incutiendo vehementissimum timorem, adeo *vt non intrarent* nec intrare auderent *fines, quos eis Dominus dedit*, nempe terram Amorrhæorum, in quam jamjam Dominus paratus erat illos introducere. *Qui iratus* ob illam populi commotionem *iurauit, dicens: Si* (pro non vel nullatenus) *videbunt homines isti,* qui in duodecim tribubus Israel, (neque enim loquor de Leuitis) *ascenderunt ex Ægypto à viginti annis & supra, Terram quam sub iuramento pollicitus sum Abraham, Isaac & Iacob*, quod darem illam semini eorum, *& noluerunt sequi me*, nec de me sperare, quod darem eam illis, *præter Caleb filium Iephone Cenezæum, & Iosue filium Nun: isti impleuerunt voluntatem meam* facientes totaliter quod volui. *Iratusque Dominus aduersum Israel, circunduxit eum per desertum quadraginta annis*, seu circiter, *donec consumeretur vniuersa generatio* 2 *quæ fecerat malum in conspectu eius*, ac tempus vitæ vnius cuiusque illorum. *Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris*, locoque illorum succedere voluistis exhibendo vos quasi *incrementa, & alumni hominum peccatorum*, augetis enim noua peccata, denuo subuertentes Israelem, ac si nutriti essetis in paterna malitia, *vt augeretis furorem Domini contra Israel*, grauiusque puniat, quam antea punierat: eueniet enim. *Quod si nolueritis sequi eum* nempe Dominum tendendo in terram, in quam ire iussit, *in solitudine populum derelinquet* hostibus suis lacerandum, *& vos causa eritis necis omnium*, causam dantes peccato propter quod cuncti morientur. *At illi prope accedentes* ad Moysen, quò ipsorum excusatio ab eo, qui illos criminis notarat, audiretur, *dixerunt: Caulas ouium fabricabimus, & stabula iumentorum* in terra ista, quam in possessionem petimus, *paruulis quoque nostris vrbes munitas*, locaque commoda ad manendum parabimus: *nos autem ipsi armati & accincti pergemus ad prælium*, & non quidem in posteriori parte exercitus, ne forte sit de nobis suspicio, quod retrocedere velimus, sed *ante filios Israel* maiori nos periculo exponentes, quam illi, *donec introducamus eos ad loca sua*, quæ possessuri sunt in terra Chanaan. *Paruuli nostri, & quidquid habere possumus* non ibunt nobiscum, sed *erunt in vrbibus muratis propter* 3 *habitatorum insidias* ex quo duplex vtilitas reliquis Israelitis proueniet, altera quod expeditiores & magis dispositi ad bellum pergemus, nihil nobiscum deferentes, nisi dumtaxat bellicum apparatum: altera vero quod commodius prouidebuntur nobis alimenta, quando manna cessauerit, quam si vxores liberas & greges nobiscum ferremus. *Non reuertemur in domos nostras* si eas in terra ista assignaueris, *vsque dum possideant filij Israel hereditatem suam*, quam habituri sunt exclusis Chananæis: *nec quidquam quæremus trans Iordanem*, etiam si maior pars obueniat illic fratribus nostris, quam nobis hic, *quia iam habemus*, seu habere speramus *nostram possessionem in orientali eius plaga*: vbi sita est terra ista, quæ fuit duorum regum Amorrhæorum; ac proinde reliquum quod vltra Iordanem habere possemus renunciamus. *Quibus Moyses*: acceptans Rubenitarum, & Gaditarum, & dimidiæ tribus Manasse petitionem *ait*: † *Si facitis*: seu facere intenditis, *quod promittitis*, fiat quod vultis: dimissis igitur vxoribus, ac liberis vestris, & quidquid ad vos pertinet in locis ad eorum custodiam dispositis, *expediti pergite coram Domino*, & ante arcam fœderis eius *ad pugnam: & omnis vir bellator* 4 tribuum vestrarum, dimissis hoc in loco dumtaxat his, qui ad terræ munimen ac defensionem fuerint necessarij, *armatus Iordanem transeat* vna cum cæteris de populo, *donec subuertat Dominus inimicos suos, & subijciatur ei omnis Terra*, quam populo suo promisit vltra Iordanem: *tunc eritis inculpabiles apud Dominum* opere complentes, quod sub inuocatione diuina promisistis, *& apud Israel* mutuam in eos charitatem & auxilium rependentes: *& obtinebitis regiones has Amorrhæorum, quas vultis coram Domino*, qui approbabit & ratum habebit, quod terras istas possideatis. *Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est, quin peccetis in Deum: & scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos*, super quos proculdubio veniet pœna infidelitati vestræ debita. *Ædificate ergo vrbes paruulis vestris*, nempe liberis ac mulieribus, reliquisque de familijs vestris, *& caulas, & stabula ouibus ac iumentis, & quod polliciti estis implete* incedentes armati coram vestris fratribus. † *Dixeruntque filij Gad & Ruben* cum his, qui pertinebant ad dimidiam tribum Manasse, confirmantes promissionē, quam

Margin: I. C. II. D. (left); III. † Ios. 1 c. 11. IIII. E. † Ios. 4. c. 12. (right)

quam fecerant *ad Moysen: Serui tui sumus*, & instar seruorum *faciemus, quod iubet dominus noster. Paruulos nostros, & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in vrbibus Galaad*, quo nomine vocari solet tota terra duorum regum Amorrhæorum: *nos autem famuli tui omnes*, quotquot ire poterimus, nam nonnullos remanere oportet in terræ ac rerum custodiam, *expediti pergemus ad bellum, sicut tu domine loqueris*, ac iubes.
F. *Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, & Iosue filio Nun, & principibus* duodecim, qui vna cum Eleazaro & Iosue futuri erant diuisores terræ promissionis nomine omnium *familiarum per tribus Israel, & dixit ad eos*
† Iof. 13 b. 8. & 22. a. 4. Deut. 3. b. 12. † *Si transierint filij Gad & filij Ruben vobiscum Iordanem omnes armati ad bellum coram Domino*, seu coram arca testamenti eius, cui speciali prouidentia Deus assistit, tempore quo & *vobis fuerit Terra subiecta*, eamque pacifice diuidere potueritis, *date eis Galaad*, seu terram duorum regum Amorrhæorum *in possessionem*, confirmando donationem, quam ego eis modo facio sub prædicta conditione. *Sin autem noluerint transire armati vobiscum in Terram Chanaan*, auferte ab illis tanquam ab injustis possessoribus terram istam, ac vi & armis compellite illos transire Iordanem, atque *inter vos habitandi accipiant loca* in alijs terræ promissionis partibus. *Responderuntque filij Gad, & filij Ruben* cum dimidia tribu Manasse: *Sicut locutus est dominus* noster Moyses nobis *seruis suis, ita faciemus: ipsi armati pergemus coram Domino*, vel coram arca testamenti *in Terram Chanaan, &* ob id nihil nobis dari petimus in retributionem, sed *possessionem iam suscepisse nos confitemur trans Iordanem* in parte illius orientali, in qua nunc astamus.
† Iof. 22 a. 4. † *Dedit itaque Moyses filijs Gad & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse filij Ioseph regnum Sehon regis* cuiusdam partis terræ Amorrhæorum, quæ ob excellentiam vocari solita est terra *Amorrhæi, & regnum Og regis Basan, & terram eorum cum vrbibus suis per circuitum.* G. *Igitur extruxerunt* non quidem de nouo, sed reædificantes munierunt *filij Gad Dibon, & Ataroth, & Aroer, & Etroth, & Sophan & Iazer, & Iegbaa, & Bethnemra, & Betharan, vrbes munitas ad* custodiendum in eis res quas habebant, similiterque construxerunt & *caulas pecoribus suis.* I *Filij verò Ruben ædificauerunt* seu restaurauerunt *Hesebon, & Eleale, & Cariathaim, & Nabo, & Baalmeon versis nominibus* harum vrbium, ac mutatis in alia nomina iuxta proprietatem linguæ Hebraicæ, *Sabama quoque* vltra prædictas vrbes reædificarunt *imponentes vocabula vrbibus quas extruxerant* longe diuersa ab his, quæ prius habebant. † *Porro filij Machir, filij Manasse*, qui pertinebant ad dimidiam tribum ipsius Manasse *perrexerunt in Galad*, ad eam montis Galad medietatem, quæ erat sub rege Sehon, nam alia medietas erat sub rege Og, *& vastauerunt eam, interfecto Amorrhæo habitatore eius* occisisq; habitatoribus illius, qui ad gentem Amorrhæorum pertinebāt. † Genes. 50. d. 22
Dedit ergo Moyses Terram Galaad Machir filio Manasse, posteris videlicet eius, *qui habitauit in ea. Iair autem filius Manasse*, seu de eius genere per lineam prædicti Machir, *abijt & occupauit vicos eius*, ac loca nō munita terræ Galaad, *quos appellauit Hanoth Iair, id est, villas Iair. Nobe quoq;* alius quidā de posteris prædicti Machir filij Manasse, *perrexit, & apprehendit Chanat cum viculis suis*, turibusque non muratis, quæ erant in circuitu illius: *vocauitq; eā ex nomine suo Nobe*, ac sita est in dimidia parte Galaad, quæ obtigit mediæ tribui Manasse, de qua erat ipse Nobe.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXII.

I. *Si, pro nō vel pro, cum.*

SI Videbunt.] Euthymius super Psalm. 88. docet, quod veteris scripturæ idioma vti solet dictione, si, iniuramētis, loco negationis, vt 1 Reg. 14. Viuit Dominus si ceciderit capillus de capite eius. Et in eodem Psalm. 88. Semel iuraui in sancto meo si Dauid mentiar. Et alibi sæpe. Et in hoc sensu accipitur in præsenti. A qua Euthymij regula Cantapetren. libr. 8. Hypotyposeon capit. 8. excipit loca vbi dictio Si, habuerit sequentem particulam negatiuam, tunc namque dicit, quod si accipitur affirmatiuè. Idque probat ex illo Isaiæ capit. 14. Iurauit Dominus exercituum dicens: Si non, vt putaui, ita erit. Cæterum hæc Cantapetrensis exceptio potius est sententiæ Euthymij confirmatio: Ob id enim dictio, si, cui subsequitur negatio, affirmat, quia ipsa secundum se includit negationem, & duæ negationes affirmant, vt habet regula dialecticorum. Vera tamen exceptio prædictæ regulæ est, quando dictio Si, significat idem quod cum: tunc enim etiam si verbis iurandi aut affirmandi expressis, aut subauditis adiunga-

iunga-

iungatur non habet vim negationis: vt Deuter. 32. Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & ijs, qui oderunt me retribuam.

II. *Generatio sumitur pro diuturnitate vitæ vnius hominis.*

VNIVERSA Generatio.] Hoc in loco sumitur generatio pro diuturnitate vitæ vnius hominis, prout in alijs etiam sacræ scripturæ locis sumi solet, nempe Genes. cap. 6. Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis: nempe inter homines, qui suo tempore vitam agebant: vt ibi explicuimus. Et Isai. 38. Generatio mea ablata est, id est, tempus vitæ meæ finitum. Atque ita Hebræi numerant generationes, vt nos idiomate nostro vnam vitam, aut duas, aut plures numeramus. Vnde in præsenti idem est asserere, Donec consumeretur vniuersa generatio, quæ fecerat malum, ac dicere, Donec omnes quotquot tunc vitam agebant, & peccarunt, deficerent: ponitur enim mẽsuratum pro mensura.

III. *Quando quis debeat inniti prudentiæ suæ, & quando non.*

ERVNT In vrbibus muratis.] Aliquibus videri posset Rubenitas & Gaditas peccasse in eo quod propter habitatorum insidias expetierint vrbes muratas ad conseruationem rerum suarum: videntur enim hac in re egisse contra illud Exod. 34. Cum tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui, vbi promittitur Israelitis diuina custodia rerum, quas dimiserint in proprijs locis, quando omnes masculos ascendere contingeret ad locum tabernaculi ter in anno, prout ascendere tenebantur: ergo pari modo isti tenebantur confidere de diuina custodia, etiamsi res suas dimitterent absque humana protectione. Respondetur nihilominus eos in re hac non peccasse, imo prudenter egisse prouidendo vrbes muratas rebus suis contra insidias habitatorũ. Et ratio est, quia semper homines debent agere secundum prudentiam humanam, & non committere se totaliter diuino regimini, quando exinde non sequitur aliquod inconueniens, alias frustra datus fuisset homini intellectus, cum eius potissimum munus sit instar supremi domini dirigere & regulare quæ fieri oportet, quod non contingit quando homo totaliter se committit diuinæ dispositioni: tunc enim non tam agit, quam agitur, nec tam dicitur regi per intellectum, quam per aliud principium superius non humanum. Dixi autem nisi exinde sequatur aliquod inconueniens, quia in duobus casibus non debet homo vti humana prudentia. Primus est, quando illud, de quo agitur, superexcedit humanam facultatem: tunc enim homo inniti non debet prudentiæ suæ, iuxta illud Prouer. 3. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. Et Eccles. 3. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Et ob hanc causam peccasset Naaman Syrus. 4. Reg. 5. si iudicans meliores fluuios Damasci, lauisset se in eis, & non in Iordane. Alter casus est, quando vsus humanæ prouidentiæ prohibetur specialiter à Deo volente euentum aliquem suæ fidei committi, & non hominum industriæ: prout contigit tempore Apostolorum, quando dictum est illis Matth. 10. & Luc. 21. Cum tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Tũc enim peccassent Apostoli, si præmeditationi & acquisitioni rerum dicendarũ vacassent. Similiter quamuis liceat quandoque prælatum expetere, non tamen licet vti omnibus medijs quibus per industriam humanam possent induci electores ad conferendam eiusmodi prælationem: quia in consecutione prælationis vult Deus vt eligendus non per propriam industriam promoueatur, sed vocatus tanquam Aaron, vt dicitur ad Hebræ. capit. 5. Quantum ad propositum ergo attinet, dico, quod Israelitæ ascensuri ter in anno ad Dominum non debebant habere curam custodiendi res in proprijs locis dimissas, quia Deus suscipiebat eas in propriam fidem in verbis illis Exodi. 34. superius adductis. Non tamen erat promissum simile beneficium Rubenitis & Gaditis ituris ad bellum: & ideo rationabiliter prouidere debebant vrbes muratas vxoribus, ac liberis suis ad eorũ conseruationem.

IIII. *Vniuersalis beatitudo in verbũ de pluribus tãtum intelligitur.*

ET Omnis vir bellator.] Certum est non iuisse ad bellum contra Chananæos existentes vltra Iordanem omnes viros bellatores tribuum Ruben & Gad & dimidię Manasse, sed plures eorum, imo maiorem eorum partem remansisse trans Iordanem in proprijs sedibus, tum ad custodiam vrbium ac rerum suarum, tum etiam ad culturam agrorum & vinearum, cui proculdubio fœminæ ac pueri vacare non poterant. Idque aperte constat ex Iosue ca. 4. vbi habetur quadraginta millia pugnatorum ex prædictis tribubus transisse Iordanem; cum tamen viri bellatores harum tribuum fuerint tunc temporis plusquam centum millia, vt patet ex enumeratione facta eodem anno, quo transierunt Iordanem Israelitæ, quæ refertur superius. cap. 26. vbi pro tribu Ruben assignantur quadraginta tria millia & septingenti triginta virorum: & pro tribu Gad quadraginta millia quingenti: & pro media tribu Manasse plusquam viginti sex millia. Et confirmatur, nam Iosue cap. 22. præcipitur Rubenitis & Gaditis reuersuris in terram suam, vt diuiderent prædam hostium cum fratribus suis, quos dimiserant vltra Iordanem, signum ergo est inibi dimisisse aliquos viros bellatores quasi ad sarcinas, cum quibus diuidere deberent spolia: neque enim cum paruulis ac vxoribus diuidere oportebat. Quo supposito asserendum est vniuersalem locutionem, qua hic vtitur Moyses inquiens, & omnis vir bellator armatus Iordanem transeat. Et inferius: Nos famuli tui omnes expediti pergemus. Et parum postea: si transierint filij Gad & filij Ruben vobiscum Iordanem omnes armati ad bellum. Et Iosue capite primo eadem locutione vsus est

Vos transiet armati ante fratres vestros, omnes fortes manu: non facere sensum vniuersalem, vt stet pro omnibus, sed pro pluribus, vt quando dicitur Genes. 41. Omnes prouinciæ veniebant in AEgyptum, vt emerent escas. Et Psal. 64. Ad te omnis caro veniet: & alibi pluries.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXIII.

¶ Descripto catalogo quadraginta duarum mansionum, quas fecerunt filij Israel tendentes de Ægypto vsque ad fluuium Jordanis, imponitur præceptum populo, vt ingressus in Terram Chanaan disperdat cũctos habitatores terræ illius, omniaque idololatriæ semina deuastet, alioquin futurum esse prædicitur; vt malum, quod Dominus interminasset Chananæis, eueniret proculdubio ipsis Israelitis trangressoribus.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXIII.

A. HÆ *Sunt mansiones* quadraginta duæ, quas fecit multitudo *filiorum Israel, qui* in se vel in suis parentibus *egressi sunt de Ægypto* nõ cõfuse & inordinate, sed *per turmas suas*, habita ratione familiæ, ac tribus vniuscuiusque, tam in proficiscendo, quam in manendo, *in manu* ac sub protectione & ducatu *Moysi & Aaron*, *quas* quidem mansiones, earumque numerum & distinctionem *descripsit Moyses*, dictãte Spiritu sancto *iuxta castrorum loca* 1 diutur-
I. niora & propinquiora terræ promissionis, *quæ Domini iussione mutabant*: ad eius
II. enim solius præcepta figebant castra, & leuabant. *Profecti igitur de Ramesse* 2 vbi ex omni circũquaque regione Gessen acciti à Moyse primam mansionem peregerant, indeque egressi *mense primo, quintadecima die mensis primi*, illius videlicet lunationis, cui primo opponitur Sol in Ariete, *altera die Phase*, seu paschatis, quod celebrarunt Israelitæ in AEgypto, luna quarta decima ad vesperum: ex igitur die summo diluculo profecti *filij Israel* non tanquam humiliati & eiecti, sed *in manu excelsa*; tanquam potentes in celsitudine manus diuinæ superantes Pharaonem, & non clam velut fugitiui,
III. sed *videntibus cunctis Ægyptijs*, 3 qui egressum eorum videre voluerunt, *& sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus*, *nam* adeo mirabilem ac potentem se exhibuerat Dominus nocte illa in AEgyptios, quod non solum primogenitos ipsorum occiderat, verum etiam *& in dijs eorum* à quibus AEgyptij se protegendos sperabant, *exercuerat vltionem* cuncta illorum idola confringens, *castrametati sunt in Soccoth* secunda mansione, vbi primo fixerunt Israelitæ tabernacula: ex qua re locus ille solitudinis nomen accepit, Soccoth quippe tabernacula siue tentoria interpretatur. *Et de* B.
Soccoth venerunt in Etham mansionem tertiã, *quæ est in extremis finibus solitudinis* Arabicæ extra AEgypti terminos, vbi primo cæpit apparere angelus per noctem in columna ignis, & per diem in columna nubis. † Exo. 14. 6. 2.
† *Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ* quasi ex opposito *respicit Beelsephon, &* inter hæc duo loca *castrametati sunt ante Magdalum*, qui ex opposito maris Rubri claudebat locum mansionis huius. *Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare* Rubrum persequentibus eos AEgyptijs, ac deuenerunt *in solitudinem Sur*, quæ pars est deserti Etham, *& ambulantes tribus diebus per desertũ Etham, castrametati sunt in Mara* quinta mansione, cui loco ob aquarum amaritudinem congruum nomen imposuit populus vocãs illũ Mara, id est, amaritudinem † *Profectique de Mara venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarũ, & palmæ septuaginta*, quæ cõuenientẽ ad manendũ præbebãt cõmoditatẽ: *ibiq; castrametati sunt*, sextam perficientes mansionẽ. *Sed & inde egressi*, † Exo. 15. g. 27.

egressi, fixerunt tentoria super Mare rubrum iuxta sinum quempiam, qui euntibus in monte Horeb occurrit. Profectique de Mari rubro, castrametati sunt in deserto Sin, quod literam initialem habet Samech, & est inter Elim & Sinai, ibique cœpit dari populo manna ad vescendum. Vnde egressi venerunt in Daphca. Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus decimam ibi perfi-
C. cientes mãsionem, Egressique de Alus, in Ra-
† Exo. 17. a. 1. phidim fixere tentoria, † vbi populo defuit aqua ad bibendum, de qua tamen miraculosè prouidit Deus educendo illam de petra. Profectique de Raphidim castrametati sunt in deserto Sinai duodecima mansione, in qua longo tempore perstiterunt vsque ad legis dationem, ac tabernaculi constructionem. Sed
† Exo. 19. a. 1. & de solitudine † Sinai egressi † trium dierum itinere peracto venerunt ad sepulchra concu-
† Supr. 10. d. 33. piscentiæ die vigesimo tertio mensis secundi anni secundi ab exitu de AEgypto. † Profectique de sepulchris concupiscentiæ, castrame-
† Supr. 11. g. 35. tati sunt in Haseroth, vbi percussa est Maria lepra, ob idque diutius mansit populus in hac mansione, quam in alijs manere so-
† Supr. 13. a. 1. lebat. † Et de Haseroth venerunt in Rethma. Profectique de Rethma castrametati sunt in Remmomphares, vnde egressi venerunt in Lebna, ibique decimam septimam mansionem peregerunt. De Lebna castrametati sunt in Ressa. Egressique de Ressa, venerunt in Ceelatha, vnde profecti castrametati sunt in mõte Sepher. Egressi de monte Sepher, venerunt in Arada. Indè proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth. Profectique de Maceloth, venerunt in Thabath. De Thabath castrametati sunt in Thare. Vnde egressi, fixere tentoria in Methca. Et de Methca castrametati sunt in Hesmona. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth
D. vigesimam septimam mãsionem. Et de Moseroth castrametati sunt in Beneiaacan. † Pro-
† Deut. 10. b. 6. fectique de Beneiaacan, venerunt in montem Gadgad 4 longè diuersum ab alio Gad-
IIII. gad, in quem deuenerunt filij Israel post mortem Aaron. Vnde profecti, nempe de prædicto monte Gadgad, castrametati sunt in Ietebatha. Et de Ietebatha venerunt in Hebrona. Egressique de Hebrona, castrame-
† Supr. 20. a. 1. tati sunt in Asiongaber. † Inde profecti, venerunt in desertum Sin peragentes trigesimam tertiam mansionem in extremitate quadam deserti Pharan, quæ peculiari nomine vocatur Sin per literam
V. sade: hæc est Cades, 5 alio nomine vocata Cadesbarne, postquam ob murmur populi causatum ab exploratoribus Israelitæ non processerunt vlterius, per tempus triginta & octo annorum, sed iussi retrocedere versus mare Rubrum perstiterunt in solitudine quousque anno quadragesimo ab exitu de AEgypto redierunt in Cades, & mortua Maria sorore Moysi mansiones suas continuarunt. Egressique E.
de Cades, anno quadragesimo exitus de AEgypto castrametati sunt in monte Hor, 6 VI.
qui consistit in territorio seu regione quæ vocatur Mosera, in extremis finibus Terræ
Edom. † Ascenditque Aaron sacerdos in † Supr. 20. b. 81 & d. 25. Deut. 32. g. 50.
montem Hor iubente Domino: & vt dictum est superius capite vigesimo huius libri, ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, cum esset annorum centum viginti trium, ante quam intraret terram promissionis, imo & priusquam illam videret. Audiuitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem portionis illius terræ promissionis, quæ existit vltra Iordanem, in Terram Chanaan, quam ipsi originem ducentes à Chananæis inhabitabant, venisse filios Israel, vnde Aradijs euenit, quod superius capite vigesimo primo huius libri scriptum est. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona. Vnde egressi venerunt in Phunon trigesimam sextam mansionem. Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth. Et de Oboth, venerũt in Ieabarim, quæ est in finibus Moabitarum: Profectique
de Ieabarim, omissis alijs locis minus nota- F.
bilibus, in quibus Israelitæ non multum
permanseũt, fixere tentoria in Dibongad 7 VII.
alio nomine vocata Mathana, vbi perfecerunt trigesimam nonam mansionem. Vnde egressi castrametati sunt in Helmon deblathaim vocatam etiam Nahaliel. Egressique de Helmon Deblathaim, venerunt ad montes Abarim in locum vocatum Bamoth, contra Nabo. Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, ab anteriori possessore nomen sortita, quæ tamen postmodum non regis Moab sed Sehon regis Amorrhæorum fuerant, & tandem sub possessione Israelitarum existebant, supra Iordanem contra Iericho. Ibique quadragesima secunda & vltima vice, antequam Iordanem transirent, castrametati sunt in loco, qui protenditur ad ripam Iordanis de Bethsimoth vsque ad Abelsatim siue Settim, hoc enim etiam nomen retinet mansio

sio illa, quæ existebat *in planioribus locis* antiquitus possessis à regibus *Moabitarum, vbi locutus est Dominus ad Moysen: Præcipe filijs Israel & dic ad eos, Quando transieritis Iordanem, intrantes terram Chanaan*, id ipsum facite, quod fecistis in terra duorum regum Amorrhæorum, videlicet *disperdite cunctos habitatores Terræ illius*, quorum iniquitates in tantum creuerunt, vt mortem tam infantium quam adultorum in vindictam exposcant: † *confringite titulos*, seu lapides in idolorum venerationem erectos, *& statuas comminuite* nulli simulacrorum imagini parcentes, *atque omnia excelsa vastate*, siue sint altaria, siue ædificia quæcumque in locis excelsis erecta ad cultum idolorum, *mundantes terram* ab impijs habitatoribus, rebusque sacrilegis, *& habitantes in ea: ego enim dedi vobis illam in possessionem, quam diuidetis vobis sorte* iuxta numerum familiarum, quæ sunt in nouem tribubus ac dimidia. *Pluribus dabitis latiorem, & paucis angustiorem*: ita quod si tribui habenti plures familias contingat in sortem plaga orientalis, & tribui habenti pauciores familias obtingat plaga meridionalis, latior terra debet dari tribui orientali, quam australi. *Singulis vt sors ceciderit*, quantum ad situm, in quo vnaquæque tribus & familia collocari oporteat, *ita tribuetur hereditas*, non autem quantum ad magnitudinem vel paruitatē possessionis præstandæ: in hoc enim non sortibus, sed rationis iudicio standum est, habita ratione magnitudinis, seu paruitatis tribus vel familiæ. *Per tribus* namque *& familias possessio diuidetur*, iuxta magnitudinem ac mensuram vniuscuiusque: vt dictum est superius capite vigesimo sexto huius libri. *Sin autem nolueritis interficere habitatores Terræ* Chanaan, sed cupiditate moti aliquos in tributarios reliqueritis: *qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis*, vos iugiter infestantes, & veluti pungentes ad eruendum oculos, *& lancea in lateribus* ad transfigendum vos, *& aduersabuntur vobis* solicitando pugnas: nec permittēdo quietā vitā agere *in Terra habitationis vestræ, & quod* peius omnibus est, *quidquid illis cogitaueram facere*, videlicet tradere eos in manus aduersariorum suorum, *vobis faciam* nam ex consortio illorum in talia peccata ruetis, quod mereamini in manus illarū gentiū tradi, & ita eueniet.

G. † *Deut. 7. a. 5. Iud. 2. a. 2.*

ANNOTATIONES IN CAP. XXXIII.

I. *Mansio Israelitarum quas conditiones exigebat.*

IVXTA Castrorum loca.] Circa māsiones, quas fecerunt Israelitæ tendentes de AEgypto in terram promissionis, videantur quæ diximus supra cap. 13. annot. 1. Ex quibus plane constat per castrorum loca, iuxta quæ, hic asseritur descripsisse Moysen mansiones filiorum Israel, non debere intelligi in vniuersum omnia loca, in quibus quieuerunt Israelitæ in deserto: sed cum duabus limitationibus in paraphrasi adhibitis. Quarum prima est, quod locus mansionem constituens fuerit diuturnus, vtpote in quo Hebræi positis castris, fixisque tentorijs quieuerint, locus enim, in quo breui tempore durabant, nempe ad comedendum dumtaxat, vel dormiendum, non efficiebat mansionem, alias plures fuissent mansiones quam duo & quadraginta. Siquidem in hoc capite & Exo. 15. habetur Hebræos cum egressi sunt ex mari Rubro relicta quarta mansione tribus diebus ambulasse per desertum Etham, quoad venerunt in locum appellatum Mara: vbi quintam mansionem peregerunt. Quid simile contigit Hebræis inter duodecimam mansionē Mōtis Sinai, & tertiam decimam Sepulchrorū concupiscētię vt refertur supra cap. 10 huius libri. Et tamē certum est nō ambulasse populū tot diebus sine quotidiana quiete, cibo & somno capiēdo necessaria: sed quia in locis, vbi hæc fecerūt non sunt castrametati, nec fixis tentorijs quieuerūt, non dicuntur in eiusmodi locis mansionē fecisse. Secūda limitatio est, vt locus mansioni deputatus debuerit esse propinquior terræ promissionis, quā locus præcedentis māsionis, habita ratione viæ, per quā Deus decreuerat perducere populū per desertum. Ob quā causam licet Israelitæ regressi de loco trigesimætertiæ mansionis, qui fuit Cades, seu Cadesbarne, circumierint montē Seir lōgo tēpore, nēpe per triginta & octo annos, vt habetur Deuteron. c. 1. nullus locorū, in quibus tunc perstiterunt, reputatur mansio distincta à mansione Cadesbarne, quoad anno quadragesimo, ista relicta, deuenerunt ad trigesimā quartā mansionē, quæ fuit in monte Hor, appropinquātes terræ promissionis. Constat ergo locum castrorum etiam diuturnum non fuisse sufficientē ad distinguendum mansiones à Moyse in pręsenti capite descriptas nisi vlterius præfatam secundam conditionem habuisset.

II. *In Ramesse fecerūt Israelitæ primā māsionem.*

PROFECTI Igitur de Ramesse.] Abulensis super hunc locum existimat Ramessem non debere computari inter quadraginta duas mansiones, quas fecerunt Israelitæ ab AEgypto vsque ad Iordanem. Et vt compleat prædictum mansionum numerum, diuidit vltimam illarum, quæ contigit in campestribus Moab, in duas. Cæterum D.

rum D. Hieronymus in epistola ad Fabiolam de hac re agens, primam quadraginta duarum mansionum in Ramesse constituit. Idque non absre: ex hoc enim Numerorum loco constat Israelitas celebrasse Phase in vrbe hac, cum sequenti statim die ex ea fuerint profecti: vt ergo parati essent ad viam, certo certius est Moysen eos accersisse ex circunstante regione Gessen in vrbem Ramesses, vt inde turmatim tenderent in solitudinem: vt enim ostendimus Exo. capit. 1. Ramesses vrbs fuit capax tot ac tantorum millium virorum. Fuit igitur in ea prima mansio Israelitarum, ex quo vnusquisque propriam habitationem regionis Gessen dimisit.

III. *Qua hora discesserant Hebraei ex Aegypto.* VIdentibus cunctis AEgyptijs.] Noctu ne an die excesserint Hebraei ex AEgypto nō nihil dubitationis facit ipsamet scriptura diuerse loquens ea de re in varijs locis: nam liber Exodi nocte discessisse eos indicat, dum in cap. 12. ait. Non ista obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra AEgypti. Idemq; habetur Deutero. 16. in illis verbis: Obserua mensem nouarum frugum & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo, quoniam in isto mēse eduxit te Dominus Deus tuus de AEgypto nocte. In praesenti autem non obscure significat haec scriptura abijsse eos ex AEgypto mane, cū dicitur Hebraeos profectos esse ex AEgypto vidētibus cunctis AEgyptijs, & sepelientibus primogenitos suos, quos percusserat Dominus: iam enim dies illuxerat, sic clare viderunt AEgyptij discedentes Hebraeos, & cum primogeniti eorum interfecti sint media nocte, nō est credibile voluisse AEgyptios statim in illis nocturnis tenebris sepelire mortuos suos, sed expectasse dū lucesceret aliquandiu antea plangētes mortuos primogenitos, & funeris officia praeparantes. Omnia tamē consonāt si dicamus, idcirco aliquando in scriptura significari discessum Hebraeorū ex AEgypto esse factū nocte, aliquando mane, quoniā ante diē inceptus est, sed plena & disposita, atq; in modū instructi agminis & ordinati exercitus profectio facta est, cū iā dilucularet mane, videlicet proxime sequentis quinti decimi diei prima mensis.

IIII. *Duplex est Gadgad.* IN montem Gadgad.] Duplex est Gadgad: altera in qua filij Israel peregerunt vigesimam nonam mansionem anno secundo ab exitu de AEgypto, de qua in praesenti meminit Moyses: altera vero in quam deuenere Israelitae anno quadragesimo post mortem Aaron, siue in ea fecerint mansionem, & in hoc catalogo sub alio nomine describatur, siue non facientes in ea mansionem per eam tantum transierint, cuius fit mētio Deuteron. ca. 10. Inter nomina horum duorum locorum hoc discrimen cōstituit scriptura, quod primum vocat montem, secus autem secūdum. Circa nomē etiam sequētis māsionis quod est Ietebatha hoc ipsum obseruare oportet, vno enim eodemque nomine significatur trigesima mansio & locus quispiam, quē adierunt Hebraei tendentes à monte Hor vsque ad aquas torrentium Arnon & Zareth: vt constat ex collatione facta inter hoc caput Numerorum, & caput decimum Deuteronomij. *Duplex est Ietebatha.*

V. *Cades & Cadesbarne vnum eundemq; locum significat.* HAEC Est Cades.] Cades & Cadesbarne esse vnam eandemque mansionem, quā adierunt Israelitae anno secūdo post exitū ab AEgypto & anno quadragesimo, satis superque ostendimus ex ipso sacrae scripturae textu superius cap. 13. annot. prima & 4. Ob quam causam in finalibus verbis capitis primi Deuteronomij dicitur sedisse filios Israel in Cadesbarne multo tempore, neque enim vlterius processerūt versus terram promissionis per tempus triginta & octo annorum.

VI. *Hor interpretatur mons.* IN monte Hor.] Insignis fuit mons iste, quādo quidem quasi per antonomasiam significatur nomine montis absolute. Hor enim idē est quod mōs, qui situs est in regione quae vocatur Mosera: vnde Deutero. ca. 10. dicitur, quod Aaron mortuus ac sepultus est in Mesera.

VII. *Vna, & eadē māsio diuersis nominibus solet significari.* IN Dibongad.] Non est mirū tā in sacris quā in profanis literis vnā eamdeq; rem plura retinere nomina, quod euenisse cōstat plurimis illorū locis, in quibus Hebraei post exitū de AEgypto fixerunt tentoria: nā praeter nomina, quae eiusmodi loca prius retinebant, imposuerunt eis alia nomina Israelitae, vel ratione aliquorum insignium euentuum, qui ibidem contigerūt, vel vocantes ea iuxta proprietatem linguae suae. Vnde trigesima nona mansio & quadragesima & etiam quadragesima prima diuersis nominibus appellantur hic, & superius capite vigesimo primo, vt in paraphrasi eorundem capitum ostendimus,

ARGVMENTVM IN CAP. XXXIIII.

¶ Descriptis per ordinem limitibus Terrae Chanaan, in quorum recensione primo describit terminos partis meridianae, deinde transit ad occidentalem plagam, & per aquilonarem recta via tendit ad orientem, cuius etiam latus proprijs finibus depingit, explicat scriptura, qui sunt hi, quibus Terra Chanan in sortem cedere debet, à quibus etiam principibus diuidenda erat.

PARA-

PARAPHRASIS IN CAPVT. XXXIIII.

A.

LOCVTVSQVE *Est Dominus ad Moysen* manentem
vna cum reliqua multitudi-
ne in campestribus Moab,
dicens: Præcipe filijs Israel &
dices ad eos: Cum ingressi fueritis Terram Cha-
naan, quæ est vltra Iordanem, *& in possessio-*
nem vobis sorte ceciderit quantum ad situm
Orientalem, Occidentalem, Australem vel
Aquilonarem, quem vnaquæque tribus re-
tinere debet, non proinde existimetis li-
cere vobis in longum latumque vtcum-
que protendi, sed terra à vobis possiden-
† Iosu.15 a.1. da *his finibus terminabitur.* † *Pars meri-*
diana incipiet versus Orientem *à solitudine*
Sin, quæ etiam vocatur solitudo Pharan, &
est iuxta Edom, *&* pars ista meridiana *habe-*
bit terminos contra Orientem, seu versus
partem orientalem *mare salsissimum* So-
domæ & Gomorrhæ, situm inter plagas
Orientalem & meridianam terræ Cha-
naan. Hi ergo erunt termini, *qui circui-*
bunt quasi per gyrum quendam *australem*
plagam incipientes tendere à mari illo sal-
sissimo, seu lacu Asphaltite, *per as-*
censum scorpionis, vbi sunt montana quæ-
dam, quæ figuram veluti scorpionum
præseferunt: ac deinde continuantur
termini australes, *ita vt transeant in Sen-*
na; locum quendam Terræ Chanaan hoc
nomine vocatum, *& perueniant à meridie,*
seu in ipsa parte meridionali *vsque ad Ca-*
desbarne, non quod cadesbarne sit in Ter-
ra Chanaan, sed quia extra eam exis-
tens respicitur à parte meridiana terræ hu-
ius: *vnde egredientur confinia*: nam curuita-
te quadam dilatante terram ipsam conti-
nuabuntur versus occidentem, vsque *ad*
villam nomine Adar, & tendent vsque ad Ase-
mona, quæ duo oppida pertinent ad Ter-
B. ram Chanaan. *Ibitque per gyrum terminus,* nō
I. linea recta, sed arcualiter *ab Asemona vsque*
ad Torrentem Ægypti 1 disterminantem
AEgyptum ab Asia, *& maris magni* seu Me-
diterranei *littore finietur*, vbi torrens præ-
dictus mari se immisceat, extremum-
que Nili ostium versus Asiam perficit.
Plaga autem occidentalis à mari magno inci-
piet, & ipso fine claudetur; etenim mare Medi-
terraneum ab Austro in septentrionem to-
tum latus occidentalem Chananæorum oc-
cupat. *Porro ad Septentrionalem plagam à*
mari magno vbi adsunt Tyrus & Sidon *ter-* II.
mini incipient peruenientes vsque ad mon-
tem altissimum 2 Libani, cedrorum, alia- III.
rumque odoriferarū arborum feracitate no-
bilissimum, *à quo venient in Emath*, 3 ci-
uitatem Syriæ Damasci vocatam alio no-
mine Epiphania, sitam in Reblatha, quam
perfluit fluuius magnus Euphrates: ten-
dit autem latus istud septentrionale Ter-
ræ Chanaan *vsque ad terminos Sedada: ibunt*
que confinia vsque ad Zephrona, & villam
Enan. Hi, quos modo recensui, *erunt termi-*
ni in parte Aquilonis, omissis alijs, limi-
tibus, qui in eadem plaga Septentriona-
li designari poterant. *Inde metabuntur fi-*
nes contra orientalem plagam de villa Enam
existente in angulo aquilonari & orienta-
li *vsque Sephama, & de Sephama* versus la-
tus meridionale *descendent termini in Re-*
bla contra fontem Daphnim: inde per-
uenient contra Orientem, siue è regione IIII.
eiusdem plagæ orientalis *ad mare Cene-*
reth 4 posteà vocatum mare Tyberiadis C.
ab vrbe insigni prope illud sita, *&*
tendent vsque ad Iordanem, cuius decur-
su termini orientales continuantur, *&*
ad vltimum salsissimo claudentur mari, in
quo initium terminorum meridionalium
constitueram. *Hanc habebitis Terram per*
fines suos in circuitu: Præcepitque Moyses
filijs Israel, dicens. Hæc, cuius termi-
nos modo præfixi, *erit Terra, quam pos-*
sidebitis sorte, & quam iussit Dominus dari
nouem tribubus, & dimidiæ tribui in ipso-
rum possessionem & habitationem. *Tri-*
bus enim filiorum Ruben facta compu-
tatione, & viris omnibus, quos ha-
bet recensitis *per familias suas, & tribus*
filiorum Gad, non solum in communi, sed
etiam in particulari quotquod viri bellato-
res in ea sunt *iuxta cognationum nume-*
rum, media quoque tribus Manasse, idest, V.
duæ, semis tribus, *seu* duę tribus & dimi-
dia *acceperunt partem suam* 5 correspon-
dentem possessioni, quam habere debue-
rant, in alio terræ tractu, nempe *trans*
Iordanem respectu terræ superius termi-
natæ ad eam videlicet fluminis Iorda-
nis ripam, quæ est è regione, seu *con-*
tra Iericho ad orientalem plagam ipsius Ie-
richo ac totius Terræ Chanaan. *Et ait* † Iosu.14 a.4.
Dominus ad Moysen. † *Hæc sunt nomi-*
na vi-

na virorum; *qui* sortibus ac alijs modis superius à me institutis *Terram vobis diuident, Eleazar sacerdos*, *& Iosue filius Nun* quasi principes ecclesiasticus & secularis totius multitudinis, præterea *& singuli principes de tribubus singulis*: quamuis enim duntaxat nouem tribus & dimidia habituræ sint illic possessionem, quia tamen diuisionis terræ negotium pertinens est ad totam Israelitarum communitatem, maximè cum ab illis omnibus expugnari oporteat, quod diuidendum est, nequaquam debet tribus vlla ab honore & autoritate partiendi terram arceri, sed ex vnaquaque tribu vnus vir in principem diuisorem eligi conuenit: *quorum ista sunt vocabula: De tribu Iuda Caleb filius Iephone: de tribu Simeon, Samuel filius Ammiud. De tribu Beniamin, Elidad filius, Chaselõ. De tribu filiorum Dan, Bocci filius Iogli. Filiorum Ioseph de tribu Manesse, Haniel filius Ephod. De tribu Ephraim, Camuel fili' Sephthã. De tribu Zabulõ, Elisaphan filius Pharnath. De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan. De tribu Aser, Abiud filius Salomi. De tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud. Hi* quattuordecim modo memorati *sunt quibus præcepit Dominus, diuiderent filijs Israel Terram Chanaan*, quibus & prouidit vitæ diuturnitatẽ ad hoc opus perficiendum necessariã. D.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXIIII.

I. *Torrens AEgypti est, qui dã ramus Nili diuidẽs Ægyptũ à terra Chanaan.*

VSQVE Ad Torrentem AEgypti.] Quisnam sit iste Torrens AEgypti, qui terminat angulum meridionale & occidentale Terræ Chanaan, & opponitur in confinibus terræ promissionis fluuio magno Euphrati Genes. capit. 15. & introitui Emath, apud Amos cap. 6. Euphrates enim & Emath in plaga Aquilonari Chananæorum existunt, non omnino conuenit inter doctores. Nobis probabilior sententia semper visa est torrentem istum esse brachium quoddam, siue ramum Nili, qui perfluens prope Rhinocoluram vrbem intrat in mare Mediterraneum, & distat à Pelusiaco magno Nili ostio, quod nũc Damiata vocatur, stadijs trecentis, vt auctor est Strabo libr. 16. in medio, vel itinere vnius diei & semis iuxta Ptolomæum libr. 4. Geogra. cap. 5. Quod autem riuus iste nomine torrentis AEgypti hic memorati, veniat intelligendus, probatur ex Iosue cap. 13. vbi describens scriptura hanc eandem terræ promissionis partem, sic habet. Terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte diuisa est: omnis videlicet Galilæa, Philisthijm, & vniuersa Gessuri, à fluio turbido, qui irrigat AEgyptum, vsque ad terminos Accaron contra Aquilonem. Vbi ex omnium sententia nomine fluuij turbidi designatur istemet torrens AEgypti. Per fluuium autem turbidum non nisi Nilus significatur, ex eo quod aquas limo turbidas habeat, vnde à Græcis Melas, idest, niger dictus est, & ab Hebræis Sihor, hoc est, turbidus vt patet 1. Paral. 13. Quapropter de eo sic loquitur Ieremias capit. 2. Et nunc quid tibi vis in via AEgypti, vt bibas aquas turbidas? Etenim euntes de Iudæa in AEgyptum in via, id est, in ipso ingressu AEgypti bibebant aquas Nili, huius scilicet torrentis è Nilo deriuati diuidentis AEgyptum à terra Chanaan. Adde quod subditur de hoc fluuio. Qui irrigat AEgyptum, à nullo autem alio flumine terra AEgypti irrigari dicitur nisi a Nilo: is ergo est, qui vna cum Idumæa, & terra Moab, ac mari mortuo claudit plagam australem Terræ Chanaan, à qua filij Israel coacti sunt deflectere ob negatũ illis ingressum per partẽ ab Idumæis & Moabitis, & per Oriẽtale latus ingredi victis regibus Og & Sehõ.

II. *Libanus quantum ad aliquã sui partẽ pertinet ad terrã promissionis.*

AD Montem altissimum.] Hic mons proculdubio est Libanus, de quo tamen ambigi posset, an fuerit intra terram promissionis, vel potius fuerit terminus extrinsecus illius pertinens ad terram Phœniciæ. Et hoc posterius prima fronte verum apparet ex eo, quod Salomon mittebat ministros suos ad Hiram regem Tyri & Sidonis, vt daret ei de lignis cedrinis, & abiegnis, quæ erãt in monte Libano, vt patet 3. Reg. 5. quod nõ fecisset si esset Libanus in terra promissionis. Cęterum certius est non solum montem Libanum saltem secundum aliquam illius partem, verum etiam Tyrum & Sidonem extitisse intra limites Terræ Chanaan. Etenim de Libano 2. Paralipom. 8. dicitur fuisse sub potestate Salomonis: quod manifeste indicat pertinuisse ad sortes filiorum Israel. Dixi saltem quantum ad aliquam illius partem, quia mons iste valde magnus est diuidens Phœnices à Chananæis, vnde pars vna illius pertinet ad Phœniciam, & alia ad terram Chanaan. Et ad hanc etiam pertinent Tyrus & Sidon, vt constat Iosue cap. 19. vbi hæc loca dicuntur cecidisse in sorte tribus Aser. Vnde Matth. cap. 15. mulier egressa a finibus Tyri & Sidonis vocatur Chananæa. Nec mirum quod tempore Salomonis regnauerit ibi Hiram: multæ namq; gentes manserunt tẽpore regis Salomonis & post, quę non fuerunt expulsæ de terra Chanaã, sed ibi manentes tributa soluebant regibus Israel, vt patet 2. Paralip. 8. Inter quos fuit Hirã amicus Dauid, qui cõtulit ligna pro ædificatione tẽpli, vt dicitur 3. Reg. ca. 5.

III. *Emath duplex, altera minor altera magna.*

VEnient in Emath. Abulensis super hunc locum existimat Emath idem esse, quod Reblata, & modo appellari Antiochiã. In vtroque tamen aduersatur D. Hieronymo testi oculato, qui super Amos cap. 6. in epistola. Quæris Dardane,

Dardane, docet duplicem esse Emath. Alterá quę vocatur minor, de qua agitur hic, & Amos. 6. ibi: Conteret vos ab introitu Emath, vsque ad torrentem deserti, quæ postea Epiphania dicta est ab Antiocho Epiphane nomen sortita. Huius vrbis regio inquit Hieronymus appellatur Reblatha, in qua præsente Nabuchodonosor regis Iudææ Sedeciæ interfecti sunt filij, & oculi excæcati: vt habetur 4. Reg. 25. Altera est, quæ Emath magna vocatur, de qua Amos 6. dicitur. Ite inde in Emath magnam, & descendite in Geth Palæstinorú. Et hæc est quæ nunc, autore Hieronymo, Antiochia nominatur, eádemque Iosephus lib. 3. de bello Iudaico capit. 1. metropolim Syriæ esse dicit, ac tertium locum obtinere inter omnes vrbes, quæ in Romano orbe sunt.

IIII. *Mare Cenereth idem quod mare Galilææ seu Tiberiadis, vel Genesareth.*

AD mare Cenereth.] Mare istud est locus quidá: iuxta regioné Galilææ, habetque secundum Iosephum lib. 3. de bello Iudaico capit. 18. cétum stadiorum longitudinem, quadraginta latitudinem: quamuis AEgesipus lib. 3. cap. 26. longitudinem centum quadraginta stadiorum esse affirmet: octo autem stadia milliare Italicum conficiunt. Dicitur autem mare iuxta Hebræorum morem, qui congregationes aquarum siue salsæ, siue dulces sint, vocant mare: quod annotauit Hieronymus in Traditio. Hebrai. in Genesis principium, & in eodem quoque Genesis principio habetur, Congregationes aquarú appellauit maria. Habetque mare istud nomina diuersa à locis prope ripá sitis: vocatur enim Ioá. 1. Mare Galilææ & Tyberiadis, Galilææ quidé, quia iuxta regionem hanc lacus iste est, Tyberiadis vero à ciuitate celebri in principio eius sita. Quę ciuitas hic & Deute. 3. & Iosu. 11. & 16. appellatur Cenereth. Postea vero, vt ait Hierony. Ezechie. 47. ob id, quod Herodes in honorem Tyberij Cæsaris destructam reparauit, nomen illi imposuit Tyberiadis. Vocatur quoque mare istud Luc. cap. 5. Stagnum Genesareth, à terra quadam continente sic appellata, quæ ad littus eius adiacet: cuius latitudo est viginti stadiorum, & longitudo triginta secundum Iosephum loco allegato. Et in ea regione ipse Iosephus Capharnaum sitam asserit: nam à fontis nomine ciuitas sic est appellata. Ex quo fit vt Cinereth non sit idem quod Genesareth, cum hoc sit regionis nomen, illud autem ciuitatis, vt ex Hieronymo diximus.

V. *Pars pro sorte seu possessione.*

ACceperút partem suam.]Partem vocat sortem & possessionem harum tribuum. Ita enim pars frequenter dicitur: vt Oseæ capit. 5. Nunc deuorabit eos mensis cum partibus suis. Vbi propheta loquitur de populis Chaldęorum, qui per singulos menses adituri erant, & populaturi terrá ac possessionem Hebræorum. Et Matth. 24. Partemque eius ponet cum hypocritis. Ideo septuaginta in hoc loco vtuntur nomine Cleros, quod significat sortem.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXV.

¶ Imponitur duodecim tribubus Israel, vt conferant Leuitis vrbes quadraginta octo ad habitandum ac suburbana earum in pastum pecorum. Quarum vrbium sex in refugium fugitiuorum applicantur, vt is qui quemquam nolens occiderit possit ad aliquam prædictarum vrbium confugere, vbi vsque ad mortem summi sacerdotis exulare tenetur, alias foris inuentus à cognato occisi interfici permittitur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXV.

A. HÆC *Quoque Locutus est Dominus ad Moysen in cápestribus*, quæ Sehon rex Amorrhæorum ab Israelitis post modum expulsus, tulerat à rege *Moab supra Iordanem* in ea fluminis ripa, quæ à parte terræ Amorrhæorum existit *contra Iericho* dicens ei: † *Præcipe filijs Israel, vt dent Leuitis* tam sacerdotibus, quam reliquis à Leui filio Iacob originem ducentibus, *de possessionibus suis* persortes eis prouenientibus, *vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum.* Non quidem vt Leuitæ adquirant ius & dominium directum eiusmodi vrbium & suburbanorum, quod ipsis tribubus, in quarum sortibus existunt, relinqui debet, sed dumtaxat *vt ipsi in oppidis maneant* tempore, quo non tenentur sanctuario assistere, *& suburbana sint pecoribus ac iumentis* ad pascendum in eis: *quæ à muris ciuitatum forinsecus per circuitum,*

† *Iosu. 21. a. 1.*

I. *tum, mille passuũ* 1 communium; qui cubitis correspondent *spatio tendentur*, habita ratione lineæ secundum longitudinem protractæ à muro ciuitatis versus circunferētiam suburbanorum. Quę tamen circumferētia octo millibus cubitorũ terminabitur: nã *contra oriente duo millia erũt cubiti*, 2
II. cõstituentes quartã partẽ circumferentiæ suburbanorũ, *& contra meridiem similiter erũt duo millia: ad mare quoq;*, seu versus mare Mediterraneũ, *quod respicit ad occidẽtẽ, eadem mẽsura erit, & septẽtrionalis plaga æquali termino finietur: eruntq; vrbes in medio, & foris suburbana*: quãuis enim vrbes à quarũ muris cõputandos dixi mille cubitos, existant inæquales, pẽlatis tamen maiori vrbe cũ minori & è conuerso, cõmode assignãtur pro æquali suburbanorũ mensura circũferentia octo millia passuũ. † *De ipsis autẽ oppidis quæ Leuitis dabitis, sex erũt in fugitiuorũ auxilia separata*, nec multũ inter se propinqua, sed secundũ æquã distãtiã erunt per omnẽ regionẽ dispersa, *vt fugiat ad ea, qui fuderit sanginẽ*, proximũq; absq; insidijs occiderit: *& exceptis his* sex oppidis refugij erũt quoq; in vsum Leuitarũ *alia quadraginta duo oppida, idest, simul quadraginta octo cũ suburbanis suis* cõtentis intra prædictã circũferentiam octo millium cubitorũ: nã residuum terminorũ adiacentiũ prædictis vrbibus cedere debet in vsum illarũ tribuũ, in quarũ sortibus vrbes istę fuerint cõstitutæ. *Ipsæque vrbes, quæ da-*
B. *bũtur de possessionibus filiorũ Israel*, nõ æquali numero ab vnaquaq; tribu auferẽtur, ita vt quælibet tribus quatuor vrbes conferre
III teneatur; sed *ab his, qui plus habent*, 3 quãtũ ad sitũ & magnitudinẽ terræ, *plures auferentur* vrbes, quãuis in sorte sua pauciores habeat vrbes, quã alia tribus: *& qui minus* habet de situ, ac magnitudine terrę, quãuis habeat plurima oppida, vrbes dabit *pauciores. Singuli* filiorũ Israel, quorũ interest negotiũ istud, *iuxta mẽsurã*, ac latitudinẽ terræ, quã habet in possessione *hæreditatis suæ, dabũt oppida Leuitis.* Quæ partitio nõ sortibus, sed arbitrio princ ipũ terrã diuidẽtiũ faciẽda erit. *Ait Dominus ad Moysen: Loquere filijs Israel, &* ferẽs legẽ de fugitiuorũ receptaculis *dices ad eos.* † *Quãdo trãsgressi fueritis Iordanẽ in terram Chanaan* eiusque pacificam habueritis possessionem *decernite, quæ vrbes esse debeant in præsidia fugitiuorum*, non quidem omnium, sed eorum dumtaxat, *qui nolentes*, sed casu tantum fortuito *sanguinem fuderint*, seu hominẽ quoquo modo occiderint, *in quibus vrbibus refugij, cum fuerit profugus*, is qui occisionem patrauit, *cognatus occisi*, 4 cui
IIII. aliàs permissum est, ex lege mortem vindicare, *non poterit eum occidere, donec* ipse cognatus occisi tendat ad iudices, & *stet in conspectu multitudinis* in loco, vbi iudices vniuersæ multitudini plebis ius dicere solent, *& causa illius iudicetur*: tunc enim si iudices declarauerint homicidium fuisse voluntarium poterit homicida etiam in ciuitate refugij interfici à cognatis occisi: secus autem si iudices declarauerint homicidium fuisse à casu & inuoluntarium. *De ipsis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorum subsidia separantur*, quo commodius necessitatibus infortunatorum deseruire valeant, non debent esse inter se cõiunctæ, sed *treserunt trans Iordanem* in terris filiorum Ruben, & Gad, ac dimidiæ tribus Manasse, *& tres in terra Chanaan*, atque erunt in refugium & auxilium, *tam filijs Israel, quam aduenis, atque peregrinis* de gentilitate conuersis ad Iudaismum, qui eo quod sortem non habent inter vos, peregrini etiam vocantur, *vt confugiat ad eas, qui* à casu dumtaxat & fortuito *nolens sanguinem fuderit.* Vt autẽ dicernere queãt iudices, an percutiens proximum animum habuerit occidendi, necne, sequentes obseruare tenentur regulas. *Si quis ferro percusserit*, vt gladio, ense, lancea, vel alio quo-
C. uis instrumento ferreo, *& mortuus fuerit, qui percussus est; reus erit homicidij*, nec ei proderit ciuitas refugij, *& ipse morietur*,
V. 5 quia talis percusio, cum suapte natura sit illatiua mortis, indicat percussorem animum habuisse occidendi. *Si lapidem iecerit, & ictus occubuerit; similiter punietur.* †
Si ligno percussus interierit percussoris sanguine vindicabitur, nec recursus in ciuitates refugij alicuius erit momenti, ob voluntatẽ occidẽdi, quæ in percussoribus prædictis prę sumitur; *Propinquus occisi, homicidam interficiet*, præcedente declaratoria iudicis sententia, si homicida in vrbem aliquam refugij se contulerit sin autem *statim vt apprehenderit eum*, interficiet absque præuia iudicum sententia. *Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per insidias*, scilicet sciens, & volens; *aut cum esset inimicus, manu percusserit, & ille*; ob eiusmodi impulsum vel rei iactum, aut percussionem *mortuus fuerit*

† Ios. 20. c. 8. Deut. 4. 6. 41.

† Deut. 19. a. 2. Ios. 20. a. 2.

† Deut. 19. c. 11. Ios. 20. a. 3.

præsumi debet, quod occasione præceden
tis odij, & ex præconcepta malitia fuit oc
cisus: ac proinde *percussor homicidij reus*
erit, cognatus occisi statim, vt inuenerit eũ
iugulabit: idque à iudicibus ei[illegible]rmitti de-
bet. *Quod si fortuitu, & absque odio & ini-*
micitijs quidquam horum fecerit, & hoc au-
diente populo, seu in conspectu iudicum
illius vrbis, in qua contigit occisio *fuerit*
iam probatum, atque inter percussorem &
propinquum sanguinis quæstio ventilata
fuerit, indeque constiterit homicidium
fuisse à casu & inuoluntarium, *liberabitur*
innocens de vltoris manu, & reducetur per
sententiam latam à iudicibus populi, vbi
facta fuerat occisio, *in vrbem, ad*
quam confugerat, & à qua fuerat extractus
à iudicibus ad se coram eis defendendum:
D. *manebitque ibi* in vrbe refugij, *donec sacer*
dos magnus, qui antonomatice præ cæteris
VI. sacerdotibus *oleo sancto vnctus est,* 6 *moria*
tur: luctus namque, quem subire debent Is-
raelitæ in morte summi sacerdotis, aptio-
res reddet eos ad parcendum his, qui sibi
propinquos occiderunt. *Si interfector ex-*
tra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ
sunt, fuerit inuentus, & percussus ab eo, qui
ob cognationem, quam habebat cum de-
functo, *vltor est sanguinis*, & per legem si-
bi permittitur de morte, etiam casuali vl-
tionem capere; *absque noxa* immunisque à
culpa & pœna *erit, qui eum occiderit*, nem
pe cognatus occisi: secus autem si alius ex-
traneus interfecisset. *Debuerat enim profu*
gus, vsque ad mortem pontificis in vrbe resi
dere, dãs locum iræ propinquorum occisi:
postquam autem ille obierit, homicida, qui
proprie homicida non est, cum inuolunta
rie, & à casu occisionem patrauerit, *reuerte*
tur in terram suam, liberamque eundi quo-
cumque voluerit facultatem habebit. *Hæc*
sempiterna erunt, quamdiu durauerit sta-
tus reipublicæ vestræ, *& legitima*, vt pote
lege positiua sancita *in cunctis habitatio-*
nibus vestris: ac proinde omnia prædicta
obseruare tenemini, quamdiu in terra vobis
promissa manseritis. *Homicida sub testibus*
punietur, nec aliter tanquam reus homici-
dij voluntarij iudicabitur, nisi duorum sal-
tem testium testimonio comprobetur, *ad*
vnius testimonium nullus condemnabitur,
& si in his, quæ nulli nocent, quandoque
sufficere queat vnus testis omni exceptio-
ne maior. *Non accipietis pretium ab eo, qui*
reus est sanguinis, necdum in muneribus,
sed neq; gratia commutationis pœnæ cor
poralis in pœnam pecuniariam: sed mox
vt quispiã fuerit conuictus de homicidio
volũtario, *statim & ipse morietur. Exules &*
profugi ante mortem pontificis, nullo modo
etiãsi exiliũ suum pecuniarũ solutione cõ
pensare velint, *in vrbes suas reuerti pote-*
runt, neq; in alia loca extra vrbes refugij
discedere: *ne polluatis*, nec irreuerẽter vos
geratis erga *terram habitationis vestræ, quæ*
in quantũ mansio, vel patria iustorũ est, *in*
sontium cruore maculatur, & irreuerentiam
quandam patitur: *nec aliter expiari potest*,
in pristinamq; puritatem & sanctitatem re
duci, *nisi per eius sanguinẽ*, 7 ac per subuẽ VII.
tionẽ illius pœnæ, quã meretur is, *qui alte*
rius sanguinem fuderit, siue illa pœna esse
debeat exilij, vel mortis. *Atq; ita* sublata
inordinatione occisionis humanæ per re-
ctitudinẽ iustitiæ vindicatiuæ, *emundabi-*
tur vestra possessio, quæ ab omni prorsus in
ordinatione, ac deformitate immunis esse
debet, *me commorante vobiscum: Ego enim*
sum Dominus, qui habito inter filios Israel,
tum quo ad habitationem internam in mẽ
tibus eorum per fidem; tum etiam quo ad
habitationem externam ratione sanctuarij
in quo specialia præsentiæ meæ signa
ostendo.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXV.

I. *Passus cõmunis æqualis est cubito vulgari.*

MIlle passuum.] Quod nomine passus hoc in loco veniat intelligẽdus cubitus, ostẽdit nomẽ, quod hoc loco ponitur, sonans idem q. brachiũ, seu cubitũ, & quinquies repetitur, semel hic, & quater in subsequentibus, dũ subditur: contra orientem duo millia erunt cubiti & cetera: vnde possemus dicere passum cõmunem, saltem apud Hebræos, æquari cubito vulgari, qui sex palmos continet, vt ostendimus, Genes. 6. annot. 6.

II. *Quantitas spatij designati, pro ciuitatibus refugij.*

DVo millia erunt cubiti.] De linea circunferentiæ suburbanorum loquitur hic scriptura, cuius mensura secundũ geometricas proportiones est instituta. Nã, vt in litera dicitur, ciuitas in medio huius spatij, tanquã cẽtrũ omniũ linearũ, quarũ quælibet erat mille cubitorũ sita erat: ac per hoc si cõficeretur circulus ducẽdo à cẽtro lineã longitudinis semidiametri mille cubitorũ, cõsequẽs est, q. diameter huius circuli esset linea duorũ milliũ cubitorũ. Et hinc sequitur, q. circũferẽtia illius circuli esset sex milliũ cubitorũ, & paulo plus. Nã proportio circũferẽtiæ circularis ad diametrũ est proportio tripla & paulo plus. At si imagineris centrũ huius circuli nõ esse punctũ indiuisibile, sed aliquod paruulũ spaciũ, cresceret quãtitas circũferẽtiæ pro
portio-

portionaliter ad distantiam talis spatij à vero cētro. Et quia Moyses centrum linearum ponit ciuitatem, & lineas trahit non à centro ciuitatis sed à muro ciuitatis circumcirca, ideo circumferentiam suburbanorum non sex millium cubitorum & paulo plus, sed octo millium cubitorum instituit, siue ciuitas sit magna, siue parua, vt vna esset lex communis de spatio suburbanorum. Arbitratus est enim æquum esse, vt cuiuslibet ciuitatis diameter intrinsecus haberetur sexcentorum cubitorum: quamuis enim vna ciuitas maior esset alia, pensando tamen maiorem cum minore, & è conuerso instituit suburbana æqualia. Existente enim diametro duorum millium & sexcentorum cubitorum, æque secūdum geometricas proportiones circūferentia decernitur octomillium cubitorum, secundū proportionem triplam, & paulo plus.

III. *Iuxta numerū familiarū & nō secundum multitudinē ciuitatum datæ sūt Leuitis vrbes.*

QVi plus habent.] Quibusdam visum est verba ista debere intelligi de numero vrbium, quas vnaquęque tribus haberet: ita vt iuxta earum proportionem tenerentur tribus dare plures, seu pauciores vrbes Leuitis. Quorum tamen sententiæ obstat manifeste distributio vrbium Leuiticarum facta postea à Iosue: vt enim habetur Iosue ca. 19. Aser habēs plusquam duplo plures vrbes, quam Zabulon, habuit enim Aser triginta duas vrbes, Zabulon autem duodecim, non proinde contulit plures vrbes, sed vnaquæque harum duarum tribuum dedit quatuor vrbes Leuitis. Imo potius accidit tribum habentem plures vrbes dare paucio res Leuitis: vt eodem cap. 19. Iosue, constat, nā tribus Nephthali, quæ vt ibidem dicitur habebat decem & nouem vrbes, dedit dumtaxat tres: & tamen Isachar habens, sedecim vrbes & Zabulon habens duodecim, dederunt singulæ quatuor vrbes Leuitis. Dicendum est ergo: in contributione vrbium Leuiticarum solum fuisse seruatam proportionem familiarum; vel cognationum ipsarum tribuum: ita vt vnaquæque tribus, quo plures familias haberet, eo plures vrbes teneretur conferre Leuitis. Cuius proportionis ratio innitebatur in eo, quod superius ca. 16. & 33. cautum est; videlicet vt pro numero familiarum, ac virorum vniuscuiusq; tribus assignari deberet quantitas situs & latitudinis terrę possidendæ à singulis tribubus: atque adeo cōueniens fuit, vt quia iuxta numerū familiarū dabatur terra; iuxta eandē quoq; proportionem assignarētur vrbes dandæ Leuitis. Prout factū fuisse creditur in distributione huiusmodi vrbiū relata in dicto cap. 19. Iosue.

IIII. *Cognatus occisi cur vocetur redemptor*

COgnatus occisi.] Hic, & quoties inferius repetitur cognatus, vel propinquus occisi, in Hebraico habetur Redemptor sanguinis, iuxta phrasim Hebræis propriā, quā doctus interpres vulgatæ editionis optimè explicuit: vt enim in locatis, seu venditis agris & vineis, ex legis dispositione propinquus ius habebat redēptionis, vt patet Leu. c. 25. ita quoque vlcisci permittebatur fratrē, aut alium consanguineum interfectum: quæ vltio ab Hebręis vocabatur redemptio.

V. *Optabāt Iudæi Christū per manus gentilium morte Crucis plecti.*

IPse morietur.] Quia sæpe sæpius, tam in hoc libro, quam in reliquis legis veteris conceditur facultas Iudæis, imo & præcipitur, vt ipsi priuati, vel eorum iudices nōnullos delinquētes pæna mortis multent, dubitari merito potest, qua ratione sit intelligendum illud quod Iudęi, Ioannis decimo octauo, Pilato responderunt: Nobis non licet quemquam interficere. Vt igitur huic difficultati alicubi satisfaciamus, omissis varijs dicendi modis, ea responsio legitima videtur, vt qua ratione Iudæi non ingressi sunt prætorium, ne contaminarentur, eadem etiam sibi non licere dicant interficere quemquam; etiam consentiente Pilato. Existimo autem malitiose eos respondisse: tum vt Christum per manus gentium occiderent existimantes ea ratione inuidiā, & scandalum populi euaturos, si in tanta solemnitate interfecissent: tum vt morte Crucis plecterent, quam ipsi infligere soliti non erant, nec in lege continebatur: & hæc præcipua fuit eorum intentio, vt hoc mortis genere omnem de Christo opinionem delerent, qui tanquam sceleratus occisus erat. Quod siquis obijciat: Poterat Pilatus respondere; si vobis non licet nunc poteritis post Pascha id efficere. Huic obiectioni, iam ipsi tacite responderāt; Christum in die solemni ad prætorium adducentes, eoque facto significantes, nulla intercedente mora continuo eum punire oportere, & de medio tollere, esseque maximum in mora periculum: & re vera id sibi persuaserant, videntes Christi magnam virtutem, propter quam caute tenendum traditor consuluerat: si autem mora fieret, oportebat septem alios expectare dies.

An Iudæi occidendi potestatem habuerīt

At siquis vlterius quærat, an Iudæis, tempore passionis Christi facultas fuisset interficiēdi malefactores adiungam etiam in hac parte, quod sentio. D. Cyril. super Ioannem li. 12. capit. 6. Videtur sentire, Iudæos potestatem habuisse nec impedimentum esse aliud præter temporis solemnitatem: habet enim hæc verba: Vetari aiunt ab impia cæde Pascha celebraturi: nam aliter ministeriū Pilati nō quæsiuissēt. Vbi affirmat, quod si tēpus Paschę nō esset, ipsi occidissēt, nec ad Pilatū cōfugissēt. Euthymius expressius id asserit exemplo D. Stephani, id affirmans, ac propterea de crucifixione interpretatur locū: hæc enim non licebat illis. Comprobare etiam idem possumus exemplo adulteræ, quam Ioan. octauo. Iudæi lapidare volebant. Et rursus quia sępe Christum lapidare tentarunt. Hæc videntur esse argumento eos potestatem interficiendi habuisse.

Iudæi nō poterant sentētiā capitis in aliquē ferre, sine præsidis Romani cōsensu.

His non obstantibus mihi probabilius videtur per Romanos eis fuisse ablatam potestatem, ita vt non liceret eis, sine præsidis assensu sententiam capitis ferre in eos, qui etiam secundum legem morte plectendi erant. Distinguendum igitur est: Si enim crimina erānt contra Romanorum leges qualia furta, latrocinia, homicidia, seditiones & alia huiusmodi: hæc Romanus præses solus vindicabat, nec pontifices, nec Iudæi partem habebant in iudi-

Digitized by Google

cio isto. Si verò erant crimina contra solam Iudæorum legem, vt blasphemia in Deum Israel, & alia, quę contra legem committebantur, nec leges Romanorum prohibebant: si pœna capitis erat infligenda, cum consensu præsidis fiebat ab illis, iudicium: si vero minor & leuior erat, ipsis id facere concessum erat. Hæc omnia probari videntur primo ex responsione Gallionis proconsulis Actu. 18. cum enim accusaretur Paulus respõdit: Si esset iniquũ aliquid, aut facinus pessimum, recte vos sustinerem: si vero quæstiones sunt de verbo & nominibus & lege vestra, vos ipsi videritis. Ex quibus verbis infertur, quod si Iudæi facultatem interficiendi habuissent, nunquam apud Gallionem Paulum accusassent. Secundo ex Iosepho, qui li. 20. antiquitatum capit. 8. de Anano pontifice loquẽs refer eum in iudicando seuerissimum fuisse, & addit hæc verba: Talis igitur cum esset tempus opportunum se nactum ratus mortuo Festo Albino adhuc agente in itinere Concilium iudicũ aduocat, statutumq; coram fratrem Iesu Christi Iacobum, & vna quosdam alios reos impietatis peractos lapidandos tradidit: quod factum omnibus in ea ciuitate bonis, & legum studiosis vehementer displicuit: missisque ad regem clam nuncijs rogauerunt mandaret Anano, ne quid tale posthac ageret: nam nec nunc quidẽ recte egisse; quidam etiam Albino occurrentes docuerunt non licuisse Anano, sine ipsius consensu aduocare Concilium; horum verbis ille persuasus iracunde scripsit Pontifici, daturum sibi pœnas minitans: & Agrippa rex cum ob causam post tertiũ mensem ablatum ab eo pontificatum Damnei filio concessit. Hęc Iosephus. Ex quibus comprobatur doctrina superior: si enim facultatem talem habuisset pontifex Iudæorum, sine præside, non erat cur opportunitatem expectasset occidendi: nempe absentiam præsidis. Rursus etiam non licuisse pontifici, sine assensu præsidis talia facere persuasisse ei non dicerentur, qui occurrentes venerunt; nisi quia rẽ vera pontifex talem potestatem non habebat. Tandem hoc factum legum studiosis displicuit, nimirum quia faciebat, quod ei non licebat: & denique ea de causa priuatus est pontificatu. Tertio hoc idem probatur: Si Iudæi vinctos habuissent in causa mortis inferendæ, non erat cur ad Pilatum venirent, & peterent vnũ sibi in Paschate liberari: ipsi enim id potuissent facere: id igitur factum est, quia non erat facultas, nec potestas eis interficiendi. Quod si Stephanum occiderunt, & adulteram lapidare volebant, id factum est, quia Romani dissimulabant aliqua talia, præsertim quæ contra eorum leges non erant commissa; aut quia populi furore fiebant; aut quia ex assensu illorum efficiebãtur. Denique factum non est argumentum potestatis: nam & Ananus occidit Iacobum, nec id faciendi potestatem habebat. Leuiores autẽ pœnas inferendi potestatem habuisse in his, quę contra legem erant probat, quod diximus de Gallione Actu. 18. de verberatione Apostolorum Actu. 5.

VNctus est.] Circa ea, in quibus vnctio pontificis præstabat vnctioni sacerdotum inferiorum, ob quæ solus summus sacerdos dicebatur simpliciter & per antonomasiam vnctus, videantur, quę diximus Exo. c. 29. annot. 4. VI.

PER Eius sanguinem.] Sanguinem vocat hoc in loco scriptura pœnam infligendã ei, qui cædis autor sit: vt Osee cap. 12. sanguis eius super eum veniet, & opprobrium eius restituet ei Dominus. Et Matth. 27. Sanguis eius super nos & super filios nostros. Quia ergo ei quoq;, qui casu fortuito alterũ occidisset, imponebatur loco pœnæ, quod esset exul & profugus in vna vrbiũ refugij, idcirco hoc exilium vocat scriptura sanguinẽ, & per eũ dicit expiãdã esse maculã, quæ in effusione etiã inuoluntaria sanguinis innocentis extitisse videbatur. Vnde subuentio huius pœnæ ponitur tanquã causa eius, quod præcesserat, nempe non debere reuerti exules in vrbes suas ante mortẽ pontificis. VII. *Sanguis pro pœna debita occisori.*

ARGVMENTVM IN CAP XXXVI.

¶ *Ad petitionem principum tribus Manasse præcipitur filiabus Salphaad, ne accipiant viros alterius tribus, sed suæ dumtaxat, quo possessio, quæ illis obtingere debebat in terra Chanaan, maneret in tribu patris sui. Et hoc ipsum indicitur alijs tribubus, ne scilicet connubijs indifferenter commisceãtur, vt diuisiones sortium à principio fiendæ perseuerare queant. Cuius legis decreto filiæ Salphaad statim obtemperarunt.*

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXVI.

A. † Su. 27 a. 1.

A*Ccesserunt autẽ † & principes*, seu maiores natu *familiarum Galaad filij Machir filij Manasse*, qui quidem principes erant *de stirpe filiorum Ioseph*, & de vna duarum tribuum illius: *locutique sunt Moysi coram principibus Israel*, vt responsio Moysi omnibus constare posset, & effectum suum sortiri: *atque dixerunt: Tibi domino nostro*, vt pote supremo

populi

populi duci, ac gubernatori. *præcipit Dominus, vt terram* Chanaan à nobis possidendam *sorte diuideres filijs Israel*, qui vltra Iordanem accepturi sunt hęreditatem. Pręcepit quoque, *& vt filiabus Salphaad fratris nostri*, eo quod fratres mares non habent, qui sortiri valeant terram possessionis suæ *dares possessionem debitam patri*, desumendam ab ea, quę dimidiæ tribui nostræ obuentura est in terra Chanaan: *quas si alterius tribus homines vxores acceperint* quod hactenus prohibitum nō est, vna cū eis transibit in viros aliarum tribuum mulierum istarum hæreditas, eo quod illas *sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum de nostra hereditate*, quam tempore diuisionis Terræ Chanaan habitura est tribus nostra, portio illa *minuetur: atque ita fiet, vt* non solum, vsque ad iubilei annum hæreditas vnius ab alia tribu possideatur, quod tolerabile esset: verū etiam *cum iubileus id est, quinquagesimus annus remissionis aduenerit*, quo cæteræ alienationes possessionum rescindi præcipiuntur, *confundatur sortium distributio* à principio diuinitus facta, *& aliorum possessio ad alios transeat*, nempe de vna tribu ad aliā: quod intolerabile prorsus erit. *Respondit Moyses filijs Israel*: & non pro arbitrio suo, *sed Domino præcipiente, ait, Recte tribus* Manasse quæ vna est ex duabus tribubus *filiorum Ioseph locuta est, &* in confirmationem rei, quam poposcit, *hæc lex super filiabus Salphaad à Domino promulgata est*: † *Nubant, quibus volunt*, ne prætendere valeant fuisse sibi sublatam libertatem ad eligendum viros, quibus nubant, *tantum vt suæ tribus hominibus* copulentur, non verò viris aliarum tribuum *ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum*, prout commisceretur, & confunderetur, si viri aliarum tribuum fierent domini possessionis pertinentis ad tribum Manasse. *Omnes enim viri si* fœminis Israelitis nubere velint, *ducent vxores de tribu & cognatione* 1 *suas* quamuis non sint de eadem familia: *& cuncta fœminæ de eadem tribu* 2 *maritos accipient*, vbi rei necessitas aliud non exposcit. Quod quidem præceptum in eum dumtaxat finem imponitur, *vt hæreditas permaneat in familijs*, in proprijs videlicet tribubus, *nec sibi misceantur tribus*, quantum ad possessiones suas, *sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt* habente vnaquaque eā terræ portionem, quæ ei in prima diuisione obtigerat. *Feceruntque filiæ Salphaad, vt fuerat imperatum: & nupserunt* omnes quinque, quarum nomina erant *Maala, & Thersa, & Hegla, & Melcha, & Noa*, viris tribus suæ videlicet *filijs patrui sui de familia*, seu tribu *Manasse, qui fuit filius Ioseph, & possessio, quæ illis fuerat attributa*, 3 seu attribui oportebat in terra Chanaā ex dispositione diuina, *mansit in tribu & familia patris earū*, nempe in familia Epher, ad quam pertinebat Salphaad. *Hæc sunt mādata*, tam moralia, quam ceremonialia, *atque iudicia*, seu præcepta iudicialia, *quæ mādauit Dominus per manum*, 4 vel per ministerium *Moysi ad filios Israel*, dum populi multitudo existeret *in cāpestribus Moab supra Iordanem contra Iericho*, vbi ante transitum Iordanis vltimam mansionem peregit.

B. — † Tobi. 7 d:14. — I. — II. — D. — III. — IIII.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXVI.

DE tribu & cognatione.] Cognatio, seu familia dupliciter sumitur in sacris literis. Vno modo stricte, secundum quod plures cognationes, vel familiæ constituunt vnam tribū: in quo sensu superius ca. 26. recēsitę sunt vniuersæ familię duodecim tribuū filiorū Israel. Alio modo sumitur cognatio, vel familia large pro his, qui quomodolibet cōmunicant in aliqua consanguinitatis habitudine: & in hoc sensu aliquādo cognatio, vel familia significat idem, quod tribus, vt superius cap. 1. Eruntque vobiscū principes tribuū, ac domorū in cognationibus suis. Vbi necesse est accipi cognationes pro tribubus: quia cum ponātur ibi nomina principū cognationū, ponūtur dūtaxat duodecim, qui quidē erant principes tribuū, non familiarū, similiter familia ponitur pro tribu in hoc ipso capite ibi; Vt hæreditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus. Neq; enim in lege prohibitū erat hæreditatem transire de vna familia, in aliā, sed solum de vna tribu in aliam. In hoc igitur secundo sensu sumitur cogātio in præsenti, scilicet pro tribu.

I. *Cognatio seu familia dupliciter sumitur large, & stricte.*

DE eadem tribu.] In tantum tenebantur Israelitæ cōtrahere matrimoniū cū personis suę tribus, in quātū id erat necessariū ad hoc vt non cōmiscerētur sortes; sed vnaquæq; tribus haberet hæreditatē, vel possessionē, quæ sibi in prima terræ diuisione obtigerat. Quā legis limitationē manifeste docēt tū petitio principū Manasse, tū etiā verba illa subiuncta. Vt hęreditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneāt, vt à Domino separatę sunt: cōstat autē q. Deus nō iusserat hactenus vt separarētur tribus in terra promissionis, nisi quantū ad sitū habitationis, ac terrę possessionē ergo hoc tātū intendebat lex ista matrimoniorum, & non aliud. Ex quo infertur primo potuisse impune Israelitas ducere vxores alienigenas conuersas ad fidem, prout fecit Salmon,

II. *Quando personæ diuersarū tribuū, poterāt matrimoniū contrahere.*

accipiens in vxorem Raab Ierichotnam, Matt. capit. 1. & Booz accepit Ruth Meabitidem, Ruth. 4. & Dauid duxit Maachan, filiam Tholmai regis Gessur matrem Absalon. 2. Reg. 3. Idque communiter fuit expresse concessum Deut. cap. 21. Dixi conuersas ad fidem, quia manentes in gentilitate nefas erat accipere in vxores, de eoque reprehenditur Salomon. 3. Reg. cap. 11. & 2. Esd. 13. & Eccl. 47. secundo infertur omnibus tribubus licitum fuisse accipere vxores de tribu Leui, & dare eas Leuitis: eo quod Leuitæ non habebant aliquam possessionem, nec fuit eis assignata aliqua sors terræ, vt patet superius capit. 18. & Iosue. 13. vnde non imminebat periculum commiscendi possessiones tribuum ob eiusmodi matrimonia. Vnde Ioiada accepit in vxorem filiam regis Ioram, quæ erat de tribu Iuda, 4. Reg. 11. Tertio infertur virum quemcumque vnius tribus potuisse licitê accipere in vxorem fœminam alterius cuiuslibet tribus, non succedentem in hæreditate paterna, dumtamen adesset aliqua specialis, & rationabilis causa ad id faciendum: vnde Dauid licite duxit in vxorem Michol filiam Saul de tribu Beniamin. 1. Reg. 18. & Achinam Iezraelitem, 1. Reg. 25. Dixi debuisse interuenire aliquã specialem causam quia alias imminuisset periculum iurgij inter Israelitas, atque etiam cõmistionis possessionum ex eiusmodi matrimonijs. Quamuis enim tempore matrimonij fœmina alterius tribus haberet fratres, qui succederent in hæreditate paterna, poterat tamen contingere eos mori viuente patre, ita quod postea fœmina nupta viro alterius tribus deberet succedere in hereditate paterna, quam si possessio bonorum subsequeretur transiret iam ad aliam tribum. In quo casu fœmina nupta viro alterius tribus, quamuis succedere non debebat, in eiusmodi bonis, sed in virtute cessionis, quam tacite, vel expresse fecerat nubens viro alterius tribus transire debebat hæreditas paterna ad alios propinquos, ac si talis fœmina tempore successionis fuisset defuncta: cæterum quia cupiditas viri forte id ęgre ferret, conaretur habere hæreditatem soceri sui, vel saltem esset occasio iurgandi cum propinquis vxoris suæ, qui in eo casu succedere debebant. Idcirco matrimonium inter personas diuersarum tribuũ erat aliqualiter illicitum, nisi aliqua honesta causa, qua prædicto periculo obuiaretur, interuenisset.

FVerat attributa.] Ex his verbis, aliqui colligunt filias Salphaad accepisse possessionẽ viuente Moyse, vna cum alijs dimidiæ tribus Manasse, qui acceperunt possessionem trãs Iordanem in terra duorum regum Amorrhæorum. Falluntur tamen isti: nõ Iosue cap. 17. cõstat eas accepisse hæreditatem in terra Chanaã vnde verba ista. Possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit & cætera, intelligenda sunt, prout in paraphrasi exponuntur. III

Filie Salphaad in terra chanaã receperũt hæreditatẽ

PEr manum Moysi.] Sensum huius metaphoræ Hebraicæ ex alijs plurimis sacræ Scripturæ locis ostendimus Leuit. ca. 8. anno. 4. IIII.

PARAPHRASIS INTERTEXTA EDITIONI VVLGATÆ IN LIBRVM DEVTERONOMIVM, VOCATVM HEBRAICE ELLE HADDEBARIM.

PER R. P. FRATREM PETRVM VINcentium de Marzilla Cæsaraugustanum Congregationis Benedictinæ Hispaniarum Magistrum generalem Sacræq; Theologiæ in Vniuersitate Compostellana Primarium professorem, & Sanctæ Inquisitionis officij Censorem.

ARGVMENTVM IN CAP I.

¶ Sedente populo Israelitico iuxtà fluenta Iordanis, anno quadragesimo ab exitu de Ægypto nouam legis promulgationem instituit Moyses, exordium sumens à narratione insignium quorumdam beneficiorum diuinæ pietatis, erga filios Israel: quibus tamen beneficijs maximè ingrati extitere Israelitæ, nolentes terram promissionis intrare, quando eis præcipiebatur, & è contrario ingredi tentantes, quando à Domino prohibebantur: ob quam causam egressus Amorrhæus obuiam veniens persecutus est eos.

PARAPHRASIS IN CAPVT I.

A. HÆC *Sunt verba*, nunc in libro isto de ore Dei excipienda, *quæ locutus est Moyses ad omnem Israel*, audientibus senibus, ac principibus cunctarum tribuum & familiarum, per quos ad notitiam cæterorum de populo verba ista deducebantur *trans Iordanem*, respectu situs maioris partis terræ promissionis: futurum quippe erat, terram hanc vocandam trans Iordanem in futuris temporibus post adeptam possessionem maiorem partem terræ Chanaan: inter locum enim, vbi Moyses, de nouo promulgauit legem Dei, & Iudæam, ac Ierusalem medius existebat Iordanis, erat autem locus ille situs, *in solitudine campestri*, quæ est in campestribus Moab super Iordanem iuxta Ierico, non quidem in ea parte Iordanis, qua sita est Ierico, sed in opposita, nempe *contra mare Rubrum*, seu ex regione cuiusdam ipsius sinus, vbi vltimo loco castrametatus est Israel ante Iordanis transitum *inter Pharan, & Thophel, & Laban, & Haseroth*, quæ erant loca, circunstantia mansionem illam, in qua Moyses verba huius libri locutus est ad populum: *Vbi autem* est

est *plurimum*; abundat quippe solitudo illa optimis aurificinis, pretiosissimisque metallis: distabat autē locus iste, in quo Moyses quadragesima secunda mansione & postrema fixerat tabernacula, *vndecim diebus de Horeb* itinere enim vndecim dierū opus erat, vt peruenire quis posset in montem Horeb, non quidem per viam, qua ductus est populus Israel circumiens Idumæam, & desertum, quæ longissima fuit, sed *per viam montis Seir*, nempe per medium Idumææ, quà itur de campestribus Moab, *vsque ad Cadesbarne*, & exinde in montem Horeb, quæ tota via absolui potest prædicto vndecim dierum itinere. *Quadragesimo anno* ab exitu filiorum Israel de Ægypto qui fuit vltimus, quo ipsi in deserto itererunt *vndecimo mense*, ab Hebræis vocato Sabatha, Latinis vero Ianuario, *prima die mensis*, cum iamiam mors sibi immineret, *locutus est Moyses ad filios Israel*, memoriæque eorum reduxit *omnia quæ præceperat*

I. *rat sui Dominus, vt diceret eis*, secundo illis legem promulgans. † *postquam percussit Sihon Regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesbon* regni sui metropol., *& Og*

† Nu. 21 c. 24.

regem Basan, qui mansit in Astaroth, alio nomine dicta Carnain, *& in Edrai*, vbi pugnam inierat cum filijs Israel. His igitur omnibus peractis locutus est Moyses verba libri huius, nouam legis promulgationem instituens *trans Iordanem* prope illius ripas antequam ab Israelitis transiretur, *in terra*

B. campestri, quæ est in finibus *Moab. Capitq; Moyses explanare legem, & clarius*, atque distinctius repetens, quæ prius proposuerat, ac etiam nonnulla de nouo subiungens *dicere. Dominus Deus noster*, qui nec fallere quemquam vult nec falli potest, *locutus est ad nos in Horeb*, post legis sacerdotijque susceptionem, ac tabernaculi, & ornamentorum illius structuram, ceremoniarumque informationem *dicens: sufficit vobis, quod in hoc monte mansistis*: nec opus est in vasta hac solitudine diutius immorari; sed potius quandoquidem omnia, propter quę huc accessistis, completa sunt, & perfecta *reuertimini* ad viam, quæ recto tendit in terram promissionis, *& venite ad montem Amorrhæorum*, à quibus terra vobis promissa incipit occupari, *& ad cætera, quæ vicini* monti Amorrhæorum *proxima sunt campestria*, nempe campestria Moab. Transuadatoque Iordane accedite etiam ad loca sublimia terræ Chanaan, *atque montana*, quæ sunt versus septentrionem, *& humiliora loca contra meridiem*, & pergentes tendite ad terram, quæ est *iuxta litus maris* Mediterranei ad occidentalem plagam, videlicet ad *terram Chananæorum, & Libani*, vbi inquam mons Libani existit, & pertingit terra huiusmodi *vsque ad flumen magnum Euphratem* terminatē illam versus Babylonem. *En, inquit, tradidi vobis*, facultatemque concessi, vt eam statim debellare possitis, quia iam sunt completæ iniquitates Amorrhæorum: quapropter quasi nullum habentes aduersantem *ingredimini, & possidete eam*, vt pote terram, *super qua iurauit Dominus*, & certo certius promisit *patribus vestris Abraham, Isaac, & Iacob, vt daret illam eis*, quantum ad ipsius futuræ possessionis, *& semini eorum post eos* quantum ad actualem consecutionem. *Dixique vobis*, ego Moyses *illo in tempore*, ante scilicet discessum ex monte Horeb † *Non possum* commode, & prout oportet, *solus* † Exo. 18 c. 18.
sustinere vos, non solum propter multiplex gubernationis genus, nempe spirituale & temporale, cui me incumbere oportet, sed etiam propter multitudinem populi, quæ regenda est; *quia Dominus Deus vester* adimplens, quæ Abrahæ promiserat, *multiplicauit vos, &* ad tam ingentem multitudinem redegit, quod *estis hodie sicut stellæ cæli plurimi*, instarque earum multitudo stirpis Iacob innumerabilis existit: de qua re nullatenus doleo, imo potius votis omnibus exopto, vt *Dominus Deus patrum vestrorum* Abraham, Isaac, & Iacob *addat ad hunc numerum multa millia* ad eum sci-
licet, qui se habet instar stellarum, qualis II.
est numerus iustorum non ad eum qui est quasi puluis terræ, prout est numerus reproborum: *& benedicat vobis* omnium bonorum genere abundare faciens *sicut locutus est*, & promisit se vestris panibus & aquis benedicturum, si ei serueritis. *Non*
valeo, itaque tot vobis existentibus *solus* C.
negotia vestra sustinere; causas omnes ciuiles decernendo, *& pondus* ministrandi vobis necessaria: neque etiam rixas vestras, *ac iurgia* valeo decidere quod si id attentare præsumerem proculdubio & vos plurimum vexarem, neque ipsum stulto labore consumerem. *Date ex vobis viros*, non feminas, quæ ineptæ sunt ad iudicium ferendum, eosque *sapientes*, qui multa per doctrinam cognouerint, *& gnaros* per rerum vsum & experientia, *& quorum conuersatio*

fit

sit probata quantum ad timorem Dei, amorem iustitię, & odium auaritiæ, *in tribubus vestris*, debet enim iudex bonum habere nomen apud plebem, quam iudicat. præbete igitur eiusmodi viros; *et ponam eos vobis principes*, qui prudentia sua populum regāt litesque componāt. *Et respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere:* consensum prębentes optimo soceri mei consilio: *Tulique de tribubus vestris*, absque vlla personarum aut tribuum acceptione *viros sapientes*, rerum diuinarum, atque humanarum doctrina præditos, *& nobiles*; eo quod nobilitas, & reuerentiores reddit homines, ac etiam necessitatem quandam imponere videtur, quasi cogens strenuos mores sui generis insequi haud facile sinens à maiorum virtute nobilem degenerare: *& constitui eos principes*, secundum vnam vel alteram principatus speciem, videlicet *tribunos* habentes sub se mille, *& centuriones*, qui præessent centum viris, *& quinquagenarios*, qui præessent quinquaginta, *ac decanos*, curam decem personarum habentes. *ut docerent vos singula*, de quibus circa particularia agibilia vltra ea, quæ in lege sunt constituta, vos instrui oportebat. *Præcepique eis dicens: Audite illos*, neque enim decet iudicem contra inauditam partem procedere; † *et quod iustum est iudicate: siue ciuis sit ille*, qui iudicium expostulat, nempe ex Israelitarum prosapia, *siue peregrinus* peregrè trāsiens per vestram regionem aut qui ex gētilitate conuersus ad Iudaismum, manserit tanquam aduena apud vos. † *Nulla erit distantia personarum*, sed causarum dumtaxat quæ vnum magis, quam alium dignum reddunt: *ita paruum*, inopia pressum *audietis, vt magnum* diuitijs affluentem in his, in quibus conditio diuitiarum non congruit proposito negotio: *nec accipietis cuiusquam personam*, prout accipere dicuntur, qui quidpiam attribuunt personæ præter proportionem suam; quod præsertim in iudicijs illicitum est, & iniquum, *quia Dei* munus & officium maxime proprium *iudicium est*. Vnde quicumque iudicant eius vices gerunt, ac proinde, sicut illi, & ius tenentur personarum acceptionem fugere. *Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit*, ita vt quid iuris decernere oporteat, ignoretis, *referte ad me, & ego audiam*; & si ad illud resoluendum necessarium fuerit, Dominum consulam. *Præcepique omnia, quæ facere deberetis*, ne iudicantes a vero vos aberrare contingeret. *Profecti autem de Horeb*, post iudicum institutionem & electionem, *trāsiuimus per eremum*, seu solitudinē Pharā *terribilem* ratione multitudinis serpentū atque scorpionum, *& maximam* ob plurimas mansiones in ea eremo peractas, *quam vidistis*, dum tendebatis de monte Sinai, *per viam montis Amorrhæi*, seu per viam, qua tenditur in terram promissionis, *sicut præceperat Dominus Deus noster nobis*, cum dixerat: Sufficit vobis, quod in hoc monte mansistis, reuertimini, & venite ad montē Amorrhæorum. *Cumque venissemus in Cadesbarne* trigesimam tertiam mansionem, perficientes prope terram Amorrhæorum *dixi vobis: Venistis ad locum*, ex quo iam iam ingressuri estis *montem Amorrhæi*, quē veluti promissionis suæ fidelissimus executor *Dominus Deus noster daturus est nobis*: *Vide* igitur popule Israel, & æterno animo perpende quantum ad aliquam eius partē, *terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi*; vt statum illam possidere valeas, si peccata tua non obsistant: *ascende & possidere eam*, absque cunctatione aliqua *sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis* promittens se illā daturū eorum semini: *noli timere, nec quidquam paueas*, sed absque vlla cordis afflictione terrā istam ingredere † *Et accessistis ad me omnes* ita vt nequaquā valerem resistere multitudini, *atq; dixistis, Mittamus viros, qui considerent terram*, vtrū scilicet sterilis sit an fertilis, montuosa an plana, murata, an sine muris, & quales habeat habitatores, *& renuncient* nobis non satis fidentibus ducatui angeli in columna nubis, *per quod iter debeamus ascendere*, quæ videlicet pars facilior sit ad intrandum & magis vacans ab hostibus, *et ad quas pergere ciuitates* etiā debeamus, vt eas primo adeamus quæ facilius capi possint. *Cumq; mihi sermo placuisset*, non statim vt id vos petistis sed postquam Deus sciens duritiam vestram vt id facerē præcepisset, *misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis*, ne aliqua tribus peioris esse cōditionis quā alia videretur. *Qui cum perrexissent, &* lustrātes totā terrā Chanaā *ascendissent in montana*, *venerunt vsque ad locū*, quē postea propter botrū abscissum ab exploratoribus nomē habebit apud omnes, *vallem botri & considerata terra sumentes de fructibus eius*, palmitē cū vua sua, malogranata quoq; ac ficus *attulerunt ubertatem* extuliq; terræ illius fertilitatem,

Margin notes: † Ioan. 7.d.24. † inf.16 d.19. Leu.19. c.15. Prou.24 c.23. Eccl.42. a.1. Iacob.2 a.1. — C. — D. — † Num. 13.a.4.

attulerunt ad nos, atque aliqua ex parte terrā laudantes *dixerunt. Bona est* quantum ad fructuū vbertatē, *terra, quā Dominus Deus noster daturus est nobis. Et* tamē quia nonulli exploratorū subiunxerunt, terram illam pestilentia atq; aeris malitia deuorare habitatores suos, habereq; cultores fortissimos, & vrbes grandes, atq; muratas, *noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri*, quo promiserat emissurū angelū suum in præcursum vestrum, cumque dispersurū omnes gentes illas, *murmurastis in tabernaculis vestris, atque* per totā noctem summa præditi ingratitudine plorantes *dixistis: Odit nos Dominus*, quāuis aliàs dicat se nihil odire eorū, quæ fecit, *& idcircò* in signū odij sui *eduxit nos de terra AEgypti*, non quidē vt daret nobis terram fluentem lacte & melle, sed *vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque* Chananæorū vi & potentia nos omnes funditus *deleret. Quo ascendemus?* proculdubio quoquo versum tendamus mors nobis imminet. Etenim *nuncij* exploratores seu eorum plures *terruerunt cor nostrum*, animosq; nobis fregerūt *dicentes: Maxima multitudo est* habitatorū terræ huius, ad quam ibimus, *& nobis statura procerior*, adeo vt genti illi comparati quasi locustæ videremur: *Vrbes magnæ, &* hyperbolicè loquēdo videbātur, *ad cælum vsque munitæ, filios Enacim* Achimā & Sisai & Tolmai de genere Gigātęo, *vidimus ibi* nēpe in Hebrō. *Et dixi vobis*, cōsolationis gratia, & vt animosiores redderē: *Nolite metuere* animi cōsternatione, *nec timeatis eos*, quasi potētes vobis malū inferre: *Dñs Deus, qui ductor est vester* per nubē in die, & per colūnam ignis in nocte, *pro vobis ipse pugnabit* mittēdo angelū suum, qui disperdat gētes illas, *sicut fecit in AEgypto cunctis videntibus* interficiēdo primogenitos Ægyptiorū, & submergendo Pharaonem & eius exercitū in mari Rubro. *Et in solitudine ipse vidisti*, quia non solū debellare te fecit potētissimū Amalec, verū etiā *portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum* insignē vestri prouidentiā habens, ac vos summopere protegens, *in omni via per quam ambulastis*, ex quo exiuistis de terra Ægypti, *donec veniretis ad locū istum* nunquā cessans pluere mānā, nec desistens ab aliorū innumerabiliū beneficiorū largitione. *Et nec sic quidem credidistis*, seu fiduciā præbuistis *Domino Deo vestro, qui* certitudinē futurorū bonorū pręteritorū exhibitione satis superque ostēdit, nā † *precessit vos in via* ductor vester existens *& metatus est locū*, terminos ponens seu definiens sitū, *in quo tentoria figere deberetis*, idq; incessabiliter *nocte ostendēs vobis iter per ignē, & die per colūnam nubis*, vt hac ratione ductor esset itineris vestri vtroq; tēpore. † *Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorū*, quibus decepti ab exploratoribus murmurastis contra ipsum *iratus*, ac de certa punitione vestra decretū ferens *iurauit & ait:* † *Non videbit* de proximo & quasi actu possidens *quispiam de hominibus generationis huius pessimæ* ex his, qui numerati sunt à viginti annis & supra, *Terrā bonam, quā sub iuramento pollicitus sum patribus vestris, præter Caleb filiū Iephone*, qui pro tribu Iuda terrā hanc explorauit: *ipse enim videbit eā* per actualem possessionē, *& ipsi dabo terram, quā calcauit*, nēpe Hebrō, vbi iacent corpora Patriarcharū: hanc illi conferā iure hęreditario, *& filijs eius, quia secutus est Dominum*, & solus adhæsit duci futuro populi, nēpe Iosue in omnibus, quæ præcepta sunt à me. *Nec miranda indignatio in populū*, nec valde mirū quòd Dominus irasceretur contra plebem adeo ingratā & peccatricē, *cum mihi quoq;*, qui tot peccata non cōmiserā *iratus Dominus*, punireq; volens difidentiā meā, quam *propter vos*, seu occasione vestri commiseram

III. *dixerit: Nec tu ingredieris illuc* 3 in interiorē scilicet Terræ promissionis partem quæ sita est vltra Iordanē: *sed Iosue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te*, exercebitq; ea, quæ tu exercere deberes populum dirigēdo. *Hunc exhortare* persuadēdo ei, quòd populū regere velit, *& robora* certificando eū, quòd in actibus suis prosperabitur, *& ipse forte terrā diuidet Israel*, deletis prioribus illius habitatoribus. *Paruuli vestri*, qui tēpore murmurationis necdum attigerant vigesimum annū, illi inquam *de quibus dixistis, quòd captiui ducerentur* ob vestram de diuina bonitate & potentia diffidentiā, *& filij, qui hodie*, eo scilicet die, quo vna cū exploratoribus murmurastis, *boni ac mali ignorant distantiam* ex defectu discretionis, seu vsus rationis, *ipsi ingredientur* soli, extinctis prius eorū parentibus in deserto: *& ipsis dabo Terram & possidebunt eam* nō tamē omnes, sed hi dūtaxat, qui digni fuerint inuēti. *Vos autem reuertimini* à via, quę recto tramite tēdit in Terrā promissionis, *& abite in solitudinem* Pharan, eā perambulaturi,

† Exod. 13. d. 21 Num. 14 c. 14.

† Exod. 13. d. Numer. 14. d. De pænit. dis. 3. §. autoritas. De consecr. dis. 2. c. tenera.

† Num. 14. d. 22 Psa. 94. c. 12.

F.

G.

Digitized by Google

turi, ac circũdaturi *per viã Maris rubri*, quæ vacat ab hostibus, ac proinde ab eis minimè perturbamini. † *Et respondistis mihi* timore potius seruili quã filiali cõmoti: *Peccauimus Domine*, quapropter ad huius peccati satisfactionẽ & emendã *ascendemus* in mõtẽ Amorrhæorũ, *& pugnabimus* non sicut modo præcipitur nobis, sed *sicut præcepit Dominus Deus noster*, nihil curantes de circunstantia tẽporis. *Cumq́ instructi armis pergeretis in montem* non Dei consiliũ, sed vehementissimã animi vestri passionẽ insequentes: *ait mihi Dominus: Dic ad eos* †: *Nolite ascendere, neq́ pugnetis, non enim sum vobiscum*, quantũ ad effectũ liberandi vos ab hostibus cuius rei certiores vos facio, *ne cadatis corã inimicis vestris*, pugnã cum eis ineuntes absq; protectione mea: quamuis enim vobis sim iratus, misericordiæ tamen, quam in huiusmodi animaduersione exhibeo, non obliuiscor. *Locutus sum, & non audistis, sed aduersantes imperio Domini* veteri inobedientiæ nouã superaddidistis, *& tumentes superbia ascendistis in montem* de viribus vestris nimiũ confidentes. *Itaq́ egressus Amorrhæus* 4 vnus de populis Chananæorũ, vt pote à cõmuni patre Chã originẽ ducens, *qui habitabat in montibus* existentibus vltra Iordanẽ prope desertũ Pharan, *& obuiam veniens persecutus est vos* multitudine & improbitate maxima, *sicut solent apes persequi* eos, à quibus irritãtur: *& cecidit*, seu percussit, ac verberauit per totũ illud terræ spaciũ, quod est *de Seir vsq́* ad extremitatẽ illius terræ, quã postquam debellata fuit à nobis appellauimus, *Horma*. *Cumq́ reuersi ploraretis coram Domino* ante tabernaculũ eius, petentes vlcisci de Amorrhęis, ac etiã vt sineret ingredi terrã promissionis, *non audiuit vos* auditione approbante petitionẽ vestrã, nec *voci vestræ voluit acquiescere*: neq; enim pœnitentia sufficit ad cõsecutionẽ omniũ effectuũ tẽporaliũ. *Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore*, 5 per triginta & octo fere annos nõ vltra progredientes versus terram promissionis.

† Num. 14. 40

† Num. 14. & 42.

IIII.

V.

ANNOTATIONES IN CAPVT I.

I. *Lex vetus bis fuit promulgata & quare.*

VT diceret eis.] Ratione huius secundæ promulgationis legis vocatur liber iste Deuteronomium, idest, secunda lex: Gręcè enim deuteros secundã, nomos verò legem designat. Moyses quippe semel atq; iterum legem veterẽ promulgauit populo. Primo quidem statim vt Deus sibi eã reuelabat: de qua promulgatione meminit sparsim in tribus libris præcedentibus, scilicet in Exodo, Leuitico, & Numerorũ volumine, miscens legis publicationẽ cum ipsa historiæ narratione. Secũndo promulgauit in vltima deserti mansione, cũ se populus accingebat ad transitũ Iordanis. Vbi sciens Moyses se in proximo moriturũ, populo sibi cõmisso, quem magnopere diligebat, totius legis præcepta ingeminauit, vt melius & profundius atq; tenacius eorũ memorijs imprimerẽtur. Eamq; legis repetitionẽ in speciali libro literis mandauit ob pluri mas causas. Primo quia multa in alijs libris fuerunt omissa eorũ, quæ ad legem pertinebãt, quæ in hoc libro addere oportuit. Secũndo quia plurima in prioribus libris ponuntur ita dispersa, multis permistis historijs, vt non facile quis scire queat quid cuiq; attineat: vnde omnia dispersa, quo decet ordine, coniungi debuerũt, prout fit in hoc volumine. Tandẽ in alijs libris nõnulla obscurè dicuntur, quæ in hoc libro clarius & distinctius exprimuntur. Ob quas & alias causas memoria verborũ huius libri specialius cõmendatur, quã memoria aliorum librorum: vt patet ex eo quod regibus Israeliticis præcipitur, vt transcribant librũ istum: transumptumque retineant ac perlegant: sic enim habetur inferius cap. 17. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ.

II. *Solũ numerũ iustorũ petijt Moyses augeri.*

ADdat ad hunc numerum.] Dixi super Genes. capit. 22. annot. 5. ea ratione semen Abrahæ comparari syderibus cœli, & pulueri terræ, quia in eo quidam futuri sunt gratia & gloria instar cælestium stellarum clarificandi; alij vero erunt similes pulueri & arenæ, vt pote affectu terreni, & bonis operibus infœcundi. Dixi præterea Genes. 3. annot. 10. multiplicationem conceptuum tunc esse pœnam & magnum quoddam malum, cũm extenditur ad eos, qui propter eorum flagitia æternis supplicijs destinantur. Quibus suppositis aperte liquet, quo iure sententiam huius loci ad numerum tantum iustorum restrinxerimus, dicentes in paraphrasi hunc dũmtaxat voluisse Moysen augeri.

III. NEc tu ingredieris illuc.] De loco in quem ingredi prohibitus est Moyses per sententiam in eum latam ad aquas contradictionis, diximus latè superius Numero. 20. annotatione quarta.

IIII. ITaque egressus Amorrhæus.] Populus vocatus in præsenti Amorrhæus appellatur Numero decimo quarto & vigesimo primo capit. Chananæus ob causam, quam assignauimus eodem cap. 14. annot. 5.

Sedistis

V. *Sedere interdũ significat non vltra progredi.* SEdistis ergo in Cadesbarne multo tẽpore.] Sedere in sacris literis non semper significat requiem capere, sed etiam interdum designat non vlterius progredi, vt 4. Reg. 2. Sede hic: id est, Noli vlterius procedere. Iuxta quem sensum dicitur in præsenti filios Israel multo tempore sedisse in Cadesbarne; quia per tempus triginta & octo annorum non processerunt vltra locum illum versus terram promissionis. Dicitur etiam per totum tempus istud sedisse in Cadesbarne, quia quamuis his triginta & octo annis plures adierint mansiones; cæterum ad eas peragendum à Cadesbarne exierunt, & postea in eundem locum redierunt. Cades enim in quã deuenerunt filij Israel mense primo, anni quadragesimi, vt dicitur Num. cap. 20. eadem mansio est cum ea, àqua misit Moyses exploratores: vt habetur eodem libro capit. 13. quæ hoc in loco vocatur Cadesbarne. Vnde sicut qui post exitum ab vno loco, si in eundem reuertatur, in ipso manere & sedere asseritur; ita Israelitas in Cadesbarne consedisse optima ratione dicitur. Et hæc fuit causa quare Moyses in quadraginta duabus mansionibus, quas enumerat Nume. 33. non meminit alicuius earum, in quibus manserunt his triginta & octo annis, ex quo exierunt de Cades, quousque ad eumdem locum redierunt; sed statim post Cades recenset montem Hor, quem constat adijsse anno quadragesimo post exitum de AEgypto: intentionis enim Moysi fuit referre illas dumtaxat mansiones, quas habuerunt tendentes recto tramite versus terram promissionis, non autem illas in quibus coacti sunt retrocedere: vt ostendimus in dicto capitulo trigesimo tertio Numero. annotat. 1.

ARGVMENTVM IN CAPVT II.

¶ Post longam triginta & nouẽ annorum peregrinationem, præcipiuntur Israelitæ transire per terminos Idumæorum & Moabitarum; nec tamen eis permittitur his gentibus bellum inferre, quòd illis Deus terram possessionis suæ ad inhabitandum dederit: sicut & Ammonitis, cum quibus etiã prohibet Deus bellum inire. Secus autem fuit de Sehon rege Hesebon, quem vna cum populo suo interfecerunt Israelitæ, resque eius & terrã in proprios vsus conuerterunt.

PARAPHRASIS IN CAPVT II.

A. *PROFECTIQVE inde* de Cadesbarne anno ipso secundo, quo missi sunt exploratores, *venimus in solitudinem* Pharan versus eam partem, *quæ ducit ad Mare rubrũ, sicut mihi dixerat Dominus*, nolens nos vlterius progredi, donec cõsumerentur in deserto cadauera murmuratorũ. Post modũ verò regressi sumus in Cadesbarne: negante autem nobis transitum per terram suam rege Edom compulsi sumus dimittere rectam viam, quæ tendebat in Terram Chanaan, *& circuiuimus montem Seir*, qui est sub rege Idumæorum, in qua quidem circuitione & in regressu ad Mare rubrum morati sumus *longo tempore*: videlicet triginta circiter & octo annis.
I. *Dixitque Dominus ad me* postquã tædere cæpit populũ itineris ac laboris, ob idque morsibus serpẽtũ correptus fuerat: *Sufficit vobis circuire mõtem istum: ite* iã versus terrã Chanaã, quæ respectu AEgypti est *contra Aquilonem, &* quia vestri misertus placaui Idumæos, feciq; vt per terrã suam vobis transitũ cõcedant, quẽ prius negauerãt. idcirco *populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorũ Esau* fratris Iacob, *qui habitant in Seir*, seu Idumæa, *& timebunt vos*, ob victoriam partam de rege Arad, ac reliqua mirabilia, quæ sciunt Deum facere pro vobis. *Videte ergo diligenter ne moueamini contra eos*, pugnam iniendo, quandoquidem nullum exinde commodum vobis est obuenturum: *neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest vnius pedis calcare vestigium*, seu nihil prorsus, *quia in possessionem Esau*, ac posterorum eius *dedi montem Seir*, ob merita Abraham & Isaac parentum illius. *Cibos emetis ab eis pecunia*, si de cibis illorũ comedere volueritis, quibus tamẽ nõ indigebitis, cũ nullatenus defectura sit vobis mannæ annona: *aquam emptam haurietis, & bibetis* nemini iniuriã vllam faciẽtes. *Dominus Deus tuus benedixit tibi*, auxiliũ ferẽs, & crescere faciẽs *in omni opere ma-* B.

re manuum tuarum nouit quoq; notitia approbationis, ac prosperũ fecit *iter tuũ* prouidens de omnibus, quæ erant necessaria ad viã; eũ namq; minime latuit, *quomodo transieris solitudine hanc magnã, per quadraginta annos habitans tecũ Dominus Deus tuus, & ob hanc causam *nihil tibi defuit* eorum, quæ ad cõmodam tui sustentationẽ pertinebant. *Cumq́; transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir per viã campestrẽ de Elath, & de Asiongaber,* peractis in ea via nonnullis mansionibus, *venimus ad iter, quod* per Phunõ & Ooth & Iieabarim *ducit in desertum Moab,* quod habet terram Moabitarũ habitabilem ab Occidente, terrã autem Ammonitarum ab oriente; nos autẽ per medium harũ gentium tendebamus in terrã Sehon & Og regum Amorrhæorum. *Dixitq́; Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas* originẽ ducentes à Moab filio Lot, *nec ineas aduersus eos prælium:* etiã si nolint vobis occurrere cum pane & aqua in via † prout de facto non occurrẽt: *non enim dabo tibi quidquã de terra eorum, quia filiis Loth,* nẽpe Moabitis *tradidi Ar,* quę metropolis est terræ Moab *in possessionem.* Tradidit autẽ illis Deus terram istam expulsis prioribus habitatoribus, qui tamẽ fortitudine ac corporũ magnitudine insignes erant. *Emim primi fuerunt habitatores eius* terræ, quã contulit Deus Moabitis, *populus magnus & validus, & tã excelsus* corporũ statura, *vt de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur, & essent similes filiorũ Enacim,* eo quod corporũ mole gigãtibus assimilabantur. *Denique Moabitæ appellant eos Emim,* hoc est, terrentes, quia magnitudine staturæ suæ alios terrebant. Ne igitur desperetis posse à Terra Chanaan expellere quoslibet habitatores, etiã si aliqui illorum ijs mole corporis æquent, prout timidi exploratores æquare asserebant. *In Seir autem,* quam possident modo Idumæi, *prius habitauerunt Horræi: quibus expulsis atq́; deletis, habitauerũt filij Esau,* qui virtute sibi diuinitus collata expulerunt prorsus pristinos habitatores, *sicut fecit Israel* expellens ac delens Amorrhæos, *in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus* deuictis & interfectis Sehon & Og regibus terræ. *Surgentes ergo* de Iiebarim, seu de alia quauis mansione, *vt transiremus Torrentem Zared, venimus ad eum,* nec tamen inibi aliquam mansionem fecimus. *Tempus autem, quo ambulauimus de Cadesbarne,* ex quo primo eam adiuimus anno secundo ab exitu de Ægypto *vsque ad transitum Torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit: donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum a de castris,* qui à viginti annis & supra pertinebant ad aliquam duodecim tribuum, *sicut iurauerat Dominus, cuius manus,* seu irreuocabile decretum & efficax *fuit aduersum eos, vt interirent de castrorum medio,* exceptis duxtaxat Iosue & Caleb. *Postquam autem vniuersi ceciderunt pugnatores,* nempe cum essemus ad torrentem Zared, *locutus est Dominus ad me, dicens: Tu* vna cum populo tuo isto nouo *transibis hodie terminos Moab, vrbem* scilicet quæ est in confinibus Moabitarum *nomine Ar,* à qua nomen sortitur torrens Arnon, qui diuidit Moabitas à terris duorum regum Amorrhæorum: *& accedens,* prout accedere te oportet *in vicina filiorum Ammon,* qui etiam sunt coniuncti Moabitis, *caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium,* etiam si ingrati existant, nolentes tibi occurrere in via cum cibarijs: quandoquidem nihil commodi est tibi obuenturum ex huiusmodi pugna: *non enim dabo tibi* quippiam etiam passum pedis *de terra filiorũ Ammon, quia filijs Loth* fratribus Moabitarum *dedi eam in possessionem,* delens prius gigantes pristinos terræ huius habitatores: † alia tamen ratione eos puniam, prohibens tam Ammonitas, quàm Moabitas ingredi ecclesiam Domini vsque in æternum. *Terra gigantum reputata est, & in ipsa olim habitauerunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim,* id est, abominabiles vel flagitiosos, *populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, sicut* proprij & veri gigantes, quales sunt *Enacim, quos* quidem Zomzommim *deleuit Dominus à facie eorum,* nempe Ammonitarum; *& fecit illos habitare pro eis, sicut fecerat filijs Esau, qui habitant in Seir, delens Horrhæos, & terram eorum illis tradens, quam possident vsque in præsens.* Nec mirum quod intuitu meritorum Abrahæ & Lot isthæc contulerit Dominus eorum filijs: cum etiam exteros in terras non suas introduxerit ob occulta eius iudicia. Nam *Heuæos quoque, qui* † alibi vocantur Raphaim *& habitabant in Haserim vsque Gazam* haud minimam Palæstinæ partem *Cappadoces expulerunt: qui egressi de Cappadocia,* Hebraice dicta Caphtor, *delerunt*

Margin: C. (beside "di exploratores æquare asserebant. In Seir"); II. (beside "tio hominum bellatorum a de castris, qui à"); D. (beside "xat Iosue & Caleb. Postquam autem vni-")

† Infra 23.a.4. Num. 22 a 5.

† Infra 23.a.3.

† Gene. 15.d.20

runt

runt eos, & habitauerunt pro illis. Quæ regnorum mutationum exempla in medio propono, vt ex eis certiores efficiamini, quod quemadmodum contriuit Deus gentes illas (quamuis & multitudine & magnitudine corporum essent validæ) multo magis conteret propter Israel gentem fortem & magnam trans Iordanem.
E. *Surgite & transite torrentem Arnon,* qui modo diuidit Moabitas & Amorrhæos, *ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum,* nam decreui eum tuæ subigere potestati, *& terram eius incipe possidere, &* quia iam completæ sunt iniquitates eius, ob quas spoliandus venit natali solo, *cōmitte aduersus eum prælium. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo;* eo quod omnibus ijs quotquot audierint te tam facili negotio debellasse duos potentissimos Amorrhæorum reges, eueniet, *vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium,* quæ simul pauore ac mæstitia affici solent *contremiscant, & dolore teneātur.* Nihilominus vt omnibus palam fieret impietas Amorrhæorum, ob quam saltem debellari merebantur, periculum facere decreui conditionis eorum. † *Misi ergo nuncios de solitudine Cademoth,* quam perfluit torrens Arnon *ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens. Transibimus per terram tuam* in Terram Chanaan nobis diuinitus promissam, *publica gradiemur via: non declinabimus* per agros aut vineas, noua facientes itinera, *neque ad dexteram, neque ad sinistram. Alimenta,* siquæ vltra mānā petierimus, *pretio vende nobis, vt* hac ratione, & non alia eis *vescamur: aquam,* & quidquid ad potū conducit, similiter *pecunia tribue, & sic bibemus. Tantū est vt nobis concedas transitum: sicut* tandē, tādē quamuis prius denegauerint, *fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ,* 3 *qui morantur in Ar,* quibus nihil prorsus mali gessimus: instar ergo eorum nobis transitum concede, *donec veniamus ad Iordanem, &* per plagam orientalem *transeamus ad Terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. Noluitq; Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius,* subtrahens speciale gratiæ auxilium, quo infallibiliter emollitus fuisset, *& offirmauerat cor illius,* sinens eum operari secundum duritiā suam, nec tamen denegans gratiam, qua si voluisset, rectum eligere potuisset. Ideo autem regem istum Deus dimisit, *vt traderetur in manus tuas,* ostenderetque in eo potentiam & iustitiam suam, *sicut nunc vides,* regem illum tibi fuisse traditum, Deumque victorē extitisse. *Dixitque Dominus ad me,* mox vt rex Hesebon nobis transitum denegauit: † *Ecce cœpi tibi tradere Sehon & terram eius,* permittens eum ruere in peccata, ob quæ vita ac patria priuandus venit, *incipe possidere eam. Egressusque est Sehon obuiam nobis cum omni populo suo,* cūctis videlicet illius bellatoribus *ad prælium in Iasa,* quæ in ditione sua erat. *Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filijs suis & omni populo suo* secum venientibus ad prælium.
G. *Cunctasque vrbes in tempore illo cepimus,* vt cederent nobis in possessionem, *interfectis habitatoribus earum, viris, ac mulieribus, & paruulis;* quamuis enim isti in culpa non essent, peccata tamen parentum in eis puniebantur: & idcirco *non reliquimus in eis quidquam, absque iumentis,* cæterisque pecoribus, *quæ in partem venere prædantium, & spolijs* auri, & argenti, ac vniuersorum supellectilium, *vrbium, quas cepimus ab Aroer, quæ est* in parte meridionali terræ Amorrhæorum *super ripam torrentis Arnon* diuidentis Moabitas ab Amorrhæis. Ab Aroer, inquam, *oppido quod in valle situ est vsque Galaad,* vbi incipiebat terra Og regis Basan, *Non fuit vicus & ciuitas quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis, absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus,* sed eam ad manum nostram dexteram versus orientalem ac meridionalem plagam Amorrhæorum dimisimus, absque etiam *& cunctis* oppidis, seu terris, *quæ adiacent torrenti Ieboc,* easque possidēt Moabitæ, *& vrbibus mōtanis* 4 terræ Idumæorū, quę valdę mōtuosa est, IIII. *vniuersisq; locis, à quibus nos prohibuit Dñs Deus noster:* neq, enim ausi sumus mittere falcē in messē, quā nō cōcessit nobis Dñs.

(Margin: III. — beside "qui habitant in Seir"; † Num. 21. c. 21; F.; † Amos 2. c. 9.)

ANNOTATIONES IN CAPVT II.

I. *Longum tempus quod dicatur.*

LONGO tempore.] Hoc, quod dicit scriptura longo tempore, non refertur ad id, quod immediate præcesserat, videlicet ad moram, quam in circuitione montis Seir fecerunt: in ea namque nequaquam consumere potuerunt plusquam quinque aut sex menses priores anni

anni quadragesimi ab exitu de AEgypto; vt cõstat Numer. cap. 20. sed referri debet ad totum illud, quod præcedit, ex quo statim post murmur exploratorum iussi sunt regredi in solitudinem versus mare Rubrum. In quo regressu (vt dicitur in calce capitis præcedentis) constiterũt multo tempore, nempe ad annos ferè triginta & octo, ac postea reuersi ad Cades, indeq; exeũtes circuierunt montem Seir: in quibus rebus inquit hic Moyses consumpsisse Israelitas longum tempus.

II. OMNIS generatio hominum bellatorũ.] Quod appellatione horum hominum bellatorum, in quos lata est sententia mortis in Cadesbarne, ob murmur causatum ab exploratoribus, non veniant intelligendi Leuitæ, ostendimus Numer. 14. annot. 6.

III. *Moabitæ an permiserint transire Israelitas per terras suas.* ET Moabitæ.] Quamuis Idumæi & Moabitæ primò negauerint transitum per terras suas Israelitis, postmodum autem in cor reuersi illum concesserunt. Quod enim facultatem dederint transeundi aperte hic fatetur Moyses. Quod autem prius eam negauerint constat quidem quantum ad Idumæos, Numer. cap. 20. & quantum ad Moabitas inferius cap. 23. Vbi habetur, Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum, quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quãdo egressi estis de AEgypto. Quia scilicet noluerũt præbere Hebræis conuenientem transitum per terminos suos, denegando saltem quæ necessaria erant ad transeundum, maximè in terra inaquosa, qualis erat solitudo Moab, quam Hebræi pertransierunt. Vbi credibile est fodisse principes populi puteum illum, cuius fit mentio Num. 21.

IIII. *Idumæa est terra montuosa.* VRBIBVS montanis.] Per vrbes montanas proculdubio intelligitur Idumæa, quę est terra alta & montuosa. Vnde Abdiæ capite vnico dicitur de populo Idumæorum. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum. Et ob hanc causam terra Idumæę vocatur semel atque iterum ab eodem Abdia; Mõs Esau; & in præsenti capite & in alijs quam plurimis appellatur Mons Seir.

ARGVMENTVM IN CAPVT III.

¶ Refert Moyses ad populum expugnationem regni Og in Basan, & diuisionem terræ duorum regum Amorrhæorum à se factã inter tribus Ruben & Gad ac dimidiam tribum Manasse. Quibus itidem præcepisse ait, vt expediti dimissis vxoribus ac rebus familiaribus, incederent coram fratribus suis, eisque auxilium ferrent ad recuperandum Terram Chanaan. Quo peracto in propriam hereditatem redire cõmodè possent. Iosue quoque iussisse fatetur, vt dux esset populi, quandoquidem transitus Iordanis sibi erat interdictus.

PARAPHRASIS IN CAPVT III.

A.

I. ITAQVE *cõuersi* à pugna inita contra regem Sehon, *ascendimus per iter*, quod ducit ad regnum *Basan: & egressusque est* † *Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai*, vna ex præcipuis vrbibus regni sui. *Dixitq; Dominus ad me: Ne timeas eum, quia in manu tua traditus est* in decreto meæ prouidentiæ, *cum omni populo ac terra sua: faciesq; ei* † *sicut fecisti Sehõ regi Amorrhæorum, qui habitauit in Hesebon*; cuius rei prædictione ad spẽ victoriæ obtinendæ erigere poteris populũ. † *Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiã Og regẽ Basan, & vniuersum populũ eius: percussimusq; eos vsque ad internecionẽm*, nemini prorsus parcẽtes, ac *vastantes cũctas ciuitates illius vno tempore*: etenim nullatenus cessauimus ab incepto bello donec vniuersas ciuitates Basan subegimus, *non fuit oppidũ, quod nos effugeret*, etenim percussimus *sexaginta vrbes* munitas, ac præterea *omnẽ regionẽ Argob*, à maledicta nãque sublimitate idololatrię nomen istud meretur terra illa, quæ pars est *regni Og in Basan. Cũctæ vrbes erãt munitæ muris altissimis, portisque &* prægrandibus pessulis; quasi *vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. Et deleuimus eos* omnes, qui prædicta loca inhabitabant; *sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnẽ ciuitatem*, non muros seu ædificia euertendo, sed domos depopulando, *virosque ac mulieres, & paruulos etiã* disperdidimus omnes interficiẽdo: *iumenta autẽ & spolia vrbium*

† Inf. 29. b. 7. Num. 21. g. 33.

† Num. 21. e. 21

† Num. 21. g. 35.

B. *vrbiũ diripuimus.* † *Tulimusq́ illo in tẽpore terrã de manu duorũ regũ Amorrhæorum, qui erant* in ea terræ promissionis parte,
† 23.9. 9. fin. vers. per scietes. quæ in futuro vocari debet *trans Iordanẽ,* a
in qua nũc manemus, & pertingit *à torrente Arnon* existẽte in angulo oriẽtali & me
II. ridionali, *vsq́ ad monte Hermõ* terminũ anguli occidẽtalis & septẽtrionalis, *quẽ Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir:* eo enim quod mõs iste limes fuit habitationis horũ triũ populorũ, ab vnoquoq; illorũ nomẽ sortitus est. Tulimus igitur *omnes ciuitates, quæ sitæ sunt in planitie* ad radicẽ prędicti mõtis Hermõ, *& vniuersam terrã Galaad & Basan vsq́ ad Selcha, & Edrai ciuitates regni Og in Basan:* cuius regis ciuitates idcirco tulimus: *solus quippe Og rex Basan restiterat* populo Israelitico ex omnibus regibus, qui vt dictũ est in præcedenti capite erant *de stirpe gigantũ* in vicinis filiorũ Ammon, *Mõstratur lectus eius ferreus* in signum eximiæ proceritatis huius regis, erat autẽ ferreus, quia ligneus difficile iacẽtẽ regẽ sustinere potuisset, *qui est in Rabbath filiorũ Ammon,* quò ipse viuẽs tẽdere cõsueuerat ob fædus cũ Ammonitis contractũ, *nouẽ cubitos habens longitudinis,* nempe tredecim pedes ac dimidiũ, *& quatuor latitudinis,* nõ quidẽ cubitos geometricos, sed vulgares & visuales videlicet *ad mensu-*
III. *rã cubiti virilis manus,* 3 qui in homine perfectæ magnitudinis cõplectitur interuallũ ab articulo medio brachij, seu à flexu eius ad extremũ vsq; mediũ digitũ, vno pede ac dimidio cõstans. *Terrãque possedimus tẽpore illo ab Aroer, quæ* prima occurrit ciuitas post torrentẽ Arnon, & sita *est super ripã torrentis Arnon, vsq́ ad mediã partem montis Galaad & ciuitates illius* ob insig-
† Num. 32.c.29. nẽ pascuorũ fertilitatẽ † *dedi Rubẽ & Gad:* hæ nãque tribus terrã illã in possessionem petierũt. *Reliquã autẽ partẽ Galaad, & omnẽ Basan,* nẽpe prouinciã illã dictã Basan, quæ pars quædã est *regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse:* vnaq; cum regione Basan cõtuli pariter *omnẽ regionẽ Argob: cunctaq́ Basan vocatur terra gigantũ,* nomẽ sortita à cõditione eorũ, qui illã inhabitarũt. *Iair filius Manasse,* quẽ filiũ voco, quia de eius stirpe erat, *possedit omnẽ regionẽ Argob vsq́ ad terminos Gessuri, & Machati,* vbi terminabatur viculi Basan, quos debellauerat Iair, *vocauitq́ ex nomine suo Basan* seu viculos illos, quos in Basan tulerat Iair *Haboth Iair, idest, villas Iair,* nomẽ ei impo-
nẽs diu permãsurũ, & prout nos dicere solemus *vsq́ in præsentẽ diẽ,* 4 qua locutione rẽ nõ cito peritura significare cõsueuimus. IIII.
Machir quoq; seu posteris illius, qui etiã pertinebãt ad tribũ Manasse, *dedi Galaad,* nõ C.
quidẽ totã sed partẽ illã Galaad, quæ obtigit dimidiæ tribui Manasse. *Et tribubus Rubẽ & Gad dedi* totũ illud spaciũ Amorrhęorũ, quod protẽditur *de terra Galaad vsq́ ad torrente Arnon mediũ torrentis & cõfiniũ,* vsq; ad eũ scilicet locũ, qui diuidit torrẽtẽ istũ à confinibus suis, nẽpe à Moabitis; & etiã *vsq; ad torrentẽ Ieboc, qui est terminus filiorũ Ammon* diuidẽs Amorrhæos ab Ammonitis, nõ secus atq; torrẽs Arnõ diuidit eosdẽ à Moabitis. Pręterea Rubenitis & Gaditis dedi *& planitie solitudinis atq́ Iordane & terminos,* seu terrã circunstantẽ vrbẽ *Cenereth,* quæ postmodũ vocata est Tyberiadis *vsq́ ad mare deserti, quod* ob sui sterilitatẽ & grossitiẽ littora sua in solitudinẽ redigit, & *est salsissimũ ad radices mõtis Phasga cõtra orientem:* existit nãque mare illud à parte oriẽtali huius montis. *Præcepiq́ vobis* Rubenitis & Gaditis, ac dimidiæ tribui Manasse *in tẽpore illo dicẽs: Dominus Deus vester dat vobis terrã hanc* Sehõ regis Amorrhæorũ & Og regis Basan, vt habeatis illã *in hereditate,* & quasi filij heredes Abraham, Isaac, & Iacob, quibus promissa fuit; proinde depositis oneribus vxorũ, filiorũ, ac pecorũ *expediti præcedite fratres vestros filios Israël,* qui pertinẽt ad alias tribus, & vt cõmodius debellare valeant terrã ab eis possidẽdã auxiliũ ferte *omnes viri robusti,* quotquot ad id munere necessarij fueritis: pergite autẽ nõ absq; armis, instrumentisq; bellicis, sed *absq́ vxoribus & paruulis atque iumentis,* quæ si vobiscũ deferretis impedimẽto proculdubio essent expeditioni. *Noui enim quod plura habeatis pecora,* & ob hãc causam non decet ea vobiscũ deferre, sed *in vrbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis* in terra duorũ regũ Amorrhæorũ; nec eorũ præsentia frui licebit, *donec requiẽ tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit; &* instar vestri expulsis prioribus terrę habitatoribus, *possideãt ipsi etiã Terrã, quã daturus est eis trãs Iordanẽ* respectu situs & loci, vbi nũc manemus: *tunc reuertetur vnusquisq́ in possessionẽ suã, quam dedi vobis* in terra ista duorũ regũ Amorrhæorũ. † *Iosue quoq́* tanquã duci exerci- D.
tus *in tẽpore illo* statim postquã debellaui † Num.
mus Sehõ & Og *præcepi dicens: oculi tui vi-* 27.d.13.
derunt

derunt quæ fecit Dñs Deus vester duobus his regibus, idque quasi dux cum maiori animi consideratione contemplatus es: *sic faciet omnibus regnis, ad quæ trāsiturus es. Ne* igitur ob apparentem Chananæorum fortitudinem *timeas eos: Dñs enim Deus vester pugnabit pro vobis*, vel absque ministerio vestri, vel vires ac robor vobis adaugens. *Precatusque sum Dominum in tempore illo*, mox vt reges Amorrhæorum de terra expellimus, sperās me filios Israel in residuū terræ promissionis introducturum, ac *dicens: Domine Deus tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam*, quam habes ad patrandum mirabilia, *manumque fortissimam*, quam in expugnandis hostibus tuis exerces: *neque enim est alius Deus, vel in Cœlo, vel in terra*, vel in quocumque loco, *qui possit facere opera tua* miraculosa, quæ tu facis, *& comparari fortitudini tuæ, Transibo igitur* Iordanem hunc: & quia præteritarum rerum exhibitio causat futurarum certitudinem, absque vlla prorsus formidine pergam in terram Chanaan, *& videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem istum egregium*, qui Moria, seu visionis dicitur, *& Libanum* terminatem terram istam patribus promissam. *Iratusque est Dominus* pœnam infligens *mihi propter vos*: nam peccatū, quod ad aquas contradictionis occasione vestri commiseram in re hac punire statuit, vnde *nec exaudiuit me, sed* denegās trāsitū Iordanis à me expetitū, *dixit mihi: Sufficit tibi*, quòd partē terræ pmissionis attigeris: *nequaquā vltra loquaris de hac re ad me*, sed esto certus me omnino definisse te Iordanem minimè trāsiturum. *Ascende cacumen Phasgæ*, seu mōtis huius, alio nomine vocati Abarim, *& oculos tuos circumfer ad Occidentem, & ad aquilonem, austrumque & Orientem, & aspice* versus omnes partes terræ promissionis, quas dare oportet nouem tribubus.
† *nec enim transibis Iordanem istum. Præcipe Iosue*, vt recipiat regimen, & curam † Inf. 31
populi, *& corrobora eum, atque conforta* a. 2. &
assecurando de prospero euentu: *quia ipse præcedet populum istum* tanquam dux 34. b. 4.
illius & princeps: *& diuidet eis terram, quam visurus es. Mansimusque in valle*, quæ consistit in planioribus locis Moabitarum *contra fanum Phogor*: vbi constituimus vltimam mansionem, earum quas fecimus ante Iordanem.

ANNOTATIONES IN CAP. III.

I. *Basan est nomē prouinciæ, nō vrbis.*

PER ITER BASAN.] Nō est Basā nomen alicuius vrbis specialis, sed regni seu prouinciæ. Vnde Numer. c. 32. Quanuis inter ciuitates præcipuas duorū regum Amorrhæorū ponatur Hesebon: vtpote metropolis Regis Sehō, nō tamen cōnumeratur inter eas Basan, in quo proculdubio insinuatur Basan nō esse vrbē vt Hesebon, sed prouinciā vt Hispania vel Italia. Præterea hoc ipsum semel atq; iterū ostēditur in præsenti capite: nā dicitur: Reliquā autē partē Galaad, & omnē Basan regni Og tradidi mediæ tribui Manasse. Vbi distributio illa omnem non vnam vrbem singularem, sed plures demonstrat. Itē parū postea habetur: Cunctaq; Basan vocatur Terra gigātū: in eo igitur quod dicitur Terra, manifestè ostēditur esse quid cōtinēs plura oppida. Tandē inferiùs subiūgitur: Vocauitque ex nomine suo Basan, Hauoth Iair, id est, Villas Iair. Non enim dixit Villam, sed Villas. Vatablus ait, vnam eandemque regionem esse Trachonitidem & Basan.

II. *Transiordanē dupliciter sumitur.*

TRās Iordanē.] Hoc in loco videtur Moysen imposuisse nomen illi parti terræ promissionis, quā Israeliticus populus obtinuit à duobus regibus Amorrhæorū, dicens illā esse trans Iordanem, nō quod respectu situs, in quo erat Moyses cū hæc loqueretur, esset terra illa trans Iordanē, cū potius esset cis Iordanem, sed quia recuperata reliqua parte terræ promissionis illa, in qua erāt tūc Hebræi, & de qua nunc erat sermo vocari debebat trās Iordanē. Nō secus atq; postquā Gallia diuisa est in Transalpinā & Cisalpinā, etiā si hæc nomina indita fuerint respectu Italię: nihilominus ab Hispanis & ab his, qui etiā in ipsa Gallia existunt citra Alpes, vocatur Gallia, verbi gratia, Narbonensis Transalpina. Moyses ergo habens auctoritatē imponendi nomina in republica Hebræorum, etiam existens citra Iordanem vocat terram, in qua erat, trās Iordanē, quia hoc nomē obtinere debebat terra illa apud posteros Hebræorū, cū principalē terræ promissionis partē possessuri essent. Solet nihilominus Moyses aliquādo habita ratione situs loci, in quo loquebatur, vocare etiā trās Iordanē terrā, quā vltra Iordanē possessuri erant nouē ac dimidia tribus Israel: vt inferius in hoc eodē capite, ibi: Et possideāt ipsi etiā terrā, quā daturus est eis trās Iordanē. Et parū postea: Et videbo Terrā hāc optimam trās Iordanē. Quia respectu loci in quo isthæc loquebatur Moyses, terra illa erat trās Iordanē. F.

III. *Cubitus virilis manus est cubitus vsualis.*

CVbiti virilis manus.] De discrimine mēsuræ cubiti vulgaris à mēsura cubiti geometrici diximus Genes. c. 6. annot. 6. vbi ostendimus sacrā scripturā in præsignādis mensuris cubitorum, rationem dumtaxat habere cubiti vsualis, quem hoc in loco cubitum virilis manus vocat: quia eius quantitas non secundum longitudinem cubiti cuiuslibet, sed secundùm longitudinē cubiti viri perfecti attendi debet.

IIII. *Vsque in præsentē diem significat rē multo tēpore duraturam*

VSque in præsentem diem.] Abulensis super hunc locum existimat verba ista non fuisse conscripta à Moyse, sed ab Esdra legis scriba; qui post regressum Iudæorum de Babylonia in Iudæam, spiritu diuino afflatus legem à Babylonijs combustam rescripsit, & nō nulla tanquā verus Dei propheta addidit. Eius fundamentum est, quia verba ista vsque in præsentē diē denotant magnū tēpus præteritū: cōstat autē non multū tēporis transisse, ex quo Iair obtinuit Basan, vsquequo isthæc scripsit Moyses: vtrūque enim contigit anno quadragesimo ab exitu de AEgypto; consequens igitur est non Moysen, sed Esdrā, qui multo tēpore post Moysen floruit, hæc asseruisse. Nihilominus oppositum probabilius iudico; & existimo neque Esdrā, neque aliū quempiā pium virum ausum fuisse verbis Moysi quippiā addere. Vnde verba illa vsque in præsentem diem quāuis denotent pluralitatem temporis, vt ostendimus Genes. 19. annotatione vltima, nō tam designant præteritionē, quā perseuerātiā & cōtinuationē rei, de qua agitur. Et ob hāc causam Moyses ad significādum nomen impositū terræ Basan à Iair, nō cito peziturū & obliuioni tradendū, sed diu duraturū, vsus est hac locutione Hebraica, quæ rem multo tempore perseuerantem ostendit.

ARGVMENTVM IN CAP. *IIII.*

¶ Post generalem quandam totius legis laudationem, maximopere commendat Israelitis eiusdem legis iugem memoriam, eosque ab omni idololatriæ crimine auertere conatur, in mediū propositis innumeris beneficijs à Deo sibi exhibitis, ac certos eos reddit plura Deum illis collaturum beneficia, si ad ipsum toto corde conuertantur. Et tandem tres ciuitates refugij designat Moyses trans Iordanem, vt Rubenitæ & Gaditæ ac dimidia tribus Manasse haberent eas in præsidium fugitiuorum.

PARAPHRASIS IN CAPVT *IIII.*

A. ET NVNC ISRAEL postquam prædicta omnia audisti, ac proprijs oculis cōspexisti, *audi præcepta*, quæ pertinent ad ritum colendi

I. Deum, *& iudicia* 1 exercenda circa mutuū hominū conuictum, *quæ*

II. *ego doceo te, vt faciens ea viuas* 2 vita temporali, quæ in lege promittitur, & datur, *& ingrediens* regionē Chananæorū *possideas Terram, quam Dñs Deus patrum vestrorum daturus est vobis. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor* quippiā deprauans intellectū legis: *nec auferetis ex eo*, putātes aliquid superfluū inueniri posse in diuinis verbis. *Custodite mandata Dñi Dei vestri, quæ ego præcipio vobis* semel atq; iterū quo magis memoriæ hæreāt. † *Oculi vestri viderūt omnia quæ fecit Dñs contra Beelphegor*, dū moraretur Israel in Settim, videlicet *quomodo contriuerit omnes cultores eius de medio vestri*, faciens eos partim suspēdi in patibulis cōtra Solem, partim sæua plaga puniri. *Vos autē qui adhæretis Dño Deo vestro viuitis vniuersi vsq; in præsentē Diē*, immunes ab omni pęna peccati. *Scitis quòd docuerim vos præcepta*, ceremonialia, *atque iustitias*, quæ sunt mandata iudicialia, *sicut mandauit mihi Dñs Deus meus*, postquam auditis per vos præceptis moralibus, dixistis: † Loquere tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dñs: prout ergo docui vobis ceremonialia ac iudicialia præceptā, *sic facietis ea in Terra, quā possessuri estis*, & habituri tāquam propriā hæreditatē, *& obseruabitis* mētis cōsideratione, animiq; affectu, *& implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia*, quæ in contēplationē altissimæ causæ deducit iuxtaq; illius exēplar conuersari facit: est præterea *& intellectus corā populis*, instar primorū principiorū certissimā vobis in agēdis regulā præscribēs: idq; tā ingēti apud omnes cōparata gloria, *vt audiētes vniuersa præcepta hæc* nō modo nō irrideāt illorū obseruatores, verū etiā de eis *dicant: En populus sapiēs & intelligēs, gēs magna*, reliquos omnes populos ac gētes sapiētia, intellectu, ac virtute præcellens. *Nec est* B. *alia natio tam grandis*, seu tantæ dignitatis, *quæ habeat Deos* suos, quos colit *appropinquātes sibi*, tāque paratos ad succurrendum suis, quando ab illis inuocātur, *sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*: deficiunt siquidē gentibus alijs dij earum

† *Num. 25. a. 4.*

† *Exod. 20. c. 21.*

earū sæpe inuocati, verus autem Deus nun
quā defuit inuocatus ab Israele. *Quæ est e-
nim alia gens sic inclyta,* nobilis & excel-
lens, *vt habeat ceremonias* ad diuinū cultū
pertinentes, *iustaque iudicia* directiua hu-
manæ conuersationis & conuictus, imo *&
vniuersam legem* adeò rectæ rationi con-
formē qualē eam, *quā ego proponam hodie
ante oculos vestros?* Nulla prorsus dari po-
terit eiusmodi gens præter Israeliticā. *Cu-
stodi igitur temetipsum* cauens periculū,
quod imminere tibi potest, etiā quantū ad
vitā, *& animam tuā solicitè,* æquum enim
est, vt rebus magni momenti summa cū so
licitudine prospicias. *Ne obliuiscaris verbo
rū,* 3 seu operū mirabiliū, *quæ viderunt ocu*
III. *li tui* in datione legis, quādo lāpades ignis
nutabant, & sonus terribilis buccinæ audie
batur, *& ne excidant de corde tuo cūctis die
bus vitæ tuæ,* vt saltē per timorē in legis ob
seruantiā deducaris. † *Docebis ea filios ac ne*
†Exo. 19 c. 18. *potes tuos,* quādoquidē fides ex auditu est:
cui rei tibi incūbere oportuit *à die, in quo
stetisti coram Dño Deo tuo in Horeb, quando*
in huius montis vertice apparens *Dñs locu
tus est mihi dicens. Congrega ad me populū*
faciens eū peruenire ad locū, vnde conspi
cere queat terribilia, quæ sum facturus, &
vt audiant sermones meos, & etiam vt per
obseruantiā legis, quā inibi eis ferā, *discant
timere me,* colere, ac reuereri *omni tēpore,
quo viuunt in terra,* ac tandē vt timore per
cultum veneri piorū parentū in posterū satis
faciāt, *doceantq; filios suos,* quæ eos circa fi-
dei, morūque pręcepta scire oportet. *Et ac
cessistis ad radices montis*, nequaquā tan-
gentes montē, *qui ardebat vsque ad cœlū,*
hyperbolicè loquendo, videbatur enim ig
nis flāma cęlū ipsum attingere: *erantq; in
eo igne* & apparebāt *tenebræ & nubes, &
caligo:* ignis nāque ille, supra montē appa
rens non lucidus, sed tenebrosus erat, & ad
ingerendū timorē diuinitus applicatus. *Lo
cutusque est Dñs ad vos de medio ignis. Vo-
cem verborū eius,* seu sonū, qui instar verbo
rū in igne illo ministerio angeli formaba-
tur, *audistis, & formā,* quæ esset similitudo
aliqua quoquomodo diuinitatis repræsen-
tatiua *penitus non vidistis,* ne vobis occa-
sionē præberet idolatrandi. *Et ostendit vo-
bis pactū suū quod præcepit, vt faceretis, &*
conditiones, quibus fœdus cum eo obser-
uare deberetis, nempe *decē verba,* seu præ-
cepta Decalogi, *quæ scripsit in duabus tabu
lis lapideis. Mihique mandauit in illo tēpo
re, vt* præter præcepta illa moralia, quæ à C.
Dño didicistis, *docerē vos ceremonias & iu
ditia, quæ* ad rectè vos gerendū in ritu colē
di Deū, & in mutuo inter vos metipsos cō
uictu *facere deberetis in Terra, quā* ex diui-
na promissione *possessuri estis. Custodite igi
tur solicitè animas vestras,* nec vitā temerè
manifesto periculo exponatis, prout pro-
culdubio exponetis, si diuina præcepta ne
glexeritis. *Nō vidistis aliquā similitudinē
in die, qua locutus est vobis Dñs in Horeb de
medio ignis,* nec sub alicuius imaginis figu
ra seipsum vobis demōstrauit, idq; præsti-
tit cōsulēs infirmitati vestræ, *ne fortè decep
ti faciatis vobis sculptā similitudinē,* cui la
triæ cultū impendatis, *aut imaginē mascu
li, vel fœminæ* instar gētiliū, qui Deos mas
culos vel fęminas adorant, *similitudinē om
niū iumētorū, quæ sunt super terrā, vel auiū
sub cœlo volātiū, atq; reptiliū, quæ mouētur
in terrā, siue pisciū, qui sub terra morātur in
aquis:* ad isthæc enim faciendū occasionē
accepissetis, si imaginē aliquā diuinitatis re
præsentatiuā in mōte Horeb vidissetis. Ac
etiā id nō permisit Deus, *ne forte eleuatis
oculis ad cœlū* assuefact⁹ cultui & veneratio
ni creaturarū, *videas Solē & Lunā, & om-
nia astra cœli, &* admirās illorū pulchritu-
dinē, & situs eminentiā, *errore deceptus ado
res ea, & colas quæ creauit Dñs Deus tuus*
nō ad dominādū, sed *in ministeriū,* & ad ser
uiendū *cūctis gētibus, quæ sub cœlo sunt:* So
lē namq; suū oriri facit Deus super bonos
& malos, & pluit super iustos & iniustos.
Vos autē tulit Dñs, & eduxit de seruitute ni
mis angustiāte & desolāte quasi *de fornace
ferrea,* quę vos fortiter inclusos tenebat, & 3
torquebat in terra *Ægypti, vt haberet po
pulū hæreditariū,* sibi per cōtinuas genera-
tionū successiones adhærentē, *sicut est in
præsenti die*, quando de parentibus in fi-
lios transit vnius veri Dei cultus in popu
lo Israelitico. † *Iratusq; est Dominus cō- †Sup. 1.*
tra me propter diffidentiā, quam habui in *f. 37.*
aquis contradictionis *propter sermones ve-
stros,* quibus cōtra Dñm murmurastis, *& iu
rauit vt nō transirē Iordanē, nec ingrederer
terrā optimā, quā daturus est vobis:* sicq; pę
na ista temporali luerem debitum diffiden
tiæ meæ. *Ecce morior*, nam decretum est, D.
vt moriar *in hac humo*, prope locū, in quo
ista prædico: *nō transibo Iordanem: Vos trā
sibitis & possidebitis terram egregiā* cū du
ce Iosue *Caue nequando obliuiscaris pacti
Dñi Dei tui, quod pepigit tecum,* tū quando

 illud

illud iniuit cũ Abrahã trãsiẽs inter diuisiones animaliũ occisorum, tũ etiam quando ipsum iniret confirmans fecit, vt Moyses respergeret sanguinẽ in populũ, vtrobique insinuans dignũ esse morte eũ, qui fœdus frãgeret. Ac proinde caue ne *& facias tibi sculptam similitudinẽ eorũ, quæ fieri Dñs prohibuit*, quod iterũ repeto, quo tibi firmius
†Hebr. 12.g.29 memoriæ hæreat: † *quia Dñs Deus tuus ignis consumens est*, nõ vtcũq; puniens cõtẽptores suos, sed interdũ quoque, vsq; ad consumptionẽ eorũ; est etiam *Deus æmulator*, solus coli cupiens, instar viri zelantis, vt vxor eum solum amet. *Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in terra*, quam Dñs daturus est vobis, *deceptique feceritis vobis aliquã similitudinẽ*, cultus & venerationis causa, *patrantes malũ coram Dño Deo vestro*, vna cum ipso alios Deos venerantes, quo fiet, *vt eum ad iracundiam prouocetis: testes inuoco hodie cœlũ & terram*, tãque cęlestes quam terrestres creaturas in testimoniũ obtestor, *cito perituros vos esse de Terra, quã transito Iordane possessuri estis*, amittentes eã ob insurgentẽ famẽ pestẽ, seu bellum. *Non habitabitis in ea longo tẽpore*, ex quo vos peccare contigerit, *sed delebit vos Dñs*, mortem quibusdã infligendo, *atque disperget in omnes gentes*, alios dura seruitute huc atque illuc opprimendos, *& remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dñs*, nã in terra hostili multi peribitis, ita vt quasi ad nihilũ redcamini. *Ibique seruietis* vel inducti exẽplo prauę societatis, vel metu attracti *dijs, qui hominũ manu fabri-*
E. *cati sunt, ligno & lapidi, qui non vident nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur*: Dei enim permissione, qua vos in noua peccata labi finit, pro præteritis puniemini: *Cũque quæsieris ibi* ò Israel etiã in terra hostili *Dñm Deum tuũ*, conuertendo te ad ipsum, *inuenies eũ*, ac ibidem tui miserebitur: *si tamen toto corde* prono, & parato ad summè Deũ diligendũ, illũ *quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*, plus dolere paratus de culpa commissa, quàm de alijs malis. In his namque duobus vera pœnitẽtia, qua ad Deum conuerti peccatorem oportet, consistit. *Postquã te inuenerint omnia*
IIII. mala & infortunia, *quæ prædicta sunt*, subiectisq; pęnã idololatriæ tuæ, nõ proinde desperes, sed *nouissimo tẽpore*, seu post modũ *reuerteris ad Dñm Deũ tuũ* per verã pęnitentiã, *& audies voce eius*, Deique iussionibus obedientiã præbebis. *Quia Deus misericors Dñs Deus tuus est* erga eos, qui cõuertuntur ad cor: & idcirco *non dimittet te* ab alijs deuorandũ, *nec omnino delebit te*, quasi per se ipsum peste aut alio morbo, *neque obliuiscetur pacti, in quo iurauit patribus tuis* se dilataturũ semen eorum, nec misericordiã suã ab eo ablaturũ. *Interroga de* vniuersis rebus, quæ acciderunt in *diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die, quo creauit Deus hominem super terram, à summo cœlo*, siue ab vna illius extremitate, quæ est versus Orientẽ, *siue ad summum eius*, ad aliã videlicet extremitatem, quæ est versus occidentem, *si facta est aliquando huiuscemodi res*, similisq; dilectio Dei ad aliquẽ populũ demonstrata est, *aut vnquã cognitum est, vt audiret populus vocem Dei loquẽtis de medio ignis*, † *sicut tu audisti & vixisti*; adhuc enim degens in carne mortali singularissimũ istud beneficium de manu Domini suscepisti. Et similiter inquire, *si fecit Deus* vnquam quippiam simile, nẽpe *vt ingrederetur, &* nouũ quoddã opus aggrediens in ÆEgypto *tolleret sibi gentem de medio nationum*, eamque à captiuitate, qua in medio nationũ extranearum detinebatur, eriperet *per tentationes* nunciorum, quorũ legationibus experimentũ sumpsit de duritia Pharaonis, ac per *signa atq; portẽta* faciẽs, pdigia tũ significatiua tãtũ diuinæ volũtatis, tũ etiã immissiua plagarũ *per pugnã & robustam manum, extentumq; brachium* potentiæ suæ, quã exercuit in exitu Israelis de ÆEgypto, & in trãsitu maris Rubri, *& horribiles visiones*, quibus ÆEgyptij F.
per noctẽ affligebãtur, *iuxta omnia, quæ fecit pro vobis Dñs Deus vester in ÆEgypto videntibus oculis tuis*, dũ alios affligi sẽtiebatis, & tamẽ nullã plagarũ patiebamini. Idque totũ diuina virtus operata est, *vt scires, quoniã Dñs ipse est Deus* verus, & omnipotẽs, *& non est alius præter eũ. De cœlo* aëreaque regione, *te fecit audire vocẽ suã, vt doceret te* verba præceptorũ Decalogi: *& in terra*, quæ est in summitate montis Sinai, *ostendit tibi ignem suum maximum*, vt saltim timore correptus obseruares legem eius: *& audisti verba illius*, quæ videbãtur procedere *de medio ignis*. Quod nõ præstitit Deus propter merita tua, sed *quia dilexit patres tuos, & elegit semẽ eorũ post eos*. † *Eduxitque te præcedens* per angelum †Exo.13 d.21.
suũ *in virtute sua magna ex Ægypto*: ob id autẽ præcedebat te per angelũ suũ dirigentem

tẽ viam tuam *vt deleret nationes maximas & fortiores te in introitu tuo: & introduceret te, daretque tibi terram earũ in possessionẽ, sicut cernis in præsentĩ die* id fuisse in parte executioni mandatũ. *Scito ergo hodie & cogitato in corde tuo, quod Dñs ipse sit Deus in cœlo sursum & in terra deorsum*, vt pote Dñs vniuersorũ, *& non sit alius. Custodi præcepta eius*, quæ verbis Decalogi expressit, *atque mandata* tam ceremonialia, quàm iudicialia, *quæ ego præcipio tibi: vt* ea obseruans *bene sit tibi, & filijs tuis post te, & permaneas multo tẽpore super Terrã, quã Dñs Deus tuus daturus est tibi* in præmiũ obseruantiæ legis huius.

G. † Num. 35.a.6. † *Tunc separauit Moyses tres ciuitates* refugij ex ijs, quę erant *trans Iordanẽ ad Orientẽ plagã* alterius partis terræ ꝓmissionis, quę obuẽtura erat nouẽ tribubus ac dimidiæ Iordane transuadato. In eũ autẽ finẽ designauit Moyses istas tres ciuitates, *vt confugiat ad eas qui occiderit nolens proximũ suũ, nec sibi fuerit inimicus ante vnũ & alterũ diẽ*, seu in tẽpore præterito, *& ad harũ aliquã vrbiũ possit euadere*, iuxta præscriptũ legis in cap. 35. libri Numerorũ. †Ios. 20 c.8. † *Bosor in solitudine, quæ sita est in terra cãpestri de tribu Ruben: & Rameth in Galaad, quæ est in tribu Gad: & Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse.* Has dputauit Moyses, vt essent in refugiũ exulibus, vnicuique tribui suam præfigens vrbem in præsidium fugitiuorum. *Ista*, quæ infra narrabitur, *est lex, quã proposuit Moyses coram filijs Israel* repetens eis præcepta à Deo & à se iniuncta populo: *& hæc*, quæ modo subijciã, sunt *testimonia* in Decalogo per Deũ testificata, *& ceremoniæ* præscribentes ritũ diuini cultus, *atque iudicia*, seu præcepta iudicialia, *quæ locutus est* Moyses, & iterũ proposuit *ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto, trans Iordanẽ*, ante quã illum transirent, & erant *in valle contra fanũ Phogor* in vltima mãsione vocata Bellethin *in terra Sehõ Regis Amorrhæi, qui habitauit in Hesebon, quẽ percussit Moyses*, eiusque populũ deuastauit. *Filij quoque Israel egressi ex Ægypto* vna cũ duce suo Moyse deuenere ad Sehõ Regẽ Amorrhæi, ac *possederunt terram eius, & terrã Og regis Basan, duorũ regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanẽ ad solis ortũ*, respectu nãque terræ postmodũ habitatæ à nouẽ tribubus & dimidia, terra ista orientalis est, ac se extendit *ab Aroër, quæ sita est super ripã torrentis Arnon, vsque ad montẽ Sion, qui est & Hermon*, comprehendit [illegible]e terra ista Amorrhæorũ, duabus tribubus ac dimidia tradita, *omnẽ planitiẽ* existentẽ respectu alterius partis terræ promissionis *trans Iordanẽ ad Orientalẽ plagã vsque ad mare solitudinis*, quod vocari solet mare mortuum, *& vsque ad radices montis Phasga*, qui mõs, vna [illegible] mari illo, terminat istã planitiẽ à parte orientali.

ANNOTATIONES IN CAP. IIII.

I. *Præcepta & iudicia quæ dicãtur.* PRAECEPTA & iudicia.] Quãuis nomine præceptorũ & iudiciorũ interdũ vniuersa tã legis naturę, quã legis positiuę mãdata veniãt intelligẽda, vt ostẽdimus superius, Exodi, c. 15. annot. vlt. nihilominus aliquãdo ratione alicuius adiũcti limitãtur voces istæ ad stãdũ dũtaxat pro præceptis positiuis, nẽpe ceremonialibus, & iudicialibus. Idq; factũ fuisse in præsenti capite aperte perspicimus. In eo enim quod parũ inferius distinguit Moyses inter decẽ verba, quę præcepit Deus in Horeb, & inter ea, quæ mãdauit Deus Moysi, vt doceret filios Israel, quorum illa erãt moralia, ista vero ceremonialia & iudicialia, haud obscurè ostẽditur quænã mãdata per præcepta & iudicia, quæ se dicit Moyses docere filios Israel, veniãt intelligẽda, nẽpe præcepta ceremonialia, & iudicialia dũtaxat: vt hic. Et parum postea quãdo inquit. Scitis, q docuerim vos præcepta atq; iustitias. Hæc enim sola sunt mãdata, quæ præcepit Dñs Moysi, vt doceret filios Israel, vt ipse Moyses fatetur in hoc eodẽ c. inquiẽs: Mihiq; mãdauit in illo tẽpore, vt docerẽ vos ceremonias & iudicia. De præceptis namque moralibus, iam prius dixerat, Deum absque ministerio Moysi illa protulisse in Horeb.

FAciẽs ea viuas.] Quod obseruãtibus legẽ Moysi promittatur vita dumtaxat temporalis ostendimus Leuit. 18. annot. 1. II.

III. *Verbum dupliciter accipitur* VErborũ.] Locus iste dupliciter exponi potest. Vno modo, vt nomine verborũ intelligãtur diuini sermones, quos locutus est Deus in datione legis & alia, quæ Israelitæ tũc temporis auribus perceperũt. Et tũc id, quod subiũgitur: Quæ viderũt oculi tui, idẽ est, ac si diceret. Quæ corã te dicta sunt. Alio modo exponitur si nomine verborũ intelligãtur res, quę fiũt iuxta sensum, quẽ similis vox retinet. 1. Reg. 4. Quod est verbũ, quod factũ est in castris? Id est; quid cõtigit in castris? Et tũc accipitur videre propriè: & refertur ad montẽ fumantẽ & alia eiusmodi, quæ contigisse narrãtur Exo. 19. Et vtrumque sensum retinere locum istum ostendunt verba subsequentia.

NOuissimo tempore.] Quod per nouissimum tempus non oporteat intelligere illud, post quod aliud tempus non sequitur, sed illud dumtaxat quod succedit post aliud, ostẽdimus latè in libro Genesis trigesimotertio capite annotatione prima. IIII.

ARGVMENTVM IN CAPVT V.

¶ Incipit Moyses proponere legem vniuerso populo Israel circa fluenta Iordanis, & facta præparatione, qua populum redderet attentum, ac beneuolum, initium sumit à decem præceptis Decalogi. Quibus propositis rationem subiungit, quare Deus reliqua præcepta legis nequaquam per semetipsum, sed per Moysen, quasi mediatorem, vel nuncium ad populum retulerit.

PARAPHRASIS IN CAPVT V.

A. V*ocauitque Moyses* alio quo-
dam die *omnem Israelem*, quò
nullus postmodum ignoran-
tia excusaretur, *& dixit ad*
eum: Audi Israel ceremonias,
ritum colendi Deum indicantes, *atque in-*
dicia ad mutuam inter vosmetipsos con-
uersationem pertinẽtia, *quæ ego loquor,* seu
paratus sum loqui *in auribus vestris hodie,*
vt ex eorum repetita narratione fixius me
moriæ hæreât, *discite ea, & opere comple-*
† Luc. 14. f. 48. *te,* † seruus namque sciens voluntatem
Domini & non faciens vapulabit multis.
Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœ-
dus in Horeb ferens legem Decalogi, quam
seruare deberemus, vt diuinę amicitię parti
cipes esse possemus. *Non cum patribus no-*
stris Abraham, Isaac, & Iacob *iniit pactum*
istud, quod pepigit in datione legis, ita vt
ex relatione prædecessorum nostrorum in
illis notitiam deuenerimus; *sed nobiscum,*
qui in præsentiarum sumus, & viuimus,
quamuis enim multi ex nobis postmodũ
nati fuerint, plurimi tamen ex his saltim,
qui tunc temporis needum vigesimum an-
num excreuerant, superstites existũt. *Facie*
I. *ad faciem,* 1 seu per semetipsum absque vl
lo internũcio *locutus est nobis in monte de*
medio ignis. Ego sequester & medius, instar
interpretis seu legati, *fui inter Dominum*
& vos in tempore illo, quantum ad promul
gationem præceptorũ ceremonialium &
iudicialium, *vt annunciarem vobis verba*
eius, quibus disposuit modum, quo ipsum
Deum colere, & inter vosmetipsos cõuer
† Exo. 20. a. 2. Leuiti. 26. a. 1. Ps. 80. b. 8. sare deberetis. *Timuistis enim ignem,* vnde
vobis loqui statuerat, *& non ascendistis in*
montem: & ait: † *Ego Dominus Deus tuus*
sum: cui tanquã vero Deo cultus latrię à te
exhibetur & *qui eduxi te de terra Ægyp*
† Exod. 20. a. 3. Ps. 80. b. 7. *ti,* hoc est, *de domo seruitutis,* vbi dura ser-
uitute opprimebaris. † *Nõ habebis Deos a-*
lienos, æstimans res aliquas creatas tanquã
Deos *in conspectu meo,* quasi volẽs vna me
cũ, & me præsente eos reuereri & colere.
† *Non facies tibi sculptile,* vt ei diuinũ cul- † Leuit. 26. a. 1. Psal. 96. b. 7.
tũ exhibeas, *nec similitudinẽ omniũ, quæ*
in cælo sunt desuper, nẽpe Solis, Lunæ, seu
signorum, *& quæ in terra deorsum, & quæ*
versantur in aquis sub terra. † *Non adorabis* Exo. 20. a. 4.
ea, & non coles, prout gentiles ea adorãt & † Exod. 34. c. 14.
colunt. *Ego enim sum Dñs Deus tuus: Deus*
æmulator, qui instar mariti occidẽtis vxorẽ
habentẽ contuberniũ cũ alijs viris, diligen
tis vero vxorẽ secum tantum fideliter cõ-
morantẽ: ita pariter ego sum *reddens ini-*
quitatẽ patrũ, animaduertens non solũ in
ipsos peccantes, sed etiã *super filios* 2 *in ter* II.
tiam & quartã generatione his, qui oderunt
me, ne filij parentũ scelera imitari audeãt,
& faciens misericordiam in multa millia di
ligentibus me, & custodientibus præcepta
mea, infinities me eis benigniorẽ exhibẽs,
quã sim seuerus in hostes & impios. † *Non* III.
vsurpabis 3 *nomen Dñi Dei tui,* vt illi in te- Exo. 20. b. 7.
stimoniũ adducas *frustra: quia non erit im-*
punitus, qui super re vana carẽte debito ra Leui. 19. c. 12.
tionis iudicio, *nomen eius assumpserit:* indi
gnũ namque est tã insigni testimonio leui Matt. 5. e. 33.
ter & absq; dictamine prudẽtiæ vti: *Obser*
ua diẽ Sabbati, vt sanctifices eũ, ac deputes
ad vacandũ diuinis *sicut præcepit tibi Dñs*
Deus tuus: tũ lumine naturali, quo aliquã
tẽporis morã teneris præscribere spirituali
refectioni: tũ etiã præcepto ceremoniali,
quo in lege positiua statuit diẽ Sabbati cu
stodiri. *Sex diebus operaberis, & facies om-*
nia opera tua, quæ ad te pertinent, secus
autem de operibus, quæ ad Dei cultum or
dinantur: hæc enim commodè in diem se-
ptimum queũt reseruari. † *Septimus dies* † Exod. 20. b. 10.
Sabbati est, id est, requies Dñi Dei tui:
Vtpote in quo post mundi creationem Gene. 2. a. 2.
cessauit Deus ab vniuerso opere, quod pa
trarat. *Non facies in eo quidquam operis* Hebr. 4. b. 4.
illius, quod facere præcipio intra sex dies,
tu & filius tuus, & filia, seruus & ancilla,
& bos & asinus & omne iumentum tuum,

&

& peregrinus, qui est intra portas tuas: idque non solum vt attendere possitis diuinis, sed etiam *vt requiescat seruus tuus, & ancilla tua, sicut & tu*, nec nimio labore oppressi corruant. *Memento quòd & ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento*, instar illius, qui fortiter percutere intendit. *Idcirco præcepit ti-*
IIII. *bi, 4 vt obseruares diem sabbati* faciens re-
quiescere seruos tuos, quandoquidem tu
quoque in captiuitate detentus cupiebas
†Exo.20 vno vel altero die requiescere. † *Honora*
c.12. *patrem tuum & matrem*, cunctos proxi-
Eccl. 3. mos tuos quasi patrem & matrem bene-
b. 9. ficijs afficiendo, *sicut præcepit tibi Domi-*
Matt.15 *nus Deus tuus* naturali rationis lumine, quo
c.4. ea, quæ tibi fieri vis, alijs facere teneris,
Mar. 7. *vt longo viuas tempore & benè sit tibi in*
b.10. *terra, quam Dominus Deus tuus daturus*
Ephe. 6. *est tibi*: † pietatis namque virtus pro-
c.1. missionem habet vitæ, quæ nunc est &
†.Thim. futuræ. † *Non occides* hominum quem-
4.c.8.d. piam, nec alterum, nec te. *Neque mœcha-*
c.His ita *beris*, nec quidpiam aliud facies sacro ma-
que 23. trimonio contrarium. *Furtumque non fa-*
q.c. nos. *cies. Nec loqueris contra proximum tuum*
C. *falsum testimonium* in honorando, aut in-
† Matt. famando ipsum † *Non concupisces vxorem*
5.d. 28. *proximi tui: non domum, non agrum,*
Rom.7. *non seruum, non ancillam, non bouem,*
b.7. *non asinum & vniuersa, quæ illius sunt:*
sub quarum rerum concupiscentia, aliarum etiam quarumlibet inordinatus appetitus interdicitur. *Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis & nubis, & caliginis, voce magna*, clara & exaudibili, *nihil addens amplius* quantum ad promulgationem reliquorum præceptorum legis: *& scripsit ea* post quadraginta dies *in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi*, vt vobis essent in testimonium diuinæ iussionis. *Vos autem postquam audistis vocem* in cacumine montis prodeũtem *de medio tenebrarum, & montem ardere*, seu igne circumdari, *vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum & maiores natu, atque* timentes iterum audire vocem Domini *dixistis: Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster maiestatem & magnitudinem suam*, apparens nobis valde honorabilis, & potens in tot tonitruis, ac tubæ clangoribus. *Vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie*, ac experti sumus, *quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo. Cur ergo* postquàm semel euasimus periculũ mortis, iterum eidem exponemur? nam si prosequitur Deus sermonẽ ad nos *moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus*, qui paulatim extenditur, & nobis appropiat? *Si enim audierimus vltra vocem Domini Dei nostri, moriemur*, ob innatam fra-
gilitatem, qua maiestatem Dei loquentis D.
sustinere non valemus. *Quid est omnis caro, vt* non opprimatur ab eximia Dei maiestate, *si audiat vocẽ Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus & possit viuere? Tu magis accede*, qui Deus quasi amico non ita terribilis apparebit, *& audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos & nos audientes* ex ore tuo *faciemus ea. Quod cum audisset Dominus ait ad me: Audiui vocem verborum populi huius, quæ locuti sunt tibi* promittens se facturos omnia, quæ nomine meo præceperis eis; *benè omnia sunt locuti*, si tamen opere compleuerint, quæ spondent. *Quis det* & vtinam semper eueniat *talem eos habere mentem, vt* intus quidem cordis affectu *timeant me, &* extra quantum ad opera externa *custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt benè sit eis & filijs eorum in sempiternum? Vade, & dic eis: Reuertimini in tentoria vestra*, quandoquidem non estis amplius audituri Deum loquentem. *Tu verò hic sta mecum* in caligine, quæ continuatur vsque ad cacumen montis, *& loquar tibi omnia mandata mea* moralia, quæ decem præceptis Decalogi affinia sunt, *& ceremonias* ritum colendi Deum pro tempore isto ostendentes, *atque iudicia* directiua inter vosmetipsos mutuæ conuersationis, *quæ docebis eos, vt faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem*: neque enim isthæc vniuersa obseruare poteritis, dum in via fueritis. *Custodite igitur & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis*, cum præcipientis auctoritas satis vobis innotuerit: *non declinabitis neque ad dextram, neque ad sinistram: sed per viam* mediam repulsis extremis, *quam præcepit Dominus Deus vester*, & in qua, vt pote in medio consistit virtus, *ambulabitis, vt viuatis*, ita quod inopinata & immatura morte nequaquam interficiamini, *& bene sit vobis*, bona terræ comedentes, *& protelentur*, seu prorogabuntur *dies in terra possessionis vestræ* per longum tempus illam inhabitantes.

ANNOTATIONES IN CAP. V.

I. *Facie ad faciem quid denotet.* FACIE ad faciem.] De sensu huius Hebraismi diximus Exodi cap. 33. annot. 2. Vltra quę aduerte, non aduersari sententiam istā dictis in præcedenti capite huiusmet libri; Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis, quia non est hic sermo de facie Dei, seu de aliqua similitudine faciei diuinæ, sed est sermo de modo loquendi: non enim dicitur quod Deus faciem monstrauerit populo, cum non legatur, facie ad faciem visus est vobis, sed describitur modus loquendi, dicendo facie ad faciem locutus est. Et est sensus quòd non per internuncium, sed per se ipsum locutus est vobiscum.

II. REddens iniquitatem patrum super filios.] Sēsum horum verborum explicuimus latè Exod cap. 20. tam in paraphrasi, quàm in annotationibus prima & secunda.

III. NOn vsurpabis.] Hęc decem pręcepta Decalogi ferè eisdem verbis exprimuntur, quibus proposita fuere in monte Sinai Exod. capite. 20. vnde exactior eorum expositio ab

IIII. *Custodia Sabbati* eo loco petenda est.

IDcirco præcepit tibi.] Non est intelligendum, quod propter eductionem de AEgypto mandauerit Deus Sabbatum custodiri, quia Sabbatum nihil signat de eductione AEgypti, sed datum fuit Sabbatum propter significationem orationis & quietis, vt patet Exod. capite vigesimo. Quod ergo dicitur hic, est intelligendum, quod quia Deus fecit magnum beneficium educendo eos de AEgypto, ideo eis mandatum Sabbati dare iustè potuit, & ipsi recipere debuerunt tanquam grati de beneficio accepto. Potest etiam referri ad quietem seruorum in Sabbato. Et est sensus, quia eduxit te Deus de AEgypto, in qua seruiebas, ideo mandat tibi, quod seruis miserearis permittendo eos in Sabbato quiescere; sicut tibi fieri in AEgypto desiderabas. Vel ideo dedit tibi mandatum, quod quiescerent serui in Sabbato, vt memoreris, quod te inde eduxerim. Et ista est conueniens expositio: nihil enim inconuenit, vnum & idem opus esse signum rememoratiuum duorum beneficiorum. Vnde sicut per quietem illius diei Deus eos memores faciebat beneficij creationis: Ita per quietem seruorum in illa die memores sint eductionis de AEgyptiaca seruitute. *quid habet cum eductione populi de AEgypto.*

ARGVMENTVM IN CAP. VI.

¶ Post generalem admonitionem iniungit Moyses populo Israelitico duorum insignium præceptorum obseruantiam, ostendēs qualiter se habere debeant israelitæ in confessione & dilectione vnius summi Dei, ad quæ, eos tam memoria susceptorum beneficiorum, quàm spe suscipiendorum inuitat, & allicit, de eisdemque mandatis præcipit posteris rationem reddere.

PARAPHRASIS IN CAPVT VI.

A. HAEC, quæ modo proponere tibi statui, *sunt præcepta* mores hominum componentia, *& ceremoniæ* Dei cultum speciali Hebræorum populo præscribentia, *atque iudicia* ad eiusdem Israeliticæ gentis lites componendum instituta, *quæ mandauit Dominus Deus vester, vt docerem vos, &* quod quantum ad integram illorum omnium obseruantiam *faciatis ea in terra, ad quam transgredimini possidendam:* neque enim dum in itinere demoramini, omnia isthæc præcepta exequi tenemini. Quæ itidem tibi propono, *vt timeas Dominum Deum tuum, &* sciens voluntatem eius, *custodias omnia mandata* tam ceremonialia quàm iudicialia, *& præcepta eius* moralia ex primis Decalogi institutis deducta, *quæ ego præcipio tibi, & filijs ac nepotibus tuis*, eaque custodire teneberis non vno aut altero tempore, sed *cunctis diebus vitæ tuæ*, ac vitæ vniuscuiusque ex posteris tuis, *vt prolongentur dies tui*, vitaque temporali summa cum prosperitate fruaris. *Audi Israel & obserua vt facias, quæ præcepit tibi Dominus* tam per se ipsum quàm per me, ea enim exequens eueniet, vt *& bene sit tibi*, quantum ad bona temporalia, *& multipliceris ampliùs*, quò inha-

Inhabitare valeas vniuersam terram Chanaan, *sicut pollicitus est Dominus Deus patrū tuorum tibi terram lacte, & melle manantem,* qualis metaphorice loquendo præ hubertate, ac suauitate fructuum dicitur esse terra Chanaan. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est,* idque te scire oportet tanquam primum mandatum, ac reliquorum fundamentum. † *Diliges Dominum Deum tuum,* 1 eum namque ex vi quoque legis factorū, qualis est lex ista, diligere teneris, non quidem supernaturaliter, & dilectione infusa, sed dilectione acquisita, *ex toto corde tuo,* ita vt in nulla intellectualis appetitus parte, aliquid dilectioni Dei contrarium inueniatur, *& ex tota anima tua,* sic quod nihil earum virium, quæ in vita sensitiua exercentur, aliquid contrarium dilectioni Dei admittas, *& ex tota fortitudine tua,* exequens ac sustinens ob amorem Dei illud totum, quod secundum vires tuas executiuas exequi, ac sustinere vales. *Eruntque verba hæc* ostendentia vnitatem Dei, ac eiusdem dilectionem, *quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo* fixa per vnionem amoris, & affectus. *& narrabis* repetens atque inculcans *ea filijs tuis, & meditaberis in eis,* vel præcepta ista contemplando, vel in ea tanquam in finem ordinando quidquid feceris, *sedens in domo tua, & ambulans, & itinere, dormiens,* seu accumbens, vt dormias, *atque consurgens* à lecto, quacunque, videlicet accidente diuersitate. *Et ligabis ea, quasi signum in manu tua,* tantum adhibens studij ad hæc duo præcepta vnitatis, & dilectionis Dei, vt habeantur tanquam signa alligata in manu, frequenti excitatione, *eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos,* habēdo ea in mentis oculis, vt valde cara ac pretiosa, non secus ac haberi solent ornamenta in fronte pendentia. *scribesque ea in limine, & ostijs domus tuæ,* maximopere prouidens ne quidquam contrarium huiusmodi præceptis ingrediatur tam in domū, quam in ciuitatem. *Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua iurauit,* se eam daturum *patribus tuis Abraham,* Genesis capite tertiodecimo, & quintodecimo, *Isaac,* Genesis capite vigesimosexto, *& Iacob* Genesis capite trigesimoquarto, *& dederit tibi ciuitates magnas, & optimas, quas non ædificasti, domus plenas cunctarum opum, quas non extruxisti* nec diuitijs replesti, *cisternas, quas non fodisti, vineta, & oliueta, quæ non plātasti, & comederis, & saturatus fueris: caue diligenter ne* in superbiam elatus tanto benefi-

† Matt. 22.d.36 Mar. 12 c.30. Luc. 10. c.27. Infra. 11. b.13.

I.

B.

cio abutaris, *& obliuiscaris Domini, qui* tot ac tam ingentia contulit in te beneficia, postquam *eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis,* vbi veluti in carcere ac ergastulo durissimo detinebaris. † *Dominum Deum tuum timebis,* quasi summum iudicem, & potentem infligere mala, *& illi soli seruies* supremo atque excellentissimo seruitutis gradu, *ac per nomen illius* solius, & non alicuius idoli *iurabis,* quando iurare debueris, nempe imminentibus iudicio, iustitia, & veritate. *Non ibitis post Deos alienos* ad colendum, vel consulendum eos, ac præcipue post Deos *cunctarum gentium, quæ in circuitu vestro sunt,* facilè est enim homines conformare se his, cum quibus conuersantur, *quoniam Deus æmulator* consortem in amore, non patiens, existit *Dominus Deus tuus in medio tui: ne quando* contingat si sequaris idola gentium, vt *irascatur furor Domini Dei tui contrà te,* puniens te citissime instar furentis viri, *& auferat te de superficie terræ,* per mortem temporalē. *Non tentabis Dominum Deum tuum,* dicens, vel faciens aliquid intentione experiendi diuinam potentiam, scientiam, vel voluntatem, *sicut tentasti in loco tentationis* nomine Massa, seu Raphidim, vndecima mansione ab egressu ex Ægypto, vbi ob defectum aquæ de potentia Domini dubitantes eam experiri voluistis. *Custodi præcepta Domini Dei tui* ad mores pertinentia, *ac testimonia,* quæ ad lites componēdas instituta sunt in lege, *& ceremonias, quas præcepit tibi,* vt obserues in diuini cultus exhibitione, *& fac quod placitum est, & bonum in conspectu Domini,* 2 seu in rei veritate, *vt bene sit tibi,* ac prospereris in omnibus operibus tuis, *& ingressus possideas terram optimam, de qua iurauit Dominus patribus tuis, vt deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est,* vt enim ista eueniant, oportet te diuina mandata diligenter custodire. *Cumque interrogauerit te filius tuus cras,* 3 seu posteris temporibus, *dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc* Decalogi seu moralia, *& ceremoniæ* obseruandæ, circa diuinum cultum, *atque iudicia* pertinentia ad mutuum inter nos conuictum, *quæ præcepit Dominus Deus noster nobis. dices ei: Serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus Deus de Ægypto in manu forti,* instar viri pugnatoris destruentis hostes in fortitudine brachij sui: *fecitque signa* 4 ostensiua diuinæ voluntatis, *atq; prodigia magna,* quæ mirum in modum excedebant naturalem potentiam, *& pessima,* vt pote causa-

† Matt. 4.b.7. Luc. 4. b.12. Infr. 10.d. 20.3.d. c.fin.

C.

II.

III.

D.

IIII.

tiua maximi cruciatus ac mæroris, *in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius in conspectu nostro, & eduxit nos inde, vt introductis daret terram, super qua iurauit patribus nostris. Præcepitque nobis Dominus* loco retributionis debitæ, *vt faciamus omnia legitima hæc*, tam moralia, quam ceremonialia, ac iudicialia, quæ lege præcipiuntur, *& timeamus Dominum Deum nostrum, vt bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ*, & abundemus in diuitijs, & tranquilli simus, *sicut est hodie*, quando debellatis quinque regibus, nemo nos conturbat. *Eritque nostri misericors* liberando nos à cunctis miserijs, quæ superuenire possunt, *si custodierimus* in toto corde, & anima, *& fecerimus* in opere, & fortitudine *omnia præcepta eius coram Domino Deo nostro*, studentes ei placere in vero corde, & opere, *sicut mandauit nobis*.

ANNOTATIONES IN CAP. VI.

I. *Dilectio naturalis est, de qua loquitur Moyses.* DILIGES Dominum Deum tuũ.] Quod non loquatur hic Moyses de dilectione Dei supernaturali, & infusa, sed de dilectione naturali, & acquisita, vt bene adnotauit Caietanus, manifestè colligitur, ex verbis Pauli ad Rom. capit. 3. Ex operibus legis, non iustificatur omnis caro. Vbi remissionem peccati denegat Apostolus operibus in lege præceptis, cum ergo remissio peccati maximè tribuatur dilectioni supernaturali iuxta illud Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, consequens est, quod alia sit charitas remissiua peccati, & alia sit illa de qua loquitur hic Moyses. Præterea operibus legis dumtaxat correspondet præmium temporale, vt ostendimus Leuit. 18. annotat. 1. charitati autem infusæ, & supernaturali promittitur præmium supernaturale iuxta illud Iacob. 1. Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Sequitur ergo dilectionem Dei, quæ enumeratur inter opera legis, hoc in loco à Moyse, non esse dilectionem supernaturalem, sed acquisitam, & naturalem.

II. IN conspectu Domini.] De significatione huius Hebraismi videantur, quæ adduximus Genes. cap. 13. annotat. 4.

III. FILIVS tuus cras.] Quod per aduerbium cras, non solum diem, qui immediatè succedit, sed etiam indistinctè posterius tempus intelligendum veniat in sacris literis, ostendimus late Genes. 30. annotat. 2.

III. *Signa & prodigia idē sunt sub diuersis rationibus.* FECITQVE signa atque prodigia.] Quãuis nonnulli nomine signorum intelligenda putent opera miraculosa, quæ nemini inferunt malum, per prodigia vero putent intelligi debere miracula caussatiua pœnæ, verius tamen dicitur vnum atque idem diuinum opus vocari posse signum, & prodigium secundum diuersas rationes. Signum namque dicitur opus miraculosum quatenus est significatiuum diuinæ voluntatis, quæ prius latebat, prodigium vero quatenus valde superexcedit vires naturæ. Prodigium namque idem est, quod procul à digito, hoc est, ab his rebus, quæ viribus naturæ, & quasi digito ostendi queunt, vt resuscitatio defuncti in nomine Christi, quia est ostensiua voluntatis Dei volentis honorari nomen Christi, vocatur signum, & quia superat totam naturæ potentiam, dicitur prodigium. Vnde opera D. Stephani, quamuis nemini inferebant malum, dicuntur signa, & prodigia Actu. 6. Isthæc etiam opera vocantur interdum in sacris literis iudicia, quatenus per illa, siue occulta ratione, siue manifesta redditur infallibiliter, quod sibi debetur, cũ Deus, qui horum operũ patrator est, nequeat fallere nec falli.

ARGVMENTVM IN CAP. VII.

¶ Quo Hebræi præcepta fidei ac dilectionis Dei in præcedenti capite promulgata, conuenientius adimplerent, iubet Moyses nullatenus debere eos societatem inire, cum gentibus terræ promissionis, sed prorsus debere illas interimere, neque quippiam timoris in illarum vastatione contrahere, memores mirabilium, quæ Deus exercuit in egressu de AEgypto, ac etiam præcipit nihil idolorum gentilium secum retinere, sed vt illa omnia flammis tradant.

PARA-

Digitized by Google

PARAPHRASIS IN CAPVT VII.

A. CVM introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, † quam possessurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te. † Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, septem gentes multo maioris numeri, quam tu es, & robustiores te: tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, non parces cuiquam, sed percuties eas vsque ad internecionem. † Non inibis cum eis fœdus, vt remaneant in terra sub tributo, nec misereberis earũ dimittendo eos abire cum sola vita, neque sociabis cum eis coniugia, ne hac occasione traharis ad idololatriam. Filiam tuam, non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & amoris illecebris illectum faciet, vt magis seruiat dijs alienis, irasceturque furor Domini, instarque viri furentis subito vindictam exercebit, & delebit te cito. Quin potius hæc facietis: † Aras eorum, & altaria, in quibus constituunt idola, vel eis sacrificia offerebantur, subuertite, & confringite statuas lapideas, vel æreas, seu alterius metalli, lucosque succidite, qui sunt loca nemorosa, prope templa consita, & sculptilia comburite. † Quia populus sanctus es Domino Deo tuo, ab alijs separatus, & ad cultum vnius veri Dei applicatus. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram, vt præ omnibus alijs ei inseruires. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus singulari amore ac beneuolentia, & elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus, cuius dilectio fons est, & origo omnium bonorum, & custodiuit, opereque compleuit iuramentum, quod iurauit patribus vestris, dicens, quod eorum semini traditurus esset terram illam, & idcirco elegit vos in populum sibi peculiarem; eduxitque vos in manu forti, & redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti. Et scies, ac per experientiam rerum gestarum cognoscere poteris, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis, & fidelis, vnde consequenter est etiam custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & his, qui custodiunt præcepta eius, his enim dumtaxat, & non alijs exhibet se Deus misericordẽ, non solum erga eosmet, qui custodiunt præcepta sua, sed etiam in mille generationes eorum, qui illi seruiunt, nam benefacit plurimis eorum posteris, & reddens odientibus se ex populo Israelitico statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, nec sinens sit peccatoribus diu ex sententia agere, sed protinus eis restituens, quod merentur, non enim prout in alijs nationibus gerit se Deus in nobis dum punit peccata, illas namque patienter expectat, vt eas cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat, nobis vero statim vltiones adhibet, ne diu peccando deteriores efficiamur. Custodi ergo præcepta legis naturæ, & ceremonias diuini cultus, atque iudicia legalia vestras lites componentia, quæ ego mando tibi hodie, quasi Dei minister, ac nuncius, vt facias. Si postquam audieris hæc iudicia, seu diuina mandata custodieris ea, per continuam recordationem, & bonam voluntatem, & feceris, per operis executionem, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiam, quam iurauit patribus tuis, & in particulari faciet hæc, quæ subsequuntur, diliget te habens te sibi gratum, ac multiplicabit quantum ad domos, & familias; benedicetque fructui ventris tui, numerum filiorum adaugendo, & fructui terræ tuæ, qui de arboribus colligi solet, frumento tuo atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ouium tuarum, his enim omnibus rebus in magna abundantia frueris, super terram, pro qua iurauit patribus tuis, vt daret eam tibi, cum dixit Patriarchæ Abrahæ: † Semini tuo dabo terram hanc. Benedictus eris inter omnes populos, nam cunctos alios gloria ac diuitijs superabis, ab eisque, quasi fœlicissimus prædicaberis. † Non erit apud te sterilis vtriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis, disponente Deo principia generationi necessaria tam in fœminis, quam in masculis. Auferet Dominus à te omnem languorem, quia non solum afficiet te bonis, sed etiam præseruabit à malis, & infirmitates Ægypti pessimas, quas nouisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis, nempe vesicas turgentes, vlcera, & alia huiusmodi. Deuorabis omnes populos gladio interficiendo, ac substantias consumendo eorum, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, aliqua conditione, vel pacto viuos reseruando, nec seruies dijs eorum, ne sint in ruinam tui. Si dixeris in corde tuo timore

Margin notes (left): † 23.q.5.c.rex eiiciuntur. † Exod. 23.e.25. & 33.a.2. I. † Exod. 23.g.32. & 34.b.15.16. 28.q.1.c.sicenim §.tu vero. 35.q.3.c.cum igitur. † Infra 12.a.3. & 14.a.1. & 16.d.21. Exo.23.e.24. † Infra 14.a.2. & 26.d.17. B.

Margin notes (right): II. † Genes. 15.d.18. C. † Exod. 23.f.26.

more perculsus: *Plures sunt gentes istæ quam ego, quomodo potero delere eas: noli metuere, sed recordare, quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptijs*, nam præteritarum rerum exhibitio causat futurarum certitudinem, proinde memorare *plagas maximas* immissas à Deo Ægyptijs, *quas viderunt oculi tui, & signa atque portenta, manumque robustam* Domini, scilicet eius insignem potentiam, *& extentum brachium, vt educeret te Dominus Deus tuus*, ita enim se exhibuit paratum in Ægypto ad te liberandum, ac si vir fortis haberet iam brachium eleuatum ad percutiendum hostem. Ex his ergo certus esse poteris, quod *sic faciet cunctis populis, quos metuis.* † *Insuper & crabrones*, seu vespas venenatas *mittet Dominus Deus tuus in eos*, qui per fugam euadere voluerint manus tuas, & se abscondere, *donec deleat omnes, atque disperdat, qui te fugerint, & latere potuerint. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est*, te gubernando, & ab aduersarijs defendendo, *Deus magnus & terribilis*, quatenus ob insignem potētiam suam, & iustis redditur laudabilis, & impijs timendus, *ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atq; per partes. Non poteris eas delere pariter*, seu subito, neque anno vno, *ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ*, prout si terra in so[litu]dinem redigeretur, proculdubio multiplicarentur in tuam perniciem feræ, & animalia syluestria. *Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo* deuictos, & subiectos, *& interficiet illos donec penitus deleantur. Tradetque reges eorum in manus tuas*, ita vt illorum colla pedibus tuis calcare queas, *& disperdes nomina eorum sub cælo*, nam peremptis parentibus ac filijs necesse est, vt nomen generationis pereat, *nullus poterit resistere tibi*, 3 ex his, quos ego disposui esse à te statim subijciendos, & pro tempore, pro quo decreui illos tibi tradere, *donec conteras eos*, 4 qui ante contritionem resistere non valebunt. † *Sculptilia eorum igne combures*, vt non solum forma, & figura illorum pereat, sed etiam materia ex qua sunt conflata, *non concupisces argentum, & aurum de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas*, & illaqueatus cadas à iustitiæ rectitudine, *propterea quia abominatio est Domini Dei tui*, ex eo quod in iniuriam veri Dei illa formata est in idolum. *Nec inferes quippiam ex idolo*, ex his videlicet rebus, quæ cultui seu pulchritudini illius dicata sunt, & ad eum quoquomodo pertinent, *in domum tuam, ne fias anathema*, ac omnimodæ destructioni obnoxius, *sicut & illud est* prorsus destruendum. *Quasi spurcitiam*, remque fœtidam *detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis*, ita, vt nec velis videre illud, *quia anathema est.*

† *Exod.* 13.c.23. & 33.a.2. *Iof.* 24.c.12.

D.

III.

IIII.

† 2. *Macha.* 12. g.40.

ANNOTATIONES IN CAP. VII.

I. *Cur septem gentes, & nō decē traditæ sunt Israelitis.*

SEPTEM gentes.] Quamuis Genesis capit. 15. ponantur decem gentes, quas Deus deleturus erat, vt traderet possessionem earum posteris Abrahæ, scilicet septem hic recensitæ, & Cethmonæi, Cinæi, & Cenezæi, nihilominus hoc in loco, non debuit Moyses memorari, nisi dumtaxat illarum septem, quarum etiam memoriam agit Exod cap. 3. Eo quod illæ tres nationes reliquæ, non Israelitis, sed alijs ex posteris Abrahæ datæ creduntur, nempe Idumæis, Moabitis, & Ammonitis, contra quos ob cognationem, quam isti habuere cum Abraham prohibiti sunt Israelitæ pugnare supra Deut. cap. 2. Vnde satis verisimile est quod Emin, Zonzommin, & Horrhæi, quos Moyses superius capit. 2. refert fuisse subiugatos à Moabitis, Ammonitis, & Idumæis, fuerunt eædē gentes, quæ Genes. 15. vocantur Cinæi, Cēnezæi, Cethmonæi, quapropter non debuerunt debellare eos Israelitæ. Et si obijcias, quod non debuerunt dari istæ tres gentes nominatæ in Genesi Ammonitis, Moabitis, & Idumæis, quia promissio facta Abrahæ mansit in solo Isaac, & benedictio Isaac in solo Iacob, & post per lineam rectam Iacob, iuxta illud Pauli ad Galat. 3. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, nō dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Respondetur, quod repromissio de semine, in quo benedicerentur omnes gentes, solum facta fuit in semine per Isaac, & Iacob, scilicet de Messia, nascituro de semine illo. Et de hac loquitur Paulus. Cæterum promissio de possessione terræ, cum temporalis, & terrena fuerit, filijs etiam carnalibus cōmunicari potuit quantum ad partem. Quia igitur Israelitis illæ gentes septem suff[ic]iebant delendæ, ideo aliæ tres alijs traditæ sunt qui de semine illo aliquo modo erant.

II. *Duplex beneficiū confert Deus populo suo. Punitionem non differre est singulare Dei beneficiū*

REDDENS odientibus se statim.] Duplex genus beneficij refert hoc in loco Moyses collaturum Deum populo Israelitico, quem sibi peculiarem elegerat, alterum pro iustis, alterum vero pro iniustis, & peccatoribus. Iustis quidem his, videlicet, qui custodirent diuina præcepta, promittit Deus se benefacturum in mille, hoc est, in plures generationes. Odientibus autem se nempe transgressoribus diuinæ legis in populo Iudaico promittit, quasi genus quoddam beneficij, quod protinus, & absque aliqua mora venirent puniendi, citissima enim peccatoris punitiō indiciū est magni beneficij, vt habetur 2. Mach. cap. 6.

cap. 6, in illis verbis. Etenim multo tempore, nō sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indiciū. Non enim, sicut in alijs nationibus, Dominus patienter expectat, vt eas cum iudicij dies adueneri, in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit, vt, peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem à nobis misericordiam suam amouet, corripiens vero in aduersis populum suum non derelinquit. Quæ verba manifestè ostendunt, penes hoc differre populū Dei ab alijs nationibus, quod populus Dei, statim post peccatum castigatur, aliæ autem nationes permittuntur diutius impunes. Neq; obstat, quod apparet tempore Ieroboam peccasse decem tribus idololatria iugi, & tamen non videntur puniti, vsque ad tempus Oseæ regis Israel, per Salmanasar regem Assyriorum, qui vastauit Samariam, & transtulit Israelem de terra sua. Hoc, inquam non obstat, quia Ieroboan statim punitus legitur, nam & aruit manus eius, & filium amisit. Et quamuis, non sit scripta verificatio huius sententiæ quantum ad populum, quia non omnes punitiones referuntur in sacris literis, ex frequenti tamen verificatione scripta in libro Iudicum, colligendum est verificatum semper fuisse discrimen istud, quod fuit inter populum Dei, & alias nationes.

III. *Qui nam nequiuerunt resistere Israelitis.*

NVLLVS poterit resistere tibi.] Cum ex præcedentibus constet Deū noluisse, quod filij Israel pariter ac subito occuparent terrā eis promissam, sed paulatim, & per partes, consequens est hoc, quod in præsenti dicitur neminem posse resistere Israelitis, intelligi debere de illis dumtaxat gentibus, quas Deus decreuit statim tradere Israelitis ad primum introitum. De alijs enim ex pluribus scripturæ locis constat eas restitisse Hebræis, & contra illos victores euasisse. vt Iosue cap. 15. de Iebusæis dicitur: Iebusæum autem habitatorem Ierusalem, non potuerunt filij Iuda delere, habitauitque Iebusæus, cum filijs Iuda in Ierusalem vsque in præsentem diē. Et de Chananæis habetur Iosue cap. 17. Nec potuerūt filij Manasse has ciuitates subuertere, sed cæpit Chananæus habitare in terra sua. Et de Amorrhæis dicitur Iudi. cap. 1. Arctauitq; Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora descenderent. Postmodum vero conualescentibus Israelitis, & sublato obice idololatriæ dominium totius terræ sibi promissæ adquisierunt. Vnde Iosue. 17. dicitur, postquam autem conualuerūt filij Israel, subiecerunt Chananæos, & fecerunt sibi tributarios. Et 2. Paral. 8. habetur, omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Amorrhæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebusæis, qui non erant à stirpe Israel, de filijs eorum, & de posteris, quos non interfecerant filij Israel, subiugauit Salomon in tributarios vsque in diem hanc.

IIII. *Donec quem sensum habeat in scriptura*

DONEC conteras eos.] Ex hoc loco satis liquet esse valde conuenientem sensum, quem huic aduerbio donec assignauimus Gene. 49. cap. circa illa verba, non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est, sicut enim quando hic inquit Moyses, nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos, non insinuat post contritionem quemquam debere resistere, sed dumtaxat, quod ante contritionem nullus valeret resistere. Ita similiter in illo loco Genesis, non significatur, post aduentum Messiæ esse auferendum sceptrum Iudæ, sed dumtaxat ostenditur, quod ante aduentum Messiæ illud non deberet auferri. Pro quo sensu vide testimonia à nobis adducta ibidem annotat. 8.

ARGVMENTVM IN CAP. VIII.

¶ Incitat Moyses Israelitas ad obseruandum vniuersa legis præcepta, memorans quamplurima beneficia tam in Ægypto, quam extra Ægyptum eis collata, ac prædicens, Deum alia multa eis daturum si in mandatorum illius custodia persistere velint disperdendos tamen fore si inobedientes Deo fuerint.

PARAPHRASIS IN CAP. VIII.

A. OMNE *mandatum* tam morale quam ceremoniale, & iudiciale, *quod ego præcipio tibi hodie cane diligenter vt facias*, quia offendens in vno factus est omnium reus, *vt possitis viuere* prosperè, & incolumes super terram, *& multiplicemini*, per posterum abundantiam, *ingressique possideatis terram, pro qua iurauit Dominus patribus vestris* se daturum illam semini eorum. *Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis, per desertum, vt affligeret te* itineris longitudine & asperitate, *atq; tentaret*, & rerum experiētia *nota fierent* tibi ipsi, & alijs, *quæ in tuo animo versabantur*, nec te falleret propria mens faciens, vt plus æquo de te ipso præsumeres, sed per experientiam scires *vtrum custodires*, ac vero corde paratus esses custodire *mandata illius, an non*: animi enim constantia, & veritas nunquam melius, quam in tribulatione relucet, etiā ipsi cuius est animus.

Afflixit,

Afflixit te penuria, & tamē in afflictione minimè deseruit, sed *dedit tibi cibum Manna* tā to excellentius pane communi, quanto rarius, vt pote *quod ignorabas tu, & patres tui,*
† Matt. 4.a.4. *vt ostenderet tibi, quod non † in solo pane* cibo
que communi, & vulgari *viuat homo, sed in*
Luc. 4. a.1. *omni verbo*, vel quocunque dato, *quod egreditur de ore Dei*, 1 seu dare voluerit Deus, ad
I. hoc, vt viuat homo. *Vestimentum tuum, quo*
B. *operiebaris, nequaquam vetustate defecit*, neque deterius effectum est, *& pes tuus non est sub*
II. *tritus*, a seu inflatus in vesicas turgentes ex defectu calceamentorum, neque ob aliam causam, quamuis interdum ex celeri motu laborem, & defatigationem subieris. Quæ beneficia ex diuturnitate temporis accrescunt, etenim *en quadragesimus annus est*, ex quo victum, & vestitum absque labore tuo magnificè prouidi, *vt recogites in corde tuo*, & cognoscas, *quia sicut erudit filium suum homo sic Dominus Deus tuus erudiuit te* tum castigationibus, tum ingentium beneficiorum largitudinibus, *vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum. Dominus enim Deus tuus*, cui seruire te oportet, non modicā retributionem præstabit, pro opere tuo, quinpotius *introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarumque cō* sistentium in paludibus atque stagnis, *& fontium in cuius campis, & montibus erumpunt fluuiorum abyssi*, & non veluti Ægyptus, quæ fontibus omnino caret ob eius planitiem, dabit igitur *terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliueta nascuntur: terram olei, ac mellis. Vbi*, si custodieris mandata Domini, *absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris*, secus autem si reliqueris Dominum, nec audieris vocem eius, tunc enim maledictus eris in terra ista, quæ non solum rerum comestibilium ferax est, sed etiam quam plurimis rebus abundat, *cuius lapides ferrum sunt*, seu fodinæ ferreæ, *& de montibus eius æris metalla fodiuntur*. In huiusmodi ergo terram introducet te Do-
C. minus, *vt cum comederis, & satiatus fueris*, non instar indomiti equi recalcitres, sed grato animo *benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi. Obserua, & caue, ne quando* impinguatus, & dilatatus *obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius* ad mores spectantia, *atque iudicia* componentia mutuam inter vos conuersationem, *& ceremonias* ad diuinum cultum pertinentes, *quas ego præcipio tibi hodie, ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerisque armenta boum, & ouium greges, argenti, & auri cunctarumque rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis, & ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili* ob terrorem incussum ab animalibus ibi existentibus, vt pote † *in qua erat serpens flatu* † Num.
adurens, & ignitus, qui morsu suo vehemen- 20. b.9.
tissimum calorem corpora consumentem & 21.b.
efficiebat, *& Scorpio, ac dipsas*, qui morsu in- 6. Exod.
ducebat sitim maximam, vnde & nomen ser 16.c.30.
pens iste accepit, dipsas enim idem est, & 17.
quod sitis, quæ quidem sitis nullatenus tem b.6.
perari poterat, quia ibi nulli erant fontes, *& nullæ omnino aquæ*. In ea tamen solitudine misertus est tui Dominus, *qui eduxit riuos de petra durissima* in Raphidim, & in Cades, *& cibauit te Manna in solitudine* præbens tibi alimentum inusitatum, *quod nesciuerunt patres tui*, neque quid simile vnquam
agnouerunt. *Et postquam afflixit, ac proba-* D.
uit faciens te scire quantæ virtutis esses, *ad extremum misertus est tui* liberando te ab omnibus angustijs, ita vt manifestè disceres bona, quæcunque habes, à Deo fuisse collata,
ne diceres in corde tuo, fortitudo mea, & ro- III.
bor manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt, in eo enim arrogares proprijs naturæ viribus diuinum beneficium gratis, & supernaturaliter collatum, quod cauere te prorsus oportet. *Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipsi vires tibi præbuerit*, supra eas, quas ex propria conditione possidebas, *vt impleret pactum suum, super quo iurauit patribus tuis* introducendi te in terram optimam, & quidem illas vires tibi præbuit, *sicut præsens indicat dies*. Si enim eiusmodi vires, non tibi Dominus contulisset, nequaquam Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan deuicisses. Recordare ergo te oportet tanti benefactoris. *Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris Deos alienos, colueris que illos, & adoraueris, ecce nunc prædico tibi*, ac testificor, *quod omnino dispereas* deficientibus in te viribus, quas gratis Deus contulit. *Sicut gentes, quas deleuit Dominus in introitu tuo*, nempe Aradij, & Amorrhæi, *ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri*. Eo enim temporis momento, imminebit vobis perditio, ruinaque vestra, meritisque supplicijs plectemini, quo Dominū Deum vestrū contēpseritis, à quo tā mirabilibus beneficijs affecti fuistis.

ANNO-

Digitized by Google

ANNOTATIONES IN CAP. VIII.

I. *Verbum pro re ipsa.* IN omni verbo, quod egreditur de ore Dei.] Sententia hæc duplicem continet Hebraismum. Alter est vsitatissimus, quo nomine verbum, res per verbum significata designatur, vt 2. Reg. 1. Quod est verbum, quod factum est. Alter est, quo per egreditur de ore Dei significatur exitus quidam omnino voluntarius, in quo magis voluntas, quam quæuis res alia interuenit, De quo plura diximus Genes. 24. annotatio. 3. *Egredi de ore significat voluntariè operari.* Nec tamen existimes, quod sensus huius sententiæ sit, quod homo viuet in omni re, quam Deus illi præbere voluerit, etenim homo non viuet ex ferro, vel alijs huiusmodi rebus, quas Deus illi confert. Sed est sensus, quod in omni re, quam Deus dederit adhoc, vt homo viuat, homo viuet, vel quolibet modo, quo Deus illum sustentare voluerit, etiam si nihil accipiat loco cibi.

II. *Impiorũ quoq; Hebræorum pedes nõ fuerunt læsi in deserto.* PES tuus non est subtritus.] Nicolaus de Lyra, vt concordet locum istum cum eo, quod dicitur Numer. cap. 11. Ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, vbi ostenditur Israelitas subijsse laborem in itinere, ac proinde in pedibus, quia in pedibus magis, quam in alia corporis parte labor itineris sentitur, dicit beneficium, cuius hic fit mentio, tantumodo bonis fuisse collatum, solos autem malos laborasse itinerando. Cæterum neutrum istorum admittendum puto, hoc enim, quod pedes, non fuerunt subtriti narratur à Moyse toti populo, non secus ac illa duo, videlicet Manna fuisse datum, & vestimenta non defecisse; sed hæc duo fuerunt communia tam bonis, quam malis, ergo & istud, vnde quamuis Moyses beneficium de dato Manna pluries retulerit toti populo, nunquam tamen mentionem eis fecit de eo, quod conuertebatur ad omnem saporem, quam comedentes voluissent, quia hoc viris bonis dumtaxat contingebat, ergo si pedes tantum iustorum, non fuissent subtriti, id minimè narraret Moyses vniuerso populo. Neque obstat illud Nume. 11. bene enim stat pedes, non fuisse subtritos, idest, inflatos in vesicas turgentes, seu aliter læsos, & tamen itinerantes laborasse, & defatigatos fuisse tam bonos, quam malos. Prout de Christo Domino nefas esset asserere illius pedes fuisse subtritos, & tamen certum est fuisse fatigatum ex itinere, vt dicitur Ioan. cap. 4.

III. *Beneficia collata Israelitis superarũt ipsorũ fortitudinẽ.* FORTITVDO mea.] Si de bonis secundum ordinem naturæ à Deo collatis, hic facta fuisset mentio, verba ista rectum sensum retinere poterant, etenim quamuis attribuatur proprijs viribus, non desinunt esse Dei. Cæterum loquens Moyses de bonis collatis à Deo gratis, ac de bonis superadditis ordini naturæ, qualia fuere liberatio ab AEgyptiaca seruitute, immunitas à morsibus serpentum in solitudine, eductio aquarum de petra, ac pluitio Mannæ, optima ratione interdixit Moyses verba ista Israelitis. In eis enim significatur bona prædicta proportionem quandam æqualitatis habuisse, cum fortitudine ac robore proprio Israelitarum, quod ex altero duorum prouenire oportebat, vel quia bona ipsa collata parui erant momenti, nec superantia imbecillitatẽ viriũ Israelitarũ, vel quod Israelitæ ex proprijs viribus naturæ fortitudinem habebãt, vt eorũ robur adæquaret magnitudinẽ, & excellentiã horũ bonorum. Quodcumque autem istorum Israelitas credere, insignis erat arrogantiæ, & præsumptionis.

ARGVMENTVM IN CAPVT *IX.*

¶ Post præmissam narrationem quorundam ingentium beneficiorum, quæ Deus facturus erat populo, monet eum Moyses, ne ascribat eiusmodi gratiam proprijs viribus, nec proprijs meritis, sed potius diuinæ iustitiæ ac patrum promissionibus, cum maximè populus Israel rebellis omnino extiterit contra Dominum ex eo die, quo egressus est de Ægypto, qua occasione refert Moyses, quam plurima populi peccata, ac ipsius Moysi frequentem ad Dominum deprecationem pro populo.

PARAPHRASIS IN CAPVT IX.

A. AVDI Israel: *Tu transgredieris hodie*, nempe tempore isto, & nõ multum postea *Iordanem, vt possideas nationes maximas, & fortiores te*, non quidẽ personas reseruando, ac eis imperando, sed earum terras ac diuitias occupando, *ciuitates ingentes, & ad cœlum vsque*, vt hyperbolice loquar, *muratas*, popu-

populum magnum in amplitudine potentiæ
atque sublimem in staturæ proceritate, vt po
te filios Enacim, hoc est gigantum, quos
I. ipse vidisti, 1 seu agnouisti, per relationem
exploratorum, & audisti ipsis explorato-
ribus referentibus, vel quidam vestrum gi-
gantes viderunt nempe Iosue, & Caleb,
alij vero, scilicet, reliqua populi multitudo
audierunt de gigantibus istis, quibus nullus
potest ex aduerso resistere, eo quod viribus
sint robustissimi. Scies ergo hodie, quod Do-
minus Deus tuus ipse transibit ante te exhi-
bens se in destructione hostium tuorum,
quasi ignis deuorans atque consumens, qui sum-
ma velocitate instar ignis omnium elemen-
torum velocissimi conterat eos vulneribus
ac plagarum incursionibus, & deleat atque
disperdat, mortem eis inferendo ante faciem
tuam velociter, sicut locutus est tibi, ac se fa-
cturum promisit. Ne dicas in corde tuo, cum
deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu
tuo, Propter iustitiam meam, & bona opera
à me præstita, & in præmium eorum in-
troduxit me Dominus, vt terram hanc posside-
rem, cum propter impietates suas, quæ iam
tunc temporis erunt completæ, istæ deletæ
sint nationes. Neque enim propter iustitias
tuas in externis operibus, & æquitatem cor-
dis tui, seu propter rectitudinem cogita-
tionis tuæ ingredieris, vt possideas terras ea-
rum, sed quia illæ egerunt impie, ac puniri eas
oportebat, idcirco introeunte te deletæ sunt
vel delendæ venient: & vt compleret verbum
suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus
est patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob,
dandi terras has semini eorum post com-
B. pletas iniquitates Amorrhæorum. Scito
ergo, quod non propter iustitias tuas Dominus
Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in
possessionem, quod ob innatam præsump-
tionem facile existimare poteras, etiam si
tanti beneficij, prout re vera se habet, sis
prorsus indignus, cum durissimæ, & maxi-
me inflexibilis ceruicis sis populus, diuinis-
que traditionibus omnino inobediens.
Memento, & ne obliuiscaris quomodo ob ma-
ximam rebellionem tuam, ad iracundiam
prouocaueris Dominum Deum tuum in soli-
tudine. Ex eo die, quo ante quadraginta an-
nos egressus es ex Ægypto, seu de prouin-
cia Ramesses, in qua habitabas, vsque ad
locum istum semper aduersus Dominum con-
tendisti, ac rebellis fuisti iussioni suæ.
† Exod. † Nam, & in Horeb omissis murmuratio-
17.b.6. nibus tuis contra Dominum Deum eras,

circa mare Rubrum, & in deserto Sin, & 19.
in Raphidim, adhuc prouocasti eum vitu- 4. 3. &
lum fabricando, & adorando, & iratus de- 31.d.18.
lere te voluit, meque principem constitue- & 32.d.
re alterius maioris populi. Quod quidem 15.
contigit, quando ascendi in montem, vna
cum Iosue, vt acciperem tabulas lapideas, ta-
bulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus,
continentes sententiam vocis illius, de qua
fœdus iniens, cum Israelitis dixit, Si au-
dieritis vocem meam, & custodieritis pa-
ctum meum, eritis mihi in peculium de
cunctis populis, & perseueraui in monte qua-
draginta diebus, ac noctibus, panem non co-
medens, & aquam non bibens, vt abstinen-
tiæ virtute aptior fierem ad percipiendas
diuinas locutiones ac visiones. Deditque
mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas
digito Dei, 2 hoc est, tantæ ac tam infal- II.
libilis authoritatis ac si manu propria Dei
fuissent subscriptæ, & continentes omnia illa
decem præcepta, seu verba, quæ vobis lo-
cutus est in monte de medio ignis, quando quin
quagesimo die ab egressu filiorum Israel
de Ægypto concio populi congregata est ad
radices montis Sinai, & cunctis audien-
tibus, quasi ab ore Dei, præcepta De-
calogi susceperunt. Cumque transissent qua-
draginta dies, & totidem noctes, dedit mi-
hi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas
fœderis, in quibus scriptum erat pactum,
vel fœdus, quod pepigerat Deus, cum
Israele ad futuram rei memoriam: dixit-
que mihi genu flexo, vel in terra pros-
trato: † Surge & descende hinc cito, quia † Exod.
populus tuus, quem tanto amore prose- 32.b.7.
queris, & quem eduxisti de Ægypto, dese-
ruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis,
deserentes legem Dei, ac viam vitæ, fe-
ceruntque sibi conflatile, seu vitulum, per
conflationem auri, & argenti opere fu-
sorio fabricatum. Rursumque ait Dominus C.
ad me: Cerno quod populus iste duræ ceruicis
sit, & prorsus incorrigibilis, dimitte me,
tantum namque apud me præuales, vt si
pro eo intercedas absque dubio veniam im-
petrabis, noli ergo pro eo exorare, sed
sine, vt conteram eum, & deleam nomen eius
de sub cælo infligendo mortem, tam par-
uulis, quam maioribus, & constituam te du
cem, ac principem super gentem, quæ hac ma-
ior, & fortior sit. Cumque de monte ardente Ho
reb, qui tūc flamma ac fumo coopertus erat
descēderē, & duas tabulas fœderis vtraq; tenerē
manu, vidissemque vos peccasse Dño Deo vestro
& se-

Digitized by Google

III. & fecisse vobis vitulum conflatilem, 3 seu caput vituli repręsentatiuũ bouis Apis, & vaccæ Isidis, ac deseruisse velociter viam eius, quam vobis ostenderat, quando legem paulo ante promulgauerat, vobis ipsis audientibus: ob hanc causam cùm castris appropinquassem, proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in cõspectu vestro, judicans superfluum & inutile esse tradere legem contẽptoribus illius. Et procidi post vituli contritionem, vigintique trium millium idolatrarum occisionem ante Dominum, sicut prius in eodem monte Sinai, vbi hac etiam secunda vice steti orans quadraginta diebus & totidem noctibus panem non comedens, & aquam non bibẽs propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis, vt abstinentiæ virtute facilius veniam impetrarem à Domino: timui enim indignationem & iram illius, qua aduersum vos concitatus, delere vos voluit de terra & interimere. Et exaudiuit me Dominus etiam hac vice nolens facere malum, quod comminando locutus fuerat contra populum suum. Aduersum Aaron quoque vehemẽter iratus, ob consensum saltim externum præstitum idololatris voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum, ac remissionem assecutus. Peccatum autem vestrum, quod feceratis, idest, vitulũ arripiens, priusquam secunda vice ascenderem in montem oraturus pro vobis, igne combussi quasi rem execrandam, ac flammis potius quã honore dignam: & extractum ab igni contriui, & in frusta comminuens, omninoque in puluerem redigens, proieci in torrentem, qui de monte descendit, vt potatus ab Israelitis in secessum cũ stercoribus abiret, sicque amplius à vobis contemneretur. † In incendio quoque quando in prima profectione ex mõte Sinai accensus est ignis cõsumens extremitatem castrorum, & in tẽtatione Raphidim, vbi ob peccatum vestrum impositum est loco nomen Tentatio; & in sepulchris concupiscentiæ Manna contemnentes, & carnes indebitè desiderantes prouocastis Dominum & ad iracundiam concitastis: & quando misit vos per ministerium meum de Cadesbarne, dicens: Ascendite, & possidete Terrã, quam dedi vobis. Et contempsistis imperium Domini Dei vestri, & nõ credidistis ei, neque vocem eius per me vobis promulgatam audire voluistis; sed semper fuistis rebelles saltim pro maiori vestri parte, à die qua nosse vos cœpi, & vt prælatus regere, ac vestri curam agere. Et iacui coram Domino 4 in monte IIII. Sinai secunda vice, prout prius narrare inceperam quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos, vt fuerat comminatus: & orans dixi: Domine Deus ne disperdas populum tuũ, quem ad tui cultum specialiter elegisti, & hereditatem tuam, quam veluti heredem ad participationem bonorum tuorum assumpsisti, ac redemisti in magnitudine tua, magnum te ostendens in virtute & gloria in liberatione Israelitarum, quos eduxisti de Ægypto in manu forti, seu insignium miraculorum operatione. Recordare seruorum tuorum Abraham Isaac, & Iacob, prout memorem te ostendes; si miserearis eorum seminis ob parentum merita: ne aspicias ad puniendum duritiam populi huius incorrigibilis ac indomabilis, & impietatem erga te, cultumque tuum, atque peccatum erga proximos suos: ne forte dicant habitatores terræ: de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in terram, quam pollicitus est eis & oderat illos: idcirco eduxit, vt interficeret eos in solitudine. Quæ insignis esset blasphemia; maximè cum tu mirum in modum dilexeris Israelitas: qui sunt populus tuus tuis legibus specialiter astrictus, & hereditas tua, vt pote heredes constituti ad participationem bonorũ tuorũ, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & tanta cũ velocitate auxilium præbens, ac si præsto adesses in brachio tuo extento, & quasi bellator, qui iam iam ferire vult hostem.

D.

† Num. 11. a. 1. & 16. a. 1. & 21. a. 5.

ANNOTATIONES IN CAP. IX.

I. QVOS ipse vidisti & audisti.] Locum istum intelligendum existimo iuxta regulam quartam Ticonij, quam vna cum alijs sex eiusdem authoris refert, & approbat Diuus Augustinus lib. tertio, de doctrina Christiana, cap. trigesimo primo, & sequentibus. Hæc namque regula docet morem esse Sacræ scripturæ tribuere aliquando toti, quod conuenit parti: prout Isai. cap. 13. de Medis Babylonem deuastantibus dicitur, vt disperdat omnem terram: hoc est Babylonem. Et statim: Visitabo super orbis mala. Et cap. 14. Hoc consilium

Solet tribui toti quod conuenit parti.

filium cogitaui super omnem terram. Et hæc est manus super vniuersas gentes. Et tamen loquitur Propheta duntaxat aduersus Babylonem. Ita igitur in proposito filios Enacim, id est, gigantes nonnulli Hebræorum viderunt, nempe Iosue, & Caleb, qui vna cum alijs decem exploratoribus lustrantes terram promissionis viderunt eos in Hebron: vt habetur Numer. cap. 13. Reliqui vero Israelitæ de eis audierunt, referentibus exploratoribus: & tamen loquens Moyses cum vniuerso populo, inquit. Quos ipse vidisti, & audisti; quia vna pars populi vidit, & alia pars audiuit.

II. *Nomē loco pronominis.* DIGITO Dei.] Nomina propria in sacris literis interdum ponuntur pro pronominibus; vt autor est Diuus Augustinus super Psal. 67. vnde in Pentateucho multoties inuenitur: Fecit Moyses illud, atque illud, sicut præceperat Dominus Moysi, id est, ei. Ad hunc igitur modum postquam dixit Moyses: Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas; subdit; scriptas digito Dei, pro digito eius, aut digito suo.

III. VITVLVM cōflatilē.] Qualis fuerit vitulus iste ostēdimus Exo. 32. annot. 1. vbi videre poteris reliqua, quæ circa expositionem huius capitis hoc in loco desiderantur.

IIII. *Tres quadragenas exegit Moyses in mōte Sinai.* ET iacui coram Domino.] Nonnulli existimant hanc Moysi orationem, qua deprecatus est Dominum pro populo per tempus quadraginta dierum, fuisse diuersam ab alijs superius in hoc eodem capite relatis: putantque hoc in loco meminisse Moysen vltimæ quadragenæ ex tribus, quas peregit in monte Sinai: nam primam dicunt significari in illis verbis: Et perseueraui in monte & cætera: Secundam vero ibi: Et procidi ante Dominum sicut prius; & tertiam hoc in loco. Verius tamen est hanc quadragenam, cuius hic fit mentio, fuisse secundam, eiusque iteratō meminisse Moysen, vt adiungeret orationem, quam pro populo fudit. Ex tribus enim quadragenis, quas Moyses exegit in monte Sinai: prima fuit ad suscipiendas tabulas de manu Domini: Secunda ad placādum Deum pro scelere populi: tertia ad hoc, vt Deus scriberet in tabulis decem præcepta, & ad reuelationem illam magnam, ac præcipuam inter omnes, quas vnquam habuit Moyses, scriptam Exodi trigesimo quarto capite habendam. Et earum quidem primam & tertiam iubente Deo, secundam autem interno charitatis spiritu accensus, aggressus est Moyses. Et quia mora Moysis in monte, quando secundo ascendit, non fuerat exposita in Exodo, etiam si ille spōtaneus ascensus capite trigesimo secundo, & trigesimo tertio latē scribatur, idcircō hoc in loco semel, atque iterum illius moræ meminit Moyses, qui dilationem primi, ac tertij ascensus expresserat capite vigesimo quarto, & trigesimo quarto.

ARGVMENTVM IN CAP. X.

¶ Annunciat Moyses populo beneficium secundarum tabularum & asseruationes illarum, & qualiter ad iussionem Domini ducem se præbuerit Israelitis. Quarum rerum occasione illos mouet ad timorem Dei, illiusque mandatorum obseruantiam. Et propositis nonnullis Dei attributis & perfectionibus, ad earum imitationem populum inuitat & cohortatur.

PARAPHRASIS IN CAP. X.

A. † Exod. 34. a. 1.
I. IN † *tempore illo* 1 post peractam secundam quadragenam dum essem in tabernaculo fœderis, quod ad breue tempus in locum alterius tabernaculi postea conficiendi erexeram extra castra, *dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas*, quo intelligant Israelitæ secundarum tabularum beneficium tuis precibus ac intercessioni deberi: & sint *sicut priores fuerunt*, *&* postquam eas perfeceris, iterum *ascende ad me in montem: faciesque* per manus Beseleel *arcam ligneam* de lignis Settim, *& scribam in tabulis verba* seu præcepta decalogi, *quæ fuerunt in his, quas ante confregisti*, *ponesque eas in arca*, vt ibidem reseruentur. *Feci igitur*, seu facere iussi *arcam de lignis Settim. Cumque dolassem*, non quidem per me ipsum, sed opere Beseleel & aliorum artificum, *duas tabulas lapideas instar priorum* eiusdem videlicet quantitatis & figuræ, *ascendi in montem, habēs eas in manibus. Scripsitque* 2 Dominus II.

minus per me tanquam per instrumentum
III. suum *in tabulis iuxta id, quod prius scripserat verba* seu præcepta *decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis*, in cuius aspectu ipse Deus repræsentabatur, tanquam præsens, non tamen visus, *quando populus congregatus est* ad radices montis Sinai, vt Dominum datorem legis audiret; *& dedit eas mihi. Reuersusque de monte, descendi*, post aliquot dies postquam scilicet Beseleel & Ooliab perfecerunt arcam, *& posui tabulas in arca, quam feceram, quæ hucusque*, quando quadragesimus annus est, ex quo illas posui,
B. *ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus.*
† Num. 33.d.31 † *Filij autem Israel* peracta trigesima tertia mansione, ex quo exierunt de AEgypto, *mouerunt castra ex Beroth filiorum Iacan* quæ est in deserto Sin, & alio nomine vocatur Cades, veneruntque *in Mosera*, *vbi* in ea parte huius regionis, quæ appellatur mons Hor in extremis finibus terræ Edom,
† Num. 20.d.28 † *Aaron mortuus ac sepultus est* anno ætatis suæ centesimo vigesimo tertio, *pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius: inde venerunt in Gadgad* alio nomine dictam Oboth: *de quo loco profecti castrametati sunt in Ietebatha, in terra* videlicet, quæ ob torrentem Zared, ac puteum miraculose paratum à principibus multitudinis filiorum Israel, vocari solet Terra *aquarum atque torrentium. Eo tempore* de quo noster sermo initium sumpsit, nempe quando eramus ad radices montis Sinai, tunc Dominus *separauit tribum Leui*, & selegit ad speciale ministerium diuino cultui exhibendum, scilicet *vt portaret arcam fœderis Domini*, ac reliqua vasa & vtensilia, quæ ad Dei seu tabernaculi cultum spectarent, *& staret coram eo in ministerio* sacrificia, & alios ritus tabernaculi peragendo, *ac benediceret* seu bene precaretur Israelitis *in nomine*, ac per inuocationem *illius vsque in præsentem diem. Quam ob rem non habuit*, neque habiturus est *Leui partem neque possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus*, hoc est, portio proueniens Domino tam ex sacrificijs & oblationibus, quam ex alijs quibuscunque Israelitarum fructibus & prouentibus, *possessio eius est*: tribus namque Leui habitura est quidquid ex rebus Israelitarum ad Deum pertinet, *sicut promisit ei Dominus Deus tuus*, in præmium zeli, quem tribus ista ostendit in interfe-
ctione idololatrarum. C.
Ego autem quando suscepturus scripturam secundarum tabularum ascendi ad Dominum, *steti in monte, sicut prius quadraginta diebus ac noctibus* explens ieiunium tertiæ quadragenæ: *exaudiuitque me Dominus etiam hac vice*, prout exaudierat secunda vice quando ascendi in montem ad precandum pro scelere populi, *& te perdere noluit* sicut ante comminatus fuerat. *Dixitque mihi: vade & præcede populum* ducem te ei exhibens, *vt ingrediatur, & possideat terram, quam iuraui patribus eorum, vt traderem eis.* In quibus verbis manifestè se Dominus placatum ostendit. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te* pro talibus tantisque beneficijs, *nisi vt* quantum ad præcepta moralia *timeas Dominum Deum tuum*: in cuius timore initium consistit sapientiæ & profectus spiritualis *& ambules in vijs eius* mandata illius obseruans, *& diligas eum* postea amore perfecto? nam assidua mandatorum adimpletio etiam ex timore ad perfectam dilectionem inducit, & disponit, *ac seruias Dño Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua*; non sustinẽs otiosam existere charitatem, sed eam totis viribus tuis, tam spiritualibus, quam corporalibus executioni mandari satagens: *custodiasque* quantum ad legis positiuæ obseruantiam *mandata Domini* iudicialia lites componentia, *& ceremonias eius*, quas ad diuinum cultum ritè peragendum ego hodie pro statu præsentis reipublicæ *præcipio tibi*; quæ omnia te facere oportet, non in alterius cuiusuis commodum, sed *vt bene sit tibi*, omniumque bonorum copia frui valeas. *En Domini Dei tui cælum est*: non solum istud, quod apparet, sed *& cælum cæli*, quod superius est; imò etiam sunt Domini Dei tui *terra, & omnia, quæ in ea sunt: & tamen* relictis innumeris alijs gentibus terræ habitatoribus, tantummodo *patribus tuis conglutinatus est Dominus* singulari dilectionis compagine, *& amauit eos, elegitque semen eorum post eos, id est, vos de cunctis gentibus*, ad hoc vt speciali ritu, ac ceremonijs eum coleretis, specialemque vobis retributionem exhiberet,
sicut hodie comprobatur & signis manifestis D.
ostenditur. *Circumcidite igitur præputium cordis vestri* auferendo ab animis vestris superflua ac noxia desideria, *& ceruicem*

Digitized by Google

vestram ne induretis amplius, prout hucusque indurastis nolentes subijci, nec humiliari Deo & mandatis illius: cum tamen tantopere vos oporteat Deo subijci, *quia Dominus Deus vester ipse est Deus deorum* vtpote gubernans, ac iudicium exercens in eos, quos insania gentilica Deos existimat *& Dominus dominantium*, potentia ac virtute omnes superans, *Deus magnus & potens* ad benefaciendum, *& terribilis* ad puniendum & terrorem incutiendum, † *qui personam non accipit, nec munera*, ita vt personæ vel muneris consideratione iniuste iudicet. *Facit iudicium pupillo, & viduæ* non secus ac magnatibus & diuitibus, cunctis pariter iustitiam ministrans: & quantum ad opera pietatis & liberalitatis *amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum*, *& vos ergo* ad imitationẽ illius, & quasi filij tanti patris, *amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ in terra AEgypti* & quod tibi fieri vis, alteri te facere oportet. † *Dominum Deum tuum timebis & ei soli seruies* quasi Deo; *ipsi adherebis, iurabisque in nomine illius* quando iurare oportuerit. *Ipse est laus tua*, à quo habes vnde laudari merearis, *& Deus tuus* speciali prouidentia degubernans, vtpote *qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui* tam in AEgypto quam extra AEgyptum in via. † *In septuaginta animabus descenderunt patres tui in AEgyptum*, nam omnes qui ex eis illuc deuenere, non fuerunt nisi Iacob ac duodecim eius filij, & vna filia, quinquaginta & vnũ nepotes, & vna neptis, & quatuor pronepotes; *& ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli*; ob quam causam haud modicum eum timere & amare tenetis.

† Acto. 10. c. 34. 2. Paral. 19. c. 7. Iob. 34. b. 19. Sapient. 6. b. 9. Eccles. 35. c. 15. Roma. 2. b. 11. Gala. 2. b. 6.

† Sup. 6. c. 13. Matt. 4. b. 10. Luc. 4. b. 8.

III.

† Genes. 46. c. 27. Exod. 1. a. 5.

ANNOTATIONES IN CAP. X.

I. *Quo loco & tempore iusserit Deus fieri secũdas tabulas.*

IN tempore illo.] Quamuis hic non exprimatur quo tẽpore, & quo loco iusserit Deus Moysi, vt dolaret secũdas tabulas, ex cõtextu tamẽ capitis trigesimi tertij & trigesimi quarti libri Exodi, aperte colligitur hanc Domini iussionem contigisse, postquam Moyses completa secunda quadragena in monte Sinai, descenderat ad castra, ibique construxerat tabernaculum quoddam ad breue tempus mansurũ. Ad cuius tabernaculi ostium spectante populo cum Domino loquebatur, & ibi mandatum eredi tur accepisse de conficiẽdis secundis tabulis.

II. *Moyses scripsisse secũdas tabulas.*

SCRIPSITQVE.] Quòd Dominus nõ per ministerium angelorum, sed per ministerium Moysi exarauerit literas secundarum tabularum, prout in paraphrasi asseruimus, nõ obscurè colligitur ex capite trigesimoquarto Exodi; vbi de Moyse dicitur: Fuit ergo ibi cũ Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem. Et si inquiras quare in secundis tabulis vsus fuit Dominus ministerio Moysi, & non in primis? Respondeo rationem fuisse, quia primas tabulas non ad instantiam alicuius, sed ex propria benignitate contulit Deus populo: secundas verò ob deprecationem & ex meritis Moysi: ad quod insinuandum, & vt populus gratias etiam ageret Moysi, vsus est Dominus eius industria.

III. *Deus cur dicatur laus hominis.*

IPSE est laus tua.] Ob duplicem causam Deus vocatur laus hominis in sacris literis; vt hic, & in illis verbis: Fortitudo mea & laus mea Dominus, quæ Exod. 15. & Psal. 117. & Isa. 12. repetuntur, & alibi. Prima est eo, quod Deo maximè conueniat esse rationem cantus, seu materiam dignam decantari, & laudari ab hominibus, ob innumeras illius perfectiones. Et hunc sensum accommodauimus præfatis verbis Exodi cap. 15. Altera causa est, quam assignauimus in paraphrasi huius loci, videlicet quia à Deo habet homo, quidquid dignum laude in eo reperitur.

ARGVMENTVM IN CAP. XI.

¶ *In amorem Dei diuinorumque præceptorum obseruantiam inducit Moyses filios Israel, reminisci eos faciens beneficiorum, quæ tam in Ægypto quam in via contulit illis Dominus: simulque prædicit quam plurima eis bona obuentura, si Dei legem custodierint, possessurosque terram multo meliorem, quàm sit terra Ægypti; &*

è con-

& è contrario plurima mala Israelitas inuasura, si legem contemnerent. Quod iterum renunciari præcipit super duos montes terræ Chanaan.

PARAPHRASIS IN CAP. XI.

A. AMA itaque Dominum Deum tuum prout te facere debere satis apertè colligitur ex his, quę hucvsque retuli, *& obserua præcepta eius*, quæ ad mores pertinent, *& ceremonias* Dei cultum concernentia, & *iudicia*, lites ciuium componentia; ac tandem, vt vno verbo concludam, vniuersa Dei iussa *atque mandata*: nec putes satis esse isthæc vno, aut altero tempore obseruare, sed scias *omni tempore* te ea debere adimplere. *Cognoscite hodie* ac recordamini ea, *quæ ignorant filij vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri*: cum enim nondum nati essent minime percipere potuerunt illa, quibus Dominus erudiuit vos, videlicet *magnalia eius* seu miracula *& robustam manum, extentumque brachium*, quo AEgyptios debellauit *signa & opera, quæ fecit in medio AEgypti* immittens acerbas plagas *Pharaoni regi, & vniuersæ terræ eius, omnique exercitui AEgyptiorum, & equis ac curribus*. Cogitate etiam & in memoriam reuocate, quæ fecerit tandem Dominus AEgyptijs *quomodo operuerint eos aquæ maris Rubri, cum vos persequerentur, & deleuerit eos Dominus vsque in præ-*
I. *sentem diem* : seu vsque in finem seculi: *vobisque quæ fecerit in solitudine* per tempus quadraginta annorum *donec veniretis ad hunc locum* : *&* etiam recogitate, quæ
†Nume. 16.a.1. Dominus fecerit † *Dathan atque Abiron filijs Eliab, qui fuit filius*, hoc est ne-
†Nume. 16.c.32. pos seu de tribu *Ruben* : † *quos apertè ore suo* per chasma quoddam seu hiatum terribilem, *terra absorbuit cum domibus* nempe cum vxoribus ac familia *& tabernaculis & vniuersa substantia* auri & argēti ac supellectilium *eorum*, *quam habebant in medio Israel* seu inter Israelitas. *Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quæ fecit*, quia plures vestrum in exitu de AEgypto eratis iam adolescentes, quam uis non maiores viginti annis: ea igitur omnia cogitare vos oportet & memorari *vt custodiatis vniuersa mandata illius, quæ ego hodie* vel tempore isto *præcipio vobis*, B. *& vt custodientes illa possitis introire & possidere terram, ad quam ingredimini, multoque in ea viuatis tempore* : *quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris, & semini eorum*, quod estis vos; terram scilicet quasi *lacte & melle manantem* præ maxima fructuum vbertate ac suauitate. *Terra enim ad quam ingrederis possidendam non est sicut terra AEgypti, à de qua existi*, quæ multum indiget II. industria & labore hominum ad supplendum defectum pluuiæ: neque enim in terra AEgypti fruges colliguntur, nisi dumtaxat *vbi iacto semine in hortorum morem aqua* fluminum per sulcos ligonibus ac sarculis cum magno labore confectos *ducuntur irrigua*. Cæterum terra promissionis non sic se habet, *sed montuosa est & campestris* non indigens irrigatione, cum sibi sufficiat, quod est *de cælo expectans pluuias* defluere solitas super terram illam, vtpote *quam Dominus Deus tuus semper inuisit*, gerens se ad modum heri, qui ob diligentem curam, quam habet de agro frequenter eum visitat, *& oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius* prouidendo in singulis temporibus de pluuia opportuna. † *Si ergo obedieritis mandatis* †Sup. Io c.12.
meis, quæ ego hodie præcipio vobis, vt diligatis Dominum Deum vestrum, & seruiatis in toto corde vestro, & in tota anima vestra, scilicet, pro viribus animæ & corporis; *dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam*, Autumno tempore post iactam sementem, *& serotinam* vere quando seges existit grandior *vt colligatis frumentum & vinum, & oleum*, fœnumque ex *agris ad pascenda iumenta, & vt ipsi comedatis ac saturemini. Cauete ne forte* 3 III. subsequantur inconuenientia, quæ modo subijciam; scilicet ne *decipiatur cor vestrum*, nam errant omnes, qui operantur malum, *& recedatis à Domino* debitum ei amorem denegantes, *seruiatisque dijs alienis, & adoretis eos* latriæ cultum illis impendendo: *iratusque Dominus* non lo-

quor assertiue, sed fortè eueniat quòd *claudat cœlum & faciat* vt ad instar vasorum, quæ quandiu clausa sunt liquorem suũ non reddunt, ita pariter de cœlo *pluuiæ non descendant*, & ex consequenti *nec terra det germen suum*, quia non est terra ista sicut terra AEgypti, vbi defectus pluuiæ potest irrigatione suppleri, *pereatisque velociter* fame, absque mora, quæ in bellis, si hostili gladio perire deberetis, interuenire solet, C. & excidatis *de terra optima, quam Dominus daturus est vobis.* † *Ponite hæc verba mea in cordibus* (Sup. 6. b 6.) per voluntatis affectum eis adhærentes, *& in animis vestris* continuam ipsorum memoriam intellectu retinentes, *& suspendite ea pro signo in manibus* memores existentes eorum in omnibus operibus vestris, *& inter oculos vestros collocate* non erubescentes de eo, quod verbis istis vobis præcipitur, imò adimpletionem eorum summam gloriam existimantes. *Docete filios vestros* simulque fatigate, *vt illa meditentur*, & inter seipsos de illis loquantur, *quando sederis in domo tua, & ambulaueris in via & accubueris* in lecto dispositus ad dormiendum, *atque surrexeris* à somno in principio vigiliarum. *Scribes ea super postes & ianuas domus tuæ*, hoc est, præcaue ne quippiã contrarium verbis istis ingrediatur in habitaculum tuum, *vt multiplicentur dies tui & filiorum tuorum* tandiuque habitare possitis *in terra, quam iurauit Dominus patribus tuis, vt daret eis, quamdiu*, vt hyperbolice loquar *cœlum imminet terræ*, seu quandiu cœlum mouetur super terram. *Si enim custodieritis mandata, quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus vijs eius, adhærentes ei*, taliter adimplebuntur promissa patribus vestris, quòd nõ solum *disperdet Dominus omnes gentes istas* nempe Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, & Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum conterens eos *ante faciem vestram* per crabrones, qui fugabunt illos: sed *& possidebitis eas, quæ maiores & fortiores vobis sunt*, ita vt quiete & pacificè habitare possitis terram suam vsque in perpetuum. † (Iosu. 1. a. 3.) *Omnis locus* istarum septem gentium, *quem calcauerit pes vester* & ad quem vos intrare contigerit, *vester erit. A deserto* Sin vel Pharan quod se tenet à parte meridionali, *& à Libano* monte insigni terminante plagam septentrionalem, *à flumine magno Euphrate*, quod se tenet versus orientem *vsque ad mare occidentale* vocatum mediterraneum *erunt termini vestri*; quos tamen nõ occupabitis statim, sed postea tempore regum. *Nullus stabit contra vos*, neque stare audebit *terrorem vestrum* non quemcumque sed *& formidinem*, qui hominem stupidum, vel immobilem reddit *dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus* D. *est vobis*, quando primo per Moysen dedit populo nonnulla legis præcepta in monte Sinai. *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem* seu fœlicitatem & infœlicitatẽ; *benedictionem* quidem denuncio vobis à Deo euenturam *si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem* vero denuncio fortè subsecuturam, *si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via* studioque ac norma viuendi, *quam ego nunc ostendo* & quasi legislator præcipio *vobis, & ambulaueritis post Deos alienos, quos ignoratis* nunc esse Deos quando solum verum Deum agnoscitis tanquam Deum. *Cum verò introduxerit te Dñs Deus tuus in terram* Chanaan existentem ex alia parte Iordanis *ad quam pergis habitandam, pones* seu propones toti populo *benedictionem super montem Garizim*, vbi audientibus sex tribus & respondentibus, Amen, sacerdotes ac Leuitæ denunciabunt fœlicitatem futuram custodientibus legem Dei: & simili modo propones *maledictionem super montem Hebal*: ibi enim consistentibus alijs sex tribus, & respondentibus, Amen per sacerdotes & Leuitas intimabitur infelicitas & miseria, quam contrahent transgressores legis. Et hos quidem montes ea ratione selegi ad istam benedictionum & maledictionum promulgationem, quia sunt sibi inuicem propinqui, ita vt in medio eorum consistere posit tota multitudo, & quia cõsistunt statim in introitu terræ Chanaan, vtpote *qui sunt transIordanem post viam, quæ vergit ad solis occubitum in terra Chananæi*, seu cuiusdam populi Chananæorum, *qui habitat in campestribus contra Galgalam*, quæ est sita ad plagam orientalẽ Iericho *iuxta vallem tendentem procul & intrantem* ad magnãpartẽ Terræ promissionis, nẽpè ad Hebron, Sichem & Mambre. *Vos enim transibitis Iordanem,*

vt

vt possideatis terrã, quã Dominus Deus vester daturus est vobis, vt habeatis & possideatis illã multo tẽpore, nisi peccata vestra impediant. *Videte ergo vt impleatis ceremonias, atq; iudicia, quæ ego hodie ponã in conspectu vestro* per nouã illorũ ꝓmulgationẽ.

ANNOTATIONES IN CAP. XI.

I. VSQVE in præsentẽ diem.] Quod phrasi ista soleat scriptura significare perpetuitatem quandam, hoc est, vsque ad lõgum tempus, ex alijs scripturæ testimonijs latẽ ostẽdimus Genes. cap. 19. annot. 6. & sup. cap. 3. annotat. 4.

II. *Pluuiæ indigentia confert ad timorem Dei.* NON est sicut terra AEgypti.] Quamuis sensus appositus in paraphrasi sit alijs probabilior, vtpote conformior alijs sacræ scripturæ locis, in quibus commendatur terra promissionis à disparitate inter ipsam & terrã AEgypti; nihilominus non caret sua probabilitate sensus præsentis loci traditus ab Abulẽsi, qui vult ab illis verbis, Terra enim, rationẽ reddi quare magis oporteret Israelitis Deum habere propicium ad fruendum vbertate & suauitate terræ promissionis, quàm ad fruendum fructibus terræ Agypti, & hac via Moysem inducere filios Israel ad seruandum mandata Dei in terra Chanaan cum maiori conatu, quàm si permãsissent in AEgypto. Ratio igitur discriminis est, quia cura segetum & fructuũ terræ AEgypti videtur commissa humanæ industriæ vtenti irrigatione & deriuatione fluminum, qua sola existẽte huberes fructus percipiuntur, etiam si non pluat; & terra Agypti, cum plana sit, facili negotio ad libitum hominis irrigari potest. Cæterum terra Chanaan, cum montuosa sit, & campestris, irrigari nequit; quia aquæ fluuiales non possunt irrigare prædia sita in collibus, nec potest trãsire aqua ex vno loco campestri ad aliũ, obsistentibus collibus. Vnde indiget specialiter visitari & prouideri à Deo, per emissionem conuenientis pluuiæ: ac proinde oportere Israelitas, si in terra Chanaan habitare vellent, Deum habere placatum ac beneuolum seruando illius mandata, vt pluuiam opportunam minimè eis denegaret. Cui quidem sensui non modicum fauet subiũcta conclusio: Si ergo obedieritis mandatis meis, & cætera.

CAVETE ne fortè.] Duplici ex causa subiũxit hic Moyses particulam, Ne forte. Altera fuit ad ostendendam libertatem arbitrij Israelitarũ, ad hoc vt deciperentur, vel non deciperẽtur in cultura idolorum: quem sensum retinere particulam istam in sacris literis ostendimus late Gen. c. 3. anno. 12. Altera causa fuit, quam assignat eleganter Caietanus dicẽs, quòd quamuis assertiue & absolutè promittatur pluuia colentibus Deum, non tamen assertiue, sed quasi sub dubio debuit hoc in loco prædici priuatio pluuiæ, si non coluerint Deum: vt intelligamus Deum esse pronum magis ad benefaciendum bonis, quam ad puniendos malos. III. *Ne forte cur aliquando ponatur.*

ARGVMENTVM IN CAP. XII.

¶ Post mandatum subuertendi omnia loca dicata sacrificijs idolorum, præcepit Moyses Israelitis ne ipsi instar gentilium in quouis loco sibi placito sacrificent Domino, sed quod ad id muneris tendant ad vnum determinatum locum in terra promißionis à Domino eligendum. Vbi holocausta, victimas, decimas & primitias, vota atque donaria & primogenita offerant. Permittit tamen extra locum illum animalia occidere ad vescendum prolibito, dum tamen eorum sanguis penitus effundatur, ne quippiam illius comedatur: prohibetque ritus gentium imitari in cultu veri Dei.

PARAPHRASIS IN CAP. XII.

A. HAEC *sunt præcepta* ceremonialia *atque iudicia* lites populi componentia, *quæ facere debetis in Terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi vt possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris,* illam namque quandiu vixeris in possessionem habebis nisi tanto beneficio peccata tua obsistant. *Subuertite omnia loca,*

Digitized by Google

in quibus coluerunt gentes, quas, quantum ad diuitias, & bona illarum *possessuri estis*, coluerunt, inquam, vel colunt *deos suos*, siue loca illa sint constructa & fabricata *super montes excelsos & colles*, siue in partibus occultis, *& subter omne lignum frondosum*, qualia sunt fana in cultum Priapi edificata. † *Dissipate aras eorum* seu mensas, in quibus sacrificia collocantur, *& confringite statuas* repræsentantes deos gentiliũ, *lucos igne comburite*, qui sunt loca nemorosa in cultum deorum instituta; *& idola comminuite*, 1 quos insana gentilitas tanquam deos colit & veneratur: *disperdite nomina eorum de locis illis*, conantes vt fama eiusmodi abominationum omnino intereat. *Non facietis ita Domino Deo vestro* sacrificantes ei quouis loco, prout gentes sacrificant dijs suis: *sed ad locum* vnum, illum, scilicet, *quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris*, non ad hoc vt fide, spe, & charitate colatur, sic enim vtique colendus est Deus, sed *vt ponat nomen suum ibi* faciens quòd propter speciales ceremonias externas, specialiter eo in loco homines memores sint majestatis diuinæ; ad hoc quod vt *& habitet in eo* specialibus signis se præsentem exhibendo. Hæc igitur quæsituri non oportet vos ad plura loca accedere ne cum procliues sitis ad idololatriam, si videatis Deũ in multis locis coli, putetis esse multos deos, sed ad vnum tantum vt prædixi locum *venietis*: *& offeretis in loco illo* 2 & non in alio, nisi forte cum aliquo vestrum diuinitus dispensetur, *holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum*, ex earum videlicet labore prouenientes, *& vota atque donaria, primogenita boum & ouium*, quæ in lege offerri præcipiuntur vel permittuntur. *Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri* hostias pacificas, quas coram altari sacrificiorum & non alibi edere oportet: *ac lætabimini* seu prosperabimini *in cunctis ad quæ miseritis manum* & quæ operati fueritis *vos & domus vestra* nempe vxores & filij. Prosperabimini, inquam, in cunctis rebus, *in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester* benefaciens vobis & crescere faciẽs in rerum abundantia. *Non facietis ibi* in terra promissionis ea, *quæ nos hic facimus hodie* omittentes quam plurimas ceremonias & ritus in lege præscriptos & facietis *singuli quod sibi rectum videtur*, sequentes dictamen rectæ rationis, non multum curantes de præceptis legis positiuæ. *Neque enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis*, vbi locus sacrificiorum designari, & populus præcepta tam ceremonialia, quam iudicialia exercere commode poterit. *Transibitis Iordanem & habitabitis in terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis*, nullatenus id impedire valentibus hostibus vestris: Nam terra illa elegit Dominus, *vt requiescatis à cunctis hostibus per circuitum: & absque vllo timore habitetis*, saltim pro tempore, quo vos oportet esse præsentes *in loco, quem elegerit Dominus Deus vester, vt sit nomen eius in eo*: ibi namque diuini nominis inuocatio & cultus interueniet. *Illuc omnia, quæ præcipio, conferetis* si ea offerre placuerit, videlicet *holocausta & hostias* tam pro peccato, quàm pacificas, *ac decimas, & primitias manuum vestrarum*, carũ scilicet rerum, quas manibus vestris operati fueritis: *& quidquid præcipuum est in muneribus*, seu electum optimum in his, *quæ vouebitis Domino. Ibi epulabimini* comedentes de carnibus sacrificiorum *coram Domino Deo vestro*, qui specialiter se præsentem exhibebit in loco sacrificijs destinando, *vos & filij, ac filiæ vestræ, famuli & famulæ* quando hos vobiscum accedere contigerit ad locũ Sanctuarij ex deuotione, quia quia solùm patresfamilias tenebuntur ex præcepto ter in anno venire in locum, quẽ elegerit Dominus: nihilominus cæteri quoque si accedant epulabũtur, *atque Leuites, qui in vrbibus vestris* quadraginta & octo, quas vos ei cõtulistis, ex his, quæ ad sortes vestras pertinebant, *commoratur; neque enim habet* progenies seu domus Leui *aliã partem & possessionem inter vos*, nisi vrbes vestras, quas ad inhabitandum illis dedistis. *Caue ne offeras* 3 *holocausta tua* vel aliud quoduis sacrificij genus *in omni loco, quem videris* placere oculis tuis, & conueniens existimaueris ad sacrificandum: *sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi*, vt facias deferens ad locum huiusmodi quæ iussi deferre. *Sin autem comedere volueris, & te esus carnium delectauerit*, non necesse habes in locum sacrificijs destinatum, sed omissis sacrificiorũ ritibus *occide & comede* animal, quod habere potueris *iuxta benedictionem Domini*

Dei

Marginalia: † Sup. 7 d. 25. 2. Mach. 12. g. 40 — I. — II. — B. — III.

Dei tui habita ratione diuitiarum, & possibilitatis, *quam dedit tibi in vrbibus tuis*: neque enim tam caras carnes pauperi fas est comedere, sicut diuiti: Animal autem, quod hac ratione edere permitto *siue immundum fuerit* (*hoc est*, *maculatum & debile*: *siue mundum, hoc est*, *integrum & sine macula*, *quod offerri licet*; vtrumque namque animalium genus, tam sacrificijs apta, quàm quod sacrificare non licet, *sicut capream & ceruum comedes*, *absque esu dumtaxat sanguinis*, *quem super terram quasi aquam effundes*, ac totaliter disperges, propter causas, quas Leuitici capite decimo septimo expressi: *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam*

C. IIII. *frumenti & vini*, *& olei tui*, quæ extrahi debet à fructibus, qui tibi supersunt extractis decimis dandis in sustentationem Leuitarum; neque etiam extra locum destinandum comedes *primogenita armentorum & pecorum & omnia*, *quæ voueris*, *& sponte offerre volueris* in sacrificium *& primitias*, quas separare oportet ex fructibus terræ acquisitis sudore tuo, ac labore *manuum tuarum*: *sed coram Domino Deo tuo comedes ea*, quæ modo recensui *in loco*, *quem elegerit Dominus Deus tuus*, *tu & filius tuus & filia tua*, *& seruus & famula atque Leuites*, qui eo quod propria sorte caret, *manet in vrbibus tuis*, quas ad inhabitandum ei contulisti, *& lætaberis* si hoc quod tibi iniungo seruare volueris. *& reficieris* seu prosperaberis *coram Domino Deo tuo in cunctis*, *ad quæ extenderis manum tuam* nam omnia quæcumque facies prosperabuntur. *Caue ne derelinquas*, seu deseras conuocare ad conuiuia tua in Sanctuario fienda *Leuitem in omni tempore*, *quo versaris in terra*. † *Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos*, † *sicut locutus est tibi*, & propter hanc dilationem necesse habeas habitare procul à Sanctuario, *& volueris vesci carnibus*, *quas desiderat anima tua* vel appetitus animalis: *Locus autem*, *quem elegerit Dominus Deus tuus*, *vt sit nomen eius ibi*, *si procul fuerit* ita propter illius distantiam nequeas deducere animal comedendum ad sacerdotes vt ab eis occidatur & sanguis & adipes super altare holocaustorum effundatur: in eo casu *occides de armentis & pecoribus*, *quæ habueris sicut præcepi tibi* in hoc eodem capite, *& comedes in oppidis tuis*, *vt tibi placet*. *Sicut comeditur caprea &*

†Genes. 28. c. 14
†Inf. 19 b. 8.
Exod. 34 c. 24.

ceruus, cuius sanguis non effunditur super altare, *ita vesceris eis* animalibus, quæ munda sunt ad sacrificium, etiam si non sacrificentur: *& mundus & immundus* homo, qui sit aptus vel ineptus ad offerendum sacrificium, & ad intrandum in atriũ indistincte, & *in commune vescentur*. *Hoc solum caue*, *ne sanguinem comedas sanguis enim eorum pro anima est*, eoque principaliter alitur & conseruatur vita animalis: *& idcircò non debes animam comedere cum carnibus*: hoc est carnes viuas, qualiter comedere videretur, qui sanguinem, in quo principaliter consistit vita animalis, ederet: esus namque rei viuæ inhumanus est & ferinus, & quem omnes perhorrescere debent: quapropter sanguinem nullatenus comedas, *sed super terram fundes quasi aquam*; ita vt ne gutta illius remaneat: *vt bene sit tibi & filijs tuis post te*, *cum feceris quod placet in conspectu Domini*. *Quæ autem sanctificaueris*, ac diuino cultui applicari volueris, *& voueris Domino*, *tolles*, *&* D.

venies ad locum, *quem elegerit Dominus*: *& offeres oblationes tuas* videlicet, eam *carnem*, quæ in Dei cultum incendenda est *& sanguinem super altare Domini Dei tui*: *sanguinem hostiarum* totum omnino *fundes in altari*: *carnibus autem ipse vesceris*: neque enim necesse est omnes illas incendere, sed potest interdum offerens aliquam earum partem sibi reseruare ad vescendum, prout facere tenentur offerentes hostias pacificas. *Obserua*, *& audi omnia*, *quæ ego præcipio tibi*, *vt bene sit tibi*, *& filijs tuis post te in sempiternum*, *cum feceris quod bonum est*, *& placitum in conspectu Domini Dei tui*. † *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes*, *ad quas ingredieris possidendas*, *& possederis eas* non quantum ad personas ac bona sua, *atque habitaueris in terra earum*: *caue ne imiteris eas*, *postquam te fuerint introeunte subuersæ*, *&* ad imitandum illas caue ne *requiras ceremonias earum dicens*: *Sicut coluerunt gentes istæ deos suos*, *ita & ego colam* Dominum Deum eosdem ritus ac normam colendi seruans. *Non facies similiter Domino Deo tuo* prout ipsi gentiles faciunt dijs suis, dum eos colere, ac venerari student. *Omnes enim abominationes quas auersatur*, odioque habet *Dominus fecerunt dijs suis*, non solum obscænis ritibus vtentes, verum-

†Inf. 19 a. 1.

Digitized by Google

etiam *offerentes filios & filias* idolo Moloch, *& comburentes igni* in gratiam ipsius idoli. *Quod præcipio tibi* quantum ad modum colendi Deum *hoc tantum fac* *ito Domino*: *nec addas quidquam, nec minuas* putans aliquid diminutum vel superfluum secundùm conditionem præsentis status in ceremonijs legis reperi.

ANNOTATIONES IN CAP. XII.

I. *Sculptilium duo erant genera.* ET idola comminuite.] Duo genera sculptilium, seu imaginum venerabantur gentiles. Alterum erat, cui non attribuebant aliquid diuinitatis, sed dumtaxat colebant, quia statua illa vel imago erat repræsentatiua eius rei, cui latriæ cultum impendere intendebant: vt quando Dan. 3. præcipitur populis adorare statuam Nabuchodonosoris. Quod enim in ea adoratione non intenderent gentes, quòd statua illa esset Deus, sed quod esset Deus Nabuchodonosor in statua repræsentatus, constat ex verbis magnatum Holofernis, qui Iudith cap. 5. dixerunt: Vt sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est. Aliud genus sculptilium adorabant gentiles, cui fatebantur inesse aliquid diuinitatis: prout credibile est contigisse Philisthinis erga statuam Dagon, vt patet 1. Reg. 5. Vt ergo ostenderet Moyses omne genus sculptilium destruendum fore, vltra id, quod præmiserat dicens: Confringite statuas: subiungit modo; Et idola comminuite; per statuas primũ genus sculptilium, per idola secundum intelligens. Hac eadem phrasi vsus est Moyses superius capite septimo, quando dixit: Confringite statuas, & sculptilia comburite: nam quod hic vocauit idola, ibi appellauit sculptilia: vtroque nomine secundum genus sculptilium designans, sicut & per nomen statuæ primum genus significauit vtrobique.

II. OFFERETIS in loco illo.] Quod sacrificantes alibi quàm in vno determinato loco diuinitus designato, id fecerint vel culpabiliter, vel ex Dei instituto speciali, ostendimus superius Leuiti. 17. Annot. 3.

III. *Vnus tãtum erat locus sacrificijs veteribus destinatus.* CAVE ne offeras.] Duæ sunt causæ, ob quas tam enixè præcipit Moyses Israelitis ne indistinctè in quouis loco offerant sacrificia, sed duntaxat in vno, quem Deus elegisset. Altera est, ne Israelitæ qui ex qualibet occasione, quantumuis minima, ad idololatrandum inducebantur, videntes in vno atq; altero loco sacrificia offerri, crederent plures esse Deos: apud gentiles enim diuersitas locorum sacrificiorũ, diuersitatem deorũ, quibus sacrificabatur, prætẽdebat. Altera causa fuit, ne daretur locus dissentionibus & discordijs: si enim liceret in pluribus locis sacrificare, statim oriretur dissidiũ inter Iudæos, quisnã ex omnibus illis locis aptior esset ad sacrificandũ; non secus atq; tẽpore Christi Dñi propter hanc causam Iudæi nõ coutebantur Samaritanis, vt dicitur Ioan. 4.

IIII. *Quæ Decimæ prohibebantur edi extra locum Sanctuarij.* DECIMAM.] Aliqui existimant per hãc decimam frumenti & vini & olei debere intelligi omnẽ decimationẽ, etiã quæ fieri præcipitur ad sustentationem Leuitarum Num. ca. 18. Et si obijcias, quod postmodũ subiungitur, quando dicitur: Sed corã Domino Deo tuo comedes ea. Quod intelligi nequit de decimis dãdis filijs Leui, hæc enim nec comedebãtur in Sanctuario, sed vbicumq; habitabant Leuitæ; neq; etiam edebant ex eis offerentes, sed totaliter proueniebant in vsus & sustentationem Leuitarũ: Ad hoc respondet Caietanus, quòd pronomen ea, dicendo & comedes ea, ad votiua & spõtanea refertur sacrificia, & nõ ad primogenita debita sacerdotibus, nec ad decimas debitas Leuitis. Nihilominus probabilius dicitur illa dũtaxat ꝓhiberi edi in oppidis Israelitarũ, quæ comedere tenebãtur Israelitæ in Sãctuario; & cũ decimæ datæ Leuitis nõ sic se haberent, quãdoquidẽ dabãtur ad sustentationẽ eorũ & suarũ familiarũ, cõsequẽs est, quòd nõ pertinẽt ad decimas frumẽti, vini & olei hic ꝓhibitas. Dicendũ est igitur hoc in loco illas decimas dũtaxat ꝓhiberi edi indistinctè in oppidis Hebræorũ, quæ debebant deferri in Sanctuarium. Hæc autem erant, quæ in singulis annis separabantur ad arbitrium offerentium, de fructibus residuis extracta decima danda Leuitis, & asseruabantur ad hoc, vt ascendentes Israelitæ ter in anno ad Sanctuarium; in eo epularentur: vt dicitur inferius capite quatuordecimo. Vbi plura de his decimis dicemus.

ARGVMENTVM IN CAP. XIII.

¶ Tam verus Propheta quàm falsus si ad idololatriam incitent quemquam, interfici præcipiuntur, ne ex illorum conuersatione ingẽs malum immineat populo. Simili pœna afficiendi veniunt quicunq; quantumuis consanguinei vel affines exceptis parẽtibus, qui ad cultum idolorũt audent persuadere proximum. Imò & ciuitas, quæ consentiẽs seductoribus dijs immolat, tradi debet flammis cum omnibus *supel-*

supellectilibus in ea inuentis, neque audebit quisquam ex eis quippiam assumere.

PARAPHRASIS IN CAP. XIII.

A. I. † 15. d. 5. c. nec mirũ circa fin. & in ca. illud ante finem.

SI *surrexerit* † *in medio tui*, seu inter vos *prophetes* 1 verus diuino lumine illustratus, *aut qui somnium* mendaciter fingens aliquid futurum *vidisse se dicat*, & prauè vt eas dono etiam diuinitus accepto, *prædixerit signum atque portentum* alicuius rei hominibus communiter occultæ, *& euenerit quod locutus est*, ob quam causam videbatur deberi ei dari fides, nihilominus si aliquid subiunxerit contrarium legi Dei, *& dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos* nempe Deos gentilium, *quos ignoras* esse Deos, imò scis ex lège illos non esse deos. *& seruiamus eis*, eorumque cultores efficiamur: *non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris*, sed sit tibi anathema; *quia*
II. *tentat vos* 2 *Dominus Deus vester* gerens se ad modum eius, qui experimentum capere vult de aliqua re dubia vel occulta, *vt palam fiat*, ac scire faciat non sibi; qui nihil ignorat sed vobis ipsis & alijs *vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima vestra*, an scilicet etiam prouocati ab huiusmodi prophetis nullam mentis vestræ seu affectus partem ingredi valeat amor Dei alterius. *Dominum Deũ vestrum sequimini* per initium boni operis, *& ipsum timete* per boni incepti continuationem, *& mandata illius custodite*, vsque ad perseuerantiæ coronam: *& audite vocem eius* docentis vos per lumen fidei: *ipsi seruietis* cum spe retributionis;
B. *& ipsi adhærebitis* in vinculo charitatis. *Propheta autem ille* etiam si verus propheta sit, *aut fictor somniorum*, qui somnia mendacia protulerat *interficietur* præcedente sententia iudicis ipsum ad mortem condemnante: *quia locutus est vt vos auerteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra AEgypti, & redemit vos de domo seruitutis: vt errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: &* sic eum interficiens *auferes malum de medio tui*, † ne diutius pessimus iste mali autor diutius viuat inter vos. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus* etiam si sit vterinus *filius matris tuæ, aut filius tuus, vel*

† 23. q. 5. fin. c. legitur.

filia, 3 *siue uxor, quæ* dormiens inter brachia tua, *quasi est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam*, non loquor de parentibus, quibus post Deum summa reuerentia debetur, ac proinde denunciandi non veniunt à filijs, etiam si ad idololatriam persuadeant: quilibet autẽ ex cæteris qui id faciat tã publicè quã etiam *clam dicens: Eamus & seruiamus dijs alienis, quos ignoras tu, & patres tui* deos scilicet, qui coluntur ab aliqua *cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta vel procul sunt ab initio vsque ad finem terræ*. Si talis vnquam suasor adsit, *non acquiescas ei, nec audias* quia vox illius vt cancer serpit, *neque pareat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum* nolens eum accusare, *sed statim interficies* diligẽtiam adhibens, ad hoc vt à iudicibus ad mortem condemnetur. † *Si primũ manus tua super eum* 4 primos lapides inijciendo, *& postea omnis populus mittat manum* illum percutiendo. *Lapidibus obrutus necabitur* acerbissimam mortẽ patiens: *quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxi te de terra AEgypti de domo seruitutis*, & facere tibi grauissimum malum: Vnde optima ratione grauissima pœna multari: *vt omnis Israel audiens* pœnã tali suasori inflictam, *timeat, & nequaquã vltra faciat quippiam huius rei simile*. † *Si audieris in vna* seu in aliqua *vrbium tuarũ, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandũ* in terra promissionis, *dicentes aliquos. Egressi sunt filij Belial*, & qui iugũ Domini abs se abiecerũt, *de medio tui* seu ex vobis ipsis, *& auerterũt habitatores vrbis suæ, atq; dixerunt: Eamus & seruiamus dijs alienis, quos* quãuis huiusmodi deceptores dicant esse famosos & magni nominis, vos tamen illos *ignoratis*: noli dissimulare neq; etiam præcipitare iudicium, sed *quære solicitè & diligenter*, & facta sufficienti inquisitione *rei veritate perfecta, si inueneris certum esse quod dicitur*, ac viros apostatas seduxisse ciuitatem illam, *& abominationem hanc opere perpetratã* per exercitiũ idololatriæ, *statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij* nemini parcendo, sed ad vniuersalem interitum perducendo ciues vrbis hu-

III.

† Inf. 17. b. 7.

IIII.

C.

† 23. q. 5. c. si audieris.

bis huius, *& delebis eam ac omnia, quæ in illa sunt vsque ad pecora* in detestationem tanti criminis. *Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo*, & in honorem illius, prout honorare solet offensus quando de eo, qu eum offendit vindicta sumitur: *& sit tumulus sempiternus* seu aceruus lapidum in loco illo in memoriā pœnæ ibidem illatæ, & ciuitas illa *non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate*, ac de rebus prædictæ destructioni destinatis *quidquam in manu tua, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui*: nam propter pœnam inflictam apostatis illius vrbis, non permittet Deus vt diffundatur in populo malum idololatriæ desinens ab ira, quam cœperat habere permittendo eiusmodi malum in vrbe illa: quo fit vt *& misereatur tui* nolendo vos inducere in odololatriæ tentationem, *multiplicetque te* per incrementum filiorum ac diuitiarum, *sicut iurauit patribus tuis*, quod te multiplicaret, *quando audieris* cum debita obedientia *vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta eius, quæ ego præcipio tibi hodie* seu tempore isto; non ad eum dumtaxat finem, vt huiusmodi præceptorum notitiam habeas, sed etiam *vt facias, quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.*

ANNOTATIONES IN CAP. XIII.

I. *Propheta vocantur interdum qui sunt falsi vel mali.*

PROPHETES.] Nemini dubium est in sacris literis pseudoprophetas vocari interdum nomine verorum prophetarū, vt adnotauit D. Hieronym. super Ezech. cap. 13. & super Ierem. cap. 23. & super Oseam cap. 4. vnde Ierem. ca. 28. Hananias sæpius vocatur propheta cum tamen esset falsus propheta, vt illic ostenditur. Et Thren. 2. Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta. Et alibi sæpe. Iuxta hunc igitur modum dicunt aliqui, intelligendum esse locum istum; ita vt nomine Prophetes, falsus propheta significetur. Sed verius dicit Caietanus hic, nō de falso propheta, sed prauo, sermonē esse. Ego tamen existimo de vtroque locutum fuisse Moysen: potest enim contingere, vt verus propheta inflatus dono prophetiæ deuiet à lege Dei, & dono diuinitus accepto abutatur, iuxta illud Diui Gregorij in Prooemio 27. lib. Moralium: Non est mirum si viri arrogantes implentur spiritu prophetico, cum Saul etiam in numero prophetarum fuerit. Vtrumq; igitur prophetā tam verum, quā falsum voluit comprehendere lex ista, significans verum prophetam nomine prophetes, vel prophetæ; falsum autē nomine illius, qui se vidisse somnium dicit, aut fictoris somniorum. Huic enim potest accidere, vt etiam aliquando eueniat id, quod ipse prædixit, ex pluribus causis, quas exprimunt scholastici Doctores in 2. distinct. 38. & in secundo distinct. 7. & D. Thom. 1. par. quæst. 86. art. 4.

II. *Tentare dupliciter contingit.*

QVIA tentat vos.] Iuxta doctrinā D. Augustini tract. 43. in Ioannem, & lib. 3. de consensu Euangelistarum, duæ sunt tentationes. Vna, quæ decipit, altera, quæ probat. Secundùm eam, quæ decepit, Deus neminem tentat, & intentator malorum est, vt dicitur Iacobi. 1. secundum eam, quæ probat, tentauit Deus Abraham Genes. 22. & hic dicitur: Quia tentat vos Dominus Deus vester. Quæ quidē probatio non illuc tendit, vt experimentū capiat Deus alicuius rei sibi ignotæ, sed vt alijs aliquid faciat notū: nam verba sacræ scripturæ, vt adnotauit D. Gregorius lib. 9. moralium. c. 29. sæpe exponuntur per facio facis: vt Iob. 9. abominabuntur me vestimenta mea, id est, abominabilem me facient.

III. *Ex vi legis veteris filius non tenebatur accusare patrē idololatrā.*

FILIVS tuus vel Filia.] Caietan. existimat quòd quia maior est amor ad filiū quā ad patrē, sub hac lege nō miserēdi filij, claudatur lex non miserendi patris. Cæterū magis placet sententia Abulensis asserentis, quòd licet pater vel mater filiū vel filiā ad idololatriam incitarent, nō poterant nec debebāt ex vi huius legis filij accusare patres de hoc, vel matres, neque ad eiusmodi accusationē lex obligabat. Quia accusatio ista ad id ordinabatur, vt suasor idololatriæ interficeretur, & nō vtcūq; interficeretur, sed taliter quòd accusans primū autorē interfectionis se exhiberet, approbādo illā & apponēdo manū suā super reū, vt inferiꝰ dicetur in hoc eod. cap. & etiā cap. 17. ibi. Manus testiū prima interficiet eū, & manus reliqui populi extrema mittetur: sed omnino ferinū est, vt filius sit autor interfectionis parentis, ac multo detestabilius, quā quod pater percutiat filiū, ergo quamuis in aliquo casu, & propter maximū bonū cōmune, vt cōtingit in casu huius legis præcipiatur, vt pater percutiat filiū, nō inde sequitur, filiū in simili casu debere percutere parentem. Id enim esset argumētari à minori ad maius affirmatiue. Et ob hāc eandē causam existimo Exo. 32. vbi iussit Deus filijs Leui, vt occideret vnusquisq; fratrē, & amicū & proximū suū idololatras, nullatenus eiusmodi præceptū extensum fuisse ad occisionē parētū. Vnde quāuis postea in actione gratiarū pro executione huius mādati dixerit Moyses: Cōsecrastis manus vestras hodie Dño, vnusquisq; in filio, & in fratre suo; noluit exprimere quidpiā de parentibus, insinuās non licuisse, etiā in illo casu, patrē vel matrem interficere. Neq; obstat fundamētū Caiet. quod enim nō ꝑmittatur filij accusare parētes de idololatria non fūdatur in amore; quē filij habent ad

ad parentes, sed in reuerentia & honoratione, quam filij exhibere tenentur parentibus, cui maximè opponitur conari, vel diligentiam adhibere ad eos interficiendum. Vnde quamuis maior sit dilectio parentum erga filios, quàm filiorum erga parentes, nihilominus non prohibetur in lege sub pœna mortis, vt patres percutiant, vel maledicant filios; sicut è contra filij prohibentur, iuxta illud Exodi 21. Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.

IIII. *Mittere seu ponere manũ super aliquem est percutere.*

MANVS tuas super eum.] Quamuis dici posset longè diuersa significare, quòd manus testis sit super seductorem, & quòd omnis populus mittat manum in eum: ita vt primum designet, quòd testis, quasi precipuus autor interfectionis, approbet illam iuxta sensum similium verborũ, quem explicuerimus sacræ scripturæ locis ostendimus. Leuit. cap. 1. annot. 5. Quod autem posteà subiungitur: Omnis populus mittat manum, indicet percussionem; prout de extensione manuum ostendimus Genes. 22. annotat. 3. Cæterum quia inferius cap. decimoseptimo. Vbi de lapidatione quorundam idololatrarum agitur, hæc eadem sententia clarioribus verbis videtur repeti; dum dicitur: Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur: existimo vtrobique de ipsa actione lapidationis, & non de sola approbatione sermonem fieri.

ARGVMENTVM IN CAP. XIIII.

¶ Post prohibitam quorundam rituum idololatrarum imitationem, interdicit populo Moyses animalium immundorum esum & contactum desiniens, quæ nam animalia sint immũda, & quæ munda tam in quadrupedibus, quam in piscibus, ac etiam in aquatilibus. Et tandem comendat Israelitis separationem vnius cuiusdam portionis suorum fructuum in honorem Dei, & etiam alterius portionis ad communicandum indigentibus.

PARAPHRASIS IN CAP. XIIII.

A. FILII *estote Domini Dei vestri*, ac ad imitationem illius munditiam omnino colite, cunctamque idololatrarum barbariem & spurcitiam fugite: *non vos incidetis* cultris vel lanceolis, prout gentes faciunt, vt dijs suis placeant, *nec facietis caluitium* radentes pilos partis anterioris capitis *super mortuo*, seu occasione lugendi aliquem mortuum:
†Sup. 7. a. 6. Inf. 26. d. 18. † *Quoniã populus sanctus es*, & applicatus ad seruiendum *Domino Deo tuo: & te elegit, vt sis ei in populum peculiarem*, & speciali munditia diuino cultui dicatum, præ omnibus alijs populis, qui sunt *de cunctis gentibus, quæ sunt super terram.*
† Leuit. 11. a. 4. † *Ne comedatis, quæ immunda sunt*, quò ex abstinentia rerum corporalium immundarum ad munditiam animi inducamini. *Hoc est animal*, seu quoduis ex his animalibus est, *quod comedere debetis, Bouem, & Ouem, & Capram, ceruum, & capream, bubalum*, hoc est, bouem syluestrem, *tragelaphum*, idest, hircoceruum, seu hircum syluestrem, *pygargum, orygem, camelopardalum. Omne animal, quod in duas partes findit vngulam, & ruminat, comedetis*, quæ enim has simul duas conditiones habent salubris sunt naturæ, & complexionis. *De his autem, quæ ruminant, & vngulam non findunt, comedere non debetis, vt camelum, leporem, chœrogryllum*, seu cuniculum: *hæc quia ruminant & non diuidunt vngulam, immunda erunt vobis*; eo enim ipso quòd vngulam non diuidunt, ostendunt esse complexionis maximè siccæ, ac proinde vobis nociferæ. B. *Sus quoque quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immunda erit*, cuius substantia ex rebus interdum immundis non parum nutritur. *Carnibus eorum non vescemini, & cadauera non tangetis:* his nãq; duobus modis incurritur immunditia legalis circa cibos. *Hæc comedetis ex omnibus, quæ morãtur in aquis: Quæ habẽt pinnulas & squamas comedite: quæ absq; pinnulis, & squamis*, vel absq; aliquo istorum *sunt, ne comedatis, quia immunda sunt:* eo quòd plerumque cum animalibus

malibus

malibus terrestribus commercium habent, & ex inde prauas imbibunt qualitates. *Omnes aues mundas comedite. Immundas ne comedatis: aquilam,* 1 *scilicet, & gryphem,*
I.
II. *& halyætum,* 2 *ixion, & vulturem, ac miluum iuxta genus suum: & omne corui generis,* nempe coruum & picam, & cornicem, & *struthionem, ac noctuam, & larum, atque accipitrem iuxta genus suum,* seu in genere suo: *herodium ac cygnum, & ibin, ac mergulum, porphyrionem* seu pellicanum, *& nycticoracem, onocrotalum & charadrium, singula in genere suo: vpupam*
C. *quoque & vespertilionem. Et omne quod reptat & pennulas habet,* ob quam causam genus istud animalium commercium habere videtur, & cum volatilibus & cum terrestribus, idcirco *immundum erit, & non comedetur. Omne quod mundum est, comedite. Quidquid autem morticinum est,* quod scilicet ex se ipso vel absque effusione sanguinis interijt, *ne vescamini ex eo:* carnium enim vescendarum sanguis effundi præcipitur in lege. *Peregrino, qui* de populo gentilico aduenit, & *intra portas tuas est, da* gratis morticina prædicta tibi ad vescendum prohibita, *vt comedat*: quandoquidem gentilis licitè potest illa comedere, *aut vende ei* ad comedendum, si gratis nolis ea tribuere: ita dumtaxat vt eis non vescaris, *quia tu populus sanctus* ad specialem munditiam ascitus, & quasi possessio *Domini Dei tui es*: quapropter teneris à pluribus immunditijs quàm gentiles abstinere. † *Non coques hædum in lacte matris suæ,* idololatrarum ritus imitando. *Decimam partem,* 3 seu arbitrariam quandam portionem instar decimarum *separabis de cunctis fructibus tuis, qui nascuntur in terra per annos singulos* vltra decimam partem dandam in sustentationem Leuitarum. *& comedes in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur;* nempe in loco sacrificijs ac oblationibus dicando: offeres autem
III. *decimam frumenti tui, & vini & olei, & primogenita* seu eximia quædā ac optima animalia *de armentis & ouibus tuis*: idque in eum finē, *vt discas timere Dominū Deum tuum omni tēpore*: etenim frequētibus oblationibus in honorem Dei diutius permanebit timor Dei in te, ac etiam eundo ad locum tabernaculi diuini cum domo tua disces ibidem à sacerdotibus, quæ ad timorem Dei spectant. *Cū autem longior fuerit via,* D.
& locus, quem elegerit Dñs Deus tuus procul sit à domo tua, *tibiq; benedixerit* Deus, conferens tantum fructuum, vt plura tā ex decimis quā ex primogenitis existant, quę ad Dominum deducere cupias: *nec potueris ad eum hæc cuncta portare* propter viæ longitudinem, *vendes omnia & in pretium rediges portabisque manu tua,* seu tecum pecuniā, *& proficisceris ad locum, quē elegerit Dominus Deus tuus: & emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit* ex his, quæ offerri Deo licet, *siue ex armētis, siue ex ouibus, vinum quoq; & siceram, & omne quod desiderat anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua,* ita vt desiderabiles fiant populo tales dies: *& Leuites, qui intra portas tuas est,* ac tecum in vrbibus tuis commoratur, *caue ne derelinquas eum,* nec desinas inuitare ad epulas tuas aliquos ex Leuitis *quia non habet aliam partē in possessione tua,* nisi quod volueris ei cōferre ex decimis & oblationibus. *Anno tertio,* 4 hoc est, de triennio in IIII.
triennium, *separabis aliam decimā,* seu portionē arbitrariā Deo offerendam instar decimarum *ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore,* nempe in illo triēnio, *& repones intra ianuas tuas,* neque enim deducere eā debes ad tabernaculum. *Venietque Leuites, qui* extra decimas & oblationes huiusmodi *aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas sunt,* & in vrbe tua cōmorantur, *& comedent, & saturabūtur, vt* in prēmiū huius eximię largitatis & eleemosynæ, *benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris,* per incremementum & multiplicationem omnium bonorum.

† Exod. 23. d. 19 & 34. c. 26. 13. q. 1. §. his ita. 16. q. 3. §. sic etiam & q. 7. c. omnes decim.

ANNOTATIONES IN CAP. XIIII.

I. *Quæ aues reputabātur immūdæ in lege veteri.*

AQVILAM.] Hoc in loco enumerat Legislator viginti & vnum genera auiū immundarū, cū tamē Leuit. c. 11. nō numerauerit nisi viginti genera: superaddens in præsenti Ixiō, cuius in Leuitico nō meminerat. Huius autē rei rationē assignare possum', vel quod Ixion comprehensa fuerit sub genere vulturis, prout illic asseruimus: vel quòd in Deuteronomio vsum habeat Moyses supplendi nonnulla, quæ in alijs libris legis desiderari poterant. Mutantur etiam hoc in loco nonnulla nomina auiū earum, quæ in Leuitico referuntur. Quam enim in Leuitico Moyses appellauit Bubonē, hic vocat Nycticoracem; & quam ibi nominauit He,

uit Herodionē hic dixit Herodiũ. Fortè, vt mutatione nominum facilius in notitiam Israelitarum aues istæ immundæ deuenirent. Causa autem historialis ob quam lex Mosaica aues istas iudicabat immundas, ea est; quia vel rapaces sunt, ac proinde nimiæ siccitatis, & caliditatis, & harum qualitatum complexio forsitan erat nociua habitatoribus terræ promissionis: vel quia huiusmodi aues immũdis vescũtur nutrimentis, & immunde conuersantur; vel denique quia earum carnibus, vel cantibus idololatræ vtebantur in sacrificijs & augurijs.

II. *Plures auiũ immundarum sunt nobis incognitæ.*

HALYAETVM.] Auem hanc nonnulli dicunt esse aquilam marinam. Alij existimãt eandem esse cum falcone aue regia & magnę æstimationis. Petr. Mauritius insignis poëta nostri ordinis putat esse auem paruam, quæ de rapinis paruarum auium sustentatur. Vnde in libro prænominato Aurora, sic canit: Obtinet halyætus paruas in corpore vires, sunt aues minimæ præda cibusq; sibi. Cæterum non est cur immoremur in discutiendis naturis, ac proprietatibus auium vel animalium, quæ hoc in loco exprimuntur: etenim etiam apud Hebræos certa illorum notitia perijt. Vnde nihil est nisi diuinando quod in huius rei examinatione dicere queam.

III. *Decima & primogenita erant in duplici differentia.*

DECIMAM partem.] Quia decima hoc in loco scripta, comedenda decernitur in loco tabernaculi diuini ab ipsis offerẽtibus, vt cõtextus manifestè significat, ideò nõ est hic sermo de decima quam debebant filij Israel Leuitis, iuxta scripta Num. 18. Similiter non est hic sermo de primogenitis debitis à filijs Israel sacerdotibus eadem ratione; quia videlicet hæc, quæ hic scribuntur comedenda mandantur ab offerentibus: illa autem erant sacerdotum. Est itaq; nouum statutũ hoc, quod Moyses declarãdo legem, promulgat: videlicet vt præter decimam Leuitis debitam, & primogenita sacerdotibus debita offerant aliam decimã & alia primogenita. Sed inter decimam & decimam; inter primogenita, & primogenita, inter statutũ & statutum discernendum est. Decima enim Leuitis debita, erat verè decima pars: & similiter primogenita debita sacerdotibus, erant primogenita. Hæc autem noua decima nõ erat verè decima pars, sed arbitraria quædã portio appellata decima, vt optimè docet Caietanus super hunc locum: quemadmodum & Iacob vouit offerre decimas Genes. 28. Et similiter appellatione primogenitorum non intelliguntur vera primogenita, sed eximia animalia: vt videlicet optima offerrent. Statutum quoque illud debitum legale decernit: Statutum autem hoc decernit debitum morale. Ad soluendas namq; decimas Leuitis poterant coram compelli: ad offerenda autem hæc, non poterant compelli, sed inter spontanea sacrificia hæc supputabantur. Vniuscuiusq; enim conscientiæ committebatur huiusmodi decimarum, & primogenitorum oblatio iuxta facultates proprias. Eratque huiusmodi statutum medium inter consilia & præcepta iudicialia: vtpote spectans ad debitum dumtaxat morale.

IIII. *Decima quadam indicitur pro pauperibus.*

ANNO tertio.] Hoc nouum statutũ tertiæ huius decimæ intelligi debet, quemadmodum & præcedens: videlicet tanquã statutum debiti non legalis, sed moralis ad exhibendum pauperibus tertio quoque anno, non veram decimam partem, sed aliquantam portionem. Nam & recta ratio dictat, vt præter ea, quæ legaliter debemus (ad quæ scilicet possumus compelli) offeramus in honorem Dei portionem aliquam supererogationis, & communicemus indigentibus portionem aliquam rerum nostrarum: Quæ duo in his duobus statutis decernuntur.

ARGVMENTVM IN CAP. XV.

¶ Proponit Moyses ordinem celebrandi annum remissionis præcipiens Israelitis ne eo anno à quoquam Hebræo debita repetantur: imò potius vt semper conentur beneficos esse erga pauperes, quo fiet, vt Dominus eis benefaciat. Erga seruos quoque præcipit pietatem exercere, tum dimittendo eos liberos, quando dimittere oportuerit, tum etiam conferendo eis necessaria, quãdo eos dimiserint. Præcipit tandem, vt primogenita cum suis fructibus offerantur; ex quibus tamen cum voluntate sacerdotum permittit comedere.

PARAPHRASIS IN CAP. XV.

A. SEPTIMO *anno* supputando ab ingressu in terrã promissionis & à tẽpore, quo primo eã coleperis, *facies remissionẽ* i per exactionis cessationẽ, *quæ hoc ordine celebrabitur.* 1 *Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fra-*

ac fratre suo; qui verè sit ex filijs Israel, *re-*
petere non poterit, nec debitum coram iu-
dice exigere, *quia annus remissionis est Do-*
mini. A peregrino gentili manente in infi
delitate, *& aduena* conuerso ad Iudaismum
exiges: ciuem & propinquum, quales sunt
omnes descendentes à Iacob *repetendi non*
habebis potestatem, quamuis ipse si commo
dè possit, restituere mutuum teneatur. *Et*
II. *omnino indigens 2 & mendicus,* qui nihil
prorsus habens ad viuendũ cogatur men-
dicare, *nõ erit inter vos,* sed subleuabitis eũ
prouidentes, ne tantam patiatur necessita-
tem: *vt benedicat tibi* maiorique bonorum
abundantia te afficiat *Dominus Deus tuus*
in terra, quam traditurus est tibi in posses-
sionem. Si tamẽ audieris vocem Domini Dei
tui, & custodieris vniuersa, quæ iußit, & quæ
ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi in lar
gitione bonorum, *vt pollicitus est. Fænera-*
bis gentibus multis, in tantum enim bona
tua excrescent, vt habeas, vnde alijs mu-
tuum dare valeas; *& ipse à nullo accipies*
mutuum, quia aliorũ bonis non indigebis.
Dominaberis nationibus plurimis, si legem
seruaueris, *& tui nemo dominabitur,* è con-
tra si Deum dimiseris, vniuersorum pedi-
bus cõculcaberis. *Si vnus de fratribus tuis,*
qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in
B. *terra, quam Dominus Deus tuus daturus est*
tibi, ad paupertatem venerit eximiam, ita
vt iamiam ostiatim mendicare cogatur:
non obdurabis cor tuum, nec contrahes ma-
† Matt. *nũ, sed aperies eam pauperi.* † *& dabis mu*
5.g.43. *tuum, quo eum indigere perspexeris;* ac mise
Luc. 6.c. riam eius subleuabis. *Caue ne forte subrepat*
34. *tibi impia cogitatio, &* latenter exutus mi
sericordia, *dicas in corde tuo: Appropin-*
quat septimus annus remissionis; & ob
hanc causam timẽs priuari rebus tuis, *auer*
tas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens
ei, quod postulat mutuũ commodare, in frau
dem legis prouidentis per indulgentiã an-
ni remissionis necessitatibus pauperũ. Ca-
ue igitur tantũ malum admittere erga fra-
trem tuum, *ne clamet contra te ad Dominũ*
iustam vindictam postulans; *& fiat tibi in*
peccatum, ita vt tanquam peccati reus pro
peccato puniaris. *Sed dabis ei,* quod postu
lat, *nec ages quippiam callidè* in fraudem
legis intendentis prouidere miseriæ paupe
ris *in eius necessitatibus subleuãdis: vt bene*
dicat tibi Dominus Deus tuus in omni tẽpo
re, & in cunctis ad quæ manum miseris, in
præmium pietatis pauperibus exhibitæ.

† *Non deerunt pauperes in terra habitatio-*
nis tuæ, qui necesse habeant subleuari elee † Matt.
mosynis diuitum, & quos cauendum esse di 26.a.10.
xi ne in omnimodam indigentiam & men
dicitatem deueniant inter vos: *idcircò ego*
præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo
egeno & pauperi, qui tecum versatur in ter-
ra: in hunc namque finem ordinauit Deus,
vt non desint pauperes, vt scilicet eis diui- C.
tes benefacere queant. † *Cum tibi vendi-* † Exod.
tus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa 21.a.2.
ab eo, qui iusta seruitute eum detinebat, Iere.34.
& sex annis, qui ex præscripto legis me- c.14.
diare debent inter vnum atque alterum re-
missionis annum, *seruierit tibi, in septimo*
anno, qui est annus remissionis, *dimittes*
eum liberum: & quem libertate donaueris,
nequaquam vacuum abire patieris: sed non
solum quantum ad vestitum cum quali ve
ste intrauerit, cum tali exeat; sed etiã quan
tum ad victum, *dabis viaticum,* quod por-
tet onustus *de gregibus & de area, & torcu*
lari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedi-
xerit tibi. Memento quod & ipse seruieris in
terra Ægypti, & liberauerit te Dominus
Deus tuus, & idcircò iure optimo possum
te obligare ad dimittendum liberos ser-
uos tuos in anno remissionis, quod *ego nũc*
præcipio tibi. Sin autem dixerit seruus He
bræus in anno remissionis: *Nolo egredi:*
eo quod diligat te, & domum tuam, & bene
sibi apud te esse sentiat: qua propter liber-
tati societatem tuam vult anteferre: tunc
temporis ascitis iudicibus *assumes subulam*
& perforabis aurem eius figendo eam *in ia*
nua domus tuæ; insignum diuturnæ reten-
tionis serui illius, *& seruiet tibi vsque in*
æternum, 3 videlicet vsque ad annum quin III.
quagesimum iubilei. *Ancillæ quoque simi-*
liter facies prouidendo de necessarijs, quã
do eam libertate donaueris in anno remis-
sionis. *Non auertas ab eis oculos tuos* nolens
eis aliquid dare *quando dimiseris eos libe-*
ros: quoniam iuxta mercedem mercenarij,
seu tantum quantum mercenarius seruiret
per sex annos seruiuit tibi: vnde oportet te D.
ei gratum exhibere, *vt benedicat tibi* lar-
giens prosperitatem *Dominus Deus tuus in*
cũctis operibus, quæ agis. De primogenitis,
quæ nascuntur in armentis, & in ouibus
tuis, quidquid est sexus masculini, sanctifi-
cabis, seu offeres tanquam rem sanctam ac
dicatam *Domino Deo tuo. Non operaberis in*
primogenito bouis: ad id enim oporteret
eiusmodi primogenitum per duos vel per
tres

tres annos apud te retinere, quod in fraudem sacerdotum, quibus primogenita quot annis sunt conferenda, cederet: *& non tondebis primogenita ouium*, sed cum lana sua deferes ea ad sacerdotẽ, cui totus primogenitorum labor & fructus debetur. *In conspectu Domini Dei tui*, cùm te inuitauerint sacerdotes ad participationem hostiarum pacificarum, quas ex primogenitis sibi collatis offerre voluerint, *comedes ea per annos singulos in loco, quem elegerit Dominus, tu, & domus tua*: istum namque fructum ex primogenitis tuis licitè percipere poteris. Ad hoc autem quod taliter offeratur in sacrificium debet primogenitum esse immaculatum, hoc est, absque vlla læsione. † *Sin autem habuerit maculam, vel* quod idem est, *claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme, vel debile non immolabitur Domino Deo tuo; sed* si illius te participem facere voluerit sacerdos, *intra portas vrbis tuæ*, & non in loco sanctuarij *comedes illud: tam mundus, quàm immundus similiter vescentur eis, quasi caprea & ceruo* absque aliqua solemnitate in sacrificijs requisita. *Hoc solum obseruabis, vt sanguinem eorum non comedas*, quem comedere solent idololatræ, *sed effundes in terram quasi aquam*; ita vt nihil eius remaneat. † *Leui. 22.c.20 Eccl.35. b.14.*

ANNOTATIONES IN CAPVT XV.

I. *Remissio id est, non repetitio.*

FACIES Remissionem.] Obseruatio Caietani in hoc loco, qua asserit dictionem Hebraicam interpretatam remissionem, non significare remissionem, hoc est condonationem, sed significare remissionem hoc est, quietem ab exactione, non parum conducit ad intelligentiam huius legis præcipientis septimo quouis anno celebrari remissionem debitorum. Inde enim manifeste colligitur, quòd non decernitur hac lege donatio mutui, sed quies ab exigendo: & quòd remissionis vocabulo, quo vtitur interpres vulgatus, significetur negatio operis in eo sensu, quo appellamus animum remissum & hominem remissum eum, qui non intendit negotio, sed vacat. Quæ quidem sententia tribus coniecturis fulciri potest. Prima est, quia quotiescumque Moyses in isto capite explicat, in quo consistat remissio ista debitorum, quam præcipit, nullatenus meminit donationis, sed tantum non repetitionis: vt quando inquit: Repetere non poterit. Et postea, Ciuem & propinquum non habebis repetendi potestatem. Secunda ratio est; quia lex ista introducta est in fauorem pauperum; vt contextus huius capitis ostendit, sed necessitatibus pauperum, sufficienter prouidetur per hoc ab eis non exigatur debitum, quia si vere pauperes sunt, per huiusmodi remissionem absoluuntur à debiti restitutione: quamuis qui non sunt veri pauperes, sed ficti, qui scilicet restituendi habent facultatem, restituere debitum teneantur: quod maxime rationi consonum est, ergo ita est intelligenda lex ista. Tertio quia remissio ista septimi anni instituta est in memoriam & repræsentationem requiei Domini ab vniuerso opere creationis, vt insinuatur Leuit. cap. 25. vbi vocatur annus iste Sabbatum Domini, & Sabbatum terræ, & requietionis Domini, sed quies creationis sufficientissime repræsentatur per cessationem, & requietionem à petitione debitorum: imo ad huiusmodi repræsentationem nihil facit, quod debita condonentur, ergo remissio ista anni septimi in cessatione à petendis debitis, & non in condonatione eorundem consistit. Quæ remissio multum consonat cum ea, quæ in colligendis fructibus terræ præcipitur obseruari in eodem septimo anno. De qua videatur caput vigesimum quintum Leuitici.

II. *Nefas erat Iudæis habere pauperes extremè indigẽtes.*

ET OMNINO indigens.] Sententia ista duplicem sensum retinet, secundum quod aduerbium omnino determinare potest negationem illam. Non erit, vel potest determinare nomina indigens & mendicus. Si enim primo modo intelligatur locus iste, facit hunc sensum: indigens vel mendicus nullatenus erit in terra vestra. Qui tamen sensus admittendus non est, quia contradicere videtur verbis inferius subiunctis, cum dicitur: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ. Quamuis aliqui etiam in sensu præfato concordent vtramque sententiam dicentes priorem deberi intelligi in casu, quo Israelitæ custodirent legem: posteriorem verò prædicere quod futurum erat ob inobedientiam sæpius admissam diuinorum præceptorum: Alter sensus præsentis loci est si dictio omnino applicetur ad voces indigens & mendicus. Hac enim ratione significatur præceptum diuinum, quo Israelitæ tenebantur succurrere pauperibus, ne in extremam inopiam & miseriam deuenirent. Et cum inferius dicitur, non defuturos pauperes, significatur, quouis tempore adfuturos aliquos indigentes, erga quos tenerentur diuites exercere huiusmodi præceptum.

III.

VSQVE In æternum.] Quod seruitus illius, cuius auricula figebatur subula in ianuis domini sui, non deberet durare vsque in finem vitæ serui, sed dumtaxat vsque ad annum Iubilei ostendimus ex D. Hieronymo superius Exodi cap. 21. annot. 4.

Digitized by Google

ARGVMENTVM IN CAPVT XVI.

¶ Indicuntur populo Israelitico tria festa in quolibet anno solemniter, & cum epulis celebranda, videlicet festum Phase, seu azymorum, ac festum hebdomadarum, ac etiam festum tabernaculorum, & in eis masculi Hebræorum tenentur ante Dominum cum muneribus apparere. Præcipitur quoque vt iudices & consultores in populo constituantur, qui neque personas, neque munera accipiant. Quibus maximopere interest cauere, ne vlli gentilium ritus ab aliquibus admittantur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XVI.

A. O*BSERVA Mensem nouarum frugum*, quo de nouo
terra incipit germinare, *&*
verni primum temporis existente, scilicet, sole in ariete,
I. *vt facias Phase* 1 immolando agnum Paschalem, ac reliqua animalia in
sacrificium offerenda *Domino Deo tuo,*
quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de AEgypto nocte, ac proinde in eius beneficij memoriam, & gratiarum actionem debes festum istud celebrare. *Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ouibus*, nempe de agnis, qui ex ouibus nascuntur: & hoc quantum ad immolationem agni paschalis: ac præterea immolabis, *& de bobus* quantum ad sacrificia, quæ in solemnitate paschali offerri præcipiuntur *in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi*, per specialem ac iugem sui nominis inuocationem, quæ in sacrificiorum oblationibus fit. *Non comedes in eo* festo paschali *panem fermentatum: septem diebus comedes absque fermento* cibum lugubrem, scilicet, *afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de AEgypto*, qui pauor fuit causa, vt cum tanta festinatione exires, quòd non vacaret panem fermentare. Debuit igitur lex tibi imponere solemnitatem azymorum quotannis celebrandam, *vt memineris diei egressionis tuæ de AEgypto, omnibus diebus vitæ tuæ*: panis namque azymus erit tibi memoriale festinationis & pauoris, quo egressus es de seruitute AEgyptiorum. *Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus*; ne si adsit, præbeat occasionem fermentandi panes: *& non remanebit de carnibus eius, quod immolatum est vespere in die primo*, scilicet ad finem diei lunæ quartædecimæ, quando edi debent agnus, vel hœdus; ex horum, inquam carnibus non remanebit quidquam *vsque mane* sequentis
dici, qui erit lunæ quintædecimæ. *Non* B.
poteris immolare Phase, tam quoad esum agni, quàm quoad reliqua sacrificia, *in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi; sed in loco* asseruationi diuini tabernaculi dicato, *quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi* per specialem sui inuocationem & honoris exhibitionem. *Immolabis Phase*, seu incipies immolare *vespere ad solis occasum* in fine quartædecimæ, & in principio quintędecimæ lunæ mensis Martij, *quando egressus es*
de AEgypto a simili namque nocte ac II.
sub illius finem cæpit populus dimittere terram AEgypti. *Et coques* carnes elixando, vel assando, vel alio quouis modo parando, *& comedes in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus*, agnum quidem paschalem in priuatis domibus loci illius; carnes vero sacrificiorum coram sanctuario: *maneque consurgens vades*

vades in tabernacula tua: neque enim necesse habes residere per omnes dies azymorum in loco destinato celebrationi Phase. *Sex diebus comedes azyma* in cunctis vrbibus ditionis Hebræorũ: *& in die septima* & vltima azymorũ, *quia collecta est*, seu insignis solemnitas faciens eligere homines ad cultum *Domini Dei tui* in templo vel in sanctuario; idcirco vt recolligi cõmodius possis, *non facies* opus excepta præparatione ciborum. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem miseris*, nempe à secundo die azymorum, in quo ex præscripto Leuitici † teneris primum messis fasciculum ad sacerdotem deferre: *& celebrabis* altero die post completas septem hebdomadas *diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo*, in gratiarũ actionẽ pro frugũ seu segetũ vbertate à Deo accepta. Et tũc vltra sacrificia nomine totius populi eodie offerenda, dabis quoque *oblationem spontaneam manus tuæ* ex decima, quam superius separari præcepi † de cunctis fructibus tuis, vt comedas in conspectu tabernaculi, *quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui*, & iuxta possibilitatẽ tuã pro tuo arbitrio: *& epulaberis corã Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, & Leuites, qui est intra portas tuas, aduena, ac pupillus, & vidua, qui morantur vobiscum*, quas epulas nõ facies in priuatis domibus, sed *in loco, quẽ elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius, ibi*, in cuius nominis laudem & gloriam epulari, & exultare te oportet: *& recordaberis, quoniam seruus fueris in Ægypto*: & quod liberauerit te Dominus, cuius liberationis memoria ad gratiarum actionem te incitabit: *custodiesque, ac facies, quæ præcepta sunt*, si memor existas libertatis assecutæ è tam graui seruitute. *Solemnitatem quoque tabernaculorum* in memoriam tabernaculorum, in quibus habitasti in deserto per tempus quadraginta annorum, *celebrabis per septem dies* in mẽse Septembris, *quando collegeris de area & torculari fruges tuas*, qualiter eo tempore colligi solent in terra Chanaan, ob eius regionis temperiem, *& epulaberis in festiuitate tua, tu, & filius tuus, & filia, & seruus tuus & ancilla, Leuites quoq; & aduena, pupillus ac vidua, qui intra portas tuas sunt*, seu in vrbibus tuis commorantur. *Septẽ diebus Domino Deo tuo festa celebrabis* epulando & continuando *in loco, quem elegerit Dominus*, vt saltim occasione lætitiæ carnalis ad frequentiam sacrificiorum mouearis: *benedicetque tibi Dominus Deus tuus* prosperum te faciens *in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum*, & vltra hoc reliquis etiam bonis præsentis vitæ afficieris; *erisque in lætitia*, gaudens in aggregatione bonorum temporalium. III. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum*, quod numerari solet in lege, nempe à vigesimo vsque ad quinquagesimũ annum ætatis suæ; dum tamen non sit rationabili ex causa impeditum, *in conspectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit* ad cultum tabernaculi sui: videlicet *in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum & in solemnitate tabernaculorum*; quò ex frequenti in sanctuarium aduentu plura commoda tã temporalia, quàm spiritualia adipisci valeant Israelitæ. † *Non apparebit ante Dominum vacuus* his tribus vicibus, quibus imponitur generalis omnium accessus ad sanctuarium, *sed offeret vnusquisque secundùm quod habuerit, iuxta benedictionem Domini Dei sui*, ac possibilitatem substantiæ, *quam dederit ei* Dominus bonorum distributor. *Iudices*, qui causas dicant, *& magistros*, seu viros sapientes, cum quibus ipsi iudices tractare, ac definire debeant negotia, *constitues in omnibus portis tuis*, vbi mos erit iudicia facere in vrbibus, *quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas: vt iudicent populũ iusto iudicio*; & tantam æquitatẽ seruent, vt *nec in alteram partem declinent* cum præiudicio alterius partis. IIII. † *Non accipies* ô iudex, vel magister, qui in populo fueris constitutus *personam*, conferendo ei aliquid intuitu alicuius cõditionis, quæ non facit eũ dignũ re sibi conferenda, *nec munera*; *quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba*, seu opera vel sententias, etiam *iustorum* iudicum: ita vt nemo quantumuis sapiens, ac affectu iustitiæ præditus, tutus esse queat, quin si munera accipiat, facili negotio peruertatur, & sententiam iustam in iniustam cæcus commutet. *Iustè quod iustum est persequeris*, tum in modo, tum in substantia causæ de iustitia in iustitiam absque lassitudine procedendo: *vt viuas & possideas terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi*: terrena namque fœlicitas erit præmium iustorum iudicum. *Non plantabis*

Margin notes: † Leui. 23. b.10 — † Sup. 14. c.22 — C. — I. — D. — † Exo. 23. c.15. & 34. c. 20. Eccl. 35. a.6. De cõse. dist. 1. c. omnis Christianus. — † Sup. 1. c.17. Leui. 19 c.15. Exo. 23. b.8. Eccl. 20. d.31. 11. q. 3. c. pauper.

Digitized by Google

bis lucum densitate arborũ compactum, & *omnem arborem*, etiam si sit vna tantum *iuxta altare Domini Dei tui*, ne in suspicionem idololatriæ venias; cuius cultores sub lucis res obscænas exercent, & in corticibus eiusmodi arborum imagines quasdam superstitiosè incidunt. *Nec facies tibi* fabricando de nouo *neque constitues statuam* iam fabricatam in aliquo loco, vt ibi constituta, ab alijs adoretur, *quæ odit Dominus Deus tuus* quasi opera execrãda, & à iudicibus populi mirum in modum cauenda.

ANNOTATIONES IN CAPVT XVI.

I. *Phase pro sacrificijs ac solemnitate paschali.*

FACIAS Phase.] Nomine Phase in toto isto capite non intelligitur eiusdumtaxat agni paschalis, sed simul cum illo significantur nomine Phase quædã alia sacrificia, quæ in solemnitate paschali offerebantur, vt autor est D. Augustinus quæst. 24. in Deuterono. De quibus sacrificijs agitur Numer. cap. 28. Et ob hanc causam præcipitur inferius immolari Phase de ouibus & bobus; commemorando oues propter agnum paschalem, & boues propter reliqua sacrificia. Et ideo etiam scriptura in sequentibus, cum inquit: Et coques & comedes & cætera, vtitur illo verbo coques, quod generale est ex vi suæ significationis, vt docet Ambrosius Calepinus, siue res solo igne assa sit, siue aqua cocta: nã agnus debuit assari, carnes autem aliorum sacrificiorum paschaliũ comedendæ, debebant aqua coqui. De hac solẽnitate satis superque actum est Exod. 12. Leuiti. 23. & Num 28.

II. *Quando pro tẽpore proximo rei, de qua agitur.*

QVANDO egressus es de AEgypto.] Dictio quando non significat hoc in loco propriè ac præcisè tempus illud definitum, in quo immolabatur Phase; idest, vesperam, & Solis occasum: sic enim acceptũ falsam redderet sententiã: constat namque ex cap. 12. Exo. non nisi aliquãto post mediã noctẽ, datã esse à Pharaone abeũdi potestatẽ Hebræis; sed significat tẽpus illud proximũ, & cohærens, noctẽ dico, in cuius principio celebrabatur Phase, & sub cuius finẽ egressi sunt Hebræi de AEgypto. Vndè pro eo, quod hic legitur in vulgata editione: Quandò egressus es de AEgypto, Hebraicè ac Græce est, In tempore exitus tui de AEgypto.

III. *Lætitia non est nisi de aggregatione omnium bonorum.*

ERISQVE in lætitia.] Nonnulli hæc referunt ad ea sola, quæ dicta sunt, quod benedicet tibi Dominus in frugibus & armentis & alijs possessionibus, & ex hoc nimiũ iucundaberis. Sed nõ est sic accipiendũ, vt solùm referatur ad multiplicationẽ in possessionibus, vel terræ fructibus. Quia lætitia est quidam motus animi in exhilarationem proueniens ex simultate omnium bonorum, vel simpliciter bonorum, vel æstimatorum. Si quis enim vnum bonum habeat, non lætatur, nisi putet omnia bona habere: vt siquis diuitias multas possideat, & sanitate careat, huic iucunditas nulla est, & sic de cæteris. Qui autem vel valde multa bona habet, vltra quæ sibi bona nulla esse putat, aut non esse necessaria, gaudet: vel si fortè vnum adipiscatur, in quo solo se cætera habere existimet. Sic enim amatores secundùm passionem, solum delectabile, in quod passio inclinat, sufficiens bonum esse existimant; quia passio solùm illud bonum pro tunc tanquam bonum esse proponit. Hic ergo dicendum est, quod cùm Deus promittit lætitiam istis Iudæis obseruãtibus festiuitates tabernaculorum, & alias, non solum eis bona, quæ sunt fructus terræ, promittit, sed totam fœlicitatem temporalẽ, quæ in aggregatione multorum bonorum consistit, scilicet, vt diuites sint, vt sanitate vigeant, vt prole abundent, vt hostibus dominentur, vt nulla eis vndequaque insurgat aduersitas. Hic enim qualiscumque atque vmbratilis transitorij huius volucrisque momenti subitanea fœlicitas promittitur, quã certissime Israelitæ assequebantur, cum Deũ suum totis viribus requirebãt. Sed quia eis raro hoc inerat, raro talia bona adipiscebãtur, quæ lætitiæ nomine exprimuntur.

IIII. *Iudicia fiebant in portis vrbis.*

IN omnibus portis tuis.] Apud Hebræos (vt sæpe se adnotasse dicit Hieronymus super Amos cap. 5. in illud Corripientem in porta) iudicia fiebant in portis; vt neq; agricola ad causam veniens frequentia ciuitatis, & nouo terreretur aspectu, neq; vrbis habitator longe ab vrbe properaret. Idem ait in illud, Zachariæ 8. Veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis vestris. Adnotat & Gregor. lib. 21. moral. cap. 14. sed nullo adnotante res est in scriptura notissima, vt Ruth. 4. Ascendit ergo Booz ad portam, & cætera. Item 2. Reg. 15. Et manè cõsurgens Absalon stabat iuxta introitũ portæ in via: & omnẽ virum, qui habebat negotium, vt veniret ad regis iudicium, vocabat Absalon ad se. Hinc illud Iob 31. si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum me viderem in porta superiorem. Et Psal. 126. Non confundetur, cũ loquetur inimicis suis in porta.

ARGVMENTVM IN CAPVT XVII.

¶ Repetit Moyses studium maximum, quo cauere oportet ne aliquis in populo Israelitico suadeat alijs idololatriam, & pœna pro

Digitized by Google

pro crimine isto à iudicibus insligenda præfigitur. Utque summus sacerdos ac populi præpositus in rebus difficilioribus consulantur, eorumque sententia ac iudicio penitus acquiescatur, sub graui mortis pœna vniuersis de populo præcipitur: simulque decernitur qualis esse debeat, & qualiter se gerere oporteat rex ab Israelitis constituendus.

PARAPHRASIS IN CAPVT XVII.

A. NON *Immolabis Domino Deo tuo ouem & bouem,* aut aliud quodcunque animal, *in quo est macula,* vt cæcitas, notabilis deformitas, læsio corporalis, *aut quippiam vitij,* vnde tale animal reddatur contemptibile: *quia abominatio est Domino Deo tuo* eiusmodi oblatio, vtpote rei execrabilis, & à sacrificijs relegandæ. *Cum reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum,* vel vrbium habitationis tuæ, *quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum* omnium pessimum, nempe idololatriam *in conspectu Domini Dei tui,* idest, in loco vbi Deus specialiter colitur, nempe in populo Israelitico, *& transgrediantur pactum illius,* quod pepigit in monte Horeb, promittentibus filijs Israel se facturos quæcumque Deus iussisset: & eueniat, *vt vadant* voluntatis affectibus, *& seruiant dijs alienis* per cultus exhibitionem, *& adorent eos* tanquam Deos, videlicet *so-*
I. *lem & lunam, & omnem militiam cæli,* 1 seu stellarum multitudinem, quæ instar exercitus sunt debito ordine dispositæ, *quæ non præcepi,* imo potius prohibui facere: *& hoc tibi fuerit nunciatum* tanquam iudici, vel magistratui populi: *audiensque inquisieris diligenter, & verum esse repereris* ex depositione testium, vel alio modo iuridico, quod res ista, *& abominatio facta est in Israel, educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas ciuitatis tuæ,* vbi iudicia exerceri solent, vt veritate comperta sententia in reos proferatur, *& lapidibus obruentur* in pœnam tanti facinoris. † *In ore duorum aut trium testium* ad minus, qui contra ipsum testimonium ferant, *peribit*

† Infr. 19. d. 13 Mat. 18. b. 16.

qui interficietur. Nemo occidatur, vno dumtaxat teste *contra se dicente testimonium,* nisi aliunde, nempe ex propria confessione, constet criminis veritas. *Manus testium prima interficiet eum* inijciendo primos lapides, *& manus reliqui populi extrema mittetur* in odium & execrationem eiusmodi sceleris: *vt auferas malum,* seu autorem mali *de medio tui,* ne diutius viuat inter vos. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris,* ita vt anceps, & dubius nescias in quam partem inclinare debeas *inter sanguinem & sanguinem,* seu in negotijs criminalibus: & inter *causam & causam* nempe in negotijs ciuilibus, ac tandem *inter lepram & lepram,* scilicet quantum ad munditias vel immunditias legales, *& iudicum* inferiorum existentium *intra portas tuas,* vel in tribunalibus vrbiũ tuarum *videris verba variari,* non concordantibus inter se se, *surge & ascende,* seu accede *ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus,* vbi residere oportet summum sacerdotem. † *Veniesque ad sacerdotes Leuitici generis,* 2 ex quibus esse debet summus sacerdos, *& ad iudicem* supremũ, siue iste sit dux, vel rex, vel pontifex, *qui fuerit illo tẽpore,* quia pro diuersitate tẽporũ variari poterũt: *quæresq; ab eis,* à sacerdote quidẽ tãquã à regula infallibili indicãte quid faciendũ sit, à iudice verò tãquã ab eo, qui sentẽtiã ferre debet iuxta doctrinã sacerdotis, *qui indicabit tibi* infallibiliter *iudicij veritatẽ,* ex vi doctrinæ & veritatis inditæ rationali iudicij, quo sacerdos consulturus Dominum vti debet. *Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quẽ elegerit Dominus,* nempe summi sacerdotes, qui pro diuersitate tẽporũ plures erũt: id etiam quod *& docuerint te iuxta legem eius,* qua cauetur, vt sacerdos respõsurus ad

1. Cor. 13 a. 1. sup. 13. c. 9. 2. q. 3. q. 1. & 35. q. 6. q. fin.

B.

† Para. 19. a. 10

II.

Digitized by Google

populum consulat Dominum per rationale iudicij: *sequerisque sententiam eorum, nec declinabis, ad dextram neque ad sinistram* eorum, quæ ipsi docuerint.
C. *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore* in munere pontificali *ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis* sententiam ferentis, iuxta doctrinam sacerdotis, *morietur homo ille, & auferes malum*, illum hominem rebellem *de Israel: cunctusque populus audiens* pœnam mortis huic homini inflictam *timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia*, prout reus ille intumuerat. *Cum ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, & debellatis hostibus tuis *possederis eam, habitaverisque in illa* & ob duritiam cordis tui in nullo contentus *dixeris: Constituam super me regem sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus* signo aliquo, vel reuelatione, vel sorte monstrauerit, quòd *elegerit de numero fratrum tuorum*, nullatenus enim credere debes, quòd elegerit alienigenam. *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus* origenem ducens ab Israele.
III. *Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos;* 3 ne in suo militari apparatu spem reponat, & non potius in Dei præsidio & succursu; ne etiam occasione equorum commercium
D. habeat cum Ægyptijs. Vnde *nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus*, prout reduceret saltem quoad partem populi, si aliquos ex Israelitis mitteret rex in Ægyptum, vt ei de equis prouiderent: quod esset nimis periculosum, *præsertim cum Dominus præceperit vobis*, quamuis huius præcepti hactenus non fecerint mentionem, *vt nequaquam amplius per eandem viam*, per quam quoquo modo itur in Ægyptum, *revertamini*, ne Ægyptiorum moribus & conuersatione, aliqua ratione polluamini. *Non habebit vxores plurimas, quæ alliciant*, in malumque inclinare faciant *animum eius, neque argenti & auri immensa pondera*: hæc namque cupiditatem acuunt, & eorum studium premere facit populum multis tributis. *Postquam autē sederit in solio regni sui, describet sibi*, transcribereque faciet librum quendam vocatum *Deuteronomium*, videlicet secundã legē vel repetitionem *legis huius in volumine accipiens exemplar*, Vnde exemplum seu trãsumptum educi debeat, *à sacerdotibus leviticæ tribus*, apud quas liber iste manu mea conscriptus in sanctuario asseruabitur; *& habebit secum, legetque illud* volumen sic transcriptum *omnibus diebus vitæ suæ*, ita vt regis memoria non excidant, quę in hoc volumine cõtinẽtur; *vt discat timere Dominum Deum suum*; isque erit primus huius lectionis fructus, *& custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt*; in quo secundus sacræ lectionis fructus consistit. *Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos*; ecce tertium fructũ; *neque declinet in partem dexteram vel sinistram* in iudicijs ferendis, sed colligens quartum præfatæ lectionis fructum æquitatem in perpetuum seruet; *vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israel* in pręmium omnium prædictorum.

ANNOTATIONES IN CAPVT XVII.

I. *Militia cœli pro Stellis.*

OMNEM militiam cœli.] Quod per militiam cœli debeant intelligi stellæ, colligitur ex illis verbis superiùs cap. 4. relatis, quãdo dicitur: Ne forte elatis oculis ad cœlum videas Solem & Lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea. Quia vbi nos habemus, & omnia astra cœli, in Hebræo est; Et omnem militiam, siue exercitum cœli. Atque ita intelligitur semper in scriptura, cum reprehenditur idololatria filiorum Israel: vt 4. Reg. 17. & 21. Item 2. Paral. 33. & Ierem. 19. & alibi sæpe. Dicitur autem militia, siue exercitus cœli, quod plurimæ sint stellæ, & ordine dispositæ, quasi exercitus. Et luna, quæ huic multitudini præesse videbatur, inde regina cœli ab idololatris vocabatur, Ierem. 7. ibi. Et mulieres conspergunt adipes, vt faciant placentas reginæ cœli. Quod frequenter repetitur cap. 44. Militiã autem sæpe accipi pro exercitu notũ est; vt Luc. 2. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum.

Regina cœli pro Luna.

II. *Per sacerdotes Leuitici generis quid importetur*

ADSACERDOTES Leuitici generis.] Duo hic obseruare oportet, Alterum est hanc determinationem sacerdotum, nempe vt sint Leuitici generis, subiunctam fuisse ad insinuandum, quòd autoritas infallibilis iudicandi verum non conceditur sacerdotibus, qui ex abusu fierent ex alia tribu: vt tempore Ieroboan regis Israel factum est: neque etiam magnatibus, seu primatibus populi, qui vocari solebant sacerdotes, iuxta illud 2. Regum. 8. Filij autem

Dauid

Dauid sacerdotes erant: sed tantum sacerdotibus, qui per lineam masculinam originem ducturi erant à filijs Aaron, qui vocabantur sacerdotes Leuitici generis. Alterū quod obseruare oportet, est hāc autoritatē iudicādi infallibiliter verum habuisse sacerdotes antiquæ legis ex vi doctrinæ & veritatis insitæ pectori sacerdotis vtentis in consultatione ad Deum insigni illo ornamento vocato Rationale iudicij, in quo vt habetur Exod. 28. erat doctrina & veritas. De qua re plura diximus ibidem annot. 5.

III. NON multiplicabit sibi equos.] D. Hieronymus in illud Psal. 75. Dormitauerunt, qui ascenderūt equos, affirmat præceptū fuisse in lege, vt Hebræi equos non haberent. Quod intulisse puto ex præsenti loco Deuteronomij. Adidque videtur allusisse Isaias cap. 2. cum ait: Et repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Vbi subiungit D. Hieronymus: Non enim dignū est numero, quod contra Dei imperium possidetur. Vnde ex nomine eorum, qui vera pœnitentia ad Dominum conuertebantur, dicitur Oseæ. 14. super equum non ascendemus. Indicantes equorum vsum Israelitis fuisse interdictum. In qua re falsus est Philo in libro de Agricultura dicens; Moysen cum interdixit regi populi Hebræorum multiplicationem equorum, non esse locutum historicè, seu proprie de veris equis, sed mystologicè de vitiosis affectibus, & cupiditatibus coercendis, atque minuendis. Id enim aperte falsum & diuinæ scripturæ contrarium est; quæ regi & consequenter cuiuis de populo aperte hoc in loco prohibet equorum multiplicationem. Ratio autem præcepti huius ad litteram duplex assignari potest. Prima est Basilij super prædicta verba Isaiæ, vt Iudæi toti penderent à Dei præsidio & succursu, spemque non reponerent in suo militari apparatu; prout reponebant illi contra quos inuehitur Isai. cap. 13. Væ qui descendunt in AEgyptum ad auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis. Et ait Isaias hos descendere in AEgyptum, quia Palæstini paucos vel nullos equos nutriunt, sed ex AEgypto adducunt, & emunt illos. Vnde sumitur secunda ratio obquam equorum vsus Iudæis interdicitur, nempe ne occasione adquirendi equos, commercium cum AEgyptijs haberent, in AEgyptumque reuerterentur. Quæ ratio tangitur hic à Moyse dum subiungit: Nec reducet populum in AEgyptum.

ARGVMENTVM IN CAPVT XVIII.

¶ Repetuntur iura & commoda temporalia, quæ sacerdotes & Leuitæ habere debebant ex oblationibus, & sacrificijs populi. A quibus commodis & prouentibus arcere non decebat Leuitam, qui dimissa domo paterna petebat vrbem tabernaculi, vt in eo ministraret. Iterumque prohibentur Israelitæ ritus gentium imitari maximè in occultorum inquisitione; ad quam eis Christus promittitur, & vt illum audiant sub interminatione mortis indicitur. Falsi quoque prophetæ signa in medium proponuntur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XVIII.

A. † Sup. 10. b. 9. Num. 18 c. 20. 1. Cor. 9. b. 13. & 12. q. 1. c. cleric.

NON † *habebunt sacerdotes & Leuitæ*, qui sacerdotibus tanquam ministri deseruiunt *& omnes, qui de eadem tribu sunt,* de qua sunt sacerdotes & Leuitæ, & tamen propter maculam vel aliud quodnis impedimentum non exercent officia sacerdotum vel Leuitarum; nulli, inquam, prædictorum habebunt *partem & hereditatem*, seu portionem aliquam, quæ eis iure hereditario obueniat, *cum reliquo Israel*, scilicet, sortem vllam terræ promissionis; *omnia sacrificia*, vel portiones sacrificiorum dicatas ministris *Domini, & oblationes eius, comedet* quæ quoquo modo à filij Israel Domino offeruntur, siue sponte, siue decimas ac vota soluendo: *& nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum* tanquam sibi proprium; quamuis ad vsufructuandum accipere debeāt, aliquas vrbes, earumque suburbana: *Dominus enim* conferens Leuitis

munera sibi à populo oblata, *ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis* per me, qui ex eius nomine isthæc retuli. Numerorum decimo octauo, & trigesimo quinto capite. *Hoc erit iudicium*, siue ius rite traditum & cōcessum pro ministerio *sacerdotum à populo & ab his, qui offerunt victimas* pacificas: hi namque, qui huiusmodi victimas offerre voluerint, *siue bouem, siue ouem immolauerint, dabunt sacerdoti* sacrificij ministro *armum ac ventriculum*, seu pectusculum, in signum constantiæ, & fortitudinis, qua deprecari tenetur ad Dominum pro populi peccatis. Vniuersi autem de populo dabunt sacerdotum cætui † *primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem ex ouium tonsione. Ipsum enim* & non alium quempiam cætum Israelitarum *elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis*, vt stet in conspectu Domini ad orandum pro populo, *& ministret nomini Domini* in rebus diuino cultui deputatis *ipse, & filij eius in sempiternum*, quandiu respublica vestra durauerit. *Si exierit Leuites ex vna vrbium tuarum*, ex vna, scilicet, earum, quæ ad inhabitandum & pascendum constituentur Leuitis *ex omni Israel, in qua* quidem vrbe eiusmodi Leuites *habitat, &* deuotione motus *voluerit venire* ad locū in quo tabernaculum adesse contigerit, *desiderans locum, quem elegerit Dominus*, non ratione externæ inhabitationis ministerium eius respuetur, sed *ministrabit in nomine Domini Dei sui* exercēs opus ad quod ex dono diuinæ gratiæ assumptus est, *sicut omnes fratres*, seu cōsanguinei *eius Leuitæ, qui stabunt* ministrantes, & seruientes *eo tempore coram Domino*: 1 quod obseruare oportet, quamdiu aliud ex dispensatione diuina ac diuino consilio dispositum minimè fuerit. *Partem ciborum*, quæ Leuitis obtingere solet ex oblationibus Israelitarum, *eandem accipiet, quam & cæteri: excepto eo*, vel vltra id, *quod in vrbe sua*, in qua inhabitat *ex paterna ei successione debetur*, siue in domibus, siue in pecoribus, & armētis, siue in pecunijs ex suarū rerū venditione adquisitis. *Quando ingressus fueris terram* patribus promissam, *quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium*, quas ad superstitiose inquirendum occulta exercent. † *Nec inueniatur in te, qui lustret*, seu purget, & expiet *filium suum, aut filiam, ducens per ignem*, ac transire eos faciens absque combustione per medium flammarum, credens aliquam virtutem diuinam inesse igni: *aut qui ariolos* occulta inquirentes in præcordijs animalium immolatorum *sciscitetur, & obseruet somnia, atque auguria* more gentilium, qui superstitiose, ex somnijs, volatuque & garritu auium prædicere tentant futura: *nec sit maleficus* vtens dæmonum famulatu ad nocendum, *nec incantator* faciens eum aliqua superstitione apparere, quod non est; *nec qui pythones consulat, nec diuinos*, eos videlicet qui vel dæmonis instinctu, vel alia quauis ratione diuinam secretorum notitiam sibi arrogant: † *aut quærat à mortuis veritatem* faciens dæmonem subintrare corpus mortui, sibique respondere. *Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istius modi scelera delebit* gentiles, qui hactenus terram Chanaan inhabitarūt, & interficiet *eos in introitu tuo. Perfectus eris, &* esse te oportet *absque macula* vlla earum abominationum, quas hucusque retuli, vt sic exhibere te valeas, prout decet *cum Domino Deo tuo*, 2 seu in conspectu illius. *Gentes istæ, quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt*, vt informari valeant de veritatibus occultis, ac satisfacere queant naturali desiderio sciendi plurima: *tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es*, & alia via tibi reuelare disposuit occulta & futura. † PROPHETAM 3 quendam insignem, à quo in cæteros quoscumque prophetas lumen ac scientia deriuari oportet, *de gente tua & de fratribus tuis*, vtpote de domo Iacob verum hominem *sicut me*, qui etiam legislator sit, prout ego sum, *suscitabit tibi Dominus Deus tuus*, & constituet in orbe terrarum: *ipsum audies*, vt hac ratione eueniat tibi, quod *petisti à Domino Deo tuo* † *in Horeb* renuens audire ipsum Deum in se, ac postulans vt per alium loqueretur, *quando concio congregata est* ad radices montis Sinai, *atque dixisti: Vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar*. Ob quam causam à Domino postulasti, vt non per seipsum, sed per alium te erudiret, eiusmodique institutorem audire promisisti. *Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti*,

Marginalia: † Num. 18. c. 21. — B. — I. — † Leui. 20. d. 27 — † 1. Reg. 28. a. 7. C. — II. — † Ioan. 1. g. 45. Act. 3. d. 22. — III. — † Exo. 20. d. 21

locuti, tam petentes, vt eis hominis mini-
sterio loquar, quam promittentes se eiusmodi mediatorem audituros. † *Prophetam*
suscitabo eis de medio fratrum suorum, ex
tribu Iuda *similem tui* in legislatoris auto
ritate: *& ponam verba mea in ore eius*, vt in
spiritu oris sui quotquot fuere, vel futuri
sunt prophetæ, vaticinentur: *loqueturque*
ad eos, qui in ipsum credituri sunt *omnia*,
IIII. *quæ præcepero illi*, 4 capax enim erit præ-
cepti, in quantum homo. *Qui autem verba*
eius, *quæ* per se ipsum, vel per prophetas,
& apostolos suos *loquetur in nomine meo*,
& in virtute diuinitatis hypostaticæ, sibi
vnitæ, *audire noluerit, ego vltor existam*,
ac pro mensura delicti infligam plagarum
modos. *Propheta autem*, *qui* nomen sibi
prophetæ vsurpans, & *arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo* dicens:
me sibi fuisse locutum ea, *quæ ego non præcepi illi vt diceret*, sed ipse ea confinxit,
aut ex nomine alienorum deorum, aliquid
prædicet populo dicens, hæc dicet Baal,
vel Astaroth, *interficietur*. Vterque namque est propheta falsus. *Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere*, ac discernere *verbum*; *quod Dominus*
non est locutus à verbo, quod locutus est
Dominus? ac per consequens, quo signo
agnoscam illum esse prophetam falsum &
non verbum? *hoc habebis signum: Quod in*
nomine Domini propheta ille prædixerit, &
non euenerit, 5 dũtamen causæ eodem mo- V.
do se habuerint, ac mutatio effectus non
fuerit tali prophetæ prænuntiata, *hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: & idcirco non timebis eum*, etiã si ad vitandam mortem cui
ex præscripto huius legis tradendus est,
plurima aduersum te comminetur.

Margin: † Ioa. 1. ſ. 45.

ANNOTATIONES IN CAP. XVIII.

I. *Ministeria Leuitarũ fuerũt distributa.*

EO Tempore coram Domino.] Subiunxi in paraphrasi Leuitam quempiam admittendum esse ad ministerium tabernaculi, quam diu oppositum ex diuina dispensatione non caueatur: quia iure optimo propheta sanctus Dauid diuinitus inspiratus, ne ob maximam Leuitarum multitudinem ministeria confunderentur distribuit illos in viginti quatuor ordines; ita vt non liceret alicui aliter quam tempore sibi præstituto ministrare: vt patet, 1. Paral. 23 & 24.

II. *Cum pro coram.*

CVm Domino Deo.] Dictio cum, interdũ ponitur pro coram in sacris literis vt hic, & 3. Reg. 15. Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis: hoc est, coram Domino. Et Apocalyp. 3. Ambulabunt mecum in albis, id est, coram me.

III. *Propheta suscitãdus est Christus*

PRophetam.] Nonnulli cum Paulo Burgensi diuidunt literam istam: nam ab hoc loco, vsque ad illud, prophetam suscitabo eis intelligunt de quolibet propheta, tam Moyse, quam alijs, qui futuri erant ad instituendum, & docẽdum Israelitas: & à prædictis verbis, vsque ad illa: propheta autem, qui arrogantia, exponunt de Christo seruatore nostro. Falluntur tamen sic distinguentes sensum priorum verborum à sensu posteriorum, cum posteriora non subdantur, nisi ad confirmationem priorum, quia Moyses loquens ad populum dixit ista prima verba scilicet; prophetam de gente tua & cætera, ostẽdens in hoc propheta adepturos Israelitas id, quod expetierant, nẽpe vt non loqueretur eis Deus in propria natura, & tonitruis, sed per aliquem hominem, quem ipsi audire, & verbis illius obedire professi sunt. Quod approbans Dominus promittit se missurum prophetam, per quem loqueretur inquiens: Prophetam suscitabo eis & cætera. Vnde constat eumdem esse prophetam, de quo, tam in prioribus verbis, quam in posterioribus fit sermo. Quis autem is fuerit non omnino consonat inter doctores. Hieronymus ab Oleastro existimat hoc in loco de Christo, ac de alijs prophetis sermonem fieri, non enim per solum Christum, sed etiam per cæteros prophetas docuit Deus populum Israeliticum, & prouidit ne eruditionis gratia irent ad ariolos. Certior tamen est sententia Strabonis Benedictini autoris Glossæ ordinariæ asserentis non de prophetis Moysi successoribus, sed de Domino prophetarum sermonem hic fieri. Etenim apud Iudæos antiquos compertissimum fuit, quod in lege steterit promissus insignis quidam propheta, cæteris prophetis dignior & excellentior. Vnde Ioan. 6. habetur quod homines vidẽtes signa, quæ Christus faciebat, dicebant. Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum, manifeste indicãtes se sperasse aliquem insignem prophetam suscitandum esse. Et Ioan. 1. Pharisæi interrogantes Ioannem Baptistam, an esset propheta, non de quouis propheta, sed de insigni quodam ab eis sperato intelligebant, prout Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 24. Chrysost. hom. 15. in Ioan. & Orig. tom. 7. exponunt. In nullo autem alio loco veteris testamenti potuit sufficienter fundari opinio ista, nisi in præsenti, ergo non est hic sermo de pluribus prophetis, sed de vno dũtaxat, eoque dignissimo. Quod autẽ is fuerit Christus Dominus, satis aperte docuit D. Petrus referẽs verba ista, & accõmodans ipsi Christo Acto. 3 ca. Neq; obstat contra prædicta ratio Oleastri, qua docet hoc in loco Deũ voluisse prouideri plebi pro omni tẽpore de propheta vno, vel alio, qui illã erudiret, ne ob huius defectum ten-

deret

deret ad ariolos: Christus autem non omni tem
pore fuit apud Iudæos, sed certo. Hæc, in quam
ratio nihil valet: In vno namque propheta Deo
& homine Christo Iesu prouidebatur Iudæis,
ac gentilibus sufficiens fidei doctrina, qua om-
nes homines erudirentur in his, quæ scire eos
oporteret, eamque per prophetas, vel aposto-
los quouis tempore sparsit in mundum.

IIII. *Christo vere fuerũt imposita præcepta: & ipse proprie obedinit in quantũ homo.*

OMnia quæ præcepero illi.] Locus iste est
lapis offensionis, ac petra scandali Iudæis:
ex eo enim occasionem sumunt ad existi
mandum Messiam (de quo fatentur hunc locũ
esse intelligendum) nequaquã debere esse Deũ
cum Deus superiorem non habeat, qui ei præci
piat aliquid. Cui difficultati, vt satisfaciat D.
Chrysost. hom. 59. in Ioannem negat omnino
Christum vllũ habuisse præceptum, aut manda
tũ patris: sed omnia libere, & sponte sola chari-
tate fecisse; in qua sententia semper persistit: nã
hom. 68. & 75. in idem Euangeliũ idem repe-
tit, argumentisq; cõfirmare nititur. Explicat au
tẽ quod passim in Euãgelio legitur, nẽpe Chri
stũ implere mandatũ patris de cõcordia volun-
tatis suæ humanæ cũ voluntate patris, vt idẽ
velit cũ patre; sed propter audiẽtium infirmita
tem humilibus dicit vsum esse verbis, cum in
Euãgelio inquit habuisse mãdatum à patre. Nõ
solum est Chrysostomus in hac sententia, sed
etiã D. Basil. lib. de Spiritu Sancto ca. 8. Vbi ne
gat Christum habuisse præceptum; & verba præ
sentis loci exponit esse intelligenda de actu vo
luntatis, quẽ pater ab æterno cõmunicat cum
essentia filio, de quo dicitur esse mãdatum, aut
præceptum: nã quæ vult pater filio cõmunica-
uit. Conuenit igitur cum Chrysostomo in hoc,
quod negat Christum habuisse præceptum, ta
mẽ in explicatione differt. Chrysostomus enim
concordiã voluntatis Christi humanæ cum vo
luntate patris vocat implere mandatum patris:
vt Basilius etiã ad diuinitatem refert, vt tradi-
tio voluntatis paternæ ab æterno filio exhibi-
ta sit hoc mandatum. Cum Chrysostomo sen-
tit Euthymius. Rectius tamen dici existimo
cum D. Cyril. li. 10. in Ioan. ca. 10. nempe Chri
stum, vt homo erat, habuisse præceptum patris
& implesse eius mãdatum. Quã sententiam te
nẽt quoq; Aug. tract. 81. in Ioan. & Ambro. li.
5. de fide ca. 5. vt scripturarum testimonio ma-
nifeste cõstat: tum ex præsenti loco: tum etiam
Ioan. 12. Qui misit me pater, ipse mãdatum mi
hi dedit. Ioa. 14. sicut mãdatum dedit mihi pa
ter, sic facio: & Ioa. 15. si præcepta mea seruaue
ritis, manebitis in dilectione mea: sicut, & ego
præcepta patris mei seruaui, & maneo in eius di
lectione. Nec valet responsio Chrysostomi di-
cẽtis verba esse humilitatis propter infirmitatẽ
audientiũ: Nã propter humilitatẽ nõ est veritas
relinquẽda, quæ maxime ex verborũ significa
tione sumitur; & hæc de qua loquimur aperte
cõuincitur ex illo ad Philip. 2. Factus obediẽs,
vsq; ad mortẽ: inde enim sequitur habuisse mã
datũ: quia esse nõ potest obedientia, nisi adsit
mãdatũ & præceptũ. Hac ergo veritate supposi
ta facile soluitur obiectio Iudæorũ, si dicamus
Christũ, vt hominẽ habuisse superiorẽ Deum,
prout ipse fatetur Ioan. 14. inquiẽs pater maior
me est. Cũ igitur Christus vt homo, sit minor
patre, subditus patri obediens patri, negari nul
la ratione potest, patrẽ potuisse præcipere: siue
ro id fieri potuit, non video quibus verbis ex-
pressioribus scriptura id esse factum significa-
re potuerit, quam ijs quæ in præsenti habentur,
& ex nouo testamento retulimus.

V. *Signum falsi prophetæ quod sit.*

ET non euenerit.] Hoc in loco nõ ponitur si
gnũ prophetiæ veræ, sed falsæ dũtaxat: ne
que enim euentus rei prænũtiatæ signũ est eam
fuisse prænũtiatã à propheta vero, vt ostẽsum
est superius in principio capitis. 13. sed si res
prænũtiata non eueniat signũ est falsitatis pro
phetæ: & hoc solum est, quod in præsenti dicitur.
Circa quod tamẽ animaduertere oportet, quod
quia ex mutatione causarũ necesse est effectuũ
mutationẽ subsequi, & interdum prophetæ nõ
reuelãtur effectus futuri, nisi prout sunt in vno
certo ordine causarum variabili secundum suc-
cessionẽ tẽporis. Hinc est posse cõtingere pro-
phetã verum prædicere aliquã rem, quæ futura
erat secundum dispositionẽm causæ, quæ tunc
vigebat, & tamẽ non subsequi talem rem ob
mutationem causæ, in qua fuerat reuelata pro-

Prophetia cõditionalis quæ dicatur.

phetæ, & hæc dicitur prophetia conditionata
vt accidit Isaiæ. 38. & 4. Reg. 20. & Ionæ pro-
phetæ cap. 3. Nec tamen in eo casu simpliciter
dicetur non euenire, quod in nomine Domini
propheta ille prædixit: quia talis prædictio nõ
fuit de omnimodo euentu talis rei, sed de eo,
quod euentura esset, si talis ordo causarum non
immutetur, & huiusmodi conditio semper re-
uelatur prophetæ vero, ante quam adueniat tẽ-
pus, in quo res prænuntiata euenire oportebat,
ne à quoquam credatur propheta falsus: vt cõ-
stat ex vaticinijs Isaiæ, & Ionæ.

ARGVMENTVM IN CAP. XIX.

*¶ Indicit Moyses populo, vt postquam cœperint possidere, pacifi-
ceque inhabitare terram Chanaan tres ciuitates designet à se inuicem
æqualiter distantes, alias etiam tres post occupatam vniuersam
terram promissionis, vt in eiusmodi vrbibus tuti permaneant, qui
quemquam proximorum inuoluntarie, & à casu occiderunt, à qui*
bus

bus tamen ciuitatibus extrahendi sunt homicidæ voluntarij, ac morte plectendi. Prohibetque terminos hæreditatum transferre: ac pœnam talionis testi falso imponit.

PARAPHRASIS IN CAPVT. XIX.

A. *CVM disperdiderit Dominus Deus tuus gentes: quarum tibi traditurus est terram, & transacto Iordane*, bellisque, quam plurimis peractis, *possederis eam, habitaueri sque in vrbibus eius, & in ædibus*, etiam antequam totam eiusmodi terram ditioni tuæ subijcias
† Nu.35 b.10.Ios. 20.4.2. I. †*tres ciuitates*, 1 in refugium & asylum fugitiuorum, *separabis tibi in medio*, seu intra ambitum totius *terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, sternens diligenter viam*, & itinera, quibus ad illas tendere oportet: ne ob prauitatem, seu incertitudinem viarum fugitiui ab hostibus suis comprehendantur, & occidantur; *& in tres æqualiter partes totam terræ tuæ prouinciam diuides*; atque in medio vniuscuiusque earum trium partium vnam istarum ciuitatum designabis, *vt habeat è vicino, qui propter homicidium* casuale & inuoluntarium *profugus est, quo possit euadere*, vitamque tueri. *Hæc erit lex homicidæ fugientis*; & casus in quo cõferre se poterit in ciuitates refugij ille, *cuius vita seruanda est.*
† 15.q.1 c. illa & c. fin. †*Qui percusserit proximũ suum nesciens*, vt pote ex ignorantia inuincibili, *& qui heri & nudiustertius*, seu toto tempore præterito, *nullum contra eum odium habuisse comprobatur: sed abijsse cum eo simpliciter* & absque vllo dolo *in syluam ad ligna cadẽda, & in succisione lignorum securis fugerit manu*, ob contritionem ipsius securis, *ferrumque lapsum de manubrio amicum*
B. *eius*, nempe scindentis ligna, *percusserit & occiderit: hic ad vnam supradictarum vrbiũ cõfugiet, & viuet: ne forsitan proximus*, vel cognatus *eius, cuius effusus est sãguis, dolore stimulatus, persequatur, & apprehendat eum si longior via fuerit*, à loco interfectionis, vsque ad vrbem refugij, *& percutiat animam*, seu vitam animalem, & corporalem *eius, qui non est reus mortis*, vel saltim secũdum legem non præsumitur reus mortis in casu proposito, *quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur*; ob quam causam lex præsumit mortẽ ab illo fuisse illatam absque intentione occidendi. *Idcirco præcipio tibi, vt tres ciuitates æqualis inter se spacij diuidas*, ac etiam in æquali distantia ab extremitatibus terræ promissionis existere eas oportet, quo facilius confugiens ad illas tueri se possit.
†*Cum autem dilatauerit Dominus Deus* † Ge.28
tuus terminos tuos, & paulatim expulsis c.14. sup.
prioribus habitatoribus tradiderit tibi om 12.c.20
nem terram Chanaan, *sicut iurauit patri-* Exo.34.
bus tuis, & dederit tibi cunctam terram, c.24.
quam eis pollicitus est, si tamen, quantum est ex te non demerueris adimpletionem hujusmodi pollicitationis, quod eueniet, *si custodieris mandata eius*, quæ continentur in decalogo, *& feceris, quæ hodie præcipio tibi*, quantum ad statuta legis, tam ceremonialia, quam iudicialia, *vt diligas*, exempli gratia, *Dominum Deum tuum*, quantum ad mores, *& ambules in vijs eius omni tempore*, nempe in obseruatione ceremoniarum, & iudiciorum legis: hæc namque faciens vniuersam illam terram consequeris; & tũc *addes tibi tres alias ciuitates* refugij ex eadem parte Iordanis, *& supradictarum trium vrbium numerum duplicabis*: ita vt ex hac parte Iordanis tres tantum ciuitates refugij, ex altera vero sex cõstituantur, *vt non effundatur sanguis innoxius* eius, qui inculpabiliter proximũ interfecit, *in medio terræ*, seu in terra, *quam Dominus Deus* C.
tuus dabit tibi possidendam, prout proculdubio effunderetur, si ira percitus occideris inculpatũ interfectorẽ proximi tui, nõ habẽtẽ vrbẽ refugij, in quã se conferret, quod
cauere te oportet, *ne sis sanguinis reus*, qua † Nu.35
lis certe esses, si huiusmodi occisorẽ lege c.20.
nõ permittẽte interficeres. † *Siquis autem* † 16.q.3
odio habens proximũ suum, insidiatus fuerit c. inter
vitæ eius, surgensque, siue insurgẽs in eũ, ac memora
præualẽs viribus *percusserit illũ* percussio tor.
ne võlũtaria, qualis ista præsumitur, *&* II.
mortuus fuerit, fugeritq; ad vnã de supradi † 22.q.
ctis vrbibus, imo & ad altare meum *mittent* 4.c. est in
seniores, qui sunt iudices *ciuitatis illius*, in iusta in
cuius terminis factũ est homicidiũ, *& arri-* princi-
pient eũ de loco effugij, & si cõstiterit eum pio. 9.q.
volũtarie homicidiũ perpetrasse, declara- 2.c.1. &
bũt reũ esse sanguinis. †*tradentq; in manu* 12. q.2.
proximi, seu cognati magis propinqui illi, in legib.
cuius sanguis effusus est, & morietur, 2 si co 7. q.1.c.
gnatus velit, vt moriatur. † *Non misereberis* si quis e-
eius piscopus.

Digitized by Google

eius condonando pœnam parte nõ satisfacta,

III. *& auferes innoxiũ sanguinẽ,* 3 innocẽtis occisi, ne clamet ad me de terra petẽdo vindictã *de Israel: vt bene sit tibi:* quãdiu enim homicida non ponitur, sanguis occisi petere vindictã dicitur, tã de occisore, quã de iudicibus, qui eum vindicare tenebãtur.

IIII. *Non assumes,* 4 *&* vt partẽ aliquam alieni fundi tibi vendices, non vlterius transferes terminos, seu lapides præfigentes hæreditatẽ *proximi tui, quos fixerũt priores* patres antiqui, qui terrã diuiserunt, *in possessione tua, quã Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quã acceperis possidendã,* sed esto cõtentus ea terræ portione, quæ tibi obtigerit. † *Non stabit,* neq; admittetur *testis vnus cõtra aliquem, quidquid illud,* quod ei imputatur *peccati* cõtra proximũ, *& facinoris* cõtra Deũ cõmissi *fuerit: sed in ore,* & testimonio *duorũ aut triũ testiũ,* qui idonei & legitimi sint *stabit omne verbũ,* & res de qua agitur, tanquã vera, vel falsa admittẽda erit. *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans,* seu testificãs reũ esse *cum prauaricationis,* ac noxæ, de qua fuerat infamatus, *stabũt ambo, quorũ causa est,* nẽpe testis, vel accusans, & accusatus *ante Dominũ,* in atrio tabernaculi, *in cõspectu sacerdotũ, & iudicum, qui fuerint in diebus illis,* vt vnusquisq; alleget pro se, quod sibi benè visum fuerit. † *Cumq; diligentissime perscrutantes,* (agitur enim de materia periurij, quæ grauissima est) *inuenerint falsum testẽ dixisse contra fratrẽ suũ mendaciũ,* ac malitiose falsum imposuisse, *reddentes sicut fratri suo facere cogitauit* infligẽtes illi pœnã, quam accusatus merebatur, si crimẽ fuisset ipsi probatũ: *& auferes malũ* istũ hominem, ac testẽ mendacem *de medio tui,* ne amplius cõuersetur inter vos: *vt audientes cæteri* pœnã huic testi inflictã *timorẽ habeant: & nequaquã talia audeant facere. Nõ misereberis eius* pœnam debitã diminuẽdo vel differendo contra iustitiã. † *Sed animã pro anima,* seu vitã sensitiuã pro vita sensitiua, *oculũ pro oculo, dente pro dente, manũ pro manu, pedem pro pede exiges,* 5 si is cõtra quem tulit testimoniũ falsus testis, non sit persona qualificata: nam si secus fuerit maiorem exiges pœnam.

† Su. 17. a. 6. Matth. 18. b. 16. 2. Corint. 13. a. 1. Sus. 13. c. 9.

† Dan. 13. g. 62 & 35. q. 5. c. hac imag.

† Exo. 21 c. 23. 24 Leui. 24 c. 19. Matt. 5. f. 39.

ANNOTATIONES IN CAP. XIX.

I. TRes ciuitates.] De ciuitatibus refugij, ac de numero illarũ plura dicta sunt in superioribus, nẽpe Num. 35. c. Et Exo. 21. & in ca. 4. huius libri, in quæ loca pro maiori huius rei intelligentia remittimus lectorem.

II. *Iudex potest remittere culpã satisfacta parte.*

ET morietur.] Subiunxi, si cognatus velit vt moriatur, propter exemplũ regis Dauid, qui pie admodum, & sanctè dimisit pœnam mortis Absaloni interfectori Ammonis fratris sui, vt habetur. 2. Reg. 14. Vnde quod postea sequitur: Nõ misereberis eius, intelligẽdũ est dictum fuisse ad iudicem, non condonãte parte: tunc enim non licet iudici pœnam remittere; secus autem si pars condonet iniuriã.

III. *Auferre sanguinẽ innoxiũ quid sit.*

AVferes innoxium sanguinẽ.] Editio Complutensis legit, noxiũ sanguinem; cæterũ apud literam Hebraicã & septuaginta habetur prout apud nos. Idq; optima ratione: nã scriptura hoc in loco alludit ad modũ loquẽdi quo vsus est Deus Genes. c. 4. quando dixit ad Cain: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: Insinuans sanguinem innoxium tam diu petere vindictam, quandiu non vindicatur. Ob quam causam ait Moyses in præsenti, ea ratione auferendum esse sanguinem innocentis de Israel, & fieri, vt non clamet, nec petat vindictam, nempe si occisor puniatur.

IIII. *Prouidetur indẽnitati occidentis inculpabiliter.*

NOn assumes.] Postquã indemnitati occidentis proximum inculpabiliter prouidit scriptura, cõsequens fuit, vt duo incommoda, quæ occasione eiusmodi occisionis, ac refugij suboriri possent, præcaueret. Alterum esset si ob id, quod lex Nume. 35. præcepit homicidas casuales immorari in ciuitatibus refugij per lõgũ tempus, nempe, vsq; ad mortem summi sacerdotis, aliquis forte cõciuis eius immutaret, ac transferret terminos hæreditatũ illius. Alterũ vero si cognatus occisi dolore stimulatus vno, vel pluribus testibus mendacibus adhibitis, intentaret probare occisorẽ proximi sui insidiasse ex odio vitæ illius. Quibus duobus incommodis conuenienter prouidet Moyses ab hoc loco, vsque ad finem capitis.

V. *Pœna cõtrapassi nõ est generalis.*

PEdem pro pede exiges.] Hanc talionis, seu cõtrapassi pœnam, quã lex præscribit testi falso, eodẽ modo intelligendã & explicandã puto, quo similẽ pœnã exposuimus Exo. 21. vt scilicet, intelligatur de nocumẽtis corporalibus, quæ testis voluit inferre alicui persone nõ qualificatæ. Si enim falsus testis testimoniũ dixisset cõtra patrẽ, vel matrẽ, seu contra principẽ populi, maiori pœna puniendus veniret, quam pœna talionis: cum non minus peccet, qui suo testimonio, quã qui per se ipsum damnũ infert.

ARGVMENTVM IN CAP. XX.

¶ *Exercentes bella Domini, etiam si contra se fortissimos hostes insurgere conspiciant, nullatenus frangi debent timore: cuius rei*

gratia

gratia sacerdotes, ac duces tenentur bellatores confortare, inutilesque, & formidolosos de medio aliorum tollere; & instructa acie pacem exteris offerre. Secus autem Chananais, quibus neutiquam licet vitam concedere, ne prauo suo exemplo Israelitas inficiant, & ad idololatriam incitent. In obsidione ciuitatum cauere oportet, ne ligna fructifera succidantur licet tamen de lignis agrestibus machinas conficere, quousque ciuitas capiatur.

PARAPHRASIS IN CAPVT XX.

A. SI exieris ad bellum iustum peragendum contra hostes tuos, & videris equitatum, copiasque equitum contra te adesse, & currus, seu quadrigas falcatas habentes singulas quatuor equos, & maiorem quã tu habeas aduersary exercitus multitudinem, nõ timebis eos, timore frangente vires; quia Dominus Deus tuus tecum est, qui perempta maxima AEgyptiorum, curruũque Pharaonis multitudine, eduxit te de terra AEgypti, in manu forti & brachio excelso, pro vobis pugnando. Appropinquante autem iam prælio, dum steteritis apud vrbem, quã obsidere debetis, vel in campo, vbi cõgressuri estis, stabit sacerdos ante aciem, coram omni bellatorum multitudine, & sic loquetur ad populum: Audi Israel; vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, seu commissuri estis, non pertimescat cor vestrum, corde namque deficiente per timorem membra externa viribus destituuntur nolite metuere, pigre & pauide dimicando nolite cedere: hostes vestros fugiendo; ne formideritis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, per specialem curam, ac prouidentiam, quam habet de vobis. Vnde & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo, nisi huic beneficio peccata vestra impedimentum præbeant. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt. † Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit seu initiauit, vel cæpit habitare eam? Vadat & reuertatur in domum suam, expleatque naturale desiderium initiandi domum à se ædificatam; ne forte, si id prius non perficiat, animo frangatur timens, quod moriatur in bello, & alius dedicet eam, ob idque fugiat, atque alios ad fugiendũ inuitet. Quis est homo, qui plantauit vineam, & hactenus non peruenit ad quintum annũ, in quo cũ lætitia & gaudio inceperit, † iuxta præscriptum legis comedere de fructibus eius: ac proinde necdum fecit eam esse communem, & de qua vesci omnibus liceat? Vadat & reuertatur in domum suam: ne forte, dolore cõsternatus, quia bonum istud de vinea sua nõ percepit, timeat, quod moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio, huiusque timoris occasione fugiat. Quis est homo, qui despondit vxorem, & non accepit eam, in domum suam, vt ea vteretur? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte, priuatus optatis nuptijs vxoris suæ timeat, quod moriatur in bello, & alius homo accipiat eã, ac talis timor sit ei occasio fugiendi. His dictis addent reliqua & loquẽtur ad populum. † Quis est homo formidolosus, & corde pauido? nẽpe qui excessiuo occupetur timore? Vadat & reuertatur in domum suam, ne fugam iniens, aut alia manifesta formidinis signa præbens, pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Cumque siluerint duces exercitus, & finem loquẽdi, omnia prædicta fecerint; vnusquisque dux explosis prius his, qui discedẽdi habẽt facultatem, suos ad bellandum cuneos præparabit, aciemque instruet. Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem existentem extra terminos terræ possessionis tuæ, quã tamen debellare tibi aliquando licebit propter iniurias, & damna ab illa recepta, tunc offeres ei primum pacem, si forte velint tecũ pacifice conuersari sub tributo. Si receperit, & aperuerit tibi portas, vt tanquam Dominus in ciuitatem ingrediaris, tũc cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo, quod illi impones iuxta mensurã delicti à ciuibus cõmissi. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit cõtra te bellũ, vel te oppugnando, vel te defendẽdo

Margin: † 1. Ma. 3. g. 56. — B. — † Le. 19. c. 25. — I. — † Iudi. 7. 4. 3. — C.

oppug-

oppugnabis eam, nam si peccata tua nō impedierint, proculdubio præualebis. *Cumq; tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu*, ac potestate

II. *tua percuties omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladij*: 2 nemini parcendo, sed omnes delendo, *absque mulieribus & infantibus*, qui causa belli esse nequiuerunt; & etiam absque *iumentis & cæteris* supellectilibus, ac rebus inanimatis, *quæ in ciuitate sunt*, & vsui vestro deseruire poterunt. *Omnem prædam exercitui diuides*, tibique prædaberis quidquid in ciuitate inueneris, *& comedes de spolijs hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi*, qualia sunt spolia per bellum iustum adquisita. *Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valde sunt*, nēpe extra terminos terræ Chanaā, *& non sunt de his vrbibus, quas in possessionem accepturus es*,

D. ex promissione facta patribus. *De his autē ciuitatibus, quæ dabuntur tibi*, in terra Chanaā, *nullum omnino permittes viuere: sed interficies*, non quidē lapidibus, aut ignis cōbustione, sed *in ore gladij*, vt citius interitus perficiatur; *Hethæū videlicet, & Amorrhæū & Chananæum, Pherezæum, & Heuæū, & Iebusæum*; silentioque prætereo Gergezæum, quia cum aliquo prędictorum cōmunionem habet, cum quo etiam interficiendus veniet, *sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus: ne forte*, si hi vobiscum degant, ac viui conseruentur, etiam sub tributis, *doceant vos facere cunctas abominationes*, atq; idololatriarū spurcitias, *quas ipsi operati sunt dijs suis: & eos æmulātes peccetis in Dominum Deum vestrum*, qui isthæc vobis summopere interdixit. *Quando obsederis ciuitatem multo tempore*, ita vt turribus ligneis vti debeas, *& munitionibus circūdederis, vt expugnes eam, non succides arbores, quibus vesci potest*, siue ipsa ciuitas sit intra terminos terrę Chanaan, siue extra illos, *nec securibus per circuitum debes vastare regionem: quoniam* id, quod vastare, vel succidere prohibeo, *lignum est, & non homo, nec potest bellantium cōtra te augere numerum*, se se tibi opponens cum vrbem obsederis, ad eā defendēdā. *Si qua autem ligna non sunt pomifera*, 3 *sed* prorsus infructuosa, vel *agrestia, & in cæteros apta vsus, succide, & instrue machinas, donec capias ciuitatem, quæ contra te dimicat*, ac se iniuste defendit. III.

ANNOTATIONES IN CAP. XX.

I. *Vineā sieri cōmunē quid sit.*

NEC Dum fecit eam esse communem.] In Hebræo habetur, & non profanauit eam; quod in idem redit: quia sicut res tunc dicitur sacra, quando est quasi sequestrata & separata à communi vsu qua ratione muri ciuitatis & alia huiusmodi dicuntur sancta: ita quando res incipit fieri communis omnibus, & datur facultas, vt omnes ea vti possint, tunc dicitur profanari. Ex lege autem Leuit. ca. 19. habetur, quod quando quis plantaret vineam nulla tenus liceret sibi neq; alijs edere fructus trium primorū annorū, qui erant quasi præputium vineæ, ob rationes ibidem assignatas à nobis; fructus autem quarti anni Deo offerebantur in integrū: & quinto anno fiebat vinea cōmunis & profana, ita vt tam Dominus vineæ, quā alij ex ea vesci potuissent. Quod fieri solebat cū magna lætitia & canticis. Vnde interpres bis exposuit sensum Hebraismi hic appositi: Primo dicens, necdum vineam fuisse factam communē secundo subiūgens ad maiorem explicationem de qua vesci omnibus liceat. Quæ verba in Hebræo minime habentur.

II. *Occidere in ore gladij est nemini parcere.*

IN ore gladij.] Bis vtitur scriptura in præsenti capite metaphora ista non quod acies, vel acumē gladij appelletur os illius, prout appellari posset acies gladij, eo q̄ homines scindit & cōsumit, quemadmodū os animalis cibū, seu panem. Ob quā etiā causam igni attribuitur lingua, quādo dicitur Isa. c. 5. Sicut deuorat stipulā lingua ignis. Si enim hac de causa, vel alia, nomine oris intelligeretur acies gladij etiā si vnus tātū interficeretur gladio posset dici fuisse occisum in ore gladij: cuius oppositū docet mos scripturę, quæ nō vtitur hac phrasi, nisi quādo omnes occidūtur & nemini fit remissio. Sensus igitur huius locutionis est, quem ostendimus Exod. 17. annot. 4.

III. *Pomū triplicē habet significationē.*

POmifera.] Ligna pomifera dicuntur ferentia poma. Pomū autē triplicem habet significationē. Nam primo sumitur strictissimē pro quodā fructu, cuius cortex est valde tener, & ipse fructus est multū succosus, quē non Hispani solemus vocare Mançana, & alio nomine appellari solet malū à rotūditate; quia malō Græce Latinis est rotundū. Alio modo sumitur pomū large pro omni fructu, qui corticē tenerum habet, & sic distinguitur pomū cōtra nucē: quia nux designat omnē fructū habentē corticē durū. Tertio sumitur pomū largissime, pro omni fructu qualiscūq; sit, siue durus, siue mollis, & hoc modo accipitur hic, & Gen. c. 1. quādo dicitur: Germinet terra herbam virētē, & faciētem semen, & lignū pomiferū faciens fructum.

ARGVMENTVM IN CAP. XXI.

¶ *Inuento hominis cadauere, nec tamen agnito cædis autore, seniores ciuitatis propinquæ tenentur se de crimine talis homicidij purgare*

gare lotis manibus super vitulam interfectam, ac profitendo innocẽtiam suam. Et, qui captam in bello voluerit ducere in vxorem, debet prius efficere, vt illa vniuersos gentilitatis ritus detestetur, ac deponat: Nec licebit cuiquam filium vxoris odiosæ priuare iure primogenituræ: secus autem si sit proteruus, quem tradere etiam tenetur iudicibus ad hoc, vt lapidetur. Suspensos tandem in patibulo, eodem die tradere oportet sepulturæ.

PARAPHRASIS IN CAPVT. XXI.

A. *QVando inuentum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi*, vel in ea terrę promissionis parte, quam inhabitaueris, pacificeque possederis, *hominis cadauer occisi*, *&* facta diligenti inquisitione à magistratibus populi, *ignorabitur cædis reus*, vt is amplius explorari valeat, & rei publicæ offensæ meliori, quo posit modo fiat satis, *egredientur maiores natu*, nempe seniores ad munus istud deputati; *& iudices tui*, qui vniuersæ Hebræorum reipublicæ præsunt, *& mentientur à loco cadaueris* vbi primò repertum est *singularum per circuitum spatia ciuitatum*, vt scire valeat quænam illarum sit propinquior loco cõmissi facinoris, *& quam viciniorem cæteris esse perspexerint*, eo quod de illa maior debet esse suspicio, quod scilicet aliquis ex ea homicidium perpetrauerit, *seniores ciuitatis illius*, vt se purgent in conspectu iudicum totius reipublicæ, *tollent vitulam de armento* sufficientis ætatis, vt potè à matre separatam, *quæ non traxit iugum*, quo currus ferri solent; *nec terram scidit vomere* arando; vt simplicitate naturali prædita innocentiam hominis occisi commodius repręsentet: *& ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementẽ recepit*, vt is locus symbolum existat innocentiæ & munditiæ illius ciuitatis, quę de crimine isto se purgare intendit: *& cædent in ea ceruices vitulæ*, vel carnifices, vel alij, quicumq; de populo: *accedentque* ad vitulam interfectã repręsentatiuam hominis absque culpa occisi *sacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus, vt ministrent ei*, in tabernaculo fœderis, *& benedicant* cunctis de populo Dei *in nomine eius; & ad verbum eorum omne negotium* ciuile, vel criminale, *& quidquid mundum, vel immundum est*, pertinens ad obseruantiã, ac ceremonias legis, *iudicetur*; hi scilicet sacerdotes, quales erũt qui eo tempore & loco de semine Aaron reperientur. *Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum*, vt interrogentur à sacerdotibus, an sciant quisnam illius sceleris patrator extiterit: & illis respondentibus, se nihil prorsus scire, redibunt ad locum vitulæ interfectæ, *lauabitque manus suas, super vitulam, quæ in valle percussa est*, in signum innocentiæ, & munditiei, quam habitatores ciuitatis illius habere credebãtur in percussione hominis occisi, *& dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt*, quisnam id fecerit: ac proinde *propicius esto populo tuo Israel, quem* de AEgyptiaca seruitute *redemisti Domine, & ne reputes*, seu imputes nobis *sanguinem innocentem*, huius hominis occisi absque culpa, ad hoc, vt puniatur *in medio populi tui*, vel in populo tuo *Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis: Tu autem* ò popule Israel hunc ritum perficiens *alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris, quod præcepit Dominus*, tam inquirendo diligenter reum criminis, quam efficiendo, vt propinquior populus ab homicidij suspicione, iuxta præscriptum legis se purget. *Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos*, qui sunt iuxta terminos terræ promissionis, *& tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuosque duxeris*, vt vendas, vel vt seruiant tibi, *& videris in numero captiuorum*, qui tibi obtigerunt *mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueris que habere vxorem*, ductus illius concupiscentia; *introduces eam in domum tuam*, si illa dimisso gentilitatis ritu voluerit facta proselyta tecum inhabitare; *quæ radet cæsariem*, quam idololatriæ

ritu quodã gẽtilico cõpositã gestãt vt ea cç
sariç dimissa creuerat sibi alia sub nou o viro
qui nõ radet, sed in ornatũ & decorẽ hone
stũ retinebit, *& circũcidet vngues* quas insa
na gẽtilitas superstitiose crescere nimiũ si-
nit; *& deponet veste in qua capta est*, vt ni-
hil retineat gẽtilitij ornatus: *sedes(q;) in do-
mo tua* fidelis facta, & deorũ cultu ab ani-
mo suo prorsus ablegato, *flebit patrẽ & ma
trẽ suã vno mense*, per quod tẽpus mortui
parentes lugeri solent, eorumque funera
celebrari. Debet enim mulier illa ad cultũ
veri Dei conuersa affectum infidelium pa
rentum deponere; ita vt non intendat eos
amplius videre, neque cum eis conuersari:
C. *& postea intrabis ad eam, dormiesque cum
illa, & erit vxor tua*, vt pote quæ vnam &
eandem tecum professa est fidem. *Si autem
postea non sederit animo tuo*, non placendo
tibi, sicut ante placuerat, *dimittes eam libe
ram, nec vendere poteris pecunia*, sicut ante
quam acciperes in vxorem poteras, *nec op
primere per potentiam*, subijciendo iterum
seruituti: *quia humiliasti eam*, seu deflora-
sti virginitatem eius. *Si habuerit homo vxo
res duas*, quas leges naturalis & scripta ha-
bere concedunt, *vnam dilectam*, sibiq; pla-
centem, *& alteram odiosam*, seu oculis eius
minime placentem, *genuerintque ex eo li-
beros, & fuerit filius odiosæ primogenitus*,
eo quod primo secundum carnem natus
est; *volueritq; substantiam inter filios suos
diuidere*, in qua diuisione discerni debet
primogenitus ab alijs, vt pote cui duplex
portio obuentura est: *non poterit filium
II. dilectæ*, 2 eo solum quod filius dilectæ sit
nisi alia interueniat causa, *facere primogeni
tum, & præferre filio odiosæ*, conferendo ei
duplicem partem substantiæ suæ, ac reli-
† 1. Par. 5. a. 1. qua iura primogenituræ, † *sed filium odio-
sæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de
his, quæ habuerit cuncta duplicia*, ita vt reli
quis filijs singulæ partes, illi autem duæ ob
tingant: *iste est enim principium*, seu pri-
mus *liberorum eius, & huic debentur primo
genita*, seu ius primogenituræ, nisi aliunde
D. indignus fiat illa recipiendi, vt Esau, &
Rubẽ. *Si genuerit homo filium contumacem*
nolentem agere ea, quæ lege diuina præci
piuntur, *& proteruum*, agentẽ ea, quæ fieri
prohibentur eadem lege, *qui non audiat
patris, aut matris imperium*, in his in qui-
bus obedire, & honorare eos tenebatur *&
coercitus*, vel verberibus, vel iteratis ad-
monitionibus *obedire contempserit*, ad pro
fundumque malorum venerit, nolens subij
ci legi, nec parentibus, *apprehendent eum,
& ducent ad seniores*, qui eo tempore sunt
iudices *ciuitatis illius, & ad portam iudicij*
vbi est locus audientijs publicis deputatus
*dicentque ad eos: Filius noster iste proter-
uus & contumax est, monita nostra audire
contemnit, comessationibus*, & ebrietatibus
vacat, & luxuria, atq; conuiuijs, cõsumit nã
que substantiam nostram inuitando alios
participantes cum eo in voracitatibus &
luxurijs. Et quia id, quod in casu præsen-
tis legis à parentibus dici præcipitur, non
nisi publicũ & notoriũ esse debet, & quod
plurium attestationibus aliàs cõstare opor
tet ipsis iudicibus, audita delatione paren-
tum, seniores prædicti filium ad mortem
condẽnabunt, ac *lapidibus eum obruet popu
lus ciuitatis: & morietur, vt auferatis ma-
lum*, ac pessimum istũ hominem *de medio
vestri*, ne diutius viuat inter vos, imo nec
super terrã; *& vniuersus Israel audiens per
timescat*: quæ sunt duo commoda intenta
à iustitia vindicatiua. *Quando peccauerit ho
mo*, committendo crimen, *quod morte ple-
ctendum est, & adiudicatus morti appensus
fuerit in patibulo*, prout appendi debent
quicumq; autoritate iudicum ad mortẽ cõ
demnantur, nisi aliud grauius mortis genus
vt lapidationis, vel combustionis per legẽ
præscribatur, *non permanebit cadauer eius
in ligno*, ne vobis, qui nimiũ crudeles estis
detur occasio delectandi vosmetipsos de
infamia, ac inhonoratione diuturna fratris
vestri; *sed in eadem die sepelietur*, eiusque
corpori hoc pietatis genus cito exhibebi
tur, *quia † maledictus*, ac satis sufficiẽterq; † Gal. 3.
punitus *à Deo est, qui pendet in ligno*, 3 ob b. 13.
ipsam dũtaxat suspẽsionẽ, etiamsi amplius III.
nõ puniatur in sepulturæ dilatione: *& nu-
quaquã contaminabis* per fætorẽ, seu aëris
corruptionẽ *terrã tuã, quã Dominus Deus
tuus dederit tibi in possessionẽ*, qualiter pro
culdubio terra inficeretur, si plura interdũ
corpora manerent in patibulis insepulta.

ANNOTATIONES IN CAP. XXI.

I. *Lotioma nuũ sig- niti* LAuabuntque manus suas] Quamuis scrip-
tura non exprimat, quorum seniores ciui-
tatis propinquioris deberent lauare manus
suas super vitulam interfectam], cæterum ex
vsu antiquitus obseruato, haud obscure colligi
tur, id facere debuisse ad protestãdum, nomine *nũ inno centiæ.*
cun-

Digitized by Google

cunctorum habitatorum ciuitatis illius, se nullâ culpâ seu criminis labê habere in morte illius hominis innocentis repræsentati per vitulã. Mos enim fuit antiquis, fateri volentibus se in aliquo crimine innocentes esse, vt manus lauarent. Quem morem seruasse Pilatus visus est in damnatione Christi, qui cum se innocentem ostendere voluisset, manus suas lauit, dicens, Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vt constat Matthæi. 27. & Luc. 23. Ex quo habes vitulam interfectam hoc in loco, non fuisse symbolum homicidæ, seu eius, qui hominem istum interfecit, vt volunt Lyranus, & Abulensis, quia si ita esset, seniores ciuitatis potius approbassent mortem vitulæ, quasi ratum habentes, quod patrator sceleris interficeretur, sed fuit symbolum hominis innocentis occisi, vt in Paraphrasi dicimus, & ob hanc causam seniores ciuitatis lauabant manus suas super vitulam percussam in signum odij, & detestationis percussionis illius, quasi qui nullatenus fuerint conscij, nec participes criminis commissi in percussione hominis innocẽtis, per vitulam repræsentati.

II. *Præferre filium dilectæ quid sit.* FILIVM dilectæ.] Contra hoc poterat obijci, quia Iacob Genes. 48. prætulit filium dilectæ Rachelis, nempe Ioseph filio odiosæ Liæ, nempe Ruben, & sublata primogenitura ab isto dedit illam Ioseph, quantum ad portionem duplicem substantiæ paternæ. Respondetur legem solum prohibere, vt pater non præferat in primogenitura filium dilectæ, ea solum ratione, quod filius dilectæ sit, nec dimittat filium odiosæ, eo quod huius sit filius. Nam si id pater faceret, proculdubio esset acceptor personarum. Cæterum ob alias legitimas causas, maximè ob illas, ob quas licitum est exhæredare aliquem filiorum, non prohibet lex priuare quem quam iure primogenituræ, prout fecit Iacob priuans eo iure filium suum Ruben, eo quod cubile paternum ascenderit, eiusque stratum maculauerit, vt habetur Genes. cap. 49.

MALEDICTVS à Deo est, qui pendet in ligno.] Sicut benedici dicitur in sacris literis is, qui condignis beneficijs, seu præmijs afficitur, vt Psalm. 113. Benedixit omnibus, qui timent Dominum, & Psalm. 127. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, & alibi sæpè, ita similiter dicitur maledici is, qui mala, seu tormenta condigna patitur, ac pœnis afficitur. In qua significatione suspensus in ligno, etiam si corpus eius in cruce, non diu permaneat, dicitur in præsenti maledictus, vt ostendit D. Paulus citans in prædicto sensu locum istum, ad Galat. cap. 3. quando inquit, Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis, qui pendet in ligno. Quasi dicat, affectus est Christus pœna, qua non tenebatur, vt nos eriperet à pœnis, quas merebamur. Vbi Apostolus tertio quoque vsurpat vocem maledictum in sensu prædicto. Quorum verborum sententiam inferius circa finem cap. 27. latius explicabimus. III. *Maledicti dicitur, qui pœnis afficitur.*

ARGVMENTVM IN CAP. XXII.

¶ Imponuntur populo plurima præcepta tam moralia, quam iudicialia, vt de custodia, ac de restitutione rei deperditæ, subuentione proximorum, ac de pietate erga proximos, & de fugienda superfluitate. Datur etiam modus, quo defendi queat vxor, cui à marito pessimum nomen imponitur. Criminaque nonnulla debitis appositis pœnis cauere præcipiuntur, maximè adulterium, stuprum, necnon & incestus cum nouerca.

PARAPHRASIS IN CAP. XXII.

A. † *Exod. 23. a. 4.* I. NON † *videbis bouem fratris tui* Iudæi, vel gentilis, *aut ouem errantem*, vel aliud quoduis animal à Domino suo diuertens, *& præteribis*, non aduertens cuius sit, *sed reduces fratri tuo*, & hoc non solum quando facili negotio animalia inuenta deuenire possunt in potestatem dominorum suorum, vt quando dominus est prope, vel quando scitur quis dominus sit rei deperditæ, sed præterea teneris prouidere animalibus inuentis, *etiam si non est propinquus*, sed longe abest *frater tuus*, qui est dominus rei, vel etiam quando *nec nosti eum*, vt si ignoretur ad quem pertineãt animalia aberrantia, tunc namque *duces in domum tuam*, *& erunt apud te*, *quandiu quærat ea frater tuus*, *& recipiat* solutis expensis,

pensis, quas fecisti. *Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit* à potestate domini sui, *si inueneris eam ne negligas, quasi alienã*, sed veluti propriam cura de conseruatione illius, donec in potestate domini sui deueniat. *Si videris asinum fratris tui, aut bouem*, vel aliud quoduis animal onustũ *cecidisse in via, non despicies*, nec desines auxilium ferre agasoni, vel ducenti illud, *sed subleuabis eum eo*, etiam si ipse sit inimicus tuus. † *Non induetur mulier veste viili, nec vir vtetur veste fœminea*, sed quos natura sexus discreuit, discernat, & vestitus, *abominabilis enim*, multumque detestabilis *apud Deum est, qui facit hæc* ob plurima vitia, quæ sub promiscuo isto vestimentorum vsu occultari possunt. *Si ambulans per viam*,

† 30. dist. c si qua mulier. 2.

II. 2 vt metaphoricè ac sub figura quadam loquar *in arbore, vel in terra*, seu alibi vbique *nidum auis inueneris, & matrem pullis, vel ouis desuper incubantem*, hoc est occasio sese tibi obtulerit, in qua plurimum damni inferre posis proximo tuo, ac rebus ipsius, quem sub figura matris insinuo, *non tenebis eam cum filijs*, speciem quandam crudelitatis exercens, *sed abire patieris* matrem, quæ sibi commodius consulere potest, & tu contentus eris *captos tenens filios* in signum, quod nequaquam inferre debes alijs hominibus in tuam redactis potestatem tantum malum, quantum iuste potes, sed benignitate temperabis ius potentiæ tuæ. Inde enim eueniet, *vt bene sit tibi, & longo viuas tempore*,

III. 3 quod est præmium virtuti pietatis promissum. *Cum ædificaueris domum nouam* iuxta consuetudinem Palæstinorum, qui tecta domorum habent plana, in eisque deambulatoria conficiunt, *facies murum tecti per circuitum* altitudinis mediæ staturæ humanæ, *ne effundatur sanguis*, vel detur oc-

B. casio: quod aliquis præceps ruat *in domo tua, & sis reus* mortis, seu damni subsequuti *labente alio, & in præceps ruente* de solario domus, ob defectum muri cingentis solarium, & impedientis casum hominis. *Non*

IIII. *seres vineam* 4 *tuam altero semine*, ex quo nascantur fruges aliæ vltra racemos, *ne, & sementis, quam seuisti*, nempe triticum, vel hordeum, *& quæ nascuntur ex vinea*, nempe racemi, vel mustum *pariter sanctificentur*, seu offerantur, simul ad imitationem idololatrarum, qui in reuerentiam Cereris, & Bacchi fruges simul, & racemos ad templa sua deferunt dijsque sanctificant, & offerunt. Ac etiam sub parabola prædictorum seminum mutuo se impedientium prohibeo tibi docere varias doctrinas destructiuas communis pacis, & quietis. † *Non arabis in boue simul, & asino*, vel in alijs animalibus dispa- † 16. q. 7. c. in noua, de electión. c. cum causa. De apostol. c. quidam.

ribus, vt ex hac metaphorica prohibitione discas, non esse imponendum æquale onus his, qui inæquales habent vires, sed omnia iuxta facultatem operantium, cum discretione temperandum. *Non indueris vestimento, quod*, vt metaphoricè loquar, *ex lana linoque contextum est*, detestari namque te oportet superfluitatem, & confusionem, in his, quæ quomodolibet ad te spectant. † *Funiculos in*, seu ex *fimbrijs facies*, 5 *per quatuor angulos pallij tui, quo operieris*, tum vt legis † Num. 15 d 8

V. diuinæ, quam specialiter profiteris, recordari valeas, tum etiam ad hoc, vti à cæteris gentibus in habitu quoque distinguaris. *Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam*, post quam congressum habuit cum illa, *quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum*, infamando eam de adulterio, *& dixerit. Vxorem hanc accepi*, sub prætextu, quod erat virgo, *& ingressus ad eam, non inueni virginem*, ob quam causam rea est mortis. Tunc temporis *tollent eam pater, & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius*, scilicet sanguinem rupti hymenis in sindone, vel in camisia receptum, *ad seniores vrbis, qui in porta sunt*, vbi mos est iudicia exerceri, *& dicet pater. Filiam meam dedi huic vxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum* infamando eam de re, quam non fecit, *vt dicat. Non inueni filiam tuam virgi-* C.

nem, & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ, quæ diligenti custodia à tempore, quo iste primo accessit ad filiã meam, adhibitis tunc temporis testibus ac tabellione apud me seruaui. *Expandent vestimentum*, seu camisiam sanguine virginitatis infectam, in medium, que proferent testimonia sufficientia ad negotij probationem *coram senioribus ciuitatis*, qui de hac re iudicium ferre debent, ab his comperta innocentia fœminæ, virum tanquam falsum delatorem condemnabunt. *Apprehendentque senes vrbis illius virum, & verberabunt illum*, seu iubebunt verberari, ita † vt non excedant flagella numerum † Infra. 25. a. 3.

quadragenarium, *condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ* in satisfactionem iniuriæ sibi illatæ, imponendo ei non bene custodisse filiam suam, dum fuit in potestate paterna, & etiam, *quoniam diffamauit nomen pessimum*, quod sibi non competebat *super virginem Israel*, & infamiæ filiæ redun-

redundant in patrem, ac proinde, etiam patri satisfacere debet iuxta præscriptum legis, *habebitque eam vxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ*, nec vti facultate repudij. *Quod si verum est, quod obijcit, & non est in puella inuenta virginitas*, probante viro illam habuisse rem cum alio, antequam sibi traderetur, *eijcient eam extra fores domus patris sui*, in qua asseruari debuit, quandiu inquisitio veritatis, causæque determinatio durabit, *& lapidibus obruent viri ciuitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Israel*,
VI. 6 vt videns se nuptui tradi, deciperet virum suum in re graui, occultando, quod *fornicaretur in domo patris sui*, ob quam fraudem, & dolum eam lapidabis, *& auferes malum de medio tui*, ne qui talia operatur, diutius viuat inter vos. † *Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, idest, adulter, & adultera* lapidibus obruti, *& auferes malum de Israel.* † *Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & concubuerit cum ea, educes vtrumque ad portam ciuitatis illius*, vt coram iudicibus crimen iuridicè constet, quo comperto ambo
D. adiudicabuntur morti, *& lapidibus obruentur, puella, quia non clamauit*, nec alia signa præstitit, quibus potuisset constare, se violentiam pati, *cum esset in ciuitate*, vbi testes habere poterat, vnde eam consensum præbuisse præsumitur. Lapidandus quoq; venit *vir, quia humiliauit*, contemptibilemque reddidit, & quodammodo inhabilem ad finem matrimonij *vxorem proximi sui, & auferes malum de medio tui. Sin autem in agro reppererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens* præstita violentia *concubuerit cum ea, ipse morietur solus, puella nihil patietur, nec est*, vel saltem præsumitur, quod non sit *rea mortis, quoniam sicut latro* in syluis latens insidiose *consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius*, seu vitam corporalem, quæ animæ informatione conseruatur, *ita & puella perpessa est*, vel præsumitur perpessam fuisse, vnusquisque namque præsumitur bonus, quandiu non probatur malus. *Sola erat in agro*, potuit ergo contingere, quod *clamauit, & nullus affuit, qui liberaret eam*, vnde secus iudicandum esset, si alias constaret ex mutua conuentione virum ac puellam desponsatam secessisse in agrum, adhoc vt ipsa securior esset ad omnem euentum, tunc enim ambo lapidari deberent. *Si inuenerit vir puellam virginem*, 7 *quæ non habet sponsum, & apprehendens* violentia adhibita, *concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit*, iuridiceque constiterit, † *dabit qui dormiuit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti*, ob iniuriam factam ipsi patri inferendo vim filiæ suæ, *& habebit eam vxorem*, postquam ipsam dotauerit, *quia humiliauit illam*, auferendo ab ea honorem pudicitiæ, & *non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ* priuatus facultate dandi libellum repudij. *Non accipiet homo vxorem patris sui, nec reuelabit operimentum eius*, etiam defuncto patre. VII.

† Leuit. 20 b. 11. & 23. q. 5. c. reos. † 34. q. 2. c. non satis.

† Exod. 22. c. 17

ANNOTATIONES IN CAP. XXII.

I. *Ad ea, quæ frequentius accidunt leges adaptantur.*

AVT ouem errantem.] Mos diuinæ scripturæ est, vt per id, quod plurimum vsu euenire solet, id quod raro contingit intelligat, vnde quod hic dicitur de boue, & oue errante, vt pote de animalibus, quæ, quia in pascuis demorantur sæpius aberrant, intelligendum est de cæteris rebus, quæ amitti etiam contigit, vt hic subiungit scriptura. Et in hoc eodem capite quando dicitur, non arabis in boue, & asino, pariter intelligitur, non esse arandum cum animalibus diuersarum specierum. Et capite sequenti iudicatur immundus, qui pollutus fuerit nocturna immunditia, sub qua comprehenditur, quoque diurna, quæ minus frequens est. Et Exod. 22. Viduam, & pupillum non affligetis, per quos intelligit, & alios, quos non licet opprimere.

II. *Quid sit matrẽ cũ filijs non tenere.*

SI ambulans per viam.] Si verba huius præcepti velis intelligere propriè, sensus illorum erit, ne mater cum pullis, seu ouis capiatur superstitiose, & more ethnicorum, qui credebant, quod si auis super pullos incubans caperetur, præstaret fœcunditatem, & fortunam in filijs nutriendis. Ac præterea obseruatores auguriorum, faustam, & fortunatam reputabant inuentionem nidorum cum matre, & ouis, seu filijs, & ideo non esse ab inuicem separanda. Quod si ea dissiparent, aut separarent ab inuicem, bonam fortunam amitterent, & domos suas esse dissipandas cognoscerent, seque esse passuros in seipsis, aut filijs suis, quod fecerent illis, videlicet aui, aut ouis, seu pullis ipsius, vt ergo Deus hoc reprobaret, bonum, quod augures promittebant ob conseruationem matris, & pullorum, nempe longitudinem, ac prosperitatem vitæ præsentis, posuit in diuisione illorum ab inuicem. Cæterum quamuis sensus iste admitti queat, commodior tamen est sensus parabolicus in Paraphrasi expositus, plurimis namque metaphoris, & parabolis abundat Moyses in capite isto, quibus eo loquendi modo instruit mores Israelitarum, quo Christus Dominus instruebat discipulos suos Luc. 12. dicens, sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Ob idque Clemens Alexandri. l. b. 6. Stromatũ docet Moysen in quibusdã

Digitized by Google

legibus, & præceptis suis tradendis vsum esse Hieroglyfica AEgyptiorum ratione, per symbola quædam, & ænigmata salutaria virtutum moralium, & religionis adumbrando, & insinuando documenta. Qualia erant Hieroglyfica AEgyptiorum, & famosa illa Pythagoræ symbola, de quibus pauca quædam à D. Hieronymo in libro 3. Apologiæ aduersus Ruffinum, strictim memorata, non ab re fuerit, vt hic adscribam. AEnigmata illa Pythagoræ ait Hieronymus, quæ diligentissimè Aristoteles in suis libris persequitur, huiusmodi erant. Staterem ne transilias, idest, ne prætergrediare iustitiam. Ignem gladio ne fodias. Iratum videlicet, & tumidum animum, verbis maledicis ne lacessas. Coronam minimè carpendam, idest, leges vrbium conseruandas. Cor non comedendum, idest, mærorem de animo proijciendum. Per viam publicam ne ambules, idest, ne multorum sequaris errorem. Hirundinem in domo non esse recipiendam, idest, garrulos, & verbosos homines sub eodem tecto habendos non esse. Oneratis superponendum onus, deponentibus autem onus minimè communicandum, idest, ad virtutem contendentibus augenda esse præcepta, laborem vero fugientes, & otio deditos esse relinquendos. Hæc pauca de symbolis Pythagoræ, referente D. Hieronymo, indicare lectori, non alienum duxi, pro intellectione plurium præceptorum legalium.

III. *Longitudo vitæ promittitur, quibuscunque beneficientibus proximis*

ET longo viuas tempore.] Hinc constat verum esse, quod Exod. cap. 20. annotauimus circa quartum præceptum Decalogi, videlicet, illud esse intelligendum, non solum de honorificentia parentum, sed etiam de pietate erga quoslibet proximos, quando quidem præmium illic præstitum de longitudine vitæ, hoc in loco dicitur esse participandum, etiam ab his, qui erga extraneos pietatem exercuerint, scilicet ab eo, qui desierit inferre proximo tantum malum, quantum iuste inferre potest, habens se instar illius, qui cum posset occidere matrem cum pullis, contentus pullis dimitteret matrem, vnde Apostolus 1. ad Timoth. 4. inquiens, pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, indistinctè accommodat præmium istud virtuti pietatis.

IIII. *Eadem mistura prohibentur in Leuitico & in Deuteronomio.*

NON seres vineam.] Hoc præceptum ac duo alia, quæ immediatè subsequuntur, eadem esse existimo cum illis, quæ Leuitic. 19. sub his verbis referuntur, iumentum tuum, non facies coire, cum alterius generis animantibus. Agrum tuum, non seres diuerso semine, veste, quæ ex duobus texta est, non indueris. Nam per hoc, quod hic dicitur, non arabis in boue simul, & asino, idem proculdubio prohibetur, quod quando dicitur, iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus, maximè si illud coire stet pro simul ire, scilicet, sub eodem iugo, in qua significatione interdum ponitur à Cicerone, prout videre est in Thesauro linguæ latinæ. Quapropter locus iste eosdem sensus patitur, quos diximus habere locum illum Leuiti. ibidem annotatio. 3.

V. *Funiculi & fimbriæ idē sunt.*

FVNICVLOS in fimbrijs facies.] In Hebraico habetur funiculos, seu fimbrias facies quasi nomine funiculi significetur figura rei, quæ præcipitur, & per fimbriam denotetur materia, erant enim signa ista funiculi quidam confecti ex fimbrijs, seu institis. Vnde quæ hic vocantur funiculi Numer. cap. 15. appellantur fimbriæ à vulgato Interprete, vbi latius meminit scriptura huius præcepti, ac finis illius. Hic autem additur, quod apponantur prædicti funiculi in quatuor angulis pallij, vt intelligamus communia Hebræorum pallia, quibus postremo operiebantur fuisse scissa, vel aperta ex vtroque latere ad modum illius vestimenti Hispanici, quod vulgo vocamus, capote de dos haldas. Vnde in extremitatibus aderant quatuor anguli, bini in parte anteriori, & bini in parte posteriori.

VI. *Deceptio incassa matrimonij punitur morte.*

QVONIAM fecit nefas in Israel.] Causa, quare mulier ista lapidari præcipitur, non est solum, quia existens in domo paterna fornicata fuerit, puella enim non desponsata rem habens cum viro, non meretur pœnam mortis, vt patet circa finem huius capitis, & etiam Exod. capit. 22. nisi eiusmodi puella sit filia summi sacerdotis, hæc enim ob dignitatem patris si fornicetur, præcipitur comburi, vt patet Leuitic. capit. 21. Mulier igitur, de qua in præsenti fit mentio, idcirco traditur ad mortem, quia post fornicationem decepit virum ac parentes suos, exhibens se tanquam virgo, cum tamen non esset talis. Et ob hanc causam Thamar soror Absalon statim, vt cognita fuit ab Ammon filio Dauid, non ausa est conseruare insignia virginitatis, sed ea scidit, quasi exuens se talarem tunicam, quæ in filiabus regis erat insigne virginitatis, vt habetur 2. Reg. 13.

VII. *Pro qua virginis violatione soluātur quinquaginta sicli.*

PVELLAM Virginem.] Aliquibus videtur hanc esse vnam eandemque legem cum ea, quæ habetur Exod. capit. 22. cum dicitur, si seduxerit quis virginem nedum desponsatam, dormieritque cum ea, & cætera. Hic tamen suppleri, quod ibi omissum fuerat, nempe solutionem quinquaginta siclorum argenti, qui patri puellæ dari præcipiuntur, verius tamen est hanc, quæ modo fertur, esse diuersam legem ab illa, ac pro diuersis casibus fuisse latas. Lex enim Exodi procedit, quando stuprator accedit ad puellam consentientem, nulla iniecta violentia, vt insinuant verba, quibus lex illa vtitur, videlicet, seduxerit, & dormierit. Hic autem fit sermo in casu, quo vis fuit illata virgini, vnde inquit legislator. Et apprehendens concubuerit cum illa, vbi nullus consensus ex parte virginis significatur. Et ob hanc causam in hac lege maior pœna stupratori indicitur, nempe, vt soluat quinquaginta siclos argenti, & non possit dimittere vxorem, vltra id, quod in Exodo imponitur seducenti virginem, videlicet, quod illam dotet, & accipiat in vxorem, & nolente patre puellæ illam sibi dare in vxorem, tenetur stuprator soluere dotem iuxta quantitatem dotis, quæ similibus fœminis dari solet.

ARGV.

ARGVMENTVM IN CAP XXIII.

¶ Eunuchi, manzeres, Ammonitæ, ac Moabitæ prohibentur admitti ad ciuilitatem Hebræorum, pacemque habere cum Ægyptijs atque Idumæis interdicitur Israelitis. Quibus & promulgatur ritus obseruandus quantum ad purificationem nocturnæ pollutionis, ac ventris purgationem, & quantum ad pietatem in seruos, corporis castitatem, iustitiam in proximos, fidelitatem in Deum, ac amicabilem inter sese communicationem.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIII.

A.

I. NON intrabit eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, vel vtcunque to taliter ineptus ad finem matrimonij, *Ecclesiam Domini*, 1 connubia contracturus, vel intra castra demoraturus, vna cum alijs Israelitis. *Non ingredietur* ad similem conuictum, vel ciuilitatem *Manzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini* ob vilitatem ortus sui, *vsque ad decimam generationem*, sed interdum, qui talis fuerit cum aduenis ad Iudaismum conuersis contrahet matrimonia, & conuersabitur. † *Ammonites, & Moabites*, *a etiam post decimam generationem*, quamuis à conuersione sua signaculum circuncisionis acceperint, *non intrabunt Ecclesiam Domini, in æternum*, sed cum alienigenis ad fidem conuersis, & in præputio manentibus extra castra, & extra cætum Israelitarum habitabunt, *quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua*, prouidendo victualia, quæ vobis erant necessaria *in via, quando egressi estis de Ægypto*, & accedentes ad terram duorum regum Amorrhæorum transistis, per terminos Ammonitarum, & Moabitarum. Propter quam impietatem ingressus in ciuilitatem Israelitarum eis perpetuo interdicitur, *& quia conduxerunt contra te* ad iussionem Balac regis Moab, *Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ*, adducentes eum de Aram, quam præterlabitur flumen Euphrates, quod postmodum irrigat terram filiorum Ammon, *vt malediceret tibi* mala imprecando, & immittendo, *& noluit Dominus*

† *Nehe. 13. a. 2. Numer. 22. a. 5.*

II.

Deus tuus audire Balaam, sæpè sæpius tentantem magicis artibus te infestare, *vertitque maledictionem eius*, qua te impetere cupiebat ariolus, *in benedictionem tuam*, mouendo eum ad hoc, vt saltem timore perculsus bona, quibus à Deo afficeris prædicaret, *eo quod diligeret te*, ac proinde noluit, vt ab Ammonitis, & Moabitis malum aliquod patereris. *Non facies cum eis pacem* amicitiæ, ad communicandum, & conuersandum cum eis, quamuis enim prohibuerim bella eis inferre ad occupandam terram illorum, non proinde volo, vt fœdus cum eis ineas, *nec quæras eis bona* temporalia, imò potius si viribus præualueris tributa ab eis exiges *cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum*, 3 nec tamen ob hanc causam si quispiam Israelitarum in particulari fuerit ab Ammonita beneficijs deuinctus, ingratum se exhibebit, quin potius benefactori suo condignas referet gratias. *Non abominaberis*, neque exosum habebis *Idumæum, quia frater tuus est*. Israel namque, & Esau, à quibus originem vos, & Idumæi ducitis, fratres extitere, *nec Ægyptium* abominaberis, quasi omnino extraneum, *quia aduena fuisti in terra eius*, in eaque tempore validissimæ famis sustentatus. *Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione* computanda à tempore, quo conuersi fuerint ad Iudaismum, *intrabunt in Ecclesiam Domini*, tam quoad cohabitationem, quam quoad ciuilitatem publicam cum Israelitis habendã: ita vt valeant exercere officia virorũ nobiliũ. *Quãdo*

B.

III.

egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam,
vt summa cum honestate ac disciplina gere
te valeas bella Domini, *custodies te ab omni re*
mala, nequaquam vtens licentia militum,
qua putant in bello nihil sibi non licere. *Si*
fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit
somnio, quod dormientibus vestitis, qualiter
milites dormire solent, præcipue accidit,
egredietur extra castra, quo purgare valeat
corporalem fœditatem, *& non reuertetur*
IIII. *priusquam ad vesperam lauetur aqua* 4 com-
muni fontis, vel fluuij, *& post solis occasum re*
gredietur in castra, vt huic corporali emun-
dationi assuefactus, facilius in mentem ve-
niat munditia spiritualis, cui maiori conatu
C. quisque vestrum studere tenetur. *Habebis*
locum extra castra, quotiescunque exiterit
populus in prælio, *ad quem egrediaris ad re-*
quisita naturæ, gerens paxillum in baltheo anne
xum ipsis armis, qui aptus sit ad fodiendam
terram, *cumque sederis*, ventremque purga-
ueris, *fodies per circuitum, & egesta humo* de
loco circunstante, ipsum stercus *operies, quo*
releuatus es, vt hac circumspectione adhibita,
Dei ministri in castris degentes absque de-
decore, & fœtore conuersari valeant, *Domi*
nus enim Deus tuus ambulat in medio castro-
rum, ad similitudinem principis discurren-
tis, per castra militaria, *vt eruat te de mani-*
bus hostium, & tradat tibi inimicos tuos, ob
quam causam, etiam quantum ad dispositio-
nem immunditiarum corporalium vult te
cum proximis tuis secundum rectæ ratio-
nis ordinem agere, quapropter curare de-
bes, quod *& sint castra tua sancta*, mundaque
seruentur, *& nihil in eis appareat fœditatis, ne*
Deus offensus ob neglectum inter vosmet
ipsos honestum conuictum, & moralem
ordinem *derelinquat te*, ac desinat speciali-
bus beneficijs prosequi, ad modum princi-
pis retrocedentis, si reperiat fœdatam viam,
per quã ambulat. *Non trades seruum Domino*
suo, qui ad te, o popule Israel, de gentilitate
confugerit, sed si ritum Iudaicum, vel cultum
veri Dei amplexari voluerit, *habitabit tecum*
in loco, qui ei placuerit, & in vna vrbium tua-
rum requiescet, propter reuerentiam populi,
ad quem confugit, *ne contristes eum*, prout
contristares, si reduci permitteres ad domi-
num suum. *Non erit meretrix de filiabus Israel*
ob dignitatem personarum, ex quibus
Christus nasciturus est, *nec scortator*, seu me
retricum sectator erit quispiam *de filijs*
Israel. Bene tamen permitti poterunt in re
publica Hebræorum, vt adsint meretrices
de alienigenis, de quarũ quæstu, & mercede
procedit lex modo subiugenda. *Non offeres*
mercedem prostibuli meretricio, vel alio pol-
lutissimo quæstu adquisitam, *nec pretium ca*
nis 5 venditi, seu etiam locati ad impreg- V.
nandas caniculas, vel etiam cuiuslibet mas-
culi ad impregnandas fœminas *in domo Do-*
mini Dei tui, quidquid illud est, nempe siue
hoc siue illud sit, *quod voueris*, quamuis enim
voto te astrinxeris ad offerendũ pretium ca
nis, vel mercedem prostibuli, nihilominus
offerre non debes in tabernaculo, *quia abo-*
minatio est vtrumque apud Dominum Deum
tuum, ob respectum, quem dicit ad res tur-
pes seu viles. *Non fœnerabis fratri tuo*, qui D.
de genere Israel est, *ad vsuram* 6 accipien- VI.
do pro vsu illius aliquid vltra sortem prin-
cipalem, videlicet, *pecuniam nec fruges, nec*
quamlibet aliam rem, etiam si res illa, non sit
consumptibilis, *sed alieno*, nempe gentili
conuerso, vel non conuerso ad Iudaismum,
huic enim aliqua ex prædictis mutuare po-
teris ad vsuram, ea scilicet, quæ non sunt vsu
consumptibilia, vt equum, vestem, & alia
huiusmodi. *Fratri autem tuo absque vsura id,*
quo indiget, etiam si non sit vsu consumpti-
bile *commodabis, vt benedicat tibi Dominus*
Deus tuus, ac te prosperum faciat bonorum
multiplicatione *in omni opere tuo in terra, ad*
quam ingredieris possidendam. Cum votum vo-
ueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, ne
que enim in potestate tua est, id quod vo-
uisti differre, sicut nec auferre, *quia requiret*
illud Dominus Deus tuus ab eo tempore,
quo reddere proposuisti, quando votum
emisisti. *Et si moratus fueris reputabitur tibi in*
peccatum, ob negligentiam in re graui perti-
nente ad verum Dei cultum. *Si nolueris polli*
ceri, absque peccato eris, versatur enim votum
circa bonum supererogationis, ad quod vo-
uens alias, non tenebatur. *Quod autem semel*
egressum est de labijs tuis, per locutionem in-
ternam, vel etiam simul & externam, *obser-*
uabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo
tuo, quæ quidem promissio in duobus con-
sistit, nempe in eo quod, *& propria volun-*
tate, cum vero proposito, & deliberatio-
ne vouendi, ac etiam in eo quod, *& ore tuo*
locutus es promissionem emittens exter-
nam, vel intellectualem tantum. *Ingres-*
sus vineam proximi tui, non quidem se-
pem frangendo, quod neutiquam licet,
sed per ostium *comede vuas, quantum ti-*
bi placuerit, etiam si ad id solum ingre-
diaris, *foras autem ne efferas tecum*, tan-
tum

tum enim conceditur, quod ad amicabilem quandam communicationem spectat.
VII. *Si intraueris in segetem amici tui,* 7 & de illius fructibus edere volueris, *franges spicas, & manu conteres*, etiam si ad comedendum, non cogaris fame, *falce autem non metes*, continendum enim est amicis absque magno suarum rerum nocumento.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIII.

I. *Ecclesia & synagoga differunt.*

ECCLESIAM Domini.] Congregatio Israelitarum, quandiu in vero Dei cultu permansit, præceptisque fidei, spei, & charitatis incubuit, non solum synagoga, sed etiam Ecclesia vocata est, tam hic, quam Num. 20. & 3. Reg. 8. & alibi pluries. Cæterũ postquam diuinæ vocationi restitit fidem veram respuens, non iam Ecclesia, idest euocatio, sed synagoga, hoc est, congregatio appellata est, eo quod filij eius, modo iam, non quasi rationales creaturæ, per fidei vocationem obediunt, sed quasi pecudes in vna multitudine aggregantur, vnde per Ecclesiam Domini hoc in loco intelligere debemus ipsam Israelitarum congregationem, vel multitudinẽ. In qua non erant admittendi Eunuchi, Manzeres, & Ammonites, & Moabites, quantum ad duo, quæ exprimuntur. 2. Esdræ. cap. vltimo, nẽ pe quantum ad locum, nam hi, non debebant habitare permisti inter Israelitas, sed separati ac seorsum, vnde in dicto capite habetur, quod propter obseruantiam huius legis separati sunt alienigenę ab Israel, hoc est, quantum ad locum. Item separari debuerunt hæc tria hominum genera ab Ecclesia Domini, quantum ad connubia, non enim licebat dare eis fœminas Hebræas in vxores, vt in eodem capite vltimo, post medium insinuatur. Poterant tamen communicare cum synagoga, qui ex iis essent circuncisi, quã tum ad esum agni paschalis, vt habetur Exod. cap. 12. Vnde quando dicitur in præsenti, quod Eunuchi, ac cæteri non intrarent Ecclesiam Domini, debet intelligi quantum ad omnia, nec enim reputari debebant in omnibus ac si essent perfecti Israelitæ, sed aliqua ratio discretionis esse oportebat inter eos ac reliquos Israelitas.

II. *Quales alienigenæ excludebantur à consortio Israelitarum.*

AMMONITES & Moabites.] Per hos dumtaxat intelliguntur illi, qui à patribus Ammonitis, vel Moabitis geniti erãt, filij enim fœminarum Ammonitarum, vel Moabitarum, seu aliarum quarumlibet mulierum alienigenarum, non excludebantur à ciuilitate Hebræorum, vt patet in Booz, qui fuit filius Rahab Iericonthinæ, & in Obed, qui fuit filius Ruth Moabitidis, vt habetur Matth. 1. & tamen vterque fuit princeps tribus Iudæ, & eorum nepos ac pronepos fuit rex Dauid.

III. *Quale cõsortium cum alienigenis prohibebatur.*

IN sempiternum.] Ea ratione propositæ legi sequentem limitationem subiunxi, quia 2. Reg. 10. inuenio, quod Dauid fecit misericordiam cum Hanon rege Ammon, & quod nuncios ad eum pacifice direxerit ob beneficia à Naas patre Hanon suscepta. In qua re creditur Dauid, vt personam priuatam se habuisse, lex autem præsens, non nisi de pace publica, beneficijsque vniuersalibus, quibus tota Ammonitarum vel Moabitarum natio, superior euadere potuisset, dumtaxat procedit, non de beneficijs, quæ personæ priuatæ sibi inuicem conferre potuissent, ac debuissent.

IIII. *Aqua cõmunis interdũ requiritur ad emundationẽ.*

LAVETVR aqua.] Hic non est sermo de aqua expiationis commista cineribus vitulæ ruffæ, cuius meminit lex Numer. 19. sed de aqua communi fluuiali, vel fontana. Quod ostendi potest primo, quia Leuitic. 15. præcipitur generaliter. Vir de quo egreditur semen coitus, lauabit aqua omne corpus suum. Cum igitur constet neminem lauari aquis expiationis, sed solum aspergi eis, consequens est hic sermonem fieri de aqua communi. Item quia Numer. 19. capit. vbi ponitur ritus aquæ expiationis, solum dicitur vtendum esse aqua illa in purificationibus ab immunditijs morticinorum, cadauerum, ossium tentoriorum, & sepulchrorum, ergo aliæ immunditiæ, maximè illæ, de quibus in præsenti agitur, alia aqua auferebantur, nempe aqua communi.

V. *Quale pretium canis nõ licebat offerre.*

PRETIVM canis.] Quamuis probabilitate non careat opinio asserentium hoc in loco sermonem fieri de pretio, quo quispiam existimare poterat, redimendum esse primogenitum canis ex præscripto legis Exod. 13. & 34. ita vt hoc in loco ponatur exceptio inhibens commutationem, seu redemptionem primogenitorum eiusmodi animalium, vel similium, ob ipsorum vilitatem, nihilominus probabilior est sententia asserentium, hic loqui scripturam de pretio, quod dari solebat, pro locatione masculorum ad coitum fœminarum, quæ quia frequentius fiebat apud Hebræos in canibus venaticis, vel ouium custodibus, specialiter memoratur prętium canis. Quæ sententia fulcitur authoritate Iosephi optime agnoscentis morem Hebræorum, & etiam contextu literæ. Quorsum enim, nisi hoc insinuare voluisset, coniunxisset Moyses mercedem meretricis, cum pretio canis, dicens, abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum, nisi ob similitudinem turpitudinis.

VI. *Homicidium dupliciter sumitur.*

AD vsuram.] Sicut hæc vox homicidium in sacris literis interdum sumitur large, pro qualibet hominis occisione, etiam inculpabili, vt superius cap. 19. Vt habeat è vicino, qui propter homicidium profugus est, quo possit euadere. Interdum vero strictè, & propriè, pro occisione hominis culpabili, vt Nume. 35. Reus erit homicidij. Ita similiter hæc vox vsura aliquando vsurpatur in sacris literis largè pro pretio, quod datur pro vsu cuiuslibet rei. Aliquãdo vero strictè pro pretio, vltra sortẽ accipitur pro vsu rei consumptibilis vsu, quod pretiũ est, omnino

Vsurã dupliciter sumitur.

nino illicitũ, & iniuſtũ. In præſenti igitur vſura ſumitur in illa priori ſignificatione, iuxta quã imponit Deus præceptũ quoddã iudiciale Iſraelitis, ne pro vſu alicuius rei percipiant aliquid à fratribus ſuis, etiã ſi res, nõ ſit vſu conſumptibilis, vnde vtitur inferius nomine commodabis, quod accommodari ſolet rebus vſu non conſumptibilibus, ſicut mutuare accommodatur rebus vſu conſumptibilibus. Ab alienis autem permittitur Iudæis accipere vſuras in prædicta lata ſignificatione, non quod illas accipiant, pro vſu rerum vſu conſumptibilium vltra ſortem, id enim eſſet contra legem naturæ, & prohibitum in Pſalm. 15. vbi inter alias conditiones viri iuſti ſupputatur, qui pecuniam ſuam, non dedit ad vſuram, ſed permittitur accipere à gentilibus pretium pro vſu rerum, quæ vſu non conſumuntur, quod pretium hic vocatur vſura, & eam accipere potuiſſent Hebræi etiam à fratribus ſuis, niſi lex hoc in loco prohibuiſſet, propter maiorem charitatẽ, quam inter ſe ipſos obſeruare tenebantur. Ex quibus patet, quam inepté prætendant Iudæi occaſione huius legis, ſe poſſe licitè accipere vſuras pro mutuo dato alienis, in tantum enim excæcauit eos malitia eorum, vt prætextu legis diuinæ, velint legem ipſam diuinam naturalem infringere.

SI intraueris in ſegetem] Aliqui ſubiungunt huic præcepto, & præcedẽti de ingredientibus vineam proximi, duas limitationes. Altera eſt quod is, de quo loquitur lex, debeat intrare ad vindemiandum, vel metendum mercede conductus, non autem dumtaxat ad comedendum. Altera vero, quod id faciat cogente fame. Cæterum vtraque limitatio impertinens eſt, & manifeſtè redarguitur ex facto diſcipulorum Chriſti Domini, qui abeuntes, per ſata Sabbato cœperunt vellere ſpicas, & manducare, vt habetur Matth. 12. Quod proculdubio fecerunt freti hoc legis beneficio. Vnde Phariſæi videntes, quod faciebant diſcipuli Chriſti, ſolum arguerunt eos de violatione Sabbati dicentes, ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis. Et ſi obijcias, quod hoc fecerunt cogente fame. Bene verum eſt, dicitur enim, quod erant eſurientes, cæterum id non conſtabat Phariſæis, ac proinde, ſi non fuiſſet licitum ſimpliciter colligere ſpicas, etiam de ea re reprehendiſſent diſcipulos, prout reprehendebant de ea violatione Sabbati, quæ licita erat fame cogente.

VII. *Moderatus vſus ſegetis, & vineæ alienæ erat licitus.*

ARGVMENTVM IN CAP XXIIII.

¶ Vxor repudiata, ſi ad ſecundas nuptias tranſierit, etiam poſt harum diſſolutionem, non poteſt ad priorem virum regredi. Nuper vxoratus lætari iubetur vno anno, cum vxore ſua. Neceſſaria pro alimẽto ſumi inhibentur in pignus, plagiarijs pœna imponitur mortis, his autem, qui ſacerdotes contempſerint, periculum imminet incurrendi lepram. Repetuntur tandem plurima præcepta tam moralia, quam iudicialia, quæ magna ex parte pietatem in pauperes, ac pupillos, & viduas commendant.

PARAPHRASIS IN CAPVT XXIIII.

A. † *Matt. 5. c. 31. & 19. a. 7. Mar. 10. a. 4.*

S*I acceperit homo vxorem* † quantum ad vinculum coniugale, *& habuerit eam* in coniugem, per conſummationẽ matrimonij, *& non inuenerit gratiam ante oculos eius*, ſed ei diſplicuerit, *propter aliquam fœditatem*, culpabilem, vel inculpabilem, quam mulier contraxerit, ob idque voluerit vir illam dimittere, non aliter id ſibi facere permittetur, niſi hoc ritu obſeruato, etenim *ſcribet libellum*, nempe chartulam, ſeu ſchedulam *repudij, &*
I. *dabit in manu illius* in teſtimonium libertatis eius à vinculo coniugali, *& dimittet eam de domo ſua*, quod abſque culpæ reatu facere licebit, diſpenſante Deo, cum Iſraelitis, quã tum ad inſeparabilitatem matrimonij, ob duritiam cordis eorum, maximamque ipſorum imbecillitatem. *Cumq; egreſſa* mulier de domo prioris viri, non iam cõiux, ſed ſoluta *alterum maritum duxerit*, quod abſque reatu mœchię facere poterit, *& ille quoq; oderit eã, dederitq; ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, vel certè mortuus fuerit*, vel tandem vtcunque res eueniant, poſtquam mulier iſta tranſierit ad ſecundas nuptias, vel rem cum alio habuerit, *non poterit prior maritus recipere eam in vxorẽ*, ne videatur eum, quaſi alijs illam cõmodaſſe, *quia polluta eſt*, con-

concubitu secundi viri, *& abominabilis facta est* respectu prioris viri, & inhabilis ad contrahendum de nouo cum illo *coram Domino*, & in rei veritate, *ne peccare facias* proximos tuos habitãtes *terram tuã, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam*, quibus proculdubio occasionem peccandi præberes, si permitteres vxorem repudiatam posse post secundas nuptias ad priorem virum reduci. inde enim fieret, vt viri prætextu repudij possent impunè vxores suas alijs commodare, vel saltim daretur occasio, vt alij id fieri existimarent,
B. seu iudicarent. *Cum acceperit homo nuper vxorem*, in domumque nouam coniugem deduxerit, *non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis iniungetur publicæ, sed erit exemptus* à quibuscumque exigentibus recessum à domestica conuersatione, & *vacabit absq; culpa domui suæ*, quamuis oneribus, & officijs, quæ non exigunt recessum à ciuitate intendere debeat, *vt vno anno lætetur cum vxore sua*, & continuatione nouæ cohabitationis mutuus inter eos firmetur amor. *Non accipies loco pignoris* (vt metaphoricè loquar) *inferiorem & superiorem molam*, quibus significare intendo omne illud, quod necessarium est ad vitam debitoris, & se habet ad instar molarum terentium cibum præcisè necessarium vitæ humanæ, debitor enim isthæc donans in pignus, non sibi restat nisi mori, *quia animam suam*, nempe id vnde vitam corporalem sustentare potest, *apposuit tibi*, eiusmodi rem tradens in pignus. *Si deprehensus*, & in iudicio sufficienti probatione conuictus *fuerit homo solicitans* dolo & fraude, vt furetur *fratrem suum de filijs Israel, & vendito eo acceperit pretium, interficietur* eiusmodi fur, ob grauissimam iniuriam fratri illatam: *& auferes malum* istũ hominem plagiarium *de medio tui*, ne diutius viuat inter vos. *Obserua diligenter ne*
II. *incurras plagam lepræ*, a quam incurrunt, qui prælatorum spiritualium auctoritati detrahunt, aut resistunt, *sed facies, quæcumque docuerint te sacerdotes Leuitici generis iuxta id, quod præcepi eis & imple solicitè*: sic enim fiet, vt eiusmodi plagam non incurras. † *Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ* sorori meæ apud mansionem Haseroth, *in via cum egrederemini de Ægypto* percutiens eam plaga lepræ, eo
C. quod detraxerit mihi: *Cum repetes à proximo tuo* non valente reddere *rem aliquam, quam debet tibi*, volueris que pro debiti assecuratione pignori incumbere, *non ingredieris domum eius, vt pignus auferas*, ne occasionem habeas accipiendi rem summè necessariam ipsi debitori, aut rem multo maioris precij, quàm sit debitum: *sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit*, illudque dumtaxat accipiendum erit. *Sin autem pauper est*, ac omnino indigens *non pernoctabit apud te pignus*, quo pro indumento & lecto vtitur, *sed statim reddes ei ante solis occasum*, 3 neque enim debita cum tanta iactura proximi recuperanda sunt. Quo III.
fiet, *vt dormiens in vestimento suo*, quod in pignus dederat, & illo vtens *benedicat tibi* gratiasque, prout potuerit, referat, *& habeas iustitiam*, 4 seu iustitiæ præmium IIII.
coram Domino Deo tuo, qui pro opere isto misericordiæ, & ob preces pauperis, iustã mercedis coronam retribuet. † *Non negabis*, nec tardabis reddere *mercedem indigentis*, qui nihil habet aliunde vnde viuat, *& pauperis*, qui quamuis aliquid habeat, nõ tamen sufficit nisi adiuuetur mercede sua, *fratris tui* Israelitę, *siue aduenæ, qui* conuersus de gentilitate ad cultum veri Dei *tecũ moratur in terra, & intra portas tuas est*, degens in aliqua vrbium populi Israelitici: *sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam*, seu vitam corporalem: *ne clamet contra te ad Dominum* celerem vindictam postulans, *& reputetur tibi in peccatum*, pœnamque subeas impietatis & iniquitatis tuæ. † *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus* etiam à iudicibus, *sed vnusquisque pro peccato suo morietur*, seu occidetur à iustitię ministris: occisio enim innocentis pro aliorum criminibus, Deo reseruata est. *Non peruertes iudicium aduenæ & pupilli*, quamuis facili negotio id fieri posse videatur: *nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum*, neque quippiam aliud, quod miserabilibus personis summè necessarium sit. *Memento quòd* D.
seruieris in Ægypto, & eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi, vt facias hanc rem: multum namque prodest memoria tui ipsius olim in miseria constituti, ad hoc, vt miserearis personis miseratione indigentibus, vtque talem te illis exhibeas quales desiderasti olim alios esse tibi. † *Quando messueris segetem in agro tuo*, non sis nimium solicitus & auidus intelligendis manipulis vniuersis, sed si *& oblitus manipulum*

† Num. 12.c.10.

† Leuit. 19.c.15. Tob.4.c.15.

† 4.Reg. 14.b.6. 2.Para. 25.a.4. Ezech.18 d.20.

† Leuit. 19.b.9.

pulum reliqueris, non reuerteris vt tollas illum, & multo minus remanentes spicas: *sed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris*: vt in præmium huius largitatis *benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum*, adaugens prouētum laboris tui. *Si fruges collegeris oliuarum*, id ipsum te obseruare oportet: nam *quidquid remanserit in arboribus* post primam fructuùm collectionem, *non reuerteris vt colligas, sed relinques aduenæ, pupillo, ac viduæ*: vt saltim hac ratione misericordiæ operibus incumbas. *Si vendimiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in vsum aduenæ, pupilli, ac viduæ. Memento quòd & tu seruieris in Ægypto, & idcirco præcipio tibi vt facias hanc rem.*

ANNOTATIONES IN CAP. XXIIII.

I. *Libellus repudij ex diuina dispēsatione dissoluebat matrimonia quoad vinculum.*

LIBELLVM repudij.] In his, quæ hoc in loco de libello repudij referuntur duo tanguntur dubia. Alterum est quem nam effectum sortitus fuerit libellus repudij apud Israelitas: an videlicet dumtaxat effecerit dissolutionem matrimonij quoad thorum, seu potius etiam resciderit vinculum matrimonij: ita vt repudiata licitè potuerit contrahere cum altero viro. Ad quod respondeo. Diuina ordinatione dispensatum est in populo Israelitico quantū ad inseparabilitatem matrimonij, ita vt obseruata forma libelli repudij hic tradita, possent mulieres repudiatæ ad secundas nuptias transire, vtpote soluto vinculo coniugali prioris matrimonij. Quod non obscurè colligitur ex verbis Christi Domini Matthæi. 19. percontantibus enim Pharisæis: Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis Iesus: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem nō fuit sic: Vbi ostendit Christus aliter fuisse dispositum circa dimissionem vxorum tempore creationis hominis, hoc est, in statu legis naturæ, quàm in statu legis Mosaicæ. Hoc autem discrimen nequit assignari, nisi dicamus, quod in statu legis naturæ matrimonia non poterant dissolui quantum ad vinculum, neque mulier priori marito viuente poterat inculpabiliter transire ad secundas nuptias: etiam si ob iustas causas coniugati possent separari quantum ad thorum: & etiam si transitus ad secundas nuptias fœminę non puniretur lege aliqua positiua. In statu vero legis scriptæ non solum permissa erat separatio quoad thorum, & non solum non puniebantur pœna positiua secundæ nuptiæ mulieris repudiatæ, prout in statu legis naturæ, sed vltra hoc ob diuinam ordinationem absque reatu mœchiæ tales nuptiæ fieri poterāt nec ea in re vlla fiebat iniuria legi naturæ. Sicut enim stante lege naturæ, quæ præcipit vitam proximi innocentis tueri, posset quis licitè ex præcepto diuino innocentem interficere: ita stante lege naturæ, quæ præscribit inseparabilitatem matrimonij, potuit Deus & de facto concessit Israelitis ob legitimas causas, ac propter eorum duritiam, vt seruata forma hic tradita matrimonia dissoluerentur etiam quoad vinculum. Et confirmatur, quia nemo sibi persuadebit, eam legem quæ iubebat lapidari mulierem, quæ semel in adulterio deprehensa esset, simul tolerasse tot adulteria, quæ publicè patrata fuissent à multis toto vitæ tempore, lege permittente, repudiatā nubere iterū. Quod necessario fatendum est, si dicatur per libellū repudij non fuisse dissolutum vinculum prioris matrimonij. Hanc sententiam defendunt. S. Thomas, Scotus, Durandus, & Paludanus in 4. dist. 33. Abulensis super hunc locum, & in Matth. cap. 19. quæst. 49. & 50. & Ioannes Echius homil. 74. de sacramentis, & Petrus à Soto lectio. 13. de Matrimonio. Eamque plurimis rationibus confirmat Belarminus libro. 1. de sacramento Matrimonij. cap. 17.

II. *Quadruplex genus permissionis.*

Secundum dubium est, quo sensu Iudæis permissum fuerit dare libellum repudij, an ita vt dimittendo vxores suas non peccarent, an ita vt peccarent quidem, sed lege non punirentur ac factum teneret. Circa quod obseruare oportet cum D. Thom. in 4. dist. 33. quæstione. 2. ar. 1. quæs. 1. quattuor modis permitti aliquid, aut quod bonum est, sed non præceptum, vt vendere omnia, & dare pauperibus, permissum esse dicitur, quia bonum est & nō imperatum. Aut quia minus bonum est, cuius maius bonum non est præceptum, sicut dicitur matrimoniū esse permissum, quia virginitas, quæ maius est bonum, non est præcepta. Qui certè duo modi sub vno comprehendi possent, si dicamus illud permissum vocari quod neque præceptum est, neque prohibitum. Tertio modo dicitur permissum apud D. Thomam, quod malum est, non tamen impeditur, cum impediri posset: sicut Deus dicitur omnia peccata permittere, quia cum impedire posset, impedire non vult. Ac tandem permitti dicitur, quod malum quidem est, sed lege non punitur, vt maius malum vitari queat: sicut meretricium. Nonnulli prædictis quattuor permissionis acceptionibus, quintam subiungunt dicentes illud etiam vocari permissum, quod, cum malum sit, dum ab eo, qui dispensandi potestatem habet, fieri permittitur, malum esse desinit: quemadmodum permissum fuit Osee Prophetæ filios fornicationis suscipere, Osee cap. 1. Superflue tamen hic modus permissionis superadditur prædictis, comprehenditur enim sub illorum secundo. Quidam igitur vsum libelli repudij secūdo illo

Vsus libelli repudij licitus erat.

illo modo existimant permissum fuisse Iudæis, vtpote tanquam minus bonus minimè prohibitum. Alij non tanquam minus bonum, sed tanquam minus malum quarto illo modo permissum, autumant. Vtrumque probabile est, & bonos vtraque opinio auctores habet. Prior auctorem imperfecti, & D. Thomam vbi supra: posterior Tertullianum libro de Monogamia, Origenem tract. 7. in Matthæum, Chromatiū super Matth. cap. 5. Hieronymum, Bedam, Euthymium, & Theophylactum super Matt. cap. 19. Mihi probabilior videtur prior sententia tum ob responsionem præstitam Pharisæis à Christo Domino Matth. 19. quam expendimus in dubio præcedenti, tum etiam quia mirum fuisset neque Moysen, neque Prophetas, qui alia vitia populi reprehendebant, nunquā palam reprehendisse huiusmodi libellos repudij, qui tamen passim dabantur. Dicendum est ergo, quòd sicut Deus dispensauit cum Abraham ratione mysterij, vt dimitteret vxorem suam Agar, ita dispensauit cum populo suo Israelitico non habente cor carneum, quod gratia Euangelica præstat, vt certis ex causis matrimonio contrarijs, possent vxores dimittere absque peccato, seruata tamen forma hic tradita & non alias.

II. *Ob quid caueri præcipitur plaga lepræ.*

Plagam lepræ.] Dupliciter potest hæc lex intelligi. Vno modo vt admoneat Iudæos custodire se à plaga lepræ, ne scilicet eam incurrant; & si incurrerint obseruent iudicium sacerdotum, ac cætera quæ scripta sunt Leuit. 13. & 14. præsertim quātum ad separationem: quemadmodum seruatum est cum Maria sorore Moysi, quæ mansit ad septem dies extra castra, vt dictum est Nume. 12. Alio modo potest intelligi, vt admoneat Iudæos reuereri prælatos suos spirituales seu sacerdotes, ne ob defectum eiusmodi reuerentiæ incurrant plagam lepræ. Et hic posterior sensus conuenientior est, eique fauere videtur, tum exemplum Mariæ hic subiunctum, quæ percussa fuit lepra, eo quod murmurauit cōtra Moysen. Num. 12. tū etiā exemplū Regis Oziæ, qui percussus fuit lepra, eo quod noluit consentire sacerdotū mandato, ne thurificaret, sed vsurpauit officium sacerdotale offerendo incensum: vt habetur in libro secundo Paralip. 26.

III. *Ante solis occasum idē quod statim.*

Ante solis occasum.] Qualiter reddi debuerit pignus istud, quod pauperi maximè necessarium est, & quo pro indumento & lecto vtitur, non omnino conuenit inter doctores. Communis sententia est, quòd singulis diebus hora vespertina teneretur creditor reddere huiusmodi pignus pauperi reportanti illud manè: ita vt solùm lex prohibeat illud retineri noctè à creditore. Cæterum melius dici puto legem solùm statuere quòd si contingat creditorem vestem, quam solá pauper habet, ab eo in pignus auferre, restituat eam illi ante solis occasum, nunquam eam amplius repetiturus. Si cut enim superius prohibuerat necessaria pro alimento sumi in pignus, ita nunc inhibet necessaria pro vestitu in pignus retineri, siue per diem, siue per noctem: cum etiam in die frigus pauperem premat nudum, sicut in nocte. Et etiam si pauper ea veste non omnino indigeat interdiu, nisi dumtaxat per noctem, adhuc nō est asserendum posse creditorem omni die vestem pauperis auferre, & debere omni sero restituere, quia id faciens potius esset custos, quàm creditor pignoris, si illud esset restituendum quoties dominus indiguerit. Facit pro hac sententia, quòd verba illa, ante solis occasum iuxta phrasim Hebraicam idem importāt quòd quam primum, seu statim: vt ostendimus Exod. 22. annotatione quarta. Vnde restitue re pignus pauperis ante solis occasum, idem est quod restituere quam citius potueris.

IIII. *Peccatū & iustitia dupliciter sumuntur.*

Habeas iustitiam.] Sicut peccati nomine non solum culpa ipsa, sed etiam pœna debita pro peccato significari consueuit, eo loquē di genere, quo causarum nomina suis effectibus accommodantur: ita pariter nomine iustitiæ non semper virtutem ipsam designat scriptura; sed interdum indicat præmium & mercedem iustitiæ debitam. Huius quidem acceptionis tam in nomine peccati quàm in nomine iustitiæ manifestissimum exemplū præbet nobis Moyses in hoc capite. Quod enim quando inquit, Et habeas iustitiam coram Domino, nomine iustitiæ non significetur actus virtutis seu rectitudo habitualis, sed merces virtuti debita, constat; quia hoc quod est habere iustitiam, ponitur vt quid posterius, & consequens ad actum virtutis, quo creditor reddidit pignus pauperi, ergo stat pro præmio debito huic actui studioso. Simili modo interpretandum est nomen peccati, quando inferius dicitur: Et reputetur tibi in peccatum; vt non de culpa, sed de pœna intelligatur; culpa enim ante clamorem pauperis erat.

ARGVMENTVM IN CAP. XXV.

¶ Commendatur iudicibus rectitudo iustitiæ, quæ tamen in flagellis exhibendis non permittit numerum quadragenarium excedere, sicut nec ministros operantes victu priuari. Tenetur leuir relictam fratris absque filijs defuncti in matrimonium ascìscere, quod si non faciat, ignominia afficitur. Mulieri, quæ defendendo

virum

virum suum verenda corrixantis apprehenderit, manum abscindi iubetur. Ac tandem post probibitionem inæqualium mensurarum, præcipitur Israelitis, ne ab eorum memoria excidat bellum, quod eis intulit Amalec, vt suo tempore iustam ab Amalecitis vindictam exigant.

PARAPHRASIS IN CAPVT *XXV.*

A. SI *fuerit causa*; seu lis ciuilis vel criminalis *inter aliquos, & interpellauerint iudices: quem* iudices iuxta allegata & probata *iustum esse*, iustāque partem tueri *perspexerint, illi iustitiæ palmam dabunt*, pronunciando sententiam in fauorem ipsius: *quem impium, condemnabunt impietatis*, in eum sententiam ferentes. *Sin autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis*, quia eius crimen non sufficiēter punitur pœna pecuniaria, *prosternent* super humum ad maiorem confusionem verberandi, *& coram se facient verberari*, tum ad maiorem publicitatem, tum etiam ne ministri superexcedant, vel deficiant à iusta punitione. *Pro mensura peccati erit* lege definiendus *& plagarum modus*, reusque maioribus vel minoribus, pluribus vel paucioribus verberibus veniet percutiendus, *ita dumtaxat* † *vt quadragenarium numerum* 1 *non excedant* flagella, quæ saltem pro vna vice dabuntur: *ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus* syncopim passus & rigescēs, quod in maximā vilitatem flagellati cederet. † *Non ligabis*, (vt metaphoricè loquar) *os bouis terentis* 2 *in area fruges tuas*, quasi dicam, nequaquā priuandum esse victu ministrum exequentem officium suum. † *Quando habitauerint fratres simul*, qui verè fratres sunt, & non vtcunque propinqui, in eademque vrbe cōmorantur, *& vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit vxor defuncti non nubet alteri* extraneo, cui non tam interest officiū præstare defuncto, quàm interest proprio fratri *sed accipiet eam* in vxorem, etiam si alias vxores habeat *frater eius*, 3 *& suscitabit semen* gignendo filios ex relicta *fratris sui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit*, verbi gratia si defunctus vocabatur Leui, primogenitus relictæ cognominabitur filius Leui, *vt non deleatur nomen eius ex Israel*, sed maneat in eo, qui

† 2. Cor. 11. f. 24.
I.
† 1. Cor. 9. b. 9. 1. Timo. 5. c. 18. 22. q. 1. c. Eccles.
II.
† Matt. 22. c. 24. Mar. 12. b. 19. Luc. 20. d. 21.
III.
B.

futurus est illius hæres: *Sin autem noluerit accipere vxorem fratris sui, quæ ei lege debetur* ex ordinatione præsentis decreti, *perget mulier ad portam ciuitatis*, vbi iudicia exerceri solent, & maior hominum concursus adest. *& interpellabit maiores natu*, seu iudices populi, *dicetque:* † *Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel: nec me in coniugem sumere*, renuens facere quod sibi lege ista præcipitur. *Statimque accersiri eum facient, & interrogabunt*, an isthæc ita se habeant. *Si responderit: Nolo eam vxorem accipere: accedet mulier ad eum coram senioribus: & tollet calceamentum de pede eius*, in signum vilitatis eius, qui fraternæ pietatis officiū renuit exercere, *spuetque in faciem illius* deturpando ipsam, ac leuitum non modica afficiendo ignominia: totus namque homo turpis censetur, cum ignominiæ signa vtrasque extremitates, pedem videlicet & faciem contingunt: *& dicet: Sic fiet*, seu talia fieri æquum est *homini, qui non ædificat domum* 4 *fratris sui*, nec curat illius familiam filijs adaugere. *Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalciati*. Nec enim sat est legi momentanea pœna, sed & perpetuam adijcit, vt saltim ob timorem tot ignominiarum fratres superstites fraternæ pietatis officium exerceant. *Si habuerint inter se iurgium viri duo, & vnus contra alterum rixari cœpit, volensque vxor alterius eruere virum suum de manu fortioris*, opem ferre statuerit iuxta facultatem suam, *miseritque manum, & apprehenderit verenda eius*, qui rixatur cum viro suo: *abscindes manum illius* ad mandatum iudicis condemnantis mulierem præuia cognitione causæ: *nec flecteris super eam vlla misericordia*: in populo namque in quo nasciturus est Messias specialis reuerentia debetur membris ad generationem ordinatis, nec fas est illa scienter & ex industria à fœmina lędi. *Non habebis in sacculo diuersa pondera*

† Ruth. 4. b. 7.
IIII.
C.

pondera, maius & minus: nec erit in domo tua medius maior & minor, ita vt alteram mensuram habeas ad ea, quæ vendideris, nempe minorem, alteram vero maiorem ad ea, quæ emeris, *pondus habebis iustum, & verum & medius æqualis & verus erit tibi*, iuxta eam mensuram, quæ in republica est approbata, & quæ cæteri communiter vtuntur: *vt multo viuas tempore*, ac maxima prosperitate & incolumitate fruaris *super Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi*, quod minimè eueniet si in fraudē aliorū diuersas habueris mēsuras: *abominatur enim*, & exosum habet *Dn̄s tuus eū, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam*, eo quod odio sint Deo impius & impietas eius. † *Memento quæ fecerit tibi Amalec in via*, apud Raphidim, *quando egrediebaris ex ÆGypto*, ac tenderes versus montem Sinai, *quomodo occurrerit tibi* primus quàm omnes aliæ gentes pugnam contra Israelem iniens, *& extremos agminis tui, qui lassi residebant ceciderit*, quod genus quoddam crudelitatis præseferebat, maximè cum impedire vellet viam tuam, *quando tu eras fame & labore confectus*, neque enim adhuc sufficiens tibi videbatur cibus mannæ de cęlo præstitus, *& non timuerit Deum*, quem timere oportebat post tot prodigia, quæ in exitu Israel de ÆGypto operatus fuerat. *Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit* præbendo tibi vigorem animi, corporisque robur ad subijciendum *cunctas per circuitum nationes* Chananæorum existentium *in Terra, quam tibi pollicitus est: delebis nomen eius sub cælo*, ita vt neque in filijs, neque in pecoribus nomen Amalecitarum permaneat, sed taliter cuncta illorū intereant, vt memoria Amalec obliuioni tradatur, ac si nūquā talis gēs in terra extitisset. *Caue ne obliuiscaris*, sed paratus esto sēper ad exequēdū hūc diuinæ iustitiæ actū, simul atq; tēpus adfuerit opportunū.

† *Exod. 17. c. 8.*

ANNOTATIONES IN CAP. *XXV*.

I. *Numerus flagellorum præscribitur iudicibus Hebræis.*

QVADRAGENARIVM numerum.] Solebant Iudæi ex traditione triginta nouem verbera incutere, ne forte excederent vna. Vnde & Apostolus se accepisse gloriatur quinquies quadragenas vna minus. 2. Corinth. 11. Nam quemadmodum vesperam sabbati ad vnam aut alteram horam præueniunt, ne errare, aut statutam horam præterire contingat, ita verbera minuebant, ne contingeret excedere. Qui tamen in remissione vnius flagelli speciem quandam pietatis pręseferebant, nimium crudeles erant in eo, quod pro vno eodemque delicto plures quadragenas, diuersis tamen temporibus infligebant: idque insinuans Paulus vbi supra inquit se quinquies quadragenas à Iudæis accepisse. Fortè quando culpæ erant grauiores licebat apud Hebræos quadragenas verberum repetere; id tamen non nisi diuersis temporibus.

II. *Prohibitio ligandi os bouis terentis metaphorica est.*

NON ligabis os bouis terentis.] Paulus Apostolus. 1. Corinth. 9. declarat hoc præceptum metaphoricè intelligendum, & nullatenus in sensu grammaticali; inquit enim loquens de victu, qui debebatur prædicatoribus Euangelicis: Scriptum est in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Vbi aiens Apostolus non esse curam Deo de bobus, non negat generalem prouidentiam, quam de eis, sicut & de cunctis alijs rebus creatis habet; sed solum negat Deum legem statuisse scriptam pro bobus. Et certè dominus bouis, qui facultatem habebat occidendi ipsum bouem, quid mirum si ipsum faceret perire fame apposito capistro, vel fręno in ore? Dicunt nonnulli Rabbini, quoniam indignum videtur, quod non liceat boui comedere de eo, in quo laborat, quandamque impietatem id redolere. Sed non potius dices crudelius esse bouem interficere, quàm non sinere spicas comedere? si igitur illud licebat in lege veteri, quare non liceret hoc posterius?

III. *Cum relicta fratris aliquando potest cōtrahi.*

ACcipiet eam frater eius.] Hic ponitur exceptio quædam illius legis; qua Leuit. c. 18. & 20. inhibitum fuerat connubium cum relicta fratris: excipitur namque ab illa vniuersali prohibitione casus, in quo frater defunctus fuisset siue filio, nam leuir ad exercendum officium fratris sui defuncti tanquam vices eius acturus tenebatur iungi fratriæ. In quo casu non solum cessabat ratio legis promulgatæ in Leuitico, iniuria videlicet defuncti fratris, sed officium præstabatur fratri defuncto vt optimè ponderat Caietanus super. c. 38. Genes. Fit autem mentio de fratribus, quia hi dumtaxat, non autem reliqui propinqui obligabantur ad hoc officium, & fratribus tantum conspuebatur in faciem, si illud recusarent. Vnde propinquus Mahalon filij Elimelec licitè potuit respuere nuptias Ruth Moabitidis relictæ Mahalon, nec propterea fuit affectus ignominia, quæ in hac lege decernitur. Sed tantum abstulit calceamentum suum & tradidit illud Booz filio Salmon in testimonium cessionis iuris sui, vt habetur in Ruth, capite quarto.

IIII, NOn ædificat domum.] De sensu huius Hebraismi ac de ratione significationis eiusdem diximus multa Exod. capite primò annotatione quarta.

ARGVMENTVM IN CAP. *XXVI.*

¶ Præcipit lex primitias deferri in Sanctuarium, ibique oblatas tradere summo sacerdoti, vtque facta professione recordationis diuinorum beneficiorum, & adorato Domino epulentur coram illo. Pro solutione quoque decimarum coguntur Israelitæ gratias
Deo referre, profitentes se in alios vsus, præter quam in præscriptos C.
à lege, nullam illarum partem consumpsisse. Quibus propositis reuocat Moyses in memoriam Israelitis, qualiter ipsi elegissent Dominum, vt esset illis Deus, & Deus illos elegissent, vt esset sibi populus peculiaris, ob quam causam arctius tenentur ad obedientiam Deo præstandam, II.

PARAPHRASIS IN CAPVT *XXVI.*

A. C*Vmque intraueris Terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, & obtinueris eam, atque habitaueris in ea*, tunc ingratiorum actionem tanti beneficij, *tolles de cunctis frugibus tuis*, quæ vnoquoque anno, ex quo terrā colere inceperis, tibi obtingent, *primitias, & pones in cartallo*, id est, canistro seu sporta, *pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, vt ibi* ad præsentiā propitiatorij & sanctuarij *inuocetur nomen eius: accedesque ad sacerdotē* magnū, ac pontificem, *qui fuerit in diebus illis*, is enim non nisi vnus pro vno tēpore esse potest, *& dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo*, & gratias agens toto ac vero corde & ore confiteor, *quòd ingressus sum in Terram, pro qua iurauit patribus nostris* Abrahā Isaac & Iacob, *vt daret eam nobis. Suscipiensque sacerdos cartallum*
I. continentē primitias *de manu tua, ponet* agitando canistrum versus quattuor mundi plagas in signum, quòd primitiæ illæ offeruntur rerum omnium Domino, quod facere debet sacerdos *ante altare Domini Dei tui*, vbi mos erit offerre holocausta & victimas: *& loqueris in conspectu Domini Dei tui*, referens potiora beneficia his vel alijs similibus verbis: *Syrus* ille Laban, qui morabatur in Mesopotamia Syriæ, *persequebatur patrem meum* Iacob, quando insecutus est eum vsque ad montem Galaad cum animo perdendi eum, *qui descendit in AEgyptum*, cū iam prouectæ esset ætatis, *& ibi peregrinatus est in paucissimo numero*, deferens secū de terra Chanaan tātum septuaginta animas: *creuitq; in gentem magnam ac robustam*, diuitijs & potestate clarā, *& infinita multitudinis* adimplente Dño, quod Abrahæ promiserat dicens: Multiplicabo semen tuū sicut stellas cœli, & veluti arenā, quæ est in litore maris, *Afflixeruntque nos AEgyptij, & perse*
cuti sunt imponentes onera grauissima conantes extinguere genus nostrū laboribus & ærūnis: *& clamauimus ad Dñm Deum patrum nostrorum, qui exaudiuit nos, & respexit humilitatem*, seu abiectionē *nostram, & laborem atque angustiam*, quibus opprimebamur: *& eduxit nos de AEgypto in manu forti & brachio extento*, exhibens se fortissimū protectorem nostrū *in ingenti pauore, in signis atque portentis*, quæ operatus est contra Pharaonē & omnē populū AEgyptiorū: *& introduxit ad locū istum, & tradidit nobis Terram* insigni vbertate ac fructuū suauitate præditā, ac proinde vt metaphoricè loquar, quasi *lacte & melle manantē. Et idcirco* in gratiarū actionē pro præfatis, ac pro quam plurimis alijs beneficijs, *nunc offero primitias frugū Terræ, quā Dñs dedit mihi. Et dimittes eas*, vt cedant in vsus sacerdotū: nec tamen eas dimittere debes nisi *in conspectu Dñi Dei tui*, nempe in atrio coram Sanctuario, *& adorato* B.

Domi-

†Sup. c. 29.

Dñe Deo tuo, scilicet post professionẽ laudis superius recitatam. *Et epulaberis* comedendo splendidè, & gaudendo *in omnibus bonis, quæ Dñs Deus tuus dederit tibi, & domui*, siue familiæ *tuæ, tu & Leuites, & aduena qui tecum est*, vult enim Deus accedentes ad Sanctuarium conuiuijs & exultationibus eximiè vacare, vt saltem epularum occasione appetant frequentius accedere ad locum inuocationi diuini nominis dica
C. tum. *Quando compleueris*, seu satisfeceris debito soluendi *decimam* 2 *cunctarum fru-*
II. *gum tuarum*, secundùm omnes modos decimandi, qui in superioribus pręscripti sunt, *anno decimarum tertio*, nempe de triennio in triennium, *dabis Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, & viduæ*, decimam, quæ non nisi in tertio quoque anno separari præcipitur, *vt comedant intra portas tuas, & saturentur*: neque enim deducere debes huiusmodi decimã ad Sanctuariũ. Quibus peractis tendens ad locũ diuino cultui, & sacrificijs destinatũ, gratias ages Deo, ob id quod tibi concessit seruare legẽ decimarũ absque violatione, *loquerisque in conspectu Domini Dei tui* hęc vel similia verba: *Abstuli quod sanctificatum est de domo mea* loco decimæ quã separare præcepisti Dñe anno tertio
† Sup. 14 pro pauperibus & peregrinis, *& † dedi il-*
d. 29. *lud Leuitæ, & aduenæ, & pupillo, ac viduæ, sicut iussisti mihi: non præterini mandata tua, nec sum oblitus imperij tui*, quantum ad integrã decimarũ solutionẽ. *Non comedi ex eis in luctu meo*, nec enim egestatẽ patiens vllis decimarũ emolumentis defraudaui eos, quibus debebantur: *nec separaui ea in qualibet immunditia*, seu ad vsum profanũ, sed in eos vsus contuli, in quos diuinitus sunt cõsecrata: *nec expendi ex his quidquã in re funebri*: quãuis exequiarum prætextus titulũ habet coloratũ ad abutendũ decimis, impendendo aliquã partem illarũ in oblationibus pro defunctis. *Obediui voci Dñi Dei mei, & feci omnia sicut præcepi-*
† Isai. 63 *sti mihi*. Quapropter cõfisus de tua mise-
d. 15. ricordia Dñe Deus pro vniuerso populo
Baruc. 2 Israel audebo deprecari. † *Respice de san-*
d. 16. *ctuario tuo*, in quo specialius, quàm in alijs terræ partibus te præsentẽ exhibes quasi residens super alas cherubinorũ propitiatorij, respice quoque *& de excelso cœlorum habitaculo*, nẽpe de cœlo empyreo, vbi angelicis spiritibus te manifestũ præbes, *& benedic* largiens bonorũ abundantiã *populo tuo Israel, & Terræ, quã dedisti nobis, sicut iurasti patribus nostris*, *terræ* inquam ob vbertatẽ, fructuũque suauitatẽ quasi *lacte* D.
& melle mananti. *Hodie* quando ego ex Dei nomine tibi de nouo proposui, ac recitaui vniuersam legẽ, *Dñs Deus tuus præcepit tibi, vt facias mandata* 3 *hæc* tam moralia, III.
quã ceremonialia, *atque iudicia* lites conciuiũ dirimentia: in eum namque finẽ tibi ea proposui, vt *& custodias* memoria retinendo, *& impleas* operis executione *ex toto corde tuo*, omnibus scilicet viribus intellectualibus, *& ex tota anima tua*, seu viribus sensitiuis, nihil prorsus contrariũ legi Dei admittens tã in intellectu, quã in sensu. † *Dominũ elegisti* 4 pronoq; animo ei † Sup. 7
cõsensum præbuisti *hodie, vt sit tibi Deus* a. 6.
specialibus ceremonijs a te colendus, *&* IIII.
ambules in vijs eius, exequens ea, quæ te facere disposuerit, videlicet *& custodias ceremonias illius, & mandata* mores concernẽtia, *atque iudicia: & obedias eius imperio. Et* in huius obedientiæ correspondentiam *Dominus elegit*, voluntarièque præ cæteris gentibus assumpsit *te hodie, vt sis ei populus peculiaris* specialibus fauoribus prosequendus, *sicut locutus est tibi*, tũ in datione legis, tũ per me metipsum, *& custodias omnia præcepta illius, & faciat te excelsiorẽ* potentia, diuitijs & fama *cunctis gentibus, quas creauit*. Idq; vt sis *in laudem*, quoniã à te magis quã à cæteris gentibus Deus laudabitur, *& nomen*, quia ab Israelitis diuinũ nomen magis celebrabitur, *& gloriam suã* quæ excellentius in populo Israelitico, quàm in alijs populis relucet. Quo fiet, *vt sis populus sanctus*, seu separatus ab omni immunditia, & specialibus ceremonijs dicatus cultui *Domini Dei tui, sicut locutus est*, ac sæpe sæpius promisit.

I.
ANNOTATIONES IN CAP. *XXVI.*

Signum Crucis fiebat in oblatione primitiarum.

PONET.] Nicolaus de Lyra aduertit hãc positionem primitiarum ante altare debere fieri per modum ventilationis sursum ac deorsum ac dextrorsum & sinistrorsum. In qua agitatione sacerdos propriè faciebat signum crucis, vt adnotat Burgensis super hunc locum, & Leuit. 7. Et nos de hac re egimus Exo. 29. annot. 5. vbi vide.

II.
Decimæ triplices erant in lege veteri.

COmpleueris decimam.] Triplex decima soluenda vel separanda præscribitur in lege veteri. Prima est, qua extrahebatur decima pars fructuum singulis annis, & soluebatur Leuitis.

uitis. Secunda est, qua vna quædam pars fructuum, qui remanebant Israelitis, extracta illa priori decima, separabatur ad arbitriũ vnius cuiusque singulis annis, vt fructus sic separati, vel pretium ipsorum deferretur ab ipsis Israelitis in Sanctuarium, ibique epularentur cum Leuitis & conciuibus. Tertia decima non separabatur singulis annis, sed tertio dumtaxat, vt de fructibus sic separatis ad arbitrium Domini, epularetur vnusquisque in domo sua cum peregrinis & pauperibus. De priori decima fit mentio mentio Numer. 18. de alijs verò duabus superius capite decimoquarto, huius libri. Vbi in annotationibus tertia & quarta plura de hoc diximus. Hoc in loco specialis sermo fit de decima, tertio duntaxat anno soluenda. Qui annus vocatur in præsenti annus decimarum, quia in eo tantum & non in alijs separabantur omnia tria decimarum genera.

III. *Mandata tripliciter dicebantur.* VT facias mandata.] Nomen mandata interdum sumitur largissime pro quolibet genere præceptorum, quæ erant in lege, nempe pro moralibus, ceremonialibus, & iudicialibus, vt passim videre est in Psal. 118. Tunc nō confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Et iterum: Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. In quibus locis nomine mandatorum vniuersa præceptorum genera comprehenduntur. Interdum per mandata intelliguntur moralia & ceremonialia tantum præcepta: vt quando in hoc loco dicitur: Vt facias mandata hæc, atque iudicia. Interdum nomen mandata accipitur strictè & propriè: tunc tantum significat præcepta moralia, vt quando inferius in hoc eodem capite dicitur; Et custodias ceremonias illius, & mandata atque iudicia. In quo sensu locutus est Christus Dominus Matth. 19. quando adolescenti interroganti; Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Respondit Dominus: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Vbi nomine mandatorum præcepta tantum Decalogi significauit; vt ex subsequentibus constat.

IIII. *Electio alia subsequens, alia præueniens.* DOminum elegisti.] Posset aliquis opponere verbis istis illud Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Pro quorum tamen locorum concordia sciendum est electionem, esse liberam & spontaneam alicuius medij volitionem: quæ duplex est: Vna secundùm quam præuenti & moti à Deo nos eligimus Deo seruire, & populus ille Deum elegit, & Apostoli elegerunt Christum, quia spontè & liberè voluerunt ei adhærere; & spontè voluit populus idolis relictis Deo vero inseruire. Alia tamen est diuina electio nostram præueniens: non enim homo eligeret adhærere Deo, nec discipuli sequi Christum, nisi Deus vt id eligerent, præuenisset, & prior vocasset, ipse enim prior dilexit nos: & de hac dicitur. Non vos me elegistis; id est, Non estis vos, qui priores ad me venistis, sed ego vos præueni, vt ad me veniretis. Et forsitan hoc ipsum Moyses insinuare voluit hoc in loco, cum statim vt dixit, Dominum elegisti hodie, mox subiungit; Et Dominus elegit te hodie: in his namque verbis videtur exprimere voluisse gratiam, qua præuentus est populus ad eligendum Dominum:

ARGVMENTVM IN CAP. *XXVII.*

¶ Præscribit Moyses locum & ordinem, quo promulgare oportebat populo Israelitico benedictiones conferendas bonis, & maledictiones imprecandas transgressoribus legis. Quæ promulgatio facienda erat à Leuitis transmisso Jordane assistentibus sex tribus in monte Garizim, & alijs sex in monte Hebal, vt hac ratione illæ sex tribus benedictiones, aliæ vero maledictiones confirmarent, omnes tamen respondere tenebantur, Amen, ad duodecim maledictiones, quæ communiter non subduntur iudicio humano, sed sunt de rebus, quæ vt plurimum fiunt maximè occultè.

PARAPHRASIS IN CAPVT *XXVII.*

A. P*Ræcepit autem Moyses & seniores Israel*, quos secũ adhibuit ad maioris auctoritatis vim *populo dicentes: Custodite* corde & opere *omne mandatum* concernens benedictiones & maledictiones, *quod præcipio vobis hodie. Cumque transieritis Iordanem* post discessionẽ meã, & ingredieritis *in Terram, quam Dñs Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes*, seu valde magnos *lapides, & calce leuigabis*, cōplanabisq; vel linies I.
eos, vt possis in eis scribere cōueniēti sculptura *omnia verba*, quę ego digessi corā filijs Israel, scilicet Deuter. *legis hui*⁹, *a Iordane* II.
trans

Digitized by Google

transmissa: vt sit in signum quod diuina lex accepit possessionem terræ promissæ Abraham, Isaac, & Iacob, quo fiet vt conuenienti ordine, & prout oportet, *introeas Terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram* præditam insigni vbertate ac fructuum suauitate, ob idque quasi *lacte & melle manantem, sicut iurauit*, inconcussaque veritate

† Exo. 20. d. 25 Ios. 8. f. 31.

firmauit *patribus tuis.* † *Quando ergo transieritis Iordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis*, eosque erigere debetis *in monte Hebal*, qui situs est prope montem

B.

Garizim in campestribus Iericho, *& leuigabis eos calce: & ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit* ad dolandum & leuigandum eos, quamuis ferrum tetigerit in extrahendo illos de lapidicina, de materia ergo rudi, *& de saxis informibus & impolitis* fieri debet altare, vt differat ab aris idololatrarum, qui de pretiosis ac sculptis materijs deorum suorum altaria construere solent, *& offeres super eo holocausta Domino Deo tuo* in laudem diuinæ maiestatis, *& immolabis hostias pacificas* in gratiarum actionem, *comedesq; ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo* ad solemnius celebrandum publicationem benedictionum, & maledictionum, quas inibi toti populo intimari oportet. *Et scribes super lapides* illos erigendos, calceque liniendos, *omnia verba legis huius plane & lucide*, scilicet characteribus claris & bene formatis. *Dixeruntque Moyses & sacerdotes Leuitici generis*, quos vna cum senibus adhibuit Moyses, vt ex omni parte autoritatem haberent, quæ dicenda erant *ad omnem Israelem: Attende, & audi Israel: Hodie* in noua hac per me facta legis promulgatione, *factus es populus Domini Dei tui* propter renouatum fœdus inter te & Deum: quapropter *audies vocem eius* mentis auribus, *& facies mandata* tam moralia, quam ceremonialia, *atque iustitias*, lites ciuium componentes, *quas ego præcipio tibi* in prædicta legis promulgatione. *Præcepitque Moyses populo in die illo dicens: Hi stabunt*, seu assistent sacerdotibus, hi enim duntaxat futuri sunt proprij ministri *ad bene dicendum*, precandumque à Deo bona

C.

ipsi *populo super montem Garizim, Iordane trãsmisso: Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Ioseph, & Beniamin*, qui omnes sunt ex filijs dominarum, nempe Liæ, vel Rachelis. *Et è regione isti stabunt*, seu assistent sacerdotibus *ad male dicendum*, & poscendum mala à Deo transgressoribus, *in monte Hebal: Ruben, Gad, & Aser, & Zabulon, Dan, & Nephthali.* In valle autem intermedia erunt sacerdotes Leuitici generis cum arca. † *Et pronunciabunt*

† Dani. 9. c. 11.

Leuitæ, seu qui de tribu Leui adstare debēt cum arca, & quibus summus sacerdos hoc negotium mandauerit, benedictiones & maledictiones, quæ in sequenti capite continentur, respondentibus Amen, ad benedictiones his, qui fuerint in monte Garizim, & respondentibus Amē ad maledictiones his, qui extiterint in monte Hebal. Quibus finitis posequentur Leuitæ, *dicentque* non iam ad has vel illas tribus dumtaxat, sed *ad omnes viros Israel* in vtroque monte existentes, *excelsa voce*, vt ab omnibus intelligi queant. *Maledictus homo, qui facit sculptile*, seu dolatum in ligno vel lapide, *& conflatile*, nempe fusum ex metallo liquefacto *abominationem Domini*, quia Deus abominatur eiusmodi *opus manuum artificum*, & eum qui tale opus ad colendum faciet, *ponetque illud in abscondito*; ad hoc, vt pœnam iudicis subterfugiat. *Et respondebit omnis populus, & dicet: Amen:* hoc est, fiat, firmumque

III.

sit. *Maledictus, qui non honorat patrem suũ, & matrem* illos occulte vilipendendo vel despiciendo. *Et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui transfert terminos proximi sui*, vt partem aliquam alieni fundi sibi occulte vendicet. *Et dicet omnis populus. Amen. Maledictus*, (vt metaphorice loquar,) *qui errare facit cæcum in itinere*, præbendo mala consilia nescientibus, & cupientibus recta via incedere. *Et dicet omnis populus: Amen: Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli & viduæ*, iniuste iudicantes contra illos, propterea quod ob miseriam suam patronos & fautores non habent. *Et dicet omnis populus:*

D.

Amen. Maledictus qui dormit cum vxore patris sui, & reuelat operimentum lectuli eius, nēpe nouercæ, quod crimen ratione affinitatis, quæ inter eos est, commodius occultari potest. *Et dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui dormit cum omni*, seu cum quouis *iumento. Et dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ*, cuius incestus periculum nullatenus per iudices, sed solo maledictionis flagello præcaueri valet. *Et dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui dormit cum socru sua. Et dicet omnis populus. Amen. Maledictus qui clam percusserit proximum suum:* nam publice percutiens facile à magistratibus poterit puniri. *Et dicet omnis populus: Amen. Maledictus qui accipit munera*, seu pretium,

vt percutiat animam sanguinis, vitamque auferat hominis *innocentis. Et dicet omnis populus, Amen.*
IIII. *Maledictus qui non permanet* 4 *in sermonibus legis huius*, nec vt verbis clarioribus dicam, *eos opere perficit. Et dicet omnis populus: Amen.* Ab hac tamen postrema maledictione Christus nos redimet subiens mortem Crucis.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVII.

I. *Quales lapides iussit Moyses erigi in terra promissionis.*

ERIGES Ingentes lapides.] Duas sententias parum probabiles cauere oportet in præsenti: Altera est Oleastri asserentis hic fieri mentionem de lapidibus ponendis ab Israelitis in Iordane in medio fluminis. Quæ sententia aperte redarguitur ex verbis inferius subiunctis: Erigite Lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, ergo de lapidibus constituendis in monte Hebal, & non de illis, quos apponere iussit Iosue in medio Iordanis, est hic sermo: vt etiam constat Iosue cap. 4. & 8. vbi executio horum præceptorum refertur. Altera sententia est Caietani existimantis lapides, quos hic iubet Moyses erigere, fuisse tantum duos, ea dumtaxat ratione, quia nõ determinatur eorum numerus, cum tamen dicatur debere erigi plures. Sed rectius dicitur, quod non determinatur numerus lapidum erigendorum, quia tot assumi debebant lapides, quot necessarij erant ad exarandũ in eis verba, quæ Moyses describi iubebat, hic namq; erat finis, ad quem lapides erigebantur.

II. *Deuteronomium iussit Moyses exarari super lapides.*

OMnia verba legis huius.] Quænam verba scribi debuerint in lapidibus istis, non omnino cõstat inter doctores. Quidam dicũt fuisse dumtaxat exarata decem legis præcepta. Alij illa duo præcepta de vnitate & dilectione Dei scripta superius cap. 6. & scribenda in postibus & in portis, ligandaq; in manibus, inquiũt debuisse scribi in illis lapidibus. Alij volunt, quod in lapidibus istis solum scriptæ fuerunt benedictiones & maledictiones, quæ infra ponuntur. Sed Iudæi communiter tenent quod fuerũt scripta ibi omnia præcepta contenta in tota lege affirmatiua & negatiua, quæ sunt in vniuerso sexcenta & tredecim, non tamen tam late sicut in ipsis libris legis continẽtur, sed in summa ac breui sermone. Ratio istarum omnium assertionum vna & eadem est, videlicet quia in lapidibus illis non poterat contineri magna scriptura. Cæterum his omnibus modis dicendi omissis, magis placet asserere cum Abulensi in lapidibus illis fuisse scriptum totum & integrum librum Deuteronomij Moysi, sicut Moyses illum recitauit. Quod haud obscure colligitur ex ipsa præcepti huius executione, de qua Iosue cap. 8. dicitur. Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat corã filijs Israel. Quasi dicat: Sicut Moyses totum Deuteronomiũ declarauit distincte & per partes, quod est digerere, ita scriptus fuit super lapides. Nec obstat ratio aliorũ dicentiũ tãtã scripturã in lapidibus illis scribi non potuisse. Huius enim obiectionis oppositũ ex triplici causa colligi potest. Primo quia illi lapides debuerunt esse ingentes, sicut dicit textus, quo fieret, vt in eis multa scriptura exarari potuerit. Secundo quia calce sunt leuigati, ita quod scriptura nõ fieret immediate in lapide, sed in calce, quapropter fieri potuerũt characteres parui & distincti multam scripturã comprehendentes. Tertio quia cum numerus lapidum non determinetur à legislatore, tot adhiberi potuerunt, quot necessarij erant ad totum Deuteronomium excipiendum, prout factũ fuisse constat ex dicto capite octauo Iosue.

III. *Peccata etiam occulta maledictioni legis subijciuntur.*

POnetque illud in abscondito.] Aduertit optime Caietanus, istas duodecim maledictiones, quarũ hic meminit scriptura, versari circa peccata occulta, & quæ communiter sunt peccata elõgata à foro iudiciali: vt quilibet à sacerdotibus & principibus tribuũ vniuersarum vice totius populi, nouerit se maledictum etiã in ijs, in quibus iudex maledictionem pœnæ non infligit. Ad quod insinuandum in aliquibus istarũ maledictionũ exprimitur sermonem fieri de peccatis, quæ in occulto committuntur: & in alijs, ex ipsa peccati conditione colligitur qualitas secreti, cum qua committitur crimen.

IIII. *A maledictione legis liberauit nos Christus.*

MAledictus qui non permanet.] Ab hoc maledicto liberauit Christus populum suum per passionem crucis, iuxta illud Apostoli ad Galat. 3. Christus nos redimit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno: vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu. Cũ enim maledixisset Moyses hoc in loco omnibus legis veteris transgressoribus, & Christus veniens Iudæos & gentes saluaturus, & in vnam ecclesiam cõgregaturus, debuisset ab obligatione legis illius, quæ Iudæis propria erat liberare, vt nouum sibi populum faceret, & salutem etiam gentibus communicaret, consequens fuit, vt deberet etiam auferre maledictum illud, quod transgressoribus legis erat inflictum. Id effecit Christus suscipiendo in se maledictum, quo non tenebatur, mortem scilicet, cui annexa erat maledictio. Nã qui suscipit maledictum, quo non tenebatur, iure liberat à maledicto eum, qui iure tenebatur. Nulla autẽ mors erat, propter quam lex maledictum inferret, nisi mors ligni, iuxta illud Deuter. cap. 21. Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno. Propterea ergo Christus Crucem suscepit, vt maledictum legis in se sustinens, quod re vera ad illum non pertinebat, qui innocens erat liberaret, iureq; solueret ab obligatione legis illius, vt iã maledictum non comprehẽderet eos, qui talem legem non obseruarent; soluta autem lege illa, gentibus & Iudæis omnibus legem vitæ communem dedit. Et hæc est vna ex præcipuis causis cur Christus Dominus Crucis mortẽ elegit.

ARGV.

ARGVMENTVM IN CAP. XXVIII.

¶ Sicut custodientibus legem Dei quàm plurima bona promittuntur: ita pariter diuinorum præceptorum transgressoribus multæ maledictiones imponuntur: prædiciturque rerũ suarum infelicitas.

PARAPHRASIS IN CAPVT. XXVIII.

A. SI AVTEM *audieris vocem Domini Dei tui* recta animi intentione, cũ eo fine *vt facias atque* debita cum perseuerantia *custodias omnia mandata eius*, tã moralia quam ceremonialia & iudicialia, *quæ ego præcipio tibi hodie*, seu tẽpore isto, *faciet te Dominus Deus tuus excelsiore*, ac dignitate, diuitijs, numerositate, alijsq; id genus bonis superiorẽ *cũctis gẽtibus, quæ versantur in terra*.

I. *Veniẽtq; super te vniuersa benedictiones istæ*, 1 & nõ vtcũque venient super te bona, quæ huiusmodi benedictionibus exprimuntur. sed *& apprehendent te* cũ maxima perseuerãtia; *si tamen præcepta eius*, vt sæpe sæpius dixi *audieris*. *Benedictus* nãque & valde fœlix eris *tu in ciuitate, & benedictus in agro*, siue enim negotia tua sint in ciuitate, siue in agro prosperaberis in eis ex beneficio Domini. *Benedictus fructus ventris tui* in prolis propagatione, *& fructus terræ tuæ* in terræ nascentiũ vbertate, *fructusq; iumentorum tuorũ*, equorũ videlicet, asinorũ & camelorũ, *greges armẽtorum tuorum, & caulæ ouium tuarũ* pariter prosperabuntur. *Benedicta horrea tua*, quia frumento replebũtur; *& benedictæ reliquiæ tuæ*, seu fructus repositi & asseruati: illi enim nequaquã putrefiẽt. *Benedictus eris tu ingrediens & egrediens*, dũ in cunctis actionibus tuis incolumis, votisq; cõpos euades. *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo* absque magno tuo labore: *per vnã viã venient contra te* vniti & cõgregati, *& per septe fugient à facie tua*, instar eorũ, qui ab hostibus deuicti per diuersa loca confugiunt, quo citius se tutos esse sperant. *Emittet Dominus benedictionem*, insignẽque abundantiã & fælicitatẽ *super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarũ*, vt in cũctis, quæ egeris, prospereris: *benedicetque tibi in terra, quã acceperis*, dirigendo bella, quæ facturus es in acceptione terræ Chanaan. *Suscitabit*, seu faciet, vel eriget *te Dominus sibi in populum sanctum*, & separatũ ab alijs populis, eiq; applicatũ, qui sanctus est, *sicut iurauit tibi* in monte Horeb quando legẽ dedit: tũc namq; se id facturũ promisit, *si custodieris mãdata Domini Dei tui* bonũ incipiendo, *& ambulaueris in vijs eius* continuando & perseuerando in bono incepto. *Videbuntq; omnes terrarum populi* in tot tãque eximijs beneficijs, quibus te præditũ conspicient, *quòd nomen Domini* veri Dei omnipotentis *inuocatum sit super te, &* iure optimo te populum Domini vocari & esse: ac proinde *timebũt te*. B.

Abundare te faciet Dominus omnibus bonis tẽporalibus, quæ te ad obseruantiam Dei mandatorũ vehementer accendunt, vi delicet *fructu vteri tui, & fructu iumentorũ tuorũ, fructu terræ tuæ, quã iurauit Dominus patribus tuis* Abrahã Isaac & Iacob; *vt daret tibi*. II.

Aperiet Dominus thesaurum 2 *suũ optimum*, vbi habet recondita ea, quibus ditat homines in terra, nẽpe *cælũ, vt tribuat plauiam terræ tuæ in tẽpore suo: benedicetq; cunctis operibus manuum tuarum*, vt in eis prospereris, ac fœlix euadas. *Et fenerabis*, seu mutuũ dabis *gentibus multis*, ob abundantiã pecuniarũ, ac ciborũ, quæ ad cõmodandũ alijs tibi sufficient: *& ipse à nullo fænus accipies*, quia nullatenus indigebis, vt alius tibi mutuũ tribuat. III.

Constituet te Dominus in caput, 3 vtpote cæteris gentibus superiorẽ, *& non in caudam*, nec alij cuiquam inferiorẽ: *& eris semper supra, & non subter* cæteris nationibus imperans nemini subiectus. Quæ quidẽ non absolute tibi promittuntur, sed sub conditione: *si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris & feceris, ac non declinaueris ab eis nec ad dexteram* amore scilicet fælicitatis, *nec ad sinistram*, seu timore infælicitatis, *nec secutus fueris deos alienos*, per errorẽ intellectus, *neque colueris eos* affectu cordis, vel operis executione. † *Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias* memoriter conseruando, *& facias* cũ operis executione *omnia mandata eius* tam moralia, quàm iudicialia *& ceremonias quas ego præcipio tibi hodie*, seu tempore isto.

† *Leuit. 26.b.14 Thren. 2 f.17. Malach. 2.a.2. Baruc. 1. d.20.*

Digitized by Google

isto, venient super te omnes maledictiones
istæ, & mala, quæ eis maledictis imprecan-
tur, apprehendent te cũ maxima diuturnita
te, ac perseuerantia. Maledictus eris in ciui
IIII. tate, & maledictus in agro: ita vt bona, quæ
tam in vno loco, quã, quæ in alio habes, om
nino intereant, & deficiant. Maledictũ hor-
reum tuũ, seu frumentũ, quod in illo reponi
tur, & maledictæ reliquiæ tuæ, ita vt nihil ti
bi supersit de facultatibus tuis, quod alijs
conferre valeas. Maledictus fructus ventris
tui, nẽpe filius à te genitus vel generãdus,
& fructus terræ tuæ arborũ vel frugũ, armẽ
ta boum tuorũ, & greges ouium tuarum, ita
vt prorsus consumantur & pereant. Male-
dictus eris ingrediens, & maledictus egre-
diens, nec domi nec foris vlla re tibi pros-
V. pere succedente. Mittet Dominus super te
famẽ & esuriẽ, tantãque cibi ac potus ege-
statẽ, vt viscerũ appetitui nullatenus pros-
picere queas, & increpationẽ, seu detestatio
nẽ in omnia opera tua, quæ tu facies, ita vt
dum à te & ab alijs detestabuntur nihil tibi
C. proficiãt: donec conterat te Dominus Deus
tuus, & perdat velociter, propter adinuen-
tiones tuas pessimas, seu mala opera, in qui-
bus reliquisti me. Adiũgat tibi Dominus pe
stilentiã, vel morbũ cunctis remedijs resi-
stentẽ, donec consumat te de terra, ad quam
ingredieris possidendã. Percutiat te Domi-
nus egestate in bonis fortunæ, febri & fri-
gore, ardore, & æstu in bonis corporis, &
aere corrupto ac rubigine, segetes consumen
te in bonis elementaribus, & persequatur,
donec pereas. Sit cælum, quod supra te est,
æneum, nec pluuiã nec influentiã aliquã in
ista hæc inferiora ad tui cõmodũ dimittens:
& terra quã calcas ferrea, ac tibi penitus in
fæcunda. Det Dominus imbrẽ, seu pro imbre
terræ tuæ puluerẽ, ita vt ex nimia siccitate
pulueribus abundet, & de cælo descendat su
per te cinis desiccans totã terrã, fructusque
agrorũ tollens, donec conteraris. Tradat te
Dominus corruentem ante hostes tuos ab eis
deuictus, per vnã viã egrediaris contra eos,
prout egredi solent ad bellũ aggressores, &
per septe fugias non curãdo de socijs, & dis
pergaris per omnia regna terræ profugus &
vagus. Sitque cadauer tuũ in escã cunctis vo
latilibus cæli, & bestijs terræ, & non sit qui
abigat deterrens aues ac bestias, ne come-
dant illud. Percutiat te Dominus vlcere, seu
vesicis turgentibus instar earũ, quæ fuerũt
in vniuersa terra Ægypti, & partẽ corpo-
ris, per quã stercora egeruntur percutiat hæ-
morrhoidibus, seu æmorrhanis: scabie quoq;
& prurigine, ita te affligat vt curari ne-
queas. Percutiat te Dominus amentia, & cæ-
citate ac furore mentis, & tanta animi con-
turbatione capiaris, vt nesciens quo vadas,
quasi palpes in meridie, sicut palpare solet
cæcus in tenebris, & exinde sequatur, quòd
nõ dirigas vias tuas, sed huc atq; illuc aber
rando tendas, prout tendere solent, qui re-
cto carent iudicio. Omniq; tẽpore calũniã,
seu iniuriã ab alijs inflictã sustineas, & non
valens illã repellere opprimaris violentia,
nec habeas, qui liberet te. Vxorẽ accipias, &
permittat Dominus, quòd alius dormiat cũ
ea, te id sciente & nolente. Domũ ædifices,
& non habites in ea, morte vel exilio præ-
uentus. Plantes vineã, & nõ vindemies eã
ob prædictas causas. Bos tuus immoletur, seu
vtcũque occidatur corã te, & non comedas,
nec aliud emolumẽtũ habeas ex eo. Asinus D.
tuus rapiatur in conspectu tuo, ac proinde cũ
duplici iniuria, videlicet, cum rei tẽporalis
amissione, & cum debitæ reuerentiæ dimi-
nutione, & non reddatur tibi quippiã istó-
rũ. Oues tuæ dentur inimicis tuis, & non sit
qui te adiuuet, ita vt non solum amissione
ouiũ, sed etiã desperatione illas recuperãdi
contristeris. Filij tui & filiæ tuæ tradantur
alteri populo venundati à militibus vel ho-
stibus, videntibus oculis tuis, quo magis cru
cieris, & deficientibus ad conspectũ eorum to
ta die, seu aspiciendo, an reuertantur, & nõ
sit fortitudo in manu tua, nec virtus ad eos
liberandũ. Fructus terræ tuæ, quos terra gig-
nit absq; industria humana, & omnes labo-
res tuos comedat populus, quem ignoras, qui
scilicet de lõginquo vẽturus est ad te: & sis
semper calumniã sustinens, & oppressus iniu
rijs & vexationibus cunctis diebus, & stu-
pens, ac dementatus ad terrorẽ eorũ, quæ vi-
debunt oculi tui. Percutiat te Dominus vlce
re pessimo causante maximũ dolorẽ in geni
bus & in suris, vel tibijs, quæ instrumenta
sunt ad ambulandum, sanariq; non possis ab
ægritudinibus, seu vlceribus, quibus afficie-
ris à planta pedis vsq; ad verticẽ tuũ. Ducet
te Dominus, & regẽ tuũ, quem constitueris
super te, captiuos & exules in gentem, quam
ignoras tu & patres tui, nẽpe ad Assyrios
& Chaldæos, & seruies ibi dijs alienis, lig-
no & lapidi, Deo id permittente in pœnã
præcedentiũ delictorũ. Et eris perditus, ac
contẽptibilis in prouerbiũ ac fabulã omni-
bus populis, ad quos te introduxerit Domi-
nus: nam omnes te subsannabũt, & in risum
ducent

† Mich. 6.d.15. Aggæi, 1.b.6.

ducent vniuersas æru nnas tuas. † Sementẽ multam iacies in terrã, & modicũ congregabis: quia locusta deuorabũt omnia. Vineam plantabis, & fodies: & vinũ non bibes, nec colliges ex ea quippiã: quoniã vastabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris, neq; in aliũ effectum vti poteris oleo: quia defluent ante maturitatẽ, cadentq; de arboribus, & peribunt. Filios generabis & filias, & nõ frueris eis, ex illorũ societate aliquã consolationẽ vel lætitiã suscipiendo, quoniã ducentur in captiuitatẽ, antequã aliquid vtilitatis seu delectationis tibi adferre queãt. Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo ex aeris intemperie prouenieus consumet. Aduena, qui tecũ versatur in terra, cui nõ modicũ inuidere soles, ascendet super te, eritq; sublimior diuitijs & honore: tu autẽ descendes, & eris inferior. Ipse ob rerum, quas possidebit prosperitatẽ, fœnerabit tibi, seu mutuũ dabit, & tu non fœnerabis ei: neq; enim, quod fœnerare queas, habebis nimia pressus paupertate. Ipse erit in caput, ac te superior & honoratior, & tu eris in caudã, vt pote despectus. Et veniet super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas: quia nõ audisti vocẽ Domini Dei tui, vt eã opere compleres: vnde nec seruasti mãdata eius non solũ iudicialia, sed neq; moralia, & ceremonias, quas præcepit tibi. Et erunt in te signa atq; prodigia præsignantia ingentẽ animi afflictionem, quã experieris in te, & in semine tuo vsq; in sempiternum, seu per plures generationes: eo quod non seruieris Dño Deo tuo in gaudio, cordisq; lætitia ei gratias referens propter rerũ omnium abũdantiam, seu cũ te Deus faceret abundare omnibus rebus: Seruies inimico tuo, quẽ immittet tibi Dominus, nec tamen herus tuus tibi necessaria ministrabit, sed te seruire faciet in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria: & ponet iugum ferreũ grauissimũ & molestissimũ super ceruicẽ tuã, donec te conterat. Adducet Dñs super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, nempe de Syria & de Chaldæa, quæ terrã tuã adorietur in similitudinẽ aquilæ volantis cũ impetu, cũ maxima scilicet velocitate ac fortitudine: cuius linguã intelligere non possis, ob quã causam nec verbis quidẽ ab eis vllã consolationẽ sperare poteris. Gentem procacissimam, quæ ob innatam impudentiam & inhumanitatẽ non deferat seni, nec misereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorũ, ac fruges Terræ tuæ, donec intereas, & non relinquat tibi triticũ, vinum & oleum, armenta boum, & greges ouiũ: donec te disperdat, & conterat in cunctis vrbibus tuis, ac siti & fame interficiat: & destruantur ob multiplices hostiũ impulsus muri tui firmi atq; sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni Terra tua, cũ potius Dei adiutorio inniti debuisses. † Obsideberis intra portas tuas in omni Terra tua, quã dabit tibi Dñs Deus tuus: ita vt nullibi tutus esse queas: & comedes fructum vteri tui, & seu id est carnes filiorũ tuorũ, & filiarũ tuarũ, quas dederit tibi Dñs Deus tuus, illas inquam comedes in angustia & vastitate, vel in coarctatione & afflictione, quã opprimet te hostis tuus. Homo delicatus in te, & qui in vobis existit luxuriosus valde, ac delicijs assuefactus inuidebit fratri suo, & vxori, quæ cubat in sinu suo, ne det, seu præ tenacitate nõ dabit eis de carnibus filiorũ suorũ, quas tamẽ pe urgente comedet eo quod nihil aliud habeat in obsidione & penuria, quã vastauerint te inimici tui non in vna tantũ, aut in altera vrbe, sed etiã intra omnes portas tuas: ita vt neq; & fugã capiens euadere queas hostium vastitatẽ. Tenera mulier ob naturalem carnis mollicieẽ, & delicata ob laborũ dissuetudinem quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere in terra nuda audebat propter mollitiẽ & teneritudinẽ nimiã, sed semper in tapetibus, alijsq; mollibus stramentis manere, seu deambulare curabat, inuidebit viro suo, qui cubat in sinu eius, renuetq; cum eo communionẽ habere super filij & filiæ recenter natorũ carnibus, & illuuie secundarũ, quæ egrediuntur de medio fœminũ eius, &, seu id est super liberis qui eadẽ hora nati sunt: comedent enim eos clã, vir quidẽ nesciente vxore, & vxor ignorante viro propter rerũ omniũ penuriã in obsidione & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas, si in Deũ tuũ præuaricatus fueris. Nisi custodieris, & feceris omnia verba legis huius, quæ scripta sunt in hoc volumine ó Deuteronomij, & timueris nomen eius gloriosum in collatione bonorũ, & terribile, in pœnarũ exhibitione, hoc est, Dominũ Deũ tuũ, qui iustis præmia cõfert, & iniquis infligit pęnas, augebit Dñs plagas tuas supra illas, quas hucusq; retuli, & plagas seminis tui inferens tam tibi quam filijs tuis plagas magnas & perseuerantes ab extra prouenientes, ac infirmitates pessimas & perpetuas, quæ ab interna humorum intempe-

E

F

† Baruc. 2.a.2. Thren. 4 b.10.

VI.

temperie procedant, *& conuertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti* præ cęteris alijs afflictionum generibus, eo quod oculis tuis conspexisti AEgyptios maximopere decē illis plagis fuisse tortos: *& adhærebūt tibi* in pœnam tuæ præuaricationis.

G *Insuper & vniuersos lãguores* internos, *& plagas* externas, *quæ non sunt scriptæ in volumine legis huius, inducet Dñs super te, donec te cōterat* mortis ruina: *& remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli,* quæ numerari nequeunt *præ multitudine, quoniã non audisti vocē Domini Dei tui. Et sicut ante lætatus est Dñs super vos,* sibiq; complacuit in populo Israel, *bene vobis faciens* in bonorū tēporaliū abundantia, *vosq; multiplicans*, maioris numeri esse faciens *sic lætabitur,* ac pro bono ducet, *disperdens vos atq; subuertens, vt auferamini de Terra, ad quã ingredieris possidendam:* neque enim minus diligibilis, seu delectabilis est actus diuinę iustitię, quo prauos punit, quam ille, quo iustos coronat. *Disperget te Dominus in omnes populos* externarum nationum, qui sunt *à summitate* vel extremitate *terræ vsq; ad terminos eius: &* Deo permittente in pœnam præcedentium delictorum *seruies ibi dijs alienis, quos & tu ignoras & patres tui, lignis & lapidibus. In gētibus quoque illis,* in quas te dispergam, *non quiesces, neq; erit requies vestigio pedis tui*, sed huc atque illuc in continuo motu abire cogeris. *Dabit enim tibi Dominus ibi* vbicunque steteris *cor pauidum,* ac nimio terrorre perculsum etiam nulla timoris causa imminente, *& deficientes oculos,* non valentes aspicere ob multitudinem lachrymarum, *& animam consumptam mærore,* nam spiritus tristitia ossa desiccabit. *Et erit vita tua* talibus ac tantis periculis obnoxia, vt sit *quasi pendens ante te* omni namque hora suspicaberis mortē ad esse. *Timebis nocte & die, & non credes* neque vllam fiduciam præstabis *vitæ tuæ. Mane dices: Quis mihi det vesperum? & vespere: Quis mihi det mane?* non credens te viuum á vespere ad mane vsque pertingere, *propter cordis tui formidinem, qua terreberis*, & ambulare te semper faciet quasi in discrimine vitæ, & *propterea quæ tuis videbis oculis* mala procul dubio imminentia.

I *Reducet te Dñs* tempore vastationis à Romanis fiendæ *classibus in Ægyptum per viam, de qua dixit tibi, vt eã amplius* libente animo, seu voluntarie *non videres,* hostilis ergo coactio ducet te in terrã inuisam & exosam. *Ibi venderis inimicis tuis,* his videlicet qui te nimio odio prosequuntur: venditio autem illuc tendet, vt vos scilicet habeant *in seruos & ancillas, & non erit, qui emat,* eo quod cuncti vos contemnent.

ANNOTATIONES IN CAP. XXVIII.

I. *Benedicere tria significare potest.*

BEnedictiones istæ.] Nomen benedictio triplicem sensum retinet in sacris literis, iuxta triplicē respectū, quē habere potest. Si enim benedictio sit hominis ad Deū est idē quod laus: vt Apocalypsis. 7. Benedictio, & claritas, & sapientia Deo nostro. Si vero Dei ad hominē significat benefacere: vt Genesis. 49. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotēs benedicet tibi benedictionibus cęli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberū & vulue. Si autē benedictio sit hominis ad hominē designat precationem bonorum: vt in eodē ca. 49. Genes. Benedixitque singulis benedictionibus proprijs. In pręsenti ergo capite nomen benedictio non in priori acceptione, sed in secunda vel tertia vsurpatur, vt ex ipso cō textu constat. Et id ipsum asserendum est demaledictionibus, quę post modū subiungūtur: eis enim vel mala, quæ transgressoribus legis infligentur à Deo, vel ipsius Moysi in eosdem multiplicium malorum imprecationes significantur.

II. *Calū vocatur Dei thesaurus*

THesaurum.] Hebraice habetur Osar, quod thesaurum, seu repositorium significat, ab Asar, quod est recondere, seu reponere. Vocat autem Dominus thesaurū suum ipsum cœlū, quoniam illic habet recondita ea, quibus ditat homines in terra, vt solem, astra, pluuiam, niuē, grandinem, & id genus alia. Vnde Iob. 38. habetur. Nunquid ingressus es thesauros niuis, & thesauros grandinis vidisti?

III. *Fieri, in caput vel in caudã est honerari vel despici.*

COnstituet te Dominus in caput.] Caput vel in caput constitui, est esse superiorem, esse vero in caudam, est esse inferiorem aut despicabilem: quod caput sit pars superior & honorabilior in homine tam situ quam dignitate: situ quidem, quia super omnes est: dignitate quia ab eo cæteris partibus corporis deriuatur sensus & motus. Cauda vero in animali sit humilior & despicabilior, vt pote in qua terminatur extremitas spinæ & spondilium, quæ à capite vsque ad caudam mutuis connexibus deriuantur. In quo sensu sumuntur caput & cauda, tam hic quam Isai. 9. Disperdet Dominus ab Israel caput & caudam.

IIII. *Futurum & imperatiuũ promiscue vsurpantur.*

MAledictus eris in ciuitate.] Nihil refert, quod imprecationes hujus capitis diuersimode traduntur, & significantur. Quædam scilicet per verba futuri temporis, aliæ vero per verba imperatiua seu optatiua. Quamuis enim id ita sit, nihilominus omnes subiunctæ maledictiones vtrumque sensum retinere queunt, & per modum futuri, & per modum imperatiui. Primo enim possunt intelligi quasi futura prædicētis. Imperatiuus enim pro futuro capi solet frequenter: vt docet D. Hierony. in illud Psal. 11. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa. Et

August.

August. in illud Psal. 78. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt. Beatus quoq; Anacletus in epistola secunda, quod Psal. 68. scriptũ est, obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua, dictum esse testatur non optantis animo, sed prędicentis mysterio. Imo vero omnia inferius posita imperatiua, nempe adiungat tibi Dominus pestilentiam, & percutiat te Dominus egestate, & sit cœlum, quod supra te est, ęneum, & cęteri tam in Hebręo, quam apud Septuaginta, futura sunt non imperatiua. Ex quo plane intelligimus prędicta maledicta esse prophetiam, & vniuersa Hebręis postmodum accidisse, vt adnotat Hieronymus Osee: 14. Preterea etiam intelligi possunt omnes istæ maledictiones, per modum imperantis, & optantis. Neque obstat, quod in nonnullis earum verba sint futuri temporis, tam in Hebræo, quã in editione vulgata, futura enim apud Hebræos passim imperatiuo deseruiunt, vt & apud nos Ierem. 3. Patrem vocabis me, & post me ingredi, non cessabis. Deuter. 6. Diliges Dominum Deũ tuum, licet autem sanctis, vel virtute diuina imperare, vel etiam optare, vt legis transgressores maledictis afficiantur, quo citius resipiscant, aut eorum supplicijs alij corrigantur, aut certe Dei iustitia, & potentia demonstretur, vt optime docet D. Thom. 1. 2. quęstio. 25. artic. 6. ad 3. vbi breuiter adnotat his modis intelligi in scriptura imprecationes. Ita enim ibi legendum est, non increpationes.

MITTET Dominus.] Et si huiusmodi maledicta magna ex parte experti fuerint Iudæi in transmigratione Babylonis ob idololatriam, & alia peccata ab eis commissa sub regibus Ierusalem; cæterum plenius ea subierunt à tempore Vespasiani, & Titi, post quam à Romanis fuerunt vastati, ob mortem Christi. V. *Maledicta legis quando subierũt Iudæi.*

IN hoc volumine.] Hic proculdubio loquitur Moyses de volumine Deuteronomij, prout condistinguitur ab alijs quatuor præcedentibus legis voluminibus. Duplex namque fuit fœdus, quod contraxit Deus cum populo Israel, vt habetur in principio capitis sequentis: quorum vtrumque oportebat confirmari, & stabiliri quibusdam benedictionibus, ac etiam maledictionibus in medium propositis. Sicut ergo pro custodientibus, vel frangentibus præcepta primi fœderis, quod initum fuit in monte Horeb, vt habetur Exod. cap. 19. 20. & 24. fuerunt constitutæ benedictiones, & maledictiones descriptæ Leuit. 26. cap. ita pro custodientibus, vel transgredientibus præcepta secundi fœderis initi in campestribus Moab, debuit Moyses indicere benedictiones, & maledictiones in hoc capite contentas. Fœdus autem hoc secundum, quod fuit quædam repetitio primi fœderis, pertinet ad hunc librum Deuteronomij, qui, vt primo capite dicebamus est, quasi secunda lex, seu iterata quædam diuinæ legis promulgatio. VI. *Benedictiones, & maledictiones Deuteronomij respiciunt secundum fœdus.*

ARGVMENTVM IN CAP. XXIX.

¶ Vt inuitet Moyses populum ad consentiendum diuino fœderi inito in campestribus Moab, & ad obseruantiam legis ibidem promulgatæ, refert ingentia aliquot diuina beneficia Israeli collata, minaturq́; præuaricatoribus plures maledictiones.

PARAPHRASIS IN CAP. XXIX.

A. HÆC, quæ dicta sunt à principio huius libri vsque nunc *sunt verba fœderis* conuentionis, seu pacti secundi, *quod præcepit Dominus Moysi, vt feriret cum filijs Israel in terra* planiori, & campestri *Moab, præter illud fœdus, quod cũ eis,* seu cum eorum parentibus ante quadraginta annos *pepigit in Horeb. Vocauitque Moyses omnem Israel,* vt fœdus istud confirmaret, admitterentque Israelitæ legem à Domino sancitam, ac etiam benedictiones, & maledictiones indictas obseruatoribus, & transgressoribus illius, *& dixit ad eos.* † *Vos,* quorum magna pars annos discretionis attigerat in Ægypto, nec tamen ad vigesimum peruenerat ætatis annum, *vidistis vniuersa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui,* & quibus Pharaonis animus explorabatur, an Deum timeret, velletque populum dimittere, nec non, & *signa illa* indicantia diuinam voluntatem erga populi liberationem, *portentaque ingentia,* quibus Ægyptij insuetato modo mirum in modum affligebantur. Et nihilominus cum talia ac tanta oculis carnalibus videritis, adhuc interna dona suscipere renuistis, *& non dedit vobis Dominus* ob indispositionem ac renitentiam vestram, *cor intelligens,* seu voluntatem pro-

† *Exod. 19. a. 4.*

Digitized by Google

propensam ad sciendum diuina, *& oculos videntes*, quibus intellectualiter contemplaremini id, quod Dei erat, *& aures quæ possunt audire* disciplinam, quam Moyses & septuaginta coniudices, quibus communicatus fuit spiritus Moysis, vobis tradiderunt, cui tamen vos acquiescere noluistis, *vsque in præsentē diē*, quando iam videntes promissa vtcumq; compleri, incipitis intelligere beneficia Dei. † *Adduxit vos quadraginta annis per desertū: nō sunt attrita vestimēta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate cōsumpta sunt* conseruante Deo per continuū miraculum vestes & calceos, quos de AEgypto reportastis. *Panem non comedistis*, nam allatus de AEgypto cito fuit consumptus: *vinum & siceram non bibistis*, & tamen eis non indiguistis: *vt sciretis quia ego sum Dominus Deus vester* ex omnipotentia, quam erga vos vt pote seruos meos exercui. *Et venistis ad hunc locum*, qui propinquus est Iordani: † *egressusque est Sehon rex Hesebon, & Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos, & tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam* tribubus *Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse*. Itaque non solum in AEgypto, & in via, verum etiam in termino, quem nunc citra Iordanis transitum possidetis, innumera Deus contulit vobis beneficia.

† Sup. 8. a. 2.

† Sup. 3. a. 1.

B *Custodite ergo verba pacti huius*, animo illa retinentes, *& implete ea* executioni mandantes; *vt intelligatis*, seu prudenter agatis *vniuersa, quæ facitis*, ac facturi estis. *Vos statis hodie cuncti*, vt quod omnes tangit, ab omnibus approbetur, *coram Domino Deo vestro* in atrio tabernaculi, videlicet *principes vestri* duodecim, qui præsunt duodecim tribubus, *& tribus* ipsæ, quibus illi præsunt, *ac maiores natu, atque doctores*, quos honoris gratia specialiter commemoro, & tandem *omnis populus Israel, liberi & vxores vestræ, & aduena* ad Iudaismum conuersus, *qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, & his, qui comportant aquas*, qui tamen operibus necessarijs intenti, quidquid alij fecerint, ratum habebunt. Ad id igitur negotij in præsentē locū conuenistis: *vt transeat*, sisque pars altera paciscens *in fœdere Domini Dei tui, & in iure iurando*, seu pacto iuramento confirmato, *quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum: vt* quantum attinet ad Deum, *suscitet te sibi*, erigatque *in populum* pe-

I.

culiarem, cuius ipse Deus specialem curam habiturus est: quantum vero attinet ad te, vt tenearis ipsi dumtaxat cultum exhibere, *& ipse sit Deus tuus*, cui honorem & obedientiam præstes, *sicut locutus est tibi* paciscens tecum in monte Horeb, *& sicut iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob. Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo, sed cunctis præsentibus & absentibus*, qui causa cædendi ligna, ac portandi aquas absunt, vel etiam posteris: vt tam præsentes quam futuri se astrictos sciant diuino fœdere. *Vos enim nostis, quomodo habitauerimus in Terra Ægypti*, & qualiter ibi facili negotio infici potuimus vitio Idolatriæ, *& quomodo transierimus per medium nationum* idola colentium, nempe per Idumæos, & per Araditas, & per Madianitas, Hesebonitas quoque & Basanitas: *quas transeuntes vidistis abominationes & sordes, idest, idola eorum, lignum & lapidem, argentum & aurum*, seu simulacra ex eiusmodi materijs confecta, *quæ colebant. Ne forte* igitur occasione praui exempli prædictorum *sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cuius cor auersum est hodie à Domino Deo nostro* ex affectu Idololatriæ habeatque in animo, *vt vadat & seruiat dijs illarum gentium, & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem* idololatriæ, qualis esset, qui dolosa persuasione alios ad cultum idolorum incitaret. *Cumque audierit* malignus iste *verba iuramenti huius*, & maledictiones superius appositas, nihilominus eueniet, vt temerarius & arrogans *benedicat sibi*, promittatque sibi prosperitatem *in corde suo dicens: Pax erit mihi*, & immunis ero ab omni maledictione, *& ambulabo in prauitate cordis mei* explens omne, quod desiderat anima mea. Quo fiet, vt *& absumat ebria sitientem*, faciatque animus quod optat, ac ebria ista gens expleat sitim suam, quam habet amplius peccandi: *& Dominus non ignoscat ei*, prout ignoscere solet his, qui resipiscunt: *sed tunc quamquam maxime furor eius fumet*, à vindicta & punitione hominem illum vexans, prout vexare solet homines fumus è camino ignis prodiēs, *& Zelus*, vel indignatio diuina egrediatur *cōtra hominē illū, & sedeā super eum*, ipsumq; perseuerātes afficiant *omnia maledicta*, seu plurima illorū, *quæ scripta sunt in hoc volumine* Deuteronomij cōtra illos, qui trāsgressi fuerint fœdus Domini: *& deleat Dñs*

C

II.

nomen

nomen eius sub cælo, non relinquens ex eo præuaricatore aliquem, in quo nomen eius, seu memoria conseruetur, *& consumat eum in perditionem* infligens ei tot ac tanta mala, quanta numquam inflixerit cuiquam *ex omnibus tribubus Israel, iuxta maledictiones, quæ in libro legis huius ac fœderis continentur. Dicetque sequens generatio*, quæ futura est tempore subsequẽti, *& filij, qui nascentur deinceps*, ex progenie horum impiorum derelinquentium pactum Dei, *& peregrini, qui de longe venerint* ad colendum verum Deum inter Israelitas, *videntes plagas terræ illius* inhabitatæ à transgressori-
D. bus diuini fœderis, *& infirmitates, quibus eam affixerit Dominus*, reddens eiusmodi terram adeo sterilem, & infœcundam, ac si illam Deus sit *sulphure, & salis ardore comburens, ita vt* ad modum terræ, in qua sulphur, & sal sunt resperla, *vltra non seratur, nec vires quippiam germinet, in exemplum*,
† Gene. 19. c. 24 seu instar insignis illius, † *subuersionis Sodomæ, & Gomorrhæ, 3 Adamæ, & Seboim, quas*
III. *subuertit Dominus in ira, & furore suo. Et dicent omnes gentes* subsannantes, & deridentes præuaricatores illos, ac innuentes ingentia peccata, propter quæ prædictis malis af-
† 3. Reg. 9. b. 8. Ierem. 22. b. 5. ficientur? † *Quare sic fecit Dominus terræ huic*, habitatores illius subuertendo; *quæ est hæc ira furoris eius immensa?* proculdubio nisi ob magnum crimen, nequaquam se exhibuisset Deus tam vehementer iratum. *Et respondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum*, tam in monte Horeb, quàm in campestribus Moab, *quando eduxit eos de terra Ægypti: & seruierunt dijs alienis, & adorauerunt eos, quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi*, seu dedicati, vel dati in custodiam, cum ab eiusmodi dijs nulla accipere potuerint Israelitæ beneficia. *Idcirco iratus est furor Domini contra terram istam*, admodumque illius, qui ira, & furore accensus est statuit tali eam vindicta afficere, *vt induceret super eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine* libri Deuteronomij *scripta sunt: & eiecit eos de terra sua in ira, & in furore, & in indignatione maxima, proiecitque in terram alienam, sicut hodie comprobatur*, 4 quã- IIII.
do isthæc euenisse constat, & experientia ipsa docuit. *Absondita* sunt suprascripta iudicia diuina, seu maledictionum ac benedictionum decreta *Domino Deo nostro*, taliterque apud diuinam notitiam recondita, vt excedant, non solum lumen rationis humanæ, sed etiam naturale lumen cuiuscunque creaturæ, & nihilominus illa nobis diuina pietas detegit, vt pote *quæ manifesta sunt nobis, & filijs nostris vsque in sempiternum*: etenim nunquam cessat Deus lumen fidei infundere, quo illius occulta agnoscere valeamus, idque, *vt faciamus vniuersa verba legis huius*, is enim est fructus diuinæ reuelationis.

ANNOTATIONES IN CAP. XXIX.

I. *Soli Latinæ editioni vulgatæ tãquam Canonicæ standum est.*

EXCEPTIS lignorum cæsoribus.] Quãuis ad explicanda plurima loca Sacræ Scripturæ iuuari possimus subsidio, & ope obuenientę ex editionum multitudine, quando earũ sententiæ sibi inuicem cohærent, iuxta illud D. August. lib. 2. de Doctri. Christia. cap. 12. Plures translationes plus adiuuant intelligentiam, quam impediunt, si modo legentes negligentes non sint, nam nonnullas obscuriores sententias, plurium codicum sæpè manifestauit inspectio. In præsenti autem longe aliter se res habet, quia editio Hebraica, & Latina maximè videntur ab inuicẽ differre: etenim in littera Hebraica, quæ nunc circumfertur, locus iste in sensu omnino contrario ei, quem habet vulgata, reperitur, sic enim habetur Hebraice: Ab incisore lignorum tuorum, vsque ad haurientem aquas. Ita vt operarij isti non excipiantur, imò comprehendantur. In Latina vero oppositum prorsus asseritur: dum palam excipiuntur operarij præfati, oportet igitur, & huius discriminis duplicẽ causam assignare possumus. Altera est, quod facilè fieri posse credendum est, vt maiores nostri, qui ex Hebræis, & Græcis Latina fecerũt, copiam meliorum, & emendatiorum librorum habuerint, quam ij, qui post illorum ætatem ad nos peruenerunt, qui fortasse tam longo tempore identidem describendo minùs puri, atque integri euaserunt. Nec id mirum videri debet cuiquam, cum etiam tempore D. Hieronymi, cuius ætas, non multum à tempore Apostolorum distabat iam editio septuaginta interpretum fuerit corrupta, vt testis est idem Hieronymus in præfatione ad libros Paralipomenon, inquiens, si septuaginta interpretum pura, & vt ab eis in Græcum versa est, editio permaneret superflue trãsferrem. Et statim subiungit, nunc vero cum pro varietate regionum, diuersa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque trãslatio corrupta sit, atque violata, & cætera. Si ergo editio Græca, quæ sub nomine Septuaginta interpretum circumfertur, & quæ nascentis Ecclesiæ roborauerat fidem, modo violata est, multo magis hoc ipsum præsumi debet de editione Hebraica, quæ nunc habetur. Obquam causam quando nũc temporis Latina editio cũ Græca, vel Hebræa, non concordat, non illam per istas, sed istas per illam corrigere oportet. Præsertim cum nulla editio Græca, vel Hebræa ex his, quæ nunc circumferuntur, pro Canonica habenda sit,

Digitized by Google

sit, magis quam si in alia quauis lingua à Latina conscripta esset, sed sola latina vulgata editio reputatur canonica. Altera causa prædicti dis, criminis esse potest, si dicamus vtrumq; sensum veritatem continere, & vtramque veritatem voluisse Spiritum sanctum significare, alteram in littera Hebraica, alteram vero in textu latino: nam in eo quod dicitur in Hebræo lignorum cæsores, & haurientes aquas adstitisse coram Moyse, significatur peregrinos illos exhibuisse se tanquam præsentes in eo, quod tacitum consensum præbebant his, quibus populus reliquus consentiret. In eo autem, quod in latina editione legitur, illos peregrinos vilissimæ conditionis abfuisse à præsentia Moysi, ostenditur illos corporaliter mansisse extra castra, occupatos rebus populo necessarijs. Qui quidem sensus in idem tendunt, nempe in vnam integramque veritatis expressionem. Non secus ac verba illa quæ Genes. 8. habentur circa regressum corui ad arcã Noe, vbi in Hebræo habetur, quod coruus à Noe dimissus reuertebatur, latina autem editio habet, quod non reuertebatur, quæ vtique intelligẽda sunt, vt coruus quamuis volando, & reuolando ad arcam redieris, & extra eam aliquoties mansérit, vel in tecto, vel lateribus eius, nequaquam tamẽ taliter reuertebatur, vt intrinsecus in arcam intraret. Prior tamen dicendi modus nobis magis probatur.

II. *Fumare seu stillare furorẽ idest quod punire.*

FVROR eius fumet.] Id est, quasi fumus exeat, solet enim fumus cum impetu, & continuè è fornace egredi, aut ad modum fumi, quẽ nullus ferre potest. Et est Hebraismus, quemadmodum cum dicitur. 2. Paralip. 34. Magnus furor Domini stillauit super nos. Et Ezechiel. 21. vbi dicitur. Stilla ad sanctuaria, sensus est, Propheta dura, & aspera super sanctuaria. Et vocatur punitio stillatio, cum copiose quis flagellatur, quomodo stillæ cadere solent. Possemus etiam aliter huiusmodi Hebraismos interpretari, vt idem dictu sit iram aut furorem Domini super aliquem fumare, quod iram Domini per modum flatus fumosi à Domino egredi. Solet enim ira, per modum spiritus, vel flatus ex naribus aut ore egredi, aut flatum Domini ex ira procedentem per modum fumi exire. Et irain Domini stillare est per modum flatus, quem pluuia sequitur, exire punitionem Domini. Est enim homo iratus veluti caminus ardens, aut nubes aqua redundans, & cum incipit punitionem, vel vindictam facere, dicitur veluti caminus fumare, aut velut nubes stillare.

III. *Per Sodomam, & Gomorrhã durior Dei vltio significatur.*

SODOMAE, & Gomorrhæ.] Sacris scriptoribus is mos solemnis fuit, vt per antonomasiam quandam siue allegoriam Sodomorum euersione quamlibet duriorem Dei vltionem significarent. Quem morem secutus est Moyses non solum hic, sed etiam inferius cap. 32. ibi de vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ. Eadem phrasi minatus est Isai. cap. 13. vltionem Babylonijs, & Ierem. cap. 49. Idumæis, & Amos capit. 4. Israelitis, & Sophonias cap. 2. Moabitis.

IIII. *Sicut hodie ad quod tẽpus referatur.*

SICVT hodie comprobatur.] Verba ista nõ referuntur ad tempus, in quo illa loquebatur Moyses, quando Israelitæ aderant in campestribus Moab, prout existimauit Oleaster, sic enim Israelitæ non fuerant experti maledictiones præsentis voluminis, sed referuntur ad tempus, in quo ista mala iam venissent super transgressores diuini fœderis, de quo tempore introducuntur loqui posteri Hebræorum, & peregrini de longe venientes, stupe facti pænarum, quas subire videbant præuaricatores illos.

ARGVMENTVM IN CAP. XXX.

¶ Promittit Dominus misericordiam habiturum eorum, qui flagellis, & ærumnis diuinitus sibi inflictis contriti redierint ad cor pænitentiam agentes peccatorum suorum, quos & reducere promittit in proprium solum, quantumuis exulauerint in regiones longinquas. Ad quam resipiscentiam diuersimodè inuitat populum Moyses.

PARAPRHASIS IN CAP. XXX.

A. CVM *ergo venerint super te omnes sermones isti*, seu res in præcedentibus relatæ, videlicet *benedictio* si legem seruaueris, *siue maledictio*, si illam abijcias: eueniet enim, vt experiaris hanc duplicem sortem, *quam proposui in conspectu tuo*, benedictionem prius, & deinde maledictionem: *& ductus pænitudine cordis tui in vniuersis gentibus, in quas* relegatum à proprijs sedibus *dispersserit te Dominus Deus tuus, & reuersus fueris ad eum*, per cordis dilectionẽ, *& obedieris eius imperijs, sicut ego hodie præcipio tibi*, nõ solis præsentibus, sed vna cũ *filijs tuis*: hæc autẽ cõuersio fit *in toto corde tuo*, quo ad vires spirituales,

les, *& in tota anima tua*, quoad vires corporales, tūc tēporis *reducet Dñs Deus tuus captiuitatē tuā*, quia nō vult mortē peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, *ac miserebitur tui, & rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit*, redire te faciens in Terrā promissionis. *Si ad cardines cæli*, seu in extrema orbis, vbi cælū videtur terræ cōiungi *fueris dissipatus*, prout dissipaberis cū te Deus propter peccata tua in Terrā Babylonis relegauerit, *inde te retrahet Dominus Deus tuus*, † *& assumet atq; introducet in Terrā, quam possederunt patres tui, & obtinebis eā: & benedicens tibi*, maximaque honorū copia afficiens, *maioris numeri te esse faciet, quā fuerunt patres tui*: etenim pœnitens ad maius meritu pertingere potest, quā erat illud meritum, quod habebat dū erat innocens. *Circuncidet Dñs Deus tuus cor tuū, & cor seminis tui* auferens superflua ac nociua desideria, tā à te quā à filijs tuis, *vt diligas Dñm Deū tuū in toto corde tuo, & in tota anima tua*, seu totis viribus, nihil præstando dilectioni idolorū, *vt possis viuere* lōgo tēpore incolumis super terrā. *Omnes autem maledictiones has* & mala quæ in eis cōminatur Deus, inducet, ac *conuertet super inimicos tuos*, 1 *& eos qui oderunt te & persequuntur*, non secus ac pientissimus pater post filij correptionē & cōuersionē flagellū, quo illum afflixerat, igni tradit. *Tu autem reuerteris* à via tua mala, *& audies vocē Dñi Dei tui: faciesq; vniuersa mandata, quæ ego præcipio tibi hodie*: quod si præstiteris proculdubio prosperaberis, *& abūdare te faciet Dñs Deus tuus in cunctis operibus manuū tuarū*, videlicet in agricultura, ac aliarū rerū opificijs, *in sobole vteri tui*, vt maioris numeri esse valeas quā fuerūt patres tui, *& in fructu iumentorū tuorū*, ita vt multitudine armētorum diues efficiaris, *in vbertate terræ tuæ, & in rerum omniū largitate. Reuertetur enim Dñs*, vt instar illius, qui irā dimisit, *gaudeat super te in omnibus bonis*, sibiq; cōplaceat cōferens tibi beneficia, *sicut gauisus est in patribus tuis* Patriarchis, quādo illis in prēmiū meritorū suorū maxima cōferebat bona. *Si tamē audieris vocē Dñi Dei tui, & custodieris præcepta eius*, tā moralia quā iudicialia, *& ceremonias, quæ in hac lege conscripta sunt*: & mediante virtute pœnitentiæ *reuertaris ad Dominum Deū tuū in toto corde tuo & in tota anima tua*, neq; enim aliter nisi isthæc perficias prædicta bona consequeris. *Mandatum hoc*, 2 *quod ego præcipio tibi hodie*, continens præcepta huius libri Deuteronomij, *non supra te est*, ita vt promulgator illius sit in aliquo loco superiori, ad quē tu nequeas ascendere, & ab eo edoceri, *neque procul positum* in loco prorsus ignoto, *nec in cælo situm*, quo pertingere non vales, *vt possis dicere* excusando te prætextu ignorantiæ ab obseruatione mādati tibi impositi: † *Quis nostrū valet ad cælum ascendere, vt deferat illud*, seu prophetam vel promulgatorem mandati perducere *ad nos, & audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum* est, nempe in loco inaccessibili, quem nulla ratione adire possis: *vt causeris & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsq; deferre*, eiusq; copiam facere per aliquem cōcionatorem: *vt possimus audire, & facere quod præceptū est? Sed iuxta te est sermo valde* dum illum me loquente audisti & didicisti: & quia te illum accepisse ac didicisse testatus es, adest quoque *in ore tuo, &* quātum ad illius intelligentiā, est *in corde tuo*, vim eius ac sensum callēs, *vt facias illum. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo*, vt pro arbitrij tui libertate eligere valeas quod libet extremorum, nempe *vitam & bonum*, tanquā premiū tibi conferendū si legē obserues, *& è contrario mortem & malū* in stipendiū peccati tui, si legē transgressus fueris. Quam duplicem sortem proposui tibi, *vt diligas Dñm Deum tuum*, si non virtutis amore, saltē timore pœnæ, qui initiū esse solet veræ sapientiæ, *& ambules in vijs eius* per continuationem bonorum operum, *& custodias* firmiter ac perseueranter *mandata illius* ad mores concernētia, *et ceremonias atque iudicia*: *&* in præmiū perfectæ obedientiæ principio, medio & fine prædictæ *viuas, atque multiplicet te, benedicatq; tibi in Terra, ad quā ingredieris possidēdā. Si autē auersum fuerit cor tuū* à cultu veri Dei *& audire nolueris* Deū te interius & exterius ad pœnitentiam excitantē *atque errore deceptus*, prout errare solent omnes, qui operantur malum, *adoraueris deos alienos*, qui ab exteris nationibus colūtur, *& seruieris eis prædico tibi hodie*, & annuncio ex nunc antequam eueniat: *quod pereas, & paruo tempore moreris in Terra, ad quam, Iordane trāsmisso, ingredieris possidendam*, obnoxius existēs maledictionibus superius promulgatis. *Testes inuoco hodie cælū & terrā* 3 seu quotquot in eis inhabitāt, qui huius rei testimoniū ferre possunt, *quod proposuerim vobis vitā & mortē*, videlicet *benedictionē & maledictionē* continentem prospera & aduersa, quæ vobis pro meritis euenient. *Elige ergo vitā, vt*

&

Margin notes (left column): † 2. Macō. 1. f. 29. — B. — I. — C. — II.

Margin notes (right column): † Rom. 10. b. 6. — D. — III.

& tu vinas & sementuũ, seu posteri tui, quibus etiam ob merita tua vita temporalis prolongabitur, *& diligas Dominum Deum tuum* toto cordis affectu, ex quo prouenict, vt executioni mandes, quæ tibi præcipit, *atq; obedias voci eius*, *& illi* summa cũ perseuerantia *adhæreas: ipse est enim vita tua, & longitudo dierũ tuorum*, vt pote qui solus isthæc præbere potest, & ab eo tã quam à causa efficienti pariter consequi poteris, *vt habites in Terra, pro qua iurauit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob, vt daret eam illis* tradẽdo eã tibi, intuitu meritorũ illorum patriarcharum.

ANNOTATIONES IN CAP. XXX.

I. *Chaldæi fuerunt à Deo puniti.*

SVPER Inimicos tuos.] Hoc videtur fuisse executioni mandatũ in gente Chaldæorũ. Nã postquã hi templũ Salomonis incẽderũt, ac Iudæos in Babylonẽ captiuos duxerunt, conuersis Iudæis ad Dominũ, in patriamq; reuersis, Chaldæi similẽ maledictionem subierunt, iuxta illud Ezechi. ca 21. quod dictũ est ad regẽ Chaldæorũ. Reuertere ad vaginã tuã in loco, in quo creatus es: in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, & effundã super te indignationem meãt in igne furoris mei sufflabo in te: daboq; te in manus hominũ insipientiũ & fabricantũ interitum. Igni eris cibus, sanguis tuus erit in medio terræ, obliuioni traderis: quia ego Dominus locutus sum.

II. *Nomine mandatorum quid intelligatur.*

MAndatũ hoc.] Nomine mandati multa mãdata intelliguntur iuxta phrasim vtentẽ numero singulari pro plurali, cuius memoriã fecimus Exo. cap. 4. annot. 3. Quæ autẽ sint mandata, de quibus hic loquitur Moyses, non omnino conuenit inter doctores. Nonnulli enim existimãt hic non solũ mentionẽ fieri de mandatis contentis in libro Deuteronomij, sed etiam de præceptis supernaturalibus, maxime fidei & charitatis: eo quod Paulus ad Roma. 10. ex sententia huius loci probat præcepto fidei formatæ facile posse quelibet tẽpore legis euangelicæ assentire. Hoc tamen non obstante certius reputo in sensu literali tantũ agere Moysen de præceptis in hoc libro contentis, ob verba, quæ statim subiungit cum ait. Quod ego præcipio tibi hodie. Nec mirũ est, quod D. Paulus considerans finẽ principaliter intẽtũ in lege antiqua esse Christũ, adaptauerit prædicta verba ad præceptũ de fide Christi. Id tamen effecit vtẽdo verbis istis in sensu spirituali: cuius signũ est quod illa referens non allegat Moysen, vt in alio testimonio historice adducto in verbis præcedentibus fecerat, sed allegat vel ipsum Christũ, quẽ vocat Iustitiã ex fide, prout alibi solet etiã vocare, quia Christus vt ipsemet Paulus ait. 1. Corint. 1. Factus est nobis sapientia à Deo & iustitia: vel allegat absolute scripturam, sub cuius nomine sensus spirituales in nouo testamento explicati comprehenduntur.

III. *Cælum & terra dupliciter sumũtur.*

COELVM Et terram.] Iuxta duplex figurarũ genus verba ista interpretari queunt. Vno modo per Metonimiam, ita vt continẽs sumatur pro contento: qua ratione exponit similia verba D. Hieronymus super Isai. cap. 1. ob quã causam sensum istũ in paraphrasi selegimus. Alio modo possunt exponi per Prosopopœiam quę personarũ fictionẽ vsurpare, & de inanimis, vt de animatis dicere permittit. Qua loquendi phrasi passim vtitur scriptura: vt Psa. 113. Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Quid est tibi mare quod fugisti? & alibi sæpe.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXI.

¶ *Mortem iamiã subiturus Moyses diuinorum præceptorũ memoriã populo commendat, eiq; de duce prouidet, qui ipsius Moysi vices gerat, & Israelitarũ multitudinẽ transuadato Iordane in Terrã promissionis introducat. Ad quod munus à Domino eligitur Iosue filius Nun, & ad illius, cæterorumque de populo instructionem Moyses componit Canticum in testimonium diuinæ bonitatis aduersus ingratitudinem futurorum Israelitarum, qui Dei legem & cultum deserturi erant.*

PARAPHRASIS IN CAPVT. XXXI.

ABIIT Itaque *Moyses* è domo sua ad suggestum, vnde loqui seu concionari solebat, *& locutus est omnia verba hæc*, quę modo subsequuntur *ad vniuersum Israel, & dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie*, & quãuis hactenus tãtæ extiterim incolumitatis, vt nec caligauerit oculus meus, nec fugerit vigor meus, nihilominus post tã grandęuã ætatẽ *non possum vltra egredi & ingre-*

Digitized by Google

I. *& ingredi*, neq; in posterū vobis ducatū
præbere: quia nec potero eas actiones exer
cere, quæ communiter indigent corporali
exercitatione tendendi in vnā & in alterā
partē cum vicissitudinū frequentatione: *præ*
sertim cum id etiā impediat, quod *& Domi*
† Sup. 3 *nus dixerit mihi*: † *Non transibis Iordanē*
d. 27. *istū*, insinuans me hoc ipso loco, imo & hac
Nu. 27. ipsa die moriturū. *Dominus ergo Deus tuus*
c. 13. *transibit ante te* se præsentem exhibens in
signi quadā miraculorū operatione: etenim
ipse delebit omnes gentes has in conspectu
tuo, disperdetque omnes nationes, quæ ha-
bitant in Terra promissionis, *& possidebis*
eas occupando earū diuitias & facultates,
& Iosue iste transibit ante te fungēs ducis
officio, *sicut locutus est Dominus* declarans
de hac re suam absolutam voluntatem. *Fa-*
† Num. *cietque Dominus eis*, nempe habitantibus
vltra Iordanē, † *sicut fecit Sehon & Og re-*
21. c. 24. *gibus Amorrhæorū, & terræ eorum, delebitq;*
eos. Cūm ergo & hos, qui restant debellandi
tradiderit vobis, similiter facietis eis delen
do omnes in ore gladij, prout nos fecimus
duobus regibus Amorrhæis; *sicut præcepi vo*
bis superius capite septimo huius libri.
B. † *Viriliter agite* fortiter operantes opera
† Sup. 7 Dei, ac prælia Domini aduersus hostes præ
a. 2. liando, *& confortamini* perseuerātes in cōfi
dētia diuini auxilij: *nolite timere, nec pauea*
tis ad conspectū eorū, cū videritis inimicos
vestros esse plurimos, ac proceræ magnitu
dinis: *quia Dominus Deus tuus ipse est ductor*
II. *tuus, & nō dimittet*, a remissius auxilium
præbēs, quā hucusq; præbuit, ac multo po-
tius *nec derelinquet te*, quasi omnino tibi
desinat patrocinari. *Vocauitq; Moyses Iosue,*
& vt omnibus constaret munus ducis, ad
quod Deus elegerat ipsum, *dixit ei coram*
† Ios. 1. *omni Israel*: † *Confortare* virtute miraculo
b. 3. reg. rū, quā Deus tibi exhibebit, *& esto robustus*
2. a. 2. vi armorū, qua mirabiliter pollebis: *tu enim*
introduces populū istū in Terrā, quā daturū
se patribus eorū iurauit Dominus, & nō solū
vtcūque introduces, verū etiā *tu eā sorte di*
III. *uides* 3 in pacifica illius terræ possessione
constituendo populū. *Et Dominus qui* pri-
mus ac præcipuus *ductor est vester, ipse erit*
tecum tibi auxiliando, & ab hostibus defen
dendo: *non dimittet* remisse tecum agens,
nec derelinquet te omnino deserendo: *noli*
timere intrinsecus in corde, *nec paueas* ex-
terius in corpore. *Scripsit itaq; Moyses* non
hoc ipso die, quo ista cōtigerunt, sed antea
legē hanc, seu librū Deuteronomij, *& tradi*
dit eā sacerdotibus filijs Leui per lineā Aarō,
qui portabant arcā fœderis Domini, 4 qui- IIII.
bus incūbebat cura docendi populū in his,
quæ ad Deū pertinebant, *& cunctis seniori-*
bus Israel, quorū munus erat iudicialia exer
cere, tanquā iudices constituti à Domino.
Præcepitq; eis, dicēs: Post septe annos nume- C.
randos, ex quo Terra Chanaan fuerit vobis
sorte diuisa: ex tunc enim incipietis eā paci
ficè possidere, videlicet *anno remissionis in*
solēnitate tabernaculorū, quā celebrare vos
oportet à quinta decima die septimi mēsis
conuenientibus cunctis ex Israel, vt appareāt
in conspectu Domini Dei tui in loco, quē ele-
gerit Dominus † iuxta præscriptū legis su † Sup.
perius traditæ in hoc ipso libro; tunc tēpo- 16. b. 6.
ris † *leges verba legis huius corā omni Is-*
rael, audientibus eis, & in vnum omni popu
lo congregato, tā viris quā mulieribus, par-
uulis & aduenis ad Iudaismū ex gentilitate
conuersis, *qui sunt intra portas tuas*, tecum
que in vrbibus tuis cōmorantur: *vt audien-*
tes discant præcepta, quæ eos obseruare
oportet, *& timeant Dominū Deū vestrū, &*
custodiant, impleantque omnes sermones le-
gis huius: filij quoque eorum, qui ob ætatis
imbecillitatē *nunc ignorāt* magnalia Domi
ni, & mirabilia, quæ in huius legis confirma
tionē Deus præstitit, oportet, vt præsentes
sint lectioni legis, *vt audire possint*, saltem
de septēnio in septēniū librū istū; vt hac ra
tione instruantur, *& timeant Dominū Deū*
suū cunctis diebus, quibus versantur in Ter-
ra, ad quā vos, Iordane transmisso, pergitis
obtinendā: neque enim de timore Domini
prout ad aliam vitam pertinet ad legē spe-
ctat ordinare. *Et ait Dominus ad Moysen* D.
paucis ante diebus, quàm Moyses superius
dicta ad populum referret: *Ecce prope sunt*
dies mortis tuæ, vnde prouidere oportet
hominem, qui sit super multitudinem hāc;
idcirco *voca Iosue, & state in tabernaculo*
testimonij, seu in atrio illius, vbi sub dio cō
gregari solet populus, *vt præcipiā ei* non-
nulla præcepta, quib' ipse Iosue informari
debet. *Abierunt ergo Moyses & Iosue, & ste*
terūt in tabernaculo testimonij, in atrio in-
quā illius: *apparuitq; Dñs ibi in colūmna nu*
bis, quæ populū in via dirigebat, hæc enim re
cessit à loco, in quo erat super propitiato-
riū, & *stetit in introitu tabernaculi*, vt de il
lius ostio loqueretur Dñs nube tectus ad
Moysē & Iosue manētes in atrio corā ostio
tabernaculi. *Dixitq; Dñs ad Moysen: Ecce tu*
dormies cū patrib' tuis mortē opperēs tēpo
ralem,

ralē, *& populus iste* tēpore *futuro post obi*rū eorū, qui modo viuunt, *consurgēs fornicabitur*, seu nimia lasciuia instar fornicātis, *abibit post deos alienos*, qui à gētilibus coluntur, eisq; cultū præstabit *in Terra, ad quā ingreditur, vt habitet in ea: ibi derelinquet me* quasi vxor fornicaria, quæ dimittit thorū viri sui, *& irritū faciet fœdus, quod pepigi cū eo*, nā franget fidē, quam sæpe sæpius mihi pollicitus est. *Et irascetur furor meus cōtra eū in die illo* sumendo vindictā ad modū, quo illā sumit homo vehemēter iratus; *& derelinquā eū* non curando res eorū modo quo antea, *& abscōdā faciē meā ab eo*, auferens ab eis illos effectus diuinæ præsentiæ, quibus cū populo illo me esse ostendebā, *& erit in deuorationē* subiens immanē hostiū direptionē: ac tandē *inuenient eū omnia mala, & afflictiones, ita vt* vexatione illustrante mētē illius, *dicat in illo die*, seu tempore, quo prædicta patietur: *Vere quia non est Deus mecum*, sed ipse deseruit me, qui prius eum deserueram, ac debitum cultum negaueram, ob id *inuenerunt me hæc mala*, quæ sufferre cogor. *Ego autem abscondam*, quousq; perfecte pæniteant, *&*
E. *celabo faciē meā in die illo* denegans specialissima illa auxilia, quibus quasi filios nutriebam, *propter omnia mala, quæ fecit, quia secutus est deos alienos. Nunc itaque scribite vobis canticū istud* in sequenti capite excipiendū, *& docete filios Israel: vt memoriter teneant, & ore decantent*, tū vt iugi recordatione pœnarū infligendarū pro peccato, quę in cantico illo exprimūtur, à peccando abstineant: tū etiam vt cum pœnas suorum delictorum subierint, sciant eas non à casu, sed ex diuina iustitia prouenire: quo fiet, vt *& sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel*, de eo quod illos summa cum benignitate præmonui. *Introducam enim eum in Terram, pro qua iuraui patribus eius, lacte & melle manantē* præ vbertate ac fructuū suauitate, quam præ se fert. *Cumq; comederint* non temperate, sed immoderate, *& saturati, crassique fuerint, auertentur ad deos alienos*, qui ab exteris gentibus coluntur, *& seruient eis: detrahentque mihi*, idolorum cultū laudi meæ præponentes, *& irritum facient pactum meum*, quo me in vnicū
F. sibi Deum elegerunt, ac de ea re mecū fœdus inierunt. *Postquam inuenerint eum mala multa & afflictiones*, stupensque quæsierit, ob quam causam tā ingentia mala patiatur, *respondebit ei canticū istud* certioremque faciet se propter peccata sua punitum esse à Deo, eritque ad id satis, superque sufficiens cāticum istud, ac *pro testimonio, quod nulla delebit obliuio ex ore seminis sui*, sed iugiter doctrina cantici huius mentē Israelitarum agitabit, ac torquet. *Scio enim cogitationes eius* pessimas, quas machinatur de *his, quæ facturus sit hodie, antequā introducā eū in Terram, quā ei pollicitus sum:* cogitat enim quod postquā fuerit promissa consecutus, ibit post desideria cordis sui. *Scripsit ergo Moyses cāticū* inferius subijciēdū, *& docuit filios Israel* recitādo corā eis, & dādo eis exēplar, vt trāscriberēt & apud se retinerēt. *Præcepitq; Dñs Iosue filio Nun, & ait: Cōfortare* virtute faciēdi miracula, quā tibi cōferā, *& esto robustus* ea animi fortitudine, qua hucusq; præditus fuisti: *tu enim introduces filios Israel in Terram, quā pollicitus sum* tāquā dux totius multitudinis, *& ego ero tecū* adiutor in opportunitatibus, sicut fui cū Moyse seruo meo. *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine*, quod prænotauit Elle haddebarim, seu Deuteronomium, *atq; cōpleuit scripturā illius, præcepit Leuitis*, hoc est filijs Leui per lineam Aaron, nēpe sacerdotibus, *qui portabant arcā fœderis Dñi, dicens. Tollite librū istū, &* ingressi Sancta Sanctorū *ponite eū* non intra arcā, vbi asseruantur tabulæ testamenti,
sed extra *in latere arcæ fœderis Domini* V.
Dei vestri, prope vas mannæ & virgā Aarō, G.
quæ fronduerat: *vt sit ibi contra te in testimoniū*, ne quippiā audeas super addere vel subtrahere in perniciē ipsius legis, ac etiā vt ipso legis volumine cōuincaris te legē soluisse. *Ego enim scio cōtētionē tuā*, seu rebellionē, ac cōtumaciā, *& ceruicē tuā durissimā* impatiētē iugi vel imperij. *Adhuc viuēte me & ingrediēte*, ducatūq; gerēte *vobiscū, semper cōtētiose egistis cōtra Dominū* ad irā eū prouocātes & irritātes, *quanto magis cū mortuus fuero* rebelles eritis? quādo deerit, qui vos cū tāta authoritate corrigat, & quē vos tātopere reuereamini, quę duo nō modicū corda vestra à peccatis coercebāt. *Cōgregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atq; doctores*, seu præfectos vt propius quā reliqui de populo adsint ad audiēda verba cātici recitādi, *& loquar audiētibus eis* vna cū reliqua multitudine *sermones istos, & inuocabo cōtra eos cœlū & terrā*, idest, vniuersos, qui in eis inhabitāt, vt sint testes admonitionis extremæ per me fiendæ ad vniuersum populū. *Noui enim*, nā Deus mihi reuelauit,

nit, *quòd post mortē meā inique agetis, & declinabitis cito de via quā præcepi vobis*, nē
pe statim postquā præsens generatio cū du
ce suo Iosue fuerit congregata ad patres
† Iudi. 2.b. 10. suos, † surrexerintq; alij, qui non nouerint
VI. Dominū, & opera, quæ fecit cum Israel: *&*
occurrent vobis mala in extremo tempore 6
cōsecuturo tēpori præsentis generationis; videlicet *quādo feceritis malū in conspectu Domini* deserentes viam, per quam ingressi fuerant patres vestri, *vt irritetis*, vel ad iram prouocetis *eum per opera manuum vestrarum*, siue sint crimina, vtcūque à vobis admittenda, siue impia simulacra manibus vestris conficienda. *Locutus est ergo Moyses, audiente vniuerso cœtu Israel, verba carminis huius, & ad finem vsque compleuit* inchoans ac finiens.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXI.

I. *Egredi & ingredi quid dicatur.* EGREDI & ingredi.] Aliqui existimant per Hebraismum istum egredi & ingredi significari id, quod est fungi ducis munere. Et certè si eiusmodi interpretatione velint asserere hāc esse præcisam & adæquatā significationē illius locutionis, proculdubio falluntur: etenim Num. c. 27. præcipitur, vt tā Iosue quā reliqui filij Israel egrediātur & ingrediātur ad præscriptū Eleazari pōtificis: & tamē quilibet de populo nō debebat fungi ducis munere. Proprius igitur sensus huius locutionis est, quē in Paraphrasi subindicauimus: videlicet vt idē sit egredi & ingredi ac eas actiones exercere, quæ motū localē progressiuū expostulant. Verū est tamē, quod si prædictis verbis adiungatur quidpiam, verbi gratia, Ante eos, tunc limitabitur eius significatio ad standum pro eo quod est exercere munus ducis: vt Num. 27. Possit exire & intrare ante eos. Idest, possit fungi ducis officio.

II. *Non dimittet te, quid sit.* NON dimittet te.] Verbū Rapah quod vulgatus interpres exposuit per verbū dimittere, propriè significat remisse agere. Vnde sensus huius loci est: Nō remisse tecū aget; aut nō remittet auxilium tuū à te. Sequēs vero verbū, cum inquit: Nec derelinquet te, constat significare omnimodā desertionem. Ac proinde hoc in loco, & quando statim postea loquens Moyses cum Iosue repetit eadem verba, is debet intelligi sensus: Nō solū non derelinquet omnino te, sed neque remissius te iuuabit nunc quàm antea. Inuertit tamen ordinem exaggerationis lingua Hebraica, prout etiam inuertere solet lingua Hispanica, vt quando dicitur: Ni poco ni mucho te desamparara.

III. TV eam sorte diuides.] De ordine quo Terra Chanaan diuidenda erat singulis tribubus Israel dictum est Num. 26. & 34. cap.

IIII. *Deferre arcā fœderis erat propriū munus sacerdotum.* POrtabunt arcam fœderis Domini.] Ex hoc loco constat non fuisse munus Caathitarū deferre arcam fœderis, sed sacerdotum; vt ostendimus Num. cap. 4. annotat. 3. Cuius oppositū tenuit Abulēsis in illo loco & in præsenti: irrationabiliter tamen.

V. *Deuteronomium non fuit appositū intra arcam.* IN latere arcæ.] Quia superius Num. cap. 17. annota. 3. ostendimus testimonijs scripturæ 3. Regū. 8. & 2. Paral. 5. nihil aliud fuisse intra arcam fœderis nisi duas tabulas lapideas, quas posuerat Moyses in Horeb; consequenter asserendum est librum Deuteronomij non fuisse appositum à sacerdotibus intra arcam, sed exterius: maxime quòd expediebat eum habere in promptu sacerdotes ad legendum illum populo, & ad transcribendum volumina, quæ accepturi erant reges de manu sacerdotum, iuxta ea, quæ decernuntur in hoc capite, & superius cap. 17. huius libri.

VI. *Per extremum tempus quid intelligatur.* EXtremo tempore.] Per extremum tempus hoc in loco non tempus Messiæ, neque finis seculi dumtaxat intelligitur, sed indistincte tempus, quod consecuturum erat post mortem illius generationis hominum, quibus loquebatur Moyses; ab eo enim tempore vehementer afflicti sunt Israelitæ; vt habetur Iudicum cap. 2. Quod autem eiusmodi tempus vocari soleat extremum in sacris literis, ostendimus Num. 24. annot. 1.

ARGVMENTVM IN CAPVT XXXII.

¶ *Moyses appropinquans morti, & prænoscens ex Dei reuelatione præuaricationes filiorū Israel futuras post introductionem in Terram promissionis, describit celebre canticū, vt esset posteris in testimonium: in quo vniuersa mala, quæ illis propter transgressionem ex Dei iustitia erāt superuētura, apertissimè pariter, atq; seuerissimè proponit, quo magis Israelitæ fierēt inexcusabiles. Quo finito & corā omni multitudine recitato, inducitur Moysi finalis sententia ascendendi in montem Nebo, vt in eo post breuem Terræ promissionis contemplationem, mortem subiret temporalem.*

PARA-

PARAPHRASIS IN CAPVT XXXII.

A. AVDITE *Cœli quæ loquor*, quos exaggerationis gratia quasi anima præditos contestor, *audiat terra verba oris mei*, vt vtriq; tā cæli quā terra solicitate & perpetuitate vestra certitudinē ac firmitatem doctrinæ meæ designare valeatis, *concrescat* in cordibus auditorū, *vt pluuia doctrina mea* faciens illa virtutibus abundare, non secus atque pluuia facit terram germinare: *fluat vt ros eloquium meū, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina*, sicut enim siue magna sit, siue tenuis pluuia, non desinit aliqualiter irrigare, & fæcundare terræ nascentia: ita exopto, vt sermo meus vtcunque saltem proficiat auditoribus. *Quia nomen Domini inuocabo* laudando & benedicendo ipsum. & ratio exigit vt populus sequatur, & imitetur ducem suū, proinde vos vna mecū *date magnificentiam Deo nostro* prædicantes illius gloriam & maiestatem. *Dei perfecta sunt opera*, vt videre est non solum in operibus creationis, verum etiā in opere isto tradēdi nobis Terram promissionis: quod iam paratus est perficere, *& omnes viæ eius*, & actiones sunt iustæ, & conformes rectæ rationi tanquam vera *iudicia*. *Deus fidelis* est, ac verax in promissis, *& absque vlla iniquitate, iustus & rectus*, ita vt ex parte ipsius nihil sit, ob quod dimitti mereatur à populo suo. *Peccauerunt ei* nihilominus Israelitæ gerentes se ac si essent alieni, *& non filij eius, in sordibus* idolorum se contaminantes: in quo quidem facto populus iste habuit se tanquam *generatio praua atque peruersa*, vt pote omnino recedens à iustitia & rectitudine conditoris sui. *Haccine reddis Domino* pro talibus ac tantis beneficijs, quæ in te contulit, *popule stulte & insipiens*? vt relinquas eum pro idolis, & pactum eius dirumpas? *numquid non ipse est pater tuus, qui* educens te de AEgypto redemit, ac *possedit te* quasi proprium peculium electum præ cunctis alijs gentibus, *& fecit*, vt esses populus specialis, proprijs legibus ac iudicibus gubernandus, *& creauit te*, seu adauxit consolidando & firmando statum tuum diuitijs, ac cæteris bonis temporalibus, quibus terrenæ respublicæ incrementum suscipiunt? † *Memento dierum antiquorum* recolens quæ Deus fecit temporibus præteritis, *cogita generationes singulas*, & hominum ætates, quæ iam transierunt: *interroga patrem tuum*, qualiter Deus fecerit Israeli officium patris, *& annunciabit tibi*, quia nihil; quod bonum docet patrem omiserit Deus facere Israeli: & non solum interroga patrem tuum de hac re, verum etiam ætate *maiores tuos*, *& dicent tibi* id, quod sequitur. *Quando diuidebat Altissimus gentes* distribuendo vnicuique genti suam hæreditatem, prout fecit tempore confusionis linguarū, *quando separabat filios Adam* conferens certam terræ portionem Babylonijs, certam Hispanis, & certam Gallis, *constituit terminos populorum* quorundam, eorum scilicet qui habitaturi erant terram promissionis, *iuxta numerum filiorum Israel*, nam tantum dedit illis ad habitandum, quātum sufficeret Hebræis. *Pars autem Domini*, quam sibi ex cunctis nationibus specialiter elegit Deus, fuit *populus eius* Israel segregatus ab alijs in Abraham, medio signaculo circuncisionis: *Iacob*, ac familia illius fuit quasi *funiculus hereditatis eius*, & mēsura, qua metiri oportebat eam terræ portionem, quam sibi Dominus separauit ad hæreditandum filios suos, itaque tantum terræ promissionis sibi Dominus reseruauit, quantum exigebatur ad habitationem filiorū Israel. *Inuenit eum* haud dubio Deus Israelem sibi asciuit, & ad effectum erigendi illum in populum peculiarem primo inuenit *in terra deserta*, qualis est, quæ adiacet mōti Sinai, *in loco horroris* incussi ob multitudinem serpentum & ferarum, quæ ibi passim reperiuntur, eo quod sit locus desertus, *& vastæ solitudinis* carens omni hominum habitatione: *circumduxit eum* ducendo in Terram promissionis non per viam rectā, ne rediret in AEgyptum, si videret statim bella contra se insurgere, sed per ambages & circuitiones: qua ratione simul *& docuit*, erudiuitque eum tum doctrina præceptorum moralium & legalium, tum etiam sufferentia ærumnarum & afflictionum: *& custodiuit quasi pupillam oculi sui*, sub cuius rei similitudine rem vnice dilectam ac summa cura seruandam intelligo. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos*, & eos excitans ad hoc, vt de nido egrediantur, quod facere solet aquila *super eos volitans*, & ostētans coram eis fortitudinem suam. Ac præterea

Marginalia: B. (beside "quod sequitur. Quando diuidebat"); II. (beside "fuit quasi funiculus"); I. (beside "Quia nomen Domini"); † Iob.8. b.8.

terea, sicut aquila adhoc, vt pullum suum volare tentantem, à casu alijsque periculis tueatur, *expandit alas suas, & assumpsit eũ*, vel eos, *atque portauit in humeris suis*, non enim statim è nido pullos suos expellit ad volandum, & prædandum, sed primum fouet aliquandiu eos in nido, tum eductos inde, paulatim assuefacit volatui, ac demum satis iam exercitatos emittit ad prędandũ. Ita Dominus, vt educeret populum suum de Ægypto, exhibuit coram eo, non modica signa omnipotentiæ suæ, eductumque ab omni periculo liberum, & omnino incolumem, per desertum perduxit, leuioribusque exercuit laboribus, vt ea ratione ad res arduas, & laboriosas, perferendum edoceret. *Dominus solus dux eius fuit, & nõ erat cum eo Deus alienus*, vnde satis impie faceret, qui vna cum vero Deo, alium ad eius cultum admittere auderet. *Constituit eum*, nempe populum Israeliticum, vt habitaret *super excelsam terram*, qualis est terra promissionis respectu terræ Ægypti, quæ inferior est illa: *vt comederet fructus agrorum*, seu arborum in agris existentium, *vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*, cum tãta sit terræ illius fertilitas, vt loca etiam maxime petrosa flores valde mellifluos, ac oleas omnium vberes producant. *Butyrum de armento* comedere licebit in terra illa, *& lac de ouibus*, est namq; nimium pascualis, & quasi fluens Butyro,
C. & lacte, *cum adipe agnorum, & arietum*, seu cum agnis, & arietibus pinguibus *filiorum Basan*, etenim regio Basan fertilissima est, agnisq, & arietibus pinguibus multũ abundat, *& hircorum medulla*, vel farina candidissima ac purissima *tritici, & sanguinem vuæ*, nempe vinum rubeum *biberet meracissimum*, purissimum, & fortissimum. *Incrassatus est dilectus* 3 à Domino Israel
III. abundantia bonorum temporalium, *& recalcitrauit*, instar equi indomiti mittentis calces contra dominum suum, *incrassatus* luxu deliciarum, *impinguatus* copia diuitiarum, *dilatatus* fastu honoris, & superbiæ *dereliquit Deum factorem suum* oblitus beneficij creationis, *& recessit* negando debitum cultum *à Deo salutari suo*, oblitus beneficij redemptionis de Ægyptiaca seruitute. *Prouocauerunt eum* ad zelum, & indignationem *in dijs alienis*, eo quod videat eos pluris facere idola, quã se, *& in abominationibus*, cultibusque simulacrorum *ad iracundiam concitauerunt*, ita vt hac de causa grauem ab eis vindictam expetere debeat. *Immolauerunt dæmonijs* respõsa reddentibus in idolis, *& non Deo* vero iudici, & gubernatori vniuersi, *dijs, quos ignorabant*, quod maximæ erat stultitiæ, *nouí recentesque venerunt*, vt pote à paucis annis exorti, vel reperti ad colendũ, *quos non coluerunt patres eorum*, prout ab initio mundi coluerunt Dominum Deum. *Deum qui te genuit* quantum ad corpus *dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui*, quantum ad animam, quam de nihilo produxit. *Vidit Dominus* opera eorum mala, *& ad iracundiam* appetitumque vindictæ *concitatus est, quia prouocauerunt*, & exacerbauerunt *eum filij sui, & filiæ*, qui erant de populo suo. *Et ait: Abscondam faciem meam ab eis*, instar illius, qui auertit oculos à re sibi exosa, *& considerabo nouissima eorum* approbans, & gaudens de extremis pœnis, quas subituri sunt, *generatio enim peruersa est, & infideles filij*, qui pertinent ad populum istum, ac proinde digni, vt puniantur. *Ipsi me prouocauerũt ad iram in eo, qui non erat Deus*, colentes pro me eos, qui non erant dij, *& irritauerunt in vanitatibus*, seu idolis suis. † *& ego prouocabo* † Rom.
eos ad hoc, vt dolore atque liuore tabescãt 10. d 19
in eo, qui non est populus, nam eis abiectis, Iere. 15.
nationem gentilium qua populus nõ erat, c 14.
assumam atque eligam præ eis in populum D.
meum, *& in gente stulta*, qualis est gentilica, *irritabo illos*, dum gentium felicitate conspecta, Israelitæ inuidebunt & irascentur. *Ignis* vehementissimæ iræ & indignationis *succensus est in furore meo*, 4 non
IIII. quantum ad passionis affectum, sed quantum ad vltionis affectum. *& ardebit vsque ad inferni nouissima*, etenim in ipsis quoq; subterraneis locis de peccatoribus vindicabor, *deuorabit que terram cum germine suo*, siccitate namque, & sterilitate absumam terræ nascentia in pœnam delictorum, *&*
V. *montium fundamenta*, 5 seu principum, ac superborum hominum potentiam, quasi *comburet* ad nihilum redigendo. *Congregabo super eos mala* affligens eos, nõ vno aut alio, sed omni malorum genere, *& sagittas meas*, seu plagas, quibus infestare soleo nocentes, *complebo in eis*, & consumam mittens illas contra eos. *Consumentur fame* ab intrinseco calore torti, *& deuorabunt eos aues morsu amarissimo*, & immedicabili, quæ alias si peccatum, non adesset nominẽ viuum contingere non auderent, *dentes*

 bestia-

bestiarum, vt leonum, & aliarum ferarum *immittã in eos*, vt ipsos lacerent, *cum furore* venenoso ac mortifero *trahentium super terram atque serpentium*, eorum videlicet, qui reptando proprium corpus deferunt, & super terram serpunt. *Foris vastabit eos gladius* hostium ipsos inuadentium, *& intus pauor*, ita vt neque intus neque extra domum sint securi, sed omnes imminens periculum apprehendat, *iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene* absq; vllo ætatis discrimine. *Dixi*, quasi cum proposito disperdendi eos: *Vbinam sunt* gerẽs me ad modum hominis irati quærentis inimicum suum, vt eum occidat? *cessare faciam ex hominibus memoriam eorum*, nam taliter eos delebo, vt nulla maneat posteritas, qui ipsorum recordetur. *Sed propter iram inimicorum*, & causa euitandi culpam, qua ad iram contra inimicos Israelitarum prouocarer, præfatam punitionem *distuli, ne forte*
VI. 6 pro arbitrij sui libertate *superbirent hostes eorum, &* diuinam vltionem sibi arrogantes *dicerent*. *Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia*, ob quam superbiam necesse fuisset me in hostes illos irasci. *Gens absque consilio, est* populus iste Israeliticus, nesciens præcauere malum, *& sine prudentia* ob ignorantiam eligendi bonum. † *Vtinam saperent* præterita, *& intelligerent* præsentia, *ac nouissima*, seu futura *prouiderent*; nam si isthęc perpenderẽt Hebræi, agnoscerent vtique vnde cõtingat illis tam facili negocio ab hostibus deuinci. *Quomodo persequatur vnus* de aduersarijs *mille*, seu plures ex Iudæis, *& duo fugent decem millia*, hoc est multo plures, *nonne ideo, quia Deus suus* verus, & omnipotens
VII. *vendidit eos*, 7 tradens Hebræos hostibus suis, vt sint illis, quasi mancipia pretio empta: *& Dominus conclusit illos*, nullatenus sinens liberos euadere Israelitas de manibus inimicorum, vt hac ratione peccata ipsorũ
E. puniat? *Non enim est Deus noster* peccatorum inultor, *vt dij eorum*, qui ob impotentiam crimina punire, ac coercere, non valẽt, *& inimici nostri sunt iudices* huius discriminis, quod interest inter Deum nostrũ, & deos eorum, satisque aduertunt Deum nostrum esse potentiorem, ac iustiorẽ illorum dijs, vnde non mirũ, quod tradat Israelitas aduersariorijs suis, etenim illorum delicta fuere grauissima. *De vinea Sodomorum, vinea eorum* cogitationes enim Israelitarũ, quæ in ordine ad peccata oris, & operis habent se, quasi vinea comparata vuæ; & vino sunt valde inutiles, & vanæ instar fructuũ procedentium de vineis Sodomorum, *& de suburbanis Gomorrhæ*, vbi arbores, & vites, non nisi fructus inanes, & fœtidos producunt, *vua eorum*, seu sermones habent se quasi *vua fellis, & botri amarissimi*, dũ bonos mores audientium facile corrumpunt, ob idque sunt mihi valde molesti. *Fel draconum vinum*, seu studia & actus *eorum, & venenum aspidum insanabile*, prout enim isthæc hominibus esse solent mirum in modum exosa, & molesta, ita erga me se habent opera Israelitarum. *Nonne hæc* 8 omnia Hebræorum peccata tam cordis, quam oris, & operis notum est vniuersis, non me latere, & quod *condita sunt apud me*, 9 ac reposita in memoria mea, *& signata in thesauris meis*, 10 quæ sunt potentia, & iustitia mea, vbi adest copia, & facultas plena ad puniẽdum ea? † *Mea est vltio*, mihique interest peccata punire, *& ego retribuam in tempore*, vt cum tempus vltionis opportunum aduenerit, *labatur pes eorum* ad ruinamque, & casum declinent oppressi malorũ multitudine, *iuxta est dies perditionis*, ac propinqua Israelitarum contritio, *& adesse festinant tempora*, quibus puniendi veniũt. *Iudicabit Dominus*, pœnisque affliget *populum suum* idolis seruientẽ, *& in seruis suis*, qui quasi reliquiæ populi post innumeras plagas remanebunt, *miserebitur*, eos ad rectam vitæ normam conuertendo, nã *videbit, quod infirmata sit manus*, seu potẽtia & robur virorum bellatorum, qui ex Iudæis pro salute populi se se periculis exponebant, *& clausi quoque*, qui se in tuta loca incluserant, *defecerunt residuique* de popularibus, qui militiam non exercebant, *consumpti sunt*, ita vt ferè nullus remaneat superstes. *Et dicet* vtique Dñs cum irrisione quadã, quasi subsannãdo pristinã Iudæorũ impietatem. † *Vbi sunt dij eorum, in quibus* idolis seruientes *habebant fiduciam* credentes potuisse illos cultoribus suis patrocinari, ac benefacere? *De quorũ victimis*, sacrificiorumque hostijs *comedebant adipes*, cum quadam execrabili superstitione, *& bibebant vinum libaminum*, quæ offerebãt in cultum idolorũ, *surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant*. Quod quia nullatenus efficere valent, æquum est vt ad me verum Deum vestrum toto corde conuertamini. † *Videte quod ego sim solus* verus Deus, *& non sit alius Deus præter me*,

Marginal notes: VIII. IX. X. † Eccle. 28. a. 1. Rom. 12. d. 19. Hebræor. 10. f. 30. † Iere. 9. c. 12. † Ierem. 2. f. 28. † 1. Reg. 2. a. 6. Tob. 13. a. 2. Sapi. 16. b. 13.

me, qui opitulari vobis, & in necessitate
protegere valeat, *ego occidã* malefactores,
& ego viuere faciam eos, qui bene egerint.
percutiam vos cum me ad iracundiam pro-
uocaueritis, *& ego sanabo*, si per pœniten-
† *Iob.* tiam conuersi fueritis, † *& non est, qui de*
10. b.7. *manu* seu potentia *mea possit eruere*, quia
quocumq; ierit, ibi adsum per essentiã, præ
sentiam, & potentiã. *Leuabo ad cœlum ma-*
XI. *num meam*, 11 *& iusiurandũ faciens di-*
cam: Viuo ego in æternum, & prout verum
est me in sempiternum viuere, ita verum
XII. erit, quod mox subiũgam. *Si acuero*, 12 vel
cum acuẽdo fulgidum reddidero, *vt fulgur*
gladium meum, & arripuerit, cœperitque
facere *iudiciũ manus meæ*, & exercere ac-
tus iustitiæ vindicatiuæ, tunc proculdubio
non dimittam immunes inimicos populi
mei, sed *reddam vltionẽ hostibus meis*, ob
prauam intentionem, qua executioni man
darunt iustitiam Dei in punitione filiorũ
Israel, *& his qui*, eo ipso quod oderunt po
pulum meum *oderuntme, retribuã* condig-
nis eos pœnis afficiẽdo. *Inebriabo sagittas*
meas sanguine, nam plagæ, quas veluti sa-
gittas immittam in hostes meos, eorũ quã
plurimos trucidabunt, *& gladius meus* in-
star viuentis famelici *deuorabit carnes*, aufe
rendo vitam. Quæ quidem inebriatio sagit
tarum, & deuoratio carniũ fiet *de cruore oc*
cisorum hostium, nam eorum plurimi occi
dentur, *& de captiuitate nudati inimicorũ*
capitis, de inimicis enim meis in captiuita-
tẽ detentis, quibus mos esse solet nudato
† *2. Ma* capite incedere, etiam vindicabor. † *Lau-*
cha. 7. *date gentes populum eius* Israelem, speciali
b.6. cura, & prouidentia à Deo protectũ, *quia*
sanguinem seruorum suorũ ab hostibus effu
sum *vlciscetur*, *& vindictam retribuet in*
hostes eorum, vt potẽ qui tantæ est poten-
tiæ, vt id facilè efficere queat, *& propicius*
erit terræ populi sui, quoniam habitatores
illius sibi per veram pœnitentiam recõci-
G. liabit. *Venit ergo Moyses*, ad suggestum, de
quo ab omni multitudine filiorũ Israel au
diri poterat, *& locutus est omnia verba can*
tici huius in auribus populi, ipse & Iosue fi-
lius Nun, Deo auditum cunctis prouiden-
te, quo nullus de ignorantia causaretur. *Cõ-*
pleuitque omnes sermones istos, loquens ad
vniuersum Israel, & dixit ad eos: Ponite cor
da vestra, & attento animo perpendite *in*
omnia verba, quæ ego testificor, 13 seu præ- XIII.
cipio *vobis hodie, vt mandetis ea filijs ves-*
tris custodire corde, *& facere* opere, *& im-*
plere perseuerãter *vniuersa, quæ scripta sunt*
legis huius, quia nõ in cassum præcepta sunt
vobis, sed ad maximam vtilitatem vestram
nempe *vt singuli in eis* seu propter ea *vi-*
uerent 14 vita temporali promissa in præ XIIII.
ceptis antiquæ legis, *quæ facientes*, hoc ha
bebitis præmium, videlicet, vt *longo perse-*
ueretis tempore in terra, ad quam, Iordane
transmisso, ingredimini possidendam. Locu-
tusq́; est Dominus ad Moysen in eadem die,
finalemq; mortis sententiam intimauit *di-*
cens: Ascende de cãpestribus Moab *in mõ*
tem tuum Abarim, idest, transituum, in col
lem quemdam excelsiorem eiusdem mon-
tis Abarim vocatum *montem Nebo, qui est*
in terra Moab contra, seu ante vrbẽ *Iericho*
existentem in altera Iordanis ripa, *& vide*
de supercilio montis illius *terrã Chanaan*,
quam ego tradam filijs Israel obtinẽdam, &
morere in mõte. Quem conscendens, seu post
quam illum cõscenderis, mortemque in eo
subieris, *iungeris populis tuis* 15 deferenti XV.
bus angelis animam tuam in sinum Abra-
hæ, † *sicut mortuus est Aaron frater tuus in* † *Num.*
monte Hor, & appositus populis suis, etiam 27. c.13.
per descensum animæ suæ ad locum sancto & 20.
rum patrum. Qui quidem intempestiui in d.26.
teritus ideo vobis contingunt, † *quia præ* † *Num.*
uaricati estis contra me in medio filiorum 20. a.4.
Israel ad aquas contradictionis, vbi perfe- & 27. c.
cistis trigesimã tertiam mansionem *in Ca-* 14.
des deserti Sin: & nõ sanctificastis me inter
filios Israel, omittentes ob incredulitatem
vestram facere opus, vnde sanctior, & glo-
riosior apparerem Israelitis. *E contra* seu è
regione *videbis terram, & non ingredieris*
in eam, quam ego dabo filijs Israel.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXII.

I. QVIA nomen Domini inuocabo.] Exẽplo
Inuoca- suo inuitat Moyses populũ ad magnifi-
rè nomẽ candũ Deũ, id enim insinuat causalis illa, quia, à
Domini qua versus iste incipit secundũ Hebræos, & se-
quid sit. cundũ correctiorem editionem latinam. Iuxta
quẽ sensum per nominis Dei inuocationẽ intel
ligit Moyses Dei laudẽ, & confessionẽ, secun-
dũ illud Psal. 17. Laudans inuocabo Dominũ.

FVNICVLVS hæreditatis eius.] Eo II.
quod veteres funibus, seu funiculis terram *Nomine*
diuidere solebãt, idcirco sacræ litteræ in dupli- *funis,*
ci significatione vtuntur nomine funis, vel fu- *vel funi*
niculi, quando de diuisione hæreditatũ loquun *culi duo*
tur. Altera est qua nomine funiculi designatur *significã*
ipsa mensura hæreditatũ, vt in illo Psal. 77. Et *tur.*
forte diuisit eis terram in funiculo distributio-

Digitized by Google

nis, nam forte, & funiculis tanquam rationibus mensurandi diuidi oportebat terrã promissionis, vt ostendimus Num. 26. annotat. 3. Altera significatio est, si nomen funis sumatur pro re mensurata, vt Psal. 15. Funes eciderunt mihi in præclaris, idest, sortes seu portiones funiculis mẽsuratæ fuerunt præclaræ. In quolibet istorũ sensuũ potest præsens locus interpretari, vel dicendo, quod Iacob seu populus eius fuit mẽsura portionis terræ Chanaan, quã Deus tanquam propriam hæreditatẽ, sibi reseruauit, ita vt tantũ terræ præelegerit, quantũ requirebatur ad habitationẽ familiæ, & posterorũ Iacob, vel dicẽdo, quòd Iacob fuit portio, & quasi res mensurata, quã sibi Deus ex cunctis gentibus reseruauit. Et quia verba ista in hoc secũdo sensu cõtinent repetitionẽ sententiæ verborũ præcedentiũ, & repetitio si sensus verborũ patiatur, vitanda est, idcirco existimo verba ista Iacob funiculus hæreditatis eius germanius, & cõuenientius iuxta priorẽ sensum interpretanda esse, vt fecimus in Paraphrasi.

III. *Cur futura significentur verbis præteriti temporis.*

INCRASSATVS est.] Ab hoc loco vtitur Moyses quibusdã verbis præteriti tẽporis, cũ tamen loquatur de rebus futuris, & quæ nondũ suo tẽpore contigerant. Quod factũ esse credo, vel quia vtitur tẽpore præterito pro futuro iuxta consuetudinem prophetarũ, quæ passim obseruatur in sacris literis, vt late docet Cantapetrensis lib. 5. Hypotypos. cap. 3. & lib. 10. Reg. 43. & 50. vel etiã quia canticum istud futurum erat in testimoniũ contra Israelitas postquam peccassent, & ab eis recitandum erat etiam post admissa peccata, vt colligitur ex dictis in capite præcedenti; tunc autem iam fuissent executioni mandata, quæ abhoc loco verbis præteriti temporis significantur.

IIII. *Ignis pro appetitu vindictæ.*

IGNIS succensus est in furore meo.] Ignem furoris vocat hoc in loco Moyses irã Domini vindictã expetentis, more humano de Deo loquens. Cũ enim homo irascitur, vehementius sanguis circa cor efferuescit, & accẽditur, ideoque ira ignis dicitur, vt in Psal. 78. Vsque quo Domine irasceris in finẽ, accendetur velut ignis zelus tuus. Et Psal. 88. Exardescet sicut ignis ira tua. Vnde sententia huius loci, quasi eisdem verbis asseritur Sophon. cap. 1. Et in igne zeli eius deuorabitur omnis terra.

V. *Montes significant primores populi.*

MONTIVM fundamenta.] Montes vocat principes, & primores populi, qui vt diuitijs, & potentia, ita etiam superbia cæteris præstabãt, vt ex Psal. 71. intelligere possumus vbi legimus: Suscipiant montes pacẽ populo. Et Habacuc. 3. Aspexit & dissoluit gentes, & contriti sunt montes sæculi. Et clarius Michæ. 6. Surge, contende iudicio aduersum mõtes, & audiant colles vocẽ tuã. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ, vbi prout etiã in præsenti vocat fundamenta terræ diuitias, & fastum principum, quibus tanquam fundamentis innititur gloria temporalis.

VI. *Ne forte designat*

NE forte.] Verbũ ne forte hoc in loco, non denotat incertitudinem, cum nihil possit esse dubium aut incertum Deo, sed ostenditur homines liberi arbitrij esse, nec Deum prouidentia sua necessitatem illis imponere. De qua locutione egimus Genes. cap. 3. annotat. 12.

libertatem arbitrij.

VII. *Vendere aliquem est eum in alterius potestatem tradere.*

VENDIDIT eos.] Vendere siue venundare significat libertatem alicui adimere atque alteri in possessionem tradere, id enim, quod venditur, penitus transit in potestatem ementis. Iudith. 7. Propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum. Psalm. 43. vendidisti populum tuum sine pretio. Inde dicitur sæpè aliquis venundatus, vt faciat malum, cum traditus est in reprobũ sensum, vt à peccatis possideatur. 3. Reg. 21. Eo quod venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini. Et postea. Igitur non fuit talis, sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini 1. Machab. 1. Et iuncti sunt nationibus, & venundati sunt, vt facerent malum. Ad insinuandum ergo, non potentiam inimicorum, sed Dei voluntatem subegisse Hebræos potestati hostili, ait scriptura Deum illos vendidisse.

VIII. *Nonne, significat aliquid esse notissimum.*

NONNE.] Solet poni sæpè in scriptura Nonne, vt significetur notissimum esse id, quod quæritur, & quod nemo, vel neget, vel ignoret, vt Michææ. 1. Quod scelus Iacob, nonne Samaria? Et quæ excelsa Iudæ, nonne Ierusalem? Et in Abdia: Nonne furati essent sufficientia sibi? Hinc toties dicitur in libris Regũ: Nonne hæc scripta sunt in libro dierum regum Iuda? In eodem igitur sensu vtitur hoc in loco scriptura signo isto interrogationis.

IX. *Peccata esse cõdita quid significet.*

HAEC condita sunt.] Illud relatiuum, Hæc refertur ad peccata cordis, oris, & operis Israelitarum, quorum immediatè antea fecerat Moyses mentionem, & hæc dicit esse condita sumendo metaphoram ab ijs, quæ accuratè reconduntur, & signantur, ne excidant, nam ideo etiam ait. Et signata in thesauris meis. Simile est illud Oseæ. 13. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatũ eius, vbi Paraphrasis Chaldaica sic habet: Reposita sunt peccata Ephraim, seruata sunt, vt pœnis mulctentur vniuersa eorum scelera. Huc etiam tendit illud Psal. 9. Vides quoniam tu laborem idest, peccata hominum consideras, vt tradas eos in manus tuas. Ideo autem subiũxit Dominus sententiam istam præcedentibus, tum ne hostes Hebræorum sibi arrogarent victoriam, quam reportarent ab Israelitis, tum etiam ne ijs Diabolus imponeret persuaderetque, quasi non spectare Deum peccata, quæ facerent, aut ita spectare, vt obliuioni traderet.

X. *Thesauri Dei sunt diuina potentia, & iustitia.*

THESAVRIS meis.] Thesaurus interdum diuitias significat, vt omnes norunt, interdum vero receptaculum, in quo copia rei alicuius est, vt Psal. 134. Qui producit ventos de thesauris suis. Et Roma. 2. Thesaurizas tibi irã in die iræ. In qua significatione in præsenti vocat Deus thesauros suos immensam potentiam & iustitiam suam, ex qua extrahere potest quãtumlibet pœnarum in vltionem peccatorum, iuxta illud Iob cap. 38. Numquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grãdinis aspexisti. Quæ præparaui in tempus hostis in diẽ pugna

Digitized by Google

næ, & belli, hoc est ad sumendum vindictã de hostibus meis, seu pro peccatis in me cõmissis.

XI. LEVABO ad cœlum manum meam.] De sensu huius locutionis diximus supra Genes. 14. annotat. vltima, ibi vide.

XII. *si, stat pro cum.* SI acuero.] Si, nonnunquam idem significat, quod cum, vt Prouer. 1. Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, si dixerint & cætera. Et cap. 3. Si dormieris, nõ timebis. Eccle. cap. 4. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Et si dormierint duo, fouebũtur mutuo. Et alibi sępè. In quo quidẽ sensu sumitur in præsenti dictio, si.

EGO testificor.] De sensu huius vocis, & quod per eam significari soleat præcepti impositio, & non sola veritatis attestatio, diximus sup. Exod. cap. 19. annotat. 4. XIII.

IN eis viuerent.] De vita, quæ correspondet obseruationi præceptorum legalium diximus super Leuit. cap. 18. annotat. 1. XIIII.

IVNGERIS populis tuis.] Pro sensu horum verborum videantur, quæ diximus, Genes. cap. 49. annotat. vlt. XV.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXIII.

¶ Præmissa narratione quorundam insignium beneficiorum, quæ Deus contulit Israelitis Moyses iamiam morti proximus more patriarcharum populum suum, cuius strenuus dux ac legislator extiterat benedicit, discurrens sigillatim per singulas tribus, in quarum benedictionibus recensendis, non seruat ordinem natiuitatis filiorum Iacob, sed prius benedicit filios liberarum Liæ, & Rachelis, deinde transit ad benedicendum filios ancillarum. Ac tandem vniuersam simul multitudinem inuitat ad reuerẽtiam Deo exhibendã.

PARAPHRASIS IN CAP. XXXIII.

A. HÆc est benedictio, quæ ad exem-
plum piorum patrum, & pa-
triarcharum Isaac, & Iacob
benedixit Moyses, homo Dei,
I. seu Propheta *filijs Israel* † *ante mortem suam*, vna dumtaxat tribu Simeonis excepta. *Et ait: Dominus* in signis visibilibus lucis, & nebulæ, sub quibus appa-
II. ruit, *de Sinai* 2 *venit* daturus legem Israelitis in vertice mõtis illius, *& de Seir*, quando populus circumibat terram Edom in trigesima sexta mansione, *ortus est nobis*, sub specie visibili serpentis ænei in altum erecti, & sanantis vulneratos morsu ignitorũ serpentum, ac prætera *apparuit de monte Pharan*, cum in tertia decima mansione sub figura nubis descendit, & septuaginta senes impleuit Spiritu sancto. Tantum itaq; beneficij contulit Dominus Israelitis, vt sub forma visibili apparuerit coram eis tãquam legislator, Redemptor, & sanctificator, *& cum eo sanctorum millia*, decebat enim diuinam maiestatem stipari, quam plurimis angelorum agminibus in forma visibili ipsam comitantibus. *In dextera eius*, & quasi in ea manu, per quam vnus dare solet alteri rem aliquam, erat *ignea lex*, nem-
III. pe 3 lex Decalogi, igne circundata; veluti conferens illam Moysi ac toti populo. *Dilexit populos* duodecim tribuum Israel, & ob hanc causam † *omnes sancti*, seu qui sanctitatem profitentur, quales sunt Israelitæ, *in manu illius sunt*, sub spe- *† Sapiẽ. 3. a. 1.*
ciali Dei cura, & prouidentia, *& qui appropinquant pedibus eius*, vel supplices ad eum preces fundendo, vel per humilitatem subijciendo, vel discipulos, & auditores se illi præbendo *accipient de doctrina illius, legem præcepit nobis Moyses*, vt eam custodiamus, & immobiliter possideamus tanquam *hæreditatem transituram ad posteros totius multitudinis Iacob. Erit apud rectissimum* populum qualis est Israelitica multitudo, *rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel*, quando scilicet tempore Samuelis congregabuntur ad eligendum regem. *Viuat Ruben* eiusque tribus inter alias perseueret, *& non moriatur*, nec penitus extinguatur, quia tamen ascendit cubile patris sui, æquum est, vt non crescat, *& sit paruus in numero*, non pertingens ad numerum familiarum alterius cuiuscunq; tribus. *Hæc est Iudæ benedictio: Audi Domine*, & approba, seu opere comple *vocem Iudæ*, quam vnus filiorum eius Caleb filius Iephone B.
emisit dicens, quod si propitius fueris induces nos in terram promissionis, *& ad populum suum*, quem ipsi tribui Iudæ tradere decreuisti, nempe ad populum Hebronitarũ *introduc eum*, vt terram illius possideat,

manus eius pugnabunt pro eo populo Hebronitarum adquirendo, nec tamen propriæ, & innatæ vires sufficient tribui Iudæ ad consequutionem possessionis suæ, sed insuper Dominus auxilium speciale præbebit, *& adiutor illius contra aduersarios eius erit* inuocatus à quam plurimis huius tribus regibus ac principibus. *Leui quoque* dum benedictionem impertiret Moyses loquens cũ Domino ait: *Perfectio*, seu veritas *tua, & doctrina tua* † apposita in rationali iudicij in signum infallibilis authoritatis, quã tribuisti tribui Leui ad verum iudicium ferendũ super res difficiles, & Hebraice vocantur Tummim, & Vrim dedisti Domine *viro sancto tuo*, nempe Aaroni pontifici Summo ac seruo tuo, *quem probasti in tentatione*, incredulitatisq; nota infectum reperisti, *& iudicasti* sentẽtiam mortis ob incredulitatem in eum ferendo in mansione, quam fecimus *ad Aquas contradictionis* in Cades deserti Sin. *Qui dixit patri suo, & matri suæ. Nescio vos, & fratribus suis. Ignoro vos, & nescierunt filios suos*, prout saltem executione operis dixit tribus Leui, quando in vindicanda iniuria Domini interficiendo eos, qui vitulũ adorauerãt, nullum discrimen fecerunt, an esset pater, aut mater, vel fratres, vel filij, qui occidendi veniebãt. *Hi custodierunt eloquium tuum*, quod protulisti per me Moysen dicentem. Siquis est Domini iungatur mihi, *& pactum tuum seruauerunt* melius, quam omnes aliæ tribus Israel, voco autem eloquium Domini *iudicia tua ô Iacob*, & punitiones, quas tibi inferre ob idolatriæ crimen, præcepit Deus, voco etiam pactum Domini præcepta Decalogi, & *legem tuam ô Israel*, in illarũ enim illatione, & in istius obseruatione præcelluerunt Leuitæ super omnes alias tribus, *ponent thymiama* ad placandũ te Domine *in furore tuo*, quando scilicet furor tuus exarserit contra populũ tuum, *& holocaustum*, atq; alia quæuis sacrificia offerent *super altare tuum* sacrificiorũ oblationibus dicatum. *Benedic Domine fortitudini eius*, quam exhibitura est tribus ista in filijs suis Machabæis, *& opera manuum illius suscipe*, & accepta habe ministeria, quibus in sanctuario te colere tenetur. *Percute dorsa inimicorum eius*, prout victores percutere solent hostes fugientes, *& qui oderunt eum*, vt pote Core, & consortes, seu imitatores illius, *non consurgant*, nec præualere valeant vnquam. *Et Beniamin ait: Amantissimus Domini*, vt pote in cuius sorte ædificari iubebit Deus templum, in quo vno tantum sibi à Iudæis cultum adhiberi licebit, *habitabit confidenter in eo*, nam singulari protectione, & præsentia Dei confisus expers periculi lætus, & securus erit, *quasi in thalamo tota die morabitur* protegente illũ Deo tanquã ipsius sponso, *& inter humeros illius requiescet*, ob vicinitatem, & vnionem templi cum habitatione Beniamitarum. *Ioseph quoq; ait: De benedictione*, ac multiplici beneficentia *Domini terra eius*, & possessio, quę sibi obueniet fœcundabitur, videlicet *de pomis cœli, & rore*, abundabit namque terra filiorum Ioseph fructibus è cœli stillicidio ac virtute prouenientibus, *atq; abysso subiacente*, aquis ipsis terrestribus fructificationem fouentibus. *De pomis fructuum solis ac lunæ*, quæ virtute solis, & lunæ coquentur, & humectabuntur, *de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum*, etenim cacumina quoque montium, & colliũ, quæ à principio mundi constituta sunt in sortibus Ephraim, & Manasse abundabunt pomis, ac fructibus, *& de frugibus terræ, & de plenitudine eius*, ita vt non solum montes, & colles filiorũ Ioseph erunt fertiles, sed etiã ipsa terræ planities frugibus adimplebitur. *Benedictio illius*, † *qui apparuit in rubo* mihi pascenti oues Iethro soceri mei, nẽpe Dei viuentis, *veniat super caput Ioseph* adeo copiose, & abũdanter, vt totum illud comprehendat, sitq; *& super verticem Nazaræi*, huius, qui talis extitit *inter fratres suos*, vt pote ab eorũ improbitate seiunctus, & corpore etiam ab eis segregatus cum exul habitauit in Ægypto. *Quasi primogeniti tauri*, quod excellentius animal est inter omnia, quæ diuinis sacrificijs dicãtur est *pulchritudo eius*, in aliquo filiorũ suorum, nempe in Iosue, qui decore virtutũ, ac nobilitate morum, quã plurimis alijs præstat, *cornua rhinocerotis cornua illius*, est enim fortis, vt rhinoceros, ac proinde *in ipsis* suis cornibus seu robore diuinitus sibi præstito *ventilabit gentes* habitantes terram Chanaan, *vsq; ad terminos terræ* Israelitis promissæ, nisi felicibus eius successibus peccata eorundẽ Israelitarum obstent. *Hæ sunt multitudines*, seu prædicto modo se habebunt, præfatæque conditionis erunt familiæ numerosæ pertinentes ad tribũ *Ephraim, & hæc millia Manasse*, vtriq; namque tribui sub nomine Ioseph cõmunis parentis benedictionem impertiui. *Et zabulon, ait: Lætare zabulon in exitu tuo* ad mare, nauigaturus ad fora rerũ venalium, remque foras ac peregre facturus, id namque fœliciter tibi succedet. Lætare

IIII.

C.

† Exod. 3.

prę-

Digitized by Google

præterea, *& Issachar in tabernaculis tuis* serti si enim amœnaque regione tua delectatus, libenter manebis domi, nec ad externa loca negotiationis causa proficisceris. *Populos* diuersarum nationum, nonnulli ex his tribubus oriundi, scilicet Apostoli *vocabunt ad montem* Ecclesiæ, vel ad Christũ, *ibi immolabunt victimas iustitiæ*, quibus vnicis iustificari poterunt homines. Fruentur interim Zabulonitæ, & Issacharitæ prosperitate temporali, vt pote, *Qui inundationem maris*, vel merces, quæ per mare vehũtur, *quasi lac sugent*, eas enim summa cum vbertate atq; suauitate adipiscẽtur, *& thesauros absconditos arenarũ*, qui de aurifodinis etiã remotissimis extrahuntur: nã facile erit eos per mare importatũ iri in regionẽ harũ tribuũ oram maris tenentiũ. *Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad* ob latissimã amplissimãq; regionẽ, quã in diuisione terræ Chanaan fortiter possidebit: *quasi leo requieuit*, adeò formidabilis & terribilis hostibus, vt nullus eũ irritare, aut lacessere ausurus sit, non magis vtique quam cubãtem leonem: *cepitque*, vicit, atque contriuit fortitudine sua *brachium* robustum hostile *& verticem*, dum non solum robustos bellatores, sed etiã principes ac duces belli ingrediens terram promissionis ad interitũ capiet. *Et vidit principatum suum*, & hãc laudis & gloriæ palmã præ cæteris tenere, *quod in parte sua* nẽpe in monte Nebo ad sortẽ Gaditarum pertinente Moyses excellentissimus antiquæ legis *doctor esset repositus*: *qui* quidem Gad armatus præcedẽs in adquisitione terræ Chanaã *fuit cũ principibus populi* ac reliqua multitudine, non eos deserens quoad illi debellatis hostibus promissam sibi terram possederunt, *& fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel*, plenissime præstans quod coram Domino, Moysi & reliquo populo promiserat. *Dan quoque ait:*
D. *Dan* erit audax, robustus, bellicosus, violentusq; & prædę auidus, pariter ac rapax, & quasi *catulus leonis fluet largiter de Basan*: in hac quippe regione robustissimi ac rapacissimi sunt leones, qui ex insidijs & in prouiso sæpe in homines & iumenta prædæ causa exiliunt. *Et Nephthali dixit: Nephthali* ob summam terræ nascentium fertilitatem *abundantia perfruetur*, *&* quia in
V. terra huius tribus priusquã in cæteris fructus ac fruges nascentur & maturescẽt, ob idque ex ipsis potissimum deferentur in templum oblationes primitiarum, idcirco Nephthali *plenus erit benedictionibus Domini*, nam propter eiusmodi oblationes sacerdotes innumeras Deo laudes & benedictiones cõcinent. Et quantũ ad sitũ tribus ista *mare, & meridiem possidebit*, quia pars illius erit ad mare magnum, quod est ad occidentem terræ sanctæ, & pars ad plagam meridianam. *Aser quoque ait: Benedictus in filijs Aser*, tum ob filiorum copiam, tum etiam propter eorũdem pulchritudinem & decorem: *sit placens fratribus suis* ratione bonæ conditionis & cõuersationis, qua se geret erga alios Israelitas, *& tingat in oleo pedem suum*, tantumque ei supersit olei, vt possit lauare in oleo pedes. *Ferrum, & æs* in tanta abundantia ab hac tribu possideatur, vt possit ex eis metallis confici *calceamentũ eius*; ad quod venæ & fodinę, quę sunt in terra huius tribus satis superq; materiam ministrabunt, *sicut dies iuuentutis tuæ, ita* in fortitudine ac corporis venustate erit *& senectus tua*. Finitis benedictionibus sermonem conuertit Moyses ad vniuersum populum, vt eum ad Dei reuerentiam incitaret, subdens: *Non est Deus alius* similis in magnitudine, *vt Deus rectissimi*, seu populi Israelitici; *ascensor cœli*, E. qui sedens super omnes cœlos excelsior est illis, & pariter *auxiliator tuus. Magnificentia eius* immensaq; gubernatione *discurrunt nubes* ab vno aëriæ regionis extremo in aliud *habitaculum eius sursum*; nam omnia superexcedit nullatenus à creaturis cõclusus seu definitus, *& subter* infra se, nempe in reb⁹ creatis exercet *brachia sempiterna* quę sunt vires infatigabiles, quibus totũ vniuersum gubernat: *eyciet à facie tua inimicũ* quemcũq; inueneris in terra promissionis, *dicetq; Conterere*: moxque contereturabsque tuo labore. *Habitabit Israel confidenter, & solus* sub specialibus legibus ac ritibus, nõ admistus alijs gentibus. *Oculus Iacob*, seu aspectus Israelitarum versabitur *in* F. *terra frumenti, & vini* contẽplando abũdantiam & suauitatem fructuũ terræ promissionis: *cœliq; caligabunt rore*; nam copia roris necessarij ad producẽdos nouos terræ fructus, velut caligine ipsi cœli obducentur. *Beatus es tu Israel: quis similis tui popule, qui saluaris in Domino*, eiusq; virtute? Proculdubio nullus. *Scutum auxilij tui*, quo ab hostibus protegaris, Dominus est, *& gladius gloriæ tuæ*, quo ad illos gloriose percutiẽdum facultatẽ habere queas, etiã est ipse Deus. *Negabunt te inimici tui* detrectantes tuũ imperium, *& tu eorum colla calcabis* positis pedibus etiam super colla regum suorum.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXIII.

I. *Tribus Simeon cur a Moyse non benedicatur.*

FILIIS Israel.] Moyses omnibus alijs tribubus benedicens solũ tribũ Simeonis sine benedictione preterijt, quia nõ multo ante, vt habetur Num. 25. Zamri princeps tribus Simeonis spectante Moyse atq; vniuerso populo lupanar Madianitarũ ingressus, cũ quadã Madianitide cõcubuerat summo cũ mœrore totius populi, & principũ indignatione, atq; insigni Dei cõtumelia. Quia igitur huius facinoris recens erat memoria, ad eius detestationem Moyses huic tribui suam benedictionem impertiri voluit.

II. *De, stat pro, In.*

DE Sinai venit.] Hoc in loco quãdo dicitur, De Sinai, & de Seir, & de monte Pharan, præpositio De semper ponitur pro In, iuxta cõsuetudinẽ scripturarum, qua De stare solet pro In: vt Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo, idest, in hoc mũdo. Facit autem mẽtionem Moyses harum triũ mãsionum, quia in eis speciali benignitate exhibuit se præsentẽ Deus coram omni populo sub forma alicuius rei corporalis ad maximũ commodum Israelitarũ. In Sinai nãq; cõtulit legẽ, vt habetur Exo. 20. In Seir circueunte populo terrã Edom, sanauit vulneratos á serpentibus, vt dicitur Num. 21. In monte Pharan dedit Spiritum sanctum septuaginta iudicibus; vt refertur Num. 11.

III. *In dextera Dei esse dicitur quod in procinctu est vt detur alicui.*

IN dextera eius ignea lex.] Hebraismus est, vt illud esse dicatur in dextera eius, qui nec dextram, nec sinistrã manũ habet, quod in procinctu est, vt detur seu tribuatur alicui. Qua phrasi vsus est Dauid Psa. 15. Delectationes in dextera tua vsq; in finẽ: hoc est, Paratus es dare, & quantũ est ex te tribuis hominibus æternam fœlicitatem. In eodem sensu dicit Ioannes Apocal. cap. 5. se vidisse in dextera sedentis in throno librũ, quia dabat illum ei, qui esset dignus aperire. Quia igitur apparitiones Dei in forma visibili, quarum hic fit mentio, in id tendebant, vt lex decalogi ab Israelitis cordibus acceptaretur, ideò dicitur apparuisse Deum tunc temporis, quasi habentẽ legem igneam in dextra eius.

Lex vetus cur dicatur ignea lex.

Vocatur autem lex Decalogi tunc tradita ignea lex ad significãdum timorem, quo Israelitæ trahebantur ad obseruationem legis; ignis enim symbolum est punitionis.

IIII. *Tumim & Vrim quid sint*

PERFECTIO Tua & doctrina tua.] In Hebræo habetur Tummim & Vrim, vt intelligamus idem prorsus significari hoc in loco per perfectionem & doctrinam Domini, quod Exod. cap. 28. significatur per veritatem & doctrinam, quæ iussit Deus Moysi, vt apponeret in rationali iudicij, quod erat super Ephod, & a solo summo sacerdote gestari licebat. De quarum rerum significatione multa diximus in eo loco Exodi, & in annotatione tertia eiusdem capitis.

V. *Nephthalim abundãtia perfrui quid sit.*

NEPHTHALI.] Interpretatio quã in paraphrasi, adhibuimus his verbis, Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini, etiam congruit verbis, quibus Iacob Gen. 49. benedixit hanc tribum, dicens: Nepthali, ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis: nã per ceruum emissum, qui tanta est currendi velocitate & celeritate præditus, vt cursu cæteras animantes facilè antecedat, potest intelligi in terra huius tribus priusquam in alijs fruges nasci: ob idq; tribum istã dare eloquia pulchritudinis, quatenus propter oblationes tẽporaneas huius tribus sacerdotes pulcherrimas Deo laudes cõcinebant. Similiter interpretatio, quam Gene. 49. pro hac benedictione posuimus cũ D. Hierony. potest pariter accõmodari præsenti sententiæ, si per abũdantiam Nephthalitarum ac plenitudinẽ benedictionem Domini intelligi dicamus doctrinã & gratiam Euangelicã, quã ante illos, qui erant ex alijs tribubus perceperũt Nephthalitę & Zabulonitæ, iuxta illud Isa. 9. Primo tẽpore alleuiata est terra Zabulon & terra Nephthali. Quod adimpletum videmus in Apostolis, qui erant Galilæi, ac proinde pertinebãt ad has tribus, vtramque interpretationem apposuimus, alteram Genes. 49. alteram hic, vt ex eis eligat lector quam maluerit.

ARGVMENTVM IN CAP. XXXIIII.

¶ Ascendit Moyses in montẽ Nebo, indeq; totã terrã Chanaan circunspicit, ac tandem moritur, & sepelitur. In cuius locum Josue dux populi declaratur, & insignia Moysi encomia describuntur.

PARAPHRASIS IN CAP. XXXIIII.

A.
2. Machab. 2. a. 4.
Supr. 3. d. 26.

ASCENDIT *ergo Moyses* eadem die, qua populo benedixit, *de campestribus Moab super mõtem Nebo in verticẽ Phasga,* vbi erat cacumen ipsius montis Nebo *contra Iericho,* quæ ex altera parte Iordanis erat è regione montis Phasga: *Ostenditque ei Dominus* augendo vires cognoscitiuas, speciesque nouas producendo in sensi-

I.

bus tam internis, quam externis Moysi ad videndum *omnem terram Galaad,* quã iã possidebant Israelitæ orientẽ versus *vsque Dan* partem Aquilonarẽ terræ sanctæ, *& vniuersum Nephthali,* cuius sors est contra occidentẽ, *terrãq; Ephraim & Manasse,* quæ pariter est occidentalis *& omnem terrã Iuda vsque ad mare nouissimum,* scilicet Mediterraneũ longissimè distans à situ è quo

isthæc

isthæc videbat Moyses, *& australem partem, & latitudinem campi Ierico ciuitatis,* quæ abundat maxima copia *palmarum, vsque Segor:* intra quos terminos claudebatur tota terra promissionis, quam clarè & apertè intuebatur Moyses. *Dixitq; Dominus ad eum;* † *Hæc* terra, quam vides
† Gene. 12.b.7. & 15.d.18. citra & vltra Iordanem, *est terra,* 2 *pro qua iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens* vnicuique illorum: *Semini tuo dabo eam.*
B. *Vidisti eam oculis tuis,* vt ista à te expetita consolatione ante exitum ab hac vita fruereris, *& non transibis ad illam* totam occupaturus, prout occupasti partem eius. *Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab, iubente Domino,* seu iuxta verbum Domini: *& sepeliuit eum* Dominus ministerio Angelorum *in valle Terræ Moab contra Phogor; & nescitur* in qua parte illius vallis sepultus sit, quia *nõ cognouit homo,* imò nec diabolus *sepulchrũ eius vsque in præsentem diem,* ne forte cultus reliquiarum eius præberet occasionem Iudæis idololatrandi propter magnitudinem & multitudinẽ signorum, quæ viuens fecerat. *Moyses centum & viginti annorum erat, quãdo mortuus est,* vigorque iuuenilis semper in eo permansit, quia *non caligauit oculus eius,* quantum ad sensuum
13.q.2. ca. quia alij. viuacitatem, *nec dentes illius moti sunt,* quantum ad corporis integritatem & robur. † *Fleuerunt'q; eum filij Israel* 3 non la-
C. chrymis sed pompa funeris *in cãpestribus*
III. *Moab triginta diebus,* 4 quanto scilicet tẽ
IIII. pore lugere solebant Israelitæ insignes viros: *& completi sunt dies planctus lugentium Moysen,* antequam tractarẽt quippiã de populi ducatu. *Iosue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ* ad gubernãdum conuenienter populũ, *quia Moyses* ex iussione Domini *posuit super eum manus suas,* in signũ, quod Deus eligebat Iosue ad munus ducis; ac proinde consequens erat vt Deus illi præberet donum sapientiæ ad id muneris necessarium. *Et obedierunt ei filij Israel* tanquam duci suo, *feceruntque sicut præceperat Dominus Moysi. Et* quanuis Iosue repletus fuerit spiritu sapientiæ, nihilominus non ad æqualitatem cum Moyse, quia *non surrexit,* nec inter homines extitit *vltra Propheta in Israel* seu ante statum D.
noui testamenti *sicut Moyses.* 5 simplici- V.
ter loquendo: primo quidem quia præ cunctis alijs prophetis, qui futuri sunt in veteri lege, maximã habuit familiaritatem cum Deo, vtpote *quem nosset Dominus facie ad faciem* paratus cum eo passim loqui, ac si summa cum familiaritate iugiter obambularent; & præterea, quia maiori quàm alij polluit virtute ad prodigiorum operationem; vt patet *in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra AEgypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius, &* vt faceret in via post exitum de AEgypto *cunctam manum robustam,* seu opera fortia, *magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram vniuerso Israel:* quãuis quantum ad aliquid speciale aliquis alius veterum prophetarum eum excesserit.

ANNOTATIONES IN CAP. XXXIIII.

I. *Moyses qualiter vidit omnem terram Chanaan.*

OSTENDITQVE ei Dominus.] Dubium est non leue, quanam ratione Moyses oculis suis comprehendere potuerit vniuersam terram Chanaan ex vno quodam loco, nempe ex vertice Phasga: neque enim ad tantum terræ spatium virtus humani visus extendi potest, præsertim cum terra illa non sit vsquequaque plana, & æquabilis, sed multifariam partim montibus elata, partim depressa vallibus. Itaque non potuit Moyses ex vno loco, quæ vltra montes, & quæ in vallibus erant intueri. Aliqui dicunt Moysen non vidisse distinctè omnem terram Chanaan, quã possessuri erant Israelitæ, singulas partes eius propriè spectando, sed in vniuersum dumtaxat vidisse terram illam, & situm quatuor partium eius, secundum quatuor positiones cœli, id est partem orientalem versus montem Nebo, & aquilonarẽ versus Syriam & Euphratem, & occidentalem versus mare mediterraneum, & australem, quæ erat versus AEgyptum. Hæc tamen interpretatio non potest stare cum signis vniuersalibus & distributiuis, quibus hanc visionem refert scriptura, dicenś ostendisse Dominum Moysi omnẽ terram Galaad, vniuersum Nephthali, omnem terrã Iuda; quibus modis loquendi significatur terram illã non solum in cõmuni, sed etiã in particulari distinctè, & quoad omnes eius partes ostensam fuisse Moysi. Benedictus Pererius super Gene. ca. 13. nu. 43. alia incedit via, inquit enim Deũ in conspectu Moysi posuisse imaginem quandã repræsentantem omnẽ terram Chanaan, & singulas eius partes, & oculis Moysi spectandam exposuisse per diuinam potẽtiam, siue ministerio Angelorũ tam graphicè, ac perfectè expressam, vt eam intuẽs Moyses omnia, quæ in terra illa spectatu digna erant, propriè, distinctè ac liquido cerneret. Hunc dicendi modum astruere nititur Pererius duobus exemplis in mediũ propositis;

Moyses distinctè & in particulari vidit regiones Chanaã.

positis: hac enim ratione inquit ostendisse Sathanã Christo Domino omnia regna mundi & gloriam eorum: ac etiam D. Benedictum simili modo vidisse mundum sub vno radio, & refert D. Gregorius lib. 2. Dialog. c. 35. Cæterum ex his duobus exemplis primũ dumtaxat facit ad propositum: cum enim diabolus nõ haberet facultatem circa carnem Christi Domini nostri, nequaquam poterat imprimere species sensibus illius, neq; aliter phantasiam illudere. Vnde hic solus modus ostẽdendi obiectũ illud, ei restabat, vt scilicet in aëre applicãdo actiua passiuis formaret imaginem repræsentantẽ omnia regna mundi. Et id ipsum existimo cum D. Cypriano lib. de ieiunio & tẽtatione fecisse diabolum in ostẽsione ciuitatis sanctæ & pinnaculi tẽpli, ac etiam ostendens montẽ excelsum valde, quia tẽtationes omnes peractæ sunt in deserto; vt insinuant Euãgelistæ; ac proinde omnia ista in imagine quadã fuerunt oculis Christi obiecta. Longe tamẽ aliter sentiendũ est circa modum, quo Deus ostẽdit Moysi terram Chanaã, & D. Benedicto totũ mundũm; id enim factũ fuisse puto nõ per aliquã immutationẽ obiecti terminãtis huiusmodi visionẽ, sed per dilationẽ potentiæ visiuæ & receptionẽ quarundã insignium specierum; ex quo prouenire poterat, vt qui alias nequibat videre, nisi, verbi gratia, ad mille passus spatij, postea videret ad mille leucas. Et certe nemini hoc mirũ esse debet, cũ sciamus eos, quos vulgus vocat çahoris, apertissime intueri ea, quæ sunt trans parietem, seu in visceribus terræ: & cum hoc naturaliter cõtingat, quid mirũ est, quod Deus sua absoluta potentia eleuauerit sensus Moysi ad contemplandũ obiecta quãtumuis distantia? Et quod adhuc modũ D. P. Benedictus viderit totũ mũdum, cõstat ex verbis eiusdẽ Gregorij, dũ ait: Quod autẽ collectus mũdus ante eius oculos dicitur, nõ cœlum & terra cõtracta sunt, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus videre sine difficultate potuit, omne quod infra Deum est. In illa ergo luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quę videntis animũ, cũ ad superiora rapuit, ei quã angusta essent omnia inferiora, monstrauit. Hactenus Gregorius. Vbi causam ob quam D. Benedictus potuit oculis corporeis percipere totũ mundũ adscribit, nõ quod mundus sibi fuerit exterius sub aliqua breui imagine repræsentatus, sed quia ex interna illa luce spirituali, qua eius mẽs contemplabatur diuinam essentiã, prodijt, & dimanauit tũ lux illa corporalis, quæ noctis tenebras fugauit, tũ etiam vigor potentiæ visiuæ superexcedens omne obiectũ visibile creatũ. Ad quẽ modum se etiã habebunt corpora glorificata, quorum oculis breuis proculdubio erit totus mundus, eumq; quoties voluerint videre poterunt corporaliter absque aliqua imagine terminante exterius eorum visionem.

Diabolus in imagine tantum externa ostendit Christo regna mũdi & ciuitatẽ sanctum.

Moyses, & D. Benedictus in ipsis rebus viderũt res sibi diuinitus ostensas.

II. *Terra promissionis vtrũ comprehendat terrã Galaad.*

HAEC est terra.] Caietanus ait his verbis non fuisse demonstratam Moysi terram Galad, quæ erat citra Iordanem, quamuis illã viderit Moyses ex vertice Phaga: eo quod de illa non poterat verificari id quod subsequitur, Non transibis ad illam, quandoquidem iam habebat quietam possessionẽ illius: putat enim Caietanus Deum plus terræ ostendisse Moysi, & tribuisse Hebræis, quàm promiserit patribus: nam terram Sehon & Og regũ Amorrhæorum existimat non fuisse promissam patribus antiquis. Falsitas nihilominus huius fundamenti liquet ex his, quæ diximus Nume. 20. annot. 4. vbi pariter ostendimus non fuisse interdictũ Moysi nisi transitum Iordanis, & ingressum in vniuersam terram promissionis: non tamen prohibitus fuit Moyses à consequutione alicuius partis illius terræ.

III. *Põpa funeris Hebræorum in queo cõsistebat.*

FLEVERVNTQVE eum filij Israel.] Quòd fletus iste non tam lachrymis quã põpa funeris fuerit celebratus, docet D. Hieronymus epistola. 25. Qualis autem fuerit põpa seu ritus, quo Hebræi sepeliebant mortuos suos ex varijs sacræ scripturæ locis licet colligere. In primis mos erat tempore funerum ieiunare. 1. Reg. vlt. Tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerũt septem diebus. Item corpora defunctorum aromatibus cõdiebant. Genes. vlt. Præcepitq; Ioseph seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrẽ. Et iterum in fine eiusdẽ capitis dicitur de Ioseph. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Aegypto, sed expressius asseritur Ioan. 19. in illis verbis: Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primũm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Item scindebant vestimenta sua: vt patet. 2. Reg. 1. Apprehendens autem Dauid vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cũ eo; & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul, & super Ionatham. & Iob cap. 1. dicitur de Iob post auditam mortem filiorum: Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua. Vocabant etiam lamentatrices, cantores, & tibicines, qui prouocarent ad fletum; iuxta illud 2. Paralip. 35. de Iosia: vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum. Ieremias maximẽ; cuius omnes cantores atque cantatrices, vsque in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicant. & Ierem. 9. Vocate lamentatrices, & veniant, festinent, & assumant super nos lamentum. Et in huiusmodi lamentationibus solebant repetere præclara gesta defuncti: vt de Pharaone dictum est ad Ezechielem cap. 32. Fili hominis assume lamentum super Pharaonem regem AEgypti, & dices ad eum: Leoni gentium assimilatus es, & cætera. Et Actu. 9. Circunsteterunt Petrum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Et pro infortunio habebant homines, si mortuis non fierent huiusmodi lamentationes: vt patet Psa. 77. Iuuenes eorum comedit ignis; & virgines eorum nõ sunt lamẽtatæ. Sacerdotes eorum in gladio ceciderũt: & viduæ eorũ non plorabantur. Certe Ieremias quibusdã improbis hominibus pro

magno

magno malo, probro, ac dedecore minatus est fore, vt mors eorum à nemine esset lugéda inquit enim cap. 16. Morientur grandes & parui in terra ista: non sepelientur neq; plágentur, & non se incident, neq; caluitium fiet pro eis, & non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: non dabunt eis potũ calicis ad consolandum super patre suo & matre. Atq; is quidem mos lugendi mortuos adeò visus est antiquis necessarius, vt etiam alienos & histriones quosdam conducerent, qui simulatis lachrymis mortuos deplorarent. Mulierum hoc potissimè munus erat, quas Romani Præficas, eiulantes, & læsum habentes appellabant; quarum Cicero lib. 2. de legib. mẽtionem facit; faciunt quoq; scriptores sacri. Eundemq; morem fuisse apud Græcos Plato indicat in Minoe illis verbis: Antequã funus efferebatur, hostias mactabant, & præficas accersebant. Vnde verò ea hominibus acciderit opinio, vt mortuos etiam fictis & conductis lachrymis deplorandos esse putarent, mihi quidem non liquet nisi forte eo spectauerint, vt sicut exordiũ humanæ vitæ à fletu ducitur, sic eius finé & interitú existimarint lachrymis cõsummari oportere.

Luctus mortuorum laudabilis est.

An vero luctus & planctus, qui super mortuos fit, sit secundum rationem nec ne, non omnino constat, nam Rupertus noster Tuitiensis Abbas [illegible]. in comment. sup. Genes. ca. 41. perpendens quod hic scriptum est Israelitas triginta dies fleuisse Moysem, ad hunc modum scribit; Non est hoc imitandum exemplum his, qui se peregrinos & hospites super terrã esse profitentur, qui hîc manentem non habent ciuitatem, sed futuram inquirunt. Nã quod filij quoque Israel Moysen & Aaron tricenis diebus fleuisse dicuntur, hoc ex Aegyptia consuetudine populo nondũ erudito supererat, deinceps quippe melioribus paulatim assuefactus, ab illa superstitione desciuit, scriptura dicente; Modicum plora super mortuum quoniam requieuit; luctus autem mortui septem dies; planctus autem & fletus in huiusmodi nõ semper propriè dicitur: sunt namque & ludi funerei, qui planctus nomine significantur. Hæc Rupertus. Nihilominus verius dicitur luctum pro mortuis nisi extra rationem modumque procedat inculpatum esse: eum enim humanus & naturalis affectus exprimit homini, Solonis vnius de septem Græciæ sapientibus elogium est, vt apud Ciceroné inquit Cato, quo se negat velle mortem suam dolore amicorum & lamétis vacare. Adhoc probandum satis argumenti esse debet consensus, & quasi magistra, duceque natura, consuetudo omniũ gentium, præter nescio quas natalem hominis diem lachrymis excipientes: supremum autem gaudio & lætitia prosequentes. Hanc maximè firmat consuetudinem diuinæ scripturæ autoritas, quæ lugeri mortuos nõ tantum nõ vetat, sed iubet etiam: dicitur enim Ecclesiastici cap. 22: super mortuum plora; defecit enim lux eius. Et ibidem cap. 38. Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundum iudicium contege corpus illius; & non despicias sepulturam illius; & fac luctum secundum meritum eius:

IIII. Põpa funeris nõ per æquale tempus omnibus adhibebatur.

TRIGINTA diebus.] Quanto tempore lugendi sint mortui diuersa fuere non tantum apud diuersas gentes, sed apud easdé quoque diuersis temporibus instituta & cõsuetudines. Numa Pompilius luctum, qui super mortuos fit certis ætatibus & temporibus definiuit, vt puerum trimulo minorem ne quis lugeret, maiorem ne plures menses quàm ille annos vixerat, neminem tamen vltra decem menses; quo spatio temporis voluit post morté viri abstinere viduas à secundis nuptijs. Nonnullos tamen eximios, & de Republica optime meritos viros annuo luctu ornatos legimus, vt Iunium Brutum, & Valerium Publicolam, & Augustũ. In sacris literis pompa funeris non per æquale tempus omnibus adhibebatur, sed quanto honorabiliores erant defuncti, tantò pluribus diebus lugebãtur. Commune erat luctum mortui extendere ad septem dies: vt patet Eccles. 22. Luctus mortui septem dies. Vbi insinuatur hoc fuisse commune, ob quam causam viri Iabes Galaad fleuerunt super Saul & Ionathã septem diebus; vt dicitur 1. Reg. vlt. Gentiles vero pro virorum nobilium excessu, lugebant septuaginta diebus: vt constat Genes. cap. vltim. in luctu, quo Aegyptij luxerunt Iacob. Crediderim ego insignes viros ad triginta dies luxisse Israelitas, vt patet hîc de Moyse, & superius Numer. 20. de Aaron: populares verò ad septem tantum dies solitos deplorari; vt ex Ecclesiastico deductum est.

V. Moyses quomodo dicatur excellẽtior alijs prophetis.

SICVT Moyses.] Comparatio ista cum duabus limitationibus in litera positis debet intelligi. Prima est vt non loquatur scriptura de Prophetis futuris in nouo Testaméto: hi enim futuri erãt (saltim illorũ nõnulli) simpliciter excellentiores ipso Moyse quasi magis reuelatè speculantes mysteria fidei iuxta illud Apostoli Pauli. 2. Corinth. 3. Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem trãsformamur à claritate in claritatem tanquàm à Domini spiritu. Vnde non opponitur quod in præsenti dicitur verbis illis Lucæ cap. 7. Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est. Hanc limitationem insinuat scriptura in eo, quod inquit in Israel: sic enim habet sacer Textus & non surrexit vltra Propheta in Israel, sicut Moyses. Secunda limitatio ea est vt intelligatur præsens locus simpliciter & absolutè: etenim quantum ad aliquas particulares rationes Prophetandi nonnulli veterum Prophetarum fuerunt excellentiores Moyse, vel quia fecerunt signa maiora secundum substantiam facti quam quæ fecit Moyses. Vt Iosue, qui fecit stare solem & lunam, vt habetur Iosue decimo: & Isaias qui fecit retrocedere solem, vt habetur Isai. 38. vel quia plenius cognouerunt & expresserunt mysteria incarnationis Christi, vt Dauid, qui ob hanc specialem rationem vocari solet Propheta per excellentiam, seu antonomatice, vt tradit glossa in principio Psalterij.

Qua-

Digitized by Google

Quatuor autem sunt potissimæ rationes, pro, ter quas haberi debet Moyses tanquam excellentissimus Prophetarum. Prima quidem, nã visio intellectualis in eo excellentissima fuit secundum quam Moyses tantum meruit eleuari vt vel ipsam Dei essentiam videret in raptu, iuxta sententiam D. Aug. lib. 12. super Genes. ad literam, & in lib. de videndo Deum ad Paulinam: vel circa diuinæ essentiæ visionem ad eximiam diuinarum rerum contemplationem secundum quod dicitur num. 12. Ore enim ad os loquar ei, & palam & non per ænigmata & figuras Dominum videt, vnde Moysi visio non est facta Angelo mediante, sicut aliæ visiones Prophetales. Secunda ratio est nam imaginaria visio fuit in Moyse perfectissima ita, vt eã qua si ad nutum haberet. Vnde dicitur Exod. 73. quod loquebatur ei Dominus facie ad faciem, sicut homo solet loqui ad amicum suũ. In quo etiam alia eius eminentia quantum ad imaginariam visionem potest notari, quod ipse scilicet non solum audiuit verba reuelantis, sed vidit non in figura hominis vel Angeli, sed quasi ipsum Deum, non in somnio, sed in vigila; Vt docet Diuus Thomas de Verit quæst. 12. art. 14. Tertia ratio est, quia Moysi denunciatio fuit excellentissima: omnes enim Prophetæ, qui fuerunt ante eum, instruxerunt eos, ad quos mittebantur, per modum disciplinæ; Moyses autem fuit primus, qui locutus est ex parte Domini dicens: Hæc dicit Dominus: & non vnifamiliæ aut alteri, sed toti populo: nec denunciauit ex parte Domini, vt attenderetur dictis alterius Prophetæ præcedentis sicut Prophetæ denuntiando inducebant, vt obseruaretur lex Moysi: ac proinde denuntiatio præcedentium fuit præparatio ad legem Moysi, quæ fuit fundamentum quoddam denuntiationis sequentium Prophetarum. Quarta ratio, quia modus denuntiandi suas reuelationes fuit excellẽtior in Moyse ex parte operationis miraculorum confirmantium ipsas reuelationes: fuerũt enim eximia signa atque portenta, quibus totus populus infidelium instruebatur, & indurati, seu rebelles flagellabantur, & populus Dei liberabatur.

Recommendatio ad Martyres.

Auspicibus vobis, Superi compleuimus alta:
Pergite festino, deprecor, auxilio.

FINIS.

SALMANTICAE.
In ædibus Antoniæ Ramirez, viduæ.
Anno Dominicæ salutis, M. DC. X.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE

quæ in Annotationibus ad Paraphrasim intertextam explicantur.

EX GENESI.

CAP. 1. *Et lignum pomiferum faciens fructũ. Deut. 20. annot. 3. p. 616.*

In quibus est Anima viuẽs. Leuit. 27. an. 1. p. 418.

Cap. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, Deut. 16. ann. 3. p. 604.*

Cap. 14. *A filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ. Num. 6. an. 2. p. 443.*

Cap. 23. *Aduena sum & Peregrinus apud vos, Num. 9. an. 3. p. 454.*

Princeps Dei es apud nos, Num. 2. an. 2. p. 426.

Quadringentos siclos argenti probatæ monetæ, Gen. 33. an. 6. p. 119.

Cap. 24. *Super fæmur Abraham domini sui, Gen. 1. an. 2. p. 5.*

Cap. 34. *Non possumus facere quod petitis, Gen. 32. an. 3. p. 117.*

Cap. 35. *Egrediente anima præ dolore, Leui. 27. an. 1. p. 418.*

Cap. 41. *Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum, Gen. 32. an. 4. p. 117.*

Cap. 47. *In optimo terræ loco Ramesses, Exo. 1. an. 2. p. 183.*

Cap. 49. *Omnipotens benedicet tibi, Deut. 28. an. 1. p. 630.*

Benedixitque singulis benedictionibus proprijs, Deut. 28. an. 1. p. 630.

Cap. 50. *Vt aromatibus condiderant patrem, Deut. 34. an. 3. p. 650.*

EX EXODO.

Cap. 2. *Egressus est post hæc vir, Gen. 25. an. 3. p. 93.*

Cap. 4. *Heri & nudiustertius, Gen. 31. an. 1. p. 113.*

Cap. 6. *Super quam leuaui manum meam, Gen. 14. an. 6. p. 54.*

Cap. 12. *Nox ista est obseruabilis Domini quãdo eduxit eos de terra Ægypti, Num. 33. an. 3. p. 541.*

Aduena & mercenarius non edent ex eo, Num. 9. an. 3. p. 554.

Cap. 13. *Primogenitum asini mutabis oue, Gen. 23. an. 1. p. 84.*

Omne autem primogenitum hominis, Gen. 23. an. 1. p. 84.

Cap. 15. *Deuorauit eos terra, Ge. 1. an. 2. p. 5.*

Cap. 18. *Non bonam rem facis, Gen. 47. an. 2. p. 164.*

Cap. 20. *Non habebis deos alienos, Genes. 1. an. 2. p. 5.*

Cap. 21. *Si dederit Dominus eius, Gen. 14. an. 2.*

Cap. 22. *Si seduxerit quis Virginem necdũ desponsatam, Deut. 22. an. 7. p. 612.*

Vidua & pupillo non nocebitis, Deut. 22. an. 1. p. 611.

Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, Num. 18. an. 5. p. 491.

Cap. 23. *Non immolabis super fermentum sanguinem victimæ meæ, Num. 9. an. 2. p. 453.*

Cap. 25. *Loquar ad te supra propiciatorium ac de medio duorum Cherubim, Num. 17. an. 2. p. 486.*

Cap. 34. *Nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini, Num. 32. an. 2. p. 537.*

Cap. 38. *Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum, Num. 1. an. 4. p. 324.*

EX LEVITICO.

Cap. 9. *Apparuitque gloria Domini omni multitudini, Exo. 40. an. 2. p. 14.*

Cap. 14. *adducetur ad Sacerdotem, Leui. 27. an. 3.*

Digitized by Google

Cap. 17. *Dederunt Moysi omnes principes virgas per singulas tribus*, Num.1.an.1.p.423.
Cap.22. *In terra vestra hoc omnino ne faciatis*, Num.7.an.3.p.447.
Septem diebus erunt sub vbere matris suæ: die autem octauo & deinceps offerri poterunt. Num.18.an.5.p.491.
Cap.24 *Qui percusserit animal reddet vicarium*, Exo.21.an.6.p.255.
Cap.26. *Ita vt decem mulieres, in vno clibano coquant*, Gen.31.an.2.p.114.

EX NVMERIS.

Cap.5. *Pollutusque est super mortuo*, Leuit.22.an.3.p.393.
Cap.9. *Immundi super anima hominis*, Leuit.27.an.1.p.418.
Cap.11. *Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore*, Deut.8.an not.2.pag.575.
Saporis quasi panis oleati, Num.21.an.3.p.503.
Cap. 12. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini in visione apparebo ei vel per somnium*, Gen.40.an.2.p.140.
Cap.14. *Dominus patiens & multæ misericordia*, Exo.34.an.2.p.227.
Et tentauerunt me iam per decem vices, Gen.31.an.2.p.114.
Cap.18. *Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum*, Exo.35.an.2.p.302. Leui.22 an.4.p.393.
Omne quod ex voto reddiderint filij Israel tuum erit, Num.15.an.2.p.477.
Cap.20. *Hæc mandat frater tuus Israel*, Gen.45.an.2.p.158.
Cap.21. *Si tradideris populum istum in manu mea delebo vrbes eius*, Leuit.27.an.6.p.420.
In vertice phasga, Leui.8.an.3.
Cap.26. *Vt Core pereunte filij illius non perirent*, Num.16.an.4.p.484.
Cap. 27. *Possit exire & intrare ante eos*, Deut.31.an.1.p.639.

EX DEVTERONOMIO.

Cap. 2. *Donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum*, Num.1.an.3.p.324.
Cap.3. *Iratusque est mihi Dominus propter vos*, Num.20.an.3.p.498.
Cap.5. *Facie ad faciem locutus est Dominus ad populum*. Exo.33.an.2.p.296.
Cap.6. *Diliges Dominum Deum tuum*, Deut.28.an.4.p.630.
Cap.12. *Super terram sicut aquam effundes*, Gen.49.an.3.p.173.
Cap. 15. *Effundes in terram quasi aquam*, Gen.49.an.3.p.173.
Cap. 16. *Eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte*, Num.33.an.3.p.541.
Cap.17. *Qui indicabunt tibi iudicij veritatem*, Num.23.an.3.p.511.
Cap.21. *Maledictus à Deo est qui pendet in ligno*.
Cap.32. *Abscondam faciem meam ab eis*, Gen.4.an.6.p.23.
De vinea Sodomorum vinea eorum & de suburbanis Gomorrhæ, Deut.29. an.3.p.634.
Leuabo ad cœlum manum meam, Genes.14.an.6.p.54.
Si acuero vt fulgur gladium meum, Num.32.an.1.p.536.
Inebriabo sagittas meas sanguine, Gen.43.an.5.p.153.

EX IOSVE.

Cap.5. *Defecit manna*, Gen.2.an.1.p.13.
Cap.8. *Et scripsit super lapides, Deuteronomium legis Moysi*, Deut.27.an.2.p.626.
Cap.10. *Obediente Domino voci hominis*, Genes.41.an.5.p.146.
Cap.13. *A fluuio turbido qui irrigat Ægyptum*, Num.32.an.1.p.537.
Cap.17. *Dominus præcepit per manum Moysi*, Leuit.8.an.4.p.340.
Cap.18. *Pertransiens iuxta lucem ad meridiem*, Gen.28.an.4.p.103.
Cap.22. *Cras dicent filij vestri*, Gen.30.an.2.p.110.
Cap.24. *In parte agri quem emerat Iacob centum nouellis ouibus*, Gen.33.an.6.p.119.

EX LIBRO IVDICVM.

Cap. 1. *Domus quoque Ioseph ascendit in Bethel*, Gen.28.an.4.p.103.
Cap.9. *Et occidit fratres suos filios Ierobahal septuaginta viros*, Num.14. an.7.p.474.
Cap. 14. *Per septem dies fecit conuiuium*, Gen.29.an.1.p.106.
Cap.17. *Super quibus me audiente iurauerας*, Leuit.5.an.1.p.328.

EX RVTH.

Cap. 4. *Quæ ædificauerunt domum Israel,* Exo.1.an.4.p.183.

EX PRIMO REGVM.

Cap.1. *Ascendebat ille de ciuitate sua statutis diebus,* Exo.13.an.2.p.223.
Cap.2. *Donec sterilis peperit plurimos,* Leui.26.an.2.p.414.
Accinctos ephod lineo, Exo.28.an.2.pag.279.
Quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, Exo.38.an.1.p.279.& Leuit.4.an.4.pag.326.
Cap.12. *Reddat tibi Dominus semen.* Leui.12.an.1.p.349.
Cap.14. *Heri & nudius tertius,* Gen.31.an.1.p.113.
Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam, Gen.43.an.4.p.153.
Cap.15. *Pro eo quod abiecisti sermones Domini abiecit te Dominus,* Gen.21.an.4.p.79.
Cap.17. *Tollebat arietem de medio gregis,* Gen.2.an.9.p.14.
Cap.19. *Prophetauit cum cæteris coram Samuele,* Num.11.an.7.p.463.
Cap.23. *Applicate Ephod,* Exo.28.an.19.p.279.
Cap.25. *Vsque mingentem ad parietem,* Gen.6.an.4.p.29.
Cap.28. *Deos vidi ascendentes de terra,* Gene.1.an.2.p.5.
Cras tu & filij tui mecum eritis, Gen.30.an.2.p.110.
Saul cecidit porrectus in terram, Num.24.an.2.p.473.
Cap.30. *Hæc est præda David,* gen.49.an.7.p.174.
Cap.31. *Tulerunt ossa eorum & sepelierunt in nemore Iabes & ieiunauerunt septem diebus,* Deut.34.an.3.p.650.

EX SECVNDO REG.

Cap.1. *Quod est verbum quod factum est in castris,* Deut.4.an.3.p.565.& cap.8.an.1.p.575.
Sanguis tuus super caput tuum, Leui.20.an.2.p.384.
Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, Deut.34.an.3.p.650.
Cap.2. *Surgant pueri & ludant,* Gen.21.an.2.p.78.
Cap.6. *Accinctus erat Ephod lineo,* Exo.28.an.2.p.279.
Cap.7. *Propter quem iuit Deus,* Gen.1.an.2.p.5.
Cap.8. *Et percussit Moab & mensus est eos funiculo coæquans terræ,* Num.25.an.3.p.516.
Filij autem David sacerdotes erant, Deut.17.an.2.p.598.
Cap.14. *Nunquid manus Ioab tecum est?* Exo.9.an.4.p.210.
Leuit.8.an.4.p.340.
Semel autem in anno tondebatur, Exod.13.an.2.p.223.
Cap.17. *Et irruerunt super eum quippe qui lapsus est,* Num.11.an.1.p.462.
Cap.19. *Vsque quo siletis & non reducitis regem,* Exo.14.an.2.p.227.
Cap.23. *Sicut lux Auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat,* Num.22.an.4.p.220.

EX TERTIO REGVM.

Cap.1. *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores,* Gen.43.an.3.p.150.
Cap.6. *Sed & altare vniuersi texit auro,* Exo.40.an.1.p.313.
Cap.8. *In arca non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ,* Num.17.an.3.p.486.
Impleuerat enim gloria Domini domum Domini, Exo.40.an.2.p.314.
Cap. *Quæ nobis pars in David aut quæ hæreditas cum filio Isai,* Num.3.an.4.p.431.& cap.14.an.3.p.473.
Cap.15. *Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino,* Deut.18.an.2.p.601.
Cap.18. *Ipse sit Deus,* Gen.40.annot.2.p.145.
Cap.21. *Eo quod venundatus sis vt faceres malum,* Deut.32.an.2.p.643.

EX QVARTO REGVM.

Cap.2. *Illudebant ei,* Gen.21.an.2.p.78.
Cap.4. *In medio populi mei habito,* Gen.23.an.5.p.84.
Noli mentiri ancillæ tuæ, Gen.43.an.1.p.152.
Cap.17. *Et testificatus est Dominus in Israel,* Exo.19.an.4.p.252.
Vsque in diem hanc, Gen.19.an.6.p.72.
Cap.20. *Cras morieris,* Gen.20.an.1.p.74.
Cap.23. *Melchon abominatio filiorum Amon,* Exo.8.an.4.p.208.

EX PRIMO PARALI.

Cap.1. *Arphaxad cum esset triginta annorum genuit Sale*, Gen.11.an.4.p.45.

Cap.9. *Hi sunt Coritæ super operam ministerij*, Num.16.an.4.p.484.

Cap.25. *Constituti sunt ad Prophetandum in citharis*, Num.11.an.7.p.463.

EX SECVNDO PARALI.

Cap.2. *Vsque dum fieret grandis numerus vt exercitus Dei*, Gen.9.an.3.p.38.

Cap.20. *Confractæ sunt naues quæ ierent in Tharsis*, Gen.10.an.5.p.41.

Cap.24. *Abstulit Iosias cunctas abominationes*, Exo.8.an.4.p.206.

Cap.25. *Apud Obededom*, Num.3.an.5.p.431.

Cap.34. *Magnus furor Domini stillauit super nos*, Deut.29.an.2.p.634.

Cap.35. *Vniuersus Iuda & Hierusalem luxerunt eum*, Deut.34.an.3.p.650.

EX TOBIA.

Cap.11. *Per septem dies epulantes gauisi sunt*, Gen.29.an.2.p.116.

EX IVDITH.

Cap.2. *Praedamque omnes filios Tharsis*, Gen.10.an.5.p.41.

Cap.7. *Propterea vendidit nos Deus*, Deut.32.an.7.p.644.

Cap.9. *Domine Deus patris mei Simeon qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum*, Gen.34.an.3.p.122. & ca.49.an.4.p.175.

Respice castra Assyriorum, Exo.14.an.4.p.227.

Cap.13. *Respicite ad operam manuum mearum*, Exo.14.an.14.

Cap.16. *Porro Iudith vniuersa vasa Bellica Holofernis obtulit*. Num.4.an.4.p.436.

EX LIBRO ESTHER.

Cap.13. *In ditione tua cuncta sunt posita*, Num.3.an.8.p.432.

Cap.1. *Vir rectus & simplex*, Gen.20.an.2.p.13.

Extende paululum manum tuam, Gen.22.an.3.p.81.

Scidit vestimenta sua, Deut.34.an.3.p.122.

Cap.2. *Dabit homo pro anima sua*, Gen.37.an.3.p.132.

Si bona suscepimus de manu Dei mala quare non suscipiamus? Leuit.5.anno.3.pag.329.

Cap.3. *Timor quem timebam euenit mihi*, Exo.7.an.2.p.202.

Cap.9. *Abominabuntur me vestimēta mea*, Deut.13.an.2.p.588.

Cap.19. *Ex decies confunditis me*, Gen.31.an.2.p.114.

Cap.26. *Qui ligat aquas in nubibus suis*, Gen.1.an.9.p.7.

Cap.31. *Etiam cum me viderem in porta superiorem*, Deut.16.an.4.p.596.

Cap.38. *Numquid ingressus es thesauros niuis*, Deu.28.an.2.p.630. & cap.32.an.10.p.644.

Cap.40. *Ipse est principiū viarum Dei*, Gen.6.an.5.p.29.

Cap.41. *Quis resistere poterit vultui meo*, Gen.16.an.2.p.60.

EX PSALMIS.

Psal.2. *Seruite Domino in timore*, Gen.32.an.2.p.116.

Et pereatis de via iusta, Gen.6.an.5.p.29.

Psal.5. *Dirige in conspectu tuo viam meam*, Exo.18.an.1.

Psal.7. *In eo parauit vasa mortis*, Num.4.an.4.p.436.

Psal.9. *In æternum & in seculum sæculi*, Exo.15.an.2.p.231.

Quoniam tu laborem & dolorem consideras vt tradas eos in manus tuas, Deut.32.an.9.p.644.

Psal.10. *Qui autem diligit iniquitatem odit animam suam*, Genes.43.annot.1.pag.152.

Psal.14. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, Deut.23.an.6.p.615.

Psal.15. *Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges*, Nu.3.an.8.p.432.

Funes ceciderunt mihi in præclaris, Deut.32.an.2.p.643.

Delectationes in dextera tua vsque in finē, Deut.33.an.3.p.64.

Psal.16. *Oculos suos statuerunt, declinare in terram*, Gen.4.an.4.p.23.

Psal.17. *Laudans inuocabo Dominum*, Deut.30.an.1.p.636.

Tenebrosa aqua in nubibus suis, Gen.1.an.9.pag.7.

Psal.21. *Quare me dereliquisti*, Gen.43.an.1.p.152.
Effusus sum sicut aqua, Gen.49.an.3.p.173.
Psal.22. *Impinguasti in oleo caput meum*, Gen.28.an.2.p.103.
Psal.23. *Quia super maria fundauit eum*, Gen.1.an.11.p.8.& cap.41.an.1.p.145.
Psal.24. *Vniuersa via Domini misericordia & veritas*, Gen.6.an.5.p.29.
Respice in me & miserere mei, Exo.14.an.4
Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt, Exo.14.an.4.p.227.
Psal.26. *Dominus illuminatio mea & salus mea*, Exo.4.an.4.p.194.
Psal.27. *Deus meus ne sileas à me*, Exo.14.an.2.p.227.
Psal.32. *Verbo Domini cæli firmati sunt & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, Gen.1.an.4.p.6.
Psal.33. *Vultus autem Domini super facientes mala*, Genes.16.an.6. Leuit.17.an.4.p.371.
Psal.35. *Ynebriabuntur ab vbertate domus tua*, Gen.43.an.5.p.153.
Psal.36. *Iustitia tua sicut montes Dei*, Gen.9.an.3.p.38.
Psal.39. *Holocaustum & pro peccato non postulasti*, Num.29.an.5.p.499.
Psal.43. *Vendidisti populum tuum sine precio*, Deut.32.an.7.
Psal.47. *In spiritu vehemẽti conteres naues Tharsis*, Gen.10.an.5.p.41.
Quoniam hic est Deus Deus noster, Num.14.an.1.p.473.
Psal.50. *Auerte faciem tuã à peccatis meis*, Gen.16.an.2.p.60.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus, Nu.9.an.2.p.37.
Psal.64. *Ad te omnis veniet*, Nu.16.an.3.p.484.& cap.32.an.4.p.537.
Psal.66. *Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos*, Num.6.an.5.p.443.
Psal.68. *Aduersum me loquebantur qui sedebant: & in me psallebant qui bibebant vinum*, Gen.19.an.5.p.72.
In multitudine misericordia tua exaudi me, Exo 6.an.1.p.199.
Obscurentur oculi eorum ne videant, Deut.28.an.4.p.630.
Deleantur de libro viuentium, Num.21.an.6.p.504.
Psal.71. *Suscipiant montes pacem populo*, Deut.32.an.5.p.644.
Reges Arabum, & Saba dona adducent, Gen.10.an.8.p.42.
Psal.74. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto & inclinauit ex hoc in hoc*, Num.17.an.3.p.486.
Psal.75. *Vouete & reddite Domino Deo vestro*, Leuit.27.an.1.& 6.p.418.
Psal.77. *Aperiam in parabolis os meũ*, Nu.23.an.2.p.511.
Prodigia sum campo Taneos, Exo.8.an.2.pa.183. Num.13.an.3.p.469.
Misit in eos cynomyiam & comedit eos & ranam & disperdidit eos, Exo.4.an.3.p.194
Immissiones per Angelos malos, Exo.12.an.3.p.220.
Et sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis, Deut.32.an.2.p.649.
Virgines eorum non sunt lamentatæ, Deut.34.an.3.p.650.
Psal.78. *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli*, Leuit.11.an.2.p.347.
Vsquequo Domine irasceris in finem accendatur velut ignis zelus tuus, Deut.32.an.4.p.644.
Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, Deut.28.an.4.p.630.
Psal.79. *Ostende faciem tuam & salui erimus*, Gen.4.an.6.p.23.
Psal.80. *Buccinate in Neomenia tuba*, Leuit.23.an.4.p.400.
Psal.81. *Ego dixi, dij estis*, Gen.33.an.4.p.119.
Vos autem sicut homines moriemini, Gen.6.an.2.p.28.
Psal.86. *Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopũ hi fuerunt illic*, Gen.2.an.3.p.13.
Psal.87. *Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea*, Gen.47.an.2.p.164.
Psal.88. *Visitabo in virga iniquitates eorũ*, Leuit.18.an.5.p.376.
Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mẽtiar, Num.32.an.4.p.537.
Psal.89. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*, Gen.50.an.4.p.179.
Psal.90. *Vt custodiant te in omnibus vijs tuis*, Gen.6.an.5.p.29.
Psal.94. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi*: Num.14.an.7.p.474.
Psal.97. *In tubis ductilibus & voce tubæ corneæ*, Leui.23.an.4.p.400.
Psal.9 . *Custodiebant testimonia eius*, Exo.19.an.4.p.245.
Psal.101. *Initio tu Dñe terrã fundasti & opera manuũ tuarũ sunt cæli*, Ge.1.an.3.p.6.

Psal.103. *Abyssus sicut vestimentum amictus eius*, Gen.1.an.3.p.6.
Petra refugium herinacijs, Leuit.11.an.1.p. 347.
Vt exhilaret faciem in oleo, Gen.28.an.2. p.103.
Illic reptilia, quorum non est numerus, Gen. 1.an.15.p.8.
Psal.103. *Emittes spiritum tuum & creabuntur*, Gen.2.an.4.p.6.
Psal.104. *Eduxit eos cum argento & auro & non erat in tribubus eorum infirmus*, Nu. 14.4.p.324.
Psal.105. *Immolauerunt filios suos & filias suas dæmonijs*, Leuit.18.an.4.p.376.
Psal.106. *Qui descendunt mare in nauibus*, Gen.1.an.11.p.7.
Psal.108. *Constitue super eum peccatorem*, Gen.35.an.2.p.125.
Psal.113. *In exitu Israel de Ægypto domus Iacob de populo barbaro*, Num.14.an.3.p. 473.
Facta est Iudæa sanctificatio eius Israel potestas eius, Num.24.an.2.p.514.
Mare vidit & fugit, Deut.30.an.3.p.636.
Benedixit omnibus qui timent Dominum, Deut.21.an.3.p.609.
Psal.118. *Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis*, Deu.26.an. 3.p.624.
Clamaui in toto corde meo, Exo.14.an.3.p. 227.
Custodiuit anima mea testimonia tua, Exo. 19.an.4.p.245.
Psal.126. *Non confundentur cum loquetur inimicis suis in porta*, Deut. 16.an.4.p. 596.
Psal.127. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum*, Deut.21.an.3.p.609.
Psal.134. *Qui producit ventos de Thesauris suis*, Deut.32.an.10.p.645.
Psal.135. *Qui firmauit terram super aquas*, Gen.1.an.11.p.8.& 41.an.1.p.145.
Psal.148. *Aquæ omnes quæ super cælos sunt laudent nomen Domini*, Gen.1. an.9.p.8.

EX PROVERBIIS.

Cap.1. *Si te lactauerint peccatores ne acquiescas etc.* Deut.32.an.12.p.645.
Cap.3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo*. Num.32.an.3.p. 644.
Si dormieris non timebis, Deut.32.an.10.p. 645.
Cap. 12. *Viscera autem impiorum crudelia*, Num.22.an.3.pag.508.
Cap.16. *Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo expugnatore vrbiũ*, Num.14.an.4.p.473.
Cap.18. *Cum quieuerit operabitur*, Gen.2. an.1.p.13.
Cap.21. *Si sectetur sapientem sumet scientiam*, Num.22.an.2.p.508.
Cap.29. *Iudicium à Domino egreditur*, Gen. 24.an.4.p.89.
Cap.30. *Comedant eum filij Aquilæ*, Leuit. 11.an.3.p.348.
Cap.31. *Manum suam misit ad fortia*, Exo. 24.an.3.p.264.

EX ECCLESIASTE.

Cap.4. *Si vnus ceciderit ab altero fulcietur, etsi dormierint duo, fouebuntur mutuo*, Deu.32.an.12.p.645.

EX CANTICO CANTIcorum.

Cap.1. *Osculetur me osculo oris sui*, Num.24. an.2.p.89.

EX LIBRO SAPIENTIAE.

Cap.1. *Et hoc quod continet omnia*, Num.17 an.3.p.486.
Cap.16. *Omne delectamentum in se habentem & omnis saporis suauitatẽ*, Num.21. an.3.p.503.
Cap.19. *Percussi sunt autẽ cæcitate sicut illi in foribus iusti*, Gen.19.an.2.p.71.

EX ECCLESIASTICO.

Cap.1. *Vnus est altissimus creator omnipotens*, Gen.1.an.1.p.5.
Cap.3. *Altiora te ne quæsieris*, Num.32.an. 3.p.537.
Cap.18. *Cum consummauerit homo tunc incipiat, & cum quieuerit operabitur*, Gen.2 an.1.p.13.
Cap.22. *Supra mortuum plora: defecit enim lux eius*, Deut.34.an.4.p.651.
Modicum plora supra mortuum quoniam requieuit, Deut.34.an.4.p.651.
Luctus mortui septem dies, Deut.34.an.4.p. 651.
Cap.24. *Ego ex ore altissimi prodiui*, Gen. 2.an.4.pag.13.
Ab initio & ante sæcula creata sum, Gen.1. an.1.pag.5.
Capitulo 38. *Fili in mortuum produce lacry-*

lachrymas & facdubium secundum meritum eius vno die vel duobus.Deut.34.an.4.p.651.

Cap.39.*Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt.Gen.1.an.1.p.5.*

EX ISAIA.

Cap.1. *Quies agere peruerse.Gen.2.an.1.p.13.*

Cap.2.*Et replera est terra eius equis: & innumerabiles quadrigæ eius.Deut.17.an.3 p.599.*

Quiescite ab homine; cuius spiritus in naribus eius est.Gen.2.an.1.p.13.

Cap.3.*Dominus crinem earum nudabit.Leuit.10.an.2.p.344.*

Cap.4.*Apprehendent septem mulieres virum vnum.Leuit.26.an.2.p.414.*

Pane nostrũ comedemus.Gen.48.an.2.p.168.

Cap.5.*Expectaui iustitiam & ecce clamor.Gen.18.an.;.p.67.*

Sicut deuorat stipulam lingua ignis.Deut.20.an.2.p.606.

Extendit manum suam super eum & percussit eum.Gen.22.an.3.p.81.

Eleuabit signum in nationibus procul.Num.21.an.4.p.503.

Cap.6.*In medio polluta labia habentis ego habito,Gen.23.an.5.p.84.*

Excæca cor populi huius & aures eius aggraua,Gen.25.an.2.p.93.

Cap.7. *Audite ergo domus David.Exod.1.an.4.p.183.*

In his qui trans flumen sunt.Exo.23.an.6.p.262.

Cap.8.*Accelera spolia detrahere festina prædari.Gen.49.an.7.p.174.*

Ipse pauor verteret ipse terror vester.Gen.31.an.3.p.114.

Cap.9.*Primo tẽpore alleuiata est terra Zabulon & terra Nephthali.Gen.49.an.16.p.177.Deut.33.an.5.p.645.*

Disperdet Dominus ab Israel caput & caudam.Deut.28.an.4.p.630.

Cap.10.*Computrescet iugum à facie olei.Gen.28.an.2.p.103.*

Cap.11.*Erit radix Iesse.Gen.29.anno.2.p.106.*

Cap.13.*Vt disperdat omnem terram.Deut.9.an.1.p.577.*

Cap.14.*Si non vt putaui ita erit.Num.32.an.1.p.536.*

Hoc consilium quod cogitaui super omnẽ terram.Deut.9.an.1.p.577.

Cap.23.*Vlulate naues Tharsis.Gen.10.an.5.pag.41.*

Cap.25.*Super hoc laudauit te populus fortis Leuit.22.an.3.p.393.*

Cap.30.*Erant enim in Tani principes tui.Numer.13.an.3.p.469.*

Et dabitur pluuia semini tuo.Leuit.26.an.1.p.414.

Cap.38.*Generatio mea ablata.Num.32.an.2.p.537.*

Cap.42.*Calamũm quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.Leui.19.an.3.p.380.*

Legem eius Insulæ expectabunt,Gen.49.an.10.p.175.

Qui descenditis in mare & plenitudo eius.Gen.1.an.11.p.8.

Cap.45.*Creans malum.Leui.5.an.3.p.39.*

Cap.49.*Omnibus his velut ornamento vestieris.Gen.49.an.13.p.176.*

Cap.52.*Assur absque vlla causa calumniatus est eum.Exo.1.an.1.p.182.*

Quam pulchri super montes pedes annunciãtes & prædicantes pacem.Gen.49.an.16.p.177.

Cap.53.*Ascendet sicut radix de terra sitienti.Gen.29.an.2.p.106.*

Cap.55.*Quare appenditis argentum non in panibus.Gen.23.an.6.p.84.*

Audite audientes me, & comedit bonum.Gen.35.an.2.p.125.

Cap.61.*Spiritus Domini super me.Exo.23.an.3.p.261.*

Cap.63.*Quare ergo rubrum est indumentum tuum & vestimenta tua sicut calcantium intorculari.Gen.49.an.13.p.176.*

Neque inuocaretur nomen tuum super nos.Gen.48.an.2.p.268.

Cap.65.*Puer centum annorum morietur & peccator cẽtum annorum maledictus erit.Gen.22.an.2.p.81.*

EX IEREMIA.

Cap.2.*Quid tibi vis in via Ægypti vt bibas aquas turbidas,Num.34.an.1.p.343.*

Cap.3.*Patrem vocabis me & post me ingredi non cessabis.Deut.28.an.4.p.630.*

Cap.4.*Leuate signum in Sion.Num.21.an.4.p.503.*

Cap.6.*Ecce incircuncisæ aures eorum.Leuit.26.an.4.p.415.*

Cap.8.*Congregans congregabo eos.Gen.49.an.18.p.177.*

Cap.9.*Nunquid super his non visitabo.Leuit.18.an.5.*

Vocate lamentatrices & veniant.Deut.34.an.3.p.650

Digitized by Google

Omnis autem domus Israel in circũcisi sunt corde, Leuit. 26. an. 1. pag. 414.

Cap. 10. *Ipse est Deus viuens & rex sempiternus*. Exo. 31. an. 3. p. 389.

Cap. 11. *Mittamus lignum in panem eius*. Gen. 49. an. 5. p. 174.

Cap. 12. *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam*. Num. 12. an. 5. p. 465.

Cap. 15. *Infirmata est quæ peperit septẽ*. Leuit. 26. an. 2. p. 414.

Cap. 16. *Non sepelientur neque plangentur*. Deut. 34. an. 4. p. 650.

Cap. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine*. Gen. 6. an. 2. p. 29.

Cap. 20. *Seduxisti me Domine & seductus sum*. Gen. 27. an. 4. p. 100.

Cap. 21. *Posui enim faciem meam super ciuitatem hanc*. Leuit. 17. an. 4. p. 37.

Cap. 32. *Et appendi ei argentum septem stateres*. Gen. 23. an. 6. p. 84. Exo. 30. an. 3. pag. 287.

Vt initiarent filios suos & filias suas Moloc. Leuit. 18. an. 4. p. 376.

Cap. 44. *Faciamus omne verbum quod egredietur de ore nostro*. Gen. 24. annot. 4. pag. 89.

Vt sacrificemus Reginæ cœli. Num. 28. an. 4 p. 525.

Reges vestri & Principes vestri & populus terræ. Gen. 23. an. 3. p. 84.

EX THRENIS.

Cap. 1. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius*. Exo. 24. annot. 3. pag. 264.

Cap. 2. *Super contritione filiæ populi mei*. Leuit. 22. an. 3. p. 396.

Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta. Deut. 13. an. 1. p. 561.

Neque taceat pupilla oculi tui, Exo. 14. an. 3. p. 227.

Cap. 3. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius*. Num. 24. an. 2. p. 514.

Cap. 4. *Facies Domini diuisit eos*. Gen. 16, an. 2. p. 61.

Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis Cœli. Leuit. 11. an. 3. p. 348.

Lætare filia Edõ quæ habitas in terra Hus. Gen. 36. an. 4. p. 128.

EX BARUCH.

Cap. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Gen. 22. an. 1. p. 81.

EX EZECHIELE.

Cap. 1. *Factum est Verbum Domini ad Ezechielem*. Gen. 28. an. 1. p. 239.

Facta est super eum ibi manus Domini. Leuit. 8. an. 4. p. 340.

Quasi visio maris. Gen. 10. an. 5. pag. 41.

Cap. 2. *Ad filios populi tui*. Exo. 32. an. 3. p. 293.

Cap. 3. *Ponam offendiculum coram eo*. Exo. 10. an. 2. p. 213.

Cap. 7. *In vniuersis capitibus eorum caluitium*. Leuit. 10. an. 2. p. 344.

Cap. 10. *Quasi visio chrysolithi*. Gen. 10. an. 5 p. 41.

Cap. 12. *Visio quam hic videt in dies multos* Gen. 39. an. 3. pag. 138.

Cap. 13. *Contra filios populi tui*. Exo. 32. an. 3. p. 293.

Cap. 16. *Super amatores tuos & super idola abominationum tuarum*. Exo. 23. an. 3. pag. 261.

Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ. Gen. 41. an. 4. p. 146.

Cap. 17. *Aquila grandis magnarum alarũ*. Leuit. 11. an. 3. p. 348.

Cap. 18. *Anima, quæ peccauerit ipsa morietur*. Exo. 20. an. 1. p. 248.

Cap. 20. *In die illa leuaui manum meam*. Leuit. 9. an. 1. p. 342.

Et dixi vt effunderem indignationem meã super eos. Exo. 14. an. 2. p. 227.

Dedi eis præcepta non bona. Gen. 47. an. 2. Exod. 18. an. 2. pag. 242.

Cap. 21. *Stilla ad sanctuaria*. Deut. 29. an. 2 p. 634.

Reuertere ad vaginam tuam in loco in quo creatus es. Deut. 30. an. 1. p. 636.

Cap. 27. *Carthaginenses negotiatores tui*. Gen. 10. an. 5. p. 41.

Cap. 32. *Fili hominis assume lamentum super Pharaonem*. Deut. 34. an. 3. p. 650.

Cap. 38. *Gomer & vniuersa agmina eius*. Gen. 10. an. 2. p. 41.

Cap. 40. *Et pro peccato & pro delicto*. Leuit. 7. an. 1. p. 336.

EX DANIELE.

Cap. 2. *A facie Regis esset egressa*. Gen. 24. an. 4. p. 89.

Cap. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*. Ge. 19. an. 3.

Potestas eius potestas sempiterna. Ex. 31. an. 3.

Cap. 8. *Vidi in visione mea cum essem in Susis castro quod est in Ælam, regione*. Gen. 10. an. vlt.

EX

Digitized by Google

EX OSEA.

Cap. 2. *Terra exaudiet triticum.* Genes. 49. Annot. 10. p. 175.
Cap. 4. *In bestia agri & in volucre cæli.* Genes. 32. annot. 2. p. 116.
Sed & pisces maris congregabuntur. Genes. 49. annot. 18. p. 177.
Visitabo super eũ vias eius. Gen. 6. an. 5. p. 29
Cap. 5. *Nunc devorabit eos mensis.* Gen. 29. anno. 3. pag. 106. Num. 34. anno. 5. p. 544
Vlulate in Bethauen. Gene. 28. an. 4. p. 103
Super eos effundam quasi aquam iram meã. Genes. 49. ann. 3. p. 173.
Quasi catulos Leonis domui Iuda. Genes. 49. annot. 6. pa. 174
Cap. 7. *humiliabitur superbia in facie eius.* Genes. 16. anno. 2. pag. 60.
Cap. 9. *Abiecit eos Dominus Deus.* Gen. 21. annot. 4. p. 79.
Cap. 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Num. 24. annot. 3. p. 514.
Cap. 12. *Invaluit ad Angelum & confortatus est.* Genes. 32. anno. 4. p. 117.
In manu prophetarum assimilatus sum. Leuit. 8. annot. 4. pa. 340.
Cap. 13. *Colligata est iniquitas Ephraim absconditum peccatum eius.* Deut. 32. an. 9. pag. 644.
Cap. 14. *Super equum non ascendemus.* Deuter. 17. annot. 3. p. 599.

EX IOEL.

Cap. 2. *Quia benignus & misericors est patiens.* Exod. 34. ann. 2. p. 300.

EX AMOS.

Cap. 1. *Super tribus sceleribus.* Exod. 10. annot. 2. p. 213.
Cap. 3. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit.* Leuit. 5. ann. 3. p. 329.
Cap. 6. *Bibentes vinum in phialis.* Gen. 19. an. 5. p. 72. Num. 7. an. 2. p. 447
Cap. 9. *In gladio morientur omnes peccatores populi mei.* Exod. 5. annot. 3. pa. 194.
Eo quod invocatum sit nomen meum super eos. Genes. 48. anno. 2. p. 168.

EX ABDIA.

Cap. 1. *Nonne furati essent sufficientia sibi?* Deut. 32. Annot. 8. p. 644.

EX IONA.

Cap. 1. *Invenit navem euntem in Tharsis.* Genes. 10. ann. 5. p. 41.

EX MICHAEA.

Cap. 1. *Quod scelus Iacob? nonne Samaria.* Deut. 32. ann. 8. p. 644.
Cap. 3. *Sicut carnes in medio ollæ.* Gen. 23. annot. 5. p. 84.
Cap. 4. *Et tu turris gregis nebulosa.* Gen. 35. ann. 4. p. 125.
Cap. 5. *Nunc vastaberis filia latronis.* Gene. 29. anno. 3. pa. 106.
Suscitabimus super eum septem pastores. Leuit. 26. ann. 2. pa. 414.
Quasi catulos Leonis gregibus pecorum. Gen. 49. anno. 6. p. 174.
Cap. 6. *Contende iudicio adversum montes, & audiant colles vocem tuam.* Deute. 32. anno. 5. p. 644.
Quid dignum offeram Domino. Gen. 23. an. 4. pag. 84.

EX NAHVM.

Cap. 1. *Dominus patiens & magnus fortitudine.* Exod. 34. an. 2. p. 300.

EX HABACVC.

Cap. 1. *Quasi Aquila festinans ad comedendum.* Leuit. 11. ann. 3. pa. 348.
Cap. 2. *Iustus ex fide sua viuet.* Leuit. 18. an. 1. pag. 374.
Cap. 3. *Deus ab Austro veniet.* Gen. 1. anno. 1. pag. 5.
Aspexit & dissoluit gentes: & contriti sunt montes seculi. Deu. 32. an. 5. p. 644.

EX SOPHONIA.

Cap. 1. *Congregans congregabo omnia à facie terræ.* Genes. 49. an. 18. pa. 177.
In igne zeli eius devorabitur omnis terra. Deut. 32. an. 4. p. 644.

EX AGGAEO.

Cap. 1. *Bibistis & non estis inebriati.* Gene. 43. anno. 5. p. 153.
Cap. 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Gen. 49. anno. 10. p. 175.

EX ZACHARIA.

Cap. 3. *Tu quoque iudicabis domum meam.* Num. 12. anno. 5. p. 495.
Adducam seruum meum orientem. Exod. 26. anno. 6. p. 273.
Cap. 6. *Ecce vir oriens nomen eius.* Exod. 26. anno. 6. pag. 373.
Cap. 7. *Vel sanctificare me debeo?* Nume. 6. anno. 1. pag. 442.

Digitized by Google

Cap.8.*Veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris.Deut.16.ann.4.p.596.*
Cap.9.*Et bibentes inebriabuntur quasi à vino & replebuntur vt phialæ.Num.7.annot.2.pa.447.*
Cap.11.*Loquere ad puerum istum.Gen.22.annot.3.pag.81.*

EX MALACHIA.

Cap.2.*Labia sacerdotis custodiēt scientiam Gene.18.ann.5.pag.67.*
Cap.3.*In penuria vos maledicti estis.Leuit.25.an.3.pa.408.*

EX 1. MACHAB.

Cap.1.*Et venundati sunt vt facerent malum.Deut.32.an.7.pa.644.*

EX 2. MACHAB.

Cap.3.*Obtulit pro salute viri hostiam salutarem.Leuit.3.an.1.p.328.*
Cap.6.*Etenim multo tēpore non sinere peccatoribus ex sentētia agere,sed statim vltiones adhibere magni beneficij est indicium.Deut.7.ann.2.pa.572.*

EX MATTHÆO.

Cap.1.*Genuit Obed ex Ruth.Num.24.ann.3.p.514.*
Donec peperit filium suum primogenitum.Gen.49.ann.8.pa.174.
Cap.4.*In omni verbo quod procedit de ore Dei.Gene.24.an.4.pa.89.*
At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.Gen.49.ann.16.pa.177.
Cap.5.*Estote perfecti sicut & pater vester perfectus est.Leuit.19.annot.2.p.380.*
Cap.6.*Orantes nolite multum loqui sicut Ethnici Leuit.19.an.3.p.380.*
Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.Gene.47.an.5.p.165.
Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est.Exo.40.ann.2.p.314.
Cap.7.*Vos cum sitis mali.Exod.18.anno.3.pag.242.*
Cap.8.*Vade & ostende te sacerdoti.Leu.27.anno.3.p.419.*
Respondens Centurio ait.Gen.50.annot.3.pag.179.
Qualis est hic quia venti & mare obediunt ei.Num.3.ann.8.pag.430.
Cap.9.*Dicebant intra se.Gene.24.anno.3.pag.89.*
Cap.10.*Simplices sicut Columbæ.Gene.20.ann.2.p.75.*
Cap.11.*Ipse est Elias,qui venturus est.Gen.27.an.3.p.100.*
Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ.Gene.1.ann.2.pa.5.
Cap.12.*Esurientes cœperunt vellere spicas.Deut.23.an.7.p.616.*
Cap.13.*Locutus est Iesus in parabolis ad turbas.Num.23.ann.2.p.518.*
Cap.16.*Vos autē quam me esse dicitis.Gene.30.anno.3.p.110.*
Tu es Petrus.Genes.35.an.1.p.125.
Absit à te Domine,non erit tibi hoc.Genes.18.anno.5.p.67.
Cap.18.*Si peccauerit in te frater tuus.Leu.8.anno.3.pag.340.*
Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies,Genes.4.annot.9.p.24.
Cap.19.*Erunt duo in carne vna.Gen.2.ann.7.& 15.p.14.*
Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras.Deut.24.anno.1.pa.618.
Si vis ad vitam ingredi serua mandata.Deuteron.26.anno.3.pag.624.
Cap.20.*Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi.Gen.50.ann.1.p.179.*
Ca.23.*Dilatāt enim phylacteria sua,& magnificant fimbrias.Num.15.ann.7.p.479.*
Cap.24.*Si fieri potest etiam electi.Gene.3.anno.12.p.20.*
Partemque eius ponet cum hypocritis.Num.34.an.5.pag.544.
Cap.27.*Sanguis eius super nos & super filios nostros Leuit.2.an.2.p.320.Num.35.ann.7.pag.548.*
Cap.28.*Vsque in hodiernum diem.Gen.19.anno.6.p.72.*

EX MARCO.

Cap.2.*Non possunt ieiunare.Gene.32.ann.3.pag.117.*
Cap.6.*Et non poterat ibi virtutem vllam facere.Genes.32.an.3.117.*
Cap.9.*Adiuua incredulitatem meam.Exo.18.anno.2.p.242.*
Cap.10.*Accedunt ad eum Iacobus & Ioannes.Genes.50.anno.1.p.179.*
Cap.16.*Exprobrauit incredulitatem eorum Exod.18.ann.2.pag.242.*
Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.Numer.21.Annotat.quarta.pagina.503.
Super ægros manus imponent.Leuit.9.ann.1.pag.342.

EX LVCA.

Cap.1. *De filiabus Aaron.Exod.6.annot.4.pag.200.*
Sorte exijt vt incensum poneret.Num.8.annot.1.p.450.
Erit enim magnus coram Domino.Gene.13.anno.4.pag.51.
Quoniam virum non cognosco.Exod.5.anno.2.p.296.
Non erit impossibile apud Deum omne Verbum.Nu.11.an.6.p.463.
Exurgens autem Maria in diebus illis abijt.Gene.30.an.3.p.100.
Quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.Leui.18.anno.5.p.370.
In domo Dauid pueri sui.Genes.22.annot.2.pag.81.
Cap.2. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum.Deut.17.annot.1.p.598.*
Positus est in signum cui cõtradicetur.Num.21.anno.4.p.503.
Cap.3. *Qui fuit Heli.Num.3.ann.5.p.431.*
Qui fuit Sale, Qui fuit Cainam, Qui fuit Arphaxad. Genes.11.ann.4.pa.45.
Cap.4. *Spiritus Domini super me.Exod.23.anno.3.p.261.*
Cap.5. *Secus stagnum Genesareth.Num.34.anno.4.pa.544.*
Cap.7. *Misit ad eum seniores Iudæorum. Genes.50.an.1.p.179.*
Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est.Deuter.34.annot.5.pag.651.
Cap.8. *Cæteris autem in parabolis.Num.23.annot.2.p.511.*
Cap.10. *Oleum infundens & vinum.Gen.28.anno.2.pa.103.*
Cap.11. *Panem nostrum quotidianum.Gene.47.an.5.p.165.*
Cap.12. *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris.Deute.22.ann.2.pag.611.*
Cap.14. *Et non odit patrem suum.Gen.43.anno.1.pag.152.*
Cap.16. *Qui induebatur purpura & bysso.Exod.26.ann.1.p.272.*
Recepisti bona in vita tua & Lazarus similiter mala.Leuit.5.anno.3.p.329.
Cap.17. *Ite & ostendite vos sacerdotibus.Leuit.27.ann.3.p.419.*
Cap.18. *Putas inueniet fidem in terra? Genes.3.ann.12.p.20.*
Ieiuno bis in Sabbato.Gen.1.ann.7.p.7.
Gen.20. Forsitan cum hunc viderint verebuntur.Genes.3.annot.12.pag.20.
Cap.21. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.Num.32.ann.3.p.537.*
Cap.24. *Stetit Iesus in medio eorũ.Gen.23.anno.5.p.84.*

EX IOANNE.

Cap.1. *Vita erat lux hominum.Exo.4.ann.4.p.194.*
Tenebræ eam non comprehenderunt.Gen.40.anno.3.pa.141.
Tu es propheta? Deut.18.an.3.p.601.
Hæc in Bethania facta sunt.Num.20.ann.8.pag.499.
Tu vocaberis Cephas.Gene.33.an.1.p.119.
Cap.3. *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto.Num.21.anno.4.p.503.*
Cap.5. *Cũ exaltaueritis filium hominis tũc cognoscetis quia ego sum.Num.21.annot.4.p.503.*
Cap.6. *Hic est vere propheta qui venturus est.Deut.18.ann.3.p.601.*
Est scriptum in prophetis.Gene.23.annot.2.pag.84.
Cap.7. *Vbi est ille.Genes.39.ann.3.p.138.*
Cap.8. *Ille Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare.Leuit.20.anno.3.p.138.*
Ille homicida erat ab initio.Genes.2.ann.8.pag.14.
Nunc cognouimus quia Dæmonium habes.Genes.22.ann.4.p.81.
Cap.10. *Et ambulabat Iesus in templo.Num.20.anno.6.p.499.*
Cap.12. *Qui misit me Pater ipse mihi mandatum dedit.Deut.18.ann.4.p.602.*
Cap.14. *Pater maior me est.Deut.18.annot.4.p.602.*
Sicut mandatum dedit mihi pater sic facio.Deut.18.ann.4.p.602.
Cap.15. *Si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea.Deut.18.annot.4.pag.602.*
Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.Deutero.26 annot.4.p.624.
Cap.17. *Vt sint vnum sicut & nos.Gene.33.annot.4.pag.119.*
Cap.20. *Vna autem sabbati. Gen.1.annot.8.pag.7.*

EX ACTIS
Apostolorum.

Cap.2. *Et erit in nouissimis diebus. Genes.33.ann.1.p.119.*
Cap.7. *Apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia.Gen.12.an.1.p.48.*

Post-

Postquam mortuus est pater eius. Genes. 12. anno.3.p.48.
Quod emit Abraham pretio argenti. Genes. 33.anno.6.p.119. Num.3.an.5.p.431.
Accepisti legem in dispositione angelorum Leuit.1.anno.2.p.317.
Cap.9. *Vas electionis est mihi iste.* Nume.4. anno.4.p.436.
Circumsteterunt Petrum omnes viduæ flentes. Deut.34.anno.3.p.650.
Cap.13. *Quod dictum est in prophetis.* Gene. 23.ann.2.p.84.
Cap.18. *Sanguis vester super caput vestrum.* Leuit. 20.anno.2.pag.384.

EX EPISTOLA AD Romanos.

Cap.1. *Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Exod.31.ann.3.p.289.
Cap.2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ.* Deutero.32.anno.10.p.644.
Et reuelationis iusti iudicij Dei. Genes. 26. ann.2.pag.96.
Cap.13. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* Deut.6.ann.1.p.570.
Omnes peccauerũt & egent gloria Dei. Exo. 40.ann.2.p.314.
Cap.4. *Sic erit semen tuum.* Genes.15.anno. 1.p.56.
Cap. 6. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore,* Num.6.ann.3.p.444.
Cap. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam,* Genes. 23. ann.4.p.84.
Cap.9. *Quia in hoc ipsum excitaui te.* Leuit. 22.ann.6.p.394.
Cap.10. *Christus ad iustitiam omni credenti.* Num.21.ann.4.p.503.
Palam apparui ijs qui me non interrogabãt. Gen.49.ann.p.175.

1. CORINTH.

Cap. 1. *Qui factus est nobis sapientia & iustitia,* Exod.28.ann.4.p.280.
Cap.3. *Et secundum hominem ambulatis,* Genes.6.anno.2.p.29.
Cap.5. *Ita vt vxorem patris sui aliquis habeat,* Leuit.18.ann.2.p.374.
Cap.6. *Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur,* Gene.2.ann.15.p.15.
Cap.7. *Mulier sui corporis potestatem nõ habet sed vir,* Gene.2.ann.15.p.15.
Cap.8. *Sunt qui dicantur Dij,* Gen.33.ann. 4.p.119.
Cap.9. *Non alligabis os boui triturãti,* Deuteron.25.annot.2.pag.621.
Nunquid de bobus cura est Deo? Leui.19.an. 3.p.380.
Cap.10. *Petra autem erat Christus.* Gene.41 anno.2.p.145.
Cap.11. *Inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi,* Leuit.10.anno.1. pag.347.
Cap.15. *Non omnis caro eadem caro.* Nume. 11.anno.4.p.462.

2. CORINTH.

Cap.1. *Ego testem Deum inuoco.* Gen.42.annot.1.pag.149.
Cap.6. *Ecce nunc dies salutis.* Gen.2.annot. 3.pag.13.
Nolite iugum ducere cum infidelibus, Gene. 34.annot.1.p.122.
Cap.9. *Qui seminat in benedictione de benedictionibus & metet.* Leuit.25.annot. 3.pag.408.
Cap.10. *Sicut serpens Heuam seduxit astutia sua,* Gene.3.anno.3.p.18.
Quinquies quadragenas vna minus accepi. Deut.25.ann.1.p.621.
Ca.12. *Cum essem astutus dolo vos cepi.* Gen. 27.annot.4.pag.100.

AD GALATAS.

Cap.1. *Vt eriperet nos de præsenti populo nequam.* Exod.21.anno.4.p.254.
Cap.3. *Iustus ex fide viuit.* Leuit.18.annot. 1.pag.374.
Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, Gen.43.anno. 1.Deut.27.anno.4.p.626.
Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Deut.7.ann.1.p.572.
Ordinata per Angelos in manu mediatoris Leui.1.ann.2.p.317.
Cap.4. *Persequebatur eum qui erat secundũ spiritum.* Gene.21.ann.2.p.78.
Cap. 5. *Quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Leuit.22.ann.7.p.394.
Cap.6. *In Christo neque circuncisio aliquid valet neque præputium, sed noua creatura.* Num.28.ann.3.p.525.

AD EPHESIOS.

Cap.1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo.* Num.6.ann. 5.pag.443.
Cap.4. *Sol non occidat super iracundiam vestram,* Exod.22.anno.4.p.258.

Digitized by Google

AD PHILIP.

Cap. 2. *Factus obediens vsque ad mortem.* Deut.18.anno.4.pag.602.

AD COLOSSEN.

Cap. 2. *Per philosophiam & inanem fallaciam* Gen.26.an.2.pag.160.& Gen. 32. annotat. 1. pag. 116.

1. AD TIMOTH.

Cap. 4. *Pietas ad omnia vtilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ.* Exod.20.ann.4.pa.251.Deut.22. annot.3.pag.612.

In hoc enim laboramus & maledicimur. Leuit.22.ann.6.pag.594.

2. AD TIMOTH.

Cap.2. *Nouit Dominus qui sunt eius.* Num. 21.ann.6.p.504.

AD TITVM.

Cap. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos.* Num.24.annot.3.p.514.

AD PHILEMONEM.

Cap. 1. *Fidem quam habes in Domino Iesu.* Num.3.annot.6.pag.431.

AD HEBRAEOS.

Cap. 6. *Et dilectionis quam ostendistis in Nomine ipsius.* Leuit.8.ann.3.Num.3.anno. 6.p.431.

Cap.9. *Quæ dicitur Sancta.* Num.18.annot. 5.p.491.

Tabernaculum quod dicitur Sancta sanctorum aureum habens thuribulum. Exo.40. annot.1.p.313.

In qua vrna aurea habens Manna & virga Aaron. Num.17.annot.2.p.486.

In secundo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine. Exod.40. annot.1. pag. 313.

Cap.10. *Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Leuit. 21.annot.4.pag.389.

Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hostia. Num.15. anno. 6.pag.478.

Duobus vel tribus testibus moritur. Leuit. 5. annot.4.pag.329.

Cap.11. *Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo.* Gene.4.ann.2.p.23.

D. IACOB.

Cap.1 *Accipiant coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* Deut.6.ann. 1.pag.570.

1. PETRI.

Cap. 2. *Rationabilis & sine dolo lac concupiscite.* Gene.49.ann.11.p.175.

2. PETRI.

Cap. 1. *Ministrate in fide vestra virtutem.* Gene.32.annot.2.pag.116.

Cap.2. *Prohibuit Prophetæ insipientiam.* Numer.22.anno.3.p.508.

APOCALYP.

Cap.1. *Et in medio septem candelabrorum.* Gen.23.ann.5.pag.84.

Cap.3. *Ambulabunt mecum in albis.* Deut. 18.ann.2.p.601.

Cap.5. *Vicit leo de tribu Iuda radix David.* Gene.29.ann.2.p.106.& cap.49. annot. 5.pag.174.

Cap.7. *Ex omni tribu filiorum Israel.* Num. 1.annot.1.pa.423.

Benedictio & claritas & sapientia Deo nostro. Deut.28.anno.1.p.630.

Cap.10. *Erit dulce tanquam mel.* Num. 17. ann.3.p.486.

Cap.11. *In conspectu Domini terræ stantes.* Num.17.ann.3.p.486.

Cap.14. *Nec habebat requiem die ac nocte.* Gene.2.ann.1.p.13.

Cap.19. *Vestitus erat veste aspersa sanguine.* Gen.49.an.13.p.176.

Cap.21. *Ecce noua facio omnia.* Gene.1.ann. 5.pag.7.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM

quæ in Annotationibus ad Paraphrasim intertextam continentur.

A.

AARON & Maria cur increpentur coram Moyse, Num. 12. Annot. 3. pag. 465.
Abarim significat quandam diuersorum montium aggregationem Num. 27. annot. 1. pag. 512.
Abijcere pro non curare. Genes. 25. annota. 4. pag. 79.
Abimelech regiæ dignitatis nomeclatura. Genes. 26. ann. 4. p. 97.
Ablatio de spiritu Moysi metaphoricè significat communicationem similis spiritus. Num. 11. annot. 5. p. 461.
Abominatio pro idolis. Exod. 8. ann. 5. p. 206.
Abraham non fuit primogenitus Thare. Gene. 11. ann. 6. p. 45.
Abraham non fuit natus anno septuagesimo Thare. Gen. 12. ann. 3. p. 48.
Abrahæ prudentia. Gen. 12. ann. 4. p. 48.
Abrahæ duplex fuit facta promissio. Gene. 15. anno. 6. p. 57.
Abraham ex Dei nutu plures accepit vxores. Gen. 16. anno. 1. p. 60.
Abrahæ apparuit Deus specie visibili. Gen. 17. anno. 1. p. 61.
Abraham insignis victoria. Gen. 14. an. 3. p. 53
Abrahæ semen, qui dicantur, Gen. 21. annot. 3. pag. 78.
Abrahæ semẽ sterilis & arenæ cur comparetur. Gene. 22. ann. 5. p. 81.
Abraham nõ nisi mortua Sara accepit Ceturam in vxorem, Gen. 25. an. 19. p. 19.
Abram nomen mutatur in Abraham. Genes. 17 ann. 2. p. 63.
Absentia interdum demonstrantur. Nume. 14. anno. 1. p. 473.
Abyssus magna vocatur Aqua subterranea. Genes. 17. ann. 3. pag. 32.
Adam an fuerit senior quàm Mathusala. Gene. 5. ann. 5. p. 26.
Adeps non in vniuersum, sed aliquis prohibitus fuit Iudæis. Leuit. 3. ann. 5. pag. 323.
Adhuc id est post. Exod. 17. ann. 2. p. 238.
A diebus in dies pro ab anno in annum. Exod. 13. ann. 2. pag. 223.
Ad os familiæ idem est quod singulis. Gen. 47 ann. 3. pag. 164.
Ad prædam ascendere conuenit Christo. Gen. 49. an. 7. p. 174.
Aduetus Mesiæ petebatur in benedictionibus legalibus. Num. 6. an. 5. p. 443
Aduenarum seu peregrinorum quidam erãt circuncisi alij vero minime. Num. 9. an. 3. p. 454
AEgyptus solet vocari Mesraim & terra Cham & Campus Taneos. Gen. 10. an. 7. pag. 42.
AEthiopia duplex orientalis & occidentalis. Gen. 12. ann. 13. p. 14. & Num. 11. annot. 2. pag. 465.
AEdificare idest, familiam filijs adaugere. Exo. 1. anno. 4. pag. 183.
Afflictio AEgyptiaca multipliciter pro filijs Israelitis. Exo. 5. anno. 4. p. 196.
Agar diuersa fuit à Cetura. Gen. 25. annot. 1. pag. 91.
Agna vel ouis est genus monetæ argenteæ. Genes. 33. ann. 6. p. 119.
Agnus interdum ponitur pro alijs etiam victimis, Leuit. 3. ann. 3. p. 311.
Agnus paschalis vel non erat sacrificium, vel reducebatur ad hostiam pacificam. Num. 9. an. 2. pag. 453.
Alienigenæ quinam excludebantur à consortio Israelitarum. Deut. 23. an. 2. p. 615.
Altare incensi non extitit intra sancta Sanctorum, Exod. 40. ann. 1. p. 313.
Altare habuit rimulam instar alui pro sanguine victimarum, Exod. 29. ann. 1. p. 284.
Altaris holocaustorum cur dicatur perpetuus, Leui. 6. ann. 3. p. 332.
Altaria sacrificia soli Deo dicantur. Gen. 8. annot. 3. p. 34.
Amalecitæ & Chananæi, quinam dicantur, Nume. 14. ann. 5. p. 474.
Amorrhæi cur soli nominentur loco omnium Chananæorum, Genes. 15. ann. 4. pag. 57.
Amorrhæi quales fuerint, Genes. 15. annot. 42 pag. 57.
Amraphael, qui fuerit, Gen. 14. ann. 1. pa. 53.
Angelus non Sephora dimisit Moysen, Exo. 4. ann. 6. p. 194.
Angelus erat qui cum Moyse loquebatur. Exo. 3. ann. 1. p. 188
Animæ omnes qualiter sint sexto die creatæ, Gene. 2. anno. 1. p. 13.

Ani-

Animæ creatio cur dicatur inspiratio. Gene.2. ann 4.p.13.
Anima specialiter applicatur faciei. Gen.2. annot.5.p.14.
Anima viuens pro homine, Gen.2.an.7.p.14.
Animalia munda, quæ erant ante legem, Gene. 7.ann 1 p.32.
Animalium tria genera non introierunt in arcam, Gen.7.an.2.p.31
Angeli conspectus retraxit Balaan ne malediceret Israelem Num.22.ann.4.p.508.
Anima interdum ponitur pro vita corporali, Gene.31.an.3.p.131.
Animæ specialis mentio fiebat in sacrificijs, Leuit.2, annot.1.p.320.
Anima pro vita corporali. Exo.21, an.6.p.155
Anima interdum sumitur pro officio funeris, Leuit.21.an.2.pag.383.
Anima multa significat in sacris literis. Leuit. 27 ann.1.pag.318.
Animalia plura offerebantur in hostijs pacificorum, quam in alijs sacrificijs. Num.7.ann.4. pag 447.
Annas, & Caiphas non fuerunt simul summi sacerdotes. Leuit.17.an.3.pag.419.
Anni quadringenti triginta qualiter cõputandi, Exod.12.an.8.p.210.
Angelus præcursor populi fuit Michael. Exod. 23 an.4 p.261.
Ante Solis occasum idem quod statim, Deute. 24.an.3.p.619.
Ante solis occasum, idest statim, Exo.22.anno. 4.pag.258.
Anticipatione vtitur scriptura. Exo. 16. anno. 4.p.236.& cap.18.anno.3.p.241.
Annus extremus quanter computandus. Gen. 5.ann.1.pag 25
Anni antiquorum æquales fuere nostris, Gen. 5 an.2.pag.25.
Apponere manum super aliqué quid sit. Nume. 27.an.3.p.522.
Appendere pecuniam pro numerare. Genes.23. ann.6.p.84.
A principio pro eo quod est prius tempore. Genes.1.ann.8.pag.14.
Aqua communis aliquando requiritur ad emundationem. Deut.23.ann.4.p.615.
Aquæ superiores idem quod media regio aeris Gene.1.an.9.pag.7.
Aquæ lustrationis multis in locis asseruabantur. Num.19.an.1.p.494.
Aqua decurrens appellatur viua. Leui. 14. ann. 1.pag.359.
Aquę Raphidim & Cades diuersæ. Exo.17.an. 1 p.238.
Aquila ob quatuor proprietates est symbolum impiorum. Leuit.11.ann.2.an.p 348.
Arca non portabatur in medio castrorum, sed præcedebat. Num.10.an.5.p.458.
Armorum significatur in ordine castrorũ. Exo. 13.an.2.p.2
Artis pastoritiæ commendatio, Gen.47. anno. 1.pag.164.
Arca fœderis non nisi à sacerdotibus deferebatur, Deut.31.an.4.pa.639.
Arphaxad cur dicatur genuisse nepotem tacita generatione filij. Gen.11.an 4 p.45.
Arbor vitæ etiam peccatores à morte præseruasset, Gen.3.an.14.p.20.
Atri locus extra altare etiam erat Sãctus. Exo. 29.an.6.p.285.
Articulus diei quid dicatur. Genes.7. annot.4. pag.32.
Arcus Dei cur vocetur Iris, Gen.9.an.3.p.38.
Arabes distincti à Sabæis. Gen.10.an.8.p.42.
Arcæ vectes præcipiuntur induci per ipsa arcæ velamenta, Num.4.an.1.p.435.
Asina Balaam absque vllo miraculo locuta est. Num.22.an.3.p.508.
Aues quæ reputabantur immundę in lege veteri. Deut.14.ann.1.pa.590.
Auium immundarum pluresfunt nobis incognitę, Deut.14.anno.2.p.591.
Auferre sanguinem innoxium quid sit, Deut. 19.an.3 p.604.
Auium & piscium magna est similitudo. Gen. 1.an.16 pag.9.
Autem pro cęterum.vel, &. Num. 31. annot. pag.533.
Augurari dupliciter dicitur, proprie & metaphorice, Gen.44 ann.2.p.156.
Aura post meridiem pro tempore vespertino. Gene.5.an.6.p.19.

B.

Balam prophetia accommodatur regi Dauid. Num.24 an.4.p.514.
Balaam superstitiose & in malum finem erexit septem aras. Num.23.an.1.p.510.
Basan est nomen prouincię non vrbis. Deu.13. ann.1 p.501.
Bases tabularum quales. Exo.26.an.5.p.275.
Bellum illatum Madianitis cur vocetur vltio Domini. Num.31.an.1.p.533.
Beatitudo vniuersalis interdum de pluribus tãtum intelligitur, Num.32.an.4.p.537.
Benedici in aliquo dupliciter contingit, Gene. 12.an.2.p.48.
Benedicere pro gratiam impartire. Genes. 17. anno.5.p.64.
Benedicere tria significare potest. Deutero.28. anno.1.p.630.
Benedictiones & maledictiones Deuteronomij pertinent ad secundum fœdus. Deut.28.ann, 6.p.631.
Benedictio Isaac erat inuestitura primogenitutę. Gen.27.ann.1.p.100.
Benedictio pro abundantia & multiplicatione, Leuit.25.an.3.p.408.
Beneficia collata Israelitis superarunt ipsorum fortitudinem, Deut.8.an.3.p.575.
Beniamitæ extiterũt bellatores fortissimi. Genes.49.an.17.p.177.
Beseleel opifex tabernaculi quam fuerit. Exo. 31.ann.1.p.289.
Bethel duplex fuit. Gen.29.an.4.p.101.
Bibere vinum pro inebriari, Gene.19. anno.5. pag.72.

Digitized by Google

Blaſphemiæ pœna ob quam occaſionem fuit la-ta.Leui.24.ann.4.p.403.
Bonum vel malum, id eſt leue vel triſte. Leuit. 5.ann.3.pag.319.
Boues ponuntur aliquando pro tauris vel vitu-lis.Num.7.an.3.p.447.
Boues & ſpicæ ſigna ſterilitatis & fertilitatis, Gen.41.an.3.pag.146.
Byſſus Iacynthus purpura & coccus quæ di-cantur.Exod.20.an.1.p.171.

C.

CAdes idem quod fons Miſphat.Geneſ.14. an.2.p.53.
Cades multipliciter nominatur in ſcriptura.Nu me.13.an.4.p.469.
Cades & Cadesbarne vnum eundemque locum ſignificat.Num.33.an.5.p.541.
Cain ſacrificium ingratum fuit ob defectum fi dei.Gen.4.an.1.pag.13.
Caluus & recaluaſter, in quo differunt: Leu.13. ann.1.p.354.
Caligo nubis deſignat Dei præſentiam. Exod. 19.an.3.p.145.
Caphtorin idem quod Capadoces.Gen.10.an. 13.pag.42.
Capitis ſententiam ferre non poterant Iudæi ſine præſidis Romani cōſenſu.Num.35.ann. 5.pag.347.
Carnium eſus non præcipitur, ſed conceditur. Gen.9.an.2.p.37.
Carnium nomine etiam ſignificantur piſces. Num.11.ann.4.p.462.
Caſtrare animalia licitum erat Iudæis non tamē offerre caſtrata.Num.7.an.3.pag.447.
Catulus leonis non ſignificat Dauidē ſed Chri ſtum,Gen.49.an.6.p.174.
Cauſa interdum ſtat pro negocio,Gen.37. an. 1.pag.131.
Cauſales non ſemper ad id quod proxime præ-cedit ſed aliquando ad id quod remotum eſt refertur,Leuit.19.an.5.p.381.
Cethim pro Italis ſiue Romanis & pro Græcis. Gen.10.an.6.p.41.
Chaldæi fuerunt à Deo puniti.Deut. 30. anno. 1.pag.636.
Chananæorum & Pherezæorum habitationis cur meminit ſcriptura.Gen.13.an.1. pa. 50.
Cherogrillus ſeu Herinaceus, quale animal erat,Leui.11.ann.1.p.347.
Chibrath ideſt verno tempore dictio eſt ambi-gua apud Hebræos.Gen.35.an.3.p. 125.
Chriſtus comparabatur viti.Gen.49. anot. 12. pag.176.
Chriſtus vitis non eſſet niſi Deus eſſet, Geneſ. 49.an.12.p.176.
Chriſto vere fuerunt impoſita præcepta & ipſe proprie obediuit in quantum homo.Deuter. 18.an.4.p.602.
Cinis de Camino,quid dicatur.Exo.9.annota. 1.pag.209.
Circunciſionis præceptū ſolos adultos adſtrin-gebat.Gen.17.ann.3.p.63.
Circunciſionis præceptum à tempore Abrahæ cæpit obligare.Gen.17.an.4.pag.64.
Circunciſio differri poterat ex legitima cauſa. Geneſ.17.an.4.pag.64.
Ciuitates refugij quantum ſpacij requirebant. Num.35.ann.2.p.546.
Clamor pro magnis & manifeſtis peccatis. Ge-neſ.18.an.3.p.67.
Clamor Moyſi fuit ardens eius oratio. Exo.14 an.3.p.217.
Clangor buccinarum fiebat in anno precedenti iubileum,Leuit.25.an.2.p.408.
Clangor non fiebat ſuper hoſtias pro peccato. Num.10.an.2.p.457.
Clangor triplex tubarum fuit præceptus Iſrae-litis,Num.10.an.1.p.457.
Cognatio ſeu familia dupliciter ſumitur, Num. 36.an.1.p.549.
Cognatus occiſi cur vocetur Redemptor, Nu-mer.35.an.4.p.547.
Coloni multipliciter dicuntur,Exod.12.anno. 9.pag.212.
Columna nubis & ignis vna eademque fuit, Exod.13.an.4.p.214.
Columna tantum vna erat in quolibet angulo, Exod.27.an.2.p.235.
Columnæ atrij an fuerint veſtitæ argēto.Exo. 38.an.1.p.309.
Codicibus Græcis nullatenus ſtandum eſt in an norum ſupputatione,Gen.5.an.4.p.16.& Gen.11.ann.5.p.45.
Cœlum & firmamentum idem ſignificant.Ge-neſ.1.an.13.p.8.
Cœlum vocatur Dei theſaurus,Deut.28.ann. 2.pag.630.
Cœlum & terra dupliciter ſumuntur, Deut.30 an.3.p.636.
Cœli & terræ appellatione totus mundus ſigni ficatur.Gen.1.an.3.pag.6.
Coire pro adunari vel conſociari.Leuit.19.an. 4.pag.381.
Coire cum menſtruata aliter in foro conſcien tiæ & aliter in foro exteriori puniebatur,Le uit.15.an.4.p.363.
Comedere quommodo contingat ſpiritibus, Geneſ.18.an.2.pa.67.
Comminationes diuinæ ſemper ſunt veræ.Ge-neſ.20.an.1.p.74.
Compago tabularum tabernaculi qualis fuerit, Exod.26.an.7.p.273.
Communem effici vineam vel domum quid ſit.Deut.20.an.1.p.608.
Conuerſio aquarum in dulcedinem fuit mira-culoſa.Exo.15.an.5.p.231.
Concordia Moyſi cum verbis Ieremiæ, Exod. 20.an.6.p.251.
Concupiſcentia Hebræorum fuit ex deſuper abundanti carnium comeſtione.Num.11. an no.2.pag.462.
Conſortiū cum alienigenis prohibebatur.Deu. 23.an.3.p.615.
Conuentio inter Iacob & Laban qualis fuerit, Geneſ.30.an.3.p.110.
Cōiugia per ſeptē dies celebrātur.Gen.29.ann. 1.p.106.

Con-

Concordia locorum Moysis & Diui Stephani. Gene.46.an.3.p.161.
Congregari ad populum suũ significat descensum animę ad lymbum Sanctorum Patrũ. Genes.49.an.18.p.177.
Coram Domino pro in Dei honorem. Exo.18 an.1.p.141.
Correctionis fraternę fructus præscribitur in vtroque testamento, Leuit.19.an.1.p.380.
Cornua pro radijs erectis. Exo.27.an.1.pa.175.
Core filij miraculose non perierunt in seditione patris. Num.26.an.1.p.519.
Core pereunte cur nõ perierint eius filij. Num. 16.an.4.p.484.
Coram Deo pro in rei veritate, Gen.13. an.4. pag.51.
Corruptio terræ AEgypti, Exo.8.an.4.p.106.
Creare tripliciter accipitur in sacris literis, Genes.1.an.1.p.5.
Creaturæ traduntur homini tanquam reddituro de eis rationem, Gen.1.an.1.p.5.
Cras, id est, futuro tempore, Genes. 30.anno. 2.p.110.
Crimen pessimum est discordia fratrum. Gene. 45.an.3.p.159.
Craticula altaris thymiamatis quæ erat, Exod. 30.an.1.p.287.
Crucis signum fiebat in oblatione primitiarum Deut.2.an.1.p.613.
Cubitus duplex vulgaris & Geometricus, Genes.6.an.6.p.29.
Cultus sempiternus, qui dicatur, Exod.12.an. 3.p.210.
Custodia sabbati quid habeat cum eductione populi de AEgypto. Deut.5.an.4.p.568.
Cubitus virilis manus est cubitus visualis. Deu. 3.an.3.p.561.
Cum aliquando stat pro coram, Deut.18.an.2. pag.601.

D.

DAn prophetia magis congruit Sansoni quã Antichristo, Gen.49.an.15.p.176.
De, aliquando stat pro In, Detero.33.annota. 2.pag.648.
Decem vicibus, id est multoties. Genes.31.an. 2.pag.114.
Decima pars absolute vocatur quæ talis est respectu Ephi, Leuit.14.an.3.p.359.
Decimarum quasdam edere non licebat extra Sanctuarium, Deuteron.12.annotat.4. pag.586.
Decimæ & primogenita erant in duplici differentia, Deut.14.an.3.p.591.
Decima quædã inducitur pro pauperibus. Deu. 14.an.4.p.591.
Deceptio in causa matrimonij, Deuter.22.an. 6.pag.612.
Dedanæi & Idumæi socij. Genes.10.annotat. 10.p.41.
Defectus aliquos permittit Deus in suis electis. Exod.4.an.2.p.235.
Deleri de libro vitæ, in quo sensu expresserit Moyses, Exod.32.an.5.p.293.
Dei inquerere in domum quid dicatur. Leuit.5. anno.7.p.319.
Delicti conuictus quis dicebatur in lege sacrificiorum. Leuit.6.an.2.p.332.
Dei primum nomen est Elohim, idest, Iudices, Gene.1.an.2.p.5.
Deus cur potius minatur mortem quam alia mala, Gen.2.an.14.p.15.
Deus cur dicatur laus hominis, Deute.10.ann. 3.pag.580.
Deum faciem suam ostendere vel abscondere quid significet, Gen.4.an.6.p.23.
Dei longanimitas quid importet. Gen.18.ann. 4.pag.67.
Deus vnicuique præbet necessaria, Exod. 15. an.2.pag.235.
Deus Abraham quid insinuet. Genes.26.ann. 3.pag.96.
Deus qualiter puniet iniquitatem patris in filio. Exod.20.annot.1.p.242.
Deus non cõtinue loquebatur ad Moysen. Exo. 32.an.5.pag.293.
Deus nõ Moyses expressit diuina epiteta. Exo. 34.an.1.pag.299.
Deus spirituum vniuersæ carnis quid significet, Numer.16.an.3.pag.484.& Nume.27. annot.2.pag.522.
Deus duplex beneficium contulit populo suo. Leuit.7.annot.2.pag.572.
Deuteronomium iussit Moyses exarari super lapides, Deut.27.an.2.p.616.
Deuteronomium non fuit appositum intra arcam, Deut.31.an.5.p.639.
Dicere pro cogitare, Gen.24.an.1.p.89.
Dignum pro æquali & sufficienti, Gene.23.an. 4.pag.84.
Dispersio gentium facta post diluuium vtilis fuit generi humano. Gen.11.an.3.p.45.
Digitus Dei tripliciter exponitur, Exo.8.ann. 2.pag.106.
Dies Pentecostes qualiter computandi, Leuit. annot.3.p.399.
Dilectio naturalis est, de qua loquitur Moyses. Leui.6.an.3.p.570.
Dies dupliciter accipitur, Gene.1.an.6.p.7.
Dies pro vna qualibet temporis parte, Gene.2. annot.3.p.13.
Diabolus in imagine tantum externa ostendit Christo regna mundi & Ciuitatem sanctam, Deut.34.an.1.p.650.
Dominus cur in rubo apparuit Moysi. Exo.3. anno.2.pag.189.
Dominiũ Dei multipliciter excedit dominiũ creaturarum. Num.3.anno.8.p.432.
Dolere in partu naturale est fœminis. Genes.3. annot.11.pag.19.
Dux Iudæ vocabatur quicumque super eam tribũ principatũ gerebat. Gen.49.an.9.p.175

E.

EBrietas interdum accipitur pro magna copia, Gene.43.an.6.pa.153.
Edom interdum stat pro Esau interdũ pro Idumæis, Genes.36.annot.2.pag.127.

Digitized by Google

Ecclesia & Synagoga differunt, Deut.23.an.1. pag.615.
Effundi sicut aquam significat esse incontinentem, Gen.49.an.3.p.173.
Egressus pro inchoatione operis, Exo.1.ann.1. p.185.
Egredi de ore significat voluntariè operari, Deute. 8.an.1.p.575.
Egredi & ingredi quid dicatur, Deut.31.an.1. p.639.
Egredi seu procedere actionem omnino voluntariam significat, Genes.14. annot.4. pag. 89.
Egressus pro inchoatione operis, Exo.12.an.5. pag.110.
Eloha solet significare iudicem humanum, Leuit.14.an.5.p.403.
Electio duplex est alia subsequens alia præueniens, Deut.16.an.4.p.615.
Emath duplex, altera minor altera magna, Nu. 34.an.3.pag.543.
Ephod duplex commune & particulare, Exod. 28.an.2.p.179.
Esse in medio quid dicatur, Genes.2.annot.9. pag.14.
Esau quando excutit iugum fratris sui. Gen.27 an.6.p.101.
Esse pro significare, Gen.41.an.2.pag.145.
Esse pro haberi vel credi, Gen.41.an.2.p. 149.
Et coniunctio dupliciter sumitur, Num.19.an. 6.p.479.
Et pro idest, Gen.16.an.1.pag.96.& Gen.31. an.1.p.116.
Et signum solet esse admirationis, Gen. 40.an. 4.p.142.
Eunuchi erant præfecti ministris regijs, Genes. 40.an.1.p.140.
Ex præpositio solet multipliciter sumi, Nu.24. an.3.p.514.
Extendere manum pro infligere pœnam, Gen. 22.an.3.p.81.
Exclusiua dictio non semper totum excludit, Num.6.an.1.p.443.
Extremum tempus quid significet, Deut. 31. an.6.p.639.
Expectari dicitur quodcunque appetitur, Gen. 49.an.10.p.175.
Extendere manus idest benedicere, Leuit.9. an.1.p.342.
Exploratores assumpti sunt ex vnaquaque tribu, Num.13.an.2.p.468.

F.

FAcie ad faciem quid denotet, Deut.5.ann. 1.p.568.
Faces pro furore seu indignatione, Gen. 16. an.2.p.60.
Factum aliquid dicitur cum fit, Gen.43. an.3. p.153.
Ferri Spiritum sanctum super aquas est eas ad fœcunditatem præparare, Gen.1.an.4.p.6.
Festiuitates Israeliticæ duo genera operum prohibebant, Leuit.23.an.2.p.399.
Festum pentecostes duplicata sacrificia exigebat, Leuit.23.an.4.pag.400.
Festiuitates relatæ à Moyse, Leui.23. ann.7.p. 400.
Festum expiationis duplicata sacrificia postulabat, Leuit.23.an.6.p.400.
Festum neomeniæ quale fuerit, Num.28.an.3. p.515.
Festum cur potius celebrabatur in nouilunio quam in plenilunio, Num.28 an.3.p.515.
Fieri in caput vel in caudam est honorari vel despici, Deu.28.an.3.p.630.
Filiæ nobilium intendebant alendis gregibus, Exo.2.an.3.p.186.
Filij Dei vocantur posteri Seth, & Enos, Gen. 6.an.2.p.29.
Filio peccante cur nepos maledicatur, Gen. 9. an.6.p.38.
Finis ædificantium turrim Babel, Gen. 11.an.2 p.45.
Firmamentum & cœlum easdem res significãt, Gen.1.an.13.p.8.
Flagellorum numerus præfigitur iudicibus Hebræis, Deut.25.an.1 p.623.
Fluere lacte & melle quid dicatur, Exo. 3.an.4. p.189.
Fluuius absolute stat pro Euphrate. Exo.23. an.6.p.261.
Fons Misphath, idem quod Cades, Gen.14.an. 2.p.53.
Fons & puteus interdum sunt idem, Gen.16. an.3.p.60.
Fortitudo Dei multis modis dicitur magnificari, Num.14.an.4.p.473.
Fratres interdum dicuntur cognati, Genes.13. an.2.p.50.
Fumare, seu stillare furorem idem est quod punire, Deu.29.an.1.p.634.
Fundi sanguinem in basem altaris quid sit, Leui 4.an.6.p.326.
Funeris officium quodammodo fuit prohibitum veteribus sacerdotibus. Leui.21. an.1. p.388.
Funes vel funiculi nomine duo significantur Deut.32.an.2.p.643.
Funeris pompa apud Hebræos in quo consistebat, Deut.34.an.3.p.605.
Funeris pompa non per æquale tẽpus omnibus adhibebatur, Deut.34 an.4.p.651.
Funiculi & fimbriæ idem sunt, Deut.22.an.5. p.622.
Furti lex habet quinque membra, Exo.22.an.1. p.258.
Futura pro præsentibus ac preteritis solent vsurpari, Exo.3.an.5.p.189.
Futurum pro eo quod est iustum & æquũ, Gen. 18.an.5.p.67.
Futura aliquando significantur, Deut.32.an.3. p.644.
Futurum & imperatiuum promiscue vsurpantur, Deut.28.an.4.p.630.

G.

GAdgad est duplex, Numer.33. annota. 4. pag.541.

Gehon

Digitized by Google

Gehon longe differt à Nilo. Genes. 2. annot. 12. pag. 14.
Generationes Israelitarum fuerunt quatuor in AEgypto, Gene. 15. an. 3. p. 57.
Generalis locutio per materiam coarctatur. Numer. 4. anno. 3. p. 436.
Generatio sumitur pro diuturnitate vitæ vnius hominis, Num. 32. anno. 2. p. 537.
Genus masculinum comprehendit etiam fœmininum, Gene. 23. an. 1. pag. 84.
Gersonitæ non portabant omnes funiculos tabernaculi, Num. 4. ann. 4. pag. 436.
Gladius sumitur pro omni eo quod torquet. Exo. 5. an. 3. p. 196
Gloria Domini quid dicatur. Num. 16. annota. 2. p. 483.
Gloria vocatur, qua quis clarus ostéditur. Exo. 40. an. 1. pag. 314.
Gomer filij sunt propinqui Palæsthinis, Genes. 10. an. 2. pag. 41.
Gomor, qualis mensura sit, Exod. 16. annot. 6. pag. 236.
Gomor mensura sub pluribus nominibus designatur, Num. 28. an. 4. p. 525.
Gratia Hebræorum erga AEgyptios in duobus consistebat. Exod. 11. an. 2. pag. 215.
Gratis aliquando sumitur pro paruo pretio. Numer. 11. an. 3. p. 462.

H.

HEbraica lingua vsi sunt primi parentes, Genes. 4. an. 1. pag. 23.
Hebræi vnde dicti, Genes. 14. ann. 4. pag. 53.
Hebræorum nomine comprehenduntur omnes Chananæi, Gen. 43. an. 5. p. 153.
Hebræorum ac Gentilium dissimilis obedientia, Exod. 14. an. 1. p. 264.
Hebraismus quo patientia designatur. Exod. 34. annot. 2. pag. 300.
Hebræi Christũ per optabãt manus Gentilium morte crucis plecti, Numer. 35. annota. 5. pag. 547.
Hebræi restiterunt etiam Moysi in AEgypto. Exod. 14. an. 2. pag. 267.
Hebræi qua hora discesserunt ex AEgypto. Numer. 33. an. 3. p. 541.
Henoch vbi seruatus tempore diluuij, Gene. 7. an. 4. pag. 32.
Heri & nudius tertius, idest præterito tempore, Gen. 31. an. 1. p. 113.
Heuilath duplex est. Gene. 2. an. 11. p. 14.
Heuæ innotuit diuina prohibitio, Gen. 3. annot. 1. pag. 18.
Heuæ primum peccatum fuit mortalis displicentia præcepti. Genes. 3. an. 2. p. 18.
Heua hæsitauit de pœna mortis sibi inferenda. Gen. 3. an. 3. pa. 18.
Hobab alius fuit à Iethro socero Moysi. Num. 10. ann. 3. p. 457.
Hodie in scriptura non semper significat tempus præsens. Deut. 19. ann. 4. pag. 634.
Holocaustum primum locum obtinuit inter omnia sacrificia veteris legis, Leuit. 1. annot. 4. pag. 317.
Homicidium dupliciter sumitur. Deutero. 13. annot. 6. pag. 615.
Hominis creatio & sanctificatio magni est momenti, Gene. 1. an. 17. p. 9.
Homo duplici ratione est imago Dei. Gene. 1. anno. 18. pa. 9.
Homo tripliciter accipitur in scriptura, Gene. 6. annot. 2. p. 19.
Hor interpretatur mons. Numer. 33. annota. 6. pag. 541.
Hostiæ ex voto interdum offeruntur in holocaustum & in victima pacificorum. Numer. 15. ann. 2. pa. 478
Hostia legalis non dicitur nisi pro peccatis per ignorantiam, Num. 15. an. 6. pa. 478.
Hostia pacificorum, vnde dicta. Leuit. 3. anno. 1. pag. 322.
Hostia pacificorum & pro peccato ordinatur in finem holocausti. Leui. 3. an. 2. p. 321.
Hostia pacifica duplex, altera laudatiua, altera spontanea. Leui. 7. an. 2. pag. 336.
Hostia pro peccato etiam offerebatur pro immunditia inculpabili. Leuit. 12. annotat. 4. pag. 350.
Hostia pacifica & pro peccato solent sub alterno nomine comprehendi, Nume. 29. annot. 5. pag. 528.
Hostia pro peccato differt ab hostia pro delicto Leuit. 7. ann. 1. pa. 336.
Hyperbole vti solet scriptura. Gene. 6. anno. 3. pag. 29. & Gen. 41. an. 3. p. 149.

I.

IAcob excusatur à mëdacio etiam officioso. Genes. 27. ann. 3. p. 100.
Iacob lachrymis petijt benedictionem ab angelo. Gen. 32. ann. 4. pag. 117.
Iacob prudentia in occursu Esau. Gene. 33. annot. 1. p. 119.
Iacob quando sortitus est nomen Israel, Gene. 35. anno. 1. p. 125.
Iacob non præcipiendo, sed precando petijt officium funeris à Ioseph, Genes. 47. annot. 4. pag. 165.
Iacob benedicturus Ephraim & Manassem meminit mortis Rachelis, Genes. 48. annot. 3. pag. 167.
Iamuel idem qui Namuel, Genes. 46. annotat. 1. pag. 161.
Iaphet filij cur prius recensentur. Gen. 10. annot. 1. pag. 41.
Iauan pater Græcorum. Gen. 10. an. 3. p. 41.
Idumæorum duces quales fuerint. Genes. 36. anno. 3. p. 128.
Idumæorum multiplex fuit principatus, Genes. 36. anno. 5. p. 128.
Idumæa est terra montuosa. Deute. 1. annot. 2. pag. 559.
Idolum conflatum ab Israelitis, cuius fuerit simulacrum, Exod. 32. an. 1. p. 290.
Idololatriæ peccatum filius non tenebatur accusare patrem ex vi legis veteris, Deuter. 13. anno. 2. pag. 588.
Iehoua & qui est tanquam idem nomen reputantur,

cantur, Exod. 3. annot. 6. p. 189.
Iehoua nomen tetragrammaton excelluit alia, Exod. 6. annot. 2. pag. 199.
Ietæuatha est duplex. Num. 33. an. 4. pa. 541.
Ietro fuit vere sacerdos, Exod. 2. an. 2. p. 185.
Ignis pro appetitu vindictę, Deut. 31. anno. 4. pag. 644.
Illicitum & nefarium qualiter differant, Gene. 34. an. 1. pag. 112.
Imago Dei duplici ratione inuenitur in homine, Gen. 1. an. 18. pag. 9.
Immittere seu extendere manum est plagis afficere, Exod. 7. an. 1. pag. 202.
Immolans quare ponebat manus super caput victimę suæ. Leuit. 1. an. 5. pag. 317.
Imperatiuum solet poni pro futuro, Genes. 35. annot. 2. pag. 125.
Imperatiuum pro præterito indicatiui. Exo. 32. annot. 4. pag. 293.
Imperans & exequens pro eodem reputantur. Genes. 50. annot. 1. pag. 179.
Improbi soliciti sunt de vita præsenti. Gene. 4. annot. 7. pag. 24.
Iniquitates gentis Chananæorum quæ fuerũt, Genes. 15. annot. 4. p. 57.
Inuenire gratiam pro gratum esse. Gen. 18. annot. 1. pag. 67.
In medio aliquorum pro inter illos. Genes. 23. annot. 5. pag. 84.
Infernus non sepulchrum, sed lymbum Sanctorum Patrum aliquando significat, Genes. 37. annot. 5. p. 132.
In idest cum, Genes. 32. ann. 2. p. 116
Ingredi ad mulierem pro concũbere, Ge. 38. annot. 1. pag. 135.
In æternum & in sæculum sæculi differũt. Exo. 15. annot. 3. pag. 231.
Incastraturę tabularũ tabernaculi quales erant, Exod. 26. annot. 4. pag. 272.
Inflammatio victimarum fiebat paulatim. Exo. 29. annot. 2. pag. 284.
In, poni solet pro post seu pro à vel ab, Leuit. 6. annot. 2. pag. 335.
Inuocare super aliquem nomen Domini quid sit, Genes. 48. anno. 1. pag. 158.
Interfecto infantium in AEgypto parum durauit, Exod. 5. ann. 1. pag. 196.
Insurgere cõtra Israelitas cur permiserit Deus Amalecitis. Exod. 17. annot. 3. p. 238.
In sæculum pro vsque ad annum Iubilei, Exod. 21. ann. 4. pag. 254.
Insons quis dicatur, Exod. 23. annot. 1. p. 261.
Inuocare nomen Domini quid sit. Deuter. 32. annot. 1. pag. 643.
In, aliquando stat pro propter, Leuit. 22. anno. 6. pag. 394.
Incircuncisio semper sonat in malum & tripliciter dicitur, Leuit. 26. annot. 4. p. 415.
Ingredi pro acceptari ad aliquod munus obeũdum. Num. 8. anno. 4. p. 451.
Interpres solet seruare genus prioris idiomatis, Num. 17. annot. 3. pag. 486.
In, vsurpari solet pro cum. Num. 17. annota. 3. pag. 487.
In, pro circa vel coram solet poni, Leui. 8. an. 3. pag. 340. & Num. 21. an. 6. pag. 504.
Immunditia legalis solet vocari peccatum. Numer. 6. annot. 3. pag. 443.
Inualidum pro eo cui aliquid est impossibile, Num. 11. annot. 6. pag. 453.
In pro iuxta vel prope. Numer. 20. annotat. 6. pag. 499.
Initiati Beelphegor fuerunt suspensi, Num. 25. annot. 2. pag. 516.
In dextera Dei esse dicitur quod in procinctu est, vt detur alicui, Deut. 33. an. 3. p. 648.
Iobab idem ac sanctus Iob. Gen. 36. an. 4. p. 128
Iocabeth fuit amita & patruelis Amran. Exod. 6. annot. 4. pag. 200.
Ioseph bis tantum fuit venditus. Gen. 33. ann. 4. pag. 132.
Ioseph, cur non fuerit occisus à Domino suo. Gene. 39. anno. 4. pag. 138.
Ioseph, non solum in carcere, sed etiam in vinculis & compedibus fuit, Genes. 39. anno. 4. pag. 138.
Ioseph, excusatur à mendaico. Genes. 44. annot. 1. pag. 155.
Ioseph, quam partem acceperit extra fratres suos, Genes. 48. anno. 3. pag. 168.
Ioseph, cur noluerit statim post mortem deferri in terram Chanaan, Gen. 50. an. 3. p. 180.
Iris cur vocetur arcus Dei, Genes. 9. annot. 3. pag. 38.
Iris conueniens fuit signum non futuri diluuij, Genes. 9. annot. 4. pag. 38.
Ironia vtitur scriptura. Genes. 3. annot. 4. p. 19.
Isaac quando deuenerit in Geraris, Genes. 26. annot. 1. pag. 96.
Ismaelitæ & Madianitæ aliquando eadem voce significantur, Gen. 37. an. 4. pag. 131.
Israel idest princeps Dei, Gen. 32. an. 5. p. 117.
In opere tuo, idest propter peccatum tuum, Genes. 3. ann. 12. pag. 20.
Issacharitæ magis quam alij tributis seruiebant, Genes. 41. annot. 14. pag. 176.
Israelitæ prius idola coluerunt quam fornicarentur cum Moabitis. Num. 25. an. 1. p. 515.
Israelitæ ad quę sacrificia & solemnitates tenebantur. Num. 28. ann. 1. pag. 524.
Israelitæ quæ fecerint dum essent in monte Sinai. Num. 10. an. 4. pag. 457.
Israelitæ in deserto quinquies adierunt terminos maris Rubri. Num. 21. an. 2. p. 501.
Iudæ concubitus cum Thamar excusari nõ potest à peccato, Gene. 38. an. 1. p. 135.
Iudæ flagitia fuerunt multa, Genes. 38. annot. 2. pag. 135.
Iudas qua authoritate iusserit comburere Thamar, Genes. 38. an. 2. pag. 135
Iudas an peccauerit grauius quam Thamar, Genes. 38. anno. 3. pag. 136.
Iuramentum duplex, assertorium & execratorium. Genes. 42. an. 1. pag. 140.
Iurare pro firmiter statuere & decernere. Exo. 2. ann. 4. pag. 186.
Iurare quando intelligitur cum interpositione execrationis & maledictionis, Leuit. 5. ann. 3. pag. 328.

Iudæi

Iudæi orantes coram tabernaculo cur respiciebant ad occidentem. Exod. 26. annot. 6. pag. 273.
Iudicia fiebant in portis vrbis, Deute. 16. ann. 4. pag. 596.
Iudex interdum potest remittere culpam satisfacta parte. Deut. 19. annot. 3. pag. 604.
Iudæis non licebat habere pauperes extremè indigentes. Deut. 15. an. 2. p. 593.
Iumentorum ac seminum & vestimentorum mistura qualiter est prohibita. Deut. 19. an. 3. pag. 380.
Iubilei anni remissioné non obseruabant Iudæi, dum erant in deserto, Leuit. 25. annota. 1. pag. 408.
Iusti in bonam partem, & mali in malum quę vident interpretantur. Genes. 45. annot. 1. pag. 158.

L.

Lætitiæ non est nisi de aggregatione omniũ bonorum, Deut. 16. an. 3. pag. 599.
Lamec verba dupliciter interpretantur. Genes. 4. ann. 8. pag. 24.
Lampas ignis & clibanus quid designauerint. Gene. 15. annot. 5. pag. 57.
Lapides quos iussit Moyses erigi in terra promissionis quales erant. Deuter. 27. annot. 1. pag. 626.
Laus hominis cur dicatur Deus, Deut. 10. ann. 3. pag. 580.
Leprosus referre tenebatur signa tristitiæ. Leuit. 13. an. 3. pag. 354.
Lepra vestium & dęmonum quid dicatur. Leuit. 13. an. 4. p. 355.
Leprosus pauper non erat immunis ab integra oblatione similæ, Leui. 14. anno. 7. pag. 359.
Lectuli caput & virgę fastigium eadem voce Hebraica significatur, Gene. 47. annotat. 5. pag. 165.
Leuare manus plura significat, Genes. 14. ann. 6. pag. 54.
Leuare manum pro iurare, Exod. 6. annot. 3. pag. 199.
Leuitarum nomen potest pro officio vel pro genere sumi, Leuit. 25. annot. 4. p. 409. & Numer. 3. pag. 430.
Leuitarum officium, quale erat tempore Moysis, Leui. 25. an. 4. p. 409.
Leuitarum officium, quale erat tempore Dauidis, Leuit. 25. an. 4. p. 409.
Leuitæ non comprehendebantur nomine tribuum Israel, bene tamé nomine Israelitarum. Num. 1. an. 1. pag. 423.
Leuitarum numeratio facta est à Moyse & Aaron & etiam à principibus, Num. 3. annot. 4. pag. 431.
Leuitis non licebat ingredi tabernaculũ. Num. 3. ann. 6. p. 431.
Leuitarum ministeria fuerunt distributa singulis Leuitis, Deut. 18. anno. 1. p. 601.
Leuitis datæ sunt vrbes iuxta numerum familiarum. Num. 35. an. 3. pag. 547.
Lex vetus bis fuit promulgata, & quare, Deutero. 1. annot. 1. p. 555.
Lex vetus cur dicatur ignea lex. Deut. 33. ann. 3. pag. 648.
Lex data fuit Moysi in mysterio externæ vocis Angelicæ, Leuit. 1. an. 2. p. 317.
Leges sacrificiorum instituit Dominus in monte Sinai. Leui. 8. an. 1. p. 339.
Legis dispositio nõ requirit exactam rationem quarumcumque substantiarum. Leuit. 11. an. 4. pag. 348.
Lex vetus nullatenus permittebat accipere nouercam in vxorem. Leuitic. 18. annotat. 2. pag. 374.
Lex quinquagesimo die fuit data. Exo. 19. ann. 1. pag. 245.
Leges adaptantur ad ea quæ frequentius accidunt. Deut. 22. an. 1. pag. 611.
Libamenta quinque rebus constabant. Num. 7. ann. 5. pag. 447.
Libamenta in quocumque sacrificio carnium ponebantur. Num. 15. an. 1. pag. 477.
Libamenta quibus rebus constare oportebat. Leuit. 14. an. 6. p. 359.
Libamina distinguebantur secundum diuersitatem animalium oblatorum. Nume. 15. ann. 3. pag. 478.
Libanus quantum ad aliquam sui partem pertinebat ad terram promissionis. Num. 34. ann. 2. pag. 543.
Libellus repudij ex diuina dispensatione dissoluebat matrimonia, Deut. 24. an. 1. p. 618.
Libellus repudij licitus erat in lege veteri. Deuter. 24. an. 1. pag. 618.
Liber bellorum Domini est prouidentia, qua Deus statuit conferre Israelitis terram promissionis in manu forti. Num. 21. annota. 5. pag. 504.
Lidij coniuncti AEgyptijs, Genes. 11. ann. 12. pag. 42.
Ligna tertio die producta non eundem statum habebant, Gen. 1. an. 12. p. 8.
Lignum scientiæ boni & mali vocatur sic per anticipationem, Gen. 2. an. 10. p. 14.
Linguarum confusio qualis fuerit, Genes. 11. annot. 1. pag. 45
Linguę defectus quinque habuit Moyses. Exo. 4. an. 1. p. 193.
Locustarũ & æruginis eadem fuit plaga. Exo. 10. an. 2. pag. 213.
Longitudo vitæ promittitur quibuscumq; benefacientibus proximis, Deut. 22. annota. 3. pag. 612.
Loqui facie ad faciem quid dicatur, Exod. 33. annot. 2. p. 296.
Lot quo animo obtulit filias Sodomitis, Genę. 19. an. 1. pag. 71
Lotio vestimentorum in purificationibus fieri debebat aquis viuétibus. Leu. 11. an. 5. p. 348
Luctus mortuorum laudabilis est. Deuter. 34. ann. 3. pag. 651.
Ludere plura significat in scriptura. Genes. 22. an. 1. pag. 78.
Lumen propheticum Moysi præstantius fuit

quam communium prophetarum. Num. 12. an.4.p.465.
Luna cur dicatur luminare magnum. Genes.1. ann.14.p.8.
Lucernarum compositio non erat munus pontificis, sed minorum sacerdotum. Num. 8. annot.1.p.455.
Lucernæ candelabri versus vnam tantum partẽ lucebant. Exod.25.an.6.p.268
Lucernæ sanctuarij iugiter ardebant. Exod.27. an.4.p.275.
Lux non est proprietas solis quatenus est specialis substantia. Gen.1.an.5.p.7.

M.

Macula corporalis cur plurimũ arcebat ab vsu sacerdotij legalis, Leu.21.an.5.p.389
Maculę animalium immolandorũ duplices erãt Leuit.22.an.7.p.394.
Maiores natu dupliciter sumuntur in sacris literis. Num.22.an.1.p.507.
Maledici dicitur qui pœnis afficitur, Deutero. 21.ann.3.pag.609.
Maleficia vt in plurimum exercentur à fœminis, Exod.22.an.3.p.158.
Malum interdum sumitur pro insuaui & onerosо, Gene.47.ann.2.pag.164.
Maledictio ingens & vehemens ponitur in exẽplum maledictionum. Num.5.an.4.pa.440.
Maledicta legis quando subierunt Iudæi. Deu. 28.an.5.p.631.
Maledictionem legis abstulit à nobis Christus Deut.27.an.4.pag.636.
Mandragoras cur expetierit Rachel. Gene.30. an.1.pag.109.
Mandare interdum sumitur pro renuntiare, Gene.45.anno.2.p.158.
Mandata tripliciter dicebantur, Deut.26.ann. 3.pag.624.& Deut.30.an.2.p.636.
Mannà erat materia panis, Exod. 16. annotat. 1.pag.135.
Mannà habuit triplex genus saporis. Num.11. annot.3.pag.503.
Mansionum Israeliticarum numerus & situs. Num.13.an.1.pag.468.
Mansio Israelitarum quas conditiones exigebat. Num.33.an.1.p.540.
Mansio prima Israelitarum fuit in Ramesse, Num.33.ann.2.pag.540.
Mansio vna & eadem diuersis nominibus solet significari. Num.33.an.7.pag.541.
Manus pro præcepto, Exod.9.an.5.p.110
Manus pro actione tam operis quam sermonis, Leuit.8.an.4.p.340.
Manuum lotio signum est innocentiæ, Deute. 21.an.1.pag.608.
Mare zenereth idẽ quod mare Galileæ seu Tyberiadis vel Genesareth. Nume.34. anno.4. pag.544.
Mare Rubrum vnde dicatur, Exod.15. annot. 4.pag.131.
Maria virgo beatissima non subdebatur purificationi parientium, Leuit. 12. annotat. 1. pag.349.
Maria grauius quam Aaron peccauit in Moysen, Num.12.an.1.pag.465.
Matrem cum filijs non tenere quid significet, Deut.22.an.2.pag.611.
Matrimonium inter fratres non est intrinsecè malum, Gen.20.an.3.pag.75.
Matrimonij impedimenta erant in triplici differentia. Leuit.18.an.3.pag.375.
Matrimonium inter fratrem & sororem non est contra ius naturæ, neque intrinsecè malum, Leuit.18.an.3.p.375.
Matrimonium quando poterant contrahere personæ diuersarum tribuum. Num. 36. an. 2.pag.549.
Melchisedech sacerdotis tria munera. Gen.14. an.5.pag.54.
Menstruatæ non tenebantur offerre sacrificium ad sui purificationem. Leuit.15. annotat. 5. pag.364.
Michael Archangelus apparuit Moysi & Iosue, Exo.3.an.1.pag.189.
Michael fuit præcursor populi Israelitici. Exo. 23.an.4.pag.262.
Militia cœli significat stellas, Deut. 15. annota. 1.pag.598.
Mistura eadẽ prohibetur in Leuitico & in Deuteronomio, Deut.22.an.4.p.612.
Mittere manum multa significat, Exod.24.anno.3.p.264.& Deut.13.an.4.p.589.
Mysteria diuina tripliciter solent reuelari. Numer.23.an.3.pag.511.
Moabitas noluit Deus a Moyse deleri. Numer. 25.an.3.pag.516.
Moabitæ an permiserint transire Israelitas per terras suas, Deut.2.an.3.pag.559.
Modus loquendi ad plebem, Exod. 11. annot. 1.pag.114.
Moloch, Idolum sumi solet pro cunctis idolis, Leuit.19.an.1.p.380.
Montes significant primores populi, Deut. 32. an.5.pag.644.
Morticiniũ dupliciter sumitur large & stricte, Leuit.11.annot.2.p.347.
Mortuus est, cur repetebatur ante diluuium, Gen.15.ann.3.p.25.
Mortis genus si non exprimatur stat pro lapidatione. Leuit.20.an.3.p.385.
Moyses & Aaron ad placandum populum ceciderunt proni in terram. Num.14.annota. 2.pag.473.
Moyses introduxit aliquam partem Israelis in terram sibi promissam, Num. 20. annota. 4. pag.499.
Moyses non recensuit omnes posteros Patriarcharum. Num.26.an.2.pa.520.
Moyses petijt augeri numerum duntaxat iustorum. Deut.1.an.2.p.555.
Moyses qualiter vidit omnem terram Chanaã, Deut.34.an.1.pa.649.
Moyses distictè & in particulari vidit regiones Chanaan, Deut.34.an.1.p.649.
Moyses qualiter dicatur excellentior alijs prophetis, Deut.34.an.5.pag.651.
Moyses & Diuus Benedictus in ipsis rebus viderunt

ferunt res sibi diuinitus ostensas. Deute. 34. annot. 1. p. 650.
Moyses petijt à Deo aduentum Messiæ, Exo. 4. an. 1. pag. 193.
Mulieris mira virtus in caput serpentis, Gene. 3. an. 10. pag. 19.
Mulieres deuotæ dicuntur excubare in ostio tabernaculi, Exod. 38. an. 1. p. 309.
Munda animalia quæ dicebantur ante legem Gene. 7. an. 1. p. 31.
Mundorum animalium cur septem fuerunt seruata in arca, Gene. 7. an. 1. pag. 31.
Munusculum quid dicatur. Genes. 33. annot. 3. pag. 119.
Murus pro Christo. Genes. 49. an. 5. p. 174.
Mutationes Magicæ non fiunt nisi cum temporis mora. Exo. 7. ann. 3. p. 102.
Mutatis rebus permanet pristinũ nomen. Exo. 7. an. 4. pag. 103.
Mutatio primæ vel secundæ personæ in tertiam reperitur in scriptura. Leui. 10. annota. 4. pag. 345.
Muscarum genus qualis sit, Exod. 8. annot. 3. pag. 106.

N.

NAdab & Abiu ob defectũ in ministerio sacerdotali interierunt. Leuit. 10. ann. 1. pag. 344.
Natalitij dies antiquitus superstitiose celebrabãtur, Gen. 40. an. 3. p. 141.
Natalitios dies tres tantum celebrant Christiani, Gen. 40. an. 3. p. 141.
Nazaræus vnde dicatur. Num. 6. an. 1. p. 442.
Nazaræorum vitam non egit Christus, Num. 6. an. 1. p. 443.
Ne forte cur aliquando ponatur. Deut. 11. ann. 3. pag. 583.
Ne forte designat libertatem arbitrij, Deu. 32. annot. 6. p. 644.
Nilus non est Gehon, Gen. 2. an. 12. p. 14.
Niniues magnitudo, Gen. 10. an. 11. p. 42.
Noe per integrum annum mansit in arca. Gene. 8. anno. 2. p. 34.
Nephtali in abundantia perfrui quid sit. Deut. 33. an. 5. pag. 648.
Nominum pluralitas dupliciter contingit, Genes. 36. an. 1. pag. 127.
Nomina concreta interdum ponuntur pro abstractis. Exo. 28. an. 4. p. 280.
Nomen poni solet loco pronominis. Deute. 9. an. 1. pag. 578.
Nomina ante generationem quibus fuerunt imposita. Gen. 16. an. 3. pag. 60.
Nomina propria interdum exponuntur subauditione alterius nominis communis. Num. 3. ann. 5. p. 431.
Non posse pro non decere, Genes. 32. annot. 3. pag. 117.
Non bonum pro minus bono vel pro laborioso. Exo. 18. an. 2. p. 242.
Non dimittat te quid significat, Deut. 31. ann. 1. pag. 639.
Nonne significat aliquid esse notissimũ, Deut. 31. an. 8. p. 644.
Nocere quid designet. Gen. 39. an. 1. p. 138.
Nouissimum pro eo quod post aliud sequitur, Genes. 33. an. 1. pag. 119. & Genes. 49. ann. 2. p. 173.
Nuditas capitis ac vestimentorum scissio signa erant tristitiæ. Leuit. 10. ann. 2. pag. 344. & Leuit. 11. an. 4. pag. 389.
Numerus pluralis aptatur personis illustribus, Gen. 1. ann. 2. pag. 6.
Numerus senarius est symbolum perfectionis Genes. 1. an. 10. pag. 9.
Numerus singularis pro plurali. Gen. 3. annot. 7. pag. 19.
Numerus septenarius denotat multitudinem Genes. 4. an. 9. pag. 24.
Numerus pluralis interdum ponitur pro singulari. Gene. 23. an. 2. pag. 84. & Gen. 46. ann. 2. pag. 161.
Numeratio populi bis facta est à Moyse in monte Sinai. Num. 1. annot. 4. p. 424. & cap. 2. annot. 3. pag. 427
Numerus perfectus pro imperfecto aliquando ponitur. Num. 14. an. 7. pag. 474
Numeratio populi Israelitici qualiter fiebat, Num. 1. an. 2. p. 424.
Nunc id est posthac. Genes. 29. annotat. 3. pag. 106.
Nunc cognoscere quid significet, Gene. 22. an. 4. pag. 801.

O.

OBedientia Ægyptiorum ad Ioseph, qualis fuerit, Gen. 41. an. 5. p. 146.
Obfirmare faciem idem est quod irasci. Leuit. 17. anno. 4. p. 371.
Oblatio apposita super altare habuit rationem sacrificij. Leuit. 2. annot. 4. p. 320.
Oblationes sanctificatæ quæ dicantur in rebus comestibilibus. Leu. 22. an. 1. p. 393.
Oblationes vltroneæ cur primitiæ vocentur, Exod. 35. anno. 1. pag. 302.
Oblatio sacrificij duplex mediata & immediata. Leuit. 1. anno. 3. p. 317.
Oblatio similæ vocatur sacrificium absolute, Num. 18. an. 8. p. 515.
Occidentis inculpabiliter indemnitati prouidet lex. Deut. 19. annot. 4. pag. 604.
Occisio animalium alia sacra alia profana. Leu. 17. an. 1. p. 371.
Occidendi potestatẽ an habuerint Iudæi. Num. 35. an. 4. pag. 547.
Occidere in ore gladij est nemini parcere, Deut. 20. an. 2. pag. 606.
Occidere pro stupefacere. Exo. 13. an. 5. pa. 161
Offerenti edere licebat ex hostijs pacificorum, Leui. 17. an. 2. pag. 371.
Oleo res sacræ vngi consueuerunt. Gen. 19. an. 2. pag. 103.
Olei prouisio pertinebat ad populum. Exo. 27. an. 3. pag. 235.
Omnipotens est vnum ex proprijs Dei nominibus. Exod. 6. an. 1. p. 199.
Operis seruilis appellatione non intelligitur ciborum,

borum præparatio, Numer. 29. annotat. 1. pag. 517.
Ordo seruandus in oblationibus sacrificiorum. Num. 6. an. 4. pag. 443.
Ordo in procedendo diuersus ab ordine castrametandi, Num. 2, anno, 4. pag. 427.
Ornatus deponendus ab Israelitis qualis fuerit. Exod. an. 33. 1. p. 296
Ostium tabernaculi pro atrio sumitur. Leuitic. 4. an. 4. pag. 326. & Leuit. 8. annotat. 2. pagina. 339.
Ouis non poterat offerri in holocaustum, bene tamen pro peccato. Leuit. 14. annotat. 5. pagina. 359.

P.

PActum diuinę incarnationis promittitur, Exod. 34. annot. 3. pag. 300.
Palmi mensura duplex, Exod. 25. annotat. 4. pag. 268.
Panis nomine cæteri etiam cibi significatur, Genes. 43. ann. 4. pag. 153.
Panes propositionis fuerunt præcipuę oblationes, Leuit. 24. annot. 3. pag. 403.
Panis nomine comprehenduntur reliqua ciborum genera. Leuit. 11. ann. 9. pag. 394.
Parabola idem ac sententia occulta & accommodari solet prophetiæ. Num. 23. annot. 1. pag. 511.
Pariens fœmina per duplicatum tempus reddebatur immunda. Leuit. 12. ann. 3. pag. 350.
Pars interdum sumitur pro toto. Gen. 43. annotat. 4. pagina 153. & Exod. 34. annotat. 4. pag. 300.
Pars interdum ponitur pro sorte seu possessione, Num. 34. annot. 5. pag. 544.
Parere viris est phrasis Hebraica, Gene. 21. annot. 1. pag. 78.
Paruuli pro omni familia supellectili. Exod. 10. annot. 5. pag. 213.
Pascha, vnde dicatur, Exod. 12. anno. 2. p. 220.
Passus comunis æqualis est cubito vulgari. Numer. 35. annot. 1. pag. 546.
Paternus honor comprehendit omnem proximi beneficentiam, Exod. 20. an. 4. pag. 251.
Patriarcharum ossa an fuerint sepulta in terra Chanaan. Genes. 50. ann. 30. p. 180.
Peccatum vel scelus pro pœna peccati. Gen. 19 annot. 3. pag. 72.
Peccati & peccatoris duplex acceptio, Genes. 13. annot. 3. pag. 50.
Peccatum per ignorantiam distinguitur contra peccatum per superbiam, Leuit. 4. annot. 3. pag. 326.
Peccati expiatio duplex fuit in lege veteri. Leuit. 4. annot. 3. pag. 326.
Peccans per ignorantiam mitius quam peccans per superbiam puniebatur. Leuit. 5. anno, 5. pag. 329.
Peccatum solicitandi fœminam confessione est grauissima pœna dignum. Leuit. 20. anno. 4. pag. 385.
Peccatis contra proximũ etiam Deus offenditur. Leuit. 6. anno. 1. pag. 331.
Peccatum Moysi & Aaron ad aquas contradictionis fuit diffidentiæ. Num. 20. annotat. 3. pag. 498.
Peccata diuersa multitudinis exigebant sacrificia, Num. 15. ann. 5. pag. 478.
Peccata etiam occulta maledictioni legis subijciuntur. Deut. 27. an. 3. pag. 626.
Peccata esse condita, quid significet, Deut. 32. annot. 9. pag. 644.
Peccatum & iustitia dupliciter sumuntur. Deuter. 24. anno. 4. pag. 619.
Pecuniam appendere pro numerare. Genes. 23 annot. 6. pag. 84.
Pecunia duplex, quæ dicatur, Gene. 43. anno. 2. pag. 152.
Pedes Hebræorum etiam impiorũ non fuerunt læsi in deserto, Deut. 8. anno. 2. pag. 575.
Pedum nuditas symbolum est humilitatis ac deuotionis, Exod. 3. an. 3. pag. 189.
Percussor AEgyptiorum fuit Angelus malus. Exod. 12. an. 4. pag. 220.
Percutere in ore gladij pro magna quadam & vniuersali strage, Num. 21. ann. 7. pag. 504. & Exo. 17. an. 5. pag. 239.
Periscelides sunt ornamenta crurum. Nume. 31 annot. 4. pag. 539.
Pergere ad aliquid est illud aggredi, Gene. 25. annot. 3. pag. 93.
Permissionis quadruplex datur genus. Deuter. 24. an. 4. pag. 619.
Persona vna & eadem solet referri sub diuersis nominibus, Num. 26. ann. 2. pag. 520.
Personæ illustres appellantur nominibus numeri pluralis, Gene. 1. ann. 2. p. 6.
Pestis pro insigni clade. Exod. 9. annotat. 3. pag. 201.
Phase ceremoniæ & iustificationes quæ dicantur, Num. 9. ann. 1. p. 453.
Peregrinatio Hebræorum cur potius ascribatur AEgypto, Exod. 12. an. 7. pag. 220.
Phase stat aliquando pro sacrificio ac solennitate Paschali, Deut. 16. annot. 1. p. 596.
Pharao non tetigit Saram. Genes. 12. annotat. 5. pag. 48.
Pharao quando vocauit Moysen, Exod. 10. anno. 5. p. 213
Phiala quam formam habuerit. Num. 7. ann. 2. pag. 447.
Piscium & auium magna est similitudo. Gene. 1. an. 16. p. 9.
Piscium generatio copiosior est quam cæterorum animalium, Gene. 1. an. 15. p. 8.
Plagæ AEgypti fuerunt tantum decem. Exo. 7. an. 5. p. 203.
Plaga lepræ ob quid præcipitur caueri. Deuter. 24. an. 2. p. 609.
Plagæ AEgypti multipliciter necessariæ, Exo. 9. anno. 1. p. 213.
Plagæ AEgypti cur vocentur illusiones. Exo. 10. an. 1. p. 213.
Pluit Dominus à Domino dupliciter exponitur, Gen. 19. an. 4. pa. 72.
Pluuiæ indigentia confert ad timorẽ Dei. Deu. 11. annot. 3. p. 583.

Pluuia

Digitized by Google

Pluuia temporanea & opportuna pro abundantia terræ nascentium, Leuit.26.annotat.1.p. 414.
Pœna contrapassi, Exod.21.annotat.7.pagina, 155.
Pœna delinquentis ignoranter in vsu sanctificatorum, Leuit.22. annotatione quinta, pag. 394.
Pœna quinquaginta siclorum pro qua virginis violatione soluantur, Deut.22.annot.7. p.612.
Pœna contra,passi non est generalis, Deut.19. an.5.p.604.
Pœnitentia Hebræorum requirebat confessionem peccatorum in specie, Leuit.5.annot.4. pag.326.
Pollutus super mortuo præcipitur eijci extra castra, Numeror.5. annotatione.2. pagina, 419.
Pontifex etiam vtebatur ornamentis inferiorum sacerdotum, Exod.28. annotat.5. pag. 180.
Pontificis vnctio in quo præstabat alius vnctionibus, Exo.29. annotatione quarta, pagina 184.
Pontifex interdum offerebat sacrificium tanquam vnus de plebe, Leuit.4. annotat.3.p. 316.
Pomum triplicem habet significationem, Deu. 20.an.3.p.606.
Posteris solet conferri quod alicui promittitur, Gen.15.annotat.1.pagin.56.& Genes.49. an.1.pag.
Populum Israeliticum vocat Deus domũ suam Num.12.an.5.p.465.
Populus terræ pro plebeijs, Genes.23.annot.3. p.84.
Portare iniquitatem suam indicat pœnam arbitrio Iudicis imponendam, Leuit.20.anno.6. p.385.
Præcepta & Iudicia differunt, Exo.15.anno.6. p.232.
Propiciatorium vnde dicatur, Exo.25.anno.3. p.267.
Præceptorum negatiuorum sensus, Exod.20. an.5.p.151.
Præferre filium dilectæ quid dicatur, Deut.21. an.2.p.609.
Propagatio mira post diluuium, Genes.9.an.1. p.37.
Prouidentia diuina fuit præsignata in scala Iacob, Gen.29.an.1.p.103.
Præsens interdum ponitur pro futuro, Exo.5. an.1.p.196.
Principes sacerdotũ seu summi sacerdotes qui dicantur, Leuit.17.annotatione tertia, pagina 419.
Principes vocantur qui præstant alijs vel virtute vel dignitate, Num.2. annotat.1. pagina, 416.
Primogenita sacrificijs apta voueri non poterant, bene tamen inepta, Leuit.27.anno.5.p. 420.
Pretium carnis non licebat offerre, Deut.23. an.5.p.615.
Prohibitio ligandi os bouis terentis metaphorica est, Deut.25.annotatione secunda, pag. 621.
Prophetia conditionalis quæ dicatur, Deut.18. an.5.p.601.
Principum appellatione comprehenduntur inferiores, Gen.34.an.2.p.121.
Prophetare pro eo quod est diuinis laudibus vacare, Num.11.an.7.p.465.
Prophetæ vocantur interdum qui sunt falsi vel mali, Deut.13.annot.1.pag.588.
Prophetæ falsi signum quod sit, Deut.18.an. 5.p.601.
Propheta suscitandus erat Christus, Deut.18. an.3.p.601.
Primitiarum custodia quæ dicatur, Num.18. anno.1.p.490.
Principes populi dupliciter vocabantur, Num. 16.an.1.p.883.
Principes multitudinis Leuitarũ fuerunt Moyses & Aaron, Numeror. 3. annotatione 1. pagina 430.
Principum nomina non tribuum debuerunt superscribi virgis, Num. 17. annot.1. pag. 485.
Prudentiæ suæ inniti quãdo quis debeat & quãdo non, Num.32.an.3.p.537.
Præceptum & iudicium diuersa significant, Num.15.annot.4.p.478.
Præcepta & Iudicia quæ dicantur, Deut.4.an. 1.p.566.
Primitiarum nomen dupliciter accipitur, Leuit.22.an.4.p 393.
Pueri acceptio multiplex, Gen.21.annotat.3. p.81.
Pullus & asina significant populos Gentilium & Iudaicum, Genes.49. annot.11.pag. 175.
Putiphar princeps distinctus fuit à Putiphare sacerdote, Gen.41.an.6.p.146.
Purificationis requisitæ omissio est duplex, Leuit.5.an.2.p.329.
Puerpera duplicem contrahebat immunditiam legalem, Leuit.72.an.1.p.305.
Purgatio Zelotypiæ quando denegabatur, Nu. 5.an.3.p.440.
Purificationem legalem omittens tẽpore quo ad eam tenebatur, nihilominus non manet immunditia in eo, Numeror.19. annotat.2. p.494.
Punitionem non differre est singulare Dei beneficium, Deut.7.an.2.p.572.
Pythones sunt dæmones ad diuinandum assumpti, Leui.20.an.7.p.385.

Q.

Quadragenas tres exegit Moyses in Monte Sinai, Deut.9.an.4.p.578.
Quando interdum significat tempus proximũ rei, de qua agitur. Deu.16.an.2.p.596.
Quiescere pro cessare & desistere, Gen.2.an.1. p.13.

Quippe aliquando est coniunctio causalis, vel declaratiua aliquando stat pro certe, Nume. 13. annotat. 1. pag. 461.

R.

RAchel cur expetierit Mandragoras, Gene. 30. annot. 1. p. 109.
Rachel dicitur absolute vxor Iacob. Gene. 44. annot. 4. pag. 156.
Radix solet significare filium. Genes. 19. anno. 2. pag. 106.
Ramesses nomen est territorij & vrbis, Exod. 1 annot. 2. pag. 183.
Ramesses fuit prima mansio Hebræorum. Exo. 12. ann. 6. pag. 220.
Ranæ Ægypti fuerunt verę Ranæ. Exo. 8. an. not. 1. pag. 206.
Rebecca cur dicatur iuisse in domū matris. Genes. 24. an. 3. pag. 89.
Recessus a superstitionibus Gentilium fuit causa seu ratio legalium cęrimoniarum, Leui. 3. annota. 4. p. 312.
Recapitulationibus vti solet scriptura. Nume. 7. annot. 1. pag. 447.
Recordari pro auxilium præbere. Genes. 8. an. 1. pag. 54.
Regina cœli stat pro luna. Deut. 17. annot. 1. pag. 598.
Regula generalis sacrificiorum non cōprehendit omnes causas in particulari, Leui. 4. ann. 7 pag. 316.
Relatiuum interdum refertur ad antecedens remotum. Num. 18. ann. 5. p. 491.
Relatiuum solet proprie vel improprie sumi, Num. 24. ann. 2. p. 514.
Relicta fratris aliquando potest duci in vxorē. Deut. 25. ann. 5. p. 621.
Remissio, idest, non repetitio. Deut. 19. ann. 1. pag. 593.
Repetitio est signum maximæ asseuerationis, Exod. 7. annot. 2. pag. 202. & Nume. 14. anno. 3. p. 473.
Repetitio vitanda si commode possit. Exod. 15. an. 1. pag. 230.
Requiescere pro cessare & desistere. Genes. 2. an. 1. p. 13.
Res esse valde bonas cur dicatur. Gene. 1. ann. 19. pag. 9.
Res interdum nominantur secundum quod exterius apparent, Genes. 27. annotatio. 4. pag. 101.
Residuum comburendum, quale erat, Exod. 12. an. 1. p. 119.
Resistere Israelitis quidam nequiuerunt. Deuter. 7. annot. 3. pag. 573.
Respicere sumitur in bonam & in malam partem. Exod 14. annot. 4. pag. 227.
Rex nouus opprimens Israelitas, quis dicatur, Exo. 1. anno. 1. pag. 181.

S.

SAbbati benedictio ponitur anticipatiuè in Genesi, Gen. 2. annot. pag. 13.
Sabbati sanctificatio partim est moralis & partim cęremonialis, Exod. 20. annotat. 3. pagina. 249.
Sabbatum cur fuerit tam celebre apud Iudæos, Exod. 20, anno. 3. p. 249.
Sabbatum Iudæorum cur cessauerit in lege noua. Exod. 20. an. 3. pag. 250.
Sabbatum quæ opera prohibebat. Exod. 20. an. 3. pag. 250.
Sabbato quatuor erant propria. Exod. 16. ann. 3. pag. 235.
Sabbatum & festum expiationis erant præcipuę solemnitates Israelitarum. Leuit. 16. an. 6. pag. 369.
Sabæorum Regio vbi sita. Genes. 10. annot. 9. pag. 41.
Sabæi distincti sunt ab Arabibus, Gen. 10. ann. 8. pag. 42.
Sacerdotes vngebantur in tribus locis. Exo. 29 annot. 3. pag. 284.
Sacerdoti conuenienter committitur Iudiciū lepræ. Leuit. 13. ann. 1. p. 354.
Sacerdotes magni an aliquando fuerint duo simul, Leuit. 27. annot. 3. pag. 419.
Sacerdotes Leuitici generis qui dicantur. Deu. 17. ann. 2. pag. 598.
Sacerdotes quid habuerint ex oblationibus & sacrificijs. Num. 18. annot. 3. pag. 490.
Sacerdotum cura in oblationibus sexcuplicis sunt. Num. 18. annot. 4. pa. 491.
Sacrificium Cain ingratum fuit Deo ob defectum fidei, Genes. 4. annot. 2. pag. 23.
Sacrificiorum inflammatio solebat esse signum acceptationis. Genes. 4. annot. 3. pag. 23.
Sacrificare interdum licebat extra sanctuarium Leuit. 17. annot. 3. pag. 373.
Sacrificium pro oblatione simile, Num. 29. ann. 2. pag. 527
Sacrificijs vnus tantum erat locus destinatus. Deuter. 12. annot. 3. pag. 586.
Sal fœderis seu pactum salis erat symbolum firmitatis pactorum, Leuitic. 2. annotat. 5. pagina. 320.
Salphaad filiæ receperunt hæreditatem in terra Chanaan. Num. 36. annot. 3. pa. 550.
Sanctificare pro segregare. Exod. 13. annota. 1. pag. 223.
Sanctitas duo significa quorum causa Iudæi philaterijs vtebantur, Nume. 15. annot. 8. pag. 479.
Sanguis fœderis quis dicatur, Exod. 24. annot. 2. pag. 264.
Sanguis vituli qualiter inferri debebat in Sancta sanctorum, Leuitic. 16. annotat. 4. pagina. 369.
Sanguinem alicuius esse super eum dupliciter exponitur. Leuit. 20. ann. 2. p. 384.
Sanguis accipitur pro pœna debita occisori. Numer. 35. an. 7. pag. 547.
Saporem mannæ tertium solum percipiebant qui conabatur ad Iustitiā. Nu. 11. an. 4. p. 503
Sara fuit proprie soror Abrahæ. Genes. 20. annot. 3. pag. 75.
Scala quam vidit Iacob historice designauit diui-

diuinam prouidentiam, Gen. 19. anno. 1. pag. 103.
Scandalum pro graui afflictione, Exo. 10. an. 3. p. 113.
Sceptrum Iudæ non fuit ablatum nisi à tempore vastationis Hierusalem per Romanos, Gen. 49. an. 8. p. 174.
Scientia pro operatione & exercitio, Exod. 1. an. 3. p. 183.
Scribarum munus quale erat, Leui. 15. an. 4. p. 401.
Scriptura quæ in vno loco tacet in alio refert, Gen. 44. an. 3. p. 156.
Sculptiliũ duo erant genera, Deut. 12. an. 1. p. 583.
Scyphi candelabri quales fuerint, Exo. 25. an. 5. p. 268.
Sedere interdum significat non vltra progredi, Deut. 1. an. 5. p. 556.
Sedere in solio refertur ad primogenitum Pharaonis, Exo. 11. an. 3. p. 215.
Sempiternum quot modis dicatur, Exo. 31. an. 3. p. 289.
Sementis humida magis polluebat quam sicca, Leuit. 11. an. 6. p. 348.
Seminum pollutio in quo consistebat, Leui. 11. an. 7. p. 348.
Seminifluens triplici immunditiæ erat obnoxius, Leuit. 15. an. 3. p. 363.
Seminifluus quis dicatur, & cui immunditiæ subiaceat, Numer. 5. annotatione 1. pagina, 439.
Sententia generalis, quod morerentur in solitudine non fuit lata contra Leuitas, Num. 26. an. 5. p. 510.
Septem diebus idest vsque ad septimum diem, Leuit. 14. an. 2. p. 359.
Septenarius numerus multitudinem denotat, Gen. 4. an. 9. pag. 24. & Leuit. 26. an. 2. pag. 414.
Septem gentes & non decem traditæ sunt Israelitis, Deu. 7. an. 1. p. 572.
Sepeliri in terra Chanaan cur tantopere expetierint Patriarchæ, Genes. 50. annotat. 3. pagina 179.
Serpens æneus fuit figura incarnationis & passionis Christi, Numeror. 21. annot. 4. pagina, 503.
Serpẽs verus & naturalis fuit à Deo maledictus Gen. 3. an. 8. p. 19.
Seruitus perpetua quos liberos patris Hebræi comprehendebat, Leuit. 25. annotat. 5. pag. 409.
Specialis modus occisionis animalium debuit præfigi in sacrificijs, Leuit. 1. annot. 7. pag. 318.
Seruire in ministerio sacerdotis diuersum est ab vsu ministerij sacerdotalis, Num. 3. annot. 2. p. 403.
Summa paululum excedens numerum perfectiorem non computatur, Genes. 15. annot. 2. pag. 56.
Sex anni seruitutis qualiter computandi, Exo. 21. an. 1. p. 254.
Si, pro quia, seu siquidem, Num. 22. an. 1. pag. 508.
Si poni solet pro non vel pro cum, Num. 32. an. 1. p. 336.
Si aliquando stat pro cum, Deut. 32. an. 11. pag. 635.
Sichimitæ licitè fuerunt occisi à filijs Iacob, Genes. 34. an. 3. p. 122.
Siclus idem quod statera vel didragma, Exod. 30. an. 4. p. 287. & Leuit. 27. an. 2. p. 418.
Signa dubitationis in verbis diuinis quid significent, Gen. 3. an. 3. p. 10.
Signum demonstratiuum aliquando refertur ad subsequentia, Leuit. 7. an. 4. pag. 336.
Signa differunt à vexillis, Num. 2. ann. 1. pag. 426.
Signum vniuersale, omnes, diuersimode vsurpatur, Numeror. 18. annotat. 1. pagina, 479.
Signa & prodigia idem sunt sub diuersis rationibus, Deu. 6. an. 3. p. 570.
Signum falsi prophetæ quid sit, Deut. 18. an. 5. p. 602.
Simeonis & Leui batuinum variè interpretatur, Gen. 49. an. 4. p. 173.
Similæ oblatio præponderat alijs oblationibus ex parte rei oblatæ, Leuit. 2. annotat. 1. pag. 320.
Similę oblatio non erat speciale genus sacrificij sed complementum aliorum, Leuit. 2. annot. 3. p. 320.
Simeon tribus cur à Moyse non benedicatur, Deut. 33. anot. 1. p. 648.
Simulacrum nomine solarij apud Hebræos significatur, Leuit. 26. annotat. 3. pagina, 414.
Simplex vocatur qui caret affectu lædendi aliquem, Genes. 20. annot. 2. p. 75.
Sinæi diuersi à Cynæis, Gen. 10. annot. 4. pag. 42.
Singularis numerus pro plurali sumitur, Exo. 4 an. 4. p. 194.
Sodomitarum cęcitas qualis fuerit, Gen. 19. an. 2. p. 71.
Sodomæ & Gomorrhæ appellatione significatur durior Dei vltio, Deut. 29. anno. 3. pag. 634.
Sol diuersas habet proprietates quatenus est specialis substantia ab his quas habet quatenus est causa vniuersalis, Gen. 1. annot. 5. p. 7.
Sol, & Luna, & Stellæ, qualiter typus fuerint familiæ Iacob, Genes. 37. annotat. 2. pag. 131.
Somniorũ interpretatio aliquando licita, Gen. 40. an. 2. p. 140.
Spiraculum vitarum in solo homine reperitur, Gen. 2 an. 6. p. 14.
Spiritum Sanctum ferri super aquas est eas ad fæcunditatem præparare, Genes. 1. annot. 4. p. 6.
Spacium humanæ vitæ plus minuebatur in prioribus ætatibus quam in posterioribus, Genesis 50. annotatione 2. pagina, 179.

Sponsus sanguinum quis dicatur, Exo.4. an.5. pag.194.
Sterilitas frequẽter sequitur fertilitatem, Gen. 41.an.4.p.146.
Stuprum pro adulterio poni solet, Gen.39.an. 1.p.138.
Stupri pœna quando incurrebatur, Exo.22.an. 1.p.258.
Susa sita est in AElam, Gen.10.annot.15.pag. 41.
Supplantare quid proprie & quid metaphoricè significet, Gen.25.an.4.p.93.
Superbi dedignãtur alios nominare, Genes.39. an.3.p.138.
Super idest eminentius, Genes.41. annot.1.p. 145.
Super pro in & pro cum, Exo. 13. annot.3.p. 261.
Super idest propter vel propterea, Leuit.22.an. 7.p.393.
Subditus quando de his in quibus alteri subest potest votum emittere, Num.30.annot.3.p. 530.
Suffragia plura in solemnitate tabernaculorum quam in alijs solemnitatibus offerri præcipiuntur, Num.29.an.4.p.528.

T.

Tabernaculum vnum dumtaxat fuit ex decem cortinis, Exo.26.an.3.p.271.& capite.36.an.vni.p.305.
Tabernaculum polluebatur ob transgressionẽ sacerdotum, Leuit. 16. annotat.1. pagina, 368.
Tabernaculum semper existebat in medio Israelitarum, Leuit.16. annotat. 5. pagina, 369.
Tabulas secundas quo loco & tempore iusserit Dominus fieri, Deute. 10. annot.1. pagina, 580.
Tacere pro ab opere cessare, Exo.14. annotat.2 p.217.
Talentum duplex, Exo.25.annotat.7. pagina, 268.
Tangens sacrificia multis modis dicebatur sanctificari, Leuit.6.an.4.p.333.
Tani vel Taneos fuit primaria vrbs in AEgypto Num.13.an.3.p.469.
Tardare quis dicatur, Exo.22. annotat.5. pag. 258.
Temporibus tribus tenebantur Iudæi ascendere in templum, Exod.34. annotat.5. pagina, 300.
Tempus longum quod dicatur, Deut. 2. an.1. p.558.
Tentare dupliciter contingit, Deut. 13. an.2. p.588.
Terra remansit superior & eminentior aquis, Gen.1.an.21.p.8.
Terra visionis significat Iudæam, Gen.22. an. 1.p.81.
Terræ promissionis seu Hierusalem triplex nomen, Exod.15.an.2.p.231.
Terra promissionis sorte ac funiculis fuit distributa, Numer.26. annotat. 3. pagina, 510.
Terra promissionis an comprehendat terram Galaad, Deutero. 34. annotat.2. pagina. 650.
Ternarij seu quaternarij nomine maxime denotatur multitudo, Exo.20. anno.2.pagina, 249.
Testificari pro præcipere, Exod.19.an.4. pag. 245.
Thamar concubitus graue peccatum fuit, Gen. 38.an.1.p.135.
Thamar an grauius peccauerit quã Iudas, Gen. 38.an.3.p.136.
Thare ignoratur quanto tempore extiterit in Harã, Gen.11.an.7.p.45.
Tharsis plura significat in scriptura, Gene.10. an.5.p.41.
Tenupha significat agitationem hostiæ per modum crucis, Exo.29. annotat.5. pagina, 284.
Tiras habitauit remotè à Palæstina, Genes.10. an.4.p.4.
Thesauri Dei sunt eius potẽtia & iustitia, Deu. 32.an.10.p.644.
Thomas optimus Mosaycæ legis interpres, Exo.25.an.1.p.267.
Thus superponebatur panibus propositionis, Leuit.24.an.2.p.403.
Timor Isaac idest Deus Isaac, Genes.31.ann.3. p.114.
Torrens AEgypti est quidam ramus Nili diuidens AEgyptum à terra Chanaã, Numer.34. an.1.p.543.
Toti tribuitur quod cõuenit parti, Deut.9.an. 1.p.577.
Tradere Deum aliquem in manus occisoris quid sit, Exo.21.an.5.p.255.
Transfiguratio Christi prædicitur Moysi, Exo. 33.an.3.p.296.
Trans Iordanem dupliciter sumitur, Deut.3. an.2.p.561.
Tubæ quædam erãt ductiles aliæ vero corneæ, Leuit.23.an.5.p.400.
Tubarum triplex clangor præcipitur Israelitis, Num.2.an.10.p.457.
Tubæ argenteæ clangende in bellis vocantur vasa sancta, Num.31.an.2.p.533.
Tummin & Vrim quid sint, Deut. 33.an.4.p. 648.
Turris gregis quid dicatur, Gen.35.annot.4. p.125.
Turpitudinis mutua reuelatio inter fratrem & sororem punitur morte, Leuit.20. annot.4. p.385.
Turtures & pulli columbæ cur potius offerebantur, Leuit.1.an.6.pag.318.
Tuus loquente Deo sonat in malam partem, Exo.32.an.3.p.293.

Digitized by Google

V.

VAnitas creaturarum non tollit eas esse valde bonas, Gen.1.an.19.p.9.
Varietas in cortina iacynthina erat atextura Cherubinorum, Exo.26.an.2.p.272.
Vas sumitur pro contento in vase per figuram Metonimiæ, Num.19.an.3.pag.444.
Vasa mensæ propositionis deseruiebant vsibus vtriusque altaris, Numer.4.annot.2.pa. 436.
Vota quædam sunt firma, quædam vero infirma, Num.30.an.1.p.529.
Vbi quis deliquit ibi venit puniendus, Leuit. 21.an.2.p.393.
Velum diuisit tabernaculum in duas partes inæquales, Exod.26.annotat.8.pagina, 273.
Vendere aliquem est eum in alterius potestatem tradere, Deuter.31.annotat.7.pagina, 644.
Verba quædam aliunde transferuntur, Exo.2. an.5.p.186.
Verborū Lamech. duplex interpretatio, Gen. 4.an.8.p.14.
Verbum pro reipsa sumitur aliquando, Deut.8 an.1.p.575.
Verbum dupliciter accipitur, Deut.4.an.3.p. 565.
Vestis pro quolibet bono temporali sumi solet, Exo.21.an.2.p.254.
Vespere & mane designat durationem diei & noctis, Gen.1.an.7.p.7.
Verenda cur sic vocantur, Gen.9.annot.5.p. 38.
Via in singulari pro ratione viuendi accipitur, in plurali vero pro operibus, Genes.6.an.5. pag.19.
Viam trium dierum cur petierit Moyses, Exo. 3.an.7.p.190.
Vestimenta sacerdotalia erant in duplici differentia, Leuit.16.an.2.p.368.
Victimæ non festinanter sed leniter cremabantur, Leuit.9.an.4.p.341.
Victoria Iosue tribuitur orationi Moysi, Exo. 17.an.4.p.238.
Vidit Deus quod esset bonum cur non dicatur in opere secundæ diei, Gen.1.annotat.10. pag.8.
Vindictam appetens etiam bruta solet comminari, Gen.6.an.4.p.26.
Vinum & lac referuntur tanquam efficientia incrementum pulchritudinis & candoris, Genes.49.an.3.p.176.
Vir & vxor multipliciter dicuntur vna caro, Gen.2.an.15.p.15.
Viri Bellatores vocantur qui excedunt vigesimum ætatis annum, Num.1.annot.3.pag. 424.
Virga Moysi fuit instrumentum miraculorum, Exo.4.an.3.p.194.
Virga Aaron non fuit posita in arca testamenti, Num.17.an.3.p.486.
Virga tam Moysis quam Aaron fuit seruata in sanctuario, Numeror.20.annotat.2.pag. 498.
Virgæ omnes fuerunt appositæ in sancta sanctorum, Num.17.an.2.p.486.
Virgo & incognita viro in quo differant, Gen. 24.an.2.p.89.
Visitare interdum benefacere, interdum punire significat, Leuit.18.an.5.p.376.
Visus plus mouet quam auditus, Gen.44.an.5. p.156.
Vita animalis principaliter consistit in sanguine, Leuit.17.an.5.p.371.
Viti in quibus comparetur Christus, Gen.49. an.11.p.176.
Vitæ iacynthinæ quæ dicantur, Num.15.an.7. p.479.
Vitulus Israelitarum non fuit integer, Exo.32. an.2.p.293.
Vita promissa obseruantibus legem Moysi tantum erat vita seu prosperitas temporalis, Leui.18.an.1.p.374.
Vniuersalis locutio diuersimode exponitur, Exo.9.an.1.p.209.
Vnus idem quod primus, Genes.1.annotat.8. p.7.
Votum aliud implicitum aliud explicitum in circuncisione, Leuit.22.annotat.8.pagina, 394.
Vouendi ratio non sublata per Christum, Leui. 27.an.1.p.418.
Votorum commutatio solum pertinebat ad summum sacerdotem, Leui.27.an.3.pag. 419.
Vota domorum & agrorum cedebant in cōmodum Leuitarum, Leuit.27.annotat.4.pag. 420.
Votum potest etiam fieri de actu iustitiæ punitiuæ, Leuit.27.an.6.p.420.
Voti materia diuersa est à materia Iuramenti, Num.30.an.2.p.529.
Votum etiam confirmatum potest aliquando relaxari, Num.30.an.4.p.530.
Vox sanguinum cur dicta fuerit mors Abel, Gen.4.an.5.p.23.
Vox pro ingenti sono, Genes.3.annotat.5. p.19.
Vrbs Chaldæorum sita est in Mesopotamia, Gen.12.an.1.p.48.
Vrbs pro vrbe diruta, Gen.19.annotat.3.pag. 101.
Vrim & tummim seu doctrina & veritas quid significent, Exo.28.an.3.p.279.
Vsque in præsentem diem quid significet, Gen. 19.an.6.p.72.
Vtensilia aliqua appellantur operimenta continarum vel operimentorum, Num.3.an.7. p.471.
Vsura dupliciter sumitur, Deut.23.annot.6.p. 615.
Vulgatæ dumtaxat editioni Latinæ standum est tanquam canonicæ, Deut.29.annot.1.p. 633.
Vsus moderatus segetis & vineæ alienæ licitus erat, Deut.23.an.7.pag.616.

Vulgi

Vulgi consuetudo seruari solet in locutionibus, Gen.43.an.1.p.142.
Vultus eiectio index est iræ, Gen.4.anno.3.p. 23.
Vultus Dei cum vultu Esau quadruplex comparatio, Gen.33.an.4.pag.119.
Vultus aliquando sumitur pro ira; Leuit.17. an.4.p.371.
Vxores dicuntur generare viris, Gen.46.an.2. p.161.
Vxor danda seruo Hebræo qualis erat, Exo.21. an.3.p.254.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1-6-2

Digitized by Google